R.P.D.F. IOANNIS
DA
SYLVEIRA
IN
Textum Euangelicum
COMMENTARIA.

Nº 3
93-18

R.P.D.F. IOANNIS
DA
SYLVEIRA
IN
Textum Euangelicum
COMMENTARIA.

Del Collegio de la Comp.a de Ihs de Granada

R. P. D. F. IOANNIS

DA SYLVEIRA,

OLYSSYP. CARMELITÆ,

Regularis Obſeruantiæ,

S. THEOLOGIÆ PRIMARII

Lectoris Iubilati, ac Magiſtri Regentis,

COMMENTARIORVM

in Textum Euangelicum

TOMVS PRIMVS:

Complectens Chriſti Domini ingreſſum in mundum; ab exordio Euangelij vſque ad Ioannis teſtimonia;

Indice quintuplici locupletatus.

Editio tertia, per eundem auctorem in multis adaucta, & emendata.

LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LII.

Cum priuilegio Regis

SANCTISSIMÆ

DEI GENITRICI VIRGINI
MARIÆ
MATRI, ET REGINÆ
CARMELITARVM.

DVM primis mei aſſidui laboris fructibus patronum eligo (SANCTISSIMA DEI GENITRIX) ſtatim mihi in mentem veniunt præclara Ruperti verba: *Qui magno feruntur pelago, pauidi nautæ, placidam auram imprecati, fixa cælo ſydera reſpiciunt, terrâ amiſſa, tenent cælum, ſedenteſq; ad clauum, ſyderibus currunt, erratica verò ſydera ſequi fugiunt.* [*Lib. 3. in Ioan. in limine.*] Cùm ego timore perfuſus in hoc procelloſum mundi mare committendi libros, eóſque in publicum proferendi feror ſtudio, non Principes, nõ Dynaſtas ſolicita indagine exquiro; ſunt enim errantia ſydera, ſed terrâ amiſſa, te cælum animatum, totius firmamenti firmamentum, fixam maris ſtellam inuoco, quæro, & ſequor. Tuam placidam auram deprecans, cuius benignitate totus ſecurus ibo, nullam minantium ventorum rabiem timebo; imò potiùs tuis radiis inter Scyllæ latratus, & Charybdis murmur feliciter vela dabo. Tu es enim nubecula illa denuntians ſerenitatem, quam aſcendentem de mare vidit parens meus Elias. [*3. Reg. 18.*] Tu es Regina adſtans in veſtitu ſcutulato, [*Pſ. 44. n. 10. iuxta aliã lect.*] imò in cuius vlnis, ac manibus ineſt ſcutum noſtrum, brachium Dei, dextera Patris, & ipſa omnipotentia Deitatis, infantulus meus IESVS. Suſcipe ô Dei Mater, hoc meum munuſculum, tuæ, fateor, ſupremæ maieſtati valde impar, noſtri tamen affectus, ac deuotionis erga te qualecumque monumentum; non enim paruulorum, ac humilium obſequia deſpicis: præcipuè cùm hoc totum Opus tibi debeatur; tum propter Carmeliticum, & verè tuum Ordinem (cui ego indigniſſimus conſcriptus ſum) qui ſe innumerabilibus beneficiis tibi adſtrictum continuè profitetur: tum propter ipſius operis argumentum, in quo annales, ac res geſtæ tuæ, tuíque ſanctiſſimi filij celebrantur: & ideo huc mihi transfero elegantiſſima, ac pia verba D. Bernardi Senenſis: *Voluntaria oris mei* (ait) *beneplacita faciat ſibi Dei genitrix, Domina mundi, Regina cæli, ipſa ſenſum acuat, dirigat ſtylum, & linguam pauperis venuſtiori reſpergat eloquio, vt de magnificentijs eius, ac dulciſſimi filij aliquid tametſi balbutiendo depromam.* [*Serm. 61. de B. Virgine.*]

UNIVERSITARIA DE GRANADA

Optimo Lectori.

HOc Opus quiſque fortaſſe admirabitur, quòd homo totus ſcholaſticis quæſtionibus, & per tot annorum curricula deditus in ſegetem veluti alienam mittat falcem, & præcipuè in hac ætate, quando tam præclara ingenij acumina fœcundant orbem: ſed dum omnem laborem contempſi, vt vtilitati tuæ conſulerem, parce his auſibus; eò vel maximè, quòd opera moralia de praxi Regularium, ac alia ex magna parte elaborata, à quibus ob continua, ac frequentia negotia nunquam amouemus manum, tibi etiam, Deo dante, dabimus.

In hoc noſtro Elucidario Euangelico lectionum varietatem, quæ cum noſtra Vulgata cohærent, omittimus; quæ verò aliqualiter diſcrepant, ac notatu digna reperimus, apponimus. Sententias ad euitandum faſtidium breuiter reſoluimus: aliquas ſupellectili morali exornamus, non tamen omnes, ne quodlibet caput ſuum adimpleat volumen. Ipſa ratio dicendi, non nimis phalerata, non fuco, non calamiſtro, non nimio exornata cultu, ſed perfacilis, & currens erit oratio; nihil enim magis intendimus, quàm promptè & expeditè placitum noſtrum tibi inculcare, ac explicare: nunquam enim mihi è mente excidit ſententia Auguſtini [a]: *Melius eſt, vt reprehendant nos Grammatici, quàm non intelligant populi.* Vnde valde eleganter dixit Seneca [b]; *Verbis non vltra, quàm ad intellectum ſatis eſt, vtor.*

a *In Pſ.138. ad illa verba*: Non eſt abſconditum os meum.
b *Lib. 1. de benef. cap. 3.*

Approba

Approbationes Doctorum, qui ex ordinis commiſsione hunc Tomum recognouerunt.

EX commiſſione Reuerendi admodum P. Prouincialis, qua potui cura, & diligentia, euolui hunc primum Tomum *Commentariorum in Textum Euangelicum, Authore D.P.F. Ioanne da Sylueira, Carmelita, ſacræ Theologiæ primario Lectore Iubilato, ac Magiſtro Regente*, in quo non modò aliquid minus congruè dictum non deprehenhi, verùm omnia, quæ author profert de theſauro ſuo noua, & vetera, ita exacta, ita ad amuſſim expoſita, ac indefeſſo labore SS. Patrum, & Doctorum teſtimoniis locupletata, vt nihil vltrà in hoc ſcribendi genere deſiderari poſſe videatur. Quapropter opus digniſſimum iudico, quod ad obſequium Eccleſiæ, & vſum diuini Verbi præconum, in lucem prodeat, in omniumq; oculis, & manibus verſetur. Datum in Vlyſſiponenſi Carmelo die prima Iunij, anno Domini 1639.

M. FR. AMBROSIVS DO COVTO.

EX commiſſione Reuerendi admodum P. Prouincialis huius noſtræ Prouinciæ Luſitaniæ, recognoui hunc primum Tomum *Commentariorum in Textum Euangelicum, Authore D. P. F. Ioanne da Sylueira, Carmelita, ſacræ Theologiæ primario Lectore Iubilato, ac Magiſtro Regente*; cenſeo nihil in eo aut Chriſtianis moribus: aut fidei decretis repugnans, reperiri: imò eſſe opus admirabili Patrum eruditione, pereleganti ſtylo, & ſingulari perfectum ingenio: dignúmque quod mandetur typis, & omnium teratur manibus, & celebretur linguis. Cùm enim, iuxta Auguſtinum *in Pſalm. 90. conc. 2.* diuinæ Scripturæ literæ vocentur delatæ de cælo; ait namque: *De illa ciuitate, vnde peregrinamur, literæ nobis venerunt; ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur, vt bene viuamus.* Nónne gratum eſſet nobis, & gratiſſimum, ſi aliquis explanaret, & enuclearet huiuſmodi ſenſum literarum, vt faciliùs exequi valeremus quæ nos docent, quæq; nobis præcipiunt, vt poſſimus ingredi in illam cæleſtem Patriam, à qua nobis miſſæ fuerunt? Hoc nobis præſtat Author noſter ingenij ſui ſubtilitate, & in dicendo elegantia, ſingulari modo docendo, perſuadendo, & ad materiæ maieſtatem ad amuſſim explanando. Datum in noſtro Olyſſiponenſi Carmelo die 14. Iulij, anno Domini 1639.

M. FR. BLASIVS TOSTADO.

Facultas R.P. Prouincialis Carmelitarum in Luſitania.

FRATER Balthaſar Limpo, Prouincialis Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo Regularis Obſeruantiæ, in his Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, &c. Ex commiſſione R.P.N. Magiſtri Fr. Theodori Stracij Generalis antiquæ Obſeruantiæ. Harum tenore, facultatem facio *R.P.D.F. Ioanni da Sylueira, ſacræ Theologiæ primario Lectori Iubilato, ac Magiſtro Regenti*, vt primus Tomus *Commentariorum in Textum Euangelicum* ab ipſo compoſitus, ac Doctorum hominum Religionis noſtræ iudicio examinatus, & approbatus, typis poſſit mandari. Datum in Carmelo Vlyſſiponenſi 16. Iulij, anno Domini 1639.

FR. BALTHASAR LIMPO, *Prouincialis.*

APPRO

APPROBATIO.

Nos infraſcripti facultatis Pariſienſis Doctores, fidem facimus viſum à nobis librum, qui inſcribitur, R. P. D. F. IOANNIS DA SYLVEIRA *Commentariorum in textum Euangelicum Tomus primus*, per eundem auctorem in multis adauctus, & emendatus; nihilq; in eo ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ fidei, ſanctorúmque Patrum ſana doctrina alienum contineri. Lugduni die 20. Maij 1644.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

FR. MICHAEL MICARD Franciſcanus.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, ac patentibus litteris cautum, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet librum, qui inſcribitur, R. P. D. F. IOANNIS DA SYLVEIRA, *Olyſſiponenſis, Carmelitæ Regularis Obſeruantiæ, ſacræ Theologiæ Primarij Lectoris Iubilati, ac Magiſtri Regentis, Commentariorum in textum Euangelicum Tomus primus*, per eundem auctorem in multis adauctus, & emendatus, præter LAVRENTIVM ANISSON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quemquam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis, die 19. Iunij 1644.

De mandato Regis,

Signatum

CRAMOISY.

SERIES

Series CAPITVM, ET QVÆSTIONVM.

LIBER PRIMVS.

Ab exordio Euangelij vſque ad ſomnium Ioſeph.

CAPVT I.

De generatione æterna.

QVÆST. I QVOMODO *diuina generatio recitetur? p.* 8
2 *Quare hîc ponatur titulus? ib.*
3 *Quare Euangelium initietur*, In principio? *ibid.*
4 *Quare hîc ponatur*, Erat? 9
5 *Quare Ioannes in ſua Canonica apponat*, Fuit, *hîc verò*, Erat? *ibid.*
6 *Quare toties repetiuit*, Erat? 10
7 *Quare Dei Filius dicatur Verbum? ibid.*
8 *Quare ſecunda perſona dicatur hîc potius Verbum, quàm Filius?* 11
9 *Quare hîc non dicatur Verbum Dei? ib.*
10 *Cur hîc dicatur Verbum, & non Filius?* 12
11 *Quare non dicatur : Verbum erat in Deo?* *ibid.*
12 *Cur non dicatur hîc apud Patrem, ſed apud Deum?* 13
13 *Quare hîc Euangelium inchoetur in Verbo?* *ibid.*
14 *Quare ponatur priùs nomen Verbi, quàm Dei?* *ibid.*
15 *Quare hîc ponatur propoſitio indirecta? ibid.*
16 *Quare Euangeliſta priùs explicet æternitatem Verbi, quàm illius naturam?* 13
17 *Quare hîc non ponatur aliqua probatio?* *ibid.*
18 *Ad quid fiat repetitio?* 15
19 *Cur nulla fiat mentio Spiritus ſancti? ibid.*
20 *Quare Euangeliſta tam breuiter agat de creatione?* 16
21 *Quare Euangeliſta vtatur verbo* facere, *& non* creare? 17
22 *Quare ante Incarnationem præmittat Ioannes Verbum eſſe Creatorem, & Conſeruatorem?* *ibid.*
23 *Quare non dicantur omnia facta per Spiritum ſanctum?* *ibid.*
24 *Quare dicatur, quòd in Verbo erat vita, quæ erat lux hominum?* 18
25 *Quare non de Verbo, ſed de vita dicatur lux hominum?* 19
26 *Quare non dicatur lux creaturarum, vel Angelorum?* *ibid.*
27 *Quare de Chriſto Domino dicatur tantùm quòd ſit lux?* 20
28 *Quomodo dicatur, quòd lux ſit in tenebris?* *ibid.*
29 *Quare Euangeliſta hîc vtatur verbo* comprehendere? 21
30 *Quare de præſenti dicatur, quòd lux luceat?* *ibid.*
31 *Quare dicatur de Ioanne, quòd* fuit homo miſſus à Deo? 22
32 *Quare ante officium ponatur nomen Ioannes?* *ibid.*
33 *Quare Chriſtus Dominus voluerit habere teſtimonium à ſeruo ſuo Ioanne?* 23
34 *Explicantur aliquæ quæſtiunculæ. ibid.*
35 *Quare dicatur de Ioanne Baptiſta quòd* non erat ille lux, *cùm hoc de Apoſtolis affirmetur?* 24

36 *Quomodo Deus illuminet omnem hominem venientem in mundum?* 25
37 *Quare dicatur, quòd Deus illuminat hominem venientem?* ibid.
38 *De modo, quo hîc loquitur Euãgeliſta.* 26
39 *Quare hîc omnia ſuperiora repetãtur?* ib.
40 *Quomodo dicat Euangeliſta: Et mundus eum non cognouit, cùm multi eum cognouerint?* 27
41 *Quomodo ait Euangeliſta, quòd in propria venit?* 28
42 *Quare Dominus non coëgerit ſuos ad eum non recipiendum?* ibid.
43 *Quare non ponatur hîc ſupplicium non recipientium?* ibid.
44 *Quare Euangeliſta facit prius mentionẽ de obſtinatis, & poſtea de fidelibus?* 29
45 *Quare Euangeliſta filiationem adoptiuam connectat cum Incarnatione?* ib.
46 *Quare in aduentu Filij Dei ſola filiatio adoptiua explicetur?* 30
47 *Quomodo dicatur data poteſtas recipiẽtibus Chriſtum, vt Filij Dei fiant?* ib.
48 *Quare non dicatur, fecit filios adoptiuos: ſed,* dedit poteſtatem, *&c.* 31
49 *Quare filiatio adoptiua tribuatur Incarnationi, cũ antea multi fuerint iuſti?* ib.
50 *Quare hîc mentio fiat de generatione naturali?* 32
51 *Quare ante Incarnationem tanta præmiſerit Euangeliſta?* ibid.
52 *Quare poſt filiationem adoptiuam agatur de Incarnatione?* 33
53 *Quare in Incarnatione dicatur Verbũ?* ib.
54 *Quare hîc dicatur Verbum, & non amplius in toto Euangelio?* ibid.
55 *Quare non homo factus, ſed caro dicatur?* 34
56 *Quare non dicatur, Verbum carnem aſſumpſit?* 35
57 *Soluuntur aliquæ quæſtiones.* 36
58 *Quare non dicatur hîc à quo eſt factum hoc myſterium?* ibid.
59 *Quare humilitate tãta aduenerit Deus ad viuificandam animam, & tamen ad corporis reſurrectionem in gloria apparebit?* ibid.
60 *Cur, explicata Incarnatione, dicatur ſtatim:* Habitauit in nobis? 37
61 *Quare hîc non fiat mentio de habitibus ſpiritualibus, quos nobis contulit Chriſtus?* 38
62 *Quid ſignificet in textu Græco:* Habitauit in tabernaculo nobiſcum. *ibid.*
63 *Quare poſt memoratam Incarnationem dicatur,* Vidimus gloriam eius? 39
64 *Quomodo dicatur, quòd homines mortales gloriam eius viderint?* 40
65 *Quomodo gloria Chriſti fuerit viſa, vt vnigeniti à Patre?* ibid.
66 *Quomodo ait Euangeliſta:* Plenum gratia, & veritate? 41

CAPVT II.

De generatione temporali Ieſu Chriſti.

QVÆST. I. *Qvare Euangeliũ hîc à Matthæo dicatur liber?* 42
2 *Quare in hac generatione ponatur titulus?* ibid.
3 *Quomodo narretur hîc Chriſti generatio, quæ dicitur inenarrabilis?* 43
4 *An agere de genealogijs ſit contra Apoſtolum?* 44
5 *Quare non dicatur liber actorum Chriſti, ſed generationis?* ibid.
6 *Quare dicatur liber generationis, & non paſſionis?* 45
7 *Quomodo deſcribatur generatio Chriſti, cũ ſit figuratus in Melchiſedech?* ib.
8 *Quomodo D. Matthæus ſuum inchoet & terminet Euangelium?* 46
9 *Quare hîc exprimatur ſolùm nomen Ieſu Chriſti, & non Filij Dei?* 47
10 *Quare prius ponatur nomen* Ieſu, *&* poſtea Chriſti? *ibid.*
11 *Quare Chriſtus dicatur filius Dauidis, & Abrahæ?* 48
12 *Quare hîc ponantur primò Dauid, & Abraham, & eorum filius expreſſè dicatur Chriſtus?* ibid.
13 *Quare dicatur, hîc primò inſcribi Abraham, & Dauid ob promiſſionem eis factam, cùm eadem alijs Patribus data ſit?* 49
14 *Quare Chriſtus non dicatur Adami filius?* 50
15 *Quare ponatur prior Dauid, quàm Abraham?* ibid.
16 *Quare Chriſtus Dominus à populo dicebatur filius Dauid, à viris præſtantiſſimis filius Abrahæ?* 52
17 *Quare Dauid hîc Regio titulo non inſigniatur?* ibid.
18 *Quare Matthæus in genealogia Chriſti procedat deſcendendo, Lucas verò aſcendendo?* 54
19 *Quare Lucas, & Matthæus diuerſo verbo vtantur?* 55
20 *Quare hæc ſacra generatio inchoetur in Abrahamo?* ibid.
21 *Quare commemorentur fratres Iudæ?* 56
22 *Quare dicatur, Iudas genuit Phares, & Zaram?* ibid.
23 *Quare fœminæ peccatrices in hoc loco ſcribantur?* 57
24 *Quis ſit Booz hîc nominatus?* ibid.
25 *Quare Booz genuerit præſtantiſſimum filium Obed ex Ruth Moabitide?* 58

26 *Quare*

26 *Quare Dauid ſolus nominetur Rex?* 59
27 *Quare Bethſabee hîc non exprimatur?* 60
28 *Quare hîc fiat mentio de adulterio?* ibid.
29 *Quare tres Reges hîc omittantur?* 61
30 *Quomodo dicatur, quòd Ioſias genuerit Iechoniam?* ibid.
31 *Quare Euangeliſta ſubticuerit captiuitatẽ Ægyptiacã, & expreſſerit Babylonicã?* ib.
32 *Quare appelletur tranſmigratio, & non captiuitas Babylonis?* 62
33 *Quiſnam ſit iſte Iechonias, & quo modo pater tantorum Principum?* 63
34 *Vnde habuerit Matthæus huius tertiæ teſſeradecadis genealogias?* ibid.
35 *Quare dicatur hîc de Ioſeph:* Virum Mariæ? *ibid.*
36 *Quare hîc ante Virginem tot generationes deſcribantur?* 64
37 *Quare Euangeliſta, cùm ad Chriſtum accedit, mutet ſtylum?* 63
38 *Quare hîc Euangeliſta non explicet Spiritus ſancti cooperationem?* ibid.
39 *Quare Virgo Maria nominetur hîc ſine aliquo titulo?* 66
40 *Quare Euangeliſta ait hîc de Saluatore noſtro:* Qui vocatur Chriſtus? *ibid.*
41 *Quare dicatur hîc ex Virgine natus Ieſus, & non Deus?* 67
42 *Quare in hac ſerie quadraginta duæ perſonæ narrentur?* 68
43 *Quare Euangeliſta totam hanc genealogiam in tres diuiſerit partes?* ibid.
44 *Quomodo Matthæus, & Lucas conueniant in narranda ſerie progenitorum Chriſti?* 69

CAPVT III.

De Conceptione, ac Natiuitate Virginis Mariæ.

QVÆST. I. *Immaculata Virginis conceptio ab omni peccato originali immunis Scripturæ teſtimonijs demonſtratur, ad illa verba:* Abraham genuit Iſaac. 72
2 *Pura Virginis conceptio rationibus ex Scriptura deſumptis comprobatur ad illa verba:* De qua natus eſt Ieſus. 76
3 *De Natiuitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ:* De qua natus eſt Ieſus. 79

CAPVT IV.

Annuntiatur Præcurſor.

QVÆST. I. *Qvare Euangeliſta hîc vtatur verbo,* Fuit? 83
2 *Quare hîc fiat mentio de diebus Herodis?* ib.
3 *Vtrũ Zacharias fuerit ſummus Sacerdos?* ib.
4 *Quare ſcribatur nomẽ matris Eliſabeth?* ib.
5 *Quare Euangeliſta tam accuratè exprimat nobilitatem parentum Ioannis?* 84
6 *Quare tam exactè eorum virtus explicetur?* 85
7 *Quare eorũ virtus dicatur ſine querela?* ib.
8 *Quare ſterilitas horum parentum adeò explicetur?* 86
9 *Quare memorentur parentes Ioannis, & non Eliæ?* ibid.
10 *Quare dicatur:* In ordine vicis? 87
11 *Quomodo dicatur ingreſſus in templum?* 88
12 *Quare Angelus ſe manifeſtet Zachariæ in vigilia?* ibid.
13 *Quare Angelus appareat in templo?* ibid.
14 *Quare Angelus appareat à dextris Altaris?* 89
15 *Quare Zacharias vidẽs Angelũ turbetur?* ib.
16 *Quare Angelus præceperit Zachariæ, ne timeret?* 90
17 *Quidnam petebat Zachariæ oratio?* 91
18 *Quare Ioannis nomen prædicatur ante eius natiuitatem?* ibid.
19 *Quare dicatur quòd multi gaudebunt, & non omnes?* 92
20 *Quare de Ioanne dicatur:* Erit magnus? *ib.*
21 *Quare Angelus de potu tantùm, & non de cibo mentionem faciat?* 93
22 *Quare dicatur, quòd Spiritu ſancto replebitur ex vtero?* ibid.
23 *Ex præcitatis verbis ſanctificatio Ioannis rectè colligitur, & mens Auguſtini explicatur.* ibid.
24 *Quare dicatur de Baptiſta, quòd præcedat in ſpiritu Eliæ?* 95
25 *Quare dicatur, quòd conuertat corda patrum ad filios?* ibid.
26 *Quare Angelus nomen ſuum explicet, & ſe eſſe miſſum?* 96
27 *Quare Zacharias, & non alij ob petitum ſignum puniatur?* 97
28 *Qualenam fuerit peccatum Zachariæ?* ibid.
29 *Quare Zacharias tam grauiter ab Angelo puniatur?* ibid.
30 *Quare tali pœna multetur?* 98
31 *Quare nullus ingrediatur in templum?* ibid.
32 *Quare populus ſibi perſuaſerit Zachariam viſionem vidiſſe?* 99
33 *Quare ſe occultauerit Eliſabeth?* 100
34 *Quare ſe occultauerit quinque menſibus?* ib.

CAPVT V.

Annuntiatio Angelica ad Virginem.

QVÆST. I. *Qvare ſexto menſe poſt conceptũ Ioannis incarnetur Verbũ?* 101
2 *Quare non aliter ſcribatur tempus?* ibid.
3 *Quare non dicatur Angelus miſſus à tribus diuinis perſonis?* ibid.
4 *Quare per Angelum declaretur hoc myſterium?* 102
5 *Quare non per hominem, ſed per Angelum hæc mittatur legatio?* ibid.
6 *Quare non Seraphim, vel Cherubim, ſed Angelus mittatur?* 103

7 An Deus immediatè per ſeipſum, an interuentu ſuperiorum Angelorum, legationem hanc Gabrieli reuelauerit? ibid.
8 Cuiuſnam Angelici ordinis ſit Gabriel? 104
9 Quare potiùs Gabriel, quàm alius mittatur? ibid.
20 In qua ſpecie Angelus apparuerit? 105
11 Quare Angelus non loquatur ex aëre cum Virgine? ibid.
12 Quare vigilãti Virgini Angel⁹ appareat? ib.
13 Quare concipiatur in Galilæa? ibid.
14 Quare Nazareth eligatur ad Verbi incarnationem? 106
15 Quare non creatur noua caro ad vnionem verbi? 107
16 Quare ex muliere caro aſſumatur? ibid.
17 Quare naſcatur ex Virgine, & non ex corrupta? 108
18 Quare Virgo deſponſata eligatur? ibid.
19 De ſanctiſsimo nomine Mariæ. 109
20 Quare deſcribatur ingreſſus Angeli ad Virginem? 111
21 Quare Angelus tripliciter Virginem ſalutet? ibid.
22 Quare Angelus vtatur voce Aue? 112
23 Quare Angelus proprium Mariæ nomen ſubticuerit, & tantùm dixerit, Aue gratia plena? 113
24 Quare dicatur gratia plena? ibid.
25 Quare Angelus eam hîc dicat plenam non Spiritu S. vel virtute, ſed gratia? 114
26 Quare Angelus dixerit ad Virginem: Dominus tecum? ibid.
27 Quare dixerit Angelus, Dominus tecum, & non, Deus tecum? 116
28 Quare Virgo ab Angelo dicatur benedicta in mulieribus? ibid.
29 Quare Virgo, audito ſermone Angeli turbetur? 117
30 Quare Virgo, audita ſalutatione, non ſtatim reſponderit? 118
31 Quomodo Angelus velit ab ea timorem excludere? 119
32 Quare Angelus exprimat hîc nomen Mariæ? ibid.
33 Quare dixerit Angelus: Inueniſti gratiam apud Deum? 120
34 Quare dicatur Deipara: Concipies, & paries? 121
35 Ad quid Angelus dixerit, in vtero? 122
36 Quare non dixerit Angelus, ſaluum faciet populum à peccatis? ibid.
37 Quare dicatur de Chriſto Domino quòd erit magnus? 123
38 Quare dixerit: Filius Altiſſimi vocabitur, & non potiùs erit? 124
39 Quare hîc dicatur, Dominus Deus? ibid.
40 Quare dicatur, Regnabit in domo Iacob? 125
41 An Chriſtus D. habuerit ius hæreditarium ad regnum temporale Iſraëliticum? ibid.
42 Soluuntur aliquæ quæſtiunculæ. 127
43 An in Deipara vlla fuerit dubitatio? 128
44 Quare Virgo hîc modum executionis tanti myſterij interroget? 129
45 Quare addiderit Virgo: Quoniam Virum non cognoſco? ibid.
46 Quare dixerit Angelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te? 130
47 Quare hîc diuinus Spiritus ſanctus dicatur? 131
48 Quare Chriſtus Dominus dicatur conceptus de Spiritu ſancto? ibid.
49 Quare dixerit Angelus: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi? 132
50 Quare priùs dicatur de Chriſto eſſe Sanctum, quàm filium Dei? 133
51 Quare Angelus totus ſit in explicãdo Chriſti regno, non verò in eius paſſione? ibid.
52 Quare Angelus hîc factum Elizabeth Virgini commemoret? 134
53 Quare Angelus à minori probet id, quod maius eſt? ibid.
54 Quare adducatur Elizabeth in exemplum, & non Sara? 135
55 Quare dicatur omne verbum non eſſe impoſsibile? ibid.
56 Quare Deus decreuerit hoc myſterium fieri, interueniente Virginis conſenſu? 136
57 Quæ virtutes ſe manifeſtauerint in conſenſu Beatiſsimæ Virginis? 137
58 Quare D. Lucas hîc myſterium Incarnationis ſubſecutum non expreſſerit? 138

Capvt VI.

Viſitat Virgo Maria Elizabeth.

Qvæst. I. Qvare Virgo profecta fuerit ad viſitandum Elizabeth? 139
2 Quare ſupremi Domini Chriſtus, & Maria ãd ſeruos tendant? 140
3 Quare Virgo non aduocet ad ſe Elizabeth, ſed ipſa ad eam viſitandam pergat? ibid.
4 Quare Virgo non viſitet Elizabeth per nuntium, ſed per ſe ipſam? 141
5 Quare dicatur Maria exurgens? ibid.
6 Quare cum feſtinatione ſuum conficiat iter Beatiſsima Virgo? 142
7 Quare Virgo tam feſtinanter tendat ad Elizabeth, cùm cogitabunda ſteterit ante Angeli reſponſionem? 143
8 Vtrùm Beatiſsima Virgo profecta fuerit cum ſponſo ſuo? ibid.
9 Quænam eſſet hæc ciuitas Iuda, & vbi ſita? 144
10 Quare Virgo ſalutauerit Elizabeth? ibid.
11 Quare Virgo non ſalutauerit Zachariã? 145
12 Quare Ioannes exultauerit in vtero? 146

13 Quare Chriſtus Dominus Ioannem, & non alium viſitet? 147
14 Quare gratia ex Ioanne redundet in matrem? ibid.
15 Qualis fuerit Ioannis exultatio? 148
16 Quare Elizabeth clamauerit voce magna? ibid.
17 Quare Virgo dicatur benedicta inter mulieres? 149
18 Quare dicatur fructus Virginis benedictus poſt ipſam benedictam? ibid.
19 Quare Chriſtus Dominus dicatur fructus benedictus? ibid.
20 Quare Elizabeth tantum aduentum Virginis gratuletur? 150
21 Quare ait Elizabeth: Vnde hoc mihi? ibid.
22 Vnde Elizabeth cognouerit Virginem eſſe matrem Dei, in vteroq́; ſuo Verbum Incarnatum geſtare? 151
23 Quomodo cognouerit Elizabeth exultare infantem? 152
24 Quare Iacob luctetur in vtero matris, exultet verò Ioannes? ibid.
25 Quare de Ioanne, & non de Elizabeth aſſeratur exultatio in gaudio? ibid.
26 Quare Elizabet Virginem beatam appellauerit? 153
27 Quare tam breuiter loquatur Elizabeth? ib

Capvt VII.

Canticum Virginis.

Qvæst. I. Qvare in principio ſui Cantici Beatiſsima Virgo intonet: Magnificat.
2 Quare ait, Anima mea? ibid.
3 Quòd diſcrimen ſit inter animam, & ſpiritum? 155
4 An priùs fuerit magnificatio, quàm exultatio? 156
5 Quid nomine humilitatis hîc intelligatur? ibid.
6 Quare B. Virgo hîc loquatur per tertiam perſonam? 157
7 Quid B Virgo hîc intelligas: Per nomen ſanctum eius? 158
8 De quo timore hîc ſit ſermo? 159
9 Quare miſericordia hîc promittatur timentibus, & non credentibus, ſeu diligentibus? ibid.
10 Quare hîc dirigatur ſermo ad Dei potentiam, & ſanctitatem? ibid.
11 Quare Deus ſemel tantùm nominetur in hoc Cantico? 160
12 Quare in ſupplicio peccatorum fiat hîc mentio de potentia? ibid.
13 Quomodo hic textus conſtruendus ſit? 162
14 Quare celeritas huius itineris non explicetur? 163

Capvt VIII.

Naſcitur Præcurſor.

Qvæst. I. Qvare dicatur: Impletum eſt tempus pariendi? ibid.
2 Quare Ioannes non dicatur filius primogenitus? 164
3 Quare dicatur: Audierunt vicini, & non viderunt? 165
4 Quare natiuitas Ioannis miſericordia appelletur? ibid.
5 Quare gratulatio fiebat Elizabeth, & non Zachariæ? ibid.
6 Quare circuncidatur Ioannes? 166
7 Vnde edocta fuerit Elizabeth de filij nomine? 167
8 Quare diuerſitas tanta in imponendo nomine puero? 168
9 Quomodo dicatur, quòd nullus ſit in cognatione eius dictus Ioannes? ibid.
10 Quare Zacharias ſcripſerit: Ioannes eſt nomen eius? 169
11 Quare hîc puer appellatus ſit Ioannes? 170
12 Quare dicatur: Illico apertum eſt os eius? 171
13 Quare Zacharias non loquatur in natiuitate, ſed in circunciſione? ibid.
14 Quare totus erat Zacharias benedicens Deum? ibid.
15 Quomodo dicatur, quòd Zacharias benedixerit Deum? 172
16 Quare in Ioannis natiuitate timor, Chriſti verò gaudium? ibid.
17 Quare magnalia Baptiſtæ diuulgabantur ſuper omnia montana Iudææ? ibid.
18 Quare hîc ſit ſermo de potentia Dei? 173
19 Quare de Ioanne ſe mutuò interrogent: Quis erit? 174
20 Quomodo dicatur: Manus Domini erat cum illo? ibid.

Capvt IX.

Canticum Zachariæ.

Qvæst. I. Qvare Zacharias dicatur: Repletus Spiritu ſancto? 175
2 Quare dicatur: Dominus Deus Iſraël, & non Iacob? ibid.
3 Quare tantùm fiat mentio de redemptione plebis ſuæ? 176
4 Quare Chriſti regnum per cornu ſignificetur? ibid.
5 Quomodo facta ſit miſericordia antiquis Patribus? 178
6 Quare hîc tantùm fiat mentio iuramenti Abrahamo exhibiti? 179
7 Quare octo dierum infantem alloquatur Zacharias? 180
8 Quare dicatur de Ioanne præire ante faciem Domini? 181

9 Quare ait Zacharias: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri? 182
10 Quare dicatur, per viſcera miſericordiæ, non verò dilectionis? ibid.

Caput X.

De reuelatione facta Ioſeph in ſomnis.

Quæst. 1. Vtrùm quando Angelus hîc apparuerit, Virgo & Ioſeph eſſent iam in eadem domo? 185
2 Quare ex Virgine deſponſata naſcatur Chriſtus? ibid.
3 Quare Virginis ſponſus Ioſeph appelletur? 186
4 Quare dicatur hîc Ioſeph Iuſtus. 187
5 Quare dicatur Ioſeph iuſtus, cùm eſſet in eadem domo cùm Virgine, & Verbo Incarnato? 188
6 Quare Ioſeph noluerit traducere Virginem? 189
7 An ex aliqua ſuſpicione Ioſeph voluerit traducere Virginem? 191
8 An teneretur Ioſeph traducere, ſeu manifeſtare Virginem? 192
9 Quare non exquiſiuerit Ioſeph à Virgine quomodo conceperit? ibid.
10 Quare Virgo non reuelauerit Ioſeph cauſam ſui conceptus? 193
11 Quare Ioſeph dormienti appareat Angelus? ibid.
12 Quare Angelus non venerit ad Ioſeph ante Virginis conceptum? 195
13 Quare Angelus Ioſeph filium Dauidis appellet? ibid.
14 Quomodo dixerit Angelus: Noli timere? ibid.
15 Quare Angelus ait Ioſeph quòd accipiat Mariam? 197
16 Quare Angelus non increpet Ioſeph? ibid.
17 Quare Angelus appellet Virginem Ioſeph coniugem? 198
18 Quare ait Angelus: Quod in ea natum eſt? ibid.
19 Quare vnioni hypoſtaticæ conuenientior fuerit ſexus maſculinus? 199
20 Quare Angelus exponat nomen Ieſu Ioſeph, non verò Virgini? ibid.
21 Quomodo prophetia concordet cum hiſtoria? 200
22 Quomodo ſit explicandum illud verbum: Non cognoſcebat eam, donec peperit? 201
23 Quomodo Chriſtus Dominus dicatur filius [illegible] Virginis? ibid.

Liber Secundus.

De infantia, & pueritia Domini Noſtri Ieſu Chriſti,

Caput I.

Naſcitur Chriſtus Dominus.

Quæst. 1. Ex quo motiuo hæc deſcriptio facta fuerit ab Auguſto? 202
2 Quare Chriſtus Dominus naſcatur dum orbis vniuerſus numeratur? 203
3 Quare ob populi numerationem Dauid puniatur, Auguſtus verò minimè? 205
4 Quare Bethleem eligatur ad Chriſti natiuitatem? 206
5 Qualiſnam fuerit auguſtiſſimus Virginis partus? 208
6 Quare Chriſtus pannis inuoluatur? 209
7 Quare pannis, & non pellibus inuoluatur puer natus? 210
8 Quare meus Ieſus non ponatur nudus in præſepio? 211
9 Quare Chriſtus naſcatur in præſepio? ibid.
10 Quare infans natus reclinetur in præſepio? 212
11 Quare non retineatur inter Virginis brachia, ſed iaceat in præſepio? 213
12 Quare non erat ei locus in diuerſorio? 214
13 Quare Chriſti natiuitas nuntietur paſtoribus, & non principibus Iudæorum? 215
14 Quare hi paſtores præ omnibus alijs eligantur? 216
15 Quare in tanta luce Angeli ſe manifeſtent? 217
16 Quare Angelus appareat in tanta gloria, cùm Chriſtus ſit in tãta humilitate? 218
17 Quare hîc dicatur, gaudiũ magnum? 219
18 Quare non dixerit Angelus, natus eſt omni populo? 220
19 Quare Angelus infantem natum Chriſtum vocet? ibid.
20 Quare pro ſigno nati Domini detur eius humilitas? 221
21 Quare pro ſigno Chriſti infantis detur paupertas, aduenientis verò in iudicio maieſtas? 222
22 Quare tantùm puer poſitus in præſepio detur pro ſigno? 223
23 Quare hîc deſcribantur Angeli ſub nomine militiæ? 224
24 Quare Angeli decantent gloriam Deo? 225
25 Quare cùm Angeli appareant in terra, dicant gloriam in excelſis? 226
26 Quare in Chriſti natiuitate decantetur pax, & non iuſtitia, vel miſericordia, ſeu redemptio generis humani? 227
27 Quare hîc decantetur pax, in die verò Aſcenſionis victoria? 228
28 Quare detur pax hominibus bonæ voluntatis? ibid.

Caput II.

Paſtores Chriſtum natum adorant.

Quæst. 1. Qvare Paſtores ſe excitent ad tranſitum in Bethleem? 229
2 Quare dicatur, Paſtores inueniſſe primò Mariam, Ioſeph, deinde infantem? 230
3 Quomodo dicatur, quòd videntes cognouerint de Verbo, cùm hæc cognitio fuerit tantùm per fidem? 231
4 Quare Virgo hæc conferebat in corde ſuo? 232

Caput III.

Circunciditur Chriſtus Dominus.

Quæst. 1. De loco, miniſtro, ac tempore circunciſionis. 233
2 Quare circuncidatur Chriſtus Dominus? 234
3 Quare Chriſtus ante Magorum aduentum circuncidatur? 235
4 Quare Euangeliſta Chriſti circumciſionem non exprimat, ſed ſupponat? 236
5 Quare Euangeliſta non terminet ſententiam in circunciſione? ibid.
6 Quare in circunciſione Ioannis tot miracula, nulla verò in Chriſti legantur? 237
7 De magnitudine circunciſionis Chriſti. ibid.
8 Quare dicatur Ieſus, cùm prædictum ſit, Emmanuelem eſſe vocandum? 238
9 Quare potiùs Ieſus, quàm Emmanuel vocetur? 239
10 Quomodo Ieſus ſit nomen nouum? 240
11 Quare nomen Ieſus ab Iſaia non nominetur inter cætera? 241
12 Quare dicatur, Vocatum eſt nomen eius? ibid.
13 Quare Ieſus nomen vocatum ſit priùs ab Angelo, quàm ab homine? 242
14 Quare hîc nominetur ſolùm Angelus, & Gabrielis nomen taceatur? 243
15 Quare Euangeliſta meminerit dicti Angeli ante conceptionem? ibid.

Caput IV.

Magi Chriſtum adorant.

Quæst. 1. Qvare hîc Euangeliſta Herodis faciat mentionem? 244
2 De ſcientia, qualitate, numero, patria, ac itinere Magorum. 245
3 Quare Magi non appellentur Reges? 246
4 Quare ex gentibus Reges, ex Iudæis paſtores Chriſtus ad ſe adduxerit? ibid.
5 Quare Deus Reges & potentes annuntiatores elegerit in præſepio, poſtea verò pauperes, & piſcatores? 247
6 Quare ad præſepe Deus homines Gentiles adducat? ibid.
7 Quare Magi, cùm ducerentur ſtellâ, quærant, vbi natus ſit Rex Iudæorum? 248
8 Quare coram Herode Rege de nato Rege tam confidenter interrogent? 249
9 Quare dicatur Rex Iudæorum, non verò totius vniuerſi? ibid.
10 Quare Chriſtus dicatur Rex Iudæorum, & non filius Dei? ibid.
11 De natura, qualitate, apparitione, itinere, ac motore ſtellæ? 250
12 Quomodo Magi per ſtellam cognouerint Chriſtum natum? 251
13 Quare per ſtellam Magi ducantur ad Chriſtum? 252
14 Quare Magi per vnam, non per plures vocentur ſtellas? 253
15 Quare Magi non per columnam nubis, ſed per ſtellam ducantur? ibid.
16 Quare dicant Magi: Venimus adorare eum? 254
17 Quare turbetur Herodes audiens Regem natum? ibid.
18 Quare dicatur tota Hieroſolyma perturbata? 255
19 Quinam dicantur hi principes Sacerdotum? 256
20 Quare ab his Principibus & Scribis locum natiuitatis Chriſti quærat Herodes? 257
21 Quare hîc ab Euangeliſta auferantur mutata prophetiæ verba? 258
22 Quare iſti legiſperiti non referant totam prophetiam? ibid.
23 Quare Herodes non acceſſerit ad Bethleem cum Magis ad Chriſtum adorandum? 260
24 Quare aliquis de populo non iuerit cum Magis? 261
25 Quomodo Herodes Meſſiam volebat occidere, cùm eſſet verus Deus? ibid.
26 Quare ſtella ſe occultauerit Magis ad ingreſſum Hieruſalem? 263
27 Quare ſtella iterum appareat Magis, & ipſos ducat ad Chriſtum? ibid.
28 Quare Magis reueletur Chriſti natiuitas, non verò determinatè illius locus? 264
29 Quare teſtetur Euangeliſta quòd Magi Chriſtum inuenerint in domo? 265
30 Quare de ſancto Ioſeph nulla fiat mentio? ibid.
31 Quare Magi procidentes adorent? 266
32 Quare Magi obtulerint munera Chriſto? 267

33 Quare non de Paſtorum, ſed de Magorum oblationibus mentio fiat? ibid.
34 Quare Magi obtulerint aurum, thus, & myrrham? 268
35 Qualiter ſe habuerit ſanctiſſima Virgo erga Magos Chriſtum adorantes? 269
36 Quare Magi non inſtruantur à puero, vel Virgine de via ſuſcipienda? 270
37 Quare Magi non reducantur per ſtellam, ſed per Deum, vel Angelum moueantur? ibid.
38 Quare Magi de via moneantur in ſomnis? 272
39 Quare per aliam viam redeant? ibid.
40 Accepto oraculo, qualiter Magi ſe habuerint. 273

Capvt V.

De Purificatione Beatiſſimæ Virginis.

Qvæst.I. De purificatione matris, ac oblatione pueri. 274
2 Vtrùm B. Virgo teneretur lege purificationis? 275
3 Quare purificetur Virgo, cùm eſſet immunis à lege? ibid.
4 Quàm eximia puritate Virgo in ſua purificatione reſplenduerit. 277
5 Quare hîc nomen pueri Ieſu non exprimatur? ibid.
6 Quare Herodes non obſeruauerit aduentum Chriſti in die purificationis? ibid.
7 An Chriſtus Dominus lege præſentationis primogenitorum comprehenderetur? 278
8 Quare Chriſtus præſentetur in templo? ib.
9 Quare dicatur hîc, lex Domini? 280
10 Quare hîc toties ſcribatur lex, cùm in Circunciſione nulla ſit illius mentio? 281
11 De ſacrificio turturum, ſeu columbarum. ib.
12 Quare dicatur, par turturum, aut duos pullos columbarum? 282
13 Quid obtulerit Beatiſſima Virgo? 283
14 Quare Euangeliſta non explicet determinatè, quid à Virgine oblatum fuerit? 284
15 Quare B. Virgo non obtulerit agnum? ibid.
16 Quare hoc loco nulla mentio fuit redemptionis primogeniti? 285
17 Quiſnam eſſet S. Simeon? 286
18 Quare Simeon dicatur Iuſtus? 287
19 Quare dicatur timoratus? ibid.
20 Quare dicatur expectans conſolationem? ib.
21 Quare tantus ſit Euangeliſta in deſcribendis virtutibus Simeonis? 288
22 Soluuntur aliquot quæſtiunculæ. 289
23 Quare dicatur quòd venit in ſpiritu in templum, & quomodo cognouerit Chriſtum? 290
24 Vtrùm priùs fuerit Canticum Simeonis, & poſtea legalia circa Chriſtum Dominum adimpleta? 291

Capvt VI.

Simeonis verba.

Qvæst.I. Qvare dixerit Simeon: Nunc dimittis? 292
2 Quare dicatur dimitti, non verò mori? 293
3 Quare Simeon ait, in pace dimitti? ibid.
4 Soluuntur quatuor quæſtiunculæ. 294
5 Quare Ioſeph dicatur Chriſti pater? 295
6 Quare dicatur B. Virgo admirata? 296
7 Quare dicatur in ruinam, & reſurrectionem mortuorum? 297
8 Soluuntur duæ quæſtiunculæ. 298
9 Quare Chriſtus Dominus dicatur poſitus in ſignum, cui contradicitur? ibid.
10 Quomodo dicatur, quòd gladius pertranſibit animam Virginis? 300
11 Quare Deus voluerit, quòd B. Virgo dolores tam grauiſſimos pateretur? 301
12 Quare dicatur vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes? 302
13 Quare dicatur nomen Patris Annæ, & non viri ſui? 303
14 Quare Deus reueletur Annæ? 304
15 Quare verba Annæ ab Euangeliſta non exprimantur? 305
16 Quomodo dicatur Annam loqui cum expectantibus redemptionem Iſraël? ibid.
17 An Aduentus iſte in Nazareth fuerit ex Ægypto, an è Hieruſalem? 306

Capvt VII.

Fuga pueri Ieſu cum Matre in Ægyptum.

Qvæst.I. Qvare per Angelum, & non per hominem fuga mandetur Ioſeph? 307
2 Quare iſta reuelatio fiat tantùm Ioſeph, & non Beatiſſimæ Virgini? ibid.
3 Quare Angelus nomen pueri, & matris non exprimat? 308
4 Quare primò nominetur puer, & poſtea mater? 309
5 Quare Angelus ſuadeat fugam Chriſti Domini? ibid.
6 Quare Chriſtus in Ægyptum potiùs, quàm in aliam regionem tendat? 311
7 Soluuntur aliquæ quæſtiunculæ. 313
8 Vtrùm Ioſeph fugerit eadem nocte, qua Angelus ei apparuerit? 314
9 Quare nocte fugerit Ioſeph? ibid.
10 Quare à Iudæa fugerit nocte, ſine tenebris verò reuertatur? 315
11 Quare Ioſeph Virginem non præmonuerit: vt diceret ſe eſſe eius ſororem, ſicut olim Abraham? ibid.
12 De laborioſo itinere Beatiſſimæ Virginis. 316
13 De ingreſſu, ac mora Chriſti in Ægypto. ib.
14 In quo ſenſu hic locus citatus ab Euangeliſta de Chriſto Domino intelligatur. 317

Capvt VIII.

Occiduntur infantes ab Herode.

Qvæst.I. Qvare Herodes ſe à Magis illuſum putet? 318
2 Quare iraſcatur Herodes? ibid.
3 Quare Herodes iraſcatur de aduentu Magorum, non verò de adoratione Paſtorum? 319
4 Quomodo huiuſmodi crudelis cædes facta ſit? 320
5 Quare Herodes ad interfectionem non venerit, ſed tantùm miſerit? 321
6 Cur Deus permiſerit ſanctos infantes tam crudeliter occidi? ibid.
7 Quare Chriſtus Dominus naſcens pro ſociјs elegerit infantes; moriens verò in cruce latrones? 322
8 Quare Herodes iratus deſæuerit, non in Magos, ſed in pueros? ibid.
9 Quo tempore infantes occiſi ſint? 323
10 Quare Herodes occiderit infantes bimos? 324
11 Quare Rachel ploret? 325
12 Quare ploret potiùs Rachel, quàm Lia, vel alia matrona? 326
13 Quare dicatur Rachel plorans, & non Iacob, vel Abrahamus? ibid.
14 Quinam ſint filij, quos Rachel ploret? 327
15 Quare dicatur de Rachel, quòd in planctu ſuo noluerit conſolationem? ibid.

Capvt IX.

Reditus in Nazareth.

Qvæst.I. Qvare poſt mortem Herodis imperetur Ioſeph redire in terram Iſraël? 329
2 Quare Angelus non determinauerit Ioſeph locum ad habitandum? ibid.
3 Quare dicatur pluraliter: Mortui ſunt qui quærebant animam pueri? 330
4 Quomodo dicatur: Quærebant animam pueri? 331
5 Quare Ioſeph, cùm haberet domum in Nazareth, voluerit ire in Iudæam? 332
6 Quare Ioſeph timeat ire in Iudæam? ibid.
7 Quomodo Angelus eum moneat ire in Galilæam? 333
8 Quare Ioſeph timuerit Archelaum in Iudæa, & non Herodem in Galilæa? ibid.
9 A quibus Prophetis vaticinetur Chriſtum vocandum Nazaræum? 334
10 An Chriſtus Dominus dicatur Nazaræus ob Virginitatis votum; & agatur de huiuſmodi voto in lege veteri? 335
11 Quare Chriſtus dicatur Nazaræus, & non Bethleemites? 336
12 Vtrùm Chriſtus Dominus fuerit re vera Nazaræus? 337

Capvt X.

Puer Ieſus inter Doctores.

Qvæst.I. Qvæ obligatio ex præcepto erat vt Chriſti parentes ad templum irent? 338
2 De parẽtibus Chriſti ad templũ euntibus ib.
3 Quomodo Chriſti parentes cum puero tendant in Hieruſalem, cùm ibi remaneret Archelaus? 339
4 Quare Chriſtus Dominus manifeſtetur in templo in feſto Paſchali? 340
5 Quare Chriſtus Dominus duodennis ſe manifeſtet? ibid.
6 Quare Chriſtus duodecim natus annis doceat, Abrahamus verò quatuordecim? 341
7 Quare Chriſtus remaneat in Hieruſalem inſciјs pærentibus? 342
8 Quare Chriſtus Dominus dum aſcẽdit Hieruſalem, parentes ſequatur, dum verò remanet ab illis ſe ſubducat? 343
9 Quomodo intimus amor Virginis permiſerit à Chriſto in via per diẽ vnũ ſeparari? ib.
10 Quanã fuerit occaſio Chriſtũ amittẽdi? 344
11 De magno Virginis dolore in abſentia filij. ib.
12 Quare Angeli non veniant ad leuandum Virginis mærorem? ibid.
13 Quid Virgo de filio in hac triduo cogitauerit? 345
14 Vtrùm in Beatiſſima Virgine fuerit aliqua ignorantia? 346
15 Quomodo Chriſtus Dominus in triduo illo cibum comparauerit? ibid.
16 Quare Chriſtus erat in medio audiens & interrogans? 347
17 Quare Chriſtũ inueniant Paſtores in præſepio, Magi in domo, Parentes in tẽplo? 348
18 Quænam fuerit intentio Virginis in his verbis? 349
19 Tres quæſtiunculæ circa appellationem filij, quam Virgo hîc profert. 350
20 Quomodo ait Virgo: Quid feciſti nobis ſic? ibid.
21 Circa myſterioſa verba, Pater tuus, & ego dolentes. 351
22 Quomodo dolentes requirebant? 352
23 Quare Chriſtus Dominus ita reſponderit: Quid eſt quòd me quærebatis? ibid.
24 Quare Chriſtus Dominus hîc Deum Patrem ſuum primò appellet? 353
25 Quidnam fuerit maius in Beatiſſima Virgine, dolor de puero amiſſo, an lætitia de inuento? 354
26 Quare Chriſtus Dominus ſubditus erat parentibus ſuis? 355
27 Quomodo dicatur, quòd Chriſtus Dominus proficiebat ſapiẽtia, ætate, & gratia? 357
28 Quid Chriſtus egerit vſque ad Baptiſmum? 358.

Capvt

Liber

Series Capitum, & Quæſtionum.

LIBER TERTIVS.

Ab exordio prædicationis Ioannis vſque ad eius de Chriſto teſtimonium.

CAPVT I.

Ioannes prædicans.

QVÆST. I. QVINAM *ſint dominatores iſti ab Euãgeliſta memorati?* 359
2 *Quare Euangeliſta hos gubernatores hîc deſcribat?* 360
3 *Quare Euangeliſta os tali hannumeret ordine?* 361
4 *Quare Euangeliſta numerum annorum deſcribat hîc, non verò in Natiuitate Chriſti, ac deſcriptione orbis?* 362
5 *Quare in prædicatione, & non in natiuitate Baptiſtæ ſcribatur annus?* ibid.
6 *Quare ante Baptiſtæ prædicationem hos principes numeret Euangeliſta?* 363
7 *Quare in Romano imperio vnus regnabat; in Iudæa verò quatuor præerant?* ibid.
8 *Quare Euangeliſta cognomen hîc in aliquibus ponat, non verò in alijs.* 364
9 *Quare Annas, & Caiphas dicũtur principes Sacerdotum, cùm eſſent Pontifices?* ibid.
10 *Quomodo hi duo in Pontificatu numerentur?* 365
11 *Quare Sacerdotes in hac deſcriptione in vltimo loco ponantur?* ibid.
12 *Quare non dicatur, Dominus locutus eſt: ſed,* factum eſt verbum? 366
13 *Tres quæſtiunculæ ad hanc diſtinctionem:* Factum eſt Verbum ſuper Ioannem. *ib.*
14 *Quare dicatur filius Zachariæ ſine Sacerdotis cognomento?* 367
15 *Quare dicatur,* Factum Verbum in deſerto? 368
16 *Quare omnes Euangeliſtæ de Ioanne mentionem faciant?* 369
17 *De Baptiſmo Ioannis, & quomodo erat in remiſſionem peccatorum?* ibid.
18 *Quare fuerit conueniens, vt Ioannes ante Chriſtum baptizaret?* 370
19 *Quare Ioannes baptizet in Iordane potiùs, quàm in alio loco?* ibid.
20 *Quare Chriſtus Dominus eiſdẽ Ioannis verbis ſuam exordiatur prædicationem?* 371
21 *Quomodo dicatur Ioannes Vox clamantis, ſcilicet Chriſti, cùm eius prædicatio adhuc inchoata non eſſet?* 372
22 *Quare Ioannes clamet in deſerto?* 373
23 *Quid per montes, & valles intelligat Ioannes?* ibid.
24 *Quomodo dicat Ioannes, quòd omnis caro Chriſtum videbit?* 374
25 *Circa veſtẽ Ioãnis quatuor quæſtiũculæ.* 375
26 *De Zona pellicea Ioannis.* ibid.
27 *De Ioannis eſca.* 376
28 *Quare Ioannes his potiùs alimentis, quàm alijs vtebatur?* ibid.
29 *Quomodo Matthæus, & Lucas in hac hiſtoria narranda conueniant?* 378
30 *Quare Iudæi progenies viperarum à Ioanne vocentur?* ibid.
31 *Quomodo Ioannes venientes ad ſe tam grauiter reprehendat?* 380
32 *Quomodo Ioannes dicat:* Quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? *ibid.*
33 *Quare Ioannes eos prohibeat filios Abraham vocari?* 381
34 *Quare Ioannes, non Iſaac, nec Iacob, ſed tantùm nominauerit Abraham?* 382
35 *Quare viuente Moyſe ſufficiẽtia extiterint Abraham merita, vt populum ab ira liberarent, non verò Ioannis tempore?* ibid.
36 *Quos lapides oſtendebat Ioannes, & quid per eos ſignificabat?* 383
37 *Quare Ioannes non dixerit, de lapidibus tantùm: ſed,* de iſtis lapidibus? 384
38 *Quid per triticum: quid per paleas repræſentetur?* 385

CAPVT II.

Chriſtus Ieſus baptizatur.

QVÆST. I. QVare Chriſtus Dominus baptizetur? 386
2 *Quare admirabile opus Baptiſmi à Ioanne, & non ab alio ſuſcipiat Chriſtus?* 387
3 *Quare Chriſtus baptizetur potiùs in Iordane, quàm alio loco?* 388
4 *Quare Chriſtus veniat ad Ioannem, & non ille potiùs ad Chriſtum?* ibid.
5 *Quomodo Ioannes cognouerit Chriſtum, dum hæc verba profert?* 389
6 *Quare Petrus bis decertet, ne à Chriſto lauetur, Ioannes tantùm ſemel, ne eum baptizet?* 390
7 *Vtrùm Ioannes à Chriſto fuerit baptizatus, & cur hoc non explicent Euangeliſtæ?* ib.
8 *Quare Ioãnes dixerit Chriſto:* Tu venis ad me, *& non:* Tu baptizaberis à me? 391
9 *Quare dum D. Petrus contendit non lauari à Chriſto, reprehendatur; Ioannes verò minimè, dum prohibet baptizare?* 392
10 *Quare Chriſtus hoc modo loquatur de ſe, ac Ioanne, & tam diuerſimodè de alijs?* ibid.
11 *Quid hîc intelligatur nomine* omnis iuſtitiæ? 393
12 *De ætate, ac tempore, & modo, quo Chriſtus baptizatus eſt.* 394
13 *Quare ad præſentiam arcæ teſtamenti aquæ Iordanis fugiant, non verò ad tactum Chriſti baptizati?* ibid.

14 *Quare*

14 *Quare potiùs in hoc myſterio, quàm in alio totius vitæ Chriſti, appareat tota Trinitas?* 395
15 *Quomodo cælũ apertũ viſum fuerit?* 396
16 *Quare in Chriſti baptiſmo cæli aperti videantur?* 397
17 *Quomodo dicatur quòd Chriſto aperti ſint cæli, cũ hoc habeat à principio?* ib.
18 *Quare non dicatur cælum, ſed* cæli aperti? 398
19 *Circa columbam, in qua Spiritus apparuit multa reſoluuntur.* 399
20 *Quare Spiritus ſanctus hîc deſcenderit ſuper Chriſtum?* ibid.
21 *Quare Spiritus S. apparuerit in forma colũbæ, non verò in altera ſpecie?* 400
22 *Quare Spiritus ſanctus requieuerit ſuper caput Chriſti?* 402
23 *Circa hanc vocẽ prolatam à Diuino parente varia dubia reſoluuntur.* 403
24 *An hæc vox fuerit formata in cælo, vel in aëre?* 404
25 *Quare tripliciter hæc vox de cælo ſonet hîc tamen primum in baptiſmo?* ibid.
26 *Quare vox Patris in baptiſmo audiatur ſuper Chriſtum?* 405
27 *Quomodo Euangeliſta cohæreant in ſe, licèt diuerſimodè ſcribant hanc vocem Patris?* 406
28 *Quare hîc in baptiſmo dum hæc vox ſonat nullus timeat, & in Thabor Apoſtoli ſint timore perculſi?* ibid.

CAPVT III.

Tentatur Chriſtus Dominus.

QVÆST. I. QVare poſt baptiſmũ Chriſtus pergat ad pugnã? 407
2 *Quare cùm omnes Chriſti actiones eſſẽt ab Spiritu S. hîc dicatur ductus ab illo potiùs, quàm in alijs actionib.* 409
3 *Quare dicatur Chriſtus ductus ab Spiritu S. cùm fuerit à tota Trinitate?* ib.
4 *Quare Chriſtus Dominus ſeceſſerit in deſertum?* 410
5 *Quare Chriſtus Dominus ſe permiſerit tentari?* 411
6 *Quare Chriſtus non tentetur in oppidis ac vrbibus, ſed in deſerto?* 412
7 *Quare Chriſtus ieiunauerit?* 414
8 *Quare Chriſtus D. elegerit ad ieiunandum numerum quadrageſimum?* 415
9 *Quare de Chriſto Domino dicatur quòd eſurijt, non verò de Moyſe, & Elia ieiunantibus?* 416
10 *An Chriſti tentationes fuerint tantùm tres, vel plures?* 417
11 *Quo motiuo diabolus Chriſtum tentauerit?* 418
12 *Quo argumento diabolus voluerit Chriſtum tentare?* 419
13 *Quo argumento voluit diabolus Chriſti diuinitatem indagare?* 420
14 *Quare diabolus tentationem ad comedendum excitet?* ibid.
15 *Quare diabolus offerat Chriſto D. non panes, ac cibaria, ſed lapides?* 421
16 *Quare diabolus dixerit Chriſto:* Si filius Dei es? 422
17 *In qua ſpecie apparuerit diabolus? circa quod varia dubia expendo.* 423
18 *Quid intelligatur hîc per verbũ Dei?* 424
19 *Quare Chriſtus Dominus in omnibus iſtis tentationibus authoritate Scripturæ ſe defenderit?* 425
20 *Quare Dominus noluerit de lapidibus facere panes?* ibid.
21 *Quo ordine tẽtationes factæ fuerint?* 427
22 *Quare diabolus victus in prima tentatione, non vereatur iterum Chriſtum aggredi?* 428
23 *Quomodo Chriſtus D. aſſumptus fuerit in ciuitatem, & in pinnaculum?* ibid.
24 *Quomodo Chriſtus Dominus ferebatur per aëra?* 429
25 *Quid ſit pinnaculum, & quare diabolus potiùs conſtituerit Chriſtum in eo, quàm in alta turri?* ibid.
26 *Quare diabolus hîc tentationem vanæ gloriæ armet in Chriſtum?* 430
27 *Quare diabolus ſuaſerit Chriſto ſe præcipitare, & non volare, vel aſcendere ſurſum?* 431
28 *Quare diabolus non intentauerit Chriſtum præcipitare, cùm ad hoc auſi fuerint Iudæi?* 432
29 *Quare diabolus hîc adducat Scripturam, & an in vero ſenſu?* 433
30 *Cur diabolus in præſenti Pſalmo tria ſubticuerit?* ibid.
31 *Quare Chriſtus Dominus noluerit è pinnaculo ſe præcipitare?* 434
32 *De loco, modo, ac tempore quo regna mundi fuerunt Chriſto oſtenſa?* 435
33 *Quare diabolus aſſumpſerit Chriſtum in montem ad eum tentandum?* 436
34 *Quænam fuerit intentio diaboli in hac tentatione?* 438
35 *Quare diabolus in primis duabus tentationibus dixerit:* Si Filius Dei es; *non verò in hac tertia?* ibid.
36 *Quare, cùm Chriſtus D. eſſet contemptor temporalium, tamen diabolus ipſum tentet ambitione, ac auaritia?* 439
37 *Quare diabolus audeat promittere Chriſto ſupremo Domino omnia regna mundi?* ibid.
38 *Quare pro vna adoratione offerat diabolus omnia regna Chriſto?* 441

39 *Quare*

39 *Quare diabolus non ſolùm petat adorationem, ſed etiam vt cadens ipſum adoret?* ibid.

40 *Quare Chriſtus Dominus in hac tertia tentatione tam acriter diabolum repellat?* 441

41 *An verba dicta B. Petro ſint duriora, quàm hæc Satanæ?* 442

42 *Quare Dominus reſpondeat diabolo,* Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies? 443

43 *Quare diabolus modò, & non antea receſſerit?* 444

44 *Quare poſt pugnam acceſſerint Angeli, & in quo miniſtrauerint?* ibid.

CAPVT IV.

Primum Ioannis teſtimonium coram Legatis Iudæorum?

QVÆST. I. *Qvo motiuo hæc legatio miſſa fuerit ad Ioannẽ?* 446

2 *Quo fundamento Ioannes potuerit exiſtimari Meſſias à Iudæis?* ibid.

3 *Quomodo Iudæi volebant Ioannem virum ſanctiſſimum ſibi eſſe Regem?* 447

4 *Quomodo determinent Sacerdotes credere dictis Ioannis, cùm hoc teſtimonio Chriſti negent?* 448

5 *Quare potiùs hanc legationem mittant Iudæi, quàm Pilatus, vel Herodes?* 449

6 *Quare in hac miſſione Sacerdotes, & Leuitæ deſtinentur Legati?* ibid.

7 *Quare Legati non exquirant à Ioanne an ſit Chriſtus? ſed tantùm:* Tu quis es? 450

8 *Quare Ioannes triplici verbo aſſeruerit ſe non eſſe Chriſtum?* 451

9 *Quare Ioannes hos Legatos non reprehendat, ſicut alibi fecit?* ibid.

10 *Quare Ioannes à ſe reijcit totaliter Meſſiæ dignitatem?* 452

11 *Quomodo Iudæi exiſtimarint Ioannem eſſe Eliam?* 454

12 *Quare Ioannes non inſtruat iſtos Legatos, quòd Elias non erat venturus in hoc primo Chriſti aduentu?* 455

13 *Quomodo interrogent à Ioanne an ſit Propheta?* ibid.

14 *Quomodo Ioannes de ſe teſtetur, quòd non ſit Elias, nec Propheta?* 456

15 *Quare Legati non plura quærant à Ioanne, an ſcilicet eſſet Angelus, vel vox in deſerto?* ibid.

16 *Quare Ioannes dicatur* vox? 457

17 *Quare Ioannes de ſe non ait, quòd ſit filius Zachariæ, ſed quòd ſit* vox? 458

18 *Quare Ioannes neget de ſe eſſe Prophetam, & fateatur eſſe vocem, quod eſt quid illuſtrius?* 459

19 *Quomodo Ioannes dicat eſſe vocem clamantis, cùm tamen fateatur non eſſe dignum ſoluere corrigiam calceamenti Chriſti?* ibid.

20 *An Ioannes rectè ſatisfecerit intentioni ac obiectioni Iudæorum, dum fatetur de ſe quòd ſit* vox? 460

21 *Quare Ioannes in hac interrogatione & non in alijs, adhibeat teſtimonium Iſaiæ?* 461

22 *Quare Phariſæi opponant Ioanni ſubſequens dubium?* ibid.

23 *Quare Iudæi arguant Ioannem de officio baptizandi?* 462

24 *Soluuntur duæ quæſtiunculæ.* 463

25 *Quomodo de ſe ait Ioannes, quòd non ſit dignus ſoluere corrigiam calceamenti Chriſti Domini?* 465

26 *Quare Ioannes in Bethania baptizet, & det Chriſti teſtimonium?* 466

CAPVT V.

Secundum Ioannis teſtimonium, Ecce Agnus Dei.

QVÆST. I. *Qvare Chriſtus venit ad Ioannem?* 467

2 *Quare Chriſtus Dominus dicatur Agnus?* ibid.

3 *Quare Ioannes Chriſtum Dominum non appellet Deum, vel Regem, ſed tantùm Agnum?* 469

4 *Quare Chriſtus Dominus dicatur à Ioanne* Agnus, *cùm ab Iſaia vocetur* Paſtor? ibid.

5 *Quare Chriſtus in Apocalypſi dicatur* Agnus *tantùm, à Baptiſta verò* Agnus Dei? 470

6 *Quare Ioannes de Chriſto ait,* qui tollit peccatum, *& non* peccata? *ibid.*

7 *Quare Ioannes dixerit de cæleſti Agno, quòd peccata tollat?* 471

8 *Quare Ioannes Chriſtum hîc appellet virum, cùm antea Agnum dixiſſet?* ibid.

9 *Quomodo Ioannes dicat ſe Chriſtum neſciſſe?* 472

10 *Quare Ioannes de ſe dixit:* Ego neſciebam eum? 473

11 *Quare Ioannes teſtimonium hîc adducat de Chriſto Domino ex deſcenſu columbæ, non verò ex voce Patris?* 474

12 *Quare*

22 *Quare Ioannes hîc repetat verbum, quòd ſuprà dixerat?* 475

13 *Quare Ioannes hîc tria de Chriſto teſtetur?* ibid.

CAPVT VI.

Tertium Ioannis teſtimonium cum diſcipulorum fructu.

QVÆST. I. *Qvinam fuerint iſti duo diſcipuli, & quare vnius nomen non exprimatur?* 477

2 *Quare ex omnibus diſcipulis Ioannis hi duo quòd audierint, dicantur?* 478

3 *Quare Dominus conuerſus ad hos diſcipulos eos interroget: Quid quæritis?* 479

4 *Quare iſti duo diſcipuli voluerint ſcire Domini habitaculum?* ibid.

5 *Si diſcipuli de domo interrogant, cur eos Dominus voce non doceat, vel det ſigna, ſed eos ſecum adduxerit in domum.* 481

6 *Quare ab Euangeliſta notetur quòd erat hora decima?* ibid.

7 *Quanta excellentia Meſſiæ nomen competat Ieſu Saluatori noſtro?* 483

8 *Quiſnam eſſet Andreas, & quare fratri ſuo non annuntiet, quæ à Chriſto audierat?* ibid.

9 *Quare Dominus magnum nomen Petri Simoni imponat?* 485

10 *Quare Ieſus voluerit exire in Galilæam? Et cur ex ea primos eligat diſcipulos?* 486

11 *Quare Philippus ſit primus vocatus à Domino externa voce, & quomodo tam facilè ei obedierit?* 487

12 *Quare Dominus tantis laudibus Nathanaëlem potiùs quàm alios diſcipulos commendet?* 489

13 *Quare Nathanaël, cui Dominus perhibuit tantum teſtimonium, in Apoſtolis non numeretur?* 490

14 *Quid denotet ficus, ſub qua videtur Nathanaël?* 491

15 *Quomodo Nathanaël fateatur Chriſtum filium Dei? Et vnde tantam cognitionem habuerit?* 492

16 *Quando Angeli viſi fuerint aſcendentes, & deſcendentes ad Chriſtum?* 494

17. & vlt. *Quomodo Angeli aſcendant, & deſcendant ad filium hominis?* 495

REGEN

RECENSIO
EVANGELISTARVM
CAPITVM.

MATTHÆVS.

CAP.I. LIBER *Generationis.* De Chriſti genealogia. lib.1.cap.2.

Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu. De ſomno Ioſeph. 1.10

2 *Cùm natus eſſet Ieſus.* De aduentu Magorum. 2.4

Ecce Angelus Domini apparuit Ioſeph. De fuga in Ægyptum. 2.7

Tunc Herodes videns. De Infantibus occiſis. 2.8

Defuncto autem Herode. De reditu in Nazareth. 2.9

3 *Venit Ioannes Baptiſta prædicans.* De Baptiſmo Ioannis. 3.1

Tunc venit Ieſus à Galilæa. De Baptiſmo Chriſti. 3.2

4 *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum.* De Chriſti tentationibus. 3.3

MARCVS.

CAP.I. F*Vit Ioannes in deſerto baptizās.* De Ioannis baptiſmo. 3.1

Factum eſt in diebus illis venit Ieſus. De Chriſti baptiſmo. 3.2

Erat in deſerto quadraginta diebus. De Chriſti tentationibus. 3.3

LVCAS.

CAP.I. F*Vit in diebus Herodis Sacerdos quidam.* De Annuntiatione præcurſoris. 1.4

Miſſus eſt Angelus Gabriel. De Annuntiatione ad Virginem. 1.5

Exurgens Maria abijt in montana. De Viſitatione Virginis. 1.6

Magnificat anima mea. De Cantico Virginis. 1.7

Elizabeth impletum eſt tempus pariendi. De Natiuitate Ioannis. 1.8

Benedictus Dominus Deus Iſraël. De Cantico Zachariæ. 1.9

2 *Exijt Edictum à Cæſare Auguſto.* De Chriſti Natiuitate. 2.1

Tranſeamus vſque ad Bethleem. De Adoratione paſtorum. 2.2

Poſtquam conſummati ſunt dies octo. De Circunciſione Chriſti. 2.3

Poſtquam implei ſunt dies purgationis Mariæ. De Virginis Purificatione. 2.3

Nunc dimittis ſeruum. De Cantico Simeonis. 2.6

Erant Pater eius, & Mater mirantes. De prophetia in templo. 2.6

Cùm factus eſſet annorum duodecim. De puero inter Doctores. 2.10

3 *Anno quintodecimo Imperij.* De prædicatione Baptiſtæ. 3.1

Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus. De Chriſti Baptiſmo. 3.3

4 *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto.* De Chriſti tentationibus. 3.3

IOANNES.

CAP.I. I*Nprincipio erat Verbum.* De generatione æterna. 1.1

Miſerunt Iudæi Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem. De legatione ad Præcurſorem. 3.4

Ecce Agnus Dei. De Ioannis teſtimonio. 3.5

Altera die duo ex diſcipulis. Vocantur Andreas, Petrus, Philippus & Nathanaël. 3.6

Summa
CONCIONVM.

Dominica I. Aduentus.

Luc. 21.

ERVNT *ſigna in Sole, & Luna.* Timore ad magna præparatur homo. pag.216.num.62

Erunt ſigna. Ad vitam per ſignorum cæleſtium timorem Deus, cum ſimus filij eius, nos inducere vult: qui enim multum habet, multum timet. 286.69.& 293.11

Erunt ſigna in Sole, & Luna. Ad quid tot in cælo ſigna? Vt diuini iudicij ſeueritas maximè timeatur. 300.41

Erunt ſigna in Sole, & Luna. Obſcurantur præclariſſima lumina, nullus enim tam illuſtris ſæculi ſplendor, qui lapſu, ac preſſuris non obtenebretur. 269.125.& 295.19

Stellæ de cælo cadent. Si ſingulæ ſtellæ terra maiores, quomodo in terram cadent? Nunquam ſiſtit, qui cadere incipit, quouſque ad ima deueniat. 431.130

Videbunt filium hominis. Cum Chriſtus Dominus verus ſit cum Patre Deus, hominis tamen dicitur filius, quia per humanam naturam iudiciariam meruit poteſtatem; vbi enim meritum, ibi dignitas. 47.27.& 67.111.& 118.72

Cum poteſtate magna. Ad quid tanta cum poteſtate Chriſtus apparet? Venit vt iudex, & valde neceſſarium, vt iudex in bona reuerentia ſit, 222.83

Et Angeli eius cum eo. Vbi Chriſtus, ibi Angeli, 216.61

Et Angeli eius cum eo. Angeli veniunt, vt homines in cæleſtem patriam ducant. 272.140.& 398.61

Venite benedicti Patris mei. Præmium proponit, vt nos ad merendum maximè alliciat. 34.132

Dediſtis mihi manducare. Vt præmium ſit glorioſius, eorum meritum explicat. 31.117.& 97.64. & 448.174

Quando te vidimus eſurientem. Iuſtus opera ſua ignorat, merita ſua non audet. 227.101

Dominica II. Aduentus.

Matth. 11.

M*Ittens duos ex diſcipulis ſuis.* Diſcipulos magiſtrum ſuum Meſſiam exiſtimantes Ioannes mittit ad Chriſtum, vt eum verum

eſſe Meſſiam agnoſcant, non patitur enim iuſtus, quod alius, ſui cauſa, debito priuetur honore. 452.45.& 402.81.& 456.60

Mittens duos. Mittit eos ad Chriſtum, vt ab ipſo in via veritatis inſtruantur. 147.39

Mittens duos. Vt ita Chriſtum agnoſcant, eiuſque bono fruantur omnes. 343.29

Mittens duos. Vt ita à Chriſto illuminati naturalem rationem deponentes verum de Ioanne ſentiant; nam ſolum diuina gratia illuſtrari verum de Ioanne iudicant. 167.18

Tu es, qui venturus es? Ioannes Chriſtum optimè agnoſcebat, vt ſuis tamen proficiat, eoſque lucrifaciat, ignorantiæ notam non refugit. 215.56.& 333.27

Tu es, qui venturus es? Præſentem Chriſtum venturum Ioannes dicit: *Tu es, qui venturus es.* Vt ſic eum homines magis venerarentur; præſentia namque contemnimus, abſentia veneramur. 373.66.& 447.11

An alium expectamus? Id eſt, ſi tu es Deus, tota in te ſpes noſtra ponenda, nam in ſolo Deo ſperandum. 106.26.& 424.93

Renuntiate Ioanni quæ vidiſtis. Ex operibus vera cognoſcitur maieſtas. 47.25. Et vbi loquuntur opera, non ſunt neceſſaria verba. 148.43

Cœpit dicere de Ioanne. Quamuis multi Ioannem putarent Meſſiam, quæ propria erat Chriſti Domini dignitas, ipſum tamen Chriſtus Dominus laudat, vera enim magnitudo, non cum alij deprimuntur, ſed cum laudantur, relucere vult. 83.5.& 149.47

Quid exiſtis in deſertum videre? Multa antea in laudem Chriſti dixerat Ioannes: ne igitur aliquam in eo inconſtantiam populus ſuſpicaretur, ideo Ioannis famæ conſulens eum Chriſtus maximè laudat. 249.32

Qui autem minor eſt in regno cælorum. Ioannis ſanctitatem, & dignitatem Chriſtus maximè explicat. 402.81

Dominica III. Aduentus.

Vide *lib.3.cap.4.*

Dominica IV. Aduentus.

Vide *lib.1.cap.10*

Vigilia Natiuitatis.

Vide *lib.1.cap.10*

In die Natiuitatis.

Exijt dictum à Cæſare Auguſto. Vide *lib.2.cap.1.*

Paſtores erant vigilantes. Vide *lib.* 2. *cap.* 2.
In principio erat Verbum. Vide *lib.* 1. *cap.* 1.

Dominica infra Oct. Natiuitatis.

Erant mirantes. Vide *lib.*2.*cap.*6.

In feſto Circumciſionis.

Vide *lib.*2.*cap.*3.

In Vigilia Epiphaniæ.

Angelus Domini apparuit in ſomnis. Vide *lib.*2. *cap.*7.

In feſto Epiphaniæ.

Vide *lib.*2.*cap.*4.

Dominica infra Octauam.

Vide *lib.*2.*cap.*4.

In Octaua Epiphaniæ.

Vide *lib.*3.*cap.*2.

In feſto Purificationis.

Vide *lib.*2.*cap.*5.

Feria IV. Cinerum.

Matth 6.

C*Vm ieiunatis.* Cùm ſanctitatis opinio animos maximè rapiat, contra hanc tentationem Chriſtus nos ieiunio armat. 415.41.& 42
Cùm ieiunatis. Ieiunium aperit cælum, ideo Chriſtus nos ieiunio munit, vt cæleſtibus viſis, contemnamus terrena. 415.49.& 421.77
Cùm ieiunatis. Exteriora interioribus conformentur. 283.49.& 291.88
Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Fictio in vultu maximè timenda. 117.75 Et animus fictus ferri non poteſt. 410.99
Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Ex hypocriſi reſultat triſtitia, ex ieiunio lætitia, & exultatio. 260.38. Deinde in hypocriſi, mundaniſque rebus, triſtia: in rebus verò diuinis, gaudium & lætitia. 264.104
Ne videaris hominibus ieiunans. Inanis gloria fugienda: hæc namque virtutes furatur, & deſtruit. 411.19.& 422.85
Sed Patri tuo, qui videt in abſcondito. Soli Deo virtus noſtra manifeſtanda. 167.114
Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ſed theſaurizate in cælo. Vt fruamur diuinis, à terrenis ſeparemur. 220.77.& 193.38

Feria V. poſt Cineres?

Matth. 8.

C*Vm introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio.* Ad homines Chriſtus accedit, vt homines accedant ad Chriſtum. 276.14. & 288.12
Rogauit eum, dicens: Puer meus iacet. Bonus Princeps, & Prælatus pro ſuorum bono, & vtilitate ſolicitus. 65.103.& 104.& 215.56.& 370.55
Rogans. Centurio militum dux ab humili Chriſto rogat, vt tempori, ac neceſſitati accommodetur. 253.52. & 56
Puer meus iacet. Non petit pueri ſanitatem, ſed infirmitatem tantùm exponit; Chriſtus enim, noſtram dum videt miſeriam ſubleuat. 199.63
Ego veniam. Centurio, relicta domo, venit ad Chriſtum, ideo Chriſtus, relictis aliis, ad Centurionis domum ire cœpit: talis Deus homini, qualis homo Deo ſe exhibet.
Ego veniam. Non ſtatim verbo infirmum ſanauit puerum, Centurionem ad diuina volens beneficia præparari; hæc namque præparanti ſe communicantur. 193.38
Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. Centurio, vt perfectus, ſuam cognoſcit ſubiectionem, non dignitatem. 426.102
Non inueni tantam fidem. Centurio, dum dixit: Domine, non ſum dignus; valde humilis ſe exhibuit, ideo maximè extollitur. 292.1.& 386.2. & 402.79
Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. Imperare, quædam eſt ſeruitus. 443.190

Feria VI. poſt Cineres.

Matth. 5.

E*Go autem dico vobis.* Præceptum Chriſtus non imponit; vbi enim vera eſt charitas, leuis ſufficit inſinuatio. 194.43
Diligite inimicos veſtros. Ex Chriſti halitu remittuntur iniuriæ. 189.21
Diligite inimicos. Amore ipſo, ac benignitate ira inimicorum demulcenda. 425.96
Benefacite iis. Vnitate omnia creſcunt, diuiſione pereunt. 363.22
Benefacite his, qui oderunt vos. Odium fugere docet, ſuffocat enim rationem. 455.58
Qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos. Sua Deus beneficia extendit ad omnes. 125. 106.& 121.93
Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt. Deus à nobis eſt maximè imitandus, & ſequendus. 171.137.& 275.11.& 458.75. & 467.5
Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Vide *Feria 4. Cinerum.*
Eſtote perfecti ſicut Pater veſter. Diuinæ filiationis præmium proponit, vt efficaciùs moueat.

Sabbato poſt Cineres.

Marc. 6.

V*Idens eos laborantes in remigando.* Cùm Chriſti præſentia omne bonum, vbi verò ipſe abeſt, omne malum. 255.63.& 318.21. & 25
Erat ventus contrarius. Poſt glorioſam conuiuij adminiſtrationem in tot incidunt tempeſtates; in hoc enim ſæculo gloria omnis in laboribus terminatur. 62.89
Venit ad eos. Vbi humana deſunt auxilia, diuina ſuccurrunt. 193.37.& 244.4
Venit ad eos ambulans ſuper mare. Diſcipulos ſuos Chriſtus D. coëgit aſcendere in nauiculam, in qua rigidam tempeſtatem ſunt experti; ideo ad eos venit; qui enim in periculo te conſtituit, ab eo te liberare debet. 193.36
Volebat præterire illos. Vt, ſigno prætereundi dato, magis gauderent diſcipuli, cum Ieſus ad ipſos accederet. 263.102
Putauerunt phantaſma eſſe. Timidus vnum pro alio

alio indicat. 318.2. Timent Apoſtoli ne cæleſtia dona perdant 393.11.& 89.35
Et exclamauerunt. In neceſſitate ad Deum clamandum. 216.61
Et aſcendit ad eos in naui, & ceſſauit ventus. Vbi Chriſtus aduenit, ſtatim omnia mala fugiunt. 293.6

Dominica I.

Vide *lib.*3.*cap.*3

Feria II. à Dominica I.

Vide *Dominicam I. Aduentus.*

Feria III. à Dominica I.

Matth. 21.

P*Opuli autem dicebant: Hic eſt Ieſus à Nazareth.* Turbæ, vt ſimplices, ac erga Chriſtum beneuolæ, ipſum vt prophetam agnoſcebant, quod Principes, Scribæque, vt inimici, ignorabant, laudes enim tuas non inimici, ſed amici ſolùm vident. 145.33.& 427.103. & 304.60
Intrauit in templum. Eccleſia Dei maximè veneranda: hoc namque maximè nos extollit. 353. 78. Vnde aduentum in Eccleſiam impedire grande nefas. 278.24
Eijciebat vendentes. Pro magno beneficio factum eſt hoc propter Sacerdotes, vt eis peccandi amputaretur occaſio. 329.5
Eijciebat vendentes. Ne homines ficto Sacerdotum zelo decepti in templo negotiarentur; nil enim decipit magis, quàm fictus zelus. 431. 128
Eijciebat omnes. Diſcipulis, vt eiiciant, non committit, ſed ipſe per ſe hoc præſtat, vt ſit eiectos honoraret; nam princeps, dum per ſe caſtigat, ſubditum honorat. 321.18
Eijciebat omnes. Tamquam repudians, & renuens eorum obſequium, quod ad ſacrificia inſeruiebat; quia obſequium accipiendum non eſt ab eo, qui puniendus. 260.88
Et Cathedras vendentium columbas euertit. In Cathedra, quæ erat ad docendum, auaritia exercebatur. Euertenda igitur doctoris cathedra, in qua doctina cum opere non reſpondet. 375. 75.& 460.83
Cathedras vendentium euertit. Peccati inſtrumentum amputandum, omninoque deſtruendum. 248.27
Domus mea, domus orationis. In qua qui petit, accipit. Iſti tamen puniuntur, qui Dei beneficia ſolum ſunt inuenerantes. 159.22

Feria IV. à Dominica I.

Matth. 12.

T*Vnc acceſſerunt ad Ieſum Scribæ: Magiſter volumus à te ſignum videre.* Infidelitas ſignum petit; fides firma miracula non requirit. 239.26.& 272.139
Volumus à te ſignum videre. Adhuc ſigna petunt: nullis ſignis inuidia frangitur. 426.101
Volumus à te ſignum videre. Eiecti Dæmonij muti ſignum viderant, & tamen ſigna quærunt, quia in praua perſiſtunt ſententia ob malitiam ſuam de Chriſto D. concepta, quod in Beelzebut Dæmonia eiiceret; homo enim ab opinione ſua primò concepta difficilè euellitur. 190. 24.& 25
Volumus à te ſignum videre. Voluntate, non ratione moti petunt iniqui; cum ſecundùm prudentiæ regulas, non ſecundùm appetitum noſtrum ſit operandùm. 18.54.& 409.10.& 425. 96.& 452.39
Generatio mala. Cùm eſſent filij Abrahæ, quia ſuorum parentum non imitabantur virtutes. 420.74
Generatio mala. Mitiſſimus Dominus eos ita aſperrimè increpat; nam Phariſæi in malo obſtinati erant; & peruerſus rigore ſæpius emollitur. 380.100
Generatio mala. Eos ita reprehendit, vt prædicatores doceat nil timere; ſed cum iniquis ſeuerè agere. 249.29
Signum non dabitur eis. Ne eorum corda obſcurentur magis; qui enim diuina myſteria ratione quærit, tenebras inuenit. 15.38
Niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Regis optimi notio, atque ſignum pro ſuis vitam dare. 222.82.& 163.30
Niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Vt verus Rex ſignum dat non alicui particulari proficuum, ſed omnibus vtiliſſimum. 125.106
Regina Auſtri ſurget in iudicio. Conſidera, quanta ſit exempli boni efficacia. 102.8.& 139.4 & 317.22.& 23.& 411.23

Feria V. à Dominica I.

Mattth. 15.

E*Greſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri.* Ad Gentes Dominus exiit, vt illuminet omnes, omnibuſque media ad credendum largiatur. 23.82.& 27.148.& 19.61
Egreſſus in partes Tyri. In Gentes ſeceſſit; ipſum Iudæi contemnebant; & diuina bonitas ex vnius lapſu aliis medicamen præparat. 195. 44
Egreſſus Ieſſus. Vt Chananeæ ad oſtendendam fidem ſuam occaſionem det, vt ſic increduli confundantur Iudæi: Deus enim per infirma confundit fortia. 215.58
Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa. Dolore filiæ vexata mulier Chriſtum quærit: per tribulationes, & dolores ad Deum, vitámque itur. 68.116
Ecce mulier Chananæa egreſſa. Et ſtatim Chriſtum inuenit; nam qui Chriſtum quærit, inuenit. 264.105.& 348.54
Miſerere mei. Potius dicendum videbatur: Miſerere filiæ meæ, quæ vexationem patiebatur: ſed ait, miſerere mei, parentes enim in filiorum preſſuris maximè dolent, & qui non ſubuenit, parentis nomen non meretur. 412.86.87
Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Totam refert doloris cauſam, vt tribulatio ipſa ante oculos poſita efficaciùs moueat; hoc enim præſentia habent. 135.156.& 326.45
Diſcipuli rogabant pro ea. Authoritatem ſuam contemni non timent, ſi poſtulata non impetrent, dùmmodo proximi bono conſulant, de eorum quippe commodis maximè delectátur. 298.34 & 354.80

Mulier, magna eſt fides tua. Cùm homo credit contradicentibus aliis, tunc fidei magnitudo oſtenditur. 281.43

Feria VI. à Dominica I.

Ioan. 5.

AScendit Ieſus Hieroſolymam. Nempe non vt requieſceret, ſed homini ſubueniret, eumque ſanaret. 143.23.& 149.51. & 163.38

Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina. In ea ad templi, ſacrificiorumque obſequium aqua erat; in ea multa Deus beneficia conferebat: per quæ enim Deo damus obſequia, muneramur ab ipſo. 88.30 & 55.62.& 279.33

Deſcendebat Angelus. Angeli ſemper in ſalutem opportuni, veloceſque miniſtri. 224.87.& 272.140.& 398.61

Secundùm tempus. Seu, vt alij legunt, *Secundùm opportunitatem.* Tempore enim accommodato operandum omnia. 142.18.& 230.7.& 285.59.& 282.45

Deſcendebat Angelus. Non homo ad mouendam aquam, qua homo vnus ſanus fiebat: quia homo in ſalutem hominis valde difficilis. 103.9

Deſcendebat Angelus, & mouebat aquam. Non verò aliquem ſanabat infirmum; tamquam bonus miniſter in ſuo ſe munere exercebat quod ad aquarum commotionem erat; nam bonus miniſter commiſſionis ſuæ fines non excedit. 273.1.& 442.182.& 461.94

Erat ibi homo triginta, & octo annos habens in infirmitate. Diuturnitas in peccato maximè damnabilis. 255.66

Triginta & octo annos habens in infirmitate. Vbi tanta in homine ab humano auxilio deſtituto erat neceſſitas, ibi magnum diuinæ benignitatis applicandum remedium. 193.44.& 312.33.& 371.56

Vis ſanus fieri? Superflua videtur interrogatio; infirmus enim ſanitatem maximè deſiderat: interrogat tamen, vt ſtatum ſuum cognoſcens facilius impetret ſalutem. 459.80

Vis ſanus fieri? Interrogat, vt doceat fratrum infirmitatibus condolendum. 57.70

Vis ſanus fieri? Non petit homo, & tamen Deus ſanitatem offert; beneficium magnum ante petitionem dare. 386.3

Tolle grabatum. Chriſtus non aquam commouens, ſed virtute ſua hominem ſanat, ne in Angeli deſcendentis officio ſe intromittat, ipſumque in functionibus ſuis impediat. 104.16.& 308.6.& 366.32

Sabbato à Dominica I.

Vide *Dominicam ſequentem.*

Dominica II.

Matth. 17.

ASſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum, & Ioannem, Hos tres præ cæteris Apoſtolos fauoribus Chriſtus nobilitat magnis, vtpote præſtantiores, vt tenent multi Patres, & vbi maius eſt meritum, maior exigitur fauor. 288.74. & 47.27.& 116.72.& 146.39

Aſſumpſit Petrum, & Iacobum. Non Petrum, & Andream, vt in Eccleſiaſtico Prælato omnem conſanguinitatis amputaret affectum. 45.19.& 20.& 353.75

Aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Apoſtolos omnes ſanctitate excellentes, præter vnum Iudam, poterat Dominus in montem ſecum adducere, & noluit Iudam relinquere ſolum, ne ſperandi nihil inde occaſionem haberet, proindeque deterior fieret. 428.109.& 110

In montem excelſum. Vt à conſequendi difficultate iucundius delectet gloria poſſeſſa. 219.75.& 152.60.& 61

Et transfiguratus eſt ante eos. Ad Transfigurationis, Reſurrectionis, Aſcenſioniſque gloriam teſtes quærit, & vocat; ad Paſſionis verò ignominiam, minimè: non enim quæ exaltant, ſed quæ deprimunt, ſine teſte facilè creduntur. 460.87.& 88

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Non materiali Sole, ſed propria luce, quia perfectus non aliena, ſed propria debet ſplendere, ac viuere luce. 400.74

Apparuerunt cum eo Moyſes, & Elias. Tamquam optimi ieiunatores. 415.49

Loquentes de exceſſu. Chriſtus Dominus etiamſi ipſa ſit Sapientia Patris, conſiliarios tamen vocat vt doceat, proprio conſilio non immobiliter inhærendum. 356.90

Loquentes de exceſſu. Valde magnificum in gloria de aliorum ſalute agere. 226.98

Faciamus hic tria tabernacula. Regum amici æſtimantur maximi. 365.30

Neſciens quid diceret. Petrus, dum non interrogatus reſpondet, neſcientis notam incurrit. 259.82

Et audientes diſcipuli ceciderunt. Diſcipuli vocem Æterni Parentis audiunt, & intelligunt, non verò Iudæi Ioan. 12. Laudes tuas amici tantum agnoſcunt, non inimici. 408.6.& 7.

Feria II. à Dominica II.

Ioan. 8.

EGo vado, & quæretis me, & in peccatis veſtris moriemini Ipſe Dominus Matth. 7. dixit: Qui quærit, inuenit: & tamen multi quærunt, & non inueniunt; quia prius quæ mundi, quam quæ Dei ſunt, quærunt. 165.11

Ego vado, & quæreris me. Qui Chriſtum quærit, inuenit. 265.105. Attamen multi quærunt, & non inueniunt; quia fictè, & non ex corde quærunt. 260. 87. Deus enim inuenitur à nobis ſecundùm id, quod à nobis quæritur. 348.54

Quæretis me, & in peccatis veſtris moriemini. Si Chriſtum quærunt, quomodo in peccatis morientur? Quoniam non quærunt, ipſum imitando, vt viam ſalutis habeant. 271.137 & 458.75.& 467.5

Niſi credideritis, quia ego ſum, moriemini. Eis niſi credant, pœnam proponit; imperfectus namque pœna à malo coërcetur, ad bonumque trahitur. 392.28

In peccatis veſtris moriemini. Supplicium illis proponit, vt ſuum miſerrimum cognoſcant ſtatim; ſupplicium enim dat intellectum. 87.65

Vos de mundo hoc iſtis, ego non ſum de hoc mundo. Tacitè dat rationem; ob quam Iudæi ad locum, quo ipſe ibat, venire non poſſunt; quia terrenis erant implicati, ideoque ad cæleſtia inepti. 16.50.& 194.41.& 193.38

Cùm exaltaueritis filium hominis. Chriſti Crux & Paſſio gloriam eius ſuper cæteros oſtendit. 40.160

Tunc cognoſcetis, quia ego ſum. Ideſt Tunc meam cognoſcetis naturam ad benefaciendum, ad hominumque ſalutem procurandam, valde propenſam. 122.96.& 149.50.& 51.& 151.56.& 182.29

Feria III. à Dominica II.

Matth. 23.

SVper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ. Sederunt, ait; quia per ambitionem; non à Deo vocati, ſedem occuparunt. 15.43.& 255.66.& 700.30

Sederunt ſcribæ. Vt inde maiori ruerent præcipitio; in dignitate enim Eccleſiaſtica ſæpè maior lapſus, quàm in ſæculari. 436.156

Sederunt ſuper cathedram. Non ait: Sedent, ſed ſederunt: quia temporalia bona ita tranſeunt, ac ſi de præſenti nunquam ſint. 436.152

Sederunt ſuper cathedram. Vt eorum ſuperbia denotaretur; litterarij enim honores maximè inſtant. 422.116

Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum. Dura ſubditis imponunt, ſibi ſuauia eligunt; at prælatus bonus ad menſuram ſui de ſuis tractat. 287.68

Alligant onera grauia. Prælatus inferioribus accommodetur, eorumque commoditati condeſcendat. 212.45.& 370.55

Imponunt onera grauia. Bonus Prælatus rigoroſum ſubditis non imponat præceptum. 333.27

Digito ſuo nolunt mouere illa. Tantùm dicunt, & in opere muneri ſuo minimè ſatisfaciunt: non obtinent dignitatem, qui eius obligationibus non ſatisfacit. 453.47

Secundùm opera eorum nolite facere. Magiſter enim vitioſus vitandus. 444.196

Qui autem ſe exaltat humiliabitur. De hoc plura vide verb. *Humilitas.*

Feria IV. à Dominica II.

Matth. 20.

ASſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos. Non ſe ingerunt, ſed vocantur à Deo. Dignitas, vt honoret, nos quærat. 388.11

Aſſumpſit duodecim. Omnes vocat, excludit nullum, in bono enim præſule nulla ſit particularitatis nota. 22.75.& 36.139

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. Cùm ad crucem tendit, dicitur aſcendere; nam pro noſtra ſalute pati valde glorioſum eſt ei. 40. 160.& 228.107.& 223.85

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. Ante oculos Hieroſolymitanum proponit aſcenſum; homo enim in via virtutis ſemper vlterius progredi, & ad relicta non regredi debet. 373.66

Filius hominis tradetur. Dum Hieroſolymam aſcendunt, paſſionem, ac mortem ſuam declarat, vt doceat, qua via itur ad cæleſtem Hieruſalem. 272.142.& 68.116

Et tertia die reſurget. Dolores paſſionis temperat gloria reſurrectionis: ad labores, & contumelias maximè animandum eſt. 297

Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi. Honorandi filios cupiditate mouetur mulier, vt accedat, & petat. 255.66

Acceſſit ad Ieſum. Chriſtus Dominus de paſſione diſſerit; & mulier ſolicita filiis filiis glorias quærit; ambitio mentem maximè excæcat. 257.73

Adorans, & petens aliquid. Ambitioſus ad multa ſe ſubmittit. 441.178

Acceſſit cum filiis ſuis. Quando mulier venit ad Chriſtum, eam filij comitantur, non verò quando recedit: parentes enim ad obſequium Dei ſequendi, non autem quando recedunt. 343.27

Dic, vt ſedeant hi duo filij mei. Diuinam tantùm promiſſionem quærit; hæc enim nunquam deficit, ſed ſemper adimpletur. 51.46.& 58.76.& 138.175.& 145.33

Dic, vt ſedeant. Mulier poſtulat enixa conſanguinitatis affectu; hic namque eſt valdè præpotens, vt ſui ad honores promoueantur. 450.28. Sed mulier decipitur; nam in Chriſto nullus erat conſanguinitatis affectus. 45.19.& 20

Vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram. Nónne ſufficeret, quòd vnus ad dexteram primus & alter ad eandem dexteram illi ſecundus eſſet? Inter conſanguineos ita regnat inuidia; vt vnus maximè doleat, quòd alter ei præferatur. 255.65

Vnus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram. Vtraque regis aurem aulici habere, nullumque ad principem aditum aliis relinquere volunt. 365.30.& 270.132

Neſcitis, quid petatis. Dum ſibi tantum dignitates capiunt, neſcientis notam incurrunt, dignitates namque alternatiuas, viceſque ſuas debent habere. 87.24

Neſcitis, quid petatis. Dexteram, & ſiniſtram, tamquam dignitates efflagitant; & hoc vt ſedeant; meritò ergo neſcij reputantur; non enim ad requiem, ſed ad laborem dignitas. 137.167.& 310.19

Feria V. à Dominica II.

Luc. 16.

HOmo quidam erat diues. Proprium diuitis nomen tacetur, & eius iniqua ſcribuntur opera, vt videatur quàm vana ſit principum cogitatio; qui magno nomini ſuo iniqua volunt occultare facta. 47.25

Homo quidam erat diues. Nomen diuitis tacetur, pauperis Lazari profertur; pauperes enim à Deo æſtimantur maximè. 52.51

Erat diues. Et omnibus ſuperabundabat, ideoque pauperi Lazaro non compatiebatur; ille namque ſolum facilè miſeretur, qui miſeriam ſuſtinuit. 204.10.& 11. & 218.35.& 412.24

Quidam mendicus nomine Lazarus iacebat ad ianuam eius. Diuina prouidentia hoc eſt factum, vt diues occaſionem inde haberet ad miſerandum, ſalutemque quærendam. 195.49

Vlceribus plenus. Vt gloriæ æternitatem ipſis vulneribus acquireret. 125.107. & 235,13.14. & 15

Vlceribus plenus, Lazari ſanctitas, atque beatitudo explicanda erat, ideo eius preſſuræ ſcribuntur, vera enim ſanctitas reperitè non apparet. 85.12

Vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. Moritur pauper, & tranſit ad cælum; moritur diues, & ſepelitur in inferno: tranſit enim dignitas mundi, & ſolùm iuſtitia perſeuerat. 83.4

Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. Huius ſæculi deliciæ laboribus terminantur. 62.89

Feria VI. à Dominica II.

Matth 21.

H*Omo erat paterfamilias.* Deus, cum ſit verus vniuerſi dominus, introducitur pater familias, quoniam de Eccleſia, & Republica ſua eam habet curam, quam paterfamilias de vna domo. 69.124

Homo erat paterfamilias. Nominatur, non glorioſis nominibus, Deus, Omnipotens, & Æternus, ſed homo paterfamilias, Deus enim à beneficentia potius, quàm à maieſtate vult cognoſci. 249.33

Homo erat paterfamilias. Cùm vineam plantauit, paterfamilias dicitur, cum autem ad petendam rationem venit, Dominus vocatur; *Cùm venerit Dominus ſeruorum illorum:* ibi namque ſolum paternum eſt nomen, vbi quid benignum reperitur. 40.158

Et ſepem circumdedit ei. Nempe ad eam cuſtodiendam, & conſeruandam: qui enim beneficium dat, illud & conſeruare debet. 17.51.& 26.98.& 235.12

Et ſepem circumdedit ei. Nempe legalibus præceptis: Reſpublica enim legis obſeruatione conſeruatur. 424.93

Et ædificauit in ea turrim. Nempe ad ſuos cuſtodiendos; ſuos enim Deus cuſtodit, & tuetur. 38.151.& 152

Et ædificauit in ea turrim. Non multas turres, ſed vnam, Prælatus namque non multas leges, & præcepta imponere debet. 333.27.& 371.55

Et fodit in ea torcular. Ab Euchariſtici ſanguinis Chriſti vbertate omnis Eccleſiæ fœcunditas. 207.18

Et locauit eam agricolis. Vinea ab ipſis agticolis erat maximè æſtimanda; nam beneficia, quo magis particularia, eò magis æſtimantur. 50,39. 40.& 41.& 51.42

Locauit eam agricolis. Vt in vinea laborarent. quoniam noſtra ſalus non fit ſine nobis operantibus. 136.163

Cùm autem tempus appropinquaſſet. Fructus quærit, non quilibet, ſed opportuno tempore, congruenti enim tempore res quærenda, & negotium peragendum. 52.48.& 253.52

Verebuntur filium meum. Cùm Æternus Pater tot agricolarum videret inſolentias, de eis adhuc malè non iudicat, ſed ex bonitate ſua, quod filium ſuum verebuntur, videtur præſumere: qualis vnuſquiſque; tales & præſumit alios. 318.3.& 430.123.& 439.167.

Hic eſt hæres, venite, occidamus eum. Quia hæres, ideo occidere volunt: homo à dignitate, tamquam à proditore traditur. 53.54

Et habebimus eius hæreditatem. A peccatis ſuis iniqui deſiſtere nolunt, ſed potius peccatis peccata addunt. 255.66

Et habebimus eius hæreditatem. Quia vinea illis erat locata, ideo hæredem occidere volunt, vt in eorum poteſtate vinea maneat. Valde durum, quòd beneficium ingratitudinis ſit occaſio. 453.46

Sabbato à Dominica II.

Luc. 15.

A*Doleſcentior ex illis dixit ei.* Ecce magna Prodigi miſeria; diſcedere velle à domo patris, quo in loco à Deo erat conſtitutus. 429.117

Peregrè profectus in regionem longinquam. Homo à Deo diſcedit, ſeque elonginquat ab eo, Deus etiam diſcedit ab homine, deſeritque eum; qualis etiam homo Deo, talis Deus homini. 271.138

Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè, Duobus homo tenetur contrariis: tenendi ſubſtantiam ſuam deſiderio flagrabat, & vt eam perdat, ſe luxuriæ tradit: peccator ſibi ſæpè contrarius. 419.66

Abyt in regionem longinquam. Ex eo, quod pater ſuam ei hæreditatem dedit, ipſe in diſtantiſſimum abit locum, impius enim ex licentia vna ad aliam tendit. 427.103

Qui miſit eum in villam ſuam. In domo patris Prodigus iſte in deliciis, at in domo hominis in labore erat: rex maximè diſtant ſub manu Dei, ac ſub manu hominis. 311.26

In ſe reuerſus dixit. Primus ad perfectionem gradus, quod homo, quæ ſui ſunt, agnoſcat. 433.142

Ibo ad patrem meum. Non ſtatim promittit pœnitentiam rigidam, ſed ad patrem ſuum ire intendit. In via ſalutis paulatim eundum. 235.50

Miſericordia motus accurrens. Cur filium bonus pater, qui ouem quæſiuit, non quærit, ſed expectat quòd per tot labores ad ipſum veniat? Vt ſic filius honoraretur à patre; vera enim dignitas per merita, & labores. 235.15 Vide *Dignitas.*

Cecidit ſuper collum eius. Amoris pondere; amor enim quoddam eſt pondus. 213.47

Per, peccaui. Ipſe ſe filij nomine iudicat indignum: Non ſum dignus vocari filius tuus: eum tamen dicit patrem: nam qui ad Deum conuertitur, ipſum habet vt patrem.

Qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, Senior frater videt tantum honorum diſſipationem, non pœnitentiam, nec contritionem; inimicus namque non quæ exaltant, ſed quæ deprimunt tantum agnoſcit. 433.144

Dominica III.

Luc. 11.

E*Rat Ieſus eijciens Dæmonium.* Illud verbum *erat*, quandã ex parte Dæmonis reſiſtentiam innuit;

innuit: nam Diabolus maximè dolebat, quòd ab homine diſcederet, à ſuoque expoliaretur principatu, vt Chriſtus illum obtineret; magna enim eſt pœna bona propria ad inimicum transferri. 361.11

Erat Ieſus eijciens Dæmonium. Quandam denotat Euangeliſta Saluatoris in opere perſeuerantiam: homo in opere ſuo conſiſtere, & perſeuerare debet. 56.68. & 129. 134. & 263. 102.& 285.61

Erat Ieſus eijciens. Quædam veluti conſideratio, noſtro intelligendi modo, denotatur: opus enim ſecundùm rationem, & prudentiam faciendum. 17. 53. & 54. & 225.96. & 272. 39

Et illud erat mutum. Hominis remedium in ore erat, ſi peccata confiteretur; hoc intentat inimicus auferre, quia remedium noſtrum in damum vertere affectat. 433.135

Erat mutum. Et, iuxta alios Euangeliſtas, ſurdum etiam, & cæcum erat; nam inimicus ea in homine impedit, à quibus auxiliari poteſt. 430.119

Et locutus eſt mutus. Vbi morbus, ibi remedium, & ab illius radice inchoandum. 194.40

Locutus eſt mutus. Iuxta multorum ſententiam in laudem Chriſti, à quo beneficium aceeperat. & hic optimus in turba illa Chriſtum laudauit; qui enim primus eſt in beneficio accipiendo, in gratificatione primus eſſe debet. 242.57

In Beelzebuth principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Odio, ac inuidia magna excæcati præclaras Chriſti virtutes vident, & calumniantur. 455.58.299.39.& 350.65.& 426.101

Ipſe autem, vt vidit cogitationes eorum. Quamuis verba, In Beelzebuth eiicit dæmonia, valde contumelioſa eſſent, Dominus tamen non reſpondit niſi, vt eorum vidit cogitationes, opus etenim ab intentione ponderandum, ab ea namque bonum, vel multum dicitur. 44.13. & 128.131

Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur. Nam Reſpublica vnione augetur, diuiſione perit. 363.22.& 230.4

Feria II. à Dominica III.

Luc. 4.

V*Tique dicetis mihi hanc ſimilitudinem.* Chriſtus Dominus, quamuis eſſet ipſamet ſanctitas, de ſuis tamen actionibus rationem reddere vult; ob quam cauſam in patria ſua miracula non faciat, vt ſic Iudæorum calumniis occurreret, & nos doceret, quòd vnuſquiſque propriæ famæ tenetur conſulere. 57.71.& 58. 77.& 85.13

Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem. Ipſamet Dei ſapientia rationem aperit, ob quam in patria ſua miracula non faciat, vt ita manifeſtetur hoc ad ipſo fieri, non ex aliquo peculiari affectu, ſed ſumma ratione, & conſilio. 409. 10.& 425.96.& 452.39

Medice, cura te ipſum. Prouerbium hoc in præſenti applicatur ita, Chriſtus Dominus totius orbis Rex, & Præſul erat, & bonus princeps quæ pro ſuorum ſalute facit, ſibi accommodat; idemque eſt, quod ſuis medicamen conferat, ac ſibi applicet. 400.73. & 65.103. & 104.& 215.56

Fac & hic in patria tua. In patria ſua noluit Dominus miracula facere, ne Nazaræi ſe magis in ingratitudine obduratos oſtenderent; valde durum, quòd beneficium ſit ingratitudinis occaſio. 453.46

Fac & hìc in patria tua. Dominus miracula facere noluit ob magnam eorum erga Chriſtum inuidiam; hæc enim aliquando in propinquos etiam, & amicos maximè mouetur. 255.65

Fac & hìc in patria tua. Perperam inferunt, Dominus enim meus Ieſus, non ſanguinis ac propinquitatis affectu, ſed vi iuſtitiæ, & meritorum mouetur. 45.19. & 20. & 353.75. & 56.64

In diebus Eliæ, quando clauſum eſt cælum. Dies Eliæ vocat, & non ſuos, quando clauſum erat cælum: & tempus punitionis erat; Deus enim per beneficia innoteſcit, & manifeſtatur. 124.104.& 105

Feria III. à Dominica III.

Mattth. 18.

S*I peccauerit in te frater tuus.* Antea paruulum, & puſillum dixerat; tunc fratrem vocat; Deus enim humiles, & abiectos honorare maximè vult. 51. 47. & 48. & 402. 79

Si peccauerit in te frater tuus. Puſillum dixerat, nunc fratrem appellat; virtus namque inurbana non eſt, ſed condecorat omnes. 44.29

Vade, & corripe eum. Proximorum defectus dulciter ſunt, & leniter reprehendendi, 376. 85

Vade, & corripe eum. Sit reprehenſio ipſa proficua, & vtilis præſumatur; eſt enim danda vbi proſit. 452.42

Intra te, & ipſum ſolum. Ait Interlinealis: *Ne publicè correptus verecundiam perdat.* Nam qui nihil ſperat, nil turpe fugit. 428.109. & 110

Intra te, & ipſum ſolum. Ne alicui dicas, ſed inter te, & ipſum ſolum; quoniam aliorum defectus occultandi ſunt. 21.67. & 190.22. & 62.90

Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. De fratris ſalute coram egiſti, proindéque illius bonum tuum etiam eſt, cùm frater tuus ſit; & quæ pro aliorum ſalute facimus, in noſtrum commodum redundant. 400.73

Et ſi te non audierit, dic Eccleſiæ. Non præcipit quòd in negotio hoc repente te agat, ſed vt paulatim, ac cum magna conſideratione procedas. 23.79.& 231.10.& 252.56

Feria III. à Dominica III.

Matth. 19.

Q*Vare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Phariſæi vt puſillamines, & ambitioſi diſcipulorum famam obſcurare affectant, vt ſic ipſi magis præluceant, at vera laus, atque gloria ſine alterius calumnia eſt 83.5.& 149.47

Quare

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur? Virtutum radiis Chriſti diſcipuli cœperant emicare, ideo inuidi Phariſæi detrahunt eis. In exordio virtutis magna oppugnamenta mouentur. 408.5. & 413.32.& 33

Quare diſcipuli tui. Contra diſcipulos, non contra magiſtrum ſuas Phariſæi opponunt calumnias, vt ſic Chriſtum mordaciter culpent; talis enim vnuſquiſque, quales & cum quibus conuerſatur. 263.97.& 263.102.& 322.22

Tranſgrediuntur traditiones ſeniorum. Antiquam gentis ſuæ conſuetudinem homines venerantur. 42.6. &225.94

Non lauant manus. Interiora, quæ pretioſiſſima, omittunt, & ſolum externas vident actiones, cùm interna potius animi virtus conſideranda ſit. 423.89

Non lauant manus. Præclaras non vident diſcipulorum virtutes, ſed illud tantum, quod eis defectus videbatur; nam inimici, quæ exaltant, ignorant. 434.144.& 408.6.& 7

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Ex hoc intellige, quod reprehendens, vnde reprehendatur, non habeat. 84.8

Propter traditionem veſtram. Aulicorum ingenium, habere ante oculos, quæ ad ſuorum principum placitum, non quæ ad Deum ſpectanr. 52.49. Mundus maiores ſuos, non Deum ſequitur. 320.10

Tunc accedentes diſcipuli dixerunt: Scis quia Phariſæi, audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt. Cùm Dominus ſe erga Phariſæorum interrogationem rigoroſè habuerit; hanc tamen quaſi admonitionem à diſcipulis ſuis beneuole excipit; nam bonus Præſul mitibus eſt ſuauis, aſperis rigidus. 132.149

Scis, quia Phariſæi ſcandalizati ſunt. Apoſtolos ſuos, dum hoc dicunt, Dominus non reprehendit; cum ipſe ſit ſapientia æterna; quoniam bonus Prælatus aliquid in ſubditis diſſimulare debet. 376.86

Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Tanquam deſperatos Dominus relinquit. Phariſæi erant ſuperbia inflati, ac proinde ſteriles, ad omnemque virtutem deſperati. 373.70

Et duces cæcorum. Principis vita poſt ſe ſubditos rapit, vt ad eius normam componantur. 261. 20.& 319.10

Feria V. à Dominica III.

Luc. 4.

INtroiuit in domum Simonis. Non poſtulat Petrus ad ſocrum ſanandam, quod in domum Dominus eius veniat; occupatus erat Dominus in dando multis ægris ſalutem, & Petrus cùm Prælatus eſſet futurus, potius ſubditorum bono, quàm ſuo conſulebat. 65.103.& 104& 215.56

Introiuit in domum Simonis. Dominum non interpellat, vt à curandis populi infirmis deſiſtat, & ſocrum ſuam ſanet; Petrus enim, vt bonus princeps, aliis vult dulcia, ſibi verò dura. 336. 41.& 363.19.& 20

Tenebatur magnis febribus. Caro appetitibus repleta magnis perturbationibus æſtuat. 255.62. & 115.67

Et ſtans ſuper illam imperauit febri. Seu, vt habet Marcus, *Eleuauit eam.* Veluti extenſa manu, vt nos inſtrueret, quod prædicator, vt ſanet, debet cum verbis coniungere opera. 460.83.& 375. 75

Et ſurgens miniſtrabat illis. Quæ enim per febrim, id eſt per peccata iacebat, per pœnitentiam ſurgat, & miniſtret; vbi namque culpa, ibi & pœnitentia. 166.112.& 415.44

Et ſurgens miniſtrabat illis. Chriſtus ſolus extenſa manu mulierem eleuat, & ſanat, at obſequium quod mulier præſtat, non illi ſolùm, ſe- & aliis exhibetur; nam Chriſtus ſibi onus, aliis vtilitates communicat. 347.51.& 396.50.& 537.93

Surgens miniſtrabat illis. Per ſe ipſam, & non per ſeruos; quæ enim in domo fuerat ſola in beneficio recipiendo, & in gratificando eſſe voluit. 242.57.& 245.13

Feria VI. à Dominica III..

Ioan. 4.

OPortebat eum tranſire per Samariam. Quæ neceſſitas hæc? Vt amoris ſui diuitias erga infirmam mulierem ſanandam oſtenderet. Et dicitur: Oportebat eum Amantis diſſimulatio id, quod fit amore, neceſſitati tribuere. 214.54.& 276.15

Fatigatus ex itinere. Verus rex, & princeps pro ſuorum ſalute valde ſolicitus, omnemque contemnit laborem. 143.23.& 222.82

Venit mulier Samaritana. Cur huius mulieris nomen non exprimitur? Pro tunc erat impudicitiæ dedita, ideo ab eius nomine Euangeliſta cauet, quia luxuriæ venenum, etiam nomine tenus fugiendum. 184.2

Mulier, da mihi bibere. Iuxta puteum erat, & non cibos, ſed aquam Chriſtus petit, vt diſcant principes non exquiſita, ſed facilia à ſuis petere. 210.36

Mulier, da mihi bibere. Ad quid Dominus petit, ſciens, petitioni annuendum nõ eſſe? Vt illum haberet dolorem, qui datur cùm iuſta petitio repellitur. 345.39

Mulier, da mihi bibere. Aquam petit, vt aquæ viuæ fontem mulieri daret; nam Deus quæ à nobis accipit, duplicatò reddit. 30.113.& 328. 54

Mulier, da mihi bibere. Paruum à muliere Dominus petit obſequium, vt largiatur multa. 387.5

Quomodo tu, Iudæus cum ſis, bibere à me petis, quæ ſum mulier Samaritana? Vera charitas non ad hos, vel illos coarctatur, ſed ad omnes ſe extendit. 343.29

Si ſcires donum Dei. Ideo diuina neſciebat, quia tota erat rebus implicata terrenis; tunc enim diuina percipiuntur, cùm mens clauditur mundo. 193.38.& 41

Domine, video, quod Propheta es tu. Et iterum *Domine, da mihi hanc aquam.* Tam reuerenter loquitur ad Chriſtum mulier, quæ antea dixerat: Tu, Iudæus cum ſis: vnde vrbanitas tanta? Aquam ab eo recipere viuam modò ſperabat; & eos magno reſpectu proſequimur, à quibus aliquid ſperamus. 463.104

Et mirabantur, quod cum muliere loqueretur. Tam rarò Chriſtus ob eruditionem noſtram cum muliere

muliere loquebatur, vr res eſſet admiratione digna, quod cum muliere ſermonem haberet. Vt ſic nos doceret à fœminarum colloquiis fugere. 103.10. & 11.& 413.30

Relinquit ergo hydriam ſuam mulier. Vt tamen aliquando eam iterum ſumeret. 373.66

Sabbato à Dominica III.

Ioan. 8.

PErrexit Ieſus in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum. Dominus res ita diſponebat, vt quamuis per noctes in orationibus vigilaret, per dies tamen ad templum, tanquam ad proprium locum veniret, vbi vt verus princeps populi remedio, ac ſaluti intendebat. 144.30. & 148.42

Perrexit in montem Oliueti. Antequam mulieris adulteræ cauſam Dominus iudicaret, ac perſonam iudicis repræſentaret, in montem tendit Oliuarum, hoc eſt pietatis; vt iudices doceret quod iuſtitia cum miſericordia debet eſſe coniuncta. 187.14. & 287.11.70

Adducunt mulierem in adulterio deprehenſam. Capitur mulier, & magno adducitur ſtrepitu; non verò adulter, qui forſitan aliquis nobilis erat; illa deprehenditur, vtpote imbecillis, & fortaſſe humilis, & abiecta, ideoque omnes, vt frequenter fit, inſurgunt in eam. 413.30

In lege Moyſes mandauit huiuſmodi lapidare, tu vero quid dicis? Simulatè tentantes mandatum Moyſis referunt, & dicunt: Tu quid dicis? Veluti cauillantes, quod ipſe ſe Moyſe faciat maiorem, vt ſic eum arguere poſſent. Grauiſſima eſt à vana gloria ambitionéque procedens tentatio. 439.164.& 422.85

Inclinans ſe Ieſus. Conuenientiſſimè inclinat ſe Ieſus, vt mulier ſtaret. *Statuerunt eum in medio.* Dominus enim, dum ſe humiliat & deiicit, ſuos exaltat. 347.51.& 211.40.& 30.114

Inclinans ſe ſcribebat. Quæ iuris, ac ſententiæ erant, ſcribebat; ſe tamen inclinans, vt exemplum inde iudices habeant ad hoc, vt de rigore iuris aliquid inclinent, & remittant. 190.23

Digito ſcribebat in terra. Vt ita innueret, quàm facilè, pœnitentia adueniente, deleantur, ac remittantur peccata. 415.46.& 368.45

Dominica IV.

Ioan. 6.

ABijt Ieſus trans mare Galilææ. Iudæam peccatorum inundatione totam diffuſam cum diſcipulis ſuis relinquit Dominus, & tendit trans Galilææ mare, exemplum nobis præſtans iniquorum conſortium fugiendi. 263.97. & 263.102.& 387.4

Abijt Ieſus trans mare. Iudæa Baptiſtam occiderat, multa mala in Chriſti diſcipulos machinabatur; ſeceſſit Dominus trans mare, nos docens, quod iniquorum iræ, ac furori dandus eſt locus. 190.22.& 261.90.& 310.16

Et cùm vidiſſet, quod turba maxima venit ad eum. Non ſolum ad diſcipulos, qui in proximo erant, oculos Dominus inclinat, verùm etiam ad turbas, quæ longiſſimè diſtabant, ipſos erigit. Optima principis nota oculos eleuare non ad amicos, & propinquos ſolum; ſed etiam ad extraneos, ac alienos. 36.139.& 45.19.& 20. & 56.64

Dixit ad Philippum. Quare in hoc negotio Philippum interrogat? Quia, vt multis placet, illa regio erar ei natale ſolum, in eaque fuerat procreatus; innuens, quod in rebus arduis miniſter expertus ſit quærendus. 104.17.& 408.3

Vnde ememus panes? Ieiunus Dominus quærit ſuis panes: optimum documentum. Prælatus impranſus de ſuorum cibo ſolicitus. At verò ſi ſuperios in magna ſit abundantia rerum, nulla de ſuorum pane eum cura tangit. 204. 10.& 11.&.310.17 & 411.24 & 470.19

Vnde ememus panes? Eximia magnificentia anteuertere preces, ante petitionem dare. 386. 3. & 91.41

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Dominus non ait, vnde ememus panes, vt manducemus nos; ſed vt manducent hi. Bonus princeps potius de ſuorum commodo ſolicitus, quàm de bono ſuo. 65.103.& 104.&215.56

Cùm gratias egiſſet. Dominus tam pro ſe, quàm pro beneficio omni populo conferendo parenti ſuo gratias dedit; animus enim gratus ſtat pro beneficiis communibus. 155.6.& 158. 16

Facite homines diſcumbere. Ad quid, vt è manibus Chriſti panem recipiant, præcipitur, vt ſedeant? Quare ſtantibus non datur? Dei beneficia non breuiter tranſeunt, ſed ſunt valde permanantia, atque perpetua. 51.45.& 219. 74.& 59.79

Diſtribuit diſcumbentibus. Princeps magna non miniſtris ſolis committat, verùm & per ſe ipſum exequatur. 115.57

Tulerunt duodecim cophinos. Ex Apoſtolorum panibus, & piſcibus multiplicata ſunt cibaria, quæ turbis data ſunt: ideo tot cophinos colligunt, quia Chriſtus Dominus quod à ſuis accipit, duplicato reddit. 30.113. Et quia ſolus Deus quibuſdam benefacit, non ſubtrahendo aliis. 28.106

Feria II. à Dominica IV.

Vide feriam 3. poſt Dominicam 1.

Feria III. à Dominica IV.

Ioan. 7.

IAm die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Non in feſtiuitatis initio, ſed ipſa iam mediante, in templum aſcendit. Dei ſapientia tempus dare voluit, quo prius ea, quæ legis erant, obſeruarentur. 424. 93

Iam die feſto mediante. Non in feſtiuitatis fine, nec principio, ſed mediante feſto, quia tunc maior populi frequentia erat; Chriſti enim doctrina angulos fugit, publicum quærit. 294.13

Iam die feſto mediante, aſcendit, & docebat. Nam tunc ex feſti celebritate ad Dei doctrinam percipiendam erat maximè diſpoſitus populus. 65.105.& 282.45

Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me, Patris.

Patris. Chriſtus, cum alios docet, Patris ſui filium ſe declarat. 354.79

Mea doctrina non eſt mea. Vt maiorem doctrinæ ſuæ conciliaret authoritatem, parentis eſſe ſui dicit. Contra nouam doctrinam nouæ exoriuntur contrarietates. 205.87

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina mea. Vt eius percipiant doctrinam. voluntatem Patris faciendam docet, vt omnem deponentes affectum, & odium, quod maximè excæcat mentem, eius dicta intelligant. 455.59

Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit illum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt. Innuit Chriſtus, quod in illis, qui gloriam ſuam, & ſæculi vanitatem quærunt, nec veritas, nec iuſtitia eſt, ab inani enim gloria expoliati ſunt. 411.19.& 422 85

Dæmonium habes: quis te quærit interficere? Ex eo quod Chriſtus Dominus eorum cogitationes cordium agnoſceret, ipſum eſſe Deum inferre debebant; Deus enim ſolus penetrat eas; & tamen dicunt, Dæmonium habere. Impiorum ingenium omnia in peius detorquere, & ex ſe præſumere de aliis. 318.3. & 430.123 & 439.167

Feria I V. à Dominica I V.

Ioan. 6.

P*Ræteriens Ieſus vidit hominem.* Subſiſtit Dominus nobis dans exemplum, vt pauperes non pertranſeamus, quin opem eis feramus, eoſque honoremus. 51.47.& 48.& 52.51. & 467.117

Præteriens Ieſus vidit hominem. Cæcus lumen non quærit, infirmus ſanitatem non requirit, ſed Chriſtus Dominus lux, & ſalus ad eum venit: talis eſt homo, quod niſi Deus ipſum quærat, ad Deum ille non ſe mouebit. 388:12

Præteriens Ieſus vidit hominem. Valde mirum, quod Dominus, qui de templo exiuit, vt Iudæorum furorem, ad euitandam intempeſtiuam mortem, declinaret, nunc ita ſubſiſtit, & de hominis curatione agit. Optimi principis notam declarat, qui de ſuorum ſalute potiùs, quàm de vita ſua agere debet. 222.82.& 253. 52

Præteriens vidit hominem. Et ſtatim Dominus ad eius remedium ſe applicat. Bonus princeps ſuorum miſerias, quin ſubueniat, videre non poteſt. 33.125

Quis peccauit? hic, aut parentes eius? Falſus mundi error afflictiones eſſe ob peccata exiſtimare, cùm Deus huiuſmodi ſæpè dilectis ſuis pro ingenti beneficio donet. 300.46

Quis peccauit? hic, aut parentes eius? Sæpe pœna, & mala veniunt ob peccata. 24.85.& 61. 88

Neque hic peccauit, neque parentes eius. Apud Deum parentum peccata filiis non nocent. 64.98

Sed vt manifeſtentur opera Dei. Bona ex malis educit ſapientia Dei. 321.17

Expuit in terram, & fecit lutum. Non verbo, non inſtrumento alio, ſed luto, reſtituitur viſus: in mundi principio formauit Deus lutum, & inſpirauit in eum ſpiraculum vitæ: Dei ſapientia voluit, quod idem inſtrumentum, quod creationi inſeruierat, reſtaurationi etiam inſeruiret. 235.11.& 238.35

Poſuit lutum. Luto oculus excæcatur, & non aperitur; Dei tamen ſapientia mediis contrariis recuperatur ſalus. 414.37

Vade, & lauare in Natatoria Siloe. Poterat Dominus verbo ſuo ſolo homini ſanitatem dare; ad quid iubetur ad lauacrum? Vt fiat manifeſtum ſalutem noſtram ſine nobis operantibus non fieri. 136.163

Vade, & lauare in Natatoria Siloe. Non ait: Cur præcipis me ad lauacrum ire? Sed ſine cunctatione exequitur iuſſa. 137.171.& 194.43.& 264.103

Lauit, & venit videns. Obedientia multa miracula operatur. 170.31.& 167.116

Feria V. à Dominica I V.

Luc. 7

I*Bat Ieſus.* Non ait, iuit; ſed *ibat*: vt maximè diuinam ad benefaciendum propenſionem indicaret. 151.56.& 182.29

Ibat Ieſus cum diſcipulis ſuis. Vt eos doceret, quod in via virtutis ceſſandum eſt nunquam, ſed eundum ſemper, & ambulandum. 95.54

Ibat cum diſcipulis ſuis. Non miſit diſcipulos, ſed ipſe Dominus ibat, cùm enim ipſe ſalus eſſet mundi, documentum dare voluit, proprium officium perſonaliter exercendum. 88.30

Cùm appropinquaret portæ ciuitatis. Cur ad portas mortuus inuenitur? Per portas ingreſſus natiuitatis indicatur, & ibi adeſt mortuus, quia mors, & natiuitas hominis maximè coniunguntur. 55.60

Filius vnicus efferebatur matris ſuæ. Ad quid maioratus dignitas in eo exprimitur? Quia valdè frequenter ad mundi dignitates ſequitur mors. 269.125.& 310.19

Tetigit loculum. In mortuo omnis peccatorum illuuies præfigurabatur; & ideo manum apponit, quia peccatorum impetum refrænare quid difficillimum. 395.43.& 44

Noli flere, Ad vitam comparandam, Deumque ipſum ſolicitandum, magnam lachrymæ vim habent. 284.55

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Vt ad Deum accedamus, per pœnitentiam à culpa eſt reſurgendum. 276.14.& 368.45.& 379.96

Et dedit illum matri ſuæ. Poſt afflictionem gaudium, & conſolationem dat Deus. 152.60.& 61. & 219.75.& 263.102

Feria VI. à Dominica I V.

Ioan. 11.

E*Rat quidam languidus nomine Lazarus.* Iuſtis ſuis Deus afflictiones, & aduerſitates tribuit. 300.46

Nomine Lazarus. Lazarus, ideſt adiutus; nam vt ait Beda, inter omnes, quos ſanauit Dominus, & reſuſcitauit, Lazarus magis debuit adiuuari ob mortis quatriduanum tempus; & meritò Lazarus dicitur, nomen enim operi correſpondere debet. 23.83.& 248.24

Ecce, quem amas, infirmatur. Cur in epiſtola infirmi

infirmi nomen non explicatur, ſed tantùm dicitur: Quem amas, infirmatur? Chriſtus Dominus amabat multos, ei multi chariſſimi erant, quomodo dicitur: Quem amas infirmatur? Sorores, cum fratrem maximè diligerent, omnes de delicto ſuo tractare, exiſtimabant. 248. 26

Quem amas infirmatur. Eum non vocant, vt veniat, ſed tantùm dicunt, quem amas, infirmatur: amor enim dormire, vel quieſcere non permittit. 148.9.& 105.20

Miſerunt ad eum. Sorores ad Chriſtum non veniunt, ſed tantùm mittunt, vtpote mulieres extra proprias domos egredi nolentes. 111.45.& 338.2

Eamus in Iudæam. Dominus ad ſorores ſua benignitate venit, illæ tamen non petunt vt veniat in Iudæam, vbi eum occidere cupiebant. Amicus ne intendat, quod amicus propter eum aliquid de ſua authoritate deperdat. 218. 69

Lazarus amicus noſtrer dormit. Ipſe mortuus erat, & ad reſuſcitandum eum Dominus accedebat, & tamen inquit, dormis. 470,18.& 34.30.& 31.& 35

Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos. Deus per miracnla, & prodigia in fide corroborat, & confirmat. 8.3. & 272.139.& 237.26

Scio, quia quæcumque popoſceris à Deo. Oratio valde potens ad impetranda magna. 216. 61

Scio, quia quæcumque popoſceris à Deo. Non perit, vt frater reſuſcitetur; ſed ait, ſcio, quod ſi velis potes: non propria voluntas, ſed Dei placitum ſequendum. 421.77. Et vera obedientia Deo ſe ſubmittit, eſtque ad omnia præparata. 308.7. & 354.83

Vt vidit eam plorantem, infremuit, & lachrymatus eſt. Reges ad ſuorum miſerias ſæpe non mouentur, quia eorum neceſſitates non vident. 261.91

Gratias agens. In reddendis gratiis multus ſit homo. 15.41. Et antequam impetret beneficium gratias agit gratus animus valde velox. 245. 13

Magna voce clamauit. Peccator in peccatis ſuis ita obſtinatus eſt, & adhærens, vt ad deſiſtendum ab illis vox magna neceſſaria ſit. 255. 66

Soluite, & ſinite abire. Qui à peccatorum ſepulchro reſurgit, ibi non immoretur, ſed omnem peccati occaſionem fugiat. 248.27

Sabbato à Dominica I V.

Ioan. 8.

E*Go ſum lux mundi.* Deus illuminat omnes. 19.61

Ego ſum lux mundi. Lux ad omnes ſe extendit, excipit nullum, ita Deus ſua beneficia omnibus communicat. 37.148.& 125.106

Ego ſum lux mundi. Lux aliquibus ſe ita communicet, vt aliis nihil ſubtrahat. 28. 106

Ego ſum lux mundi. Non ait: Ego ſum Sol, ſed lux: Sol inæqualiter ſe communicat, terras quaſdam reddit infœcundas, quaſdam fertiles, ita vt aurum producant; in rege autem nullum ſit particularitatis ſignum. 22.75.& 36. 139.& 45.19. & 20

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Qui ſequitur Chriſtum, nullam vitiorum caliginem habebit, ſed magnam victoriæ gloriam. 409. 11

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Non ait: Qui videt me, vel qui mè audit, ſed qui ſequitur per vitæ imitationem. 275.11.271. 137.& 713.75

Verum eſt teſtimonium meum. Ipſa Chriſti ſanctitas, & vitæ probitas efficaciter oſtendebat verum eſſe teſtimonium eius. 188. 17

Iudicium meum verum eſt, quia ego ſolus non ſum. Ex eo veritatem iudicij ſui oſtendit, quod ipſe ſolus non eſt, vt per hoc iudicibus documentum præſtet, ne proprium ſequantur affectum, aliorumque conſilium minimè reſpuant. 88.64 & 55.& 177.9

Dominica Paſſionis.

Ioan. 8.

Q*Vis ex vobis arguet me de peccato?* Cùm mendaces Iudæi multas in Chriſtum Dominum coniicerent calumnias, vult Dominus modo actiones ſuas iuſtificare, vt nos doceat, propriæ famæ conſulendum. 57.71.& 58. 77.& 85.13

Quis ex vobis arguet me de peccato? Suſpicio meli etiam leuis infamat, ideo Chriſtus Dominus omnem à ſe ſuſpicionem malam amputare, & excludere vult. 58.78.& 249.32

Quis ex vobis arguet me de peccato? De aliis Sanctis dicitur: Incedentes in mandatis Domini ſine querela, *Luc* 1. Vide lib. 1. cap. 4. At de Chriſto Domino dicitur ſine peccato, quod eſt quid maius; nam ipſe eſt caput, & princeps noſter; & vbi maior eſt dignitas, maius exigitur meritum. 47.27.& 116.72.& 127.126. & 147.39

Quis ex vobis arguet me de peccato? Chriſtus Dominus inuidentium Iudæorum non timet odia; iuſtus enim, & benemeritus, eſt ſui maximè ſecurus. 51.46

Si veritatem dico vobis. Cùm ſe liberum à peccatis manifeſtat, ſtatim veritatem ſuam oſtendit; nam vitæ puritas veritatem maximè corroborat. 108.31

Si veritatem dico vobis. Ex ſua veritate ſumma Deum ſe probat, vbi namque veritas lucet, ibi Diuinitas irradiat. 41.160.& 161

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Quia veritatem dico, ideo non creditis mihi? humanus enim intellectus veritatem maximè reſpuit. 23.79

Non creditis mihi? Dominus innocentiam ſuam tam diſertè oſtendit, eorumque arguit incredulitatem; quia veritas eſt ſine timore. 249. 30

Samaritanus es tu, Dæmonium habes. Phariſæi ſanctitatis, & ſcientiæ opinione erant maximè inflati, & cum ſuam videant à Chriſto malitiam detegi, ideo tot opprobriis illi reſpondent; multa enim homo aggreditur ſua pigneratus opinione. 429.113.& 705. 49

Dæmonium habes. Iudæi dæmoniaci Chriſtum Dæmonium habere dicunt; iuxta ſuum ingenium loquitur quilibet. 431.129

Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Vbi vitia adſunt, generis nobilitas non prodeſt. 381. 105.& 106.& 458.76

Antequam Abraham fieret, ego ſum. Non ait: Ego eram, ſed ſum; vt Parentis ſui, qui dixit: Ego ſum, qui ſum, loquendi modum haberet; nam facta quemlibet oſtendunt filium ſui patris. 391.25

Tulerunt lapides, vt iacerent in eum. Mira hominum malitia contra Deum ſtare vult. 262. 94

Ieſus autem abſcondit ſe. Iræ dandus eſt locus. 190.22.& 261.90.& 310.16

Feria II. à Dominica Paſſionis.

Ioan.7.

M*Iſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, qui apprehenderent Ieſum.* Concordant omnes, vt Chriſtum comprehendant: iniqui ad malum maximè vniti. 470.17

Vt apprehenderent Ieſum. Multa videbant ſigna, quæ Dominus faciebat, ideo in ipſum inuidia maximè mouebantur. 255.65. & 351.66. & 379.95

Miſerunt miniſtros. Miniſtri hi, quamuis iniqui, atque peſſimi, huic miniſterio ſe non ingerunt, ſed à Phariſæis mittuntur: miniſter ne ſe ingerat officio. 366.32

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Ad quid explicat Dominus, quòd modicum tempus futurus ſit inter illos? Niſi ad eos infirmos maximè inuitandum, vt remedium ſibi applicent ſalutiferum. 36. 140. & 190.22. & 194. 40. & 371.56

Quæretis me, & non inuenietis. Explicat Dominus ſupplicium magnum, ſcilicet quod ab eis longius fiet, itaut eum non valeant inuenire. 310. 21. & 311.25

Quæretis me, & non inuenietis. Ne contemnant eius præſentiam, explicat quantum erga eum abſentem ſint habituri deſiderium. 447. 11

Nunquid in diſperſionem gentium iturus es? Non cogitant de aſcenſu in cælum, ſed de regione gentium; iniqui enim totam cogitationem ſuam in temporalibus rebus defixam habent. 250.34.& 255.66.& 425.95

Si quis ſitit veniat ad me. Dominus, vt homines ad ſe trahat, non ſupplicia, ſed aquæ promittit dulcedinem; plus namque benignitas, quàm rigor allicit. 155.5.& 311.28.& 395.41.& 402. 77

Feria III. à Dominica Paſſionis.

Ioan.7.

A*Mbulabat Ieſus in Galilæam, non enim volebat in Iudæa ambulare.* Prudentis eſt à periculo fugere, & declinare. 609.10

Non volebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Noluit Dominus potentia, & ſignis ſe Deum oſtendere; ſed humilitate potius hominem ſe voluit exhibere: ſemper Dominus amplectitur humilia. 212. 46. & 337.43.& 405.92.

Volebant eum Iudæi interficere. Diaboli contra Dominum manum mouere non audent, ad hoc tamen ſolicitant homines; hi namque aggrediuntur multa, quæ Diaboli facere non audent. 178.12.& 442.187

Vade in Iudæam, vt diſcipuli tui videant opera tua. Humana hæc ſuaſio eſt, non Dei gloriæ, ſed propriæ conſulere famæ: cum in omnibus operibus noſtris Dei gloria ſit quærenda. 273. 144

Vt diſcipuli videant opera tua. Hi cum vanæ gloriæ eſſent valde cupidi, ſimilem eſſe Dominum ſibi perſuadebant. 318. 3. & 430. 123

Tempus meum nondum aduenit. Ac ſi dicat, gloriam, & magnificentiam nolo, niſi poſt crucem & preſſuras. 235.13.14.& 15

Vide *Meritum.*

Me autem odit. Quamuis Dominus multa in homines beneficia conferret: tanta eſt eorum malitia, vt nullis frangatur, & emolleſcat ſignis. 426.101

Feria IV. à Dominica Paſſionis.

Ioan. 10.

F*Acta ſunt encœnia.* Chriſti paſſio appropinquabat; antea encæniorum, id eſt, renouationis feſtum celebrabatur: vt Chriſti paſſionis fructum conſequatur homo, lauari per pœnitentiam debet. 415.46. & 383.115

Facta ſunt encænia. Chriſtus feſtiuitates celebrat, ad illaſque in templum aſcendit: tempori enim maximè eſt accommodandum. 141. 18.& 253.52

Ambulabat Ieſus in porticu. Ieſus non in platea, non in foro, ſed ambulabat in porticu, qui ad templum erat ingreſſus, vt nos doceret, quod in via Dei ſit ambulandum. 95.59

Ambulabat Ieſus. Non ſedebat, non quieſcebat, ſed ambulabat, vt ſe de ſalute noſtra maximè ſolicitum oſtenderet. 163. 38. & 341.18.& 416.62

Ambulabat Ieſus in porticu. Non in templo, non in tecto, ſed in porticu, quæ via ad templum communis erat, vt innueret Dominus, quod via virtutum communis ſequenda. 215.57.& 275.11

Circundederunt ergo eum Iudæi, & dixerunt. Interrogant, non vt ſciant, ſed vt ſacram eius doctrinam impediant, calumniandique habeant occaſionem. 462.101

Circundederunt ergo eum. Veluti deambulationem eius cohibere præſumentes, vtque eum certo affigerent loco: mens enim humana adeo eſt ſuperba, vt contra Deum ſtare audeat. 160. 26.& 255.61

Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Dominus ſatis manifeſtè erat allocutus, ideoque nullum hac in re dubium eſſe poterat: attamen dubitantes ſe oſtendunt; dubium namque non ex ratione naſcebatur, ſed ex odio, quod nunquam deponitur, nec euidenti ratione dilucidatur. 555.58

Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Satis aperta erant Chriſti verba, cuius opera diuinitatem

tem ſatis manifeſtè iudicabant; ipſum tamen Iudæi ignorant, & dubitant: inimicus enim magnalia noſtra nunquam agnoſcit, & videt. 256.67.& 433.144

Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. In verbis humilitatem fingunt, vt faciliùs decipere poſſint; inimicus namque humilitate fallit. 260. 84

Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent. Maieſtas operibus potius, quàm verbis, & titulis oſtenditur. 47.25.& 68.104. & 148.43. & 394. 38

In nomine Patris mei. Non ait: In nomine meo, ſed in nomine Patris mei, vt nos doceat, quod omnis operatio noſtra Deo tribuenda eſt. 179. 18

In nomine Patris mei. Quia ſæpe ſæpius æſtimatur, & veneratur opus ob authorem ſuum. 90. 39

Ego, & Pater vnum ſumus. Ex vnitate cum Patre excellentiam, & nobilitatem ſuam oſtendit; nihil magis, quàm vnitas celſitudinem indicat. 56.66.& 15.43

Feria V. à Dominica Paſſionis.

Luc. 7.

M*Vlier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Nec mulieris nomen, nec peccati ſpecies exprimitur: præcauet Euangeliſta impudicam fœminam, vel luxuriæ vocabulum nominare; quoniam & ipſum luxuriæ nomen coinquinare videtur. 184.2.&.183.34

Quæ erat in ciuitate peccatrix. Enormia denotantur peccata, vt inde appareat inundatio diuinæ miſericordiæ illa condonantis. 312.33. 321.20

Vt cognouit, quòd Ieſus accubuiſſet. Diuina Maieſtas, cum ſe aliquantulum inclinauit, humanos ſtatim animos ad ſe traxit, ac reuniuit. 319.6. & 23.79.& 206.15.

Vt cognouit. Locum, in quo Chriſtus erat, non antea, ſed modò cognoſcit, quia dolore compuncta omnia deteſtabatur peccata; & abominanti peccata, apparent cœleſtia. 194. 41

Vt cognouit. Mulier non diſtulit, ſed inter conuiuium lachrymans irruit: ſalutis occaſio non craſtinanda, ſed ſtatim arripienda. 195. 44.

Stans retrò lachrymis cœpit rigare. Mulier tota erat contritione plena, lachrymis perfuſa, cur retrò, & ſe non dat ante Domini conſpectum; Non lachrymas, ſed anteactæ vitæ conſiderabat peccata; iuſtus enim defectus conſiderat, & quæ ſubleuant, ignorat. 391. 24. & 151. 55

Lachrymis cœpit rigare. Lachrymis pedes rigat, hæ namque ad Dominum comparandum, ſibique retinendum efficaces valde. 284. 55

Oſculabatur pedes eius. Quomodo ad obſequium, quod tam vile videbatur, mulier tam nobilis ſe dimittit? Charitate vulnerata intellexit, nihil eſſe nobilius, quàm Deo ſeruire. 104.15.& 264.104

Vnguento vngebat. Quomodo permittit Dominus vnguenti tam pretioſi iacturam fieri? Pro mulieris vtilitate, vt à Deo magnum accipiat beneficium. 28. 107. & 55.62. & 289. 33

Sciret, quia peccatrix eſt. Hic in muliere lachrymas non videt, ſed veterem peccatricem recogitat ſtatum; verè Phariſæus iſte à iuſtorum ingenio alienus, qui de aliis, quæ dedecorant, tacent, & publicant quæ honorant. 30.115.& 62.90.& 121.92

Simon, habeo tibi aliquid dicere. Cum eo leniter, & placatè Dominus loquitur; eſt enim valde conueniens ſæpe, vt ſuperior ſubditos ſuos leniter reprehendat. 376.85

Non ceſſat rigare pedes meos. Opera ſupererogationis valde gratuita. 276.13

Dilexit multum. Ideo ei non difficilis rerum contemptus, quia amor maieſtatem neſcit. 350. 61

Dilexit multum. Dominus in muliere amorem ipſum maximè expendit; interiora namque, non exteriora, maximè conſideranda ſunt. 375.76

Feria VI. à Dominica Paſſionis.

Ioan. 11.

C*Ollegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium* Ob Chriſti virtutes præclaras in ipſum iniqui concilium faciunt; ſemper enim ab iniquis impetitur magna virtus. 299. 39. & 350. 63

Collegerunt Pontifices concilium. Non vt ſincerè, ſed mendaciter iudicent; iniquitas enim ſemper falſa iudicat vera. 318.2

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi. Peruerſitas ad iniuſtitiam ſuos ſemper maximè vnit. 470. 10

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium. Conſenſus iſte, in quo tota iniquitas, ſub nomine iuſtitiæ fit, communiſque boni; ſic ſæpè à magnatibus, vt turpia facta ſua, tamquam illuſtria, reputari velint. 454. 55. & 56

Quia hic homo multa ſigna facit. Humana malitia magna, cùm beneficium datum ingratitudinis fit occaſio. 454.46

Quia hic homo multa ſigna facit. Populus ob ſigna Chriſtum ſequebatur, Ioan. 6. Ob ſigna Chriſtum perſequi Phariſæi, & Pontifices intentant: gloriam enim, quam amor recognoſcit, odium non videt. 408.7

Multa ſigna facit. Signus euidentibus inimicus non emoleſcit, immo potius eius furor augetur. 226.101

Si dimittimus eum, omnes credent in eum. Popularem auram iſti maximè inhiabant, & ſi populus alium ſequitur, ambitioſi maximè dolent. 461.92.& 443.189

Venient Romani, & tollent locum noſtrum. Iſti ad terrena erant maximè affecti, & iniqui mundana ſua detinentur cupiditate, ab illaque vehementer mouentur. 255.66

Venient Romani. Damnum, quod eis à Romanis poteſt inferri, conſiderat ſolùm, non ſalutem, quam in Chriſto conſequi valent. Peccatores oculos ſolùm dirigunt quo labi poſſunt, non quo remedium ineſt. 456.68. & 67

Venient Romani. Lazarum Chriſtus Dominus è mortuis reuocauit ad vitam: Romanos venientes etiam expellere poterit; ſed eorum mentes obcæcauit malignitas. 257.73

Venient Romani. O iniqui, peruerſique homines; culpam non timent, ſed ſolùm temporale damum, cum culpa multo magis ſit timenda. 36.143

Venient Romani, & tollent locum noſtrum. Peccator ſemper timet, & nunquam ſecurus eſt. 254.61

Cùm eſſet Pontifex anni illius. Hanc Euangeliſta veluti rationem aſſignat, ob quam dicto eius conceſſere omnes; dictum enim cuiuſlibet ob authoritatem æſtimatur magni. 90.39.& 448.16

Cùm eſſet Pontifex anni illius. Quia Pontifex; ideo ſententiæ eius ſubſcripſere omnes; mundus namque principes maximè ſequitur. 319.10

Sabbato à Dominica Paſſionis.

Ioan. 12.

Cogitauerunt principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent. Principes iniqui in Lazari nece occupantur toti, cùm boni ſit principis vitam ſuorum quærere. 65.103.& 90 74

Vt & Lazarum interficerent. Vt ſic à memoria hominum excidat egregium Chriſti de illius reſurrectione factum; cum proprium ſit boni principis pro ſuorum beneficiis ſtare. 281.41

Cogitauerunt vt & Lazarum interficerent. Quia maximè dolebant de gloria, quæ Chriſto Domino reſultabat ex illus reſurrectione. 351.66

Cogitauerunt vt & Lazarum interficerent. Dominus, ſicut primò Lazarum reſuſcitauit, ita & ſecundo reſuſcitaret; ad quid ipſum interficere cogitant? Mens humana eſt adeo obcæcata, vt contra Deum ſe poſſe ſtare præſumat. 262.94

Cogitauerunt, vt & Lazarum interficerent. Quia Phariſæi maximè dolebant: quod eximius daretur honor; quem ipſi deſiderabant. 443.289

Quia multi ex Iudæis propter illum abibant, & credebant. Magna laus eorum, qui in Chriſtum credebant; nam, dum alij contradicunt, credere magna laus. 298.33

Propter illum credebant. Quoniam miracula, quæ fides firma non expoſtulat, Iudæorum fides valde infirma requirebat. 237.26.& 271.139

Venerunt Gentiles. Cùm in Iudæa multi iam crederent, Gentiles veniunt, dum enim incipit vnus, multi ſequuntur. 305.64

Dominica Palmarum.

Matth. 11.

INuenietis aſinam. Hoc eſt. In ſtabulo beſtiali inuenitur peccator, hic namque per malitiam ſuam in belluinam degenerauit naturam. 212.42

Soluite, & adducite mihi. Homo per pœnitentiam à peccato ſoluitur, ad Deumque adducitur. 368.45. & 415.46.& 384.116

Soluite, & adducite mihi. Munus hoc Apoſtolis, non alteri committitur; quia ad tale officium deſtinati, & non ſubſtituti erant. 103.12

Soluite, & adducite mihi. Hoc munus Apoſtolis mandatur, quia de illorum experientia iam multum conſtabat, vt haberemus documentum, quod expertus miniſter ſit quærendus. 104.17

Soluite, & adducite mihi. Apoſtoli non ſe offerunt, ſed à Chriſto deſtinantur; bonus enim miniſter non ſe in officio ingerit, ſed mandatur. 366.32

Soluite, & adducite. Apoſtoli ad officium ſoluendi erant electi; ideo negotium hoc non committitur aliis, quia bonus miniſter in officio ſuo non eſt impediendus.

Dicite, quia Dominus his opus habet. Cùm ſit ſupremus Dominus, noſtris non indiget rebus, & ait: quia Dominus his opus habet; petit obſequium noſtrum, non quia indigeat, ſed vt in noſtram vtilitatem cedat. 55.92.& 279.33.& 382.109.& 387.5

Et confeſtim dimittet eos. Sine mora Dei mandatis obediendum. 194.43.& 308.7

Ecce rex tuus venit tibi. O magnum principis elogium, quod non ſibi, ſed ſuis, bona, & vtilia quærat. 65.103. & 104. & 215.56

Venit manſuetus. Dominus ſuos, non rigore, ſed benignitate ad ſe trahere voluit. 155.5.& 311.28

Plurima autem turba. Deo magna eſt habenda reuerentia. 137.164

Feria II. à Dominica Palmarum.

Ioan. 12.

MAria accepit libram vnguenti. Maria iam antea pedes Domini vnxit, *Luc.* 7. modò etiam in ipſo opere ſancto perſeuerat. 129.134. & 263.192

Maria accepit libram. Antea enim Luc. 7. dum vnxit pedes Domini, magnam inuenit gratiam; modo ad vngendum iterum ſe præparat: nam pendens, quam ſibi fœlicen agnoſcit viam ſequitur ſemper. 421.78. & 228.108

Maria accepit libram. Ad vnguenti odorem valde propenſa mulier; illò trahitur à Deo: vnuſquiſque ſua inclinatione trahendus. 48.29.& 30

Vnus ex diſcipulis eius. Maximè torquetur Iudas, dum vnguentum, cuius pretium ipſe vehementer inhiabat, in laudem Chriſti videt effundi. 443.189

Vnus ex diſcipulis eius. Non aliquis extraneus, ſed vnus ex diſcipulis opus calumniatur; ſemper propinqui, amicique maiores ab inuidia impugnantur. 255.65

Quare vnguentum illud trecentis denarijs. Mulier bene nouerat murmurationes diſcipuli, expenſas, quas fecerat, hæc tamen nihili duxit; nam iuſtus Dei obſequium proprio commodo ſemper præfert. 332.22

Summa Concionum.

Quare vnguentum illud. Ecce iniquus malitia ſua conuictus: ſi vnguentum trecentorum denariorum in eius obſequium effunditur, quomodo tu triginta vendidiſti? Semper ambitioſus cupiditate ſua detinetur. 255.66 & cæcus eſt, vt verum agnoſcat. 257.73.& 318.2

Quare vnguentum illud. In præclaras virtutes ſemper magna oppugnamenta. 413.32.& 33. Et præcipuè in virtutis exordio Diabolus ſemper contrarietates mouet, 408.5

Dixit ergo Ieſus. Non diſſimulat Dominus, ſed ſtatim Iudam interpellat: nam Iudas fictum egenorum zelum oſtendens illa dicebat? & animus fictus ferri non poteſt. 380.69

Dixit ergo Ieſus. Iudam Dominus, non aſperè, ſed leniter obiurgat. 376.85

Feria V. in Cœna Domini.

Ioan. 13.

SCiens Ieſus, quia venit hora eius. Euangeliſta in Chriſto ſcientiam memorat, vt euidens fiat, inter tot præclara myſteria ab ipſo omnia alta, profundaque ſcientia diſpoſita, ordinataque fuiſſe. 99.74

Sciens, quia venit hora eius. Qui nos à Dæmonis poteſtate liberabat in ea, & Chriſtus id, per quod nos liberat, ſuum maximè reputat. 178.13.& 399.61

In finem dilexit eos. Eximius Chriſti amor vltra finem dilexit. 208.23

In finem dilexit eos. Ita vt beneficia eius ad finem, conſummationemque peruenirent, quod in humanis minimè fit. 45.16. & 252.48

In finem dilexit eos. In finem, hoc eſt, in Deum: *Ego ſum principium, & finis.* Et dilexit nos ad Deum in noſtram ſalutem deducendo. 122.96

In finem dilexit eos. Hoc eſt, in conſummata, quæ eſt in Chriſto, perfectione. 65.102

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. Cùm ſupremam ſuam maieſtatem, poteſtatemque cognoſceret, ſe tamen humiliat ad pedes diſcipulorum lauandos. 137.170. & 224.87

Quia omnia ei dedit Pater in manus. Ipſa humilitas Chriſti diuinitatem, poteſtatemque maximè oſtendebat. 290.84

Surgit à Cœna. Tam vile miniſterium, ex quo aliquis de eius excellentia dubitandi occaſionem poſſet habere, Dominus non recuſat, voluit namque quod homines de eius potentia potius, quàm de amore dubitarent. 309.12

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. Vt ea omnia dilectis ſuis daret, ſacram inſtituendo Euchariſtiam, in qua ſe ipſum præſtat. Amor enim operibus comprobatur. 146.37. & 202.2

Surgit à Cœna. Amor ſedere, & quieſcere neſcit. 1409

Cœpit lauare pedes diſcipulorum. Supremus Dominus vile non reſpuit miniſterium; amor enim maieſtatem neſcit. 350.61

Cœpit lauare pedes. Verè nobilis de ſua ingenuitate ſecurus nullā abiectionem, humilitatemque refugit. 39.157. & 276.16

Extergere linteo, quo erat præcinctus. Dum Dominus diſcipulorum pedes abſtergeret, pedum maculæ in ipſo linteo relinquebantur; quia quantum fieri potuit, infirmitates noſtras Dominus in ſe ſuſcipere voluit. 211.40

Domine, non lauabis mihi pedes in æternum. In virtutis via ſingularitas vitanda, & virtutum via communis ſequenda. 215.57.& 275.11. & 340.16.& 396.50. & 51

Dominica Reſurrectionis.

Mattth. 16.

MAria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome. Si per labores ingredimur, illis tranſactis, vita inuenitur. 68.116.& 51.42.& 235.14.& 15

Valde manè vna Sabbatorum. In rebus magni ponderis immorandum non eſt. 315.47. Quæ ſunt Dei obſequij velociter agenda. 142.22

Valdè manè. Non timent noctis tenebras, nec ea, quæ in itinere contingere poſſent; nam iuſtus proprio commodo Dei obſequium præfert. 332.22

Vt venientes vngerent Ieſum. Quamuis Ieſus eis abeſſet, earum tamen verus amor non eſt abſentia diminutus. 350.63

Vt venientes vngerent Ieſum. Affectus interior demonſtratur, comprobaturque operibus. 146.34.& 202.2

Viderunt iuuenem ſedentem. Angeli ad nos auxiliandos, ad noſtrumque obſequium maximè propenſi. 224.87.& 272.140.& 398.61

Viderunt reuolutum lapidem. Pium fœminarum obſequium Dominus in te accipere noluit: nam bene fieri poterat, vt à mulieribus vngeretur, & poſtea reſurgeret: ſed Chriſtus animum noſtrum potius, quàm munera vult. 424.93

Obſtupuerunt, qui dixit eis. Cùm cæleſtium donorum multum haberent, timent; multum enim timet, qui multum habet. 119.83.& 287.69

Iuuenem amictum ſtola candida, & obſtupuerunt. Cum videant cæleſtem Angelum, timent. Cæleſtia dona ſunt timenda. 89.55

Ieſum quæritis crucifixum, ſurrexit. Angeli, ſi mulieribus annuntiant glorioſam Chriſti reſurrectionem; cur cuſtodibus etiam eam non dicunt? Myſteria, atque magnalia inimicis non omnia aperienda. 424.91

Ieſum quæritis crucifixum. Dominus, cur non ſtatim mulieribus ſe glorioſum manifeſtat, ſed prius annuntiatur eius reſurrectio, & poſtea ipſemet apparet? Ad magna non ſubito, ſed paulatim aſſuefiat intellectus. 134. 154.& 211.38.& 370.52
Vide *Paulatim.*

Reſurrexit, ſicut dixit. Reſurrectio Chriſti maximè veneranda. 58.76

Feria II. à Dominica Reſurrectionis.

Luc. 2.

DVo ex diſcipulis eius ibant ipſa die. Antequam dies tertia finiatur, ab Hieruſalem recedunt; nam ſi expectaſſent, reſuſcitatum Dominum vidiſſent. Difficultatibus credendum non eſt, ſed in incepto opere perſiſtat homo. 56.68.& 129.134.& 263.102

Factum eſt, dum fabularentur. De magno Reſurrectionis myſterio fabulari dicuntur: noſtræ fidei myſteria, vtpote diuina, ab intellectu illuminato tantùm cognoſcuntur, debilis autem in fide, veluti fabulas, & abiectiones ea reputat. 265.107

Ieſus appropinquans ibat cum illis. Duo hi diſcipuli debiles in fide ibant; eis Chriſtus adeſt; in negotiis fidei occurrendum citiſſimè. 8.3. & 9.6

Appropinquans ibat cum illis. Chriſtus neceſſitatibus noſtris maximè accurrit, & adeſt. 143.23. & 163.58.& 341.18

Appropinquans ibat cum illis. Bonus Princeps ſuis adeſt, ab eiſque non ſeparatur. 46.22. & 23

Qui ſunt hi ſermones? Chriſtus optimè agnoſcebat, dubitare diſcipulos, interrogat tamen, vt videamus, quod aliquando interrogare magnæ prudentiæ ſit. 129.134

Et eſtis triſtes. Triſtitia in mundo gaudium in ſolo Deo. 133.151

Potens in opere, & ſermone. Prius potens in opere poſterius in ſermone; prius enim ſint opera, quàm verba. 375.75
Vide *Opera.*

Et eſtis triſtes. Cùm circa Chriſti reſurrectionem in fide, ac ſpe debiles eſſent, triſtes, anxiatique incedebant; nam animus à ſpe ſua vacuus maximè turbatur. 293.11

Nos autem ſperabamus. De præterito loquuntur, ſperabamus, quaſi de præſẽti ſpem abiecerint, cùm enim in fide debiles eſſent, meritum amiſere, & ſpem ſolùm benemeritus habere poteſt. 288.71

Nonne ita oportuit intrare in gloriam ſuam? Chriſti reſurrectio dicitur gloria eius; quia reſurrectio Chriſti cauſa noſtræ reſurrectionis; & Chriſtus illud gloriam ſuam reputat, per quod nobis benefacit. 124.104.& 105. & 249. 33

Et ita intrare in gloriam ſuam. Chriſtus Dominus in laboribus regnum, & gloriam ſuam fundauit. 125.107.& 89.116

Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis. Magiſter bonus à facilioribus incipit, ſeque vniuſcuiuſque accommodat ingenio. 54. 56

Mane nobiſcum, Domine. Peregrinum viderant, & dominum appellant, viderant namque quod doctrina eius ſibi valde vtilis erat: & hominum ingenium eſt eos honorare, à quibus aliquid ſperant. 463.104

Mane nobiſcum Domine. Ad prandium inuitant, & dominum vocant; qui enim aliquid in Dei obſequio præbet, plus accipit, quàm præſtat. 328.54
Vide *Obſequium.*

Dominica in Albis.

Ioan. 20.

ERant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum. In omni negotio humana cautela adhibenda eſt. 314.43

Venit Ieſus, & ſtetit. Deus ante petitionem noſtram piis deſideriis ſatisfacit. 386.3

Stetit in medio. Vt Reſpublica conſeruatur, diſſenſioneſque euitentur, rex in communicandis beneficiis ſuis ſit æqualis. 36.139.& 121. 93.& 176.5.& 360.8

Et dixit eis: Pax vobis. Diſcipulis congregatis pacem Dominus tribuit; quia regis magna laus, quod gubernatio eius ſit in pace. 237.102. Et pax omne bonum ſignificat. 228. 106

Oſtendit eis manus, & latus. Præclarum regiæ maieſtatis ſignum pati pro ſuis, daréque pro eis vitam; ac per id obligantur ſubditi, vt regem ſequantur. 19.58. & 221. 82. & 249. 33

Gauiſi ſunt diſcipuli. Magna lætitiæ ratio præſentia Chriſti prater ſpem; nam res inopinata magnum affert gaudium. 86.18

Gauiſi ſunt diſcipuli. In Deo ſolo vera gaudendi ratio. 115.66.& 151.58

Gauiſi ſunt diſcipuli. Poſt paſſionis dolores gaudium reſurrectionis: poſt tempeſtatem gaudium magnum. 151.60.& 61.& 219.75

Accipite Spiritum ſanctum. Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis dat abſoluendi poteſtatem: beneficium tamen abſolutionis extenditur ad omnes. 49.36

Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum. Contra nouas alicuius rei laudes magnæ contrarietates oriuntur. 291.86

Niſi videro in manibus eius. Homo alienas laudes valde difficile credit. 304.61. & 408.6. & 7

Infer digitum tuum huc. Chriſtus Dominus foramina in ſe oſtendit, vt per ea ingrediamur ad ipſum: at terreni reges, ne ſubditi ad ipſos accedant, omnem aditum claudunt. 865. 30

Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum. Vt Thomæ infidelitas ſanetur, non per alium, ſed per ſe ipſum Dominus viſitat eum. 28.104.& 46.22

In feſto Aſcenſionis.

Luc. 19.

EXprobrauit incredulitatem eorum. Vt diſcipuli diuinæ ſeueritatis timore ad omne bonum præparentur. 216.62

Exprobrauit incredulitatem eorum. Non ſupplicium, ſed tantùm eorum infidelitatem obiecit; nulla enim pœna maior, quàm in Chriſtum non credere. 28.108

Exprobrauit incredulitatem eorum, quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Aggrauatur culpa, dum teſtibus reſurrectionis non creditur, tum ob ipſorum teſtium probitatem: 188.17. Tum ob multitudinem eorum. 224. 87

Expro

Exprobrauit incredulitatem eorum. Iuxta multos Patres D. Thomæ incredulitas reprehenditur; attamen nomen eius tacetur: nam iuſti aliorum defectus occultant.
Vide *Defectus.*

Exprobrauit incredulitatem eorum. Et poſtea ad prædicandum Euangelium totius orbis principes conſtituit eos: vt manifeſtum fiat, quòd nulla eſt dignitas ſine macula. 60.85

Exprobrauit incredulitatem eorum. Et poſtea orbis prædicatores declarat; quia, vt verus Prælatus ſuos pungit, & laudat. 378.89

Euntes in mundum vniuerſum. Exiguam Dominus ad totum orbem debellandum extruxit aciem; nam Deus per parua, & contemptibilia confundit fortia. 215.58

In nomine meo Dæmonia eijcient. Poteſtas hic Apoſtolis data ad perſuadendum Euangelium beneficà, hominibus benigna, eiſque benefaciens; quia plus acquiritur benignitate, quàm rigore; fauore, quàm ſeueritate. 155.5.& 311. 28

In nomine meo Dæmonia eijcient. Miracula requiruntur, vt fides ad Gentes introducatur; quia fides infirma miracula exigit. 237.26

Serpentes tollens, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Non legimus, hoc miraculorum genus à Chriſto fuiſſe factum; diſcipulis tamen poteſtatem tribuit ad huiuſmodi miracula. Suos Deus maximè honorat, ita vt per ipſos alia, quàm per ſe multa alia miracula fiant. 291.87.& 305.63

Et Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in cælum. Dominus aſcendit in cælum, tum vt ibi regnet; tum enim vt ab hominibus veneretur; abſentia enim æſtimantur maximi. 373.66. & 44.12

Sedet à dexteris Dei. Explicat Euangeliſta Chriſti gloriæ locum, vt illius intuitu, ad beatitudinem promerendam maximè animetur homo, ſpes præmij nos maximè allicit. 410.24.& 528. 109.& 110

In die Pentecoſtes.

Ioan. 14.

SI quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Non ait Dominus: ſi quis voluerint, vel ſi quis habuerit poteſtatem: ſed ſi quis diligit me, quia ad operandum non ſufficit potentia, ſed requiritur amor. 27.99

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Cùm Dominus à diſcipuli ſuis diſceret, hæc dicebat: ſi quis diligit me: quia verus amor abſentia non minuitur, ſed augetur. 350. 63

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Solus enim te audit, qui te amat. 145.33.& 34

Et ad eum veniemus. Curioſè quæritur, cur nulla hic Spiritus ſancti mentio fiat? Reſpondetur quòd ipſe Spiritu in opere dilectionis intelligitur: *Si quis diligit me*, propria namque operatio perſonam, ac maieſtatem maximè indicat. 65.104. & 394.38

Et manſionem apud eum faciemus. Aduentus Domini in anima cum manſione eſt; nam Dei beneficia perpetua, & permanentia ſunt. 30. 116.& 51.45.& 219.74

Spiritus autem Paraclitus. Nonne ſufficiebat dicere: *Spiritus?* Ad quid additur *Paraclitus*, hoc eſt conſolator? Magnum principis elogium de ſuorum commodo, ac ſalute agere. 176.7.& 222.82.& 249.39

Spiritus autem Paraclitus. Id eſt, conſolator, & de illo dicitur Actorum 2. *Repleuit totam domum:* verus enim amor, & conſolator operibus demonſtratur. 146.34.& 202.2

Quem mittet Pater in nomine meo. Spiritus ſancti miſſio Patri, & Filio conuenit: cur ergo Chriſtus non ait: Quem ego mitam? Spiritus ſanctus in Chriſti laudem mittebatur, ideo Patri tribuitur miſſio eius, quia laus ab ore proprio non proferenda. 101.5

Et ſuggeret vobis omnia. Hoc eſt menti indet, vt ipſa omnia percipiatis; nam doctrina ita tradenda, vt ab auditoribus intelligatur. 258. 79

Pacem meam do vobis. Vt Spiritus ſancti gratia illuminati, in Chriſtóque per pacem vniti mirabiliter operentur.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Per Chriſti pacem intelligitur omne bonum. 228.106. Non dat ergo Chriſtus bona ſua, vt mundus; nam mundi bona bellum pariunt; Chriſti verò vnitatem, pacémque producunt. 152. 59

Quia Pater maior me eſt. Chriſtus Dominus cùm Æterno Parenti omnino ſit æqualis; ita tamen loquitur, vt nos doceat, quod Deus ſit maximè venerandus.

In feſto S. Trinitatis.

Matth. 28.

DAta eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Explicat Dominus omnem poteſtatem ſibi datam, non tamen commemorat, quod huiuſmodi poteſtas ob paſſionis ſuæ merita data ſit. Magnificus animus ſolùm recordatur eorum, quæ accipit, non verò eorum, quæ præſtat. 12.25. & 30.150.& 45.16. 17. & 18

Data eſt mihi omnis poteſtas. Poſt paſſionem data eſt poteſtas. 31.117. & 153.64.& 52.51.& 67. 111.& 228.76

Docete ergo omnes Gentes. Cùm Chriſtus Dominus dicat, ſe habere omnem poteſtatem, ſtatim ſubiecit: *Docete omnes Gentes.* Benefacere enim maximè oſtendit potentiam Dei, & maieſtatem. 124.104

Docete ergo omnes gentes. Bona conſequentia. Data eſt mihi omnis poteſtas: *Docete ergo omnes gentes.* Regis poteſtas ſit, vt ſuis benefaciat. 31. 118.& 176.7

Docete omnes gentes. Chriſtus Dominus, vbi primum Apoſtolos ſuos totius orbis principes creauit, ſtatim eis mandauit, vt totum peragrarentur orbem; Præſul enim omnia ſua viſitet. 28.104.& 146.22.& 23

Docete omnes gentes. Chriſti Doctrina publicum quærit, angulos fugit. 294.13

Docete omnes gentes. Vbi primum totius orbis principes à Deo ſunt creati, ſtatim eis iniungitur: *Docete omnes gentes.* Quia Prælatus creatur, non vt ſibi, ſed vt ſuis conſulat. 65.103.& 204.& 215.56

Bapti

Baptizantes eos. De Baptiſmo vide multa verbo *Baptiſmus.*

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Iubet Chriſtus docere, & baptizare omnes Gentes; & hoc in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis; quia tunc Trinitas maximè reſplendet, cùm omnibus communicatur. 395.47

In nomine Patris. In orbis creatione Trinitas tota eſt operata, ita etiam reſtauratio in eius nomine confertur; ad idem enim pertinet creare, & reſtaurare. 235.12. & 238.55

In nomine Patris. Imperat Dominus baptizari fideles in nomine Trinitatis, vt ex ipſa vnione, quæ datur inter diuinas perſonas, diſcant fideles in ſe ipſis mutuam habere. 15.43. & 86.66

Docentes eos ſeruare. Cur Dominus non per ſe ipſum docet, ſed vt doceant, Eccleſiaſticis imperat? Quia docendi elogio eos extollere voluit. 366.33.& 34.& 354.69 Vide *Prædicator.*

Ecce ego vobiſcum ſum. Quam proficua ſit omnibus Chriſti præſentia, vide *Præſentia.*

In feſto Corporis Chriſti.

Vide multa verbo *Euchariſtia.*

LOCA

LOCA SACRÆ SCRIPTVRÆ,

quæ hoc primo Tomo explanantur.

VETVS TESTAMENTVM.

Ex Geneſi.

Cap.1. n.1. IN principio creauit Deus cælum & terram. pag. 8. num. 5. &8. & 13.31. &17. 51.& 54

2 Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 43.7.& 189.20.& 400.70

3 Dixit Deus, fiat lux,& facta eſt lux. 76.20

11 Germinet terra lignum pomiferum, & vidit Deus quòd eſſet bonum. 37.145.& 213.52

20 Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. 400.70

21 Creauit Deus cete grandia,& omnem animam viuentem,atque motabilem, quam produxerant atquæ. 263.102

22 Creſcite,& multiplicamini. 116.71

26 Faciamus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtram. 275.11

30 Cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli,in quibus eſt auima viuens, vt habeant ad veſcendum. 26.98

2.2.In die, quo fecit Dominus cælum & terram 17.51

Requieuit Deus die ſeptimo, & ſanctificauit illum. 81.39

7 Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animan viuentem. 35.137. & 136. 163 & 171.35

9 Lignum vitæ in medio paradiſi, lignum ſcientiæ boni, & mali. 333.27

10 Fluuius egredie batur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum. 466.121

12 Circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum,& aurum terræ illius optimum. 269.125

17 De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas. 414.40

21 Immiſit Deus ſoporem in Adam, & tulit vnam de coſtis eius. 148.141

3.1. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus. 422.84.& 433.89

3 Ne comederemus, ne tangeremus. 237 25

5 Scit enim Deus, quia quocumque die comederetis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dei. 422.86.& 440.176

7 Cum cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. 24.86

8 Cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis. 223.84

9 Vocauit Dominus Deus Adam,& dixit ei. 280.38

12 Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi,& comedi. 234.9

14 Quia feciſti hoc, maledictus inter omnia animantia. 423.89

15 Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum,& ſemen illius. 66.106.& 74.12.& 18

16 Multiplicabo ærumnas tuas. 112.49

17 Maledicta terra in opere tuo. 225.91

19 In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertatis in terram, puluis, & in puluerem reuerteris. 215.58.& 297.70

4.1.Adam cognouit vxorem ſuam. 201.70

4 Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. 260.88.& 303.58.& 156.10

5 Conſurrexit aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. 442.187

23 De Lamech vero ſeptuagies ſepties. 54.57

5.1.Hic eſt liber generationis Adam. 42.5

25 Vocauit nomen eius Noë,dicens:Iſte conſolabitur nos. 205.12

6.5.Videns Deus quod multa malitia eſſet in terra. 205.12

8 Noë vir iuſtus, & perfectus in generationibus ſuis. 43.8.& 67.215

8.20.Ædificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus. 281.40.& 305.63. & 387.5

9.2. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. 305.63. & 387.5

26 Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. 480.29

27 Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem. 55.63

10.10.Fuit autem principium regni eius Babylon. 255.66

11.1. Egredere de terra tua, & veni in terram quam monſtrauero tibi. 264.103

31 Tulit Thare Abraham filium ſuum, & Lot filiam Aram filium filij ſui, & Sarai

vxorem

vxorem ſuam,& eduxit eos de Vr Chaldæorum. 55.63.& 444.196
5 Tulitque Sarai vxorem ſuam. 332.21
17 Flagellauit Dominus Pharaonem plagis magnis, & domum eius. 332.26
13.9. Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me, obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris. 351.68
15 Omnem terram,quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tno in ſempiternum. 293.1
16 Faciam ſemen tuum, ſicut puluerem terræ 47.27
14.17. Egreſſus rex Sodomorum in occurſum eius, at verò Melchiſedech rex Salem. 291.87
18 Erat ſacerdos Dei altiſſimi. 339.10
22 Non recipiam de omnibus, quæ tua ſunt 344.33
15.5. Suſpice cælum, & numera ſtella, ſi potes. 47.27
8 Domine Deus, vnde ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſim eam. 97.62
12 Cum Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham. 153.61
13 Dixit Deus Abrahamo, citò prænoſces quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua. 33.128.& 238.30
16.1. Sara non generat liberos. 86.19
3 Tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam, & dedit eam viro ſuo vxorem. 452.45
7 Cúmque inueniſſet eam Angelus Domini iuxta fontem. 119.83.& 272.139
16 Apparuit ei Angelus Domini. 301.49
17.1. Ambula coram me, & eſto perfectus 47.27.& 276.14.& 281.41
10 Circuncidit carnem præputij ſui. 233.2
14 Maſculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo. 281.41
18.1. Cucurrit in occurſum eorum, & adorauit pronus in terram. 140.12
2 Si inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum. 141.15
5 Requieſcite ſub arbore. 212.42
6 Accelera tria ſata ſimilæ, commiſce, & fac ſubcineritios panes, ipſe verò ad armentum cucurrit. 311.23
10 Quo audito riſit Sara: num verò paritura ſum anus? 97.63
16 Hi cum ſurrexiſſent inde, direxerunt oculos contra Sodomam. 356.91
20 Si fuerint centum,dimittet? 238.30
19.14. Surgite, & egredimini de loco iſto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. 412.25
27 Non ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſaluum te fac. 412.29
24 Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo. 261.80
20.2. Miſit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. 197.56
6 Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen. 253.52.& 285.59.& 308.5
7 Redde viro ſuo, & orabis pro te. 247.20
21.9. Cùm vidiſſet Sara filium Agat Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo. 62.91.& 452.4
10 Eiice ancillam, & filium eius. 309.9
14 Et tollens panem,& vtrem aquæ,impoſuit ſcapulæ eius, tradiditque puerum. 285.62
21 Accepit illi mater ſua vxorem de terra Ægypti. 486.69
22.2. tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac,& offeres eum in holocauſtum. 328.54.& 449.198
3 Igitur Abraham de nocte conſurgens. 272.139
11 Abraham, Abraham ne extendas manum ſuper puerum. 112.48
14 Qui dicitur Dominus videt. 271.136
16 Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem. 49.37.& 276.15
18 In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. 52.49
23.6. Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris ſepeli mortuum. 144.30.& 339.6
24.7. Ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde vxorem filio meo. 45.18
66 Seruus autem cuncta, quæ geſſerat, narrauit Iſaac. 148.43
25.25. Plantam fratris tenebat manu. 53.53
27 Vir ſimplex habitabat in tabernaculis. 58.78
26.4. Complens iuramentum, quod ſpopondi Abrahamo patri tuo, multiplicabo ſemen tuum. 49.37
27.13. Timeo quod Pater meus inducat ſuper me maledictionem pro benedictione hac. 280.34
28 Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ. 149.51
36 Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me en altera vice 175.4
41 Venient dies luctus patris mei,& occidam Iacob fratrem meum. 102.7
43 Ecce Eſau frater tuus minatur, vt occidat te,nunc ergo fili mi, audi vocem meam 421.78
28.13. Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum. 217.63.& 388.12
30.38. Poſuitque eas in canalibus,vbi effundebatur aqua.
31.23. Comprehenditque eum in monte Galaad. 245.13
24 Caue ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob. 193.36
31 Furata eſt idola patris ſui. 301.49
32 Quod autem furti me arguis,apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris. 248.28
33 Cum intraſſet tentorium Rachelis; illa feſtinans abſcondit idola. 86.20
36 Tumenſque Iacob, cum iurgio, ait, quam ob culpam meam exarſiſti poſt me? 195.46
49 Galaad,id eſt,tumulus teſtis. 3.10

32.2. Caſtra

32.2 Caſtra Dei ſunt hæc. 495.125
24 Ecce vir luctabatur cum eo. 115.69
26 Dimitte me, iam enim aſcendit Aurora. 237.23.& 348.54.& 344.33
27 Quod nomen eſt tibi? 233.6
28 Videns Deum. 175.4
29 Cur quæris nomen meum quòd eſt mirabile? 241.50
33.2. Poſuit vtramquam ancillam, & liberos earum in principio, Liam verò,& filios eius ſecundo loco. 309.9
20 Inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël. 288.75
34.23. Subſtantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident,noſtra erunt. 423.26
35.4. Dederuntque omnes Deos alienos, quos habebant,& inaures,quæ erant. 44.13
10 Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. 426.102
18 Benoni,id eſt,filius doloris. 3.10
37.4. Iſraël autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos. 46.20
4 Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis amaretur. 152.59
7 Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum. 250.34
9 Vidi, quaſi per ſomnium, Solem, & Lunam adorare me. 103.11.& 166.110
14 Vade, & viſita ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos. 228.106
21 Ruben verò nitebatur liberare eum de manibus eorum. 190.25
23 Confeſtim igitur, vt peruenit ad fratres ſuos,nudauerunt eum. 90.37
37 Deſcendam in infernum lugens filium meum. 326.45.& 344.34.& 354.81
39.9. Quomodo poſſum hoc malum facere. 128.131
12 Dormi mecum. 184.2
40.14. Memento mei, vt ſuggeras Pharaoni, vt deducat me de iſto carcere, quia furto ſublatus ſum de terra Hebræorum,& hic innocens in lacum miſſus ſum. 455.59
23 Oblitus eſt interpretis ſui. 153.64
41.16. Abſque me Deus proſpera reſpondebit Pharaoni. 228.106.& 259.82
35 Vt omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſerueturque in vrbibus. 104.14
45 Egreſſus itaque Ioſeph ad terram Ægypti circuiuit omnes regiones. 46.22
57 Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum vt emerent ſibi eſcas. 374.74
41.15. Per ſalutem Pharaonis, exploratores eſtis. 219.75
43.9. Ego ſuſcipio puerum de manu mea. 314.40
30 Commota ſunt viſcera Ioſeph ſuper fratres ſuos. 182.28
44.12. Inuenit ſcyphum in ſacco Beniamin. 219.75
45.5. Pro ſalute enim veſtra me miſit Deus ante vos. 62.91
28 Sufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit. 125.107
46.28. Miſit Iudam ante ſe ad Ioſeph, vt nunriaret ei, & occurreret in Geſſen. 104.17
47.11. Habitauerunt in terra Geſſen. 19.110
29 Sepelite in terra Chanaan. 79.30
48.4. Qui extendens manum dexteram ſuper caput Ephraim. 125.207
22 Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi. 50.40
49.3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris: prior in donis, maior in imperio. 390.98
5 Simon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia. 470.18
9 Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium,ad prædam fili mi, aſcendiſti. 83.5 & 143.23.& 244.2
10 Adorent eum fratres eius. 46.20
21 Nephtali ceruus immiſſus dans eloquia pulchritudinis. 14.37
14 Paſtor egreſſus eſt,lapis Iſraël, Deus patris tui benedicat tibi. 50.38
25 Omnipotens benedicat tibi benedictionibus vberum,& valuæ. 87.114
26 Fiant in capite Ioſeph, & in veritate Nazaræi inter fratres ſuos. 334.32
50.17. Vt hæc verbis illius tibi diceremus obſecro, vt obliuiſcaris ſcelerum fratrum tuorum. 251.45

Ex libro Exodi.

Cap.1. n.1. HÆc ſunt nomina filiorum Iſraël, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum. 42.5
2.18. Vir Ægyptius liberauit nos de manu paſtorum, inſuper hauſit aquam nobiſcum, at ille,vbi eſt? Inquit. 141.16
25 Reſpexit Dominus filios Iſraël,& liberauit eos. 156.10
3.5. Ne approbies huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis,locus, in quo ſtas,terra ſancta eſt. 19.27.& 160.107.& 271.136
7 Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eorum audiui. 18.54
10 Veni mittam te ad Pharaonem. 247.20
13 Ecce ego vadam ad filios Iſraël, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. 476.4
14 Ego ſum,qui ſum. 391.25
19 Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac,& Deus Iacob. 214.52
4.3. Quam tenebat in manu, quæ verſa eſt in colubrum. 216.60
18 Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum. 65.4
20 Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos. 309.9
22 Filius meus primogenitus Iſraël. 316.51
5.1 Hæc dicit Dominus: Dimitte populum, vt ſacrificet mihi. 38.150
4 Quare Moyſes,& Aaron ſolicitatis populum ab operibus ſuis. 43.144
7.1. Conſtituo te Deum Pharaonis. 13.33.& 695.12
8.6. Extendit manum ſuper aquas, & aſcendetunt vndæ. 40.158
19 Digitus Dei eſt hic. 160.24
10.17. Rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam. 248.28

12.3. Decima

12.3. Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas. 312.30
7 Et ſumant de ſanguine eius,& ponent ſuper vtrumque poſtem. 468.7
8 Et edent carnes nocte illa aſſas igni,&azymos panes cum lactucis aggreſtibus.239.42
11 Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus,& tenebitis baculos in manibus, & comedetis feſtinanter,eſt enim Phaſe,id eſt, tranſitus Domini. 3.20.293.8
30 Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſerui eius,cunctaque Ægyptus. 331.15
13.2. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Iſraël. 274.7
12 Separabis omne, quod aperit vuluam, & conſecrabis Domino. 279.31
21 Præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis. 253.53
14.15.Quid clamas ad me. 424.132
26 Ait Dominus ad Moyſem: Extende manum tuam ſuper mare, & reuertentur aquæ ad Ægyptios ſuper currus, & equites. 308.6
16.3. Dominus quaſi vir pugnator Omnipotens nomen eius. 241.52
15 Manhu, quod ſignificat quid eſt hoc 3.10
17.9. Elige tibi viros, & egreſſus pugna contra Amalech. 241.52
18.21.Prouide viros ſapientes de omni plebe. 491.91
19.14.Vt lauarent veſtimenta ſua. 187.12
16 Cœperunt audiri tonitrua, & miſceri fulgura. 271.138
20.9.Memento vt diem Sabbati ſanctifices, ſex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram. 18.54
12 Honora patrem tuum, & matrem tuam. 350.61
23.15.Non apparebis in conſpectu meo vacuus. 167.115
26 Non erit infœcunda,& ſterilis in terra tua. 85.13
24.13.Surrexerunt Moyſes, & Ioſue miniſter eius, aſcendenſque Moyſes in montem Dei. 29.110
26.44.Inter quod pones arcam teſtimonij. 284.57
28.96.Facies laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris Sanctum Domino. 239.42
39 Stringeſque tunicam byſſo, & tyaram byſſinam facies,& balteum opere plumarij. 210.37
29.38.Agnos anniculos duos per ſingulos dies. 468.7
30.12.Exigebatur dimidium ſicli in vſum ſanctuarij. 205.12
32.1. Fac nobis Deos, qui nos præcedant. 450.32
33.12.Noui te ex nomine. 195.47
34.19.Omne primogenitum, quod aperit vuluam. 279.32
24 Cum tulero gentes à facie tua,& dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ. 338.3
30 Videntes autem Aaron, & filij Iſraël cornutam faciem Moyſis. 287.68

Ex Leuitico.

Cap.5. n.1. QVod autem ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicauerit, portabit iniquitatem. 192.31
6.10.Veſtietur tunica ſacerdos, & feminalibus lineis. 210.37
7.22. Pectuſculum autem erit ſacerdotis, & filiorum Aaron.
10.9. Vinum,& omne quod inebriare poteſt,non bibetis. 93.50
11.45.Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. 179.19
12.2. Mulier,ſi ſuſcepto ſemine, conceperit,manebit in ſanguine purificationls ſuæ:donec impleantur dies purificationis ſuæ. 273.1.
6 Cum expleti fuerint dies purificationis ſuæ, ſiue pro filio, ſiue pro filia, defert agnum anniculum. 274.5
7 Et ſic mundabitur mulier à profluuio ſanguinis. 275.9
8 Quod ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum.281.43
13.45.Habeat os veſte contectum. 145.32
14.12.Tollet agnum, & offeret pro delicto. 274.5
15.30.Qui faciet vnum pro peccato. ibid.

Ex Numeris.

Cap.5. n.2. PRæcipe filiis Iſraël vt eiiciatur de caſtris omne leproſum. 245.32
19 Et ſi non es polluta,de certo mariti thoro, non te nocebunt aquæ iſtæ amariſſimæ. 189.21
6.5. Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius. 55.62
6 Vir, ſiue mulier cum fecerit votum.335.35
22 Loquere Aaron, & filij Iſraël ſic benedicetis. 286.66.& 296.25
11.5. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto. 447.11
16 Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël,&auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis. 684.172
29 Domine mi prohibe eos, at ille quid, inquit,æmularis pro me. 452.45
13.9. De tribu Ephraim Oſe filium Nun. 277.21
14.20.Dimiſi iuxta verbum tuum. 289.79
15.12.Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum. 50.38
32 Aperuit os ſuum, & viuos deuorauit eos. 436.156
16.47.Cum verò cucurriſſet Aaron ad mediam multitudinem,quam iam vaſtabat incendium. 395.44
8.15. Quidquid primum erumpit è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino.275.& 285.60

19.9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo. 151.54
20.1. Non honoraſtis me coram populo. 204.11
21.9. Fac ſerpentem, pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum viuet,fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum. 298.35
23.7. De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum. 245.11
24.17.Orietur ſtella ex Iacob. 152.47
25 Tandem ſurrexit Balaam,& reuerſus eſt in locum ſuum. 463.106
25.3. Tolle cunctos principes, & ſuſpende eos contra Solem. 204.11
36.12.Fecerunt filiæ Salphaad, vt fuerat imperatum, & nupſerunt. 71.133
15 Omnis filia hæreditatem obtinens de tribubus filiorum Iſraël vni de familia. ibid.132

Ex Deuteronomio.

Cap.4. n.7. DEus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. 270.132
6.10. Dominum Deum tuum adorabis. 441.179
8.3. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. 424.91
9.16. Vidiſſem vos peccare Domino Deo veſtro. 278.24
16.16.Ter per annum apparebit omne maſculum in conſpectu Domini Dei tui. 338.2
19.15.In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum. 2.6
21.4. Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ. 245.11
23.3. Suſcitaret ſemen fratris ſui. 58.77
25.5. Accipiat eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui. 70.128
27.15,Maledictus homo, qui fecit ſculptile, & conflatile, abominationem Domini. 44.13
29.23.Subuerſioni Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ. 261.90
33.9. Qui dixerit patri ſuo, & matri ſuæ, & fraribus ſuis: Ignoro vos, hi cuſtodierunt eloquium tuum. 342.24
17 Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius. 363.20
34.6. Non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. 184.3
8 Fleueruntque eum filij Iſraël. 291.53

Ex Ioſue.

Cap.1. n.14. MEmentote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini: Vos tranſite armati ante fratres veſtros. 410.14
2.9. Noui quod Dominus tradiderit vobis terram. 264.105
3.6. Et ſacerdotes portent arcam Domini.188.15
4.9. Alios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis. 383.112. & 116
15 In illo die magnificauit Dominus Ioſue coram omni Iſraël. 19.62
5.3. Fecit quod iuſſerat Dominus, & circumcidit filios Iſraël. 233.3
7.14. Accedetis manè ſinguli per Tribus veſtras, & quamcumque tribum ſors euenerit, accedet per cognationes ſuas. 206.14
10.12.Sol ne mouearis. 180.22
18.28.Iebus, quæ eſt Hieruſalem Gabaad, hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin. 377.87

Ex libro Iudicum.

Cap.3. n.2. VT poſtea diſcerent filij eorum certare eum hoſtibus; & habere conſuetudinem præliandi. 408.3
15 Vtraque manu pro dextera vtebatur. 355.86
31 Ipſe quoque defendit Iſraël. 79.31
4.1. Addiderunt filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini. 278.14
24 Surge,hæc eſt enim dies,in qua tradit Dominus Siſaram in manus tuas,en ipſe ductor eſt tuus. 409.11
21 Tunc Iahel vxor Haber poſuit ſuper tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum. 431.131
6.14. In fortitudine tua liberabis Iſraël de manu Madian. 226.101
17. Si inueni gratiam coram te, da mihi ſignum. 97.62
27 Ponam hoc vellus lanæ in area, ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas,ſciam quod per manum meam liberabis Iſraël. 210.36. & 79. & 237.26
9.6. Abierunt, & conſtituerunt regem Abimelech. 52.50
13.3. Sterilis es,& abſque liberis. 86.19
14 Vinum, & ſiceram non bibet. 93.50
15.15. Inuentam maxillam, id eſt mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros. 416.55
16.10.Ecce illuſiſti mihi, & falſum dixiſti. 319.7
17 Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, ſi raſum fuerit caput, recedet à me fortitudo. 55.62
21 Clauſum in carcere molere fecerunt. 423.90
19.13.Manebimus in ea,aut certè in vrbe Ramæ. 324.36
21.1. Iurauerunt quoque filij Iſraël in Maſpha, & dixerunt. 71.107

Ex Ruth.

Cap.1. n.17. POpulus tuus,populus meus,Deus tuus Deus meus. 58.77
3.9. Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. 132.148
4.5. Vt ſuſcites ſemen popinqui tui in hæreditate ſua. 70.129.& 71.106
7 Vt eſſet firma conceſſio, ſoluebat homo calceamentum ſuum. 465.114

Ex 1. Regum.

Cap.2. n.8. SVſcitat de puluere egenum. 161.29
32 Videbis æmulum tuum in templo. 255.63
4.7. Arripite duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, & recludite vitulos earum domi. 265.106
8 Venit Deus in caſtra, & ingemuerunt dicentes, quis liberabit nos de manu Deorum ſublimium. 262.94
6.6. Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor ſuum. 319.7
8.5. Filij tui non ambulant in viis tuis, conſtitue nobis regem. 448.19
11 Hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis. 443.191
21 Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini. 62.91
9.7. Ecce inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti. 439.108
9 Vbi eſt domus videntis: 479.25
20 De aſinis, quas nudiuſtertius perdidiſti, ne ſolicitus ſis. 167.116
21 Nunquid filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſraël? Et cognatio mea nouiſſima inter omnes. 143.23
25 Leuauítque cocus armum, & poſuit antè Saul. 449.23
10.2. Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in principem, cum abieris hodie à me inuenies duos viros. 223.86
23 Altior fuit omni populo ab humero, & ſurſum. 419.69
11.6. Inſiluit in eum ſpiritus Domini, & iratus eſt furor eius nimis. 143.23
13.9. Quia vidi, quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras. 321.16
14 Quæſiuit Dominus ſibi virum ſecundùm cor ſuum. 49.41
14.24. Maledictus vir, qui comederit panem donec vlciſcar me de inimicis meis. 190.23
15.1. Me miſit Dominus, vt vngerem te in regem. 191.5
13 Vade, percute Amalech, & demolire vniuerſa eius, non parcas ei. 255.66
30 Peccaui: ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei. 255.62
52 Abiecit te Deus, ne ſis rex. 48.32
16.3 Vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facies, & vnges quemcnmque monſtrauero tibi. 473.32
13 Directus eſt Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: ſpiritus autem Domini receſſit à Saul. 462.95
17.28. Quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto. 164.4
32 Non concidat cor cuiuſquam in eo: Ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo. 59.80. & 65.104
23 Non vales reſiſtere Philiſthæo: hic vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua. 406.95
18.10. Dauid autem pſallebat manu ſua tenebatque Saul lanceam, & miſit eam, putans quod configere poſſet Dauid. 432.133
27 Vt daret ei filiam ſuam Michol. 71.107
20.43. Dominus ſit inter me, & te, inter ſemen meum, & ſemen tuum vſque in ſempiternum. 218.69
21.13. Ita vt ſalinæ eius defluerent in barbam. 282.45
23.26. Irruperunt tres viri fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna. 363.18
24.5. Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum. 235.12
17 Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me. 441.178
25.2. Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. 202.2
3 Vir durus, & peſſimus, & malitioſus, erat enim de genere Caleb. 327.49
6 Sit fratribus meis, & tibi pax. 228.106
28.11. Suſcita mihi Samuelem. 104.17
13 Deos vidi de terra aſcendentes, vir ſenex aſcendit. 447.12
29.9. Ita vt Angelus Dei videretur. 282.45
31.2. Irruerúntque Philiſthiim in Saul, & in filios eius, & percuſſerunt Ionatham. 428.110

Ex 2. Regum.

Cap.1. n.9. STa ſuper me, & interficere me, quia tenent me auguſtiæ. 430.120
21 Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos. 180.22
2.26. Num vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? Vſquequo non dicis populo, vt omittat perſequi fratres ſuos. 450.28
3.14. Redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſthinorum. 326.44. & 49.36
5.24. Dùm audieris ſonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium. 409.11
9.1 Putaſne eſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam. 60
11.7. Quæſiuit Dauid, quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo adminiſtraretur bellum. 227.103
12.12. Tu feciſti abſconditè; ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël. 60.85
13 Peccaui Domino, dixitque Nathan ad Dauid, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. 289.79
16.4. Tua ſint omnia qnæ fuerunt Miphiboſeth. 447.15
19.22. An ignoro me hodie factum regem. 30.116
28 Tu autem poſuiſti me ſeruum tuum inter conuiuas menſæ tuæ: quid ergo habeo iuſtæ querelæ? 447.15
22.3. Scutum meum, & cornu ſalutis. 176.7
24.3. Sed quid ſibi Dominus meus rex vult in re huiuſcemodi? 205.12
10 Percuſſit autem cor Dauid eum poſtquam numerauit populum. ibid.

Ex 3. Regum.

Cap. 1. n.38. DEſcendit ergo Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banaias, & impoſuerunt Salomonem. 52.50
2.7. Filiis Berzellai Galaadites reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua. 363.18
28 Dixit regi Semei: Bonus ſermo, ſicut locutus eſt Dominus meus, ſic fiet. 202.2
3.9. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit. 437.157
26 Commota ſunt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo. 182.28
6.21. Veſtiuit auro puriſſimo, nihilque erat in templo, quod auro non veſtiretur. 212.46
8.39. Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum. 167.15
10.7. Dixitque ad regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis. 246.17
8 Beati ſerui tui, & Beati viri tui qui ſtant coram te ſemper. 42.5
12.11. Pater meus cecîdit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. 204.11. & 363.21
20 Cùm audiſſet omnis Iſraël, quod reuerſus eſt Ieroboam, miſerunt, & vocauerunt eum, & conſtituerunt eum regem ſuper omnem Iſraël. ibid.
13.33. Quicunque implebat manum & fiebat ſacerdos. 365.29
14.12. Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam, in ipſo introitu pedum tuorum morietur puer. 442.184
17.1. Dixit Elias Theſbites de habitatoribus Galaad, viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto. 22.77. & 181.23
18.10. Non eſt gens, aut regnum quò non miſerit Dominus meus te requirens. 374.74
13 Cùm interficeret Iezabel prophetas Domini quos abſconderim ego. 322.23
44 Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. 64.99. & 73.5. & 77.24
29.7. Surge, comede, grandis tibi teſtat via. 249.32
14 Derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam. 331.16
19 Vnges Azael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi regem ſuper Iſraël, Eliſæum autem filium Saphat. 438.163

Ex 4. Regum.

Cap.1. n.7. VIr piloſus, accinctus renibus zona pellicea. 376.81
10 Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. 280.38
2.8. Percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum. 371.57. & 395.43
11 Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & tulit Dominus Eliam in cælum. 388.11. & 466.120
14 Et dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? 227.101
4.34. Incubuit ſuper puerum, & poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius. 136. 163. & 212.45
5.10. Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tuo. 456.63
15 Obſecro vt accipias à ſeruo tuo hanc benedictionem. 442.184
6.32. Nunquid ſcitis, quod miſerit filius homicidæ hîc, vt præcidetur caput meum. 334.29
9.7. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Vnxi te in regem ſuper populum meum. 135.158
19.34. Saluabo eam propter Dauid ſeruum meum. 90.38
20.1. Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues: qui conuertit faciem ſuam ad parietem. 123.97
17 Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui. 411.19
25.21. Et tranſlatus eſt *Scida de* terra ſua. 312.33

Ex 1. Paralipom.

Cap.9. n.1. VNniuerſus ergo Iſraël denumeratus eſt, & ſumma eorum ſcripta. 63.95
21.8. Peccaui nimis, vt hoc facerem, obſecro aufer iniquitatem ſerui tui. 205.12
28.19. Manu Domini venerunt ſcripta ad me. 188.15
29.17. Populum tuum, qui repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 381.103

Ex 2. paralipom.

Cap.7. n.3. OMnes filij Iſraël videbant deſcendentem ignem, & gloriam domui ſuper domum. 271.138
9.10. Attulit aurum, & aromata multa. 268.120
26.17. Non eſt tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron. 449.22

Ex 1. Eſdræ.

Cap.3. n.2. ET ſurrexit Ioſue filius Ioſedec. 240.44
7.2. Ipſe quaſi vir verax, & amans Deum. 39.154

E Tobia.

Cap. 1. n.22. ET tulit omnem ſubſtantiam eius, Tobias verò nudus latuit. 455.61
2.25. Nam ſicut B. Iob inſultabant reges, iſti parentes, &cognati eius. 246.14
5.5. Tunc egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum. 313.36
16 Rogo te,indica mihi,de qua domo, aut de qua tribu es tu. 195.46
7.5. Vnde eſtis iuuenes? Noſtis Tobiam fratrem meum? cui Angelus dixit, Tobias, de quo interrogas,pater eſt iſtius. 391.25
11.8. Statimque lini ſuper oculos eius ex felle piſcis, quod portas tecum. 9.8.& 195.46

Ex Iudith.

Cap.2. n.1. FActum eſt verbum in domo Nabuchodonoſoris regis Aſſyriorum, vocauitque omnes maiores natu, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui; dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio. 454.56
5.26. Factum eſt cùm ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes. 412.26
8.1. Cum audiſſet Iudith filia Merari, filij Idox. 71.107
2 Vir eius dicebatur Manaſſes. 303.56
6 Ieiunans omnibus diebus vitæ ſuæ. 414.40
10.3. Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ. 303.56
11.18. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holopherne, & coram pueris eius. 412.26
13.23. Benedicta es tu, filia, à Domino Deo excelſo. 116.61
14.15. Egreſſi mures de cauernis ſuis auſi ſunt prouocare nos. 373.71
15.1. Fugæ præſidium ſumunt. ibid.

Ex Eſther.

Cap. 1. n 19. SI placet, egrediatur decretum à facie regis. 202.1
2.21. Voluerunt inſurgere in regem, & occidere eum, quod Mardochæum non latuit. 249.30
3.5. Cùm experimento probaſſet, quod Mardochæus non ſibi flecteret genu. 318.3
4.2. Oſtendens amaritudinem animi ſui, & hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens. 285.59
11 Si quis non vocatus,eius atrium intrauerit, ſine vlla cunctatione ſtatim interficiatur. 145.33
14 Et quis nouit vtrum idcirco ad regem veneris, vt tali tempore parareris. 419.72
5.2. Et ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra baſilicam regis. 190.25
6.3. Quid, pro hac fide, honoris, ac præmij. Mardochæus conſecutus eſt? 235.12
13 Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti non poteris ei reſiſtere. 431.130
7.3. Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro. 489.86
7 Etiam reginam vult opprimere, me præſente. 448.20
13.1. Rex maximus Artaxerxes. 47.25
6 Quem patris loco colimus. 448.20

Ex Iob.

Cap.1. n. 1. VIr erat in terra Hus nomine Iob. 286.66
4 Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnuſquiſque in die ſuo. 152.59. & 318.3
7 Circuiui terram,& perambulaui eam. 427.108
11 Tange cuncta, quæ poſſidet, & videbis, quod in faciem benedicat tibi. 420.76
2.8. Et ipſe ſedebat in ſterquilinio. 455.61
3.1. Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis 183.33
3 Et nox, in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo. 73.8
4.12. Ad me dictum eſt verbum abſconditum. 12.28
6.25. Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis. 460.85
7.3. Habuit menſes vacuos. 163.2
12.12. In antiquis eſt ſapientia. 303.54
15.21. Sonitus terroris ſemper in auribus illius. 254.61
19.22. Quare peſequimini me ſicut Deus? 426.101
20.6. Quæ eſt enim vita veſtra, vapor eſt ad modicum parens. 436.153
29.14. Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me veſtimento, & diademate, ac iudicio. 246.15
37.7. Super omnes cælos ipſe conſiderat. 398.61
20 Quis narrabit ei, quæ loquor, etiam ſi locutus fuerit homo deuorabitur. 481.37
38.7. Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. 226.97
39.16. Induratur ad filios quaſi non ſui. 423.87
27 Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila. 482.42
40.21. Nunquid pones circulum in auribus eius? 54.58
41.25. Omne ſublime videt. 318.3
42.7. Dixit Dominus Eliphaz: Non eſtis locuti rectum coram me,ſicut ſeruus meus Iob. 238.31

Ex Pſalmis.

Pſalm.2. n. 4. QVi habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. 155.8
7 Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius prædicans præceptum eius. 75.13.& 354.79
4.9. Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui. 288.75
5.13. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eum. 229.109
6.20. Exurge Domine, ne confortetur homo 141.17
8.4. Videbo cælos, opera digitorum tuorum. 160.24
8 Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. 187.14
9.10. Adiutor in opportunitatibus,in tribulatione. 192.32
22 Vt quid,Domine,receſſiſti longè? Deſpicis in opportunitatibus. 330.63
48 Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. 289.78
10.5. Dominus in cælo ſedes eius. 398.62
12.1. Vſquequo, Domine, obliuiſceris me in finem, 361.11
8 Dolorem in corde meo per diem. 351.69
16.15. Satiabor cum apparuerit gloria tua. 404.88.& 220.77
17.5. Circnndederunt me dolores mortis. 351.59
7 Scutum meum, & cornu ſalutis meæ. 176.7
11 Inclinauit cælos, & deſcendit, & aſcendit ſuper Cherubim. 163.38
12 Poſuit tenebras latibulum ſuum. 9.12
36 Et diſciplina tua correxit me. 472.24
48 Qui ſubdis populos ſub me. 14.36
18.6. In Sole poſuit tabernaculum ſuum. 283.54
20.4. Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. 387.4
21.7. Ego ſum vermis, & non homo. 157.14 & 337.45
25 Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. 182.29
22.1. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. 480.27
23.7. Tollite portas, principes veſtras. 397.57
8 Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis,& potens,Dominus potens in prælio. 228.107. & 240.48
26.1. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea 178.11
4 Vnam petij à Domino,hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. 437.147
11 Legem pone mihi Domine in via tua. 482.42
28.1. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. 247.18
31.6. Verbo Domini cæli creati ſunt. 12.25
34.2. Dic animæ meæ,ſalus tua ego ſum. 178.11
9 Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari eius. 155.8
35.10. Apud te eſt fons vitæ, & inlumine tuo videbimus lumen. 12.29
39.3. Statuit ſuper petram pedes meos,& direxit greſſus meos. 183.33
11 Deus,Deus meus,volui, & legem tuam in medio cordis mei. 281.39
40.13. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo. 21.69
41.6. Quare triſtis es anima mea? 170.28
10 Quare oblitus es mei? Quare contriſtatus incedo? Dum affligit me inimicus. 349.60
43.4. Sed dextera tua,& brachium tuum, & illuminatio vultus tui,quoniam complacuiſti in eis. 187.27
5 Tu es ipſe rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob. 103.12
12 Dediſti nos tanquam oues eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos. 322.21.& 385.123
44.2. Linguamea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. 169.26
4 Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus. 39.155
5 Specie tua intende proſpere, procede, & regna. 230.7
6 Propter manſuetudinem, & iuſtitiam deducet te. 468.6
11 Audi,filia, & vide,inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. 72.2
14 Omnis gloria eius ab intus in fimbriis aureis. 66.107
45.6. Deus in medio eius non commouebitur. 36.140
8 Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob. 149.51
47.8. In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. 273.146
49.5. Cóngregare illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia. 365.31
7 Audi popule meus, & loquar Iſraël, & teſtificabor tibi Deus, Deus tuus ego ſum. 478.15
9 Non accipiam de domo tua vitulos. 260.88
52.6. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. 17.53
54.8. Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine,expectabam eum quiſaluum me fecit. 413.33
55.5. Non timebo quid faciat mihi homo. 34.133
61.12. Semel locutus eſt Deus. ibid.131
64.3. Ad te omnis caro veniet. ibid.133
66.7. Terra dedit fructum ſuum. 65.102
67.4. Exultent iuſti in conſpectu Dei. 171.23
17 In Eccleſiis benedicite Deo de fontibus Iſraël. 125.106.& 87.24
68.30. Ego ſum pauper, & dolens, Deus adiuua me. 337.45

69.8. Adorate eum, omnes Angeli eius. 223.86
70.12. Deus ne elongeris à me. 33.125
28 Donec annuntiem brachium Domini generationi omni. 160.24
71.6. Deſcendet ſicut pluuia in vellus, 132.149. & 45.17
10 Reges Tharſis,& inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent. 245.8
11 Adorabunt eum omnes reges terræ,omnes gentes ſeruient ei. 374.74
72.9. Poſuerunt os ſuum in cælum, & lingua eorum tranſiuit in terram. 379.93
74.1.Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. 253.56
76.21.Deduxiſti, ſicut oues, populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. 50.38
77.7. Poſt fœtantes accepit eum paſcere Iacob ſeruum ſuum. 140.8
26 Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuenculorum tympaniſtriarum. 363.22
33 Defecerunt in vanitate dies eorum. 436.153
79.3. Excita potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos. 38 152
9 Vineam ex Ægypto tranſtuliſtis. 331.17
81.6. Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes 13.33
83.2.Concupiſcit, & deficit anima mea in atriis domus Domini. 480.28
2 Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. 68.118
12 Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus. 75.14
84.8. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. 158.19
12 Veritas de terra orta eſt,& iuſtitia de cælo proſpexit. 182.17.
85.16.Reſpice in me, & miſerere mei. 156.10
86.2. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. 75.15
87.16.Exaltatus ſum, humiliatus ſum,& conturbatus, 255.62
88.30.Et thronum eius ſicut dies cæli. 77.21
31 Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint. 451.35
36 Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit. 49.37. & 45
38 Et thronus eius, ſicut Sol in conſpectu meo:& ſicut Luna perfecta in æternum. 283.53
49 Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem. 289.76
90.4. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. 38.152.& 132.148
5 Scuto circundabit te veritas eius. 425.98
92.1. Dominus regnauit, decorem indutus eſt. 67.113
93.19. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo,conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. 244.4
94.8. Nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundùm diem tentationis.442.29
97.3. Recordatus miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël. 162.35
98.9.Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius. 256.69
101.26. Opera manuum tuarum ſunt cæli. 160.24.& 77.46
102.5. Qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. 298.34
19 Dominus in cælo parauit ſedem ſuam.398.62
104.6. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, 9.12
18 Ferrum petranſit animam eius. 301.47
105.20.Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. 420.75
106.5. Eſurientes, & ſitientes: animæ eorum in ipſis defecit. 161.30
23 Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. 227.103
35 Poſuit deſertum in ſtagna aquarum. 486.67
41 Adiuuit pauperem de inopia,& poſuit ſicut oues, familias, videbunt recti, & lætabuntur. 287.69
107.10. In Idumæam extendam calceamentum meum. 465.116
109.1.Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. 58.78.& 126.114.& 184.3
110.10.Initium ſapientiæ timor Domini. 371.59
111.8.Paratum cor eius ſperare in Domino,confirmatum eſt cor eius. 201.70
7 Cornu eius exaltabitur in gloria. 351.69
113.1. Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.
16 Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. 355.77
117.15.Vox exultationis,& ſalutis in tabernaculis iuſtorum. 170.28
26 Benedictus,qui venit in nomine Domini, Deus Dominus illuxit nobis. 217.66
118.11.In corde meo abſcondi eloquia tua vt non peccem tibi. 220.78
65 Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo, Domine, ſecundùm verbum tuum, bonitatem,& diſciplinam tuam doce me. 45.17
105 Lucerna pedibus meis verbum tuum,Domine. 20.63
112 Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas. 95.55
121 Feci iudicium & iuſtitiam,non tradas me calumniantibus me. 53.54
145 Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. 457.69
165 Pax multa diligentibus nomen tuum, Domine, & non eſt illis ſcandalum.227.104
122.2. Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. 201.70

Loca S Scripturæ.

124.2. Montes in circuitu eius. 139.1
5 Cum operantibus iniquitatem pax ſuper Iſraël. 228.6
131.6. Ecce audiuimus eam in Ephrata. 257.74
11 Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eũ, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. 49.37. & 52.49. & 122.94.& 184.3.& 179.17.
17 Illuc producam cornu Dauid. 176.7
137.2 Magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum. 133.150
138.11.Et nox illuminatio mea in delitiis meis. 215.56
12 Tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur.
15 Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in abſcondito. 81.43
139.8.Obumbraſti ſuper caput meum in die belli. 132.148
142.2.Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 189.18
143.10.Qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno. 79.31
145.2.Lauda anima mea,Dominum. 154.3
149.4.Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo. 104.83
6 Exaltationes Dei in gutture eorum. 460.82.

Ex Prouerbijs.

Cap.2. n.1. AVdiat ſapientiam auris tua. 357.97
3.16. In ſiniſtra eius diuitiæ,& gloria. 140.8
33 Abominatio Domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius. 215.67.
4.25. Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. 192.32
8.22. Dominus poſſedit me in initio viarum. 8.2
23 Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.75.14. & 76.16.& 8.2.
31 Os iuſti parturiet ſapientiam. 45.15
35 Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. 81.43
13.19.Deteſtantur ſtulti eos, qui fugiunt mala. 255.65
15.12.Diſſipantur cogitationes vbi non eſt conſilium, vbi verò ſunt plures conſiliarij confirmabitur. 356.70
23 Lætatur homo in conceptu oris ſui. 11.19.
18.19.Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. 134.153
27.18.Qui ſeruat ficum, comedet fructum ex ea. 491.96
23 Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. 215.56
28.21.Qui cognoſcit in indicio faciem, non benefacit iſte, & pro buccella panis deſerit veritatem. 46.20

Ex Eccleſiaſte.

Cap.7. n.6. MElius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi. 353.76
3 Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. 132.148
10.20.In cogitatione tua ne regi detrahas, aues cæli deferent vocem tuam. 249.30

Ex Canticis Canticorum.

Cap.1. n.2. IDeo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. 252.51.
3 Introduxit me rex in cellaria ſua:exultabimus,& lætabimur in te. 340.12
5 Filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui. 72.3.& 236.20.
6 Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas,vbi cubes in meridie. 341.19
8 Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. 283.53
11 Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. 77.23
13 Botrus Cypri dilectus meus mihi. 45.15.
2. 1. Ego flos campi, & lilium conuallium.212.43.& 277.19
2 Sicut lilium inter ſpinas,ſic amica mea inter filias. ibid.
7 Adiuro vos filiæ Hieruſalem, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadvſque ipſa velit. 64.101. & 78.28.& 367.38.
10 En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea. 74.10. & 141.17.
12 Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit; vox turturis audita eſt in terra noſtra. 170.29. & 401.75. & 106.26.
16. Dilectus meus mihi, & ego illi. 191.55.& 201.70
3.4. Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. 230.5
6 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus. 64 98. & 272.142.& 80.38
11 Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua. 35.138
4.3. Sicut vitta coccinea labia tua:& eloquium tuum dulce. 210.35
4 Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. 15.13
5 Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis. 149.48
8 Veni de Libano ſponſa mea,veni,coronaberis de capite Amana. 73.6,7,8,9
11 Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. 315.48
13 Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. 80.36 & 269.126
14 Myrrha, & aloë cum omnibus primis vnguentis.
15 Fons hortorum: puteus aquarum viuentium. 197.55
16 Surge, Aquilo, & veni Auſter,perfla horrum meum. 299.39

5.1. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortum meum, ſoror mea, ſponſa, meſſui myrrham cum aromatibus, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. 109.38.& 142.19.& 220.78.& 236.20
2 Aperi mihi ſoror mea, amica mea. 276.13
3 Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? 129.134. & 379.96
8 Si inueneritis dilectum, dicite ei, quia amore langueo. 64.101
11 Caput eius aurum optimum, comæ eius ſicut elatæ palmarum. 212.43
6.3. Pulchra es, amica mea, ſuauis, & decora ſicut Hieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 224.87.& 339.6
7 Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ. 468.8
8 Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ. 78.28.& 400.72
9 Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra, vt Luna. 81.42
12 Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te. 10.14
7.1. Quam pulchri greſſus tui in calceamentis, filia principis; iuncturæ femorum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata eſt manus artificis. 78.26.& 284.57
5 Comæ capitis eius, ſicut purpura regis iuncta canalibus. 244.5
6 Quam pulchra es, & quam decora, chariſſimæ, in delitiis. 78.28
8.5. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delitiis affluens. 80.38
6 Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: lampades ignis, atque flammarum. 140.9.& 382.111
8 Soror noſtra parua, & vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt. 170.29.& 333.25
12 Vinea mea coram me eſt. 459.79
13 Quæ habitat in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. 145.33
14 Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnulóque ceruorum. 105.11

Ex Sapientia.

Cap.1. n.1. SEntite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. 229.4
2.5. Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri. 303.54 163.1
4.13. Conſummatus in breui expleuit tempora multa 163.1
8.16. Intrans in domum tuam conquieſcam cum illa. 348.53
9 Mitte illam de cælis à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret. 311.23
16.20. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti ei. 447.11
17.10. Semper præſumit ſæua perturbata conſcientia. 254.62
18.15. Omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus. 11.21.& 33.128

Ex Eccleſiaſtico.

Cap.1. n.9. IPſe creauit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt. 80.33.& 78.26
6.36. Si videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. 347.50
9.22. Cum ſapientibus, & prudentibus tracta. 230.5
10.2. Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis rector eſt ciuitatis, tales & habitantes in ea. 320.12.& 442.284
11 Omnis potentatus, breuis vita. 244.1.
11.8. Priuſquam audias ac reſpondeas verbum: & in medio ſermonum ne adiicas loqui. 115.55
30 Ante mortem non laudes quemquam hominem. 114.63
18.6. Cum conſummauerit homo, tunc incipiet: & cum quieuerit, aporiabitur. 233.1
20.31. Xenia, & dona excæcant oculos iudicum, & quaſi mutus in ore. 442.184
21.17. Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. 232.13
24.4. In multitudinem electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur. 213.47
5 Ego ex ore Altiſſimi ptodiui, primogenita ante omnem creaturam. 76.19. & 80.36
8 Gyrum cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui. 81.39
15 In Hieruſalem poteſtas mea. 468.8
18 Quaſi plantatio Roſæ in Hiericho. 309.10
21 Quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam. 210.63
25 In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ. 113.54
39.1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens. 14.38
41.28. Cum dederis, ne improperes. 34.130
50.30. Qui ponit illa in corde ſuo, ſapiens erit ſemper. 232.13

Ex Iſaia.

Cap.1. n.1. IN diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda. 224.1
8 Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili. 361.11
26 Et poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis. 427.104
2.3. Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. 248.25.& 445.1
4.2. In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria. 182.29
5 Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. 181.25
6.2. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.

eius. 237.23.& 47.23
3 Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. 124.5.& 133.150.& 147.39. & 224.87
5 Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. 371.59
7 Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi hæc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. 368.44. & 390.22
8 Audiui vocem Domini dicentis, quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. 237.27.& 247.20.& 367.38.& 392.30. & 368.44
7.9. Si non credideritis, non permanebitis. 233.17
14 Dominus ipſe dadit vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. 76.18.& 238.33. & 258.78. & 299.37
8.1. Dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. 42.5
2 Et adhibui mihi teſtes fideles Vriam ſacerdotem, Zachariam filium Barachiæ. 460.88
3 Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere: feſtina prædati. 139.5 & 239.36.& 456.66
4 Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ. 116 72.& 315.49
9.2. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. 217.66
6 Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, &c. 241.49 & 337.44
7 Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud. 51.45
11.1. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. 64.101.& 72.4
12 Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iuda colliget. 221.81
13.3. Et ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos. 452.41
14.13. Dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti. 140 9. & 318.3. & 428.110.& 436.155. &440.175
16.1. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. 58.76. & 469.10
4 Finitus eſt puluis, conſummatus eſt miſer: defecit qui conculcabat terram. 328.1
19.1. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulachra Ægypti. 307.4. & 311.24.& 317.53
21.11. Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte? 38.152
26.8. Nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ meæ. 367.39
9 Anima mea deſiderauit te in nocte. 215 56
17 Sic facti ſumus, à facie tua, Domine, concepimus, & quaſi parturiuimus. 122.94. & 348.53
28.21. Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo. 160.28
30.26. Et erit lux Lunæ, ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum. 283.53
27 Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius. 158.18
33.16. Iſte in excelſis habitabit, monumenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt 339.10
35.1. Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. 373.64
2 Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data eſt ei. 209.28
38.17. Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. 21.69
39 8. Bonum verbum Domini, quod locutus eſt. Et dixit: Fiat tantum pax, & veritas in diebus meis. 289.79
40.1. Conſolamini, conſolamini popule meus. dicit Deus veſter. 372.60
3 Vox clamantis in deſerto parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. 456.66
5 Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei. 34.133
6 Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. 374.72 & 32.121
10 Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo. 160.24
15 Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce inſulæ quaſi puluis exiguus 436.152
17 Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. 52.51.& 92.48
41.4. Ego Dominus primus, & nouiſſimus, ego ſum. 8.2
42.19. Quis cæcus, niſi ſeruus meus? Et ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi. 372.60
45.8. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. 132.149
15 Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator. 213.50
46.3. Audite me, domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, pui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua. 182.29
52.7. Quàm puchri ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum. 460.88
11 Pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini. 187.12
53.2. Et aſcendet, ſicut virgultum, coram eo, &

& ſicut radix de terra ſitienti. 330.10
3 Vidimus eum,& non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum,virum dolorum. 230.7.& 460.88.& 472.23
4 Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. 467.1
7 Sicut ouis ad occiſionem ducetur,& quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. 468.6
8 De anguſtia, & iudicio ſublatus eſt, generationem eius quis enarrabit? 43.10
10 Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum,& voluntas Domini manus eius dirigetur. 116.72
55.4. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. 23.80
57.15. Hæc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem : & ſanctum nomen eius in excelſo, & in ſancto habitans. 226.98
60.1. Surge, illuminare, Hieruſalem : quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. 294.14
3 Et ambulabunt gentes in nomine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. 245.8.& 246.17
6 Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha : omnes de Saba venient. 245.13
61.1. Spiritus Domini ſuper me,eo quod vnxerit me Dominus ad annuntiandum manſuetis miſit me,vt mederer contritis corde, & prædicare captiuis indulgentiam. 11.21.& 46.21.& 483.47
10 Gaudens gaudebo in Domino,& exultabit anima mea in Deo meo. 264.104
62.2. Et videbunt gentes iuſtum tuum,& cuncti reges inclytum tuum. 294.14
3 Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. 240.43. & 337.45
63.1. Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua. 332.16.& 240.48
4 Dies vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. 398.60
15 Vbi eſt zelus tuus & fortitudo tua,multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum. 182.29
64.5. Peccauimus, & abſcondiſti faciem tuam. 479.21
65.24. Eritque,antequam clament,ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego exaudiam. 289.78
66.7. Antequam parturiret peperit : antequam veniret partus eius peperit maſculum. 209.27

Ex Hieremia.

Cap.1. n.1. Verba Hieremiæ filij Helciæ de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth. 367.40
2 Quod factum eſt verbum Domini ad eum in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iuda. 362.14
5 Priuſquam te formarem noui te : & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. 172.36
7 Et dixit Dominus ad me:Noli dicere,puer ſum:quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis. 368.45
2.13. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas. 457.67
26 Confuſi ſunt domus Iſraël,ipſi & reges eorum,principes, & ſacerdotes, & prophetæ eorum. 382.108
8.17. Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos,quibus non eſt incantatio. 452.42
11.4. In die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea. 50.40
16 Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocauit Dominus nomen tuum. 470.124
19 Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. 468.6
13.20. Vbi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? 215.36
17.1. Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis. 278.24
9 Prauum eſt cor omnium & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? 167.15
22.30. Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur : nec erit de ſemine eius vir. 63.94. & 126.112
23.4. Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex,& ſapiens erit,& faciet iudicium, & iuſtitiam. 65.102. & 126.119
21 Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant : non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. 22.74
24.3. Ficus, ficus malas,malas valde. 491.98
25.4. Et miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos Prophetas. 101.5
31.15 Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus,& fletus, Rachel plorauit. 258.78
22 Creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum. 76.18.&77.23.& 472.23
32.12. In oculis teſtium, qui ſcripti erant in libro emptionis, & in oculis omnium Iudæorum. 41.1
19 Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. 21.67
33 Et verterunt ad me terga, & non facies : cum docerem eos diluculo. 457.67
33.15. In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtum, & faciet iudicium,& iuſtitiam. 160.27
51.25. Ecce ego ad te, mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuerſam terram. 436.154

Ex Threnis Hieremiæ.

Cap.2. n.9. Defixæ ſunt in terra portæ eius: perdidit, & contriuit veſtes eius. 365.30
12 Cùm deficerent,quaſi vulnerati, in puteis ciuitatis, cum exhalarent animas in ſinu matrum ſuarum. 423.87
3.12. Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. 299.39

4.4.Filia

4.4 Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. Adhæſit lingua lactantis ad palatum eius inſiti. 423.87
7 Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchiores. 173.42

Ex Baruch.

Cap.3. n.33. Poſt hæc in terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus eſt. 37.147

Ex Ezechiele.

Cap.1. n.3. Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi ſacerdotem. 267.40
5 Et in medio eius ſimilitudo quatuor animalium:& hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis. 147.39
12 Vnumquodque coram facie ſua ambulabat : vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur. 125..106 & 421.78
3.9. Vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam : ne timeas à facie eorum. 408.7
4.1. Et tu, fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eam coram te : & deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalem. 460.83
8.16. Et introducit me in atrium domus Domini interius:& ecce in oſtio templi Domini quaſi vigintiquinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem. 457.67
9.3. Et vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris habebat in lumbis ſuis. 210.37
14.14. Si fuerint tres viri iſti in medio eius,Noë, Daniel,& Iob:ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum. 238.31
16.30. In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus,cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis. 390.22
21.25. Tu autem,prophane, impie dux Iſraël, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita : hæc dicit Dominus Deus : Aufer cidarim, tolle coronam, & hoc non factum eſt,donec veniret cuius eſt, & tradam ei. 126.119
27.8. Habitatores Sidonis, & Aradi fuerunt remiges tui : ſapientes tui,Tyre,facti ſunt gubernatores tui. 361.13
27 Iuda, & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo, balſamum, & mel,& oleum,& reſinam propoſuerunt in nundinis tuis. 208.26
26 In aquis multis adduxerunt te remiges tui. 362.13
28.14. Tu Cherub extentus,& protegens, & poſui te in monte ſancto Dei. 140.9
36.25. Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. 462.95
37.1. Facta eſt ſuper me manus Domini, & dimiſit me in medio campi,qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in gyro. 241.53
44.2. Porta hæc clauſa erit : non aperietur, & vir non tranſibit per eam : quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam. 209.26
21 Vinum non bibet omnis ſacerdos,quando ingreſſurus eſt atrium interius. 93.50

Ex Daniele.

Cap.1. n.9. Dedit Deus Danieli gratiam, & miſericordiam in conſpectu principis Eunuchorum. 113.54
2.13. Et egreſſa ſententia, ſapientes interficiebantur. 351.66
28 Deus in cælo reuelans myſteria, qui indicauit tibi,rex Nabuchodonoſor,quę ventura ſunt in in nouiſſimis diebus. 259.82
31 Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua grandis:ſtatua illa magna, & ſtatua ſublimis ſtabat coram te. 365.25
35 Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs,argentum,& aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ. 431.131
44 In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur. 205.5
47 Verè Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus regum reuelans myſteria. 262.94
48 Tunc rex Danielem in ſublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei. 222.8. & 459.79
49 Daniel autem poſtulauit à rege:& conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, & Abdenago. 135.157
3.15. Et quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea. 262.94
51 Tunc hi tres quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant,& benedicebant Deum. 451.36
92 Ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt. 470.16.& 327.49
4.22. Eiiciens te ab hominibus, & cum beſtiis erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis. 440.176
5.5. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum. 169.26.& 447.13
6.4. Porrò rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum ; vnde principes, & ſatrapæ quærebant occaſionem. 102.7
22 Et Daniel regi reſpondens ait:Rex in æternum viue. 42.5
22 Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi:quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me. 101.5.& 454.59
7.9. Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquis dierum ſubdit. 470.16
13 Aſpiciebam ergo in viſione noctis,& ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat. 39.54
8.16. Et audiui vocem viri,& clamauit,& ait,Gabriel: Fac intelligere iſtam viſionem. 103.13
9.19. Exaudi, Domine, placare ; intende, & fac; ne moreris propter temetipſum. 155.69

21 Adhuc

21 Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio. 104.16
24 Adducatur iuſtitia ſempiterna, impleatur viſio, & prophetia, & vngatur ſanctus Sanctorum. 335.34
10.8. Non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui. 119.83
13.2. Et exclamauit voce magna Suſanna: exclamauerunt autem & ſenes aduerſus eam. 372.63
14.1. Et impendebantur per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex. 362.16

Ex Oſea.

Cap. 1. n. 1. VErbum Domini, quod factum eſt ad Oſee filium Beeri. 366.32
2 Principium loquendi Domino in Oſee, & dixit Dominus ad Oſee. 51.44
2.19. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio. 76.18
3.2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis & coro hordei. 17.25
6.7. Ipſe autem ſicut Adam; transgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me. 73.7
7.11. Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor: Ægyptum inuocabunt. 352.71
8.4. Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. 67.11
10.13. Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij. 380.102
11.1. Ex Ægypto vocaui filium meum. 307.4

Ex Amos.

Cap. 6. n. 6. BIbentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti; & nihil patiebantur ſuper contritionem Ioſeph. 89.36

Ex Michæa.

Cap. 4. n. 8. ET tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion vſque ad te veniet. 215.56
5.2. Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. 8.2. & 206.16. & 17.& 258.77
5 Et erit iſte pax; cùm venerit Aſſyrius in terram noſtram. 227.102
7.14. Paſce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ. 15.45

Ex Habacuc.

Cap. 1. n. 13. MVndi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. 156.10
2.2. Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat, qui legerit eum. 42.4
3.2. Domine, opus tuum, in medio annorum viuifica illud. 211.40
4 Splendor vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. 165.7.& 401.77
11 Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum. 196.49
13 Ficus enim non efflorebit. 491.98
18 Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Ieſu meo. 155.6

Ex Sophonia.

Cap. 1. n. 1. VErbum Domini, quod factum eſt ad Sophoniam filium Chuſi, filij Godoliæ, filij Amaxiæ, filij Ezechiæ. 465.117
3.17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit, gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua. 219.72

Ex Aggæo.

Cap. 1. n. 1. FActum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ. 366.34
2.10. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum. 68.119
24 Aſſumam te, Zorobabel fili Salathiel ſerue meus, dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum. 62.92

Ex Nahum.

Cap. 1. n. 15. ECce ſuper montes pedes Euangelizantis, & annuntiantis pacem: celebra Iuda feſtiuitates tuas. 1.1

Ex Zacharia.

Cap. 1. n. 15. IRâ magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum. 471.20
2.2. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. 182.30
6 O, fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus. O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. 377.86
10 Lauda, & lætare Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. 37.147
3.8. Adducam ſeruum meum Orientem, quia ecce lapis, quem dedi coram Ieſu. 248.24
4.2. Ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius. 269.131
6.12. Ecce vir oriens nomen eius, & ſubter eum orietur. 77.24.& 182.28.& 474.23
8.3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reuerſus ſum ad Sion, & habitabo in medio Hieruſalem. 439.42
9.9. Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam. 249.33
11 Tu quoque in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. 178.13

Loca S. Scripturæ.

13.1. In die illa erit fons patens domui Dauid. 462.97

Ex Malachia.

Cap. 3. n. 1. ECce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. 21.71. & 456.66
4.2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis. 159.21. & 217. 63.& 283.53
5 Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, 455.57.& 456.66

Ex 1. Machabæorum.

Cap. 1. n. 63. ET mulieres, quæ circuncidebant filios ſuos, trucidabantur ſecundùm iuſſum regis. 233.3
2.2. Et habebat filios quinque Ioannem, qui cognominabatur Gadis. 168.22
62 A verbis viri peccatoris, ne timueritis: quia gloria eius ſtercus, & vermis eſt, hodie extollitur, & cras non inuenietur. 316.51
14.21. Quia Iudæi, & ſacerdotes eorum conſenſerunt eum eſſe ducem ſuum, & ſummum ſacerdotem in æternum, donec ſurgat propheta fidelis. 126.117

Ex 2. Machabæorum.

Cap. 4. n. 7. AMbiebat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium. 243.63

NOVVM TESTAMENTVM.

Ex Matthæo.

Cap. 1. n. 1. LIBER generationis Ieſu Chriſti. Vide *lib. 1. cap. 2.*
16 Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. 186.9
19 Chriſti generatio ſic erat. 242.59
20 Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. 120.85.& 307.2 Vide *lib. 1. cap. 10.*
21 Vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. 122.96. & 242.59. & 442.59. & 64
23 Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emanuel. 258.78.& 3.9
2.1. In diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt. 367.40 & de hoc latè *lib. 2. cap. 4.*
2 Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum: vidimus enim ſtellam eius in Oriente. 408.7
11 Et procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis. 394.38
12 Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. 186.10
13 Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi. 90. 37. & 188.15.& 16.& 198.58 Vide *lib. 2. cap. 7.*
14 Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum. 141.17
16 Tunc Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis; de occiſione infantium, *lib. 2. cap. 8.*
18 Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos. 258.78
19 Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto dicens: Surge, accipe puerum, & vade in terram Iſraël. 252.50 & de hoc latè *lib. 2. cap. 9.* & 186.10
23 Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth. 307.2
3.4. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos. 367. 37. & ibi latè de hoc text.
5 Exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem. 388.10
11 Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni. 472.27
13 Tunc venit Ieſus à Galilæa ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo, de hoc vide *lib. 3. cap. 2.*
14 Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari. 472.26
16 Ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. 43. 7. & 279. 20. & 470. 16
4.1. Ductus eſt Ieſus ab ſpiritu in deſertum. Vide *lib. 3. cap. 3.*
11 Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. 197.54
17 Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. 371.59
18 Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres. 214.54
5.9. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. 29.111
12 Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. 219.73
17 Nolite putare quoniam veni ſoluere legem, aut prophetas, non veni ſoluere, ſed adimplere. 276.15
37 Sit autem veſter ſermo, eſt, eſt, non, non 451.37
6.10. Adueniat regnum tuum. 388.12
7.9. Aut quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? 421.79
14 Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ

quæ ducit ad vitam. 272.142
22 Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus,& in nomine tuo dæmonia eiecimus. 87.22
8.2. Ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine,ſi vis potes me mundare, & extendens Ieſus manum tetigit eum 145.32
9 Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites. 426. 102
21 Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum. 342.26.& 147.37
28 Occurrerunt ei duo habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes. 255.63
9.4. Cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? 167.15
5 Quid eſt faciliùs dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge, & ambula? 134.155
6 Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. 221.80
9 Cùm tranſiret Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine 214.54
20 Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. 181.23
10.9. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam. 284.58
16 Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 379.97
11.3. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 249.32.& 450.29.& 167.18
11 Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. 402.81
14 Si vultis recipere, ipſe eſt Elias. 455. 60
21 Væ tibi Corozain, væ tibi Bathſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. 486.66
12.8. Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati. 279.31
13.16. Veſtri autem beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt. 286.67
15.24. Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. 249.31
16.16. Reſpondens autem Petrus dixit ei, Tu es Chriſtus Filius Dei viui. 365.107
17 Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es, Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi. 281.41
23 Qui conuerſus dixit Petro: Vade poſt me, Satana, ſcandalum es mihi. 442.185
24 Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. 435.149
17.3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. 41.160.& 415.49
5 Ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 402.80.& 89.& 408.6
26 Eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te. 236. 22
20.8. Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. 95.55
20 Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis. 343.27
21.12. Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo,& menſas numulariorum. 283.52
43 Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. 453.46
22.4. Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata. ibid.& 476.44.& 484.51
43.27. Væ vobis, Scribæ,& Phariſæi hypocritæ: qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis. 379.93
31 Filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. ibid.
33 Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? 380.101
38 Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. 457.68
24.30. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate. 222.83
33 Cum videritis hæc omnia, ſcitote quia propè eſt in ianuis 221.80
25.35. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui,& dediſtis mihi bibere. 449. 81
43 Nudus eram, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. 174.43
26.8. Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes. 417.57
22 Et contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine. 119.83
39 Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. 345.39
45 Dormite iam, & requieſcite, ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur. 142.18
52 Conuerte gladium tuum in locum ſuum: an putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones? 197.54
55 Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me. 344.33
27.4. Retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum,& ſenioribus, dicens: Peccaui. 450.32
7 Emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. 56.64
14 Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præſes vehementer. 47.27
39 Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes. 291. 86
41 Si filius Dei es, deſcende de cruce. 431. 129
46 Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? 349.59
59 Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda. 476.43
28.20. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. 46.22.& 127.134.& 180.20 & 184.3

Ex D. Marco.

Cap.1. n.4. FVit Ioannes baptizans, & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ. 369.50 De hoc vide *lib.3. cap.1.*
12 Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum. 407.100. Vide de hoc *lib.3.cap.3.*
4.40. Quis putas eſt iſte, quia venti, & mare obediunt ei? 174.43
5.9. Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt. 4.15
6.3. Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi? 358.99
9 Calceatos ſandaliis,& ne induerentur duabus tunicis. 464.111
16 Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis ſurrexit. 172.36.& 454.52
25 Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. 173.40
31 Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. 410.16
9.5. Non enim ſciebat quid diceret, erant enim timore exterriti. 406.100
15.5. Ieſus autem nihil amplius reſpondit, ita vt miraretur Pilatus. 232.12
43 Ipſe erat expectans regnum Dei,& audenter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. 302.52
16.1. Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde. 264.104
6 Qui dicit illis: Nolite expaueſcere: Ieſum quæritis Nazarenum. 336.39
27 In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis. 158.17.& 241.50
19 Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam loquutus eſt ei: Aſſumptus eſt in cælum. 399.66

Ex Luca.

Cap.1. n.5. FVit in diebus Herodis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias. Vide *lib.1. cap.4.*
13 Vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. 49.35. & 121.93. & 390.20
14 Erit tibi gaudium,& exultatio,& multi in natiuitate eius gaudebunt. 121.193
15 Erit magnus coram Domino: vinum,& ſiceram non bibet. 168.19.& 376.84
26 Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo. Vide *lib.1. cap.5.*
28 Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. 468.8
32 Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. 160.110.& 92.48.& 292.59
35 Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. 351.67.& 278.26
39 Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione. Vide *lib.1.cap.6.*
41 Exultauit infans in vtero meo, & repleta eſt Spiritu ſancto. 390.22
47 Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Vide *lib.1. cap.7.*& 350.62
55 Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini eius. 52.49
57 Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi. Vide *lib.1.cap.8.*

65 Super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. 139.1
68 Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. 153.65. & vide *lib.1.cap.9.*
77 Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum. 49.37.& 52.40
2.1. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis. 362.14. & vide *lib.2.cap 1.*
7 Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio. 464.111
9 Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulſit illos. 243.62
10 Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. 172.38
13 Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis militiæ. 49.37
15 Factum eſt autem, vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, paſtores loquebantur ad inuicem. Vide *lib.2.cap.2.*
16 Et inuenerunt Mariam,& Ioſeph,& infantem poſitum in præſepio. 110.39.& 166. 111.& 264.105.& 308.8 & 189.19
18 Et omnes qui audierunt mirati ſunt de his quæ dicta erant à paſtoribus. 319.8
21 Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circunciderετur puer. Vide *lib.2 cap.3.*
22 Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius. Vide *lib.2.cap.5.*
37 Quæ non diſcedebat de templo ieiuniis,& obſecrationibus, ſeruiens die, ac nocte. 146 38.& 415.49
42 Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim. Vide *lib.2.cap.10.*
47 Stupebant omnes ſuper prudentia, & reſponſis eius. 232.12
48 Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. 188.17
51 Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. 196.51
3.1. Anno quinto decimo Imperij Tiberij. Vide *lib.3.cap.1.*
2 Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem filium Zachariæ in deſerto. 174.44
15 Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis. 446.4.& 8.& 167.15
16 Ego aqua baptizo vos, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto,& igni. 369.47
21 Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus. Vide *lib.3 cap.2.*
22 Et vox de cælo facta eſt, tu es filius meus dilectus. 271.138
23 Ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph. 54.18. & 295.21
4.1. Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à ſpiritu. Vide *lib.3.cap.3.*
22 Et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius. 232.12
29 Duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum eſt ædificata. 432.132
5.8. Quod cum videret Petrus procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum. 191.27

24 Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. 137.170
6.12. Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare,& erat pernoctans in oratione Dei. 410.15
13 Et elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit. 241.56
7.16. Quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitabit plebem ſuam. 198.61
28 Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. 115.66
30 Stans retro ſecus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius,& vnguento vngebat. 181.23.& 264.105
39 Simeon habeo tibi aliquid dicere. 169.24
9.32. Petrus vero,& qui cum illo erant, grauati erant ſomno. 406.99
62 Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei. 358.99
11.19. Quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia.
31 Quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce pluſquam Salomon. 357.97
12.16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas. 382.106
14.33. Sic ergo omnis ex vobis,qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. 435.149
15.9. Conuocat amicas,& vicinas,dicens: Congratulamini mihi. 140.10
15 Abiit in regionem longinquam. 491.100
20 Miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. 213.47.& 250.51
21 Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius. 326.46
30 Sed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit. 433.144
16.31. Si Moyſem,& Prophetas non audiunt,neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. 263.97
19.6. Zachæe, feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. 421.78
10 Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. 172.38
22.31. Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficeret fides tua. 477.8
35 Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid defuit vobis aliquid. 333.27
42 Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me, verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. 196.51
44 Et factus eſt ſudor eius,ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. 118.78
23.34. Ieſus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. 47.27
38 Erat autem, & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis. Vnus autem de his qui pendebant. 241.51
42 Et dixit illi Ieſus: Amen, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo. 280.34
46 Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. 349.59
48 Qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua. 302 52
24.22. Et procumbens vidit lineamenta ſola poſita,& abiit ſecum mirans. 231.22

Ex Ioanne.

Cap.1. n.1. IN principio erat Verbum. Vide *lib.*1. *cap.*1.
4 In ipſo vita erat,& vita erat lux hominum. 306.73
6 Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. 165.9
11 In propria venit, & ſui eum non receperunt. 214.53
20 Vt interrogarent eum, Tu quis es? 176.7. & vide *lib.*3.*cap.*4.
29 Et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. 249.32.& 369.47. Vide *lib.*3. *cap.*5.
31 Et ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans. 368.42.& 389.14.& 399.67
34 Et ego vidi,& teſtimonium perhibui,quia hic eſt filius Dei. 469.9
49 Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth,poteſt aliquid boni eſſe. 106.24.& 334.31
2.2. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. 184.2
4 Quid mihi,& tibi,mulier? nondum venit hora mea. 90.39
11 Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ. 359.98.& 394.38
15 Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis,omnes eiecit de templo. 363.21
3.5. Amen dico tibi,niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. 400.70
16 Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. 350.64
23 Erat autem Ioannes baptizans in Hennon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic. 370.54.& 388.8
20 Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum,gaudet. 465.114
4.14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in ea fons aquæ ſalientis in vitam æternam. 14.39
32 Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. 142.19
34 Vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius. 352.73
42 Iam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audiuimus, & ſcimus. 231.9
5.22. Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio. 46.20.& 385.121
24 Qui credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam. 18.56
34 Ego autem non ab homine teſtimonium accipio. 23.80
35 Ille erat lucerna lucens,& ardens. 24.89

36. Opera,

36 Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea. 352.73
6.7. Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. 259.82
53 Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? 128.131
7.48. Numquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex phariſæis. 246.17
52 A Galilæa Propheta non ſurgit. 486.67.& 78
8.13. Tu de te ipſo teſtimonium perhibes; teſtimonium tuum non eſt verum. 448.16
39 Si filij Abrahæ eſtis,opera Abrahæ facite. 382.107
50 Non quæro gloriam meam. 226.197
58 Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. 391.25
59 Ieſus autem abſcondit ſe,& exiuit de templo. 309.11
10.10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. 147.21
12.28. Venit ergo vox de cælo; clarificaui,& iterum clarificabo. 404.89.& 90.& 408.6.& 474.36
31 Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 255.63
13.6. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Non lauabis mihi in æternum. 390.18
8 Reſpondit ei Ieſus: ſi non lauauero te,non habebis partem mecum. 392.27
25 Cum recubuiſſet ſuper pectus Ieſu. 213.47
14.23. Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 467.2
26 Paraclitus autem ſpiritus,quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. 101.5
30 Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. 419.69
15.14. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. 410.14
16.33. Confidite,ego vici mundum. 411.20
18.6. Quem quæritis? illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum; & dixit eis, ego ſum. 418.60
13 Et adduxerunt eum ad Annam primùm. erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. 256.70.& 365.27.& 30
37 Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium pethibeam veritati. 23.80
19.12. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. 238.26.& 361.9.& 448.16
17 Et baiulans ſibi crucem,exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum. 388.10
19 Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum. 169.27
26 Dixit Matri ſuæ, mulier, ecce filius tuus 300.45
34 Continuò exiuit ſanguis,& aqua. 285.61
39 Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm. 302.52
20.15. Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi; vbi poſuiſti eum; & ego eum tollam. 248.26.& 284.55
21.17. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? 475.10
24 Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his. 14.39
25 Sunt alia, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, ne ipſum arbitror mundum capere poſſe. 285.61

Ex Actis Apoſtolorum.

Cap. 1. n.24. ET ſtatuerunt duos, & orantes dixerunt: Tu Domine, oſtende, quem elegeris. 453.48
2.4. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui. 93.52
5 Viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. 338.4.& 374.73
3.2. Vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, quem ponebant quotidie ad portam templi. 216.60
14 Vos autem ſanctum, & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis. 126.118
22 Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris. 454.50
6.8. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia. 114.62
10 Surrexerunt quidam de Synagoga diſputantes cum Stephano. 490.90
7.55. Video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis, Dei. 279.28.& 398.61
10.38. Quomodo eum vnxit Dominus Spiritu ſancto. 483.47
12.7. Lumen refulſit in habitaculo percuſſoque latere Petri. 217.66.& 272.140
7 Calcea te caligas tuas. 464.111
16.6. Tranſeuntes autem Phrygiam, Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verba Dei in Aſia. 194.43
18.24. Vir eloquens deuenit Epheſum, potens in ſcriptura. 14.36
26.2. Æſtimo me beatum apud te, cùm ſim defenſurus me hodie.

Ex Epiſtola ad Romanos,

Cap.1. n.1. PAulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus. 241.55.& 56
4 Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum. 228.107
9 Sine intemiſſione memoriam veſtri facio ſemper. 304.59
20 Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. 23.78.& 26.97
21 Vt ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt. 27.101
3.25. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum. 178.14.& 298.32
6.3. Quicumque baptizati ſumus in Chriſto

Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. 408.5
8.3. De peccato damnauit peccatum in carne 407.26
15 Non accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. 406 95
26 Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 401.76
Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. 166.12
9.1. Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. 476.4
6 Non enim omnes, qui ex Iſraël ſunt, ij ſunt Iſraëlitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij. 383.112
8 Non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis. 162.34
10.4. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. 106.22
19 Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem. 1.1
11.11. Numquid ſic offenderunt, vt cadant, abſit. 297.26
25 Donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. 295.18
12.10. Honore inuicem præuenientes. 389.15

Ex 1. ad Corinthios.

Cap.1. n.9. PEr quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti. 16.49
22 Quoniam Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunr. 23.82
23 Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. 222.82. & 297.26
26 Videte vocationem veſtram patres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia. 486.65
30 Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio. 226.96
2.7. Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. 357.97
8 Quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 426.110
3.1. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi. 468.7
9 Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. 291.86
16 Neſcitis quia templum Dei eſtis. 430.119
4.21. Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? 469.13
5.5. Tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit. 53.54
9.9. Non alligabis os bouis triturantis. 283.53
12 Sed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne offendiculum demus Euangelio Chriſti. 275.11
11.3. Caput mulieris vir. 196.49
23 Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit. 293.7
12.28. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos. 242.56
14.22. Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus, 193.39
34 Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui. 174.1. & 305.65

Ex 2. ad Corinthios

Cap.1. n.1. PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei. 16.49
12 Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 205.12
5.19. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. 203.4
8.9. Propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis. 127.23
12.2. Scio hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, neſcio, ſiue extra corpus. 137.170
7 Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ. 408.3

Ex Epiſtola ad Galatas.

Cap.1. n.4. QVi dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo. 226.96
8 Aut licèt Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. 429.114
2.20. Qui dilexit me, dedit ſemetipſum pro me. 155.6
4.4. Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. 435.148
7 Quod ſi filius, & hæres per Deum. 16.49

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Cap.1. n. 3. QVi benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. 149.50
2.14. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. 225.90. & 227.102
22 Et vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu. 75.13
3.10. Ei autem, qui potens eſt, omnia facere ſuperabundanter, quam petimus. 226.96
4.22. Deponere vos veterem hominem, &c. & induite nouum, qui ſecundùm Deum creatur. 322.22
5.8. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. 20.63
18 Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. 92.46
32 Saramentum hoc magnum eſt, ego autem dico iu Chriſto, & Eccleſia. 50.39
6.12. Aduersùs mundi rectores tenebrarum harum. 20.63
16 Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. 465.113

Ex

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

Cap.1. n.6. QVi cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. 179.18
2.6. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. 37.145
7 Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. 137.167
9 Donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen. 242.56
3.1. Eadem vobis ſcribere; mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. 475.39. & 476.4

Ex 1. ad Theſſalonicenſes,

Cap. 5. n1.7. SEmper gaudete, ſine intermiſſione orate. 304.59.62

Ex 1. ad Timotheum.

Cap.1. n. 4. VT denuntiaret quibuſdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis. 44.12
2.9. Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe. 21 138
12 Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. 305.65
5.17. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habentur. 218.67

Ex Epiſtola ad Titum.

Cap. 2. n.11. APparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus. 165.8
3.5. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam, ſaluos nos fecit. 178.13
9 Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones deuita. 44.12

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap.1. n. 3. POrtans omnia verbo virtutis ſuæ. 11.23
6 Et cum iterum intruducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius. 223.86
2.10. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia. 26.99
17 Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret. 310.17
4.12. Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni glodio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ. 155.7. & 310.17
15 Non enim habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. 412.24
5.7. Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte. 372.63
9.17. Teſtamentnm enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet. 178.13
12.3. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem. 330.9. & 299.38
13.17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim inuigilant. 215.56

Ex Epiſtola Iacobi.

Cap. 1. n.10. QVicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. 84.11
19 Dæmones credunt & contremiſcunt. 426.100
3.18. Fructus iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.
4.6. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. 157.13

Ex 1. Petri.

Cap. 1. n.10. REdempti eſtis pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti. 468.6
2.5. Et ipſi tanquam lapides viui, ſuperædificamini domus ſpiritualis. 75.13
7 Vobis igitur honor credentibus. 1*6.7
5.8. Aduerſarius veſter, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. 427.108

Ex 2. Petri.

Cap. 1. n.18. NOs audiuimus de cælo allatam cum eſſemus cum ipſo in monte. 404.87,90

Ex 1. Ioannis.

Cap.1. n.1. QVod fuit ab initio, quod vidimus oculis noſtris. 10.13. & 39.153
2 Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem. ibid.
5 Quoniam Deus lux eſt, & in eo non ſunt tenebræ. 20.65. & 76.20
5.7. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. 15.45

Ex 2. Ioannis.

10 SI quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum. 114.57

Ex Apocalypſi.

Cap.1. n.10. AVdiui poſt me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis: Quod vides ſcribe in libro. 148.46
13 In medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere. 210.37. & 237.23
14 Caput eius, & capilli erant candidi, tanquam lana alba. 212.43
2.7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. 43.132
12 Hæc dicit qui habet rhomphæam ex vtraque parte acutam. 474.36
17 In calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui legit. 240.43
3.19. Ego quos amo, arguo, & caſtigo. 205.12

4.1. Vox

Loca S. Scripturæ.

4.1. Vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc. 164.4.& 165.6.& 397.58
8 Et requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus 245.13
10 Mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes. 148.46
11 Dignus es Dominus Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem. 235.14
5.4. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum. 465.113
5 Vicit leo de Tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum. 244.5
6 Vidi; & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & ſeniorum, Agnum ſtantem, & accepit de dextera ſedentis librum. 139.6.& 467.5.& 470.15
8 Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno. 214.44
9 Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es. 222.82
11 Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum. 228.107
12 Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, ſapientiam, & fortitudinem. 235.14
6.1. Et vidi quod aperuiſſet Agnus vnum de ſeptem ſigillis. 470.15
9 Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei. 322.21
9.13. Et reſpondit vnus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? 458.76
10.11. Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis. 479.22
11.3. Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis. 90.39
12.1. Et ſignum magnum apparuit in cælo. mulier amicta ſole. 64.99. & 253.52
3 Et ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem: 74.12
17.8. Beſtia, quam vidiſti, fuit & non eſt. 10.10
11 Et decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt. 453.47
18.4. Exite de illa populus meus, ne participes ſitis delictorum eius. 377.86
19.7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni. 224.88
11 Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis, & verax ibid. 87
12 In capite eius diademata multa habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe. 240.48. & 243.64
13 Veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocatur nomen eius Verbum Dei. 12.22. & 396.51.& 438.163
17 Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus. 48.29
20.2. Qui eſt diabolus, & Satanas, & ligauit eum per mille annos. 255.63
21.8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, pars illorum erit in ſtagno. 330.13
16 Ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo. 2.6
18 Et erat ſtructura muri ex lapide Iaſpide: ipſa vero ciuitas aurum mundum. 75.15
22.2. Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim. 341.17
9 Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum; & eorum qui ſeruant verba prophetiæ libri huius 217.65

R.P.D.F.

R.P.D.F. IOANNIS DA SYLVEIRA COMMENTARIORVM in textum Euangelicum

TOMVS PRIMVS,

COMPLECTENS CHRISTI DOMINI INGRESSVM IN MVNDVM, ab exordio Euangelij vſque ad Ioannis teſtimonia.

PRÆFATIVNCVLA EX D. LVCA CAP. I.

*Q*VONIAM *quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum: ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, vt cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.*

PROOEMIVM In textum quatuor Euangeliſtarum.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Euangelium?

EVANGELIVM, vox eſt Græca, variis & multis modis accipitur, 1.
communiter tamen, ac propriiſſimè pro iucunda, fauſtáque nun-
tiare. Nahum 1.num.15. *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis,* Nahum 1.
id eſt, bona annunciantis Ad Rom. 10.num.15. *Quàm ſpecioſi pe-* Rom. 10.
des euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Matth.4.num.23. Matth.4.
Marc.1.num.14. Et hac ratione factum eſt, vt notat D. Auguſti- Marc.1. Auguſt.
nus *tom.6.lib.2 contra Fauſtum, cap.2.* vt hoc nomen ad fidelium
hiſtoriam de aduentu, ac vita Chriſti, ſignificandam reſtrictum ſit, ita vt per antono-
maſiam Euangelium ſimpliciter dicatur; totum enim, quod in eo continetur, plenum

eſt gratiâ, miſericordiâ, ac gaudio totius orbis. Et ideo dicit Angelus ad Paſtores Luc.2.num. 10. *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator.* Ex quo fit, quòd tanta proprietate hoc nomen *Euangelium* conueniat codici quatuor Euangeliſtarum, vt nulli alij libro, ſiue prophano, ſiue Canonico æqualiter poſſit adaptari, vt notat Abulenſ *quæſt.9.& 10 in præfat. Matth.* Nullus enim alius liber continet tam plenam ac latam annuntiationem de aduentu, vita, ac rebus geſtis Chriſti Domini, in quo eſt ſumma felicitas, ac gaudium, vt Euangelium. Nam ſi liber non eſt Canonicus, non habet tantam auctoritatem; ſi Canonicus, v.g. Epiſtolæ Pauli, eſto latè poſſint dici Euangelium, tamen pleniùs prænoſcitur doctrina de myſteriis vitæ, mortis, ac reſurrectionis Chriſti, & illius miraculis in codice quatuor Euangeliſtarum; ergo iſte propriiſſimè dicitur Euangelium.

Luc.2. Abulenſ.

2. Varias Euangelij definitiones tradunt D Remig. *cap.1.ad Rom. & cap.1.ad Galat.* Euſeb *lib.1.de præpar. Euang cap.1.* D.Thom. *in prolog Epiſt ad Rom.* Clariùs hac deſcriptione poteſt definiri: Euangelium eſt bona annuntiatio inſtinctu Spiritus ſancti conſcripta, tractans peculiariter de aduentu, ac myſteriis Chriſti Domini, ac cœleſti eius doctrina, perducente homines ad vitam æternam. Bona annuntiatio inſtinctu Spiritus ſancti conſcripta, ponitur loco generis, hoc enim eſt de ratione Scripturæ Canonicæ, & per hoc diſtinguitur Euangeliũ à multis libris à variis Authoribus, qui agunt de vita Chriſti, & hæc eſt peculiaris differentia Euangelij, quòd ſingulariter tractat de aduentu Chriſti eius vita, ac rebus geſtis, cæleſtíque eius doctrina, cuius proprium eſt perducere homines ad vitam æternam, *Ioan.4.n.14.*

Definitio Euangelij, Remigius. Euſebius.

Capvt II.

Euangelium in ſe vnum, illius ſcriptores quatuor.

3. QVANQVAM Euangeliorum libri quatuor ſint, Euangelium tamen in ſe eſt vnum, vt multis probat Zacharias Epiſcopus *in præfat. Matth.* Et idem docent D.Hieron. *ſuper Marcum, in princ.* his verbis: *Quatuor Euangelia vnum eſſe, & vnum quatuor.* Et *in Eccleſ.* ad illa verba, *faciendi libros nullus eſt finis.* D.Auguſt. *contra Fauſtum Manich. lib.2.c.2.* D.Chryſoſt. *in Epiſt. ad Galat. c.1.* D.Ambroſ. *ſuper Lucam, in princ.* Beda *in prologo Matth. & Luc.* D.Remig *in Matth.* vbi ita ait: *Sicut vna eſt fides, & vnum Baptiſma, ita & vnum Euangelium, quia vna eſt doctrina. Et quòd vnum ſit, ipſe Dominus manifeſtat, cùm dicit: Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ: & nos quotieſcunque plurali numero dicimus Euangelia, nec doctrinam diuidimus, ſed libros diſtinguimus.* Nam licèt ſcriptores ſint quatuor, res tamen ſcripta in ſe eſt vna, continens vnam hiſtoriam, vnam doctrinam, vnum dogma fidei: ergo Euangelium in ſe eſt vnum miro ordine, miráque conſonantia, ac concordia compoſitum, vt videbimus in toto hoc opere, de quo circa conſenſum Euangeliſtarum integros libros edidit D.Auguſt. vide eum *ſerm. de Reſurrect. & 11. de verb. Dom.* D.Chryſoſt. *homil.1. in Matthæum.*

Euangelium vnum. Zacharias. D. Hieron. Auguſt. Chryſoſt. Ambroſ. Beda. Remigius.

4. Euangeliſtæ ſunt quatuor, & quamquam multi conati ſint hiſtoriam Euangelicam enarrare, ac ſcribere, vt hìc ait D.Lucas: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum,* &c. Narrationes: ac ſcriptiones horum Authorum Gelaſius Papa refert, & vt apocryphas reiicit, *cap. Sancta Romana Eccleſia, diſt.15. poſt medium.* D.Hieron. *in proœm Matth.* D.Ambroſ. *in Lucam, in initio,* Origen. *homil.1 in Luc.* D.Epiphan. *lib.1. Panarij, contra hæreſim Gnoſticor.* Euſeb. *lib.6. hiſtor. Eccleſ. cap.10.*

Euangeliſtæ quatuor. Gelaſ.Papa. D.Hieron. Ambroſ. Origenes. Epiphan. Euſeb.

5. Certum dogma fidei eſt quatuor tantùm eſſe Euangelia, ſcilicet Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis; vt ſunt in Biblia vulgatæ editionis iuſſu Sixti V. Ita conſtat ex perpetua, & continua traditione Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum, & ex multis antiquiſſimis codicibus; & ita definitum eſt in omnibus ferè Conciliis Eccleſiæ, Nicæno, Chalcedonenſi, Carthaginenſi III. *c.47.* Florentino, ſub Eugenio IV. in vnione Armeniorum, Tridentino *ſeſſ.4.* Hoc tandem docuerunt omnes Patres per omnes ætates, D.Auguſt *lib.2. de doctr. Chriſt. cap.8.* D.Hieron. *in prolog. Matth. & Luc.* D.Irenæus *lib.3. cap.4.* D.Athanaſ. *in Synopſi,* & alij communiter.

Euangelia quatuor. Nicæn. Chalcedon. Carthagin. Florentin. Trident.

6. Si verò quæras: Quare tantùm quatuor ſint Euangeliſtæ? Reſpondemus, quòd ratio à priori diuina voluntas: Congruentia multiplex; quia, vt dicitur Deut.19. *In ore duorum*

Cur quatuor Euangeliſtæ? Deut.19.

duorum, vel trium ſtat omne verbum; ad magnam autem demonſtrationem veritatis quatuor teſtes eſſe voluit Chriſtus Dominus, vt notat Chryſoſt. *homil 1. in Matth.* Secundò, quia ſicut quatuor ſunt orbis partes, ita quatuor voluit eſſe Euangelia, ex quibus totus orbis ſpiritualis conſtaret. Ita D.Hieron. *in prologo Matth.* qui incipit, *Matthæus cùm primò,* D.Auguſt. *lib.1. de concord. Euangel.* Tertiò, *Ciuitas in quadro poſita eſt* Apocal.21. Sunt ergo quatuor Euangelia quatuor columnæ, quibus hæc ſpecioſa domus ſuſtentatur. Ita D Iren. *lib.3.c.11.* Quartò, vt tradit D.Hieronymus citatus, ſicut Arca Teſtamẽti per quatuor circulos, ſeu annulos aureos portabatur, *Exod 25.& 36.* Ita Chriſtus, qui per Arcam figurabatur, per quatuor Euangelia debuit per totum Orbem portari, & publicari. Quintò. Sicut ex Paradiſo ab vno fonte quatuor flumina egrediebantur; ita conueniens fuit, vt quatuor Euangelia emanarent ex vno fonte vitæ, ſcilicet Chriſto Domino, quæ totũ Orbem rigarent, & fœcundarent. Ita D.Hieron. *in prologo Matth.* qui incipit, *Plures fuiſſe.* Hæc quatuor Euangelia figurata ſunt in quatuor animalibus, quæ vidit *Ezech.1.& 10.* & Ioan. *Apocal.4.& 5.* vbi Patres, ac Doctores multa de hac re dicunt.

Chryſoſt. D. Hieron. D.Auguſt. Apoc.21. D. Irenæus. D. Hieron. Ezec.1.& 10 Apoc.4.& 5.

Capvt III.

De Euangelio Matthæi.

SANCTVS Matthæus Apoſtolus ſcripſit Euangelium in Iudæa rogantibus fratribus, qui ex Iudaiſmo ad fidem conuertebantur, antequam abiret ad Gentes ad illud prædicandum. Ita D. Hieron. *in prologo Matthæi: Plures fuiſſe,* & in alio, *Matthæus ex Iudæa; & in præfatione Matthæi.* Theophyl. Euthym S.Thom. & alij. Surius *in vita S.Matthæi.* Anno, quo ſcripſerit, maior difficultas. Nicephor. *lib.2. hiſtor Eccleſ cap.25.* exiſtimat, quòd anno decimoquinto poſt Chriſti Aſcenſionem. D. Irenæus *lib 3.cap.1.* quòd illo anno, quo Petrus, & Paulus Romæ prædicare cœperunt, ſcilicet vndecimo poſt Aſcenſionem Chriſti; communior, & probabilior eſt ſententia quòd ſcripſerit Matthæus ſuum Euangelium anno octauo poſt Aſcenſionem, quadrageſimoprimo Chriſti Domini, Caligulæ Imperatoris anno tertio. Ita Euſeb. *lib.3.c.8* Theoph. Euthym. *in Matth.* Ad hanc ſententiam plures ſunt coniecturæ. Primò, quia non videtur, quòd Eccleſia fuerit tanto tempore ſine Euangelio ſcripto, vt aliæ ſententiæ dicunt; nam Matthæus primus omnium ſcripſit, vt tradit D.Hieron. *de ſcriptor. Eccleſiaſt.* Secundò. Quia non videtur quòd Matthæus tanto tempore detineretur Hieroſolymis, & non abiret in Prouinciam ſibi deſtinatam. Tertiò propter auctoritatem Euſebij, & antiquitatem. 7.

7. *Matthæus vbi & quando ſcripſerit Euangelium.* D. Hieron. Theophyl. Euthym. D.Thom. Surius. Nicephor. D.Irenæus. Euſebius. Theophyl. Euthym. D. Hieron.

Scripſit Euangelium ſuum idiomate Hebraico. Ita D Hieronymus *in prolog. Euangeliorum ad Damaſum Pontificem.* Et *lib. de ſcript. Eccleſ.* teſtatur, ſuo tempore in Bibliotheca Cæſarienſi ſeruari exemplar Euangelij Matthæi Hebraica lingua ſcriptũ. Idem tradunt D.Chryſoſt. *homil.1. in Matth.* Euſeb. *lib.3. hiſt. Eccl. cap.1.& lib.5. cap.10.* Papias antiquiſſimus Author apud eundem Euſebium *lib.3. cap. vlt.* D. Auguſt. *lib.3. de conſenſu Euangeliſtarum, c.2.* D.Epiphan. *hæreſ.51.* Dorothæus *in Synopſi.* Noſter D.Cyrillus Hieroſol. *Catecheſ.4.* Fereulius Epiſcop. *in Chron lib.2.c.4.* Origenes apud Nicephor. *lib.5. cap.6.* Theophyl. Euthym. S.Thom. *in prologo Matth* & alij 8.

8. *Quo idiomate.* D. Hieron. Chryſoſt. Euſebius. Papias. D. Auguſt. Epiphan. Dorothæus. Cyrillus. Ferculius. Origenes.

Cardinalis Caietanus *in prologo Matth.* exiſtimat Euangelium non fuiſſe ſcriptum à Matthæo Hebraico idiomate, ſed Græco. Fundatur, quia *cap.1.* dicit n.23. *Vocabunt nomen Eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Et c.27. n.4. *Clamauit Ieſus, dicens: Eli, Eli, lamma ſabacthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Si ergo Matthæus ſcribebat Hebraicè, & ad Hebræos, ad quid explicaret illa vocabula quæ Hebraica erant? 9.

9. D.Thom. Caietan. Matth.1. Matth.27.

Standum eſt tamen in ſententia ſanctorum Patrum. Et ſi ratio Caietani aliquid probaret, etiam oſtenderet, nullum librum veteris Teſtamenti eſſe ſcriptum Hebraicè, quod non eſt dicendum. Et tales explicationes non ſunt in textu Hebraico, ſed à noſtro interprete ponuntur, vt notat Salmer. *tom.1. Prolog.35.* & paſſim hoc reperies in Scriptura. *Gen.31.n.49* dicitur: *Galaad, id eſt, Tumulus teſtis* Gen.35.n.18. *Benoni, id eſt, filius doloris mei.* & n 19. *Beniamin, id eſt, filius dexteræ.* Exod.12.n.11. *Phaſe, id eſt, Tranſitus Domini.* Exod.16.n.15. *Manhu, quod ſignificat, Quid eſt hoc?* Et meritò hæc verba Hebraica ponuntur in noſtra vulgata cum ſua interpretatione, ad intelligen- 10.

Salmeron. Geneſ.31. Geneſ.35. Exod.12. Exod.16.

dam vim myſterij, ſi enim non diceretur, *Eli, Eli, lamma ſabacthani*, quomodo poterimus intelligere, quod circunſtantes dixerunt; *Heliam vocat iſte?* Deinde eſto tales interpretationes eſſent in Hebræo, nihil facit, quia ſæpe in eodem idiomate nomen obſcurum explicatur per clarius.

11. Salmeron.

Salmeron citatus exiſtimat, quòd Euangelium ſcriptum ſit à Matthæo Syriaca lingua. Fundatur, quia talis lingua erat valde familiaris Hebræis, & ideo ſæpe in Euangelio reperiuntur nomina Syriaca. Secundò Hebræi remanſuri erant in ſua incredulitate, ad quid Euangelium eorum lingua erat ſcribendum? Tertiò. Quia Bartholomæus Apoſtolus, illud adſportauit in Indiam; ſi autem erat ſcriptum Hebraicè, Indi non poterant intelligere.

Reijcitur hæc ſententia.

Hæc tamen ſententia parum vrget, nec Authore antiquo probatur. Ad primum dicimus, quòd multo magis familiaris erat lingua Hebraica, tanquam materna; & ideo Pilatus iuſſit ſcribere titulum Crucis Hebraicè, Græcè, & Latinè. Quòd verò aliquod nomen Syriacum reperiatur in Euangelio, hoc nihil vrget, quia ſæpe ex vna lingua vnum nomen mendicatur ad aliam, vt ex Latina ad Luſitanam, vel Hiſpanicam. Ad ſecundum. Quòd quamuis Iudæi permanſuri eſſent in ſua infidelitate, multi tamen conuerſi ſunt ad fidem, vt conſtat ex Actibus Apoſtolorum. Ad tertium. Euangelium, quod Bartholomæus adſportauit ad Indos, eſſe litteris Hebraicis conſcriptum, vt teſtatur Euſebius *lib. 5. cap.* 10. voluit tamen illud ferre tanquam pretioſum Theſaurum. Ex quo patet quanta ſit auctoritas Euangelij Matthæi, ita vt Ioannes Apoſtolus, vt ait Theophyl. ex Hebraica lingua in Græcam ſit interpretatus, & Iacobus Apoſtolus primus Hieroſolymorum Epiſcopus illud ad legendum ſuæ Eccleſiæ dederit, vt teſtatur D. Hieron. *de viris illuſtribus.*

Euſebius. Theophyl. Hieron.

Capvt IV.

De B. Marci Euangelio.

12. *Motiuum ſcribendi.* Martyrol. Papias. Clemens. Euſebius. D. Hieron. Athan. Euthym. Epiphan.

MARCVS Diſcipulus D. Petri Romæ rogantibus fratribus ſcripſit Euangelium, vt quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam ſcripturæ traderet. Et hæc fuit cauſa, quam habuit D. Marcus ſuum ſcribendi Euangelium. Ita Martyrologium Romanum die 25. Aprilis, Papias, & Clemens Alexandrinus, vt refert Euſebius *lib. 2. cap.* 15. D. Hieron. *de ſcriptor. Eccleſ.* D. Athanaſ. *in Synopſi.* Euthym. *in Marci proœm.* D. verò Epiphan. *hæreſ.* 15 ita ait: *Statim poſt Matthæum inſecutus eſt Marcus iuſſu à S. Petro Romæ edere Euangelium.* Fortaſſè vtrumque fuit; nam cùm Marcus rogaretur à fratribus, vt ſcriberet Euangelium, Petrus hoc videns, & eorum deuotionem conſiderans, præcepit dilecto filio ſuo Marco Euangelium literis mandare.

13. *Quo tẽpore.* Irenæus. Euthym. Theophyl. Euſebius.

Tempus, quo ſcripſit Euãgelium. D. Irenæus *lib. 3. c.* 1. exiſtimat, fuiſſe poſt mortem Petri, & Pauli; ſed Marcus prius mortuus eſt, quàm Princeps Apoſtolorum, vt tradunt communiter Authores hiſtoriarum. Euthym. Theoph. dicunt, ſcripſiſſe anno decimo poſt Paſſionem; ſed cum hoc repugnat, quòd Petrus cum Marco non venit Romam, niſi anno Chriſti quadrageſimo quinto. Et ideo tali anno quadrageſimo quinto, duodecimo poſt Paſſionem, Claudij Imperatoris III. dicunt alij, quòd ſuum Euangelium ſcripturæ commendauerit. Ita Baronius anno Chriſti quadrageſimo quinto. Euſebius *in Chronic.* inſinuat ſcripſiſſe anno quarto, vel quinto poſt aduentum Petri in Vrbem, antequam ipſe mitteretur ab Apoſtolo in Alexandriam, qui ſecum ſuum adſportauit Euangelium. Et hæc mihi videtur probabilior, propter auctoritatem Euſebij.

14. *Qua lingua.* Hieron. Auguſt. Gregor. Nazianz. Damaſcen. Armacan. Fabric. Genebr. Petr. de Nat.

Lingua qua ſcripſit. D. Hieron. *epiſt.* 123. *ad Damaſum*, & D. Auguſt. *lib.* 1. *de conſenſu Euangeliſtarum*; tradunt ſcripſiſſe ſermone Græco. Et D. Hieron. *de viris illuſtribus*, teſtatur, ipſum originale fuiſſe viſum Alexandriæ à multis litteris Græcis compoſitum. Alij tamen multi tam Græci, quàm Latini tenent Latino idiomate fuiſſe conſcriptum. Ita D. Gregor. Nazianz. *lib. Carminum ſuorum.* Damaſcen. *in vita D. Petri.* Armacan. *lib. 9. quæſt.* Fabric. *in præfat. Noui Teſtamenti Syriaci*; & teſtatur, Euangelium Marci Latinè ſcriptum Venetiis ſeruari Genebrardus *lib.* 3. Petrus de Natalibus ait, quòd *Romæ ſcripſerit ſuum Euangelium ſermone Latino, & iterum poſtea Græco eloquio exarauit, quod vſque hodie in Aquileienſi Eccleſia demonſtratur.* Et hoc maximè mihi placet, quia in concordiam reducit illas duas ſententias grauiſſimorum Patrum.

15. Et quòd ſcripſerit Latinè, multæ ſunt coniecturæ; compoſuit enim illud Romæ

in

in gratiam Romanorum, Ad quid, quæſo, Græco ſermone? Secundò Titulus Crucis inſcriptus eſt litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis; ita fuit conueniens, vt Euangelium ſcriberetur Hebraicè à Matthæo, Græcè à Luca, & Ioanne, Latinè à S. Marco. Tertiò, quia S. Marcus vtitur multis verbis Latinis, cap. 5. n, 9. *Legio eſt mihi nomen.* Nota hîc vltimò, quòd D. Marcus appellatur à D. Auguſtino *lib, de conſenſu Euangeliſtarum c.* 2. Breuiator Matthæi, non quòd illius Euangelium in compẽdium redegerit: nam multã narrat Marcus, quæ non habentur in textu D. Matthæi, vt hiſtoriam Aſcenſionis, ſed quòd multa, quæ Matthæus latè narrat, breui ſermone compoſuerit Diuus Marcus.

Marc. 5. D. Auguſt.

Capvt V.

De beati Lucæ Euangelio.

SANCTVS Lucas, Chriſti Diſcipulus, vt aliqui probabiliter dicunt, ſcripſit ſuum Euangelium occaſione, ac motiuo deſumpto ex precibus Theophili, Senatorij ordinis viri, vt ait Euthymius, & ſui amantiſſimi, vt omnes fatentur. Ita exiſtimat Abulenſ. *q. 20. in præfatione Matthæi.* Communis tamen ſententia eſt, quòd occaſio contexendi Euangelium manauerit ex eo, quod videbat beatus Lucas, multa falſa ab aliquibus, vt Cerintho, Merintheo, ac ab aliis huius farinæ dici, & ſcribi circa hiſtoriam vitæ Chriſti; vt cùm illa non probaret beatus Lucas, omnia per ordinem voluit narrare, vt ipſe teſtatur, in exordio ſui Euangelij. Ita D. Ambroſius, Beda. Boſtrenſis, & alij communiter. Euangelium hoc ita approbauit Paulus, vt dicat D. Hieronymus de viris illuſtribus. *Quidam ſuſpicantur, quotieſcumque Paulus in ſuis Epiſtolis dicit*, iuxta Euangelium meum, *de Lucæ ſignificare volumine.* Scripſit in Achaiæ, & Bæotiæ partibus Græco ſermone, vt eſt valde commune. Ita D Hieron. *in præfat. Matthæi*, Vincentius Belonenſis *lib. 9. hiſt. c.* 90

16. *Motiuum ſcribendi.* Euthymi. Abulenſ. D. Ambroſ. Beda. Boſtrenſis. D. Hieron. Belonenſis.

Quo tempore ſuam hiſtoriam litteris mandauerit Diuus Lucas, valde dubium; nam neque Euſebius Cæſar. *lib. 3 c.* 3. neque D. Irenæus *lib.* 3. cùm de hoc Euangelio faciat mentionem, illud aſſignant. D. Epiphan. *hæreſi* 51. exiſtimat Lucam ſcripſiſſe per nouem menſes ante Matthæum. Quod ita fortaſſe eſt intelligendum, quòd cœpit ſuum Euangelium à Conceptione Chriſti, quæ fuit nouem menſes ante Natiuitatem, & adorationem Regum. Theophylactus aſſerit, factum fuiſſe anno decimoquinto poſt Chriſti Aſcentionem. Sed ad hoc nullum apponit fundamentum. Baronius anno Chriſti quinquageſimo octauo in Eptitome Spondani, *n.* 4. ait, ſcriptum fuiſſe prædicto anno quinquageſimo octauo, eo fundamento, quia tali tempore Paulus, & Lucas verſabantur in illis regionibus Achaiæ, & Bæotiæ, vt ipſe computat. 17. *Quo tempore.* Euſebius. D. Epiph. Theophyl. Baronius.

Sed contra hoc grauiter vrget id, quod ipſe Baronius dicit *citato loco n.* 17. ſcilicet, quòd Paulus eodem anno ſcripſerit ſecundam Epiſtolam ad Corinthios Et tamen in ea, vt volunt D. Hieron. Origen. D. Ignat. *epiſt.* 14. de beato Luca, ait Apoſtolus: *Miſimus cum illo*, id eſt, Tito, *Fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias.* Vt autem laus Euangelij Lucæ eſſet per omnes Eccleſias, ad minimum requirebantur tres, vel quatuor anni poſt eius ſcriptionem: ergo illa Epiſtola non potuit eſſe ſcripta eodem anno, ſed tribus, vel quatuor poſtea. Poſt ſcriptum ſuum Euangelium aliud volumen compoſuit, Acta ſcilicet Apoſtolorum, & ideo ipſe in illius exordio ait, *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere, & docere.* 18. D Hieron. Origenes. Ignat. Act. 1.

Capvt VI.

De ſancti Ioannis Euangelio.

IOANNES Euangeliſta, ſecundùm omnium ſententiam, vltimus ſcripſit ſuum Euangelium; primus tamen ſubtilitate, ac dignitate rerum, & altitudine myſteriorum, velut altera Ezechielis aquila altiùs ſuper cæteros euolauit. de quo eleganter D. Paulinus *epiſt. 5. ad Amandum Epiſcopum.* 19. Paulin.

Occaſio, ac motiuum ſcribendi ſuum Euangelium, triplex extitit. Prima cauſa, quia cùm ſæpe Ioannes ageret de diuinitate, ac Chriſti miraculis, rogatus eſt ab Epiſcopis Aſiæ, illa vt ſcriberet, vt ſic eſſent in omnium notitia, & memoria. Ita 20. *Motiuum ſcribendi.*

D. Hieron. Dorothæus. D.Auguſt.

D.Hieron.*in Prologo Matth.Plures fuiſſe,& de ſcriptorib.Eccleſ.cap.*19. Doroth. *in Synopſi.* D.Auguſt.noſter Cyrillus,D.Thom.*in 2.proœm.Ioannis.* Secunda ratio ſcribendi,vt confutaret Cerinthum, Ebionem, & alios Chriſti diuinitatem negantes,ac dicentes,Chriſtum ante Virginem Mariam nō fuiſſe;vnde compulſus eſt eius diuinam generationem enarrare. Ita SS. Patres proximè citati. Tertia ſcribendi extitit, vt refert Euſebius lib.3.hiſt. cap.24. *Cùm ad Ioannem,*ait,*trium Euangeliorum notitia perueniſſet,probaſſe quidem dicitur,fidem,& veritatem dictorum;deeſſe tamen aliqua,& ea maximè,quæ primo prædicationis ſuæ tempore Dominus geſſerat. Quia hæc videbantur omiſſa, rogatus dicitur,vt ea,quæ præterierant priores,ante traditionem Ioannis, & Saluatoris geſta conſcriberet. Vnde ,quia natiuitatem ſecundùm carnem Matthæus,& Lucas deſcripſerant,retinuit hic Ioannes , & à Theologia, atque ipſa diuinitate ſumit exordium,quæ pars ſine dubio ipſi,veluti eximio per Spiritum ſanctum reſeruata eſt.* Hæc Euſebius. Similiter D. Hieron. *de ſcriptorib. Eccleſiaſt. cap.*19. Et hæc cauſa fortaſſe pertinet ad primam quòd rogatus ſcripſerit Euangelium. Nota verò, quòd cùm ille eſſet compulſus à fratribus, vt ſcriberet Euangelium; indicto ieiunio aſcendit in montis verticem,vbi audita ſunt tonitrua in voce expreſſa reſonantia, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,*&c. Ita D. Hieron.*in prolog. Matth.Plures fuiſſe.* Sanctus verò Euangeliſta pro illo loco, in quo Diuina ſcripturus ſeceſſerat, orauit, vt nullas ventorum, aut imbrium iniurias pateretur. Et hanc reuerentiam vſque hodie illi loco elementa ſeruant. Ita teſtantur Vincent. Bellouac. *in ſpeculo hiſtoriali, lib.*10.*cap.*4. Ruffin *in hiſtor.Eccleſ.* Aublenſ.*in præfat. Matth.q.*20 *in fine.*

Euſebius. *Ioannis Euangelium venerantur elementa.* D. Hieron. Bellouac. Ruffinus. Abulenſ.

21. *Quo ſermone.* Metaphr. Doroth. Nicephor. D. Hieron. D. Epiphan. D. Irenæus. D.Athan.

Scripſit Ioannes ſuum Euangelium Græco ſermone,ac Epheſi in Aſia,vt ferè omnes conueniunt,licèt quoad locum diſcrepent. Metaphraſtes *in vita S.Ioannis.* Dorothæus *in Synopſi*, Nicephorus *lib.*2.*cap.*42. dicunt in inſula Pathmos. Communis tamen ſententia eſt quòd edidit Epheſi. Ita D. Hieron. *de viris illuſtribus, cap.*19.*& in prologo Matth.* D.Epiphan.*hæreſi* 41. D.Irenæus *lib.*3.*cap.*1. D.Athanaſ.*in Synopſi*,ac communiter alij.

22. *Quo tēpore,* Prochorus. D.Epiphan. D. Athan. D.Iſidorus. D. Hieron. D.Thom. Beda. Viegas. Apoc.5. Areopag.

De tempore, quo Ioannes ſuum Euangelium litteris mandauit, recepta ſententia eſt,poſtquam ab inſula Pathmos rediit Epheſum; & ideo eius inſcriptionem ponunt anno Chriſti nonageſimo nono, & poſt eius Paſſionem ſexageſimo octauo. Ita Prochorus Chriſti Diſcipulus ſequutus Ioannem, & ipſo dictante ille ſcripſit Euangelium. Ita teſtatur *lib.de vita S.Ioannis,cap.*46.D.Epiphan.*hæreſi* 51.D.Athan.*in Synopſi*, D.Iſidor.*de viris illuſtribus*, D.Hieron *in prologo Ioan.* S.Thom.Beda *in lib.de ſex ætatibus mundi*,& communiter alij multi,qui conſequenter dicunt, quòd primò ediderit Apocalypſim in inſula Pathmos,& poſtea Euangelium Epheſi, quod confirmat Viegas *in proœmio Apocalypſis,num.*5. Ex illo, quòd ibi dicitur Ioanni cap.5. *Oportet te iterum prophetare gentibus,& populis*, &c. Dionyſij Areopagitæ miſſa Ioanni exulanti in inſula Pathmos, vbi prædicendo eius regreſſum ab exilio, ait: *Quod à Deo didicerim, dicam, te liberatum iri ex Pathmi ergaſtulo, in Aſiam rediturum, in qua facturus ſis Dei imitationes,& poſteris proditurus.* quod præſtitit,Euangelium ſcribendo.

23. Salmeron. D.Dionyſ. Clemens.

Salmeron *prolog.*24.*§.verum*,exiſtimat,quòd Ioannes compoſuerit ſuum Euangelium Epheſi,antequam eſſet relegatus. Primò, quia D. Dionyſ. *citata epiſt.*ipſum appellat Solem Euangelij. Sed hoc facilè intelligitur ratione prædicationis; ſicut etiam *Apocal.*1. dicitur,*ſignificauit Deus ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei*, ſcilicet prædicando. Secundò. Quia S.Clemens *lib.*2.*de conſtit.cap.*61. facit mentionem de Euangelio Ioannis: & tamen S.Clemens,vt ait citatus Salmeron,mortuus eſt ſub Domitiano, antequam Ioannes ſcilicet reuerteretur ab inſula Pathmos. Hoc tamen fundamentum facilè refellitur; nam Clemens paſſus eſt anno Chriſti centeſimo ſecundo, tertio anno poſt obitum Ioannis, Traiano Imperatore. Ita Breuiarium Romanum Hæc,quæ diximus,tradunt Euſebius *lib.*3.*hiſtor.cap.*28. D.Hieron. *de ſcript. Eccleſ.cap.*25.Baronius *anno Chriſti centeſimo ſecundo.*

Breu. Rom. Euſeb. D. Hieron. Baron.

24. D. Auguſt. Antioch. Chryſoſt. D. Hieron. *Euangelium Ioānis in magna veneratione.*

Tanta fuit auctoritas Euangelij Ioannis, vt quidam Platonicus,teſte D. Auguſtino *lib.*10.*de ciuit Dei, cap.*29. diceret, quòd per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis aureis litteris eſſet ſcribendum principium Euangelij Ioannis. Et Concilium Antiochenum, & D. Ioannes Chryſoſt *homil.* 73. in Matthæum, & D. Hieron. *in cap.*23. *Matth.*teſtantur,quòd multi Chriſtiani de collo ſuſpenſum manifeſtè adſportarent.

LIBER

LIBER PRIMVS

Ab exordio Euangelij IESV CHRISTI, vſque ad ſomnium Sponſi ſanctiſſimæ Virginis MARIÆ IOSEPH.

CAPVT PRIMVM.

DE GENERATIONE ÆTERNA.

Ioannis 1.*n.*1.	In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

VERSIONES.

Syriacus, & Pagninus.	In principio erat Verbum: & illud Verbum erat apud Deum: & Deus erat illud Verbum.
*D.Cypr. lib.*2. *in Iuda c.*5. *D. Ambroſ. lib. de fide, c.*2. *D.Hilar.lib.*2.*de Trinit.*	In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo.
*Tertullian.aduersùs Praxeam, c.*11. *Origen.tom.*1.*in Ioan.*	In principio erat ratio, & ratio erat apud Deum, & Deus erat ratio,
Caietanus.	In principio erat ratio, & ratio erat ad Deum,*&c.*
D.Gregor.Nazianz.orat. 4 *de Theol.*	In principio erat definitio.
*Aliqui ex Hebræo apud Maldonatū & Salmeron lib.*2.*tract.*3.	In principio erat realitas, ſeu veritas.
*Aliqui apud D. Hieron. epiſt.*103.*ad Paulinum.*	In principio erat ratio, cauſa, ſuppoſitatio, cuiuſcunque rei, &c.
*Tolet. annot.*1. *ex Græco.*	In principio erat oratio, ſeu virtus, ſeu pactum.

EXPOSITIO I.

Dictionis, *In principio.*

DIVVS Ioannes habuit motiuum ſcribendi ſuum Euangelium, vt refutaret varios hæreticos æternitatem diuinitatis Chriſti Domini negantes, vt dixi *in Proœmio cap.*6. Ait ergo, *In principio*; & variè exponitur à Patribus. Primò, aliqui exponunt,vt per *Principium* intelligatur Filius, ita vt ſit ſenſus: Filius erat principium creaturarum. Ita inſinuant Origenes citandus.D.Hieronymus *in Pſalm.*109. At hæc expoſitio ſuam habet violentiam: faciliùs enim erat dicere, *Principium*, hoc eſt, Filius, *erat Verbum.* Secundò. Alij per *Principium* intelligunt exordium,ac initium rerum, quæ creatæ ſunt, tanquam ſit ſenſus: In principio creationis mundi Verbum iam erat, ac exiſtebat; & hæc expoſitio maximè inſeruit intentioni Ioannis ad confutandas hæreſes, quæ dicebant Chriſtum ante Mariam non eſſe. Ita D.Hilarius *lib.*2. *de Trinit.* Baſilius *homil. in hæc verba Ioannis.*Chryſoſtomus *homil.*2.D.Auguſtinus *in quæſtionibus mixtis ex veteri,& nouo Teſtamento, quæſt.*122. D.Ambroſius *lib.*1.*de fide, c.*5. Tamen intentio Ioannis altiùs volat, nempe ad ipſam æternitatem, vt patet ex ſequenti,*& Verbum erat apud Deum.*Tertia expoſitio per *Principium* intelligit Patrem, qui à Theologis dicitur *Principium ſine principio*,ita vt ſit ſenſus:In Patre erat Verbum.Hæc eſt Origenis *tom.*1.*in Ioannem*, D.Cyrilli *in hoc loco*, D.Auguſtini *lib.de Trinit. cap.*2. D.Anaſtaſij Sinaitæ *orat.*1.D.Thomæ,Lyræ,& aliorum *hîc.* Sed obſtat cum hac expoſitione, quòd Euangeliſta ſtatim ait: *& Verbum erat*

Origenes. D. Hieron. Hilar. Baſilius. Chryſoſt. Auguſt. Ambroſ. Origenes. Cyrillus. Auguſt. Anaſtaſ. D.Thom. Lyra.

apud

apud Deum, ſcilicet Patrem. Ad quid ergo diceret: In principio, id eſt, in Patre, erat Verbum?

2. Quarta expoſitio per *Principium* accipit æternitatem, non quòd æternitas habeat principium, vel finem, cùm intrinſecè vtroque careat; ſed dicitur principium, quia eſt prior æuo, & tempore, atque ideo prima carens omni principio, vt ſit ſenſus. In omni æternitate, ſeu inſtanti reali, quod à parte rei cogitaueris, Verbum iam erat: & hoc pacto Ioannes egregiè explicat æternitatem Verbi, & amputat omnes hæreſes ſui temporis. Et valde frequens eſt in Scriptura explicari æternitatem per principium, vel initium.

Iſaiæ 41. Mich. 5.

Iſaiæ 41.num.5.Deus dicitur *Primus*, id eſt, æternus.Michææ 5.n.2. *Egreſſus eius à principio.* Et ſtatim explicat hoc *principium*, ſubdens, *A diebus æternitatis.*

Prouerb. 8.

Prou.8.n.22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Et ſtatim exprimit illud initium,

Eccleſ. 24.

*Ab æterno ordinata ſum.*Eccleſ.24.n.14. Ioannis cap.1. num.1. Hanc expoſitionem tradunt,

Baſilius. Ambroſ. D.Gregor. Hilarius. Fauſtus. Gereal. Cyrillus. S. Thomas.

D. Baſilius *lib.2.contra Eunomium.* D. Ambroſ.*lib.1. de fide, c.5.num.*1.S. Gregor.Nazianz. *tract.de fide.*D.Hilar.*lib.7.de Trinit.* Fauſtus Preſbyter contra Arrium, *cap.*1. Gereal Epiſcop.*aduerſùs Maxim.cap.*19 hic noſter Cyrillus, S.Thomas, Caiet. Hugo, Salmeiron *tom.2. tract.*4. Et hæc videtur probabilior.

QVÆSTIO I.

Quomodo diuina generatio recitetur.

3. Iſaiæ 53.

CVM diuinus Spiritus dicat: *Generationem eius quis enarrabit?* Iſaiæ.53.n.8.quod de generatione æterna intelligitur; eam tamen cur Ioannes hîc deſcribit? Reſpondeo, quòd tempore Iſaiæ non poſtulabatur, vt æterna generatio hominibus innoteſceret (cùm tunc cognitio Trinitatis eſſet valde confuſa,) & ideo nullus erat qui eam poſſet enarrare.

Deus in negotijs Eccleſiæ non deeſt.

At Ioannis ætate (cùm iam Triadis myſterium eſſet manifeſtatum) maximè requirebatur generationis æternæ explicatio ad hæreticorum perfidiam refrænandam, & ideo ſuſcitauit Deus huius diuinæ Aquilæ Spiritum, vt eam nobis eructaret. nam in his quæ ad fidem & Eccleſiam pertinent, Deus, vt prouidus pater, ſemper adeſt, vt nec minimùm deſit.

Daniel. 3.

Ille impius Nabuchodonoſor erexit ſtatuam ſuam, & Dei adorationem intentat ſibi arripere, ac tanquam Deum ab omnibus vult adorari. Tres pueri Hebræi Regis mandato non obediunt, ac ſtatuam colere contemnunt, de quibus eleganter ait S. Paulinus lib. 3. Epiſt. 139.

Paulin.

Dedit eis Deus ingenij acumen, & prudentiam in ſapientia. Sed cur modò illi pueri tam affluenter potiantur diuinæ ſapientiæ vbertate? Barbarus Rex totus erat vt ſua potentia obſcuraret in hominibus Dei ſcientiam, ac cognitionem; ne ergo res fidei verſaretur in diſcrimine aliquo, dat Deus pueris illis ingenij acumen, prudentiam, & ſapiẽtiam, vt falſa dogmata valeant refutare, & myſteria fidei explanare, ac alta voce proclamare.

Saluian.

Saluianus lib.2.de Prouidentia. *Dei gratia*, ait, *diſſipat tenebras, quas iniquitas toto ſuo enixu defundit.* Vide infrà de hoc iterum hoc cap.*quæſt.3.num.6.* vbi latiùs.

QVÆSTIO II.

Quare hîc non ponatur Titulus?

4. EX propoſita quæſtione alia oritur quæſtio; quare Ioannes, cùm hîc ſcribat generationem Verbi æterni, non præfixerit titulum in initio, ſcilicet, *Liber Generationis*, vt refert D. Matthæus. Et habetur *Gen.5.num.*1. ſed ſtatim intonat: *In principio erat Verbum?* reſpondeo, cognitum eſſe à D. Ioanne id, quod prænuntiatum erat ab Iſaia, de æterna generatione: *Generationem eius quis enarrabit?*

Arrogantiæ nota fugienda.

Hanc ergo ſcribendo ſuppreſſit titulum, ne arrogantiæ notaretur, ac proinde vt optimus magiſter voluit ſuos docere, ac inſtruere, in his, quæ neceſſaria erant; & vt prudens, ac modeſtiſſimus euitare ea, quæ elationis notam poterant habere, vt ait D.Gregor.*in 2. Reg. cap.*10. dum expendit, quòd Saul patruo ſuo omnia verba Samuelis manifeſtauerit; prædictionem verò regni tantùm occultauerit.

D. Gregor.

Nam, ait, *qui magna dignitate, magnáque ſanctitate radiat, multa videndo oſtendit, quæ loquendo non dicit.* Ita ille.

QVÆSTIO III.

Quare Euangelium initietur: In principio?

5. CVR D.Ioannes ſuum Euangelium inchoet, dicendo: *In principio?* reſpondent communiter Authores, præcipuè Recentiores, vt Teſtamentum vetus, & nouum maximè ſibi correſpondeant, & cohæreant; nam ſicut Moyſes in Teſtamento veteri incepit: *In principio creauit Deus*; ita Ioannes in nouo: *In principio erat Verbum.*

Teſtamentum nouum, & vetus ſibi correſpondent.

Ferus. Barradas.

Et hoc latè per multas conuenientias explicat Ferus *in præſenti.* Barradas *lib 3.cap.*1. Sed cum hac ſolutione obſtat, quòd hic liber Ioannis non eſt primus Teſtamenti noui, ſed inter Euangeliſtas vltimus, vt patet ex procemio *cap.vlt.*

6. Ideo reſpondeo primò, quòd D. Ioannes noluit ante ſuum Euangelium præmittere aliquod verbum, vel præfatiunculam, ſicut Lucas *cap.1. num.*1.Marcus *cap.1.num.*1. qui amicorum rogatu Euangelium ſcripſerunt, vt patet ex procemio *cap.4.& 5.* At Ioannes ſtatim intonuit, *In principio erat Verbum*; compoſuit enim Euangelium ſuum ad confutandos errores ſui temporis, & ad explanandas res altiſſimas fidei. Noluit ergo conterere tempus in exordiis, ſed ſtatim hæreſes eradicare, vt nos inſtrueret, quòd in negotiis fidei, & magni ponderis, non eſt detinendum in verbis, ac exordiis, ſed citiſſimè ſubueniendum, ac opportunum remedium adhibendum.

Negotio fidei citiſſimè occurrendũ.

7. Secundò Ioannes maximo amore diligebat Chriſtum, & in hoc Euangelio agebat cauſam ipſius honoris, & antiquitatis contra hæreticos, qui dicebant, ipſum non eſſe ante Virginem Mariam: non potuit ergo moram facere in verbis, ſed continuò proclamare, *In principio erat Verbũ.* Verus amator, ac diligens non patitur moras, vt pro dilecti honore ſtet, ac eius cauſam ſuſcipiat.

Amicus pro honore amici ſtat.

Chryſoſt.

Tertiò, poteſt reſponderi ex D.Chryſoſtomo homil.1.

mil.1.in Ioan. *Conſidera etiam*, ait, *in Euangeliſta prudentiam ſpiritualem, nouerat homines, id quod antiquius eſt, quod eſt ante omnia, maximè honorantes, propter hoc primum dicit Principium.* Ac ſi dicat: Ante omnia proponit antiquitatem Verbi ad conciliandam ei debitam reuerentiam. nam quæ antiqua ſunt, maximè venerantur.

Antiquitas veneranda.

8. Quartò, ſtando in illa prima interpretatione, quam retulit in expoſitione, quæ per *Principium* intelligit filium, quæ ſaltem in ſenſu morali eſt probabilis; voluit D.Ioannes in limine ſui Euangelij Ieſum Chriſtum apponere, vt lucem, ac ducem totius veritatis, ac doctrinæ.

Chriſtus pro luce in Scriptura.

D. Hieron.

D.Hieronymus *in quæſt.ſup.Geneſ.* dum explicat illud, *In principio creauit Deus*, *Magis*, ait, *ſecundùm ſenſum, quam ſecundùm Verbi tranſlationem de Chriſto accipi poteſt, qui tam in ipſa fronte Geneſeos, quæ caput librorum omnium eſt, quàm etiam in principio Ioannis cæli, & terræ conditor approbauit. Vnde Pſalmiſta ait de ipſo: In capite libri ſcriptum eſt de me, id eſt, in principio Geneſeos, & in Euangelio.* vbi Chriſtum ponit exordium totius Scripturæ, & doctrinæ.

Pſalm. 31.

*Pſalm.31.n.*10. ait. Regius Vates: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* In illo ablatiuo *lumine* intelligunt Chriſtum Didymus, Origenes, & Beda; ipſe enim eſt lumen de lumine.

Didymus. Origenes. Beda.

In hoc ergo lumine, ait Regius Vates, videbimus lumen, ſcilicet diuinas reuelationes contentas in Scriptura.

D. Ambr.

D. Ambroſ.lib de Spiritu ſancto, cap.16. *Apud te*, inquit, *Deus omnipotens Pater, qui fons vitæ es, in lumine tuo Filio videbimus lumen Spiritus ſancti.* Per lumen autem Spiritus ſancti intelligit Scripturas.

9. Ex præcepto Angeli Raphaëlis iunior Tobias parentis oculos liniuit, & ſtatim viſum recepit, *Tob.11.num.*8. Cur, quæſo, ad illuminandos oculos non alio inſtrumento vtitur Angelus, ſed tantùm felle piſcis? Chriſtum D. figurabat piſcis ille, vt author eſt Optatus *lib.3. aduerſùs Parm.*

Optatus.

viſus ille non ſolùm erat ad intuenda temporalia, ſed etiam ad percipienda diuina myſteria, vt ei Angelus aperuit, *c.*12. Et ad cognoſcenda cæleſtia ſolùm typus, in quo Chriſtus exprimebatur, poterat oculis dare viſum, & cenſui intelligentiam, vt ipſe præſtitit Diſcipulis, Luc.24. num.45. *Vt intelligerent Scripturas.* Ipſe ergo nos illuminet, vt in toto hoc opere, ac in omni actione aliquid in eius laudem, & gloriam dicamus.

Luc. 24.

EXPOSITIO II.

Dictionis, *Erat.*

10. VSVS eſt Euangeliſta hîc verbo *Erat. In principio erat Verbum.* Non poſuit, *fuit Verbum*, hoc enim ſignificat, rem præteriiſſe, & eſſe deſiiſſe, vt dicitur de illa beſtia

Apoc. 17.

Apocal.17.num.8. *Quod fuit, & non eſt.* Nec etiam vſus eſt verbo præſenti, *Eſt*, quia tunc non explicabat id, quod intendebat, ſcilicet Chriſtum eſſe ante Mariam, & ab æterno. Futurum ſignificat, rem adhuc non eſſe, ſed poſtea fore. Aptiſſimè ergo protulit *Erat*, hoc enim verbum innuit quandam permanentiam, perennitatem, atque firmitatem in duratione.

D. Baſilius.

Ita D. Baſilius, Cyrillus *lib.1. in Ioan. cap.*1. Chryſoſt. *homil.3.* Theophyl. Alcuinus, Beda, S. Thomas, D. Bonauent. Caiet Beaulxam. & alij *hîc.*

Cyrillus. Chryſoſt. Alcuinus. Beda.

11. Et quia hæc obſeruatio in verbo *Erat*, poterat pati aliquas inſtantias, ideo Euangeliſta non poſuit nudè *Erat*; ſed antè præmiſit, *In principio*, id eſt, ab æterno, vt prima expoſitione dixi: illud enim, quod eſt æternum, attingit omnia tempora, *eſt, fuit, & erit*; ſicut quod eſt æternum, caret principio, & fine. Ita expendunt vim illius verbi ſancti Patres,

Hilar.

D. Hilar. *lib.2. de Trinit.* D. Ambroſ. lib.1. de fide, cap.5.

Ambroſ.

Indefinitè, ait, *traditur*, Erat; *quod enim erat in principio, non clauditur tempore, non principio præuenitur.* Ita ille.

Anaſtaſ.

S.Anaſtaſius Sinaita orat. 1. *Mens noſtra*, ait, *non poteſt ſuperare, & tranſcendere illud* Erat, *ſemper enim occurrit altius* Erat, *omni cogitatione, & aſcenſu, & in ſublimius volatu altius poſitum. Licet enim quis ſe ipſum eleuet, numquam tranſibit*, Erat; *anticipat finem, & principium, quod non patitur præire quemquam.* Et eleganter explicat, quòd illud *Erat*, in æternitate nunquam poteſt tranſgredi, cùm non habeat principium, nec finem.

QVÆSTIO IV.

Quare hîc ponatur, Erat?

12. DIVVS Ioannes hîc apponit verbum *Erat*, modi imperfecti; non enim videtur conueniens ad explicandam excellentiſſimam perfectionem diuini Verbi, cùm in ſuo modo ſignificandi imperfectionem inuoluat, vt ait Plinius in præfat. Operis de naturali hiſtoria ad Veſpaſian.

Plinius.

Ideo enim, ait, *pingendi, ac fingendi conditores eo vtuntur, vt Apelles faciebat, vt Polycletus faciebat, tamquam inchoata ſemper arte, & imperfecta; vt contra iudiciorum varietates ſupereſſet artifici regreſſus ad veniam veluti emendaturo quidquid deſideratur.* Reſpondeo. Propter rationes datas in expoſitione, innuit enim quandam permanentiam in duratione, vt ibi dixi.

Cognitio Dei in hac vita imperfecta.

Secundò, & moraliter, quia dum Euangeliſta dat nobis notitiam de diuino Verbo, ac eius generatione, vſurpauit hoc Verbum *Erat*, imperfecti modi, vt nobis denotaret quòd omnis notitia, quæ in hac vita habetur de hoc diuino myſterio, eſt valde imperfecta, & minùs abſoluta.

Pſalm. 17. Pſalm. 104.

Poſuit tenebras latibulum ſuum. Pſalm.17. n.12. Et, *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius*, Pſalm.104. num. 6. Quod explicat Origenes *lib. 6. contra Celſum*, de cognitione imperfecta, quæ habetur in hac vita de Deo.

QVÆSTIO V.

Quare Ioannes in ſua Canonica apponat Fuit, *hîc verò*, Erat?

13. NOSTER Euangeliſta dum in ſua Canonica agit de æternitate diuinæ naturæ, vtitur verbo *Fuit. Quod fuit ab initio*, 1. Ioan. 1. num.1. id eſt, æternitas diuinæ naturæ, ſeu eſſe, vt explicat Gloſſa, & Patres apud Benedictum

Ioan. 1. Benedict.

Iuſtinian.

Iuſtinianum *ibi.* At in hoc Euangelio apponit *Erat*, quod ſine dubio multo congruentius eſt ad hoc myſterium explicandum, vt notant omnes ſancti Patres, cùm dicat quandam permanentiam in duratione, vt dixi in expoſitione. Vide Patres citatos *ibi.* Reſpondeo, quòd D. Ioannes in ſua Canonica ſcribebat ad diſcipulos, & filios ſuos; in Euangelio verò rem habebat cum hæreticis. Et quando agitur cum amicis quibus conſtat veritas, quæcumque verba ſufficiunt. At cum aduerſariis, qui nos intendunt capere in ſermone, verba debent eſſe accommodatiſſima, & valde propria, & ideo opportuniori verbo *Erat*, hîc vſus eſt. Et hac de cauſa D. Auguſt. *lib. de catechizandis rudibus cap.*7. monet Prædicatores, vt cautè, & prudenter ſe habeant, propter hæreticos. Vide infrà *num.*23.

Cum inimicis verba cauta.

D.Auguſt.

QVÆSTIO VI.

Quare toties repetiuit, Erat?

14. DIVVS Ioannes hîc quadruplicat *Erat* Primò, *In principio erat Verbum.* Secundò, *& Verbum erat apud Deum.* Tertiò, *& Deus erat Verbum.* Quartò, *hoc erat in principio.* Ita notarunt ſanctus Baſilius homil. ad hunc locum. *Quartum dic* Erat, *& blaſphemiam hæreticorum conculcabis, qui dicunt*, non erat. Similiter Ambroſius *in tract. de Symbol. & lib. de fide ad Grat. cap.*5. Reſpondeo primò, cum Beda hîc. *Ideo* inquit, *quater dicit Euangeliſta*, Erat, Erat, Erat, Erat, *vt intelligeret omnia tempora præueniſſe coæternum Patri Verbum.* Ac ſi diceret, Quatuor ſunt tempora, præſens, præteritum imperfectum, perfectum, & futurum; ac proinde quater Euangeliſta repetiuit, *Erat*, vt denotaret omnia illa tempora includi in æternitate Verbi. Secundò, quia Euangeliſta quatuor hîc explicat de Verbo, vt dicam expoſit. 4. & 5. Æternitatem, diſtinctionem à Patre, conſubſtantialitatem, & æqualitatem: quater ergo repetit *Erat*, ſicut ſponſus poſtulat à Sponſa quater reuertere. Cantic. 6. num. 12. *Reuertere*, ait, *reuertere, Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Quod propter quatuor corporis dotes fit, quas intelligunt D. Gregor. Caſſiodorus, Beda, & alij apud Ghiſler. Quia manifeſtanda erat per quatuor Orbis partes. Aponius per quatuor Euangeliſtas, quæ omnia etiam hîc in præſenti poſſunt accommodari.

Baſilius.

Ambroſ.
Beda.

Æternitas Dei omnia tempora ambit.

Cantic.6.

D.Gregor.
Caſſiodorus.
Beda.
Aponius.

EXPOSITIO III.

Dictionis, *Verbum.*

15. VOx Græca, vt notat D. Hieronymus *epiſt.* 103. *ad Paulin.* quæ reſpondet Verbo, pluribus eſt grauida ſenſibus, quàm vox Latina *Verbum*; & ideo loco *Verbi* aliqui tranſtulerunt Ratio, Suppoſitatio, & cauſa vniuſcuiuſque rei, per quam ſingula ſunt, quæ ſubſiſtunt. Item Menſura, Definitio, ſermo, ſeu oratio. Alij verò, vt dixi, ex radice Hebraica, Realitas, ſeu veritas; & quamquam hæc omnia conueniant Filio Dei: Ratio, prout in Filio omnia Pater intelligit, & ipſe eſt omnium Idæa. Cauſa, Suppoſitatio, Realitas, veritas, prout ipſum eſt primum ens, & vnà cum Patre, & Spiritu ſancto, omnia producit. Menſura, quia omnia diſpoſuit in pondere, & numero. Sermo, quia carne indutus nobis locutus eſt. Definitio, prout in ordine ad ipſum, vt primum ens, omnia poſſunt definiri; tandem virtus prout omnis ab ipſo eſt.

D.Hieron.

16. Tamen, vt notat D. Auguſt. *lib.*83. *quæſt. c.*63. multo conuenientius eſt nomen *Verbi*, quod Eccleſia Latina retinet. Nam ratio, ſuppoſitatio, cauſa, menſura, definitio, veritas, & realitas, virtus, pactum, non dicunt proceſſionem, quam importat Verbum, cùm ſignificet id, quod à loquente procedit. Deinde Ratio reperitur in eo, qui adhuc actu non intelligit, & Verbum non datur, niſi in actu intelligente, quod propriiſſimè conuenit Deo. Tandem ſermo ſignificat orationem compoſitam ex multis dictionibus; at verò Verbum quid ſimplex, etſi perfectiſſimum ſit, complectitur integram ſententiam: ergo multo congruentius eſt ad explicandum myſterium Trinitatis, quod Ioannes hîc intendebat. Cùm autem duplex ſit Verbum, vnum externum, quod ad alios fertur; alterum internum, quo mens ſecum loquitur, *Dixi in corde meo*; Ioannes hîc non agit de Verbo externo, quia hoc in tempore cœpit in Deo; ſed de Verbo interno, quod eſt ab æterno: & eſt perfectiſſima imago loquentis, vt dicam ſequenti *quæſt.* 7. Et hoc ipſum nomine Verbi hîc intelligit.

D.Auguſt.

QVÆSTIO VII.

Quare Dei Filius dicatur Verbum?

17. ALIQVI reſpondent, ita dici ab effectu: vt Origen. *lib.* 1. *in Ioan.* vbi ait, Filium Dei appellari rationem, vel ſermonem; rationem, quia aufert quidquid contrarium rationi eſt: ſermonem, quia occulta Patris nobis manifeſtat. In quo etiam conuenit D. Auguſt. *lib. quæſt. ex vtroque Teſtam cap.*122. Et in hoc ſenſu D. Baſil. *lib.* 5. *contra Eunom.* inquit Spiritum ſanctum appellari Verbum, quia per eum Pater, & Filius nobis loquuntur. At valde impropria eſt huiuſmodi locutio, vt rectè obſeruat D. Thomas hîc *in ſuo commentario.*

Origenes.

D.Auguſt.

Baſilius.

18. Quantum ad quæſtionem doctiſſimè tres rationes nobis dat S. Baſilius *homil.* 16. ſuper hæc verba: *Cur Verbum?* ait, *quò oſtendat, quod ex mente proceſſit. Cur Verbum? Quia citra paſſionem natus eſt. Cur Verbum? Quia imago eſt genitoris, totum in ſe ipſo Genitorem oſtendens.* Similiter ferè D. Gregor. Nazian. *orat.*4. *Theolog.* Prima ratio, vt Filius Dei ex mente Patris productus demonſtretur. Et hanc etiam tradit D. Auguſt. *lib.*7. *de Trinit. cap.*1. Secunda, vt ſignificetur procedere ſine vlla paſſione, motu, ac materialitate. Et hanc etiam docent D. Ambroſ. *lib.*1. *de fide, cap.*2. Chryſoſt. *hom.*2. *in Ioan.* Euthym. Theophylact. D. Thom. *in ſuis Comment.* Tertia ratio, quia eſt imago, ac notitia Patris, totum Genitorem in ſe repræſentans, ſicut noſtrum Verbum

Baſilius.

Nazian.

D.Auguſt.

Ambroſ.
Chryſoſt.
Euthymius.
Theophyl.
S.Thomas.

totius

totius noſtræ cogitationis imaginem exprimit. Hanc etiam docent D. Hilar. *lib.*2. *de Trinit.* D. Auguſt. *tract.*1. *&* 14. *in Ioan. & lib.*15. *de Trinit. à cap.*20. Noſter Cyrill. *lib.*1. *Theſaur. cap.*7. *& lib.*4. *cap.*3. *& lib.*6. *cap.*1. D. Fulgent. *lib.*3. *ad Monimum, & lib.*2. *ad Tharſim.* D. Damaſcen. *lib.*1. *de fide, cap.*7. D. Thom. 1. *part. quæſt.*34. *art.*1. & magno applauſu ſequuntur omnes expoſitores, & Scholaſtici, ac proinde probabilior cæteris eſt. Deinde monſtrat hæc vox, Filium procedere ex intellectu Patris, & eſſe Genitum, cùm ex vi ſuæ proceſſionis procedat ſimilis: ac eſſe in Patre, vt conceptus eſt in intelligente; & eſſe ſubſtantiale, cùm in Deo nihil accidentale poſſit eſſe.

Hilarius.
Auguſt.
Cyrillus.
Fulgent.
Damaſcen.
S.Thomas

19. Quarta ratio, & Prædicatoribus plauſibilis. Filius dicitur Verbum, vt intelligamus eſſe chariſſimum apud Patrem, vnuſquiſque enim ſummo, ac ardenti amore fertur ad ſuos conceptus, & cogitationes. Prouerb. 15. num. 23. *Lætatur homo in ſententia oris ſui.* Vt ergo videamus, quàm eximio, ac interno amore æternus Pater afficitur ad ſuum Filium, dicitur illius Verbum, conceptus, & cogitatio. Hanc inculcat Salmeron, *tom.*2. *tract.*3. *circa finem.* Alias rationes huius rei omitto, quia ad has reducuntur.

Homo delectatur in ſuo conceptu.

Prouerb. 15.

Salmeron.

QVÆSTIO VIII.

Quare ſecunda perſona dicatur hîc potius Verbum, quàm Filius.

20. RESPONDENT D. Baſilius *hîc in initio* D. Chryſoſt. *homil.*1. Euthim. Theophilact. D. Thomas, *hîc*; quia ſi diceret Filium, poterat quis ex generatione humana aliquid paſſibile, & materiale cogitare, vt fuerunt Arriani; at cùm dicat Verbum, neceſſè eſt aliquid ſpirituale intelligere. Secundò. Quia nomen *Verbi* erat conuenientiſſimum ad explicandum myſterium Trinitatis, vt patet ex ſuperiore quæſtione, quod Euangeliſta hîc intendebat. Tertiò D. Thomas hîc. *Euangeliſta*, ait, *tractaturus erat de Verbo in quantum venerat ad manifeſtandum Patrem; vnde cùm ratio manifeſtationis magis importetur in nomine Verbi, quàm in nomine Filij, ideo magis vſus eſt nomine Verbi.* Semper accommodatiori nomine ad noſtrum intentum vtendum eſt.

Baſilius.
Chryſoſt.
Euthymius.
Theophyl.
D.Thomas

Nomine accōmodo vtendum eſt.

21. Quartò, & moraliter, ac maximè explicando proximam rationem D. Thomæ, pro qua multum facit id, quod D. Gregor. Nazianz. *in carmine Nicobuli*, ita canit.

Nazianz.

——*Nominibus cum multis ipſe vocetur,*
Nullum aliud nomen, quàm Verbi, gratius audit.

Hoc nomen Verbi gratiſſimum Chriſto D. Eſt enim nomen Doctoris, & magiſtri, qui alios docet, vt tradunt Origen. *lib.*1. *in Ioan.* Clemens Alexandr. *in orat. adhortator. ad Gent. & in Pædagogo, cap.*12. D. Epiphan. *hæreſ.*73. D. Chryſoſt. *homil.*2. D. Bruno Carth. *ſermon.*1. Hoc autem, quod erat prædicare, & docere, ad munus Chriſti D. pertinebat. *Prædicarem captiuis remiſſionem*, Iſai. 61. num. 1. At Filius nomen maieſtatis eſt, importans æqualitatem in natura. Voluit Chriſtus D. in prima facie Euangelij ſe potius Verbum, quàm Filium nominari, vt denotaret, ſe in primo loco ante oculos habere id quod munus ſibi commiſſum expoſtulabat, non id, quod celſitudo perſonæ importabat, vt eo modo exemplo ſuo nos inſtrueret, quantum debeat eſſe fixum in mente, commiſſo nobis officio correſpondere. Vide *cap.*2. *num.*25. Reſpondet quintò Maldonatus. Non filium, ſed Verbum appellauit, quod ſummam declarat potentiam. Tribuitur potentia Verbo, quia omnia, quæ vult, Verbo facit, illud Sap. 18. *Omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo.* Ad Hebr. 1. *Portans omnia Verbo virtutis ſuæ*; vt ita homines obligarentur ad Verbum incarnatum venerandum, ſi non ob amorem Incarnationis, ſaltem ob potentiam, quam in Verbo agnoſcerent.

Origenes.
Clemens.
D.Epiphan.
Chryſoſt.
Bruno.

Iſai.61.

Non maieſtatis, ſed obligatio muneris ſit in mente.

Maldonat.

Sapien.18.
Hebr.1.

QVÆSTIO IX.

Quare hîc non dicatur Verbum Dei?

22. EVANGELISTA hîc Verbum ſolummodo dicit, & non Verbum Dei: poterat dicere, *In principio erat Verbum Dei.* Reſpondet primò Theodorus Mopſue *in Catena Græca*, quòd reuelatio, quæ fiebat Prophetis, dicebatur Verbum Dei, vt ex initio Prophetarum facile conſtat; ad differentiam ergo, ne aliquis cogitaret, quod de talibus reuelationibus agebatur, dictum eſt Verbum, & non Verbum Dei. Secundò S. Thomas, quòd dicitur ſolum Verbum, ad ſignificandum ſupereminentiam Verbi diuini, ſcilicet quòd ſolum illud abſolutè ſit, reliqua verò cum addito, ac additamento. Optimæ ſunt rationes, ſed mouet hîc difficultatem locus Apocal. 19. num. 13. vbi dicitur de Chriſto: *& vocatur nomen eius Verbum Dei.* Quare ergo in Apocalypſi dicitur Verbum Dei, hîc verò in Euangelio tantùm Verbum.

Theodor.
Mopſue.

S.Thomas.

Apoc.19.

23. Ideo reſpondeo primò. Expreſsè denotari in Apocalypſi eſſe perſonam, & non vocem aliquam, illum, qui dicebatur Verbum Dei; nam de illo dicitur, quòd ſedebat ſuper equum album, ac veſto aſperſa ſanguine induebatur, quod tantùm perſonæ conuenit: at ſi hic in Euangelio diceretur, Verbum Dei erat in principio, poterat accipi in ſenſu Prophetarum pro aliquo ſermone externo; & ſic non explicabatur id, quod Euangeliſta intendebat. Secundò. In illa viſione Apocalypſis dicitur Verbum Dei, vt diuinitas Chriſti manifeſtetur: quia fortaſſe hoc in illa viſione tam apertè non conſtabat, quamuis dicatur Rex regum; at in hoc Euangelio ſufficiens fuit dicere Verbum, quia ſtatim addendum erat, *& Deus erat Verbum*, & ideò ad repetitionem euitandam, non dixit Verbum Dei, ſed tantùm Verbum. Tertiò. In Apocalypſi dicebatur nomen illius Ioanni & Angelis, qui optimè myſterium magna perſpicacitate agnoſcebant; at hîc res erat cum hæreticis, & ideò cautè fuit loquendum, & paulatim veritas manifeſtanda. Primò, *Verbum eſſe in principio*, id eſt, æternum. Secundò, eſſe diſtinctum à Patre, hoc eſt, apud Deum. Tertiò, eſſe ſubſtantiale, & æquale Patri in natura, hoc eſt, *& Deus erat Verbum*, vt dicam in expoſitione 4. & 6.

Repetitio vitanda.
Cum inimicis cautè loquendum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

Cur hîc dicatur Verbum, & non Filius

24\. QVARE Chriſtus Dominus hîc dicitur ſæpe ab Euangeliſta Verbum, cùm tamen ipſe nunquam ſe Verbum appellauerit, ſed multoties ſe nominauerit filium magiſtrum, & principium? Et quantum ad hoc vltimum dat rationem D. Bruno Carthuſ. ſermon. 1. de Trinit. *Idem ergo*, inquit, *per Verbum, & principium ſignificatur, ſed nobis Verbum vocari debuit, qui docibiles ſumus, qui & ipſius verbum, & doctrinam audire, & dicere parati ſumus. Illis verò certè debuit vocari principium, qui eum principium eſſe non credebant, dicendo: Ego Principium, qui & loquor vobis.* Ac ſi dicat: Omnes Chriſtum debemus venerari, & adorare; nos peculiariter, quia ipſum habemus vt magiſtrum, & doctorem; alij, quia ad ipſum, tamquam ad ſuum principium, à quo participant eſſe, referuntur.

Bruno.

Omnes Chriſtum venerentur.

25\. Secundò reſpondeò, quòd iuxta radicem, vbi nos habemus filium, Chaldæus vertit Verbum; & ita ſæpe vtebantur Iudæi, vt patet ex Philone Iudæo *lib. de opificio mundi, & lib. quod deterior melioribus inſidietur.* Et ideo dicendo ſe filium, nominauit ſe Verbum. Tertiò, quia Filius dicit de formali eſſe, quod per generationem æternam communicatum accipit à Patre; quod eſt ſine vlla imperfectione, cùm ſit idemmet eſſe, quod eſt in Patre, & citra omnem efficientiam. At Verbum innuit id, quod magnificè donauit: *Verbo Domini cæli creati ſunt*, Pſalm. 32. num. 6. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, ad Hæbr. 13. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis*, Eccli. 1. n. 5. Pro quo etiam facit D. Thom. *cit. q. 8. in 3. orat.* Chriſtus ergo Dominus ſolum ante oculos habebat id, quod acceperat, non veò id, quod liberaliter donauerat. An verò alius Euangeliſta præter Ioannem ſecundam Trinitatis perſonam appellauerit Verbum? quæri poteſt. Reſpondetur negatiuè probabilius eſſe, vt patet ex textu Euangelico. Quando verò Paſtores *Luc. 2. num. 15.* dixerunt: *Tranſeamus vſque ad Bethleem, & videamus hoc Verbum*, id eſt, rem directam per ſermonem angelicum, non quaſi quòd Chriſtum Verbum appellauerint, vt ibi dicam.

Philone. Pſalm. 32. Hebr. 13. Eccleſ. 1. D. Thomas.

Liberalis non recordatur illius, quod dat, ſed illius, quod accipit.

Luc. 2. *Solum Ioannes Filium appellat Verbum.*

EXPOSITIO IV.

Dictionum, *& Verbum erat apud Deum.*

26\. HAc breui ſententia multa, & alta myſteria docet Euangeliſta. Dixerat Verbum eſſe à principio, id eſt, æternum; & quia poterat aliquis interrogare: vbi, & in quo loco erat Verbum? Ideo docet, quòd extiterit apud Deum, vt notant D. Baſil. *homil. in hunc locum*, & Rupertus, id eſt, Erat in ipſo Deo, & non circumſcriptum in aliquo loco, vt aduertunt Euthym. Leontius, & alij. Secundo, denotat, hoc Verbum habere principium, cùm dicitur eſſe apud Deum, vt notant D. Hilar. 2. *de Trinit.* Chryſoſt. *homil.* 2. Imò & ipſam proceſſionem, vt obſeruat Tertul. *aduersùs Praxeam.* Dicitur apud Deum, tamquam Verbum apud producentem, à quo exiit: & hoc dicit Verbum, quod ſemper ad intelligentem refertur. Tertiò, in eò, quod dicitur, *apud Deum*, indicat, hoc Verbum non eſſe ſicut noſtrum humanum tranſiens, ſed permanens cum Deo, D. Hilar. 2. *de Trinitat.* Quartò, Verbum eſſe conſubſtantiale cum Patre; nam in Deo nullum accidens reperiri poteſt, D. Auguſt. *lib. 5. de Trinitat. cap.* 4. D. Gregor. Nicen. *homil. de fide.* Quintò, Verbum non eſſe creaturam; nam omnes creaturæ ſunt extra Deum: at Verbum dicitur eſſe apud Deum, hoc eſt, in Deo, intra Deum. D. Fulgent. *lib. 3. ad Monim.* Rupertus, & alij *hîc.* Sextò oſtendit perſonarum diſtinctionem; nam quando dicitur, *apud aliquem*, diſtinctio importatur ab eo, apud quem eſt; nemo enim apud ſe ipſum dicitur. Ita communiter Patres *hîc*, D. Baſil. *hom. 1. in hæc verba*, Noſter Cyrillus, Theophylactus, Rupertus, Ambroſius *de fide cap. 5.*

Baſilius. Rupertus. Euthymius. Leontius. Hilar. Chryſoſt. Tertull. Hilar. Nicenus. Fulgent. Rupertus. Baſilius. Cyrillus. Theophyl. Ambroſ.

27\. Quantum ad verba huius textus, *apud Deum*, ideſt, apud Patrem. Ita omnes ferè Patres, & expoſitores interpretantur, & infrà *verſ.* 18. explicat Ioannes: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* Quantum ad illam dictionem, *apud*, nomen Græcum, quòd huic reſpondet, ſignificat *apud*, & *ad*; & ideo Caietan. vt notaui in verſionibus, legit, *& Verbum erat apud Deum*; ideſt, referebatur ad Patrem, cuius eſt Filius. At verò, ſi noſtram lectionem Latinam retineas, *& erat apud Deum*; exprimit quòd Verbum non erat ſolitarium, nec ſeparatum à Patre, ſed cum ipſo Deo, & in ipſo Deo, cuius erat Verbum.

Caietan.

QVÆSTIO XI.

Quare non dicatur, Verbum erat in Deo?

28\. EVANGELISTA ait, *Verbum erat apud Deum*, & non *in Deo*; hoc enim videbatur accommodatius ad confutandos Arrianos, ſi quidem hæc particula *apud*, aliquando reſpicit id, quod eſt accidentale: vt ſi dicam, veſtis eſt apud me. Reſponderi poteſt. Primò. Ex textu Græco cum Caietano, qui legit, ad Deum, vt iam notaui, id eſt, referebatur ad Patrem. Secundò D. Hilar. Chryſoſt. Rupert exiſtimant, per hunc modum dicendi, *apud Deum*, ſignificari Verbum in magno honore, & ſumma dignitate, ac magna dilectione eſſe apud Deum: hoc enim innuit iſte modus loquendi, *apud Deum*, *apud me*, vt ſic erubeſcerent homines, vt Verbum, quod apud Deum erat in magno honore, ipſi parui penderent. Tertiò D. Gregor. *lib. 5. moral. c. 19.* exponit idem valere, Verbum fuiſſe apud Deum, ac fuiſſe inuiſibile, & quaſi abſconditum. Et ita declarat illud Iob 4. num. 14. *Ad me dictum eſt verbum abſconditum.* & 1. Ioan. cap. 1. num. 2. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.*

Hilar. Chryſoſt. Rupertus.

Verbum in magno honore apud Patrem.

D. Gregor. Iob. 4. 1. Ioan. 1.

29\. Quartò D. Baſilius in hæc verba, D. Thomas *hîc* agnoſcunt differentiam inter particulam *in* & *apud*; docentque, quòd *in* donotat identitatem naturæ: *In ſinu Patris*, verſ. 18. Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, ſcilicet ratione naturæ. Particula verò *apud*, dicit diſtinctionem in ſuppoſito, cit. Epiſt. Ioan. *erat apud Patrem*, & cap. 2. num. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem.* Pſal. 35. *Apud te eſt fons vitæ.* Cùm autem Euangeliſta ſtatim dicturus eſſet identitatem naturæ cum Patre, *& Deus erat Verbum*; accommodatiùs hîc poſuit particulam *apud*, vt diſtinctionem ſuppoſiti denotaret. Quintò accipe egregiam ponderationem D. Bernardi lib. 2. de conſiderat. *Sume exemplum*, ait, *de ſummo omnium Patre Verbum ſuum & emittente, & retinente. Verbum tuum conſideratio tua. Quod ſi procedit, non recedat. Sic progrediatur, vt non egrediatur. Sic exeat, vt non deſerat.* Et ſatis eleganter. Ac ſi dicat. Sit nobis in exemplum diuinus Pater, qui ita intelligendo producit ſuum Verbum, vt ab ipſo non ſeparetur, ſed in ipſo maneat. Et ſicut omnia intelligit in ſuo Verbo, ita ea regit, & gubernat; ſic etiam tuum verbum, tua conſideratio, ita à te emanet, vt in te maneat, ac non recedat; vt ſicut intelligis, ſic exequaris; & ſicut dicis, ita adimpleas, *lib. 1. c. 6. n. 21.*

Baſilius. Ioan. 14.

Pſalm. 35. Bernard.

Vt homo intelligit, ita exequatur.

QVÆSTIO XII.

Cur non dicatur hîc, apud Patrem, ſed apud Deum?

30\. QVARE, cùm hîc *apud Deum*, Pater intelligatur; vt eſt communis expoſitio, non dixerit Euangeliſta, apud Patrem, cùm hæc eſſet manifeſtior explicatio myſterij Trinitatis? Reſpondeo primò, quòd nomen Patris hîc non veniebat in conſequentiam, nec ad rem Euangeliſta multis de cauſis, vt dixi *quæſt.* 8. ſecundam perſonam, non Filium, ſed Verbum nominauit: ergo non ſeruabatur recta connexio, ſi hîc diceret *Patrem*; ac proinde conuenientius fuit Deum nominare, quia non ſolùm, quæ faciunt ad claritatem veritatis, ſed etiam ad opportunitatem ſermonis, conſideranda ſunt, *Prouerb. 15. num. 23.* At cùm ſecundam perſonam Filium nominauerit, *verſ.* 18. ſtatim primam Patrem, dixit: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris*; Pater, & Filius, vt correlatiua mutuò ſe reſpiciunt. Secundò Euangeliſta voluit paulatim nobis aperire myſteria; & ideo ante omnia primam perſonam Deum eſſe declarauit; & poſtea Patrem dici manifeſtauit, verſ. 18. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* In diuinis, vt dicunt Theologi, prior eſt diuinitas, quàm paternitas; explicatio autem debet eſſe accommodata naturæ rei: ergo priùs explicanda fuit diuinitas, & poſtea paternitas.

Prouerb. 15.

Explicatio accommodata naturæ rei.

QVÆSTIO XIII.

Quare hoc Euangelium inchoëtur à Verbo?

31\. QVARE D. Ioannes initiauit ſuum Euangelium, non à Deo Patre, ſed potiùs à Verbo? Reſpondeò primò. Quia Euangeliſta intendebat Deum Verbum explicare, & per ipſum Patrem, & Spiritum ſanctum manifeſtare, & ideo à Verbo ſumpſit exordium. Secundam rationem mihi præbet D. Bruno Carthuſian. *ſerm. 1. de Trinit.* dum quærit ad illa verba Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cur Moyſes ante Patrem Deum ſtatim in prima voce, ac nomine Filium exprimit: *In principio*, id eſt, in Filio, *creauit Deus cœlum*, &c? Reſpondet ſanctus Pater in hæc verba. *In principio*, inquit, *fecit Deus cœlum, & terram, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas; conueniens fortè fuerat, vt nomẽ Patris prius poneretur, qui vbique ab ipſo Filio maximè honoratur: ſed noluit hoc Moyſes, immò Spiritus ſanctus, qui loquebatur in Moyſe, ſed primum nomen Filij poſuit, ne quærendo erraret Iudæus.* Ac ſi dicat: Iudæus, & hæreticus non negat Patrem, ſed Filium; vt ergo oſtendat quanta facilitate à quærentibus inueniatur in Scripturis, ideo ante omnia in fronte, ac prima voce Scripturæ, & Euangelij nomen Verbi ac Chriſti affixit Euangeliſta.

Bruno. Geneſ. 1.

Chriſtus Dominus magnâ facilitate inuenitur.

Sylueira in Euang. Tom. I.

QVÆSTIO XIV.

Quare proponatur prius nomen Verbi, quàm Dei?

32\. QVARE D. Ioannes prius dixerit, Verbum eſſe apud Deum, quàm nobis Deum eſſe proponeret? Reſpondet Leontius, vt oſtendatur Verbum nihil aliud eſſe, quàm ipſum Deũ, apud quem erat. Secundò, quòd Ioannes hîc Deum eſſe ſuppoſuit, vt veritatem manifeſtatam, & ſufficienter contentam, & explicatam in teſtamento veteri, quam non negabant hæretici, contra quos ſcribebat, & id quod ſufficienter eſt explicatum, non eſt ampliùs in eius expoſitione immorandũ.

Leontius.

Non eſt immorandum in re explicata.

EXPOSITIO V.

Dictionum, *& Deus erat Verbum.*

33\. PROPOSITA ſententia D. Ioannis euidentiſſimè diuinitatem Verbi, ac conſubſtantialitatem cum Deo Patre nobis manifeſtat, Verbum eſſe Deum abſolutè pronuntiat. Moyſes dictus eſt Deus Pharaonis, *Exod. 7. n. 1.* non abſolutè, vt notat D. Hilar. 7. *de Trinit.* Sed reſpectiuè in ordine ad Pharaonem ratione poteſtatis, quæ ſupra ipſum ei data erat. In *Pſ. 81. n. 6.* Iuſti dicuntur Dij, non abſolutè, ſed in opinione hominum; *Ego Dixi, Dij eſtis.* At Verbum abſolutè dicitur Deus, *& Deus erat Verbum.*

Exod 7. Hilar. Pſalm. 81.

34\. Nec obſtat contra diuinitatem Verbi id, quod dicebant Arriani, quia ponitur hîc, *Deus*, ſine articulo, *ipſe*; ſæpe enim hoc fit. In hoc capite tripliciter; *Fuit homo miſſus à Deo.* Et iterum; *Deum nemo vidit vnquam.* Et iterum: *Ex Deo nati ſunt.* In quibus locis agitur de Deo verò; & articulus non eſt in textu.

QVÆSTIO XV.

Quare hîc ponatur propoſitio indirecta?

35\. EVANGELISTA hîc facit probationem indirectam, ſiquidem, vt notant hîc Expoſitores cum D. Thoma, hæc ſententia, *& Deus erat Verbum*, reſoluenda eſt in hanc, *& Ver-*

Thomas.

bum erat Deus; iuxta Dialecticos, illud, quód ſe habet per modum formæ, & naturæ, debet eſſe prædicatum; id verò, de quo dicitur, per modum ſubiecti, vt patet in hac, Petrus eſt homo. Cùm autem Deus ſe habeat per modum naturæ, debet eſſe prædicatum. Reſpondeo, quòd noſtra ſublimis Aquila non ſolùm voluit nobis explanare alta, & diuina myſteria, ſed etiam hoc ei fuit in animo, præſtare cum magna eloquentia, & elegantia; &, vt notant periti in lingua Hebræa, eſt magnus ornatus, & grauitas dicendi in ea, ſi illud, quod eſt vltimum nomen prioris ſententiæ, ſit primum ſubſequentis, quod hîc maximè obſeruauit Euangeliſta: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce quando nomen *Verbum*, eſt vltimum primæ ſententiæ, dat initium ſubſequenti; & *Deus*, in quo altera dictio terminatur, *& Verbum erat apud Deum*, eſt primum ſubſequentis: verus enim magiſter non ſolùm intendit docere verum, ſed hoc cum venuſtate, & pulchritudine verborum, vt ſic ſuauitate attrahat animos legentium.

Locutio ſit elegans. *Elegantia attrahit animos.*

36. Apollo ille magnus Apoſtolorum coadiutor dicitur à S. Luca, Actor 18. num. 24. *Vir eloquens potens in Scripturis.* In Hebræo dicitur, *vir præditus facundia.* Et infrà *eodem cap. num.* 27. de eo ait: *Contulit multum his, qui crediderant*; ſeu, vt vertit Syrius, Adiuuit multum per gratiam omnes fideles. *Per gratiam*, inquit Caietanus, *hoc eſt, per elegantiam verborum, & ſcientiam Scripturarum.* Scripturarum doctrina cum ornatu verborum omnium animos rapit, ac ſubiicit. Pſalm. 17. n. 48. dicitur: *Qui ſubdis populos meos ſub me.* Ex Hebræo habetur, alloquens populos ſub me. Alloquens, id eſt, ſuauiter loquens. Varr. 5. *de lingua Lat.* Et vbi adeſt iucundum, ac elegans eloquium, ſtatim diuiſus populus vnitur, & humiliatur.

Actor. 18. Syrius. Caiet. Pſalm. 17. Varr.

37. Ait Iacob, in ſuis benedictionibus, Geneſ. 49. n. 21. *Nephthalim ceruus immiſſus dans eloquia pulchritudinis.* Seu, vt in Hebræo legitur apud Dionyſ. Carthuſ. *Nephthalim ager irriguus dans eloquia pulchritudinis.* Et, vt ipſe explicat, Quia in ea, ſcilicet Tribu, fuit mons Thabor, in quo vbertim morabantur Prophetæ, qui eloquia pulcherrima dabant. Sed iam animus dubitat, quare ſanctus Patriarcha in aliis filiis multa glorioſa prædixit, victorias, trophæa, poſſeſſiones, & regna: at verò in Nephthalim nihil ſimile, ſed ſolùm ei annuntiauit eloquia pulchritudinis; id eſt, vt exponit Andreas Maſius *in Ioſue cap. 19. verſ. 32.* verba magna elegantia expoſita; ſiquidem ſuauitate, & vrbanitate omnes conciliabat, meritò nihil aliud fuit exprimendum; vbi pro ingenti benedictione eloquentia datur, ibi trophæa, imperia, dominatus donantur, omnia enim comparat, & domat eloquentia.

Geneſ. 49. Carthuſian. Maſius. *Eloquentia pro magna benedictione.*

QVÆSTIO XVI.

Quare Euangeliſta prius explicat æternitatem Verbi, quàm illius naturam?

38. EVANGELISLA agendo de generatione æterna hîc, in tertio loco nobis explicat naturam Verbi; *& Deus erat Verbum*, explicando priùs illius æternitatem, *In principio erat Verbum*; ac exiſtentiam in Patre, *& Verbum erat apud Deum*, vt dixi *expoſit.* 1. & 4. Et tamen doctrinæ ordo, iuxta Ariſtotelem, poſtulat, vt priùs explanetur, quid ſit res, quæ illius exiſtentia, ac duratio, ſeu æternitas. Primò reſpondet Toletus *annot.* 9. quòd Euangeliſta incepit à notioribus; nam iſtæ propoſitiones, *Verbum erat in principio*, &, *Erat apud Deum*, cùm apud aliquem deberent eſſe, erant manifeſtiores, quàm hæc, *Verbum erat Deus*; ideo à facilioribus ducit nos ad altiora. Secundò reſpondeo, quòd Euangeliſta voluit exordiri à nomine illo, *In principio*, vt correſpondeat Teſtamento veteri, in quo Moyſes tali loquendi modo incepit, vt ſuo exemplo nos inſtruat, quòd primi, & antiqui Magiſtri ſunt imitandi, & venerandi in ſtylo, & ſententia. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens*, Eccleſiaſt. 39 num. 1. Tertiò, Euangeliſta incepit à facilioribus ad altiora, nempe ab æternitate, & exiſtentia Verbi ad ipſum eſſe, & naturam Dei, vt videamus quòd quanto magis quis inueſtigauerit in miſteriis diuinis, ſemper profundiora, & ſublimiora ad inquirendum inueniet, vt docet Gregorius Nazianzenus *orat.* 49.

Toletus. *Antiqui magiſtri imitandi.* Eccleſ. 39.

QVÆSTIO XVII.

Quare hîc non ponatur aliqua probatio?

EVANGELISTA nullam hîc adhibuit probationem, ſiue ex Scriptura, ſiue ex ratione cùm alioquin videretur neceſſaria, præcipuè cùm ageret contra hæreticos. Reſpondet primò D. Chryſoſt. homil. 1. in Ioan. *& Deus erat Verbum*, inquiens, *Nihil dubitat, nihil coniectatur, ſed certa omni aſſertione proloquitur: Magiſtri ſiquidem eſt, in his, quæ dicit, nihil ambigere.* Magnus Magiſter non adhibet probationes ad oſtendendam magnam certitudinem rei, de qua agit. Secundò reſpondeo, quòd tanta erat auctoritas Ioannis, vt ſufficeret, quòd ipſe diceret. Vnde de ſe proteſtatur 21. n. 24. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.* Ac ſi idem eſſet, quod Ioannes diceret, & quod verum haberetur. Tertiò poſſumus dicere, quod ipſe teſtimonio Chriſti ſtabiliuerit ſuam doctrinam, *verſ.* 18. proclamat: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, enarrauit nobis.* Quartò, vt oſtendat Euangeliſta, non ex ratione, ſed ex illuſtratione diuina habere, quæ nobis ſcribebat, vt nos inſtruat, quòd ſi quis ratione inueſtigauerit, quæ fuerint ante conditum Orbem, inueniet tenebras, & abyſſos; ſi verò lumine ſupernaturali, ac fidei, ad inacceſſibile lumen, ac ſplendorem æternum accedet. 39.

Chryſoſt. *Auctoritas Ioannis magna.* Ioan. 21. *Qui ratione quærit diuina, inuenit tenebras.*

Ioannis 1. *num.* 2. Hoc erat in principio tantùm apud Deum.

VERSIONES.

Tertullian. aduerſùs praxeam.	Hoc erat in principio tantùm apud Deum.
Theophylact. hic.	Illud erat in principio apud Deum.
Caiet. Marin. Victorin. aduerſùs Arrium lib. 1.	Hoc erat in principio apud Deum.

EXPO

EXPOSITIO.

40. PRONOMEN, *hoc*, in Græco generis maſculini eſt, ſicut eiuſdem generis eſt nomen Deus & Verbum; & ideo ad vtrumque referri poſſe exiſtimat Origenes *tom. 2. in Ioan.* Communis tamen expoſitio ſanctorum Patrum, tenet eſſe relatiuum Verbi, Hoc, ſcilicet Verbum, erat in principio. Et hic ſenſus manifeſtè conſtat ex noſtra vulgata, habet enim, *hoc*, quod non ad Deum, ſed ad Verbum ordinatur.

41. Leontius, D. Cyrillus *lib. 1. in Ioan. cap.* 4. Maldonat. Beaulxamis, exiſtimant Euangeliſtam hîc repetere, quod ſuprà dixerat in ſuperiori verſ. Cuius rei hanc rationem dat Caietanus. Euangeliſta tria ſuprà docuit, nempe Verbum eſſe æternum, diſtinctum à Patre in hypoſtaſi, & idem in natura cum illo; *Ne intelligeremus*, ait ille, *tria antea dicta vera eſſe ſigillatim, & non ſimul, ideo ad excludendas omnes cauillationes hæreticorum, colligendo omnia vera eſſe declarauit.* Tertiò D. Hilarius 2. *de Trinitat.* Theophylactus docent Euangeliſtam hac ſententia declaraſſe Verbum eſſe Deum cum Deo Patre, cum ſumma vnitate, ac pace, & ſine diſcordia, quam Gentilitas in ſuis Diis fabulabatur. Quartò Toletus, cui fauent Clemens Alexandr. *in orat. exhortat. ad Gent.* & D. Gregorius *lib. 5. moral. cap.* 19. ita exponit: Verbum tantùm erat apud Deum, nimirum nondum carnem ſuſceperat, nondum ſe manifeſtauerat, ſed erat ſolùm abſconditum, & inuiſibile apud Deum.

Leontius. Cyrillus. Maldonat. Beaulxam. Caiet. Hilar. Theophyl. Tolet. Clemens. Gregor.

42. Quinta expoſitio tenet, D. Ioannem, hîc explicare coæternitatem Verbi cum Patre, ne aliquis exiſtimaret perſonam Verbi eſſe inferiorem Patre duratione, ac proinde primò dixit Euangeliſta, Verbum eſſe æternum. Secundò diſtinctum à Patre. Tertiò, eiuſdem naturæ cum illo. Quartò, coæternum. Ita docent D. Baſilius *hom. in hæc verba*, Chryſoſtom. *homil.* 3. S. Thom. Carthuſianus, Lyranus, & alij. Et hæc mihi videtur probabilior. Et hac breui ſententia multos hæreticos iugulauit noſter Euangeliſta. Quod eleganter ait D. Ambroſ. lib. 1. de fide, cap. 5. *Omnes*, inquit, *hæreſes hoc capitulo breui Piſcator noſter excluſit.* quod latè proſequitur ſanctus Pater.

Baſilius. Chryſoſt. S. Thom. Carthuſian. Lyranus. Ambr.

QVÆSTIO XVIII.

Ad quid fiat repetitio?

43. QVARE hîc D. Ioannes repetit Verbum eſſe apud Deum? De hoc multa dixi in expoſitionibus. Theophylactus ait, ad explicandam ſummam vnionem, & concordiam cum Patre; ſed ex hoc iam alia oritur quæſtio. Ad manifeſtandam ſuperexcellentem Verbi beatitudinem, ac eximiam felicitatem, non ſufficiebat dicere ipſum eſſe, *& Deus erat Verbum.* Ad quid eius vnionem cum Patre, explicat? Stando in hac ſententia Theophyl. nobis declarat Euangeliſta, quòd ad ſummam beatitudinem non valeret diuinitas, ſi per impoſſibile non adeſſet indiuiſa vnitas. Vnde ait D. Bernard. *epiſt. 1. ad Carthuſian. & Guidonem Priorem*, quòd vnitas conſeruat Trinitatem. Et *ſerm. 11. in Cant.* idem habet. Idem Theophylactus. *Quia*, ait, *dixerat, Deus erat Verbum? Ne quis diabolica illuſione turbet quoſdam, dicens; Ergo quia Verbum Deus eſt, aliquando inſurget contra Patrem, vt Gentiles fabulantur, & ſegregans ſe ab eo aduerſarius erit, propterea dixit quōd licèt Deus ſit Verbum, nihilominus cum Deo Patre eſt, vt ab eo nunquam ſeparatus.* Ita ingenitus eſt appetitus dominandi hominibus, vt ne aliquis ſuſpicaretur Verbum totum dominatum ambire, & rebellare poſſe contra Patrem, ideo Euangeliſta ſemel, & iterum repetit quòd erat in Patre, & idem cum ipſo, nam ſi eſſet diuerſum, aliquis cogitaret ab eo deficere, vt ipſe ſolùm regnaret.

Sine vnitate nihil beatum Bernard. Theophyl. *Ingenita hominibus ambitio dominandi.*

QVÆSTIO XIX.

Cur nulla fiat mentio Spiritus ſancti?

QVARE hîc Euangeliſta, cùm toties nominet Patrem, & Filium, nullam fecerit mentionem de tertia perſona, ſcilicet Spiritu ſancto, vt hoc modo initio ſui Euangelij perfectam notitiam Trinitatis nobis daret? Reſpondet Cardinalis Hugo quòd *Euangeliſta hîc tantùm agit de reductione ad Patrem, & ideo ſolum fecit mentionem de Patre, ad quem fit reductio, & de Filio, per quem fit.* Dicam etiam, quod legi apud aliquos, qui ex hoc exordio totam colligunt Trinitatem: tria enim nominat Ioannes, Principium, Verbum, & Deum. Per Principium intelligunt Patrem, per Verbum Filium, per Deum Spiritum ſanctum. At obſtat communis expoſitio, quæ per Deum, Patrem intelligit. 44.

Hugo.

Reſpondeo ſecundò, quòd Euangeliſta ſcribebat ſuum Euangelium contra hæreticos negantes æternitatem Verbi; & ideo ſolum facit mentionem de Patre, & Filio, quia hoc tantùm requirebatur ad hæreſim confutandam: at vbi primum neceſſarium fuit, ſtatim tertiam perſonam nominat. Ioan. 20. n. 22. & 1. epiſt. cap. 5. n. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus.* Tertiò, & moraliter, Patri tribuitur potentia, Verbo ſapientia, Spiritui ſancto amor. Ioannes componebat ſuum Euangelium contra hæreticos contumaces, & obſtinatos: ſolùm ergo ordinat præſentem textum de Patre, & Filio, & non de Spiritu ſancto, vt nos doceat quòd contra obduratos hæreticos potentiâ, & ſapientiâ agendum eſt, non verò amore, & beneuolentiâ; his enim regitur filius, & fidelis. Ait Deus Moyſi, Mich. 7. num. 14. *Paſce populum tuum in virga tua.* Et tamen Apoſtolis mandatur, *Matth.* 10. *num.* 10. vt virgam non portent. Cur Moyſi datur virga, & Apoſtolis denegatur? Mittebatur ille ad populum duræ ceruicis, qui ſæpe idololatria recalcitrauit contra Dominum, ideo virga conceditur vt potentia, ac rigore eos poſſit domare: Apoſtoli verò deſtinabantur ad gentes, quæ crediture erant, ac proinde omnis ſeueritas eis interdicitur. D. Hieronimus, citato loco Mich. *Puto*, ait, *quia populus Iſraël duræ ceruicis erat, vſum eſſe Moyſem virga legati, & virga percutiente; Apoſtolis autem Domini Saluatoris, qui ſapientiam ſequebantur inter perfectos, virgam excuſſam eſſe de manibus.* 45.

Ioan. 20. *Hæretici potentiâ coercendi, amicè benignitate.* Mich. 7. Matth. 10. D. Hieron.

Ioannis 1.*n*.5.	Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.

VERSIONES.

Syriacus.	Omnia per manum eius fuere, & ſine ipſo nec vnum quidem fuit, quidquid fuit.
Caietanus, & *Arias.*	Omnia per ipſum facta ſunt,&ſine ipſo factum eſt,neque vnum,quod factum eſt.
Homilia, Vox ſpiritualis Aquilæ tribuitur Origeni,refertur à D.Thoma.	Omnia per ipſum facta ſunt, & extra ipſum factum eſt nihil.
Marius Victorinus aduersùs Arrium lib. 1.	Per quem effecta ſunt omnia,& ſine quo effectum eſt nihil.
S. Gaudent.ſerm. 10.*S.Leo Papa ſer.*8,*de Quadrag.* & *ſerm.* 12.*de Paßione.*	Per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil.

EXPOSITIO

46. SVPERIORIBVS propoſitionibus tractauit Euangeliſta de æterna generatione, ac de Deo ipſo in ſe ipſo; nunc verò verba facit de Deo creatore. Triplex eſt lectio quoad terminationem puncti. Prima, *Omnia per ipſum facta ſunt,&ſine ipſo factum eſt nihil.* Et poſito puncto continuat: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Ita D. Hieronymus,D.Auguſt.D.Hilar. D.Cyrillus, D. Thomas *hîc*, Tertullianus contra Hermog. *cap*.20. & 25. Et hæc lectio habet pro ſe,quòd in ſubſequenti dictione ſit repetitio vltimi verbi ſuperioris, ſcilicet, *ſine ipſo factum eſt nihil*, & ſupſequens incipit à fine, *Quod factum eſt,in ipſo vita erat:* qui modus obſeruatur hîc ab Eaungeliſta,vt ſuprà dixi.

1.Lectio. D. Hieron. Auguſt. Hilar. Cyrillus. S.Thom. Tertull.

47. Secunda lectio ſic habet: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Et figit punctum;& ſequitur: *In ipſo vita erat.* Ita textus Græcus legit, D. Irenæus *lib*.3.*c*.11.D. Chryſoſtom.*hom*.4. Theophylactus, Euthymius, D.Hieronymus,*in Amos* 6. D. Gregor. Nazianz. *orat*.5.& alij multi.In hanc magis propendo;quia noſtra vulgata Latina ita legit,& vbi ponit punctum,& terminatur numerus tertius; & ſequitur quartus,*In ipſo vita erat.* Deinde,quia hæc lectio apertiſſimè excludit Arrium, qui dicebat Spiritũ ſanctum eſſe factum à Verbo,ideo ait,*ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*;cùm autem Spiritus ſanctus non ſit factus in ſe, non eſt factus à Verbo.

2.Lectio. Text. Græcus. Irenæus. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. D.Hieron. Nazianz.

Tertia lectio. *Sine ipſo factum eſt nihil,quod factum eſt in ipſo.* Et addito puncto continuat: *Vita erat,& vita erat lux*, &c. Ita D.Hilarius *lib*.2.*de Trinit.*D.Epiphanius *in Ancorato.* Hæc non placet;& D.Ambroſius 3.*de fide,cap*.3.& D.Auguſtinus *lib*.5.*de Geneſ. ad lit.c*.14. eam tribuunt Manichæis; ſi enim Euangeliſta dixit, omnia per ipſum fuiſſe facta, ad quid repetendum iterum, *in ipſo?* Deinde,quia illa dictio cohæret cum ſubſequenti, vt dicam expoſitione ſequenti.

3.Lectio. Hilar. Epiphan. Ambroſ. Auguſt.

48. *Omnia*, inquit, *per ipſum facta ſunt.* Ideſt,omnis creatura tam viſibilis, quàm inuiſibilis, vt ait D.Auguſtinus, ab Angelo vſque ad vermiculum. *Omnia per ipſum facta ſunt. Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Quia hoc nomen, *omnia*, aliquando non vniuerſalitatem ſignificat, ſed pro aliquibus accipitur; ideo Ioannes id, quod dixerat per affirmationem, repetit per negationem;& *ſine ipſo factum eſt nihil*,ſeu,vt alij transferunt,nec vnum ſit,quod non ſit factum ab ipſo. Vel poteſt referri, *ſine ipſo factum eſt nihil*,quoad conſeruationem, ita vt primò loquatur de creatione,poſtea de conſeruatione. Auguſt.

49. Vltimò hîc eſt expendenda illa particula, *per ipſum*, ex qua Arriani argumentabantur Verbum eſſe inferius Patre:nam illud, *per ipſum*, tamquam per inſtrumentum facta omnia intelligebant. Contra hanc impietatem latè agunt S.Baſilius *lib. de Spiritu ſancto.* Cyrillus *lib*.1.*in Ioan.cap*.5. Chryſoſtom.homil.4. *Neminem*, ait, *conturbare debet præpoſitio,Per;nam de Patre dicitur:Per quem vocati ſumus in ſocietatem Filij eius*, 1. Corinth. 1. num. 9. multis probat D. Ambroſius *lib*.3.*de Spiritu ſancto*, 2. Corinth.in initio: *Paulus Apoſtolus per voluntatem Dei.* Ad Galat.4. *Quòd ſi Filius, & hæres per Deum.* Ecce particula, *per*, non repugnat cum diuinitate, & æqualitate. Dicitur Pater omnia per Filium facere; ſicut enim artifex omnia per artem, & ſapientiam operatur; ita Pater per Filium, qui eſt eius ſapientia, omnia producit. Ita D. Auguſtinus 6.*de Trinit.c*.10. S. Thomas Cæſarius *dialog*.3. Hugo, & alij. Immo maiori cum proprietate dixit Euangeliſta, *per ipſum*, quàm ſi dixiſſet,*ab ipſo*, vel *in ipſo*, vel *ex ipſo*; ſi enim dixiſſet, ab ipſo, vel ex ipſo omnia facta, intelligeretur, ſolum Filium fuiſſe operatum. Si, *in ipſo*, malitia Arriana aliquid in Verbo factum perſuaderet. At verò dum ait, *per ipſum*, intelligimus, non eſſe ſolùm, vt ait D. Hilarius, ſed ſimul cum Patre, & Spiritu ſancto operatum fuiſſe.

Baſilius. Cyrillus. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt. S. Thomas. Cæſar. Hugo. Hilar.

QVÆSTIO XX.

Quare Euangeliſta tam breuiter agat de creatione?

50. EVANGELISTA tam breui epilogo, & vnico verbo comprehendit, quæ Moyſes multis enarrauit in creatione mundi. Reſpondet Toletus *in commentar. ad illa verba, Omnia per ipſum*, quòd pro Moyſis tempore, cùm non eſſet facta Redemptio, creationis beneficium omnium maximum, & ideo multis amplificandum fuit. At Ioannes iam ad maius properans, nempe ad Redemptionem, cuius collatione illud minus cenſebatur, ideo ſummatim ad maiora fuit progrediendum. Reſpondeo ſecundò, quòd Moyſes direxerat oculos ad temporalia, & Promiſſionis terram, & ideo voluit in enarrandis temporalibus detineri. At

Toletus. *Qui contemplatur cæleſtia, in terrenis non immoratur.*

At Ioannes intentam mentem habebat ad ſupernaturalia, ad Chriſtum Dominum, & eius beatitudinem, & ideo non ſuſtinuit in terrenis immorari, ſed ab aliis properanter ſe expediens vehementi conatu ad altiora aſcendit. Tertiò,Ioannes maiorem notitiam de myſterits diuinis habebat, quàm Moyſes, & tamen ſummatim, ac vno verbo vtitur, vt oſtendat, quòd quanto magis quis Diuina penetrat, plus admiratur, & minus loquitur. Quod notauit Rupertus *in lib*.1. *in Geneſ.* ad verba, *Fiant luminaria magna. Moyſes hoc dixit vno verbo, de quo Aſtrologi innumeros impleuerunt libros.*

Qui maiorem cognitionem habet de diuinis minus loquitur. Rupert.

QVÆSTIO XXI.

Quare Euangeliſta vtatur verbo, facere, & non,creare?

51. SERMO eſt hîc de creatione, & tamen Euangeliſta non ait,*omnia per ipſum creata ſunt*, ſed *facta.* Reſpondeo, verbum *facere*, habere ſignificatum valdè generale, ſignificat enim producere,ſiue per creationem, ſiue per eductionem. De primo patet: *In principio creauit Deus cœlum & terram*, Geneſ.1. num.1. Pſalm. 70. *Fecit cœlum, & terram.* Gen.2.num.4. *In die, quo fecit Deus cælum & terram.* De ſecundo per eductionem in multis locis,Geneſ.1. *Dixit Deus,fiat lux.* id eſt, quia ex præiacente materia facta eſt, vt ibi explicant Expoſitorès. Et quamquam omnia dicantur creari ratione materiæ, è cuius potentia educuntur:verbum tamen,*facere*, vtrumque explicat. Et hac de cauſa dicitur in Symbolo, *Factorem cœli, & terræ.* Et Pſalm.103.num.24. *Omnia in ſapientia feciſti.* Et ideo hîc ait Euangeliſta, *Sine ipſo factum eſt nihil.* Sine ſapientia nihil eſt operandum, ac proinde, vbi nos habemus, *In principio creauit Deus*;vertit Origenes, *In ſapientia fecit Deus.*

Geneſ.1. Pſalm.70. Geneſ.2. Geneſ.1. Pſal.103. *Sine Sapientia nihil operandum.*

QVÆSTIO XXII.

Quare ante Incarnationem præmittit Ioannes Verbum eſſe creatorem, & conſeruatorem?

52. QVARE Ioannes tractando hîc de Incarnatione Verbi, & de Redemptione humani generis, præmiſit ipſum eſſe vniuerſi factorem: *Omnia per ipſum facta ſunt*; & vniuerſalem conſeruatorem; *& ſine ipſo factum eſt nihil?* Reſpondeo primò, vt oſtendat, quòd ex eo, quòd Deus nos condidit, quodammodo ipſi incumbebat nos reſtaurare, & reformare. S. Leo Papa ſerm.12.de Paſſione: *Per quem*,ait, *omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quippe plaſmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animauit,idem naturam noſtram ab æternitatis arce deiectam, amiſſæ reſtitueret dignitati, & cuius erat conditor, eſſet etiam reformator.* Similiter S. Remigius ad Rom. cap 3. Reſpondet ſecundò, vt oſtendat Ioannes Chriſtum, quem in ſuo Euangelio Regem prædicat, eſſe verum Regem qui ſuos condidit, & tot beneficiis conſeruat, & ad maiora promouet. S. Paulinus epiſt. ad quendam militem. *Chriſtus*,ait, *totius mundi Dominus, & Rex,quia omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil.* Tertiò, vt ait Origenes hîc in homil. *Per hæc oſtendit, quòd Verbum omnia ambit, & conſeruat.* Nouerat Euangeliſta hominum naturam, quæ maximè ſpe emolumenti allicitur, & ideo ponit Verbum vniuerſi conſeruatorem,& factorem, vt ſaltem expectatione beneficiorum, & conſeruationis moueatur homo ad ipſum adorandum,& venerandum. Et in hunc ſenſum expendit D.Auguſtinus præſentem Ioannis textum *in ſoliloquiis*; & ait, *Sine quo factum eſt nihil:& ideo ſine te factus ſum nihil,quia eſt nihil, quod ad nihilum ducit:ſeparari ergo à Verbo, eſt eſſe ſine via,ſine veritate, ſine vita;ſeparari autem à Verbo, per quod facta ſunt omnia, nihil aliud eſt, quàm deficere, & à facto tranſire in defectum,quia ſine ipſo eſt nihil.* Vbi non adeſt Deus & homo Chriſtus, omnia in detrimentum,& in nihilum tendunt.

Deus, qui eſt conditor debet eſſe Redemptor. Leo. Remig. S.Paulin. *Verus Rex ſuos beneficijs conſeruat.* Origenes. *Homines ſpe emolumenti mouentur.* Auguſt.

QVÆSTIO XXIII.

Quare non dicantur omnia facta per Spiritum ſanctum?

53. QVARE, ſicut Euangeliſta dixit, omnia facta per ipſum, ſcilicet Verbum, non dixit etiam facta per Spiritum ſanctum? In rigore vera eſſet locutio. Ita S. Ambroſius *in Symbol. cap*.6. Hugo Cardinalis *hîc*; ſiquidem opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. Et Pſalm. 32. num. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Primò reſpondet cit. Hugo,quòd *magis propriè Pater dicitur operari per Filium, quia Patri tribuitur potentia operandi, Filio ipſa operatio:at ſpiritui ſancto conſeruatio operati.* Secundò reſpondeo, quòd Euangeliſta conuenientiùs dixit omnia facta per Verbum, ſi quidem Verbum eſt ſapientia Patris, Spiritus amor. Dicitur ergo, omnia operari per Verbum, & non per Spiritum ſanctum,vt te inſtruat, quòd omnis operatio tua fiat ſecundùm prudentiam, & ſapientiam; non verò ſecundùm amorem,affectum & voluntatem.

Ambr. Hugo. Pſalm.32. Hugo. *Operandum ſecundũ prudentiam, & non ſecũdum affectum.*

54. *In principio*, inquit Moyſes Geneſ. 1. *creauit Deus cœlum & terram.* Cur non dicitur:In Spiritu ſancto creauit? Egregiè reſpondet S. Ambroſius, ſerm.22. *Eſto*, inquit, *imitator Dei; quomodo imitator? numquid potes facere aut terram, aut mare? Non vtique; ſed vt omnia per Verbum facias,nihil ſine Verbo;omnia cum ratione,nihil ſine ratione.* Et optimè, vt tu inde docearis,vt operatio tua,non impetu voluntatis, ſed iudicio rationis fiat. Præcepit Deus Moyſi Exod.20. num.1. *Memento*, ait, *vt diem ſabbathi ſanctifices, ſex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei ſabbathi, & ſanctificauit eum.* Iam inſurgit dubitatio, quare in aliis præceptis, vt de non occidendo, non furando, non adhibuit Dominus rationem, ſed tantùm in hoc de ſanctificando ſabbatho poſuit cauſam: *Quia requieuit die ſeptimo?* Chriſoſtomus *homil*.2. *ad Populum Antioch.* Pro gratiarum actione: *Quare*, ait, *igitur, dic mihi, in ſabbatho cauſam adiecit, in cæde verò* nihil

Geneſ.1. Ambr. Exod.20. Chryſoſt.

nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum, non de principalibus erat, nec per conſcientiam nobis exquiſitis, ſed particulare quoddam, & temporaneum. Propterea poſt hæc ſolutum eſt, neceſſaria verò, & vitam noſtram continentia illa ſunt: non occides, non furaberis, non mœchaberis; & ideo nullatenus hîc cauſam ponit, nec rationem adducit, ſed

Operandum cum ratione.

ſola opus eſſe putat prohibitione. Ac ſi dicat: Alia præcepta, non furandi, non occidendi, lumine naturali ſunt nota, ac exinde ſufficienter probata. At ſabbathi præceptum non naturali ratione ſignatum erat: ideo ergo reddit cauſam, ne aliquis putaret voluntate, & non ratione adductum.

Deus Iſraëlitas à ſeruitute Ægyptiaca liberare, ac eximere volens, Moyſi apparens in rubo,

Exod. 3.

ait Exodi 3. num. 7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiem eorum, qui præſunt operib.* Vbi Caietanus optimè

Caiet.

aduertit: *Rationem ſui deſcenſus ad loquendum in flamma, ad apparendum Moyſi per flammam in rubo, reddidit Deus.* Sed deſcenſus non erat ſufficiens, & efficax ratio, quòd ille eſſet populus Dei; *Vidi afflictionem populi mei.* Ad quid vltrà additur: *Propter duritiem eorum, qui præſunt operibus?* Vt manifeſtum ſit quòd Deus non tantùm amore, ſed iuſtitia, ac ratione eſt tactus. Si ſolummodò populum ſuum nominaſſet, ex dilectione, & affectione talia fieri ſibi aliquis perſuaderet. Dum verò ait, *Propter duritiem eorum, qui præſunt operibus*; Iuſtitiam, ac rationem declarat, qua excitatus eſt Deus, vt populum ſuum à tantis oppreſſionibus, indebitíſque afflictionibus liberaret. Et vbi nos habemus, *Vidi afflictionem populi mei.*

Pagninus.

Pagninus, & alij legunt; *Videndo vidi afflictionem*; qui modus loquendi vehementiam, & magnam conſiderationem importat.

Ioannis 1. *n.* 4. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.

VERSIONES.

Textus Grecus. In eo vita erat, & vita erat lux illa hominum.

Quidam apud Origenem tomo 3. in Ioannem. In ipſo vita eſt.

Brixianus. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum omnium.

EXPOSITIO.

55. AD claram intelligentiam huius loci vide ſuperiori expoſitione duas lectiones circa terminationem puncti. Si ergo ita legas: *Sine ipſo factum eſt nihil*, poſito puncto; & tunc, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Primò, D.

Ambroſ. Hilar.

Ambroſius *in Pſalm.* 36. ad illa verba: *Non confundentur in tempore malo.* D. Hilar. 2. *de Trinit.* Quod factum eſt in ipſo, ſcilicet Incarnatio, Paſſio, & Mors, vita erat, & lux hominum.

Auguſt. Origenes. Beda.

Secundò, D. Auguſtinus, *tract.* 1. *in Ioannem*, Origen. *tom.* 3. *in Ioann.* Beda *hîc.* Quod factum eſt, ideſt, creaturæ factæ in ipſo Verbo habebant quoddam eſſe diuinum, & viuum. nam, vt ait D. Thomas hîc, creatura in Deo eſt ipſa creatrix eſſentia. Tertiò, D. Cyrillus *lib.* 1. *cap* 6. Chryſoſtom. *homil.* 4. Hoc referunt ad conſeruationem, id eſt, creaturis factis: *In ipſo vita erat*; quia in ipſo conſeruabantur. Quartò, Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Pædagog. cap.* 6. hoc explicat in ordine ad gratiam, de quo ſtatim.

S. Thom. Cyrillus. Chryſoſt. Clemens.

Si verò legatur, *ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, & tunc fixo puncto, *In ipſo vita erat.* 56.

D. Ambroſius *in Pſalm.* 36. Caietanus, & alij explicant de Verbo diuino, de quo eſt ſermo; ita vt oſtendat Euangeliſta, illud non eſſe mortuum, ſicut noſtrum, ſed viuum. Diuus tamen Athanaſius *lib.* 3. *de homine.* D. Ambroſius *lib.* 3. *de fide cap.* 3. Clemens Alexandr, *in exhortat. ad Gent.* Ammonius *in Catena Græca.* Fauent Chryſoſt. & Theophylactus, qui de vita ſpirituali, id eſt, gratia, intelligunt locum. Paſſim hæc in Scriptura dicitur vita. Ioannis 4. num. 14. *Fiet in eo fons aquæ vitæ ſalientis in vitam æternam.* Et c. 5. n. 24. *Qui credit in eum qui miſit me, habet vitam æternam. & cap.* 10. *num.* 10. & aliis locis. Vita ergo hîc ſumitur pro illa, qua homo viuit ſecundùm Deum per gratiam, & conſummatur in gloria æterna.

D. Ambroſ. Cai[et]. Athan. Ambroſ. Clemens. Ammon. Chryſoſt. Theophyl. Ioann. 4. Ioann. 5.

Hæc ſententia mihi videtur probabilior. Primò, quia Ioannes tractat de Verbo in ſe, deinde deſcendit ad creationem: poſtea hîc agit de vita ſpirituali, ſcilicet gratia. Secundò. In hac ſententia optimè cohærent ſubſequentia, *& vita erat lux hominum.* Tertiò. Quia Euangeliſta non ait, *Ipſa eſt vita*, quia non agebat de vita ipſius Verbi, ſed de illa, quæ eſt in ipſo eminentialiter, ſcilicet gratia.

Expende, *Lux hominum.* Primò aliqui, vt D. 57.

Cyrillus *lib.* 1. *cap.* 7. D. Chryſoſtomus *homil.* 4. Theophylactus, Rupertus intelligunt, per *lumen*, vim naturalem intellectus, quæ à natura ineſt hominibus; *& vita erat lux hominum.* Ac ſi eſſet: Et illud Verbum erat largitor luminis naturalis intellectus hominum. Secundò. D. Hilarius, D. Auguſtinus *tract.* 1. S. Thomas tenent, Verbum dici lucem propter ſupernaturale fidei lumen, quo ab exordio mundi fideles illuminati ſunt. Tertiò. D. Gregorius Nazianzenus *orat.* 4. *Theologica*, D. Ambroſius *de fide contra Arrium*, intelligunt de luce diffuſa à Verbo incarnato. Mihi certum eſt, hîc non eſſe ſermonem de lumine naturali intellectus, ſed ſupernaturali. Primò. Quia non cohærent ſubſequentia verba; *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Secundò. Quia hîc frequenter fit ſermo de lumine non naturali, ſed ſupernaturali: *Venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine: illuminat omnem hominem.* Eſt ergo ſenſus, quòd illa gratia data à Verbo illuminat hominem ſupernaturaliter in myſteriis fidei, & gratiæ.

Cyrillus. Chryſoſt. Theophyl. Rupertus. Hilar. Auguſt. S. Thom. Nazianz. Ambr.

QVÆSTIO XXIV.

Quare dicatur, quòd in Verbo erat vita, quæ erat lux hominum?

RESPONDEO primò, vt iam dixi, Euangeliſtam ideo dicere, quòd in Verbo erat vita, vt oſtenderet, quòd Verbo nihil denuo aduenit. Secundò. Euangeliſta dicturus 58.

erat, quòd Verbum contulerit vitam hominibus, ideo nunc prædixit, quòd in ipſo vita erat; nullus enim donare poteſt, niſi id, quod in ſe habet. Brixianus, *De ſalute*, ait, *hominum tractaturus, deque vita, quam attulit mundo, oſtendit primò, illũ rectè id potuiſſe præſtare, quod in ſe erat.* Tertiò, vt ait Ferus, vt oſtendat, quàm neceſſarius fuit aduentus Filij Dei: nam in Verbo vita eſt. Conſtat ergo, quòd mors aboleri non potuit, niſi per Verbum, quod eſt vita. Quartò. Non fit mentio de aliis attributis, vt de miſericordia, ac iuſtitia, ſed tantùm de vita quæ eſt in Verbo, vt nos certiores faceret, quod ex aduentu filij Dei deuicta morte, æterna vita nobis donanda erat. D. Chryſoſtomus *homil.* 4. ſic ait: *Reſurrectionis rationem iam afferre incipit, & admiranda hæc Euangelia exorditur: aduenien te autem ad nos vita, vis mortis perijt; & luce nos illuminante, tenebræ euanuerunt; ſed manet ſemper in nobis vita, & mors ei dominari non poteſt.* Quintò Ex eo hoc ait Euangeliſta, quia Verbum dedit nobis vitam ſpiritualem, ſcilicet gratiam, quæ eſt fons, & origo omnium bonorum. Theophylactus ita inquit; *Vitam Euangeliſta nominat, eo quòd contineat vitam omnium in ſe, & quòd ſpiritualis vitæ conciliator fuerit omnibus ratione præditis.* Sextò. D. Chryſoſt. homil. 4. in Ioann. *Nomen autem*, ait, *vitæ hîc non ſolùm conditionis eſt, ſed prouidentiæ ad perpetuitatem.* Ac proinde factus Pater per vitam prouidentiam, qua Deus homines paſcit, intelligit, & hanc, qua multis beneficiis nos afficit, de Deo prædicat, & dicit eſſe lucem hominum, quia nihil magis illuminat mentem, ac oculos, vt Principem ſequantur, quàm beneficentia, ac ſuorum ſolicitudo.

Nemo poteſt dare, id quod non habet. Brixianus. Ferus. Chryſoſt. Theophyl. Chryſoſt.

59. Sed quare Euangeliſta priùs nominat vitam, & poſtea lucem: *Et vita erat lux hominum*? Reſpondeo, quòd per vitam, vel ſecundùm Auguſtinum intelligitur eſſe naturale; vel ſecundùm Ambroſium, eſſe ſpirituale gratiæ; per lucem verò ipſam cognitio, vel illuſtratio, vt dixi in expoſitione, & ſicut iuxta Ariſtotelem prius eſt eſſe, quàm cognoſci, ita noſter Ioannes prius tractauit de ipſo eſſe, quàm de eius cognitione Origenes tom. 3. in Ioannem: *Primum*, ait, *nobis occurrit, ipſos viuere vita beata, deinde eos illuſtrari; ſupponitur enim: Viuere oportet, vt viuens illuminatus fiat, nec enim conſequens fuiſſet, illuminari eum, qui nondum intellectus fuiſſet viuere.*

Auguſt. Ambroſ. Origenes.

QVÆSTIO XXV.

Quare non de Verbo, ſed de vita dicatur lux hominum?

60. HANC quæſtionem excitat Origenes *tom.* 3. *in Ioannem.* Quare de Verbo non dicitur, *Erat lux hominum*, cùm ſit lumen de lumine per eſſentiam; ſed de vita, quæ facta eſt in Verbo, dicitur, *Erat lux hominum*? Reſpondeo primò, quod infrà de Verbo ait Euangeliſta; *Erat lux vera.* Secundò, quòd verbum dicit eſſentiam, & proprietatem, per quam ſecunda perſona diuina excellentiſſimè conſtituitur; vita verò, vt dixi in expoſitione, hîc importat eſſe naturale, vel ſupernaturale gratiæ hominibus communicatum; non Verbum, ſed vita dicitur lux, quia perſona diuina, non per id, quod intra ſe formaliter habet, ſed per id, quod extrà communicat, homines illuminat, & dicitur lux, vt tu moraliter diſcas, quòd non per id, quod homo in ſe claudit, ſed per illud, quod aliis donat, & communicat, eorum lux, & benefactor dignoſcitur.

Idem. *Homo eſt benefactor, non per id quod in ſe habet, ſed per id, quod alijs donat.*

QVÆSTIO XXVI.

Quare non dicatur lux creaturarum, vel Angelorum.

QVARE Euangeliſta non dixit, lux creaturarum, Iudæorum, Angelorum, ſed tantùm hominum: *Erat lux hominum?* D. Auguſtinus, & Beda *hîc.* Non dicitur lux omnium creaturarum; quia non omnes creaturæ ſunt capaces rationis, ſicut homo. Non dicitur Iudæorum lux. Chryſoſtomus, & Theophylactus. Quia non Iudæorum tantùm, ſed omnium hominum causâ venerat, & eſt lux omnium, qui credunt, cuiuſcumque conditionis ſint. Non dicitur lux Angelorum. Origenes *tom.* 3. *in Ioannem* ait, quòd Verbum eſt lux Angelorum; in eo autem quòd appellatur lumen hominum, non excluditur, quin ſit Angelorum. Sicut ex eo quòd Deus dicitur, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, non negatur Deus cæterorum. Secundò ait, quòd in Scriptura ſæpe per Angelos intelliguntur homines. Caietanus ait, quòd ex eo dicitur lux hominum, qui ex intelligentibus ſunt inferiores creaturæ, vt inde inferas, quòd ſit Verbum lux ſuperiorum, vt ſunt Angeli. Sed in his reſponſionibus ſemper inſtat dubium: Cur non dicatur lux Angelorum? Communis reſponſio eſt, quòd Angeli non fuerunt redempti, ſicut homines. Ita Toletus, Maldonatus, Beaulxam. Barradas, & alij. 61.

Auguſt. Beda. Chryſoſt. Theophyl. *Deus lux omnium hominum.* Origenes. Caiet. Toletus. Maldonat.

62. Quamuis Angeli non fuerint redempti, eſt tamen ſatis grauis ſententia, quòd Chriſtus Dominus eis meruit gratiam, & gloriam eſſentialem. Quam tenent multi diſcipuli Scoti, & ſequitur Suarius *tom.* 1. *ad* 3. *part. diſpoſ.* 42. *ſect.* 1. Deinde Euangeliſta hîc videtur loqui de Verbo diuino, prout eſt Deus, qui dedit gratiam, & gloriam Angelis, Ideo dico, quòd dicitur lux hominum, quia Ioannes ad homines ſcribebat, quos intendebat in obſequio Dei beneficiis continere, ac ad illud eos obligare. Secundò. Quia inter homines & Angelos hæc eſt differentia, quòd ſancti Angeli ſemper perſeuerauerunt in gratia; homines verò gratiam amiſerunt: & Deus plus gloriatur, quòd ſit eorum lux, qui à ſalute deperdita reuocati ſunt ad vitam, quàm eorum, qui ſemper in ſanctitate perſtiterunt.

Suarius. Solutio. *Deus plus glorificatur inter peccatores conuerſos, quàm inter iuſtos.*

63. Poſtquam populus tranſiuit fluenta Iordanis, ait textus, Ioſue 4. num. 14. *In illo die magnificauit Dominus Ioſue coram omni Iſrael.* Sed iam inſtat dubium. Non extollitur gloria Ioſue, dum miracula inuſitata, & mirabilia operatur, dum prophetando cum Moyſe ſociatur, ſed dum fluenta Iordanis pertranſit? Ioſue figuram gerebat Chriſti Domini, cuius gloria non tam grandeſcit, dum mirabilius fulget, ac cum Moyſe, in medio Iuſtorum adeſt, quàm dum vnda baptiſmali Iordanis peccatores ſanctificat, Origenes

Ioſue 4.

Origen. homil.4.in Ioſue. *Quanta*,inquit,*antegeſta ſunt, mare rubrum pedibus tranſuadatum eſt, manna de cælo datum eſt, fontes in eremo diſrupti ſunt, & numquam dicitur exaltatus Ieſus. Vbi verò Iordanis tranſitur, ibi dicitur ad Ieſum: In hac die incipio exaltare te in conſpectu populi. Nec enim ante myſterium Baptiſmi exaltatur Ieſus, ſed exaltatio eius in conſpectu populi, inde ſumit exordium.*

Ioannis 1. *v.* 5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

VERSIONES.

Syriacus. Et ipſa lux in tenebris lucet, &c.

*Origen. tom.*4. *in Ioan.* Et tenebræ eam non apprehenderunt.

EXPOSITIO.

63. VBI nos habemus *tenebræ*, in textu Græco eſt in numero ſingulari; ac ſi dicat *caligo*. Rectè noſter Interpres legit per plurale *tenebras*; quia apud Latinos non habet ſingulare. Quantum ad expoſitionem textus, magna eſt varietas Doctorum. Primò Caietanus (Caiet.), per *lucem*, intelligit ſupremam lucem, per *tenebras* res inſenſibiles, quæ vtpote intellectus expertes à luce Verbi illuſtrari nequeunt. Hæc expoſitio non placet; non enim in Scriptura res inſenſibiles ſignificantur per tenebras; nec aliquid mirabile dicebat Euangeliſta, quòd res inſenſibiles lucem ſpiritualem non perciperent. D.Gregorius Nazianzenus *orat.*4. Origenes *tom.*4. *in Ioan.* Elias Cretenſis *in ſuo commentar.* per *lucem* intelligunt Chriſtum, per *tenebras* Diabolum, ac eius miniſtros. *Rectorem tenebrarum*, Epheſi 6. num.12. Tertiò D. Cyrillus *lib.*1. *in Ioan. cap.*7. & ex parte etiam Origenes *homil.*2.*in diuerſos*, per *lucem* Chriſtum, per *tenebras* noſtram naturam, quæ quamuis habeat lumen rationis, non poteſt tamen comprehendere Deum, & ideo ad eius adæquatam intelligibilitatem ſemper eſt in tenebris. Quartò Chryſoſtomus *homil.*4. *in Ioann.* Theophylactus per *lucem* Chriſtum, per *tenebras* errorem, & mortem, quæ vtpote deuicta à Chriſto reſurrectione ſua ipſum non potuit comprehendere. Quintò, D. Maximus *homil.*2.*de Paſcha*, & *homil.*3.*de Pentecoſt.* S.Macharius ſenior *homil.*17. per *tenebras* accipiunt peccata, quæ Chriſtum non potuerunt comprehendere. *Quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, 1.Petr.2.n.22. Sextò, S. Leo Papa *ſerm.*18.*de paſſione*, S.Diadochus *cap.*80.*de perfectione ſpirituali*, S. Thomas *hic*, per *tenebras*, intelligunt homines peccatis obſcuratos, inuidia excæcatos, ſuperbiâ tenebroſos. Septimò tandem alij, vt Euthymius, per *lucem* accipiunt prædicationem Euangelicam, Pſalm.118.num.105. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum*; quam homines obſcurati infidelitate non receperunt. Hæ omnes expoſitiones probabiles, & ſuis ſe tuentur Auctoribus.

Nazianz. Origen. Cretenſ. Epheſi. 6. Cyrillus. Chryſoſt. Theophyl. Maximus. Machar. ſenior. 1. Petri 2. Leo Papa. Diadoch. S. Thomas. Euthym. Pſalm.118.

64. D. Auguſt. Illa mihi videtur probabilior quæ eſt D. Auguſtini *tract.*1. *in Ioan.* & *lib.*4.*de Trinit. cap.*2. & *epiſt.*120. *ad Honorat. cap.*3. D. Ambroſij *lib. de fide contra Arrium, cap.*3. Gloſſæ interlinealis, Zachariæ Epiſcopi, Titelmanni. Caietanus etiam eam ſecundo loco dat. Salmeron *tract.*16. per *lucem* intelligit lumen fidei, & cognitionis ſupernaturalis, quæ ab exordio mundi ſemper lucet in hominibus, licèt ipſi obtenebrati peccatis, ac Idolorum cultu, eam non comprehenderint, nec cognouerint, à conditione enim mundi ſemper fuerunt fideles, qui veri Dei cognitionem dabant, licèt homines peccatis obcæcati eos non audierint: & in hoc ſenſu ait Paulus ad Epheſ. num.8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ex eo hæc ſententia ſemper mihi placuit: quia Euangeliſta ordinatè procedit narrando, vt ſuprà dixi. Primò, Generationem æternam, creationem mundi; nunc ſtatum illius in ordine gratiæ; tandem agit de aduentu Chriſti Domini à verſu ſequendi à teſtimonio Præcurſoris, qui dum mundus tantis tenebris detineretur, ab ipſo illuminatur.

Ambroſ. Gloſſ. interl. Zacharias. Titelman. Salmeron. Epheſ. 5.

QVÆSTIO XXVII.

Quare de Chriſto Domino dicatur tantùm quòd ſit lux.

65. Origen. DVBITAT Origenes *tom.*4.*in Ioan.* qui per *lucem* cum multis Patribus intelligit Chriſtum Dominum. Quare noſter Euangeliſta *in ſua epiſtola* 1. *cap.*1. *num.*5. loquendo de Deo Patre, ait: *Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*; cur etiam de Saluatore, cùm ſit impeccabilis, non dicitur, quòd ſit lux, & tenebræ in eo non ſunt vllæ, ſed tantùm appellatur lux? Reſpondet optimè citatus Origenes: *Deus impeccabilis eſt, Chriſtus etiam impeccabilis; vt tamen Chriſtus homines beneficio afficeret, tenebras noſtras in ſe ipſum recepit, vt potentia ſua mortem noſtram deleret, expelleretque animarum noſtrarum tenebras.* Et in hoc ſenſu ait Apoſtolus 2. Corinth.5.n.21. *Is, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id eſt, in ſe aſſumpſit pœnam peccati, vt explicat D. Thomas.

1. Ioan.1. *Chriſtus in ſe aſſumpſit peccata noſtra.* 2. Cor. 5.

QVÆSTIO XXVIII.

Quomodo dicatur, quòd lux ſit in tenebris?

66. QVOMODO ait Euangeliſta; *Lux in tenebris lucet*? Si enim lux in tenebris eſt, ſine dubio non lucet, & ſi lucet, non eſt in tenebris. Reſpondetur ex D.Auguſt. *tract.*1.*in Ioan.* quòd ipſa lux, quantum eſt ex ſe, lucet & apta eſt ad expellendas tenebras, niſi adſit obſtaculum, vt patet in cæco. Secundò, moraliter ex hoc collige, quòd plus poteſt malitia, quàm natura, ſiquidem lux, & tenebræ naturales non valent ſimul dari, cùm tenebræ ſint priuationes lucis. At malitia poteſt efficere, vt in conſpectu tantæ lucis, & fulgoris Chriſti Domini ipſæ tenebræ, & caligines errorum in corde humano durent, & perſeuerent.

Auguſt. *Plus poteſt malitia quã natura.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIX.

Quare Euangeliſta hîc vtatur verbo, comprehendere?

67. EVANGELISTA vtitur hîc verbo *comprehendere: & tenebræ eam non comprehenderunt. Comprehendere* enim eſt totum apprehendere, vt nihil illius lateat videntem, ſed cognoſcitur res, quantum cognoſcibilis eſt; atqui Deus eſt omnino incomprehenſibilis, Hieremiæ 32. num.19. *Magnus Dominus, & incomprehenſibilis cogitatu.* Quare ergo Euangeliſta non ait, & tenebræ non cognouerunt, ſed *non comprehenderunt*? Quòd ſi per *lucem*, iuxta multos Patres in expoſitione citatos, Chriſtum intelligamus, eſt omnino impoſſibile, vt creatura Deum comprehendat. Reſpondeo primò, quòd optima eſt lectio Origenis, *& tenebræ non apprehenderunt.* Secundò reſpondet Dionyſius Carthuſianus, quòd hîc *comprehendere*, non ſignificat rigoroſam comprehenſionem, ſed quandam cognitionem per fidem. Reſpondeo tertiò, quod maximè notandum eſt, ingenium viri Apoſtolici: ſi diceret, tenebræ non cognouerunt; hominum peccatum & incredulitatem palàm manifeſtabat; dum verò ait, *non comprehenderunt*; quod rigoroſè per reſpectum ad Chriſtum, eſt impoſſibile, cùm ſit verus Deus; ipſa elegantia verborum eorum nequitiam quodammodo operit. Hoc eſt ingenium ſanctiſſimorum virorum, qui dum aliorum peccata dicunt, ipſimet verbis quodammodo occultant, & abſcondunt.

Hierem. 32. Carthuſ. *Aliorum peccata occultanda.*

QVÆSTIO XXX.

Quare de præſenti dicatur, quòd lux luceat?

68. QVARE de præſenti Euangeliſta dicit; *lux lucet in tenebris*, & ſtatim de præterito, *& tenebræ eam non comprehenderunt*; videtur enim, quòd ad optimam verborum connexionem eodem tempore loquendum erat? Reſpondeo primò, quòd dum Euangeliſta ait de præſenti *lucet*, & non *luxit*, ſignificat perpetuam, & perſeuerantem illuminationem Dei, quæ ab exordio mundi vſque modò durat, & ſemper durabit; dum verò ait: *tenebræ non comprehenderunt*, dicit reſpectum ad legem naturæ, in qua pauci erant, qui fidei cognitionem haberent; & ſic quaſi totus mundus erat in tenebris. Secundò moraliter. Dum ait, *lux lucet*; ſignificat ibi auxilia, & gratiam Dei, vt dixi in expoſitione; per *tenebras* verò intelligit peccatores ſuis peccatis obcæcatos. Dum ergo eſt ſermo de gratia, & auxiliis, loquitur in præſenti, *lucet*; quia Deus dona ſua ſemper habet in præſentia, & in conſpectu, vt ea communicet, ac hominibus largiatur. At dum de peccato agit, in tempore præterito, ac elapſo proferuntur, & veluti poſt tergum Dei, vt ſic quodammodo videatur diſſimulare Deus, ac ideo obliuiſci, ne puniat, vt det locum pœnitentiæ, ac miſereatur.

Dei miſerationes in eius conſpectu, peccata poſt tergum.

69. Compone inter ſe duos Reges, Dauidem, & Ezechiam. Dauid ſe in conſpectu Dei eſſe multis in locis fatetur. Pſalm.40.num.13. *Me autem*, ait, *propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum*, & *Pſalm.*60. *n.*8. & *Pſalm.*55.*num.*9. & paſſim. At Ezechias de ſe ait: *Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea*, Iſai.38.n.8. Dauid innocentiam ſuam, lachrymas ſuas ante conſpectum Dei; Ezechias verò peccata ſua poſt tergum reponi dicunt. Innocentia, & lachrymæ ante oculos Dei ſtabant, ſi quidem miſericordiam, ac beneficia Dei expoſtulabant, quæ ante conſpectum eius verſabantur; at peccata Ezechiæ poſt tergum, ac ſi ea obliuiſceretur Deus, vt ſic daret locum non ad puniendum, ſed ad miſerandum. Ita expendit Bruno in Cantic. Ezechiæ: *Proiecisti*, inquit, *poſt tergum tuum omnia peccata mea, ne videres illa ad damnandum me.* Vide *hoc lib. cap.*9. *quæſt.*7. *num.* 21.

Pſalm.40. Iſai.38. Bruno.

70. Diuerſimodè valdè loquitur Regius Vates de populo Dei, *Pſalm.* 43. nam *verſ.* 5. loquendo de multis beneficiis acceptis à Deo; *ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui*; ſeu, vt legit Hieronymus, *lux vultus tui: quoniam complacuiſti eis. Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob.* Et aliter *n.*11. iam fatur Propheta: *Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros*; ſeu, vt legit Chryſoſtomus, *Auertiſti nos retrò.* Quid ſignificant hæc tam diuerſa? modò dicuntur eſſe in illuminatione vultus Dei, modò dicuntur retrò eſſe? Expende myſterium, & cognoſce cauſam. Dum apti ſunt ad beneficia acipienda. *Tu es, qui mandas ſalutes Iacob*, dicuntur eſſe *in lumine vultus Dei*; dum verò peccatis opprimuntur: *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me*, n.16. tunc collocantur retrorſum, ac in inferiori loco poſt inimicos ſuos, vt ſic poſſint reuerti, & pœnitentiam agere. S. Hieronymus in præfatione Pſalm. *Sic & Petrum*, inquit, *Dominus retrorſum conuertit, vt in melius repararet.*

Hieron. Chryſoſt. Hieron.

Ioannis 1. *n.* 6. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.

VERSIONES.

Pagninus, & Vatablus. Erat homo miſſus à Deo; cui nomen Ioannes.

*Origen. tom.*3. *in Ioan.* Fuit homo miſſus à Deo, nomen illi Ioannes.

Textus Grecus. Extitit homo datus à Deo, nomen illi Ioannes.

EXPOSITIO.

71. DESCRIPSIT Euangeliſta tenebras ignorantiæ, quibus mundus occupabatur, & antequam ad veram lucem Verbum incarnatum accedat, de Præcurſore Baptiſta inſerit ſermonem, vt ex communis ſanctorum Patrum ſententia, D. Auguſtini *tract.*2.*in Ioan.* Cyrilli *lib.*4.*cap.*7. D.Chryſoſtomi *homil.*5. S.Thom. Bonauenturæ, Bedæ, Euthymij, Theophylact. Rupert. Carthuſiani, & aliorum. Et idem habent communiter omnes Recentiores. Neſcio quo fundamento quidam Auctor voluit hunc

Auguſt. Cyrill. Chryſoſt. Thomas. Bonauent.

locum

locum intelligere de Ioanne Euangeliſta, cùm hoc ſit contra communem ſententiam Patrum, & repugnet textui, agit enim hîc Euangeliſta de teſtimonio, quod dedit Ioannes de aduentu Filij Dei, de quo tractat in toto hoc primo capite.

72. Cyrillus.

Ait ergo: *Fuit homo*; in illo verbo *fuit*, notat Cyrillus *lib.2.c.7.* quòd Euangeliſta, dum loqueretur de Verbo, vſus eſt verbo *erat*, ad innuendum, quòd Verbum eſſe non cœpit, nec deſiit. At de Ioanne agens, qui non ſemper fuerat, imò iam defunctus erat, ponit verbum *fuit*, quod ſignificat, rem præteriiſſe. Dicitur *Homo*, per quod excluditur error Origenis *tom.5. in Ioan.* qui dicebat Ioannem Baptiſtam eſſe Angelum;

Malach 3.

quia *Malachiæ 3.* dicitur *Angelus*; ſed hoc eſt ratione officij, non naturæ. Sicut etiam Sacer-

Malach.2.

dos dicitur *Angelus*, Malachiæ 2. num.7. 1. Corinth.11. num. 10. Nota tamen, quòd Ioannes fuit homo non alterius regni, ſed eiuſdem loci, tales enim debent eſſe gubernatores, vt omnia familiarius penetrent.

73. Rupert.

Miſſus a Deo. Nam licèt omnes Prophetæ fuerint miſſi, Ioannes tamen ſingulariter fuit miſſus. Primò, vt ait Rupertus, quia ex ſenibus, & ſterilibus parentibus natus eſt. Secundò, in vita potius angelica, quàm humana venit. Tertiò, annunciauit Chriſtum præſentem, quod alij Prophetæ non præſtiterunt. Quartò, quia non ſæculi rebus, parentibus, ac poſſeſſionibus occupatus, ſed nudus à pueritia ante faciem Domini cucurrit. Vnde illud *miſſus*, non ſolùm ad prædicationem, ſed etiam ad pueritiam, ac ſanctificationem in vtero refero. An verò miſſus fuerit inſpiratione, vel externa locutione; ad cap. 3. Lucæ dicam. Tandem in hoc verbo,

Chryſoſt.

vt notat Chryſoſtomus homil. 5. ſignificatur Ioannis Apoſtolatus, idem enim valet, ac eſſe miſſum.

QVÆSTIO XXXI.

Quare dicatur de Ioanne, quòd fuit homo miſſus à Deo?

74. *Qui procurat officium infidelis, qui accipit iuſtus.*

DICITVR de Ioanne, quòd ſit homo miſſus à Deo, vt oſtendatur rectitudo, ac æqualitas Ioannis in ſuo munere, qui enim ſibi acquirit officium, iniuſtus, ac ambitioſus eſt; qui verò à Deo accipit, rectiſſimè operatur; cui enim Deus dat munus, etiam tribuit neceſſaria, quæ ad ipſum exiguntur. Sic Diony-

Carthuſ.

ſius Carthuſianus loquitur: *Nemo enim ſapienter agens aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: quod contra Dominus ait de præſumptuoſis, & falſis Prophetis: ipſi currebant,*

Hierem.24.

& ego non miſi eos, Hieremiæ 24.

75. *Communis magiſter nullum ſignum particularitatis habeat.*

Deinde dicitur, *fuit homo*, ad ornatam, & congruam locutionem. Illud ſubſtantiuum *homo* notandum erat aliquo ſigno particulari, vel ſingulari *vnus*, vel quidam; ac ſi diceret, *fuit quidam homo*; ſed abſolutè dicitur *homo*, meritò ſanè. Venerat Ioannes, vt communis, ac vniuerſalis magiſter; nullum in eo, nec etiam nomine tenus, debuit eſſe, vel monſtrari ſignum ſingularitatis, vel particularitatis, ſed totus in communem ſpiritum reſolui.

QVÆSTIO XXXII.

Quare ante officium ponatur nomen Ioannes?

EVANGELISTA priùs nominat hîc Ioannem: *Cui nomen erat Ioannes*; quàm dicat finem, ad quem miſſus eſt, & officium, 76.
propter quod venerat; finis enim, iuxta Philoſophos, eſt prior in intentione. Quare ergo non dixit: Fuit homo miſſus à Deo, vt teſtimonium perhiberet de lumine, cui nomen erat Ioannes? Reſpondeo, quòd noſter Euangeliſta rectè narrauit rem; prius poſuit nomen Ioannis, quàm eius officium. Ioannes ſignificat gratiam, & in ipſo nomine Ioannis, vt ait hîc D. Thomas, ſignificatur idoneitas, & ſufficientia ad officium, & antequam Euangeliſta ſcriberet eius munus, voluit nobis aperire eius ſufficientiam, quia ſemper priùs eſt conſideranda.

Prius ſufficientia ad officiū, quam collatio illius. S. Thomas.

Dixit Elias Theſbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba, 3. Reg. 17. n. 1. 77. 3. Reg. 17.
Hic eſt primus locus, in quo Scriptura incipit tractare de parente Elia. Et cur tantus Propheta ſtatim introducitur cœlum claudens? Conuenientius erat vt ſolent Hiſtorici, priùs memorare parentes, natiuitatem, & merita anteacta, per quæ ad tantam poteſtatem deuenit; ſed his omnibus prætermiſſis, cœlum claudens deſcribitur? Ne mireris: ab inſtituto more non deuiat Scriptura: dicitur Elias Theſbites; Elias, ideſt, Dominus Deus, ſeu Deus fortis; ideo non fuit neceſſarium alia opera exprimi. nam in ipſo nomine eius magnus ſpiritus, ac idoneitas, & ſufficientia declarabatur. Rabbanus. *Elias*, ait, *interpretatur Dominus Deus, & Theſbites conuertens: Eliæ tacetur origo, cùm eius nomen ſubitò introducitur, & hoc in Saluatoris præfiguratione.* Si tacetur origo, & alia, nomen non tacetur, vt manifeſtetur, quantus ſit ad tam miram rem præparandam, cuius ſufficientia in nomine declaratur.

Rabban.

Ioannis 1. v. 7. Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.

VERSIONES.

Syriacus.	Is venit in teſtimonium, vt teſtaretur de luce.
Pagninus, & Arias.	Hic venit ad teſtificandum vt teſtaretur de luce, &c.
Vatablus.	Vt teſtificaretur de luce.
D. Hieron. in c. 63. Iſai.	Vt teſtimonium præberet luci.

EXPOSITIO.

EXPLICAT hîc Euangeliſta officium, ad quod miſſus eſt Ioannes, ſcilicet *in teſtimonium*, id eſt, vt eſſet teſtis. Secundò, 78.
motiuum, ob quod tale munus ei eſt datum, ſcilicet,

licet, *vt teſtimonium perhiberet.* Tertiò, finem muneris, *vt omnes crederent per ipſum.* Et ne aliquis ex tanta celſitudine muneris ſuſpicaretur ipſum eſſe Deum, vt aliqui exiſtimarunt, ſubdit Euangeliſta, *Non erat ille lux*, &c. Quantum ad officium, fuit excellentiſſimum, vt ſcilicet eſſet teſtis, & daret teſtimonium. Et quamquam omnes creaturæ teſtificentur ſapientiam, & potentiam Dei,

Rom. 1.

ad Rom. 1. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Ioannes tamen ad hoc ſpecialiter eſt miſſus à Deo, vt teſtificaretur de Chriſto Domino. Et nota, quòd diuina prouidentia ad Iudæos non miſit aliquem teſtem extraneum, ſed hominem ex eorum genere, & nobiliſſimum, ac vita ſanctiſſimum: *vt omnes crederent per illum.* Hæc fuit intentio Dei mittentis, *vt omnes*, non aliqui, crederent; nam Deus vult omnes homines ſaluos facere; quòd verò non crediderint, fuit ex malitia audientium. Nota particulam *per illum*, quæ licèt, iuxta textum Græcum, poſſit referri ad Ioannem, vel ad lumen; ſed iuxta communem ſententiam refertur ad Ioannem, non enim ait Euangeliſta, vt crederent in illum, ſed *per illum*, tamquam per vocem, & inſtrumentum Verbi.

QVÆSTIO XXXIII.

Quare Chriſtus Dominus voluerit habere teſtimonium à ſeruo ſuo Ioanne?

79.

VALDE mirum quòd Chriſtus D. prima veritas, in teſtificando voluerit habere teſtimonium à Ioanne? Reſpondeo primò. Propter magnam paupertatem, & humilitatem, in qua venit Chriſtus, neceſſarium fuit teſtimonium ob hominum infirmitatem. Ita D. Augug. tract. 35. in

Auguſt.

Ioan. *Talis*, inquit, *venit Chriſtus, vt oporteret ei lucernam teſtimonij perhibere. Numquid opus erat, vt Ioannes tamquam lucerna perhiberet teſtimonium diei, ſi dies ipſe ab infirmitate noſtra poſſet videri?* Quamuis lumen viſibile, vt videatur, nullius egeat teſtimonio, imò ſit ratio videndi alia, tamen intellectus humanus ita eſt infirmus, ac ita veritatem reſpuit, quamuis aliàs ſit eius obiectum, vt ad ipſam percipiendam alterius exigat teſtimonium. Vnde ait Carthuſ. *Neceſſaria fuit Iudæis præparatio iſta; nam cùm rudes fuerint, immediatè capaces non erant ſupernaturalium, ac cæleſtium documentorum Chriſti, ſed pedetentim inducendi erant ad ſublimiora.* Paulatim, & non ſubitò Deus res magnas diſponit.

Intellectus humanus reſpuit veritatem.

Carthuſ.

80. Ioan. 18.

Sed quare à ſeruo voluit Dominus habere teſtimonium, cùm ipſe de ſe dicat: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*, Ioan. 18. n. 37. Et de ipſo ait

Iſai. 15.

Pater: *Ecce teſtem populi mei dedi eum*, Iſai. 55. num. 4. Ex quo colligit D. Thomas *hîc*, hoc officium Ioannis eſſe valde magnum? Reſpondeo primò, quòd Chriſtus eſt teſtis illuminans, vt lumen per eſſentiam; Ioannes verò vt lumen par-

S. Thomas.

ticipans. Sic Thomas hîc: *Aliter, ait, Chriſtus, aliter Ioannes; Chriſtus enim, vt ipſum lumen comprehendens, imò ipſum lumen exiſtens; Ioannes verò vt ipſum lumen participans tantùm: & ideò Chriſtus perfectè teſtimonium perhibet, & perfectè manifeſtat veritatem; Ioannes verò, & alij Sancti, in quantum ipſam veritatem diuinam participant.* Secundò, quia quamuis ipſe ſit teſtis, & lumen per eſſentiam, voluit vt Ioannes teſtificaretur, vtpote in re propria valde conueniens alienum teſtimonium. Tertiò. Tam priuilegiatus fauoribus erat Ioannes, vt Chriſtus Dominus ſibi propria cum ipſo communicauerit. Chryſoſt. homil. 5. in Ioan. *Dicet fortaſſe, ait, quiſpiam, ſeruus de Domino teſtimonium perhibet? Verùm, cùm non ſolùm à ſeruo teſtimonium perhibitum ſit, ſed etiam ad ſeruum venerit; ſed quid perturbari, commouerique oportet? Admirare potiùs ineffabilem Dei benignitatem. Quòd ſi quis adhuc in perturbatione perſiſteret, dic ac illum id, quod ad Ioannem dixit: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* D. Thomas ad nobilitandas tales cauſas ſuam dignitatem eis communicare dignatur.

In re propria teſtimonium alienum.

Chryſoſt.

Quæ Chriſti propria Ioanni communicantur.

S. Thom.

81. Ioan. 5.

Quare Chriſtus Dominus vult teſtimonium Ioannis, cùm ipſe dicat, *Ego ab homine teſtimonium non accipio*, Ioann. 5. num 34. Reſpondet Chryſoſtomus *citata homil. 5.* quòd Ioannes venit in teſtimonium, non quia Chriſtus eius in-

Chryſoſt.

digeret teſtimonio, ſed homines, vt crederent; nam, vt optimè ait D. Auguſt. tract. 2. in Ioan.

Auguſt.

Lux in ſe videri non poteſt, bene tamen in aliquo monte excelſo, vel excelſo loco. Ioannes mons in ſanctitate eſt, in quo monte lux ipſa diuini Verbi, veluti per reflexionem reſplendebat, vt in illo illam æternam lucem Iudæi viderent, quam in ipſo diuino Verbo videre non poterant. Hoc poteſt retorqueri in laudem Ioannis; nam quamuis ipſe miſſus ſit in teſtimonium, Chriſtus ab homine non accipit teſtimonium, cùm Ioannes per gratiam ſuprà terminos naturæ humanæ eleuatus ſit; vnde *Malachiæ 3.* dicitur Angelus.

Ioannes trāſcendit terminos naturæ.

82. Origen.

Et cùm Chriſtus Dominns tot miracula, & ſigna fecerit, voluit tamen teſtimonium Ioannis? Reſpondet Origen. tom. 3. in Ioan. *Vt abundans eſſet via ad credendum; nam ad ſalutem non ſolùm dat media neceſſaria, ſed etiam cumulata exhibet.* Secundò, quia Deus vnumquemque vult ſuauiter trahere ſua inclinatione; quidam enim veniunt ad fidem per ſigna, & miracula; quidam verò per ſapientiam, & teſtimonia: *Quoniam Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt*, 1. Corinth. 1. num. 22. Et ſic Deus omnibus pandit viam ſalutis, vt qui non credunt per ſigna, credant per teſtimonia. Vide *cap. 2. num. 30.*

Deus quot media parat ad credendū. Deus quemlibet attrahit ſua inclinatione.

1. Cor. 1.

QVÆSTIO XXXIV.

Explicantur aliquæ quæſtiunculæ.

QVÆSTIVNCVLA prima. Suprà appellauit Filium Dei *Verbum*, nunc verò *lumen.* 83.
Reſpondet D. Thomas. *Suprà autem, ait, dixit Filium Dei Verbum, quo Pater dicit ſe, & omnem creaturam. Vnde cùm propriè ſit lux hominum, & hîc Euangeliſta de eo agat; ſecundùm quod venit ad ſalutem hominum procurandam, congruè intermittit hoc nomen Verbum, cùm loquitur de Filio Dei, & dicit illud lumen.* Ac ſi dicat; quando Euangeliſta agit de generatione æterna, in qua Pater communicat ſuum eſſe Filio, & in ipſo omnia intelligit, dicitur Verbum: prout verò homines illuminat, dicitur lumen; à munere enim quo res fungitur, ſortitur appellationem.

S. Thom.

Res habet nomen ab eo quod præſtat.

Quæſtiuncula ſecunda. Euangeliſta, cùm ſu- 84.
prà

prà dixiſſet: *In ipſo vita erat,& vita erat lux hominum*;& nunc ait: *Ioannes venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Meritò dubitat Origen.tom.5.in Ioan. *Quare*,ait, *cur tandem cùm Ioannes miſſus à Deo venerit ad teſtificandum,vt teſtificaretur de lumine, non etiam venerit,vt teſtificaretur de vita?* Reſpondet. *Homo ergo nullus, qui veniret, teſtificari poterat de vita etiam nunc abſcondita cum Chriſto in Deo.* Ac ſi dicat: In Deo eſt vita,& lux; potiùs tamen vult teſtificari,& publicari per lucem, per quam illuminat,& per beneficia, quàm per vitam,qua ipſe viuit, quæ eſt abſcondita in ea.

Origen.

Deus per beneficia innoteſcit.

85. Quæſtiuncula tertia. Quare dixit Euangeliſta, *vt omnes crederent*; non verò ſcirent,vel cognoſcerent? Reſpondet Caiet. *Teſtimonio fides, non ſcientia, non enim ſcientia innititur teſti, ſed demonſtrationi, ſeu euidentiæ: fides autem eſt,quæ teſtimonio innititur. Cur autem à Ioanne teſtata, non docuit ſcienda credenda, vtpote ea,quæ excedunt capacitatem ſcientiæ.* Hæc ille. Secundò reſpondeo,quòd peccatum intrauit in mundum per immoderatum appetitum ſciendi bonum,& malum in primis parentibus: ſalus ergo debet intrare per mortificationem ipſius appetitus,captiuando intellectũ in obſequium fidei, & præbẽdo aſſenſum his quæ non vidit,vt contingit in fide.

Caiet.

Vbi peccatum,ibi compunctio vt reſurgas.

86. Primi parentis peccatum ex immoderato appetitu ſciendi bonum, & malum habuit originem. *Scientes bonum,& malum*, Gen.3. At prima pœna, quam ex tanto peccato experti ſunt in erubeſcentia, ac verecundia,habuit radices. *Cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus,& fecerunt ſibi perizomata*,Gen.3.num.7.Cur Scriptura ſupplicium, ac compunctionem tanti peccati à verecundia cœpit proponere? Meritò ſanè: nam ſicut culpa peccati incepit ab immoderato appetitu intellectus, ita pœna incipiat à compunctione, & mortificatione intellectus, ex qua reſultat verecundia, vt ſic homo ſurgat ad emendationem. Chryſoſt.homil.16.in Gen.*Propterea*,inquit,*Scriptura ait, comederunt,& aperti ſunt occuli eorum,& cognouerunt, quòd eſſent nudati, propter peccatum ſupernæ gratiæ amictu, & ſenſibilis ſuæ ſpoliationis ſenſum acceperunt, vt per erubeſcentiam, quæ inuadebat ipſos, certò ſcirent, in quantam ruinam ipſos induxiſſet mandati dominici præuaricatio.*

Geneſ.3.

Ibid.

Chryſoſt.

Per quæ quis peccat, per hæc torquetur.

Ioannis 1.*n.*8. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.

VERSIONES.

Vatablus. Sed vt teſtaretur de illa luce.

Vatablus. Non erat ille lux, ſed miſſus erat, vt teſtificaretur de luce illa.

EXPOSITIO.

87. VM ſæpe fieri ſolet, vt notauit D. Chryſoſtomus *homil.*8. *in Ioan.* S. Thomas, Theophylactus, & alij, vt ille, qui teſtimonium de alio perhibet, maior, ac fide dignior reputetur: ideo Euangeliſta ait, *Non erat ille lux.* Deinde tantus ab omnibus eſt habitus, vt opus fuerit Euangeliſtam exprimere ipſum non eſſe Meſſiam,vt multi ex populo cogitabant de Ioanne in cordibus ſuis, ne fortè eſſet Chriſtus, *Lucæ cap.* 3. *num.*15.

Chryſoſt.
S. Thomas.
Theophyl.

QVÆSTIO XXXV.

Quare dicatur de Ioanne Baptiſta, quòd non erat ille lux, cùm hoc de Apoſtolis affirmetur?

EVANGELITA ait de Ioanne Baptiſta: *Non erat ille lux?* Reſpondeo primò, D. Cyrillo *lib.*1.*cap.*7.*in fine*, vt radicitus euellat errorem eorum, qui credebant Ioannem eſſe Meſſiam.Secundò,quia tanta eſt ſanctitas Ioannis, vt non poſſit explicari, niſi per negationes; ſicut vt valeamus inueſtigare Dei excellentiam, ac maieſtatem,negationibus vtimur. Dicimus enim,Deum eſſe Immenſum,Infinitum, Incomprehenſibilem,Inuiſibilem; ita etiam quæ de Ioanne ſunt,negationibus exprimenda ob ſui magnitudinem. Sed quare non eodem vtitur nomine Euangeliſta,ſed modò ponit lucem,*Non erat ille lux*; modò lumen: *vt teſtimonium perhiberet de lumine?* Reſpondeo cum Maldonato, vt ſimilitudinis euitetur faſtidium, ideo vocabula varianda. 88.

Cyrillus.

Excellentiæ Ioannis negationibus exprimũtur.

Varietas in ſermone.

Sed quomodo dicitur hîc de Ioanne: *Non erat ille lux*, cùm de Apoſtolis dicatur Matth.5. num.14. *Vos eſtis lux mundi.* Et de ipſo Ioanne, Ioan.5. num. 35. *Erat lucerna ardens, & lucens?* Reſpondeo primò ex Caietano cum textu Græco, qui ita habet: *Non erat ille lux illa*, ſcilicet Chriſtus; de quo ſuprà dixerat: *Et vita erat lux hominum.* Secundò D. Cyrillus, Theophylactus. *Non erat ille lux*; quia hîc comparatur Ioannes cum Chriſto, cuius comparatione, nec Ioannes, ne alij Sancti poſſunt dici lux, cùm ab ipſo illuminentur. Tertiò Salmeron *lib.* 2. *tract.* 21. ait: Apoſtoli, non abſolutè lux, ſed lux mundi, & Sal terræ dicuntur, nimirum inter mundanos,& terrenos; at verò hîc agitur de luce magna,quæ abſolutè dicitur lux, ſiue in cœlo, ſiue in terra, qua ratione ſolus Deus eſt lux. Quartò Hugo Cardinalis: *Ioannes*, ait,*maior Apoſtolis erat: Inter natos mulierum non ſurrexit maior;tamen Apoſtoli dicuntur lux, & non Ioannes; quia Apoſtolorum Baptiſmus,vtpote Chriſti,conferebat gratiam, quam Ioannis Baptiſmus non dabat.*Et hanc rationem ad *cap.*5. *Matth. num.*14. magis explicabo. Quintò de Apoſtolis; vt eorum dignitas in hominum æſtimatione ſublimaretur, neceſſe fuit, de eis dicere, quòd eſſent lux mundi; de Ioanne verò, ne plus crederetur, quam erat, conueniens fuit, hoc illi denegare. 89.

Matth.5.
Ioan.5.
Caietan.

Cyrill.
Theophyl.

Salmeron.

Hugo.

Minuitur excellentia Ioannis ne plus credatur.

Ioannis 1.*n.*9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.

VERSIONES.

Syriacus. Erat enim lux illa veritatis,quæ illuminat, &c.

Vatablus. Erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum.

Victor Epiſcopus, in fidei ratione ad Humericum. Erat lumen verum, quod illuminat, &c.

Aliqui ex Hebræo vertunt. Erat lux vera,quæ illuminat omnem hominem naſcentem in hunc mundum.

EXPOSITIO.

90. LLA lectio Vatabli, quæ facit hũc ſenſum: *Erat lux vera veniens in mundum, quæ illuminat omnem hominẽ* Eam ex aliis refert D. Auguſtinus *li.*1.*de peccat.merit.c.*25. Et non diſplicet Toleto *annot.*27.Eam tamen impugnat noſter Cyrillus, propter auctoritatem noſtræ vulgatæ; & quamquam in textu Græco particula *veniens*, poſſit referri ad lucem, vel ad hominem; tamen multo meliùs coniungitur cum homine propter noſtram Latinam, ac communem Patrum etiam Græcorum, *Erat lux vera.* De Verbo diuino hîc eſt ſermo, vt omnes ſancti Patres, & Expoſitores explicant, quod de ipſo Verbo incarnato intelligo; quia Euangeliſta hîc ait,illam eſſe lucem veram, de qua Ioannes teſtimonium perhibuit; Ioannes autem de Verbo incarnato eſt teſtificatus.

Auguſt.
Tolet.
Cyrillus.

91. Dicitur *lux*;quia depellit errores, & illuminat homines ſedentes in tenebris, & vmbra mortis. Dicitur *vera*; quia ex ſe habet lucem, & ab alio non accipit. Dicitur *illuminat*, non illuminauit; quia omnes vſque ad finem mundi ab eo illuminantur. illuminat omnes, vt explicat Hugo, quadrupliciter; lumine naturæ, gratiæ, doctrinæ, & miraculorum. De luce gratiæ, & ſupernaturali eſt communis, & vera expoſitio D. Auguſtini *hîc tract.* 2. Chryſoſtomi *homil.* 7. Quartò, *Illuminat omnem hominem*, quantum eſt ex ſe ſicut Sol etiam abditiſſima loca. Sic Chryſoſtomus *homil.*8.*in Ioan.* S.Leo ſerm.28.de Paſſione. *Quòd alijs minus*, ait,*alijs amplius micat,non veritas facit luminis, ſed infirmitas contemplationis.* text.*Omnem hominem*,id eſt,omnem animam hominis, vt rectè explicat S. Paulinus *Epiſtol.*4.*ad Seuerianum.*

Hugo.

Auguſt.
Chryſoſt.

S.Leo.

S. Paulin.

QVÆSTIO XXXVI.

Quomodo Deus illuminet omnem hominem venientem in mundum?

92. IN hoc explicando variæ ſunt ſententiæ; breuiter tamen dicimus quòd Deus illuminat omnes homines. Primò peccatores fideles per auxilia ad pœnitentiam. Secundò infideles, per Prædicatores. Tertiò infideles, qui ſunt educati in ſyluis, & nullam habent fidei notitiam, illuminat, dum excitat ad obſeruationem legis naturalis, vt, ablatis impedimentis, per diuinam diſpoſitionem illuſtrandi ſint, vt rectè explicat S.Thomas *quæſt.*14.*de veritate.art.*11.Suarius *lib.*4.*de prædeſtin.c.*3.*num.*19. Quartò etiam illuminat infantes, qui decedunt in vtero materno, dum præparatus eſt ad dandam gratiam, & Baptiſmum, niſi cauſæ ſecundæ obſtiterint, quibus impeditis,ipſe non vult facere miracula, citatus Suarius *cap.*4. *num.*16. De iuſtis verò nulla eſt difficulas, quòd eos illuminat gratiâ, & donis ſupernaturali bus.

Quomodo Deus illuminat omnem hominem.

S. Thom.
Suar.

Meritò hîc D. Auguſtinus *tract.*2.ait:*Si illuminat omnem hominem veniẽtem, & ipſum Ioannem. Ipſe ergo illuminabat,a quò ſe demonſtrari volebat.* Ac ſi dicat: Ioannes illuminabat,& teſtimonium de Chriſto perhibebat; ipſe tamen Ioannem illuſtrabat, vt intelligas, obſequium Deo à nobis exhibitum ab ipſo priùs deſcendere; nam vt miſericors Pater non ſolùm vult nos mereri, ſed etiam dat id,per quod mereamur. 93.

Auguſt.

Obſequium quod Deo præſtamus, ab ipſo venit.

QVÆSTIO XXXVII.

Quare dicatur,quòd Deus illuminat hominem venientem?

NON eſt hîc immorandum in refutando errore Origenis, qui dicebat, animas ante corpora fuiſſe, & ad corpora venire; hic enim error iam eſt abolitus. Reſpondeo igitur ad quæſtionem primò,cum communi ſententia, quæ intelligit locum de homine veniente in mundum per natiuitatem, cuius animam Deus illuminat. Et ideo aliqui legunt *naſcentem.* Secundò. D.Auguſtinus, S.Thomas: Dixit Euangeliſta in hunc mundum, vt aſſignet rationem, quare homo indigeat illuminari: quia nimirum eſt in hoc mundo, in quo peruerſitate, & defectibus omnino tenebroſus, & ignorantia plenus eſt. Tertiò S.Paulin. epiſt 4. ad Seuerum. *Illuminatur autem*, inquit, *anima tali cæcitate, quæ deſpicit mundum, vt conſpiciat Deum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt,omnis hominis mentem; ſolicitat enim nos ab aſpectu præſentium in ſuſpectum æternorum; & dicit: Nolite quærere, quæ in mundo ſunt.* Ac ſi dicat, quòd Deus illuminat hominem, non qui quieſcit, & ſedet; ſed qui venit, & laborat in via ſalutis, vt conſpiciat Deum. Quartò S. Ambroſius in Pſalm.36. *Ipſe*, ait, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc eſt, illum, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei viuit; illum, qui ſe hominem eſſe cognoſcit,vt refugiat equorum libidinem: illum hominem, qui ſic agit, quaſi in hunc mundum ſuperuenerit: qui non ex ſanguine,ſed ex Deo natus ſit. Veniſti ergo, noli remanere.* Homo ille dicitur illuminatus à Deo, qui veniens in mundum ſic viuit,ac ſi mundo ſuqerueniret, ſeu eſſet extra mundum; quia non ſepuitur,nec affectat,quæ in mundo ſunt. 94.

Auguſt.
S.Thom.

Paulin.

Ille illuminatur qui laborat.

Ambroſ.

Ille illuminatur à Deo qui ſic viuit ac ſi eſſet extra mundum.

Nota. Ait Euangeliſta, *hominem venientem.* Qui venit, ab aliquo loco recedit, & ad alium tendit: à quo ergo loco,à quánam regione venit homo in hunc mundum? Reſpondet noſter Cyrillus lib.1.in Ioan.cap.9. *Venientem*,ait, *in hunc mundum hominem intelligimus,qui à nihilo ad eſſe producitur. Locus enim quaſi quidam creaturarum confingitur ipſum nihil,à quo modo quodã perfectæ,* 95.

Cyrill.

locum (vt ita dicam) eſſendi acquirunt. Vbi duo nobis conſideranda proponit S. Pater. Primum. Qualis creatura ſit ex ſe, nempe purum nihil; qualis è manibus Dei, vt habeat eſſe, & ſit gratia illuminata, ac particeps diuinæ naturæ. Vnde ait S.Pater eodem capite: *Nihil ſubſtantialiter eſt in creatura, quod à creatoris dono non defluat, quodque in creatoris gratia radicem non habeat.* Secundum, vt quando homo per mortem properat ad quaſi purum nihil, non admiretur, cùm ad priſtinum locum ſe abire videat.

Qualis homo à ſe, & qualis à Deo.

Ioannis 1. *n.* 10. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.

VERSIONES.

Syriacus. In mundo erat, & mundus per eum fuit.

Textus Græcus. In mundo hoc erat, & hic mundus per eum fuit: at hic mundus eum non cognouit.

EXPOSITIO.

96. DE Verbo diuino ſuum proſequitur ſermonem Euangeliſta, quod apertè indicat illud relatiuum *eum.* nam Græcè generis eſt maſculini, & non poteſt referri ad lucem, quæ Græcè in genere neutro conſtituitur. Dubitatio eſt, an ſermo ſit de ipſo Verbo incarnato? Affirmant D. Cyprianus *lib.* 1. *contra Iud. cap.* 7. Dionyſius Carthuſianus, D. Gaudentius *tract.* 12. *in Euangelium*, Maldonatus. Et poteſt fundari. Primò, quia Euangeliſta ſuprà iam agit de Verbo poſt aduentum ſuum. Secundò, quia mundus non poteſt reprehendi, vt hîc fit ab Euangeliſta, quòd Verbum non cognouerit ante aduentum ſuum, tunc enim myſterium Trinitatis incognitum erat. Attamen communis omnium ferè ſententia eſt, quòd hîc ſit ſermo de Verbo, antequam caro fieret. D. Cyrillus *lib.* 1. *de Ioan. c.* 10. D. Auguſtinus *tract.* 2. D. Chryſoſtomus *homil.* 7. Origenes *homil.* 2. *in diuerſos*, S. Proſper *de vocat. Gent. lib.* 1. *cap.* 2. S. Cyrillus Hieroſol. *Cathec.* 11. D. Thomas, Theophylactus, Rupertus, Euthymius, & alij multi. Et hoc patet ex eo, quod Euangeliſta dicit, quòd Verbum erat in mundo, ideſt, ab æterno conſeruando, vt iam explico: *& mundus per ipſum factus eſt.* Si verò verſu antecedenti agit de Verbo incarnato, eſt per anticipationem. Deinde Euangeliſta non reprehendit mundum, quòd cognouerit Verbum, prout eſt ſecunda Trinitatis perſona, ſed prout Deus, vt notat D. Thomas.

Cypr. Carthuſ. Gaudent. Maldonat. Cyrillus. Auguſt. Chryſoſt. Origen. Proſper. S. Thom.

97. *In mundo erat.* Nempe conſeruando, & regendo, vt explicat Theophylactus. Vtitur verbo *erat*, per quod ſignificat, quòd ab initio exiſtebat conſeruando, vt notat S. Thomas. *Et mundus per ipſum factus eſt*; per quod, vt interpretantur D. Auguſtinus, D. Cyrillus Alexandr. D. Chryſoſtomus, citati: indicat Euangeliſta, quo pacto Verbum erat in mundo, non vt pars illius, vt eſt homo, vel Sol, ſed vt auctor, & fabricator illius. *Et mundus eum non cognouit.* Hucuſque accepit mundum pro vniuerſi machina, prout cœlum & terram continet; hîc verò ponit mundum, vt ait D. Auguſtinus, pro dilectoribus illius; ac ſi dicat, Et mundi amatores non cognouerunt, 1. Corinth. 2. num. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.* Non cognouit, loquitur de cognitione naturali, vt explicant Caietanus, Toletus *annotat.* 31. *&* 32. & alij. *Inuiſibilia enim*, vt ait Paulus ad Rom. 1. *ipſius, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Et mundum hîc arguit Euangeliſta, quòd Deum Auctorem ſuum non cognouerit.

Theoph. S. Thom. Auguſt. Cyrill. Chryſoſt. 1. Cor. 2. Rom. 1.

QVÆSTIO XXXVIII.

De modo, quo hîc loquitur Euangeliſta.

SIc inquit, *In mundo erat.* S. Cyrillus *lib.* 1. *cap.* 9 *&* 10. connectit hæc verba cum ſuperiori numero, & ſic legit. *Erat lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; in mundo erat.* Veluti reddens rationem, quare illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quia hæc lux, & Verbum in mundo eſt, fieri non poteſt, quòd lux ſit in mundo, & non illuminet, quòd Rex tantus ſit in Orbe, & beneficiis non effulgeat, ac irradiet. Secundò reſpondet Caietanus. *Præſentia Verbi in mundo deſcribitur, dicendo: In mundo erat; ne eius abſentiæ imputaretur, quòd non eſſet cognitum.* Vt inde arguatur malitia humana, quòd Deum præſentem non agnoſcat. Sed quare hîc ait Euangeliſta, *& mundus per ipſum factus eſt*? Reſpondeo, quòd Ioannes dixerat, *In mundo erat*; id eſt, ſecundùm vim conſeruatiuam, vt ex Patribus dixi; nunc addit, *Et mundus per ipſum factus eſt*; veluti aſſignans rationem, quare Verbum ſit in mundo conſeruando, & cuſtodiendo; quia per ipſum factus eſt. Vnuſquiſque enim tenetur ſuſtentare, ac fouere ea, quæ facit, & creat: *Cunctis animantibus terræ dedit Deus omnem herbam ad veſcendum*, Gen. 1. n. 30. Caiet. *Poſtquam*, inquit, *deſcripta productio rerum omnium, & prouiſum conſeruationi ſpecierum animalium corruptibilium per virtutem generatiuam, ſupererat, vt prouideretur conſeruationi animalium in indiuiduis per alimentum.* Ad rationem optimi creatoris ſpectabat alimenta animantibus prouidere. 98.

Cyrill. Caiet. *Vnuſquiſque tenetur conſeruare ea, quæ creat.* Gen. 1.

QVÆSTIO XXXIX.

Quare hîc omnia ſuperiora repetuntur?

EVANGELISTA hîc repetit totum quod dixerat, num. 3. 4. & 5. Nam ſuprà intonuit: *Omnia per ipſum facta ſunt*? hîc verò ait, *& mundus per ipſum factus eſt*; ſuprà, *& tenebræ eum non comprehenderunt*; modò, *& mundus eum non cognouit*; ſuprà, *Erat lux hominum*; modò, *Erat lux vera.* Reſpondet primò D. Thomas, quòd Euangeliſta voluit exactiùs explicare, quæ ſuprà dixerat; nam myſteria fidei ſemper magis, ac magis explicanda ſunt. Secundò. Si dicamus, cum prima ſententia in expoſitione, quòd 99.

S. Thom.

quòd hîc eſt ſermo de Verbo incarnato; reſpondeo, quòd ſupra pronuntiauit: *Omnia per ipſum facta ſunt*, ratione diuinitatis, tamquam per cauſam efficientem; hîc verò mundus per ipſum factus eſt, ratione carnis aſſumptæ, tamquam per cauſam finalem. Ad Hebræos 2. num. 10. *Propter quem omnia, & per quem omnia.* Et meritò Ioannes, dum agit de creatione mundi, exprimit potentiam per reſpectum ad Verbum, & amorem per reſpectum ad naturam aſſumptam; cùm ad operandum non ſolùm requiratur potentia, ſed etiam neceſſarius ſit amor, & propenſio. Si verò dicamus, quòd Ioannes hîc agit de Verbo antequam fieret homo, vt eſt communior ſententia. Reſpondeò tertiò, quòd Euangeliſta proponebat ingratitudinem mundi erga ſuum creatorem, *& mundus eum non cognouit*; & ad præſentiam ingratitudinis ſtatim beneficia exhibita, *& mundus per ipſum factus eſt*, in mẽtem ſubeunt, & ideo multoties dolore tangitur, vt ponderat D. Gregorius Magnus *lib.* 1. *Reg. c.* 2. *ad n.* 27.

Hebr. 2. *Ad operandum non ſufficit potentia, ſed etiam requiritur amor.* *Ad præſentiã ingratitudinis beneficia exhibita repetuntur.*

100. Sed quare Euangeliſta quater nominat hîc mundum? *Venientem in hunc mundum: In mundo erat: Mundus per ipſum factus eſt: Mundus eum non cognouit?* Reſpondet Origenes *homil.* 2. *in diuerſ.* quòd mundus quatuor modis poteſt accipi. Primò, pro rebus ſpiritualibus, ſcilicet Angelis. Secundò, pro re merè corporali, v.gr. pro Sole, Leone. Tertiò, pro re compoſita ex corpore, & ſpiritu, nimirum homine. Quartò pro tota hac machina, prout omnia hæc complectitur. Ideo quater poſuit mundum, ad oſtendendum, quòd his omnibus modis mundus per ipſum factus eſt, & ipſe erat in mundo, vel quia mundus, ex quatuor partibus, & quatuor elementis componitur.

Origen.

QVÆSTIO XL.

Quomodo dicat Euangeliſta: & mundus eum non cognouit, *cùm multi eum cognouerint?*

101. RATIO dubitandi in hac materia eſt; quia multi ex populo Iudaico eum cognouerunt, vt Abrahamus, Moyſes, Dauid, & alij, vt latè diſcurrit hîc Chryſoſtomus *homil.* 7. Et ex Philoſophis multi cognouerũt Deum, vt teſtatur Paulus ad Rom. 1. num. 20. *Ita vt ſint inexcuſabiles, quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* Et hoc manifeſtum eſt in Platone, Ariſtotele, Mercurio Tryſmegiſto, Suida, & aliis apud Salmeron *lib.* 2. *tract.* 25. Reſpondeo primò ex D. Auguſtino, quòd hîc mundus accipitur pro amatoribus mundi, qui cùm ſint maximè affecti mundo, ea, quæ ſunt Dei, non intelligunt. Secundò. Hæc ſententia refertur ad Verbum, prout eſt ſecunda Trinitatis perſona, ſiquidem Græcè eſt generis maſculini; myſterium autem Trinitatis expreſsè non erat communiter reuelatum antiquis. Tertiò dicitur, quòd mundus non cognouerit ratione maioris partis. Quartò rationem colligo ex Paulo citato loco: *Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, gratias agentes.* Ideo dicitur, *& mundus eum non cognouit.* Nam idem valet, Deum non glorificare, ac Deum non cognoſcere. Quid prodeſt Dei cognitio, vbi non eſt recta operatio, cùm fides ſine operibus mortua ſit. Quintò, Euangeliſta ita dolore afficitur, quòd ab aliquibus ignoretur, ac ſi omnes non cognouiſſent; quòd aliqui in eum delinquant, ac ſi omnes peccaſſent. Chryſoſtomus homil. 2. *Si verò*, inquit, *quòd non omnes tunc temporis, ſed boni tantùm, & virtute præditi, & ſanctimonia cognouerunt; idcircò incognitum dixeris: hac etiam ratione nunc incognitum diximus, cùm non ab omnibus cognoſcatur.*

Chryſoſt. Rom. 1. Salmeron. Auguſt. Chryſoſt. *Maximè dolet Deus peccato vnius.*

Ioannis 1. *n.* 11. In propria venit, & ſui eum non receperunt.

VERSIONES.

Syriacus. Ad ſuos venit.

Arias. Et proprij eum non receperunt.

Vatablus. In ſua venit, & ſui eum non receperunt.

S. Auguſt. tom. 6. *cõtra Adimantum, cap.* 13. *Luciferus Epiſcopus lib.* 1. *pro S. Athan.* In ſua propria venit, & ſui, &c.

EXPOSITIO.

102. PERGIT Euangeliſta arguendo hominum cæcitatem, & ingratitudinem; nam Filius Dei in propria venit, & ſui eum non receperunt. Duplex eſt ſenſus iſtius loci. Primus, vt per *propria*, intelligatur hîc mundus, per *ſuos*, homines omnes, nam per ipſum factus eſt mundus. Ita Rupertus, Euthymius, S. Gaudentius *tract.* 12. S. Thomas. Secundus ſenſus per *propria*, populum Iſraëliticum, & per *ſuos*, Iudæos ſignificari contendit; nam peculiariter dicebatur ille populus Dei poſſeſſio, *Exod.* 19. *n.* 5. Ita D. Cyrillus *lib.* 1. *cap.* 11. D. Auguſtinus *tractat.* 2. *in Ioann.* Chryſoſtomus *homil.* 9. D. Gregorius Magnus *lib.* 14. *Moral. cap.* 19. S. Gaudentius *tract.* 9. S. Paulinus *epiſt. vnica ad Deſiderium*, Berengoſius Abbas *in libello de myſterio ligni Domini*, Beda, & alij; & etiam Auctores citati in prima ſententia. Tandem D. Auguſtinus *epiſt.* 120. *ad honoratum*, & Theophylactus *hîc*, affirmant, poſſe etiam vtrumque vniuerſim intelligi de omnibus tam Iudæis, quàm Gentilibus. Secunda ſententia mihi probabilior. Primò, propter tam graues Patres. Secundò, quia Præcurſor Domini Baptiſta venit ad prædicandum in Iudæa tantùm. Tertiò, quia ipſe Dominus ait: *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël*; Matth. 15. n. 24.

Rupert. Euthym. Gauden. S. Thom. Exod. 19. Cyrillus. Auguſt. Chryſoſt. Gregor. Gaudent. Paulin. Berengoſ. Beda. Matth. 15.

103. *In propria*, id eſt, in Iudæam, vel in mundum *venit*, ſecundùm carnem, vt explicant D. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus citati. *Et ſui*, ideſt, carne coniuncti, vt exponit S. Thomas. Et hoc ordinariè contingit, quòd tibi propinquiores opponantur. S. Zeno *ſerm. pro fidei veritate*, de Domino noſtro ait: *Nobis eſt ſermo, quem venerantur externi, ſui carpũt.* Deinde *ſui*, intellige ſecundùm maiorem partem, ſeu principaliores. *Eum non receperunt*, id eſt, in eum non crediderunt. Et nota,

Auguſt. Cryſoſt. S. Thom. Zeno.

Iuſti de aliorum defectibus minora dicunt. nota, quòd Euangeliſta minus dicit, & plus ſignificat; quia non ſolùm non acceptauerunt, ſed etiam reprobauerunt, ac Cruci affixerunt.

QVÆSTIO XLI.

Quomodo ait Euangeliſta, quòd in propria venit?

104. NOTANDVM, quòd non dixit Euangeliſta: In mundum, vel in Iudæam, ſed, *In propria venit*. Reſpondet Caietanus. (Caiet.) *Dicit, in ſua, non ſolùm ad ſignificandum, quòd facta omnia ipſius ſunt, ſed ad explicandam rationem, quare venit, ſcilicet ob ſua; conſentaneum quidem humanæ rationi eſt, vt Dominus quandoque veniat ad ſua, viſitet ſua, reſtauret ſua, quæ reparatione indigent.* (*Dominus viſitet ſua.*)

105. Sed quomodo ſuperiori numero dixit Euangeliſta, *In mundo erat*; & hîc ait, *In propria venit?* Si in mundo erat, quomodo venit in mundum? Reſpondet primò D. Auguſtinus tract. 2. in Ioan. (Auguſt.) *Hîc erat, & huc venit. Hîc erat per diuinitatem, huc venit per carnem.* Similiter S. Thomas, (S. Thom.) *Hîc erat, & huc venit nouo modo; ſicut Rex erat in ciuitate per potentiam, poſtea veniens perſonaliter dicitur venire, vbi priùs erat; ſic Filius Dei in mundo erat per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, ſed per carnis aſſumptionem: erat inuiſibilis, venit viſibilis.* Eodem ferè modo loquitur Chryſoſt. *hom.* 9. (Chryſoſt.) Secundò S. Auguſtin. tom. 9. lib. contra Adimant. cap. 13. (Auguſt.) *Quomodo hîc erat, & quomodo venit, niſi quia illa ſublimitas ineffabilis, vt hominibus congruat, humanis ſonis ſignificanda eſt.* Id eſt, vt illa diuinitas, de qua loqui non poſſumus, ab hominibus intelligatur, humanis verbis (v. gr. venit) explicanda eſt; vt de beneficio aduentus Filij Dei homines inſtruerentur.

106. Tertiò, D. Fulgentius lib. 2. ad Thraſymundum Regem, c. 15. (Fulgent.) *Filius Dei*, inquit, *tunc veniſſe dicitur, cùm nos illuminare dignatur. Quomodo igitur & in mundo fuiſſe dicitur, & in mundum veniſſe affirmatur? Ita planè. Secundùm diuinitatem namque ſuam, nec cœlo vmquam defuit, nec inferno, nec mundo. Omnia per ipſum facta ſunt, & omnia in ipſo conſtant. Secundùm gratiam tunc in mũdum venit, quando pereunti mundo mira pietate ſubuenit.* Vbi tria præclara documenta dat nobis S. Pater. Primum, quòd ita Verbum venit per gratiam benefaciendo ad homines, vt non deſineret eſſe in prioribus locis, in quibus antea erat ſuſtentando, & conſeruando; nam ſolus hic magnus Rex poteſt, non ſubtrahendo aliis, ſua quibuſdam beneficia largiri. (*Solus Deus quibuſdam tribuit, non ſubtrahendo alijs.*) Secundum quòd erat in mundo per potentiam, & venit per gratiam; nam quod potẽtia non domuit, amore, ac gratia vincendum erat. Tertiũ, quòd venit, & pereunti mũdo opportuna remedia adhibuit; quod ſolius Dei clementia eſt.

QVÆSTIO XLII.

Quare Dominus non coëgerit ſuos ad eum recipiendum.

107. POTERAT, cùm eſſet Dominus, & in propria veniſſet, ſuos cogere ad eum recipiendum, eos tamen ad hoc noluit coarctare. Et quare? Reſpondet primò Theophylactus. (Theoph.) Nullum Dominus neceſſitate cogit, & attrahit, ſed voluntatem relinquit, & electionem. Secundò, S. Chryſoſtomus homil. 9. (Cryſoſt.) *Deus autem*, ait, *cùm ſibi ipſi ſufficiat, & nullius indigeat, noſtræ dumtaxat ſalutis gratia omnia operatur, noſque ipſos noſtri, & iuris eſſe liberi permittit. Idcirco cogit neminem, ad noſtram tantummodo ſpectat vtilitatem. Quòd ſi nolentes ad ſeruiendum traheret, non ſecus eos haberet ac ſi nullum præſtitiſſent ſeruitium.* (*Deus vult obſequia noſtra libera.*) Si Deus coëgiſſet homines ad eum recipiendum, citra dubium eam vt Dominum adorarent; meritum tamen ex patre hominum non daretur; nam quæ ſine libertate fiunt, nec laude ſunt, nec vituperio digna. (*Deus non ad obſequium ſuum, ſed ad vtilitatem noſtram reſpicit.*) Noluit ergo compellere, nam vbi ſolùm interuenit eius obſequium, & adoratio, & hominis meritum, ac vtilitas deeſt, & deficit, ſtatim Deus omnia prætermittit, ac parui æſtimat. Ad noſtram tantummodo vtilitatem ſpectat, vt ait citat. D. Chryſoſtomus. Tertiò. Deus multum diſcrepat à Regum conſuetudine, hi enim omnes ad ſui famulatum compellunt; Deus verò cùm velit ſibi obſequium exhiberi, non timore, ac potentiæ vi, ſed amore, ac beneuolentia, neminem cogit, ſed vnumquemque relinquit in conſilio manuum ſuarum.

QVÆSTIO XLIII.

Quare non ponatur hîc ſupplicium non recipientium?

QVARE ſicut numero ſubſequenti ponit præmium ipſum recipientium. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; hîc non deſignat pœnam ipſum non acceptantium? 108. Chryſoſtomus *hom.* 9. *in Ioan.* (Chryſoſt.) eleganter reſpondet. *Quid*, ait, *non dicis, Ioannes, eorum etiam ſupplicium, qui eum non receperunt: ſed quod ſui erant, & in propria veniens à ſuis minimè receptus eſt? Quod autem ex hoc eis ſupplicium maneat, ſilentio præteriſti? Ita enim maiorem in modum eos perterrere, & duritiem illam ingratitudinis mellire poteras? Quánam igitur gratia id ſubticuiſti. Et quodnam maius ſupplicium eſſe poteſt, quàm ſi eorum ponatur arbitrio, filios Dei fieri, & nolint, ſed ſponte ſua tanta ſe nobilitate, tanto honore indignos efficiant.* Ac ſi nullum poſſit eſſe maius, & durius ſupplicium, quàm ipſum non recipere, in eum non credere, filios Dei non fieri, & qua maior vindicta poterant caſtigari, quàm quòd ſancti ac filij Dei noluerint eſſe; nullum grauius ſupplicium, quàm vitium, nulla maior tortura, quàm ipſamet miſeria peccati. (*Nulla maior pœna peccati, quàm ipſum peccatum.*) Secundò explicat Euangeliſta mercedem eorum, qui Chriſtum vt verum Deum agnouerunt. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; non tamen pœnam illorum, qui in eum non crediderunt, potiùs enim totus mundus trahendus erat ad Dominum præpoſita miſericordia, ac benignitate, quàm diuulgata pœna, ac caſtigatione. Vide infrà *lib. 2. cap. 7. num. 28. & lib. 3. cap. 2. num. 41.* Tertiò ad quæſtionem reſpondeo. Dum deſcribitur vltima dies iudicij, aſſignatur præmium bonis. *Venite benedicti*, &c. (Matth. 25.) & etiam pœna malis, *Ite maledicti*, &c. *Matth. 25. num. 38.* At verò hoc loco noſter Euangeliſta ſolùm commemorat præmium deſignatum recipientibus, non verò vltionem præſcriptam contemnentibus. (*Iudex pro meritis dat præmia, & ſupplicia.*) Citato autem loco Matth. agit Dominus vices iudicis, cuius munus eſt, probis dare præmium, iniquis autem pœnam. At verò in noſtro præſenti textu pertractat Ioannes de ineffabili Incarnationis myſterio, quo ſumma miſericordia ad Dominum redemptionem, *Verbum caro factum eſt*. Et inter tot diuinæ bonitatis largitiones, non decuit alicuius pœnam commiſceri: ſiquidem miſericordiarum tempore, ſilentio ſupprimenda ſunt ſupplicia. (*Miſericordiæ tempore ſilentio inuoluantur ſupplicia.*) Vide *cap. 5. quæſt. 51.*

QVÆSTIO XLIV.

Quare Euangeliſta faciat priùs mentionem de obſtinatis, & poſtea de fidelibus?

109. HIc de obſtinatis Chriſtum non ſuſcipientibus, & numero ſequenti de fidelibus in eum credentibus. *Quotquot autem receperũt eum*, &c. tractat Euangeliſta; cur ergo in primo loco infideles, & ſtatim in ſecundo ponit credentes, cùm rectus ordo contrariam diſpoſitionem efflagitare videatur? Reſpondeo, quòd qui in hoc contextu ſunt in primo loco, maximè diſtant à Chriſto; qui verò in ſecundo, cum illo proximè, & immediatè collocantur: *Quotquot autem receperunt eum*; &, *Verbum caro factum eſt*. In ſuorum igitur peccatorum pœnam ſint infideles in primo loco: iuſti autem, & credentes in ſecundo pro maiore dignitate, ac excellentia. (*Aſſiſtere in Dei præſentia magna excellentia.*) Nullum enim ſupplicium grauius eſſe poteſt, quàm ab omnium miſericordiarum fonte, à Verbo ſcilicet incarnato ſe elongare, ac remotè perſiſtere; nulla maior dignitas, maiórque excellentia, quàm ſub Chriſti Domini vmbra quieſcere, illique propinquiùs aſſiſtere.

110. Cùm in montem, vt cum Deo loqueretur, Moyſes aſcenderet, ait textus Exod. 24. num. 13. (Exod. 24.) *Surrexerunt Moyſes, & Ioſue miniſter eius, aſcendenſque Moyſes in montem Dei, ſenioribus ait: Expectate hîc.* Ecce dum Moyſes in montem aſcendit, ad magnam gloriam ſublimatur; populus verò ad radices in grauia ſcelera dilabitur. Quænam tanti cauſa diſcriminis? Ea ſanè, quòd Ioſuë figurantem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſecum Moyſes in ſocium deferebat; populus verò ab eo diſtabat. Quid ergo mirum, quòd ille ad tantam felicitatem euehatur, hic autem tanta miſeria deprimatur; Non longè abeſt ab hac conſideratione Seuerus apud Lyppomanum in Caten. (Seuerus.) *Accepturus Moyſes legem, Ieſum Naue ſecum aſſumpſit, qui figuram Ieſu Domini, & Seruatoris noſtri gerebat; neque enim ſine Ieſu profunda legis, & Euangelij myſteria intelligi poterant.* Cùm Iſraël deſcenderet cum filiis ſuis in Ægyptum, elegit terram Geſſem ad habitandum, Geneſ. 45. n. 9. & 47 n. 11. & 4. Sed quare potius hic locus, quàm quilibet alius placet? Optimè Interlinealis. *Quia Geſſen*, ait, *interpretatur propinquitas. Vnde patet, quia licèt in Ægypto habitet Iſraël, non tamen longè eſt à Deo.* Hæc Gloſſa. Vt omnibus abũ-

darent bonis, & ab omni malo procul eſſent, plagam elegit, in qua apud Deum propinqui manerent.

Ioannis 1. n 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.

VERSIONES.

Euthymius, Vatablus. Quotquot autem receperunt ipſum, dedit eis poteſtatem, vt filij Dei fierent: credentibus ſcilicet in nomen ipſius.

Ianſenius, & alij ex Græco. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis hanc dignitatem, & excellentiam, vt filij Dei fierent.

Tertullian. lib. de orat. c. 2. Dedit eis poteſtatem, vt filij Dei vocentur.

Alij ex Græco. Dedit eis hanc auctoritatem, ſeu facultatem.

EXPOSITIO.

EVANGELISTA eorum, qui per fidem, ac obedientiam Chriſtum receperunt, pretioſiſſimam dignitatem incipit explicare. 111. *Quotquot autem.* Quicumque, & ex quocumque genere. Chryſoſt. homil. 9, (Chryſoſt.) *Siue ſerui, ſiue liberi; ſiue Græci, ſiue barbari; ſiue ſapientes, ſiue inſipientes; ſiue viri, ſiue mulieres, omnes*, inquit, *eodem dignati ſunt honore.* Neminem reiicit, neminem contemnit, omnes vocauit ad ſuum cæleſte conuiuium, ſiue ex populo Iudaico, ex quo aliqui ſalui facti ſunt, ad Rom. 11. n. 5. ſiue ex populo Gentilico, quo ſui hæredes fecit. *Dedit eis poteſtatem*, id eſt, *Dedit eis hanc dignitatem*, ſeu eis conceſſit, vt volendo, & conſentiendo, per gratiam formatam filij Dei adoptiui fiant. Et hoc eſt magnum præmium. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, Matth. 5. n. 9. (Matth. 5.) *His, qui credunt in nomine eius.* Non ait, crediderunt, vt obſeruat Caietan. (Caiet.) ſed credunt de præſenti, vt perſeuerantiam denotet in fide. *Credunt in nomine eius*, ipſum ſcilicet eſſe Meſſiam promiſſum in lege. Vel, vt ait Rupertus: (Rupert.) Credunt in nomine eius, non qui ipſum recipiunt in tecto, ſed qui in prægnata mente, fide, & charitate Verbum Dei portant. Similiter D. Thom. *hîc.*

QVÆSTIO XLV.

Quare Euangeliſta filiationem adoptiuam connectat cum Incarnatione?

NOSTER Euangeliſta hîc, & ſequenti numero adoptiuam explicat filiationem, & 112.

ſtatim

ſtatim diuini Verbi Incarnatione incipit intonare ſermonem, *& Verbum caro factum eſt*. Magno, & alto conſilio adoptiuam hominum filiationem cum diuini Verbi filiatione naturali connectere voluit, vt ſic nobis diuini erga nos amoris aperiret magnitudinem; Deus enim, ſi homines adoptauit in filios, non vt inter homines contingit, ex filiorum fuit defectu, ſed præſentiſſimum, dilectiſſimum, obedientiſſimumque naturalem filium habens in tantum dilexit homines, vt ipſos in filios adoptauerit. S. Auguſtinus tract. 2. in Ioan. *Quid, ait, eis præſtitit? Magna beneuolentia, magna beneuolentia. Vnicus natus eſt, & noluit manere vnus. Multi homines, cùm filios non habuerint, peracta ætate, adoptant ſibi: ſi autem aliquis habeat filium vnicum, gaudet de illo, quia ſolus omnia poſſeſſurus eſt. Non ſic Deus: vnicum eundem ipſum quem genuerat, miſit in mundum, vt non eſſet vnus, ſed fratres haberet adoptatos.*

Dei amor quòd habendo filium nos adoptauit in filios.

Auguſt.

113. Tertiò. Vbi primum Filius Dei cœpit eſſe filius hominis, ſtatim filios Dei eſſe ipſos homines fecit. D. Baſilius Seleu. orat. de Annunt. *Qui in forma, ait, Dei erat, ſerui formam ſuſcepit, quò peccati ſeruos hac ratione in priſtinam dignitatem reſtituat, cæleſtique Patri eiuſmodi filios exhibeat, qui ad ſui ipſius formam denuò ſunt inſtaurati. Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Quartò. filius Dei, vt nos redimeret, noſtram aſſumpſit naturam, ac eſſe filium hominis, quòd à nobis acceperat, excellentiſſimè commutauit, noſque conſtituit filios Dei, & illud, quòd à natura miniſtratum eſt humana, maximè auctum reddidit: hominis filium ſe facere voluit, & ideo eum Pater ſublimauit, vt homines haberet in filios. S. Zeno ſerm. in Pſalm, 126. *Filios Dei fieri; Hæc eius merces eſt*, ait, *qui ex Virgine naſcendo fructus ventris eſſe voluit, vt ei gentes, quas in filios per fidem generaret, hæreditas ſint.* Similiter D. Auguſtinus *tom. 4. lib. 2. de conſenſ. Euangeliſt. cap.* 3. Humiliauit ſe Chriſtus Patri obediens, ideo Pater exaltauit eum, vt homines haberet in filios.

Baſilius. *Verus Rex quod à ſuis accipit, duplicatò reddit.* *Qui ſe demittit propter Deum, ſublimatur.*

Zeno. Auguſt.

114. Quintò Filius Dei, vt naturam lapſam reſtitueret, formam ſerui induit, vt noſtram ſuſcipiens miſeriam, ab ea nos liberaret, ſuámque hominibus dignitatem communicaret, vt ita ad Filij Dei ſubleuarentur honorem. S. Baſilius Seleu, orat. 19. *Emiſit Deus*, inquit, *imaginis auctorem, vt imaginem obliteratam bonitatis ſuæ coloribus reformaret; idcirco formam cepit ſerui, qui in forma Dei erat, quo iniquitatis mancipia in libertatem ac priſtinam nobilitatem reduceret, & cæleſtis Patris filios declamaret iterum ad imaginem ſuam reformatos.* Sextò. Quia vnum beneficium magnum alio maiori fit certum, & ſecurum. Algeues lib. 1. de Sacram. cap. 2. *Prius*, ait, *ipſum Verbum voluit naſci ex homine, vt tu ſecurus naſcereris ex Deo. Re vera enim, vt ſecuriores eſſemus, in ipſo de conformitate, & vnitate tantæ gratiæ in humili noſtra natura, naturam carnis noſtræ ſibi vniuit Deus in eadem perſona, vt dum eam tam mirabiliter glorificatam videremus, de germanæ carnis noſtræ glorificatione non deſperemus.* Homo de tam ingenti adoptiuæ filiationis dono certificari non potuit, niſi maiori alio, nempe Filij Dei aduentu. De hac quæſtione vide iterum infrà *quæſtione* 51.

Baſilius. *Deus ſua nos humilitate ſubleuat.*

Algeues. *Vnum beneficium fit certum alio maiori.*

***

QVÆSTIO XLVI.

Quare in aduentu Filij Dei ſola filiatio adoptiua explicetur?

111. EX triplici cauſâ Deus factus eſt homo, ac venit in mundum, vt notat D. Cyrillus lib. 9. in Ioann. *His maximè de cauſis*, ait, *vnigenitus Dei Filius homo factus eſt, vt peccatum in carne ſua damnaret, & mortem propria morte deſtrueret, & nos Dei filios faceret.* Quare ergo, duabus prioribus cauſis prætermiſſis, peccatum ſcilicet abolere, & mortem deſtruere, tertiæ tantùm, nimirum filios adoptionis facere, hîc meminit Euangeliſta? Reſpondeo, quòd ſi duas illas priores prompſiſſet Euangeliſta, humanæ naturæ defectus, ac miſerias oſtenderet; dum verò tertiæ ſolùm mentionem facit, eius dignitatem, maieſtatémque manifeſtat. Quæ igitur dedecorabant, tacere voluit; & quæ honorabant, ac exaltabant, publicare. Deinde, quia ad filiationem adoptiuam, vt ad finem, mortis deſtructio, damnatióque peccati ordinabantur, & in ipſa filiatione extinctio mortis, ac peccati includitur.

Cyrillus.

Tacetur quæ dedecorant, publicantur, quæ honorãt.

QVÆSTIO XLVII.

Quomodo dicatur data poteſtas recipientibus Chriſtum, vt filij Dei fiant?

116. DIFFICVLTAS inſurgit, quia homines Chriſtum Dominum recipientes facti ſunt filij Dei; quomodo ergo dicitur eis data poteſtas? Ad hoc reſpondet primò Theophylactus, Euangeliſtam loqui de filiatione adoptiua conſummata, quæ eſt in reſurrectione electorum. Tamen ſolutio non placet: nam Euangeliſta loquitur de hominibus prout ſunt in via, ac recipientibus Chriſtum. Ideo Secundò communis, & vera expoſitio eſt, quòd illis, qui receperunt Chriſtum per fidem, data eſt poteſtas, vt per gratiam, & charitatem ſe poſſint filios Dei facere; ſola enim fides filium adoptiuum non facit, vt patet quando fidelis in mortali eſt peccato, quia tunc fides eſt informis; ſi verò accedit charitas, ſtatim homo fit filius adoptiuus Dei inſpirationibus conſentiendo. Ita D. Auguſt. *tom. 1. lib. 1. retract. cap. 2. & tom. 4. de conſenſ. Euangeliſt. lib. 2. cap.* 3. Theophylactus, Carthuſian. Beda, Beaulxam, & alij. Tertiò, multi ex Græco pro *poteſtate* legunt auctoritatem, quia nulla poteſt eſſe maior, quàm quòd homo ſit Filius Dei in gratia, & amicitia Chriſti. Quartò antequam Chriſtus ad nos deſcenderet, Diabolus humanum genus vehementer oppugnabat, ac opprimebat; poſtquam verò ipſe aduenit, tota Sathanæ confracta eſt potentia, vt facilè omnes eius ſuperentur, ac vincantur conatus; tunc recipientibus dicitur data poteſtas, vt filij Dei fiant, ob magnam ſecuritatem, & potentiam, quam habent ad ſe in illo felici ſtatu conſeruandos. Poſt debellatum Abſalon ait Dauid 2. Reg. 19. num. 22. *An ignoro me hodie factum Regem ſuper Iſrael?* ipſe per multum iam antea regnauerat

Theoph.

D. Auguſt. Theoph. Carthuſ. Beda. Beaulxam.

2 Reg. 19.

tempus, & tamen illa die ſe Regem creatum exiſtimat ob inimicum deuaſtatum, ac regni ſecuritatem ademptam.

QVÆSTIO XLVIII.

Quare non dicatur; fecit filios adoptiuos: ſed, dedit poteſtatem, *&c*

117. CVR hoc loco Euangeliſta non ait: Fecit nos Filios Dei; ſed tantùm, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri?* Tripliciter reſpondet Theophylact. Primò Ne intelligatur de filiatione conſummata, & glorioſa, quæ eſt in Patria: Euangeliſta autem loquitur de prima filiatione eorum, qui in via Chriſtum recipiunt. Secunda, de Catechumenis, qui iam habent fidem, & poſſunt fieri filij Dei per Baptiſmum; imò potiùs per gratiam iam multi ſunt filij. Tertiò, quod etiam tradit Chryſoſt. homil. 9. *Cur non dixit*, ait, *fecit eos filios Dei fieri? Vt oſtenderet, multa nobis opus eſſe diligentia, vt adoptionis nobis per Baptiſma impreſſam imaginem puram ſeruemus, atque intactam.* Non enim qui otio, ac pigritiæ, ſed qui labori, ac diligentiæ indulgent, hanc filiorum Dei dignitatem obtinent. Quartò, D. Auguſt. *epiſt.* 120. *ad Honorat. cap.* 3. S. Ambr. *lib.* 4. *de fide, cap.* 4. dicunt per hoc denotari differentiam inter filiationem hominum, & Filij Dei: enimverò homo ratione ſuæ libertatis per gratiam conſentiendo poteſt Filium Dei ſe facere: at Filius Dei ex fœcunditate naturæ neceſſariò, & naturaliter Dei Filius eſt, itavt non poſſit non eſſe filius eius. Sextò, & myſticè, dedit nobis poteſtatem, vt per noſtram libertatem, & cooperationem nos in filios Dei recipiamus; non ſolùm enim voluit tam præclara dignitate humanam nobilitare naturam, ſed etiam modò illam obtinendi per meritum, & operationem. Et ita per poteſtatem exponunt dignitatem, & excellentiam D. Gregorius *homil. 9. in Ezech.* D. Cyrillus *lib. 1. in Ioann. cap.* 13.

Theophyl.

Chryſoſt. *Vt filius Dei fias, tua requiritur operatio.*

Auguſt. Ambroſ.

Quæ per meritum obtinentur, nobilitant.

Gregor. Cyrillus.

QVÆSTIO XLIX.

Quare filiatio adoptiua tribuatur Incarnationi, cùm antea multi fuerint Iuſti?

118. DIVVS Cyrillus Alexandrinus hîc mouet quæſtionem: Quare dicitur tanquam quid peculiare Incarnationis Verbi; facere filios adoptiuos, cùm omnes iuſti ab Adamo filij fuerint adoptiui, filium enim adoptiuum gratia facit. Si ergo filij erant, quomodo dicitur, quòd dedit eis poteſtatem, vt adoptiui filij fierent? Reſpondet Toletus *annot.* 35. quòd iuſta ſub lege erant, tanquam filij paruuli ſtatum filiorum non habentes, ſiquidem ad hæreditatem regni cœlorum, quod clauſum erat, non admittebantur. At, Chriſto adueniente, ſtatum filiorum in lege gratriæ Iuſti habent, tamquam filij emancipati ad hæreditatem regni cœlorum, quòd eſt iam apertum, recipiuntur. Secundò, reſpondent D. Cyrillus Alexandrinus *lib. 1. cap.* 13. Procopius, & alij. Et hæc mihi vera videtur ſolutio, quòd hoc dixit Ioannes ad refutandam Iudæorum opinionem, qui ſolos ſe filios Dei eſſe gloriabantur; ideo ait Euangeliſta. Quicumque, & cuiuſlibet nationis, & conditionis ſint, Chriſtum per fidem recipientes poteſtatem habent, vt filij Dei fiant. Tertiò etiam D. Cyrillus *citatus*, S. Auguſtinus *tract.* 2. Beda reſpondent, quòd Chriſtus in hunc mundum veniens, vt filius Dei, & hæres, *ad Gal.* 7. voluit credentibus communicare, quòd ſibi erat maximè proprium, vt ipſi etiam filij eſſent, & hæredes. Sic enim ait Hugo. *Ex hoc enim quòd ipſe, qui naturaliter eſt filius Dei, factus eſt naturalis filius hominis, decebat, vt ſua poteſtate filios hominum faceret filios Dei.* Venit Chriſtus, vt verus Rex ſua ſibi noluit retinere, ſed tam filij Dei dignitatem, quàm hæreditatem hominibus voluit communicare. Quartò, ab Euangeliſta aduentui Chriſti Domini tribuitur eſſe filiorum Dei: quia licèt in lege veteri Iuſti per gratiam filij eſſent; hæc tamen rarò dabatur, mediáque erant valde difficilia, vt patet in Circunciſione pro originali, & in contritione pro actualibus. At in lege noua gratia eſt abundantiſſima, & media, ideſt, Sacramenta, valde facilia. Et quæ abundanter, ac faciliter communicantur, excellentiori modo beneficia videntur, & ſimpliciter ita dicuntur.

Cyrill. Toletus.

Cyrill. Procop.

Refu[illegible] iactantia Iudæorum.

Cyrill. Auguſt. Beda.

Hugo.

Rex non ſua ſibi retinet, ſed ſuis communicat.

Quæ faciliter & abundanter dantur, beneficia videntur.

Ioannis 1. n. 12. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

VERSIONES.

Syriacus. His, qui non ex ſanguine, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo geniti ſunt.

D. Athanaſ. lib. 2. de vnica Deitate Trinit. Tertull. lib de Carne Chriſti. Qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo natus eſt.

Arabicus. Neque ex appetitu carnis.

EXPOSITIO.

119. EXPLICAT Ioannes modum, & rationem, qua iſti filij Dei fiunt. *Qui non ex ſanguinibus.* Omnes expoſitores cum D. Auguſt. *tract. 2. in Ioan.* notant. *Sanguinia non eſt Latinum, ſed quia Græcè poſitum eſt pluraliter, maluit ille, qui interpretabatur, ſic ponere, & quaſi minus Latinè loqui ſecundùm Grammaticos, & tamen explicare veritatem ſecundùm auditum infirmorum.* Lectio illa D. Athanaſ. & Tertull. refertur ad Chriſtum: nam dixerat ſuperiori numero, qui credunt in nomine eius, ſcilicet Chriſti, qui non ex virili ſemine, ſed Spiritu ſancto obumbrante, natus eſt. Stando in noſtra vulgata lectione, quæ ad filiationem adoptiuam refertur, tria ab

Auguſt.

Athanaſ.

illa excludit Euangeliſta, eſſe ex ſanguinibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri. Prima particula, *neque ex ſanguinibus*, ideſt, non ex ſeminibus viri, & fœminæ; ſemen enim eſt ſuperfluum alimenti ſanguinei, & eſt ſanguis coagulatus. Ita D. Auguſt. D. Cyrillus, Carthuſianus, S. Thomas, S. Leo *ſermone 7. de natiuitate.*

August. Cyrillus. Carthuſ. S. Thom. S. Leo.

120. In ſecunda, & tertia particula eſt magna varietas. Primò Toletus ſub nomine *carnis* intelligit eos, qui ſunt ex iniquo concubitu; ſub nomine *viri*, qui ex iuſto nati ſunt. Salmeron, per *carnem* ſignificari contendit filios Abrahæ, per *virum* alienigenas. Tertiò Caietanus per *carnem*, ait, deſignari deditos ad opera carnis, & voluptatis; per *virum* deditos ad opera virilia, ad militiam, vel ſtudia ſcientiarum. Quartò Euthymius hîc conſiderat partes componentes; nam homo conſtituitur ex carne & ſanguine. Quintò communiter Patres, D. Auguſtinus, D. Thomas, Carthuſianus, Rupertus, Theophylactus, per *carnem* accipiunt fœminam, per *virum* hominem; nam Euangeliſta poſuit principia generationis in communi ſub *ex ſanguinibus*; poſtea verò magis particulariter explicat per fœminam, & virum. Nec obſtat, ait D. Auguſtinus, quòd fœmina per carnem priùs nominetur; quia in hoc oſtenditur, ordinem in mundo eſſe inuerſum.

Tolet. Salmeron. Caiet. Euthym. Auguſt. S. Thom. Carthuſ. Rupert. Theophyl.

121. Sextò, addi poteſt, per *carnem* aliquid vile, & abiectum intelligi, *Iſai.40.num.6.* per *virum* forte, & nobile, 1.*Reg.1.num.1. Iſai.59.n.6. Zach.3. num.1.* Ac ſi dicat Euangeliſta, quòd homo non tranſit in ſortem filiorum Dei, ex eo quòd nobili, vel ignobili ſemine ſit procreatus, ſed quia ſpiritualiter ex Deo per gratiam eſt regeneratus.

QVÆSTIO L.

Quare hîc fiat mentio de generatione naturali?

122. AD quid Euangeliſta, dum agit de filiatione adoptiua per gratiam, de generatione naturali hîc mentionem facit: quæ eſt ex ſanguinibus, voluntate carnis, & viri? Reſpondet D. Chryſoſt. hom. 9. *Hoc autem fecit, vt vilitate, & humilitate prioris partus ex ſanguinibus, & carnis voluntate, & magnitudine, præſtantiáque alterius qui per gratiam fit, cognita, magnum quidem de Deo, & Genitoris noſtri beneficium ſentiamus.* Similiter D. Cyrillus *lib.1.c.14.* & Theophylactus. Vt ſic homines diuino beneficio magis alliciantur, dum conſiderant, quàm vili ex ſe, quàm magno ex Dei dono conſtabant, vt filij Dei fiant, & dicantur.

Chryſoſt. *Magnitudo diuini beneficij.* Cyrillus. Theoph.

Ioannis 1.n.14. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ veritatis.

VERSIONES.

Vatablus. Et Verbum illud caro factum eſt, & habitauit in nobis, & ſpectauimus gloriam eius, ſicuti vnigeniti à Patre

Arabicus Perſicus. Factum eſt corpus, & vidimus gloriam eius, quaſi vnici, qui eſt à Patre.

Textus Græcus apud Hugonem. Habitauit in tabernaculo nobiſcum.

Græcus apud Cornelium. Spectauimus quaſi in theatro.

Radix Hebraica. Quia Verbum caro factum eſt, & habitauit.

Tertullian. lib. de Trinitate, cap.13. Et vidimus claritatem eius, claritatem tãquam vnigeniti à Patre.

EXPOSITIO I.

Dictionis, *Et Verbum.*

123. TANTA eſt præſentium verborum altitudo, vt dicat D. Auguſtinus *epiſt.3. ad Voluſianum, & lib.7. confeſſ. cap.19.* Se antequam Chriſtiana fide illuſtraretur, nec ſuſpicari quidem potuiſſe, quid ſibi velint ea verba Ioannis, *Verbum caro factum eſt*, ſeu *corpus*, vt habet Arabicus, id eſt, homo. Vnde inquit ipſe Auguſtinus *tract. 2. in Ioann.* quòd, cùm noſtri oculi eſſent ſauciati, & excæcati, ipſe ex ſua natiuitate collyrium fecit, & medicamentum, vnde tergerentur, & mundarentur oculi noſtri, vt poſſimus videre maieſtatem eius, per eius humilitatem: ipſe qui lux eſt, illuminet mentem noſtram in tanta myſteriorum profunditate. In hoc loco poſitus eſt in textu Græco articulus, v. g. *& illud Verbum*, vt notum ſit, illud idem eſſe Verbum, de quo antea dixerat: *In principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hîc ergo idem, qui ab æterno eſt Deus, in tempore factus eſt homo: de hac dictione *Verbum*, vide ſuprà expoſitionem tertiam, & quæſtiones 7.8.9. & 10.

Auguſt.

QVÆSTIO LI.

Quare ante Incarnationem tanta præmiſerit Euangeliſta?

124. QVÆSTIO eſt, Quare Euangeliſta, antequam ad hoc myſterium accederet, tot, ac tanta præmiſit? Reſpondeo, vt aliquas illius conuenientias nobis inſinuaret. Quod paucis explico, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ergo Incarnatio conuenientiſſima erat Verbo, quòd cùm ſit Deus, qui eſt ſummum bonum, ad ſui rationem pertinet, vt ſit ſui diffuſiuum, & hæc eſt præcipua conuenientia, quam ex D. Dionyſ. *cap.4.* de diuinis nominibus omnes tradunt Theologi cum D. Thoma *3. p. quæſt.1. art. 1.* Deinde, quia diuinæ bonitati erat maximè proportionatum hominem perditum reſtaurare, imò ſolus Deus creaturam ſuam tot calamitatibus

Summum bonum diffuſiuum. Dionyſ. S. Thom.

mitatibus deiectam ſubleuare poterat. Pro quo facit D. Auguſtinus lib.50. homil.43. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ergo conueniens ordo exigebat, vt qui totius orbis erat conditor, eſſet etiam redemptor, ne hominum amor diuideretur inter ſuum conditorem, & alium redemptorem: vt loquitur Rupertus, & D. Athanaſius *orat.3.* contra Arrianos: *Conueniebat*, inquit, *redemptionem fieri per eum, qui naturæ Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnoſceremus.* Deinde, quia magnanimi Principis eſt, eos, quos condidit, in miſeriis non ſinere eſſe demerſos, ſed ſubleuare, alere, & fouere.

Auguſt. *Amor nõ debet diuidi.* Rupert. Athanaſ.

125. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet.* Si ergo erat vita, ei aptiſſimum viuificare, & mortem deſtruere: ſi lux, tenebras totum orbem occupantes ab ipſo mundo expellere, & excludere; aliter, nec vt vita, nec vt lux agnoſceretur, ac reputaretur; vide ibi. *In mundo erat*; id eſt, per eſſentiam, potentiam, & præſentiam: ergo conueniens erat, vt humana carne indutus homines redimeret; nec enim fieri poteſt, vt verus Princeps propriis oculis ſuorum calamitates inſpiciat, quin eis auxilietur, & opituletur. Et ideo ad Deum dicebat Regius Vates, *Deus ne elongeris à me*, Pſalm.70.n.12.

Rex non poteſt ſuorum miſerias videre Pſalm.70.

QVÆSTIO LII.

Quare poſt filiationem adoptiuam agatur de Incarnatione.

126. QVA de cauſa poſtquam dixerat Euangeliſta: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, ſubdit, *Et Verbum caro factum eſt.* Huius rei pulchram, & elegantem iam dedi rationem *q.45.* vide, & quinque ſolutiones inuenies. Deinde hîc ex communi ſanctorum Patrum ſententia. Reſpondeo, quòd Euangeliſta adoptiuam hominum filiationem cum Incarnatione Verbi coniungere voluit, vt denotat illa coniunctio *&*, veluti reddens rationem tanti honoris; ſi enim fieri potuit, vt Altiſſimus ad infima deuenerit, vt eſſet filius hominis, quid mirum ſi homines ad filiationem Dei adoptiuam aſcendant. Chryſoſtomus hîc, *Cùm dixiſſet Ioannes filios Dei factos, qui Chriſtum receperunt, tanti honoris cauſam adiecit quòd Verbum caro factum eſt. Factus eſt filius Dei filius hominis, vt filios hominum, filios Dei faceret.* Similiter D. Auguſtinus *lib. de conſenſu Euangel. cap.3. & lib.13. de Trinit. cap.9. & epiſt. 120. ad Honorat. cap.4.* Theoph. Nazianz. orat.20. *Qui*, ait, *carnis paupertatem noſtra cauſa ſubijt, vt nos ipſius diuinitate locupletaremur.* Facit pro hac re, quod in textu Hebraico, vbi nos habemus, *& Verbum*, poteſt legi, *quia Verbum.*

Incarnatio omnium bonorum cauſa. Chryſoſt. Auguſt. Theophyl.

127. Sed quare hîc mentionem facit Euangeliſta de aduentu filij Dei in mundum, cùm multoties iam ſupra illum nobis manifeſtauerit; dixerat enim: *In mundo erat: In propria venit.* Ad quid nunc verò, *Verbum caro factum eſt?* Reſpondeo primò. Ad explicandum modum ipſius aduentus, quòd venerit ſcilicet filius Dei factus homo. Secundò, ad excludendam admirationem de eo, quod dixerat: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, vt iam diſſeruimus. Tertiò. Tanta eſt myſterij Incarnationis excellentia, vt vno ſermone, vna contemplatione nec aliqualiter valeat attingi; ſed multiplex requiritur, vt aliquid de tam ineffabili arcano poſſit inueſtigari.

QVÆSTIO LIII.

Quare in Incarnatione dicatur Verbum?

DVM ad nos venit Deus factus homo, non dicitur filius Dei, ſed *Verbum?* Reſpondeo, quòd Deus antiquis Patribus verbo ſuo fidem præſtitit, ſe futurum eſſe hominem, & in hoc negotio ipſius Verbum oppigneratum, & obligatum erat. Voluit ergo, vt ipſummet Verbum carnem aſſumendo fidem datam liberaret: *Cùm enim quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus venit*, Sap.18.n.14. D. Dyonyſius Carthuſ. *Sermo tuus id eſt, æternum Dei Verbum.* Sed quare non iuſtitia, vt vindicaretur de Ægyptiis, vel non miſericordia, vt Hebræos liberaret, vel non omnipotentia, vt mirabilia operaretur, deſcendit, & aduenit, ſed ipſummet Dei verbum? Ea tantùm ratione, quòd hoc datum fuerat Abrahamo, *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, verumtamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia*, Geneſ. 15.n.13. Ipſummet Dei Verbum à cæleſtibus ſedibus proſiliuit, vt ab obligatione ſe eximeret. Vide ſuprà *c.5.q.9.* 128.

Verbũ ipſum pignoratum voluit ſe deobligare. Sap.18. D. Dion. Geneſ. 15.

QVÆSTIO LIV.

Quare hîc dicatur Verbum, *& non amplius in toto Euangelio?*

CVM Euangeliſta in exordio iſtius Euangelij filium Dei ter Verbum appellauerit, cur poſtquam dixit, *Verbum caro factum eſt*, numquam amplius in toto ſuo Euangelio, ſatis magno, Verbum nominauit; ſed in hoc verſu ſilentium admirabile imponit voci; cùm tamen ipſum ſæpe appellet, vel vnigenitum, vt in hoc verſu: *Quaſi vnigeniti à Patre; & verſu* 18. vel filium, *cap. 5. num.20. 21. & 22* & ſæpe? Reſpondeo primò, quòd Euangeliſta, dum egit de æterna generatione, filium Verbum appellat, eſt enim aptiſſimum nomen *Verbum* ad explicandam illam ineffabilem generationem non eſſe corporalem, ſed ſpiritualem, & intellectualem, vt iam dixi *quæſt. 9. & 10.* in Incarnatione idem nomen imponit, vt ſit manifeſtum eandem perſonam, quæ erat ab æterno genita, in tempore carne eſſe indutam: poſtea verò ſemper filium, vel vnigenitum dicit, vt videamus, in quàm eximio amore, & æſtimatione ſit erga Patrem, tamquam chariſſimus, & vnicus filius. Optimus magiſter non ſemper idem, ſed diuerſum pro tempore, & occaſione nomen aſſumit. Ad generationem æternam & intellectualem declarandam *Verbum*, ad eximium amorem Patris ſignificandum filium, vel vnigenitum dicit. Secundò myſticè. In generatione æterna Verbum, poſtea 129.

Vtendũ verbo accommodato ad rem.

verò

verò factus homo ſemper filius, vel vnigenitus dicitur. *Verbum* nomen eſt propriiſſimè conueniens diuinæ tantùm perſonæ, *Vnigenitus*, vel *filius* nomen commune Deo, & hominibus; nam quilibet dicitur filius, vel vnigenitus per reſpectum ad ſuum parentem, & Chriſtus Dominus ita gloriabatur de humanitate ſibi aſſumpta, vt illis nominibus, quæ humanitati conueniebant, nominari, ac vocari affectaret.

Chriſtus maximè gloriatur de natura aſſumpta.

130. Tertiò, & etiam moraliter, *Verbum*, id eſt, locutio, ac ſermo: ante Incarnationem de hoc ſupremo beneficio Deus locutus eſt ad Patres noſtros, daturum ſe nobis; vſque ergo ad promiſſi exhibitionem *Verbum* ab Euangeliſta appellatur, tanquam pro tunc de eo loquendum: at poſt conſummatum opus, & ſupremum donum communicatum, non iam nominatur *Verbum*, tanquam ampliùs de eo nec Verbum quidem dicendum eſſet. Nam nobilis, & regius animus ante exhibitionem poteſt beneficium ſermone verſare, poſt largitionem verò, minimè licet ore apprehendere, ne videatur improbare, vt dicitur Eccleſiaſtic. 41. num. 2. 8. *Cùm dederis, ne improperes.*

Benefaciens non repetet verbis beneficium.

Eccleſ. 41.

131. *Semel locutus eſt Deus*, Pſalm. 61. num. 12. ſeu, vt legit D. Hieronymus, *Vnum locutus eſt Deus.* Vnum tantùm dixit Deus, non ne locutus eſt frequenter in Scriptura Patribus noſtris? D. Auguſtinus *in hoc Pſalmo, & erat contra Iudæos Paganos & Arrianos*, Bernadus *ſerm. 16. ex. paruulis*, D. Remigius, Caſſiodorus, Ruffinus recurrunt ad æternam generationem, in qua Pater dicendo producit filium. Idem D. Auguſtinus *cit. orat. contra Iud. Pagan. cap. 6.* D. Hilarius, D. Ambroſius, D. Bruno, *in hoc Pſalmo* exponunt Pſalmum de Incarnatione quando Pater protulerit ſermonem mittendi filium ſuum in mundum, vt fieret homo: ſed poſtquam Deus Pater in illa æterna generatione ſuum eſſe ſubſtantiale, illudque ſupremum diuinitatis donum filio ſuo communicauit, amplius non eſt locutus Pater? Noſtro dicendi modo totus ſermo, totum eloquium filio traditum, ac commiſſum videtur; iam enim non Pater; qui dedit, ſed filius, qui eſſe habet communicatum, dicat, ac loquatur.

Pſalm. 61. Hieron. Auguſt. Bernard. Remig. Caſſiod. Ruffin. Auguſt. Hilar. Ambroſ. Bruno.

132. Expende, quæſo, ſeptem illas Epiſtolas, quas Deus per ſeruum ſuum Ioannem ſeptem Aſiæ miſit Epiſcopis, *Apocal. 2.* In quibus admonentur, vt aliquibus relictis defectibus, commiſſo ſibi muneri integrè, ac perfectè incumbant. Tota tamen ratio in proponendis præmiis, ac donis aſſequendis ſita eſt, Epiſcopo Epheſi, poſt correctionem adhibitam, dicitur, num. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Similiter Epiſcopo Smyrnæ, num. 10. *Dabo tibi coronam vitæ.* Eodem modo Epiſcopo Pergami, num. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum*, & de aliis eo modo proſequitur textus. Ecce tota vis perſuadendi in largiendis præmiis de futuro eſt poſita, vt notant Aretas Epiſcopus Capadociæ, Ansbertus, & alij. Sed quare Saluator noſter Chriſtus Dominus in his Epiſtolis ſuadere vult largiendis de futuro donis, & non commemoratis beneficiis datis, vt creationis, conſeruationis, redemptionis, & tandem quòd eos ad tam ſublime dignitatis culmen euexerit; ſed his omnibus ſuppreſſis, de præmiis tantùm poſtea conſequendis fit mentio? Noluit Dominus, cuius natura eſt magnitudo, & bonitas, data repetere, ſed de nouiter largiendis tractare. D. Ambroſius *lib. 1. de offic cap. 30.* ait. *Perfecta autem eſt liberalitas, vbi ſilentio quis tegit opus ſuum, & neceſſitatibus ſingulorum occultè ſubuenit: quem laudat os pauperis, & non labia ſua.* Si verò Deus aliquãdo ſua commemorat bona, vt *Iſai. 1.* non eſt ratione ſuæ bonitatis, ſed ad arguendum malitiam, & ingratitudinem hominum, vt notant communiter Doctores *in Epiſtola Canonica D. Iacobi, cap. 1. num. 5.* ad illa verba: *Dat omnibus affluenter, & non improperat.*

Apoc. 2. Ambroſ.

EXPOSITIO II.

Dictionis, *Caro factum eſt.*

Illvd ineffabile Verbum ab æterno à Patre Deus de Deo, in tempore caro factum eſt, non commixtione, vel tranſmutatione vnius naturæ in alteram, ſed vnione in hypoſtaſi. Vnde dixit S. Paulinus Epiſt. 5. ad ſanctum Amandum: *Non tamen*, ait, *(vt alij quidam ſerpentium ſibilare dicuntur) ita caro factus, vt à ſua natura migraret in noſtram ſed vt remanens quòd erat, propter nos inciperet eſſe, quòd non erat.* Acutiſſimo illius myſterij acumine hæretici ſe maximè cruentarunt. Sed, vt ait D. Ambroſius *lib. de Incanat. myſt. cap. 6.* Sicut infernus diabolica machinatione tales errores euomuit, ac eiecit, ita Dei poteſtate, ac fidei fortitudine, & gladio, in inferno iam ſepulti ſunt. Hæreſes referre, & refutare ſatis longum. Vide Expoſitores in hoc loco Beaulxamis, Toletum, Salmreon, & alios. Caro hîc, vt notat D. Gregorius Nazianzenus *Epiſt. 1. ad Clidonium*, S. Leo *ſerm. 7. de Natiuitate*, per ſynecdochem ſignificat hominem. Et eſt valde frequens loquendi modus Scripturæ, Iſai. 40. num. 5. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, Geneſ. 6. num. 3. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Pſalm. 55. n. 5. *Non timebo, quid facit mihi caro.* Pſalm. 64. num. 3. *Ad te omnis caro veniet.* Dicitur ergo caro factum, id eſt, homo factum. Et, vt ait D. Marcus Eremita *de præceptis ſalutaribus: Factus eſt Deus id, quod ſumus, vt efficiamur id, quod eſt.* 133.

S. Paulin. Ambroſ. Nazianz. S. Leo. Iſai. 40. Geneſ. 6. Pſ. 55. & 64. M. Eremita.

Qvæstio LV.

Quare non homo factus, ſed caro dicatur?

Cvr potius dixit Euangeliſta: *Verbum caro factum eſt*, quàm, homo factus eſt? Reſpondeo. Magna ſapientia id dictum eſſe. Primò, vt opprimatur os Manichæorum, negantium à verbo corpus ex Virgine fuiſſe aſſumptum verum, ſed phantaſticum tantùm. Ita D. Thomas *hoc loco.* Et non dixit: Verbum anima factum eſt propter Platonicos, qui tunc maximè eo tempore, quo Ioannes ſcripſit, vigebant, & vnionem Verbi cum corpore factam excludebant, & ſolùm in anima agnoſcebant. Vt noſter Euangeliſta vtrumque refutaret errorem, non dixit: Verbum homo factus eſt; quia facilè poterant confugere ad animam, præcipuè Platonici, apud quos homo eſt anima rationalis; 134.

S. Thom.

Chriſtus verus homo.

corpus autem non eſt pars hominis, ſed habitaculum. Theophylact. ita habet: *Fortaſſis autem, quia caro a diuina natura alienior eſt, volens Euãgeliſta ſignificare immenſam Dei miſericordiam, carnis meminit, vt ineffabilem eius benignitatem obſtupeſcamus, quòd propter noſtram ſalutem alienum à natura ſua, & omnibus modis peregrinum, carnem, dico, aſſumpſerit. Anima enim cognationem habet cum Deo: caro autem nullo modo communicat. Et idcirco opinor, Euangeliſtam ſolo carnis nomine vſum; non quòd anima expers ſit aſſumptionis, ſed ad maiorem oſtenſionem mirandi, & ſtupendi Sacramenti.* Ita vt ex diſtantia extremorum humilitas Domini commendaretur, qui noſtra cauſa ad deteriorem partem etiam ſe ſe deiecerit, vt loquitur D. Gregor. Nazianz. *epiſt. 5. ad Clidonium.* D. Auguſt. *epiſt. 120. ad Honorat. cap. 5* & alij.

Theoph.

Domini humilitas ad deteriora ſe demittit.

Nazianz. D. Auguſt.

135. Tertiò, D. Thom. hîc in ſua expoſitione ita reſpondet: *Ad inſinuandam congruitatem humanæ reparationis; homo enim per carnem infirmabatur, ideo Euangeliſta volens inſinuare, aduentum Verbi congruum eſſe noſtræ reparationi, mentionem de carne ſpiritualiter fecit, vt oſtenderet, quòd caro infirma per carnem Verbi reparata fuit.* Similiter Card. Hugo. Ac ſi dicatur: Sicut enim ex infirmitate carnis peccatum intrauit in mundum; ita ex carne deificata ſalus & vita diffunderetur in omnes. Et eadem via, qua ingreſſus eſt morbus, panderetur medicina; ac caro, quæ ingnominia erat affecta, eximio nobilitaretur honore. Vide D. Cyrillum Alexandrinum *hîc lib. 1. cap. 15.* Quartò ita ſcribit Algerus lib. 1. de Sacramento corporis, & ſanguinis Domini cap. 1. *Verbum Dei caro factum eſt, vt qui de ſuo erat incomprehenſibilis, de noſtro nobis fieret cognoſcibilis, & de noſtro quaſi è vicino fieret appetibilis, dum germanæ carnis noſtræ gloriam in ipſo, gloriam quaſi vnigeniti à Patre videremus.* Deus, qui de ſe erat inuiſibilis, voluit carnem aſſumere, vt ſic ab hominibus videretur, & appetitus noſter maximè in eum prouocaretur, ac excitaretur, tum ratione ſuæ gloriæ, tum ratione noſtræ conſanguinitatis.

S. Thom.

Eadem via qua morbus ingreditur ſalus.

Hugo. Cyrill.

Quod erat ignominia affectum, nobilitatur.

Algerus.

Bonum nobis ſimile, & viſum maximè mouet.

136. Quintò. Per carnem aſſumptam, per paſſionis dolores pro noſtris peccatis ſatisfecit. Dicatur ergo Verbum caro factum, vt caro, qua opprobria ſuſtinuerat paſſionis, Incarnationis ſplendore illuſtretur, ac illius gloria ſublimetur. Sextò. Homo inuoluit creatam à Deo animam, & corpus, ſeu carnem à parentibus formatam; ſi diceretur, Verbum homo factus, tam id quod à Patre, quàm id, quod à Matre Chriſtus habebat, ſignificaretur. Dicatur ergo Verbum caro factum, vt importetur id, quòd habet à ſanctiſſima Dei genitrice: de illo enim maximè gloriatur Chriſtus Dominus, & per id maximè vult innoteſcere, vt dicam *cap. 2. num. 14. & n. 113. 114. & cap. 5. num. 22. & 90.*

Vbi paſſio, ibi gloria.

Deus maximè gloriatur de eo, quod habet à Matre.

Qvæstio LVI.

Quare non dicatur: Verbum carnem aſſumpſit?

137. Evangelista, quare non dixit, Verbum carnem aſſumpſit, ſed, Verbum caro factum eſt? Reſpondet primò D. Thomas hîc, quòd Euangeliſta hoc fecerit, vt excluderet errorem Neſtorij, qui dixit, in Chriſto fuiſſe duas perſonas, & duos filios; & vnum eſſe filium Dei, alterum filium Virginis, quod vt excluderet, dixit: Verbum caro factum eſt, ad hoc enim fit aliquid, vt ſit; ergo ſi Verbum non eſſet homo, dici non poſſet, quòd Verbum ſit factum homo. Secundò S. Cyrill. *lib. 1. in Ioan. c. 5.* & idem, S. Thomas. Non dixit Euangeliſta, *aſſumpſit*, vt oſtendat, quòd vnio Verbi ad carnem, non eſt talis, qualis aſſumptio Prophetarum, qui in ſuppoſiti vnitatem non aſſumebantur, ſed tantùm ad actum propheticum, vel legationem ad populum. Reſpondeo tertiò. Quando ſcriptor Canonicus hominis narrat creationem, hoc vtitur participio: *Factus eſt homo in animam viuentem*, Gen. 2. num. 7. Eundem etiam modum retinet Ioannes, dum Incarnationem Verbi commemorat: *Verbum caro factum eſt*; vt per eandem viam, per quam ſuum homo habuit eſſe, ſuam & habeat reſtaurationem. Deinde, & moraliter, vt te inſtruat, quòd eandem Deus obſeruat methodum, dum alios facit homines eorum animas creando, ac dum ipſe fit homo, demptis imperfectionibus ſuæ infinitæ bonitati repugnantibus; eaſdem enim vias, & metas ſibi, & aliis debet Rex proponere in his, quæ non dedecent regiæ dignitati. Vnde dixit Paulus de Chriſto Domino: *Per omnia ſimilis fratribus.* Quanrtò. Non dixit *aſſumpſit*, ſed, caro factum; quia hoc loquendi modo magis exprimitur humilitas, ac exinanitio Domini, & ſublimitas, ac exaltatio humanitatis, dum Verbum vnum cum ipſa in vnitate ſuppoſiti factum eſt.

S Thom. Cyrill. Geneſ. 2.

Rex ſibi, & alijs eundem modum proponat.

Exaltatio humanitatis.

Quintò. Si diceretur, vniuit, vel aſſumpſit; denotaretur Verbum humanam honorare, vel nobilitare naturam; ſicut veſtis, vel id, quod accedit ad Regem, paticulariter decorari exiſtimatur. Dum verò ait, *Caro factum*, innuitur, noſtram naturam ei ſuum eſſe communicare. Et qui verè alios diligit, numquam ſibi perſuadet, honorem dare, vel conferre amato; ſed quamuis multum largiatur, ſemper cogitat accipere *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius*, Cantic. 3. n. 11. Vbi communiter Patres, D. Athanaſius *in Synopſi.* D. Ambroſ. *lib. de inſtitut. Virgin. cap. 16.* D. Bernard. *ſerm. 2. de Epiphan.* Philo Carpathius, Caſſiodor. Beda *ibi*, qui omnes nomine diadematis intelligunt humanitatem, qua à B. Virgine Chriſtus D. eſt coronatus in die Incarnationis, quem appellat diem deſponſationis, & lætitiæ. Sed quomodo ait, quòd mater dederit illi humanitatem, quam tamen ipſum eam ſuſcepiſſe Eccleſia fatetur. *Qui ſuſcepturus hominem non horruit Virginis vterum?* Eccleſia vt gratulabanda ſuo ſponſo, agnoſcit illum vt omnium Dominum noſtram naturam ſuſcepiſſe, vt eam multis donis honoraret. At ille vt verus amator hominum, non aſſeuerat eam ſuſcepiſſe, ſed illam ei datam fuiſſe, ac eam recepiſſe; non vtcunque, nec vt ſcabellum pedum ſuorum, vt ait regius Vates de humanitate, *Pſalm. 109. num. 1.* Sed vt coronam, quæ ſuſcipientem honorat, ac exornat. D. Gregorius Papa expoſitione in Cantic. *Sed diadema*, ait, *cùm pro gloria aſſumatur, in humanitatis autem ſuſceptione non gloria Verbi Dei, ſed humilitas eſſe cognoſcitur, quomodo humanitate noſtra, quaſi diademate coronatus fuiſſe dicitur? Sed cùm ipſa eius Incarnatio* 138.

Amans exiſtimat nihil dare, ſed accipere.

Cant. 3. Athan. Ambr. Bernard. Beda. Pſalm. 109. D. Gregor.

natio verè gloria noſtra fuerit : quia membra eius ſumus propter communionẽ corporis, diadema membrorũ bene capitis Scriptura prædixit. Dum aſſumptio fuerit pro noſtro honore, pro ſuo reputat.

QVÆSTIO LVII.

Soluuntur aliquæ quæſtiones.

Nullus particularitatis affectus.

139. QVÆSTIVNCVLA prima. Quare dicitur ab Euangeliſta caro abſolutè, & non Iudæi, vel Gentilis huius, vel illius patriæ? Reſpondeo, quòd Deus pro omnium ſalute carnem voluit aſſumere; vt ergo denotaretur, quòd in eo nullus erit particularitatis affectus, ſed veluti in ſpiritu omnis caro, ideo abſolutè & ſine addito ponitur. Deinde caro abſolutè eſt caro hominis animata eius animâ, nam caro mortua, non eſt caro, niſi æquiuocè.

Caiet. — *Infirmitas iuxta remedium.*

140. Quæſtiuncula ſecunda. Quare non dixit Euangeliſta: Verbum factum eſt caro, ſed immediatè, nullo interpoſito nomine, coniunxit Verbum, & carnem, dicendo: *Verbum caro?* Reſpondet Caietanus hîc: *Vt ſignificaret, quòd Verbum non incepit eſſe caro; non enim ſignificatur quòd Verbum factum eſt.* Secundò reſpondeo, quòd in carne erat neceſſitas, infirmitas, & ægritudo; in Verbo autem remedium, fortitudo, & medicina: meritò ergo ad ſubleuandam miſeriam immediatè coniunxit Verbum, & carnem; nullo enim certiori modo ab opprimente calamitate liberatur quis, quàm ſi neceſſitas remedio appropinquetur; ac ſi ſub vmbra illius locum ſibi inueniat. Vnde regius Vates poſtquam multas in Eccleſiam exortas narrat procellas, ſubdit: *Deus in medio eius non commouebitur*, Pſalm.45.num.5. Ac ſi dicat; vrbs, quæ ad præſentiam Domini ſibi eſt, non ſolùm non ruet calamitatibus, verùm etiam nec commouebitur. D. Auguſtinus ibi, *Sæuiat mare*, ait, *conturbentur montes, Deus in medio eius non commouebitur.*

Pſalm. 45. — Auguſt.

Irenæus. — *Remedium ne ſit occaſio ruinæ.*

141. Quæſtiuncula tertia. Quare diuinum Verbum, dum caro factum eſt, diuinitatem humana carne occultare, & velare voluit? Reſpondet eleganter D. Irenæus lib.4. contra hæreſes cap.6. *Hominibus*, inquit, *oſtendens Deum, Deum autem exhibens hominem, & inuiſibilitatem quidem Patris cuſtodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei.* Ac ſi dicat Deus, noſtram aſſumendo carnem: diuinitatem tamen occultando, homini remedium dedit, ne vnde parabatur remedium, inde eſſet maioris occaſio ruinæ, dum homo in faciem Deum deſpiceret.

QVÆSTIO LVIII.

Quare non dicatur hîc, à quo eſt factum hoc myſterium?

142. NON explicat hîc Ioannes, à quo principio editum eſt hoc ineffabile opus; ſed tantùm ait: *Verbum caro factum eſt.* A quo factum eſt? Et ſuppone, vt certiſſimum, quòd in ſola perſona filij Dei natura humana cum diuina ſociata eſt; nam ſolus filius Dei factus eſt homo. Actio autem viuendi, cùm ſit ad extra, eſt à tota Trinitate, vt explicant, D. Auguſtinus *lib. de fide ad Petrum, cap.2.* Innocentius III. *in Concil. Lateran. in confeſſione fidei*, & omnes Theologi. Sed quare Euangeliſta hîc non exprimit, à quo factum eſt? Reſpondeo primò. Quòd Incarnatio ſupremum Dei opus ad extra, in quo relucent omnia eius attributa, potentia, ſcientia, amor, vt latè proſequntur, D. Damaſcenus orat. 1. de natiuitate. *Quod vnum ait, ſub ſole nouum eſt, infinitamque Dei potentiam declarat, efficitur; quid enim maius, quàm Deum hominem effici.* Similiter S.Thom. *opuſcul.60.* S. Maximus *ſerm.7. de natiuitate*, & alij. Cùm ergo Incarnatio tam magnum ſit pietatis myſterium, neceſſarium non fuit, à Deo factum eſſe exprimere: nam ſunt res adeò ſublimes, quæ ſolum Deum poſſunt habere auctorem. Si verò in ſymbolo Nicæno hoc expreſſum eſt, incarnatus eſt de Spiritu ſancto. Ea eſt ratio, quia ſymbolum hoc ad hæreſes confutandas à Patribus compoſitum eſt, quæ Incarnationis, & Trinitatis oppugnare myſteria nitebantur, vt teſtatur Suarius *tom. de fide diſp. 2. ſect. 5. num. 9.* Et ideo in Eccleſia triplex eſt Symbolum, Apoſtolorum, Nicænum, & Athanaſij: nam quæ aperta ſunt, multoties hominum malitia obnubilare intendit, ac adeò, vt tempori, & occaſioni datur locus, exprimanda.

Auguſt. Innoc. — Damaſcen. — S.Thom. *Res ſublimis ſolum Deum habet auctorem.* — Suarius.

QVÆSTIO LIX.

Quare humilitate tanta aduenit Deus ad viuificandam animam, & tamen ad Corporis reſurrectionem in gloria apparebit?

HANC quæſtionem nobis excitat D. Bernardus *in 16. ſermonibus paruulis, num.7.* 143. vbi quærit, quòd cùm duæ ſint mortes, animæ, & corporis; vt Deus animam à morte eximeret, aduenit pauper, & humilis, humana carne indutus: *Verbum caro factum eſt*; vt verò corpus à morte ſoluat, veniet in gloria. *Qui venturus eſt in gloria? Duæ ſunt*, ait S. Bernardus, *mortes, & totidem reſurrectiones. Mors animæ; ſecunda corporis. Mors animæ, ſeparatio à Deo; mors corporis, ſeparatio animæ à corpore. Hanc operatur peccatum, illam pœna peccati. Item prima reſurrectio animæ, ſecunda corporis. Reſurrectionẽ animæ operatus eſt humilis, & occultus Chriſti aduentus: reſurrectionem corporis glorioſus, & manifeſtus perficiet aduentus. Sed anima inuiſibilis eſt ad imaginem Dei creata.* Et proſequitur deſcribendo cognitionem, & vim intellectiuã animæ. His verbis multa, & grauia nobis docet S. Pater. Primum quanto grauior ſit culpa, quàm pœna; nam vt Deus animam à culpa redimeret, conueniens fuit tam admirabile opus, vt in humilitate carnis ad nos deſcenderet; at verò vt corpus à pœna liberaret, aduentus eius in maieſtate ſufficit. Secundum. In redemptione animę, quæ cognitione, ac vi intellectiua eſt prædita, in humilitate apparet, ſolus enim intellectus celſitudinem humilitatis percipere poterat. Tertium. Anima valde nobilis ad imaginẽ Dei creata: corpus verò ignobile è terreno puluere efformatum. Anima ergo vt certa de ſua ingenuitate, dum eius negotium vili, ac carneo inſtrumento peragitur,

Bernard. — *Multo grauior culpa, quàm pœna.* — *Verè nobilis nulla abiectione diffidit.*

minimè in diffidentiam abiit, ſed potiùs in gratiarum actionem prorupit; at verò corpus, ſi cum eo taliter ageretur, maximè diffideret; nobilis enim in humilitate eſt ſecurus; ignobilis in quacumque abiectione, timore, ac diffidentia percutitur.

Geneſ.2. — Greg.Niſſ. — Cat.Græca. — *Nobilis ſemper ſecurus, ignobilis ſtatim diffidit.*

144. Confirmatur hæc vltima reſponſio. In conditione rerum primò formatur hominis corpus, & poſtea anima creatur, ac infunditur. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculum vitæ.* Sed quare, cùm anima longè nobilior corpore, non primum, ſed ſecundum, & inferiorem obtinet locum? Ex quo aliqui, teſte D. Gregorio Niſſeno, apud Lyppoman. corpus nobilitate animam præcedere ſibi perſuaſerunt: ea tamen eſt ratio, quia anima, vt illuſtrior, de ſuo ſplendore ſecura, ſiue primum, ſiue ſecundum locum non refugit, quòd corpori, vt vili, & abiecto erat maximè formidabile. Catena Græca. *Si nobilior animus corpore, prius quòd eſt ignobilius conditum fuit? At ô chariſſime, nónne vides, hoc idem in creatione vſu veniſſe: nam poſtquam cælum, & terram, Solem, cunctaque animalia Deus creauit, poſtremò finxit hominem, cui imperium omnium rerum debebatur: eodem modo in hac hominis formatione primùm corpus effingitur; deinde præſtantior animus inſpiratur.*

Philipp.2. — Theod.

145. Ait Apoſtolus *ad Philippenſ.2 n.6.* de Chriſto Domino; *Qui, cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*, Ibi egregiè Theodoret. *Et quid eſt, quòd hoc loco dicitur? Sanè qui per rapinam libertate potitur, nihil ſeruile pati ſuſtinet, ne vſurpatæ libertati aliquod præiudicium generet. Ecce quid ergo ille? quoniam naturâ Dominus erat, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Diſpenſationis myſterium diuinitatem nõ læſit.* Qui eſt verè liber, & Dominus, vt Saluator noſter, non timet formam ſeruilem, nullum enim inde habet præiudicium; at verò qui fictè libertatem rapit quamlibet timet vmbram. Quæſtionem facit omnibus ſcripturariis; cur poſt omnium rerum creationem Deus eorum naturas laudauerit. *Germinet terra lignum pomiferum, Et vidit Deus, quòd eſſet bonum*, Geneſ.1. n.11. *Producat terra animam viuentem; & fecit Deus beſtias terræ. Et vidit Deus, quod eſſet bonum*, Gen.1.n.24. At poſt hominis creationem, circa illum nulla laudatoria vox peculiariter profertur, *Geneſ.2.* Ea tantum ratione, quia ad imaginem Dei factus erat, ac proinde ſecum approbationem ferebat. At res aliæ, vt illo honore carentes, ne in aliquam incurrerent notam, ideo laudantur. D. Epiphan. lib.2. aduersùs hæreſ. hæreſi 66. *Quoniam*, inquit, *ad imaginem Dei creatus eſt, tam excellenti dignitate contentæ ſacræ Scripturæ fuerunt, nulla vt acceſſione opus eſſe videretur; nam ſi bonitatis ipſius erat imagine præditus Dei, à quo bonitatis fons omnis, ab eóque bonum ipſum in vniuerſa deriuatur, quid attinebat hoc audire teſtimonium, & eſſe bonum, cùm boni ipſius imaginem in ſe ſe contineat.*

Geneſ.1. Ibid. — Epiphan.

EXPOSITIO IV.

Dictionis, *& habitauit in nobis.*

Caiet.

146. PRIMÒ exponit Caietanus: *Habitauit in nobis*; id eſt, ſpiritualiter. Et ideo notat ipſe Cardinalis, non dixit Euangeliſta: *Habitauit nobiſcum*; ſed *in nobis*, id eſt, in animis noſtris, per gratiam. Sed hanc expoſitionem oppugnant ſequentia verba: *Vidimus gloriam eius*, &c vbi ſermo eſt de habitatione viſibili. Secundò D. Cyrillus Alexandr. *lib.1. c.16.* D. Hilar. *lib.12. de Trinitate.* D. Chryſoſtom. *homil.10. in Ioann.* Theophylact. Hugo, & alij, hoc explicant de natura humana, in qua Verbum habitauit, vt in templo, & tabernaculo. nam in Græco eſt, *Habitauit nobiſcum, vt in tabernaculo*, vt ſic Euãgeliſta explicet id, quod dixerat, *Verbum caro factum eſt*, ne aliquis exiſtimaret, Verbum fuiſſe conuerſum in naturam humanam, vt aliqui dixerunt hæretici. Vt ergo denotet, naturam diuinam ab humana manſiſſe diſtinctam, ideo ait: *Habitauit in ea*, vt in tabernaculo. nam qui habitat in tabernaculo, cum eo non confunditur, ſed integer, & diſtinctus perſeuerat. Et hæc expoſitio ob auctoritatem Patrum veneranda. Tertiò. De ſacra Euchariſtia explicat Eſcobar *in cap. 6. Ioann. lib.2. ſect.6. annot. 3. n.31.* & citat Chryſoſtomum; & *ſect.9. annot.7. n.69.* citat Theodoretum, dicentem, *Vt quod natum eſt ex Deo, diuino viueret alimento.* Hæc tamen valde moralis.

Cyrill. Hilar. Chryſoſt. Theoph. Hugo. — Eſcobar. Chryſoſt. Theod.

Quartò. Vera, & communis expoſitio, *Habitauit in nobis*, id eſt, inter nos habitauit, ac conuerſatus eſt. Ita D. Auguſt. *tract.2. in Ioann.* Beda, D. Thomas *hîc.* D. Bonauent. *ſerm. 2. de natiuit.* D. Ambroſ. *lib. de Incarnat. Domini ſacra. cap.16.* communiter expoſitores, Beaulx. Salmer. Tolet. Barrad. & alij, iuxta illud Baruch.3. n.28. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Zachar.2.n.10. *Gaude*, inquit, *& lætare Sion, quia ego ecce venio, & habito in medio tui.* Et ad hunc ſenſum faciunt ſequentia verba. 147.

Auguſt. Beda. D.Thom. D. Bonauent. Ambr. Beaulxam. Salmeron. Tolet. Barradas.

QVÆSTIO LX.

Cur, explicata Incarnatione, dicitur ſtatim: Habitauit in nobis.

QVARE Euangeliſta, poſtquam dixit, *Verbum caro factum*; ſtatim ſubiunxit, *& habitauit in nobis*? Seu, vt alij legunt, *vt habitaret in nobis*? Reſpõdeo primò. Vt denotaretur, quòd vbi primum Verbum diuinum humanam carnem ſibi vniuit non ſolummodo in natura aſſumpta immenſum pelagus cœleſtium donorum cohibuit, & retinuit, ſed inde inundans ad vniuerſos homines ſe ſe effudit. Theodoretus homil.2. *de Chriſti natiuitate*, habita apud Concil. Epheſin. *O rei miraculum*, inquit, *tota diuinitatis plenitudo in vno habitat corporaliter, & nihilominus tamen reliqua omnia adimplet, & ita implet, vt vniuerſam creaturam excedat. Totus exiſtit in vno, & à nulla interim creatura ſeparatur.* Hæc eſt enim diuina conditio, vt non ſiſtat in vno, ſed inde tanquam è fonte ad omnes ſeſe extendat. Secundò. Habitauit in nobis: quia Verbum noſtræ naturæ conſors factum eſt. S. Leo Papa ſer.10. de natiu. Chriſti, c.3. *Habitauit in nobis*, inquit, *quos ſibi Verbi diuinitas coaptauit, cuius caro de vtero Virginis ſumpta nos ſumus. Quæ ſi de noſtra, id eſt, verè humana non eſſet, Verbum caro factum non habitaſſet in nobis. In nobis autem habitauit, qui naturam noſtri corporis ſuam fecit.* 148.

Theod. *Diuina bonitas ad omnes ſe communicat.* — S.Leo. *Deus factus homo cum hominibus conuerſatur.*

Ita S. Pater voluit habitare, & conuerſari nobiſcum, quia in natura frater noſter erat: at homines noſtram aliquando contemnunt ſocietatem, & habitaculum; quia aliquid ſupra nos eſſe ſibi perſuadent.
Hugo.
Tertiò. Cardinalis Hugo, *Habitauit, notat*, ait, *permanentiam naturæ diuinæ in humana, nunquam enim facta eſt ſeparatio naturarum, neque fiet in æternum.*
Dei dona perpetua.
Enimverò Dei dona perpetua ſunt, & æterna. Quartò. Conſidera, quòd vbi primum de Verbo, quod eſt Deus per eſſentiam, dicitur eſſe apud Deum, ſtatim de illo ſubiunxit Euangeliſta, *& Deus erat Verbum*; at vbi primum de eo dicitur, *Caro factum*; ſtatim, *habitauit in nobis.* nam in tãtum requiritur æqualitas, ac communicatio naturæ ad ſummam vnionem, & pacem; ſi enim Verbum in natura non communicaret cum Patre, cum eo in ſumma vnitate non eſſet: ſi in nobis non habitaret caro factum, Rex pacificus non diceretur. Deinde dum Verbum cum Deo eſt, *& Verbum erat apud Deum*; in celſitudine diuinitatis apparet: dum verò cum hominibus habitauit, ſtatim in abiectione humanitatis videtur.

QVÆSTIO LXI.

Quare hîc non fiat mentio de habitibus ſpiritualibus, quos nobis contulit Chriſtus?

149. Caiet.
HÆc quæſtio nobis proponitur à Caietano. Quare dicit Euangeliſta, *habitauit*; & non dicit, contulit nobis gratiam, fidem, ſpem, & charitatem? Relicta eius ſolutione, quam valde ſubobſcuram vide apud ipſum, ſic reſpondeo primò. Euangeliſta ſtatim ſubdit, *plenum gratiæ, & veritatis.*
Idem eſt, Dominum habere, ac ſuis dare.
Ergo non fuit neceſſarium exprimere, quòd nobis contulit gratiam; nam idem eſt, quòd Dominus meus Ieſus ſit inſignitus donis, ac quòd ſuis communicet, & largiatur. Vide *cap.2. tota quæſt.6.*

150. Secundò. Habitare in aliquo loco, eſt quodammodo obſequium obtinere à loco, qui nos recipit, ſuſtinet, & tuetur, vt graues notant auctores *ad cap.13. Matth.n.32. & Prouerb.30.n.28.* Vt magnificus Dominus tacuit beneficia, quæ contulit, gratiam, & cœleſtia dona largiendo, & publicauit data obſequia in receptione loci. Deus, cùm vellet populum ſuum è captiuitate Ægyptiaca liberare, ait Moyſi, vt dicat Pharaoni: *Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meũ, vt ſacrificet mihi in deſerto*, Exod.5. num.3.
Exod. 5. Septuag.
Seu, vt legunt Septuaginta, *vt mihi feſta celebrent in deſerto.* Et tamen principalis Dei intentio erat, vt populus exiens introduceretur in terram promiſſionis fluentem lac, & mel, patribus eorum promiſſam, vt conſtat ex *cap.3. Exod.num.15.16.*
Lippom.
Liberalis memorat, quæ recipit; tacet quæ donat.
vt notat Lyppoman.cit. cap.*iubet*, ait, *Dominus, Moyſem diſſimulare profectionem in terram Chanaan patribus ipſorum à Deo promiſſam, & interim iubet eum prætexere immolationem in deſerto.* Populi in terram promiſſam introductio, ſingulare Dei beneficium erat; at quod illi Iſraël ſacrificaret, exhibitum ipſi obſequium: magnus Dominus, quæ beneficentiam & liberalitatem declarabant, tacet; quæ obſequia ſignificabant, publicat, ac manifeſtat.

QVÆSTIO LXII.

Quid ſignificet in textu Græco, Habitauit in tabernaculo nobiſcum?

RESPONDET primò Maldonatus. 151.
Maldon.
Credo, voluiſſe Ioannem nomine à tabernaculo deducto ſignificare, Verbum Dei, non tanquam indigenam in patria ſua, ſed tanquam hoſpitem, & peregrinum in aliena apud nos ad tempus tantùm habitaſſe; ſolent enim, qui in patria ſunt, in domibus; qui autem peregrinantur, in tabernaculis habitare. Cùm Verbum adueniret ad nos, vt Rex, & Dominus, tanquam peregrinus alienus ab omni propinquitate, & conſanguinitate aduenit, vt inde magna illius regiminis rectitudo colligatur.
Chryſoſt.
Secundò D. Chryſoſtomus hîc, *Quid inducit*, ait, *& habitauit in nobis, tentoria fixit in nobis, ſignificat inhabitationem, & quaſi in tabernaculo manſionem.* quod pereleganti methodo explicauit D. Zeno lib. 3. ſermone 6.
S. Zeno.
In prædeſtinatæ Virginis templum ſibimet caſtra metatur. Quæ omnia bellicum apparatum ſignificant; ſed quid infantilia membra cum caſtris, cum armis; quid puerulus è matris vtero exiens cum bello? Vbi primum Dei filius noſtram carnem aſſumpſit, ac inter nos habitare cœpit, ſtatim tentoria fixit, in caſtra deſcendit, vt ſuos tueatur, ac cuſtodiat, & pro illis pugnet. Quod eleganter dixit D. Maximus homil. 1. in Dominica 1. Quadrageſ.
D. Maxim.
Nobis Saluator, ait, *eſurit, pro nobis loquitur, nos in illo vincimus, quia nos ei cauſa ſumus pugnandi; nam quis ambigat vnigenitum Patris, cui nulla obuiare poterat creatura, procellis inire certamen, quorum ſe carne veſtiuit.*
Verbum incarnatum pro nobis bella init.
Cum indumento noſtræ carnis etiam noſtra bella ſuſcepit, vt pro nobis ſtaret. De Incarnatione Verbi diuini loquitur Regius Vates
Pſalm.79.
Pſalm.79.num.3. dum ait: *Excita potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos.*
D. Hieron. *Deus factus homo, ſuos ſeruat.*
Legit D. Hieronymus ex Hebræo; *Suſcita fortitudinem tuam*: quaſi Deus, dum in carne venerit, totus venerit in fortitudine, vt pugnet, & ſaluos faciat nos; ſeu, vt eſt in Hebræo, *In ſalutem noſtram.* Vide Loſinum.

152. D. Hieron. Iſai. 21.
Clamant fideles ad Dominum, vt explicat D. Hieronymus Iſaiæ 21. num. 11. *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte?* Sed quare, dum Chriſtum Dominum inuocant, non Regem, vel dominum, ſed cuſtodem appellant? Rectè occurrit Richardus de S. Victore lib. 3. de Emmanuel.cap.21.
Richard.
Creatura, ait, *Creatori ſuo loquitur. Cur igitur, creatorem inuocando, non dicit: Creator, Creator? Quis, inquam, hoc audit, vel à quo? Dominus à ſeruo. Cur ergo ei non dicitur: Domine, Domine? Certè quòd eum creatorem, Deum Dominum habeant, commune cum omnibus erat. Sed quòd latam perditionis viam cum cæteris non incedebant, eis præ cæteris ex cuſtodia Emanuelis erat.* Non dominum, ſed cuſtodem Apoſtoli nominant, ac fideles; pro ipſis enim, tanquam ex ſpecula, vt loquitur Iſaias, ſicuti in ſtadio militari euigilabat, vt ſuos à Leone ad deuorandum circum quærente cuſtodiret. Ad Eccleſiam loquitur Regius Vates, Pſalm.90, num.4.
Pſalm.90.
Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis:

ſicut circundabit te veritas eius. Theodoretus ibi:
Theodor.
Propugnator namque tibi erit, neque bello petitum operiet. Et ſubdit: *Poſuit ſanè hoc ex tranſlatione eorum, qui primariè in acie conſiſtunt, & humeris eos, qui à tergo ſunt, operiunt.* Ita Dominus in ſuorum euigilat ſalutem, vt alis ſuis eos obumbret, ac iacula immenſa in ſe veluti recipiat.

EXPOSITIO. V.

Dictionum, *& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis?*

153. DE gloria diuini Verbi tria hîc teſtatur Ioannes. Primum manifeſtationem gloriæ. *Vidimus gloriam eius.* Secundum eius gloriæ ſingularitatem: *Quaſi vnigeniti.* Tertium, magnitudinem gloriæ, *Plenum gratiæ, & veritatis.* Quoad primum, *Vidimus gloriam eius*; interrogationi occurrit Euangeliſta, ſi ab aliquo quæreretur: vnde ſcis? Reſpondet: *Vidimus gloriam eius.* Sicut in ſua Epiſtola 1. cap.1.
1. Ioan. 1.
Quod fuit ab initio, quod vidimus, &c. Et ait, *vidimus*; ſeu, vt eſt in textu Græco, *inſpeximus*, quod eſt, attentè vidimus. Et quia ipſe Chriſto dilectiſſimus erat, ideo non ſe ſolùm exhibet teſtem, verùm etiam omnes alios Apoſtolos, atque Diſcipulos, dum dicit, *vidimus gloriam eius.*
Auguſt.
D. Auguſtinus citatus à Toleto *annot.* 24. exponit de gloria, qua ſperamus, quæ nobis data eſt ex eo, quòd Verbum caro factum eſt: quæ eſt tamen certa de obtinenda gloria, ac ipſam videre.
Cyrillus. Baſilius. Chryſoſt. Euthym. Theophyl.
Vera interpretatio eſt D. Cyrilli *hîc*, Baſilij *homil. de filio hominis*, Chryſoſtomi *homil.* 11. Euthymij, Theophylacti, quòd *gloria* hîc ſignificat omnia mirabilia, & ſigna, quibus Diuinitatem, ac Maieſtatem ſuam manifeſtauit: nam de primo quod edidit in Cana Galilææ, dicitur
Ioan. 2.
Ioann.2.num.11. *Manifeſtauit gloriam ſuam.* Viderunt etiam gloriam Transfigurationis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Clarificationis à Patre,
Ioan. 12.
Ioan.12. n.28. Et alia ſimilia, quæ eius diuinitatem oculis indicabant.

154. *Quaſi vnigeniti à Patre*; particula *Quaſi*, non ſimilitudinem, ſed veritatem oſtendit. Et idem valet, ac *ſicut*.
Chryſoſt. Theoph. Auguſt. Ambroſ. Gregor. S. Thom. Beda.
Et, vt ait Chryſoſtomus, Theophylactus, D. Auguſtinus *in Pſal.* 125. D. Ambroſius *Epiſt.47. & Pſal.*118. D. Gregorius *lib.*18. *moral.cap.*4. D. Thomas, Beda, & alij. Vt enim Regis maieſtatem explicemus, dicimus. Incedit, quaſi Rex, id eſt, vt Regem decet. Ita elucidant hoc exemplo, D. Gregorius Magnus, Chryſoſtomus, S. Thomas, quo oſtendimus, non ſimilitudinem, ſed veritatem Regis. Deinde illa particula *quaſi*, apud Hebræos veritatem exprimit,
Daniel. 7. Eſdræ 7.
Daniel.7. n. 13. *Quaſi filius hominis veniebat*, id eſt, verè filius hominis. Eſdræ 7.n.2. *Quaſi vir verax*, id eſt, verè verax. *Vnigeniti a Patre*; dixit hoc
Chryſoſt.
Euangeliſta, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 11. ad differentiam Prophetarum, qui magna ſunt gloria, & honore affecti, vt Moyſes, Elias, Heliſæus, tres pueri, qui miracula ſunt operati: & ad differentiam Angelorum, qui in terris apparuerunt in gloria, vt apud Danielem, Dauidem, & ſæpiùs in Euangelio. Omnes iſti, & alij, vt ſerui, & filij adoptiui: at Chriſtus Dominus viſus eſt in gloria, & mirabilibus, vt vnigenitus & naturalis Filius Dei.

Plenum gratiæ, & veritatis. In primis notandũ eſt, quòd illa verba, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, ſunt per parentheſim legenda, vt communiter obſeruant Expoſitores; ita vt ſit ſenſus: *Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis, plenum gratiæ, & veritatis.* 155.
In textu Græco eſt *plenus*, in nominatiuo, & in genere maſculino.
Caiet.
Vnde Caietanus illa verba refert ad Ioannem, ita vt ſit ſenſus: *Plenus gratiæ, & veritatis Ioannes teſtimonium perhibet.* At hæc expoſitio, eſt contra communem ſenſum ſanctorum Patrũ, qui eadem verba referunt ad Verbum. Deinde contra ipſum textum, nam poſt *plenum gratiæ, & veritatis*, eſt punctum. Si verò *plenus*, eſt in genere maſculino, ex eo eſt, quia Græcè *Verbum*, eſt maſculini generis: & quia noſter interpres poſuit *Verbum* in neutro, etiam *plenum* eſt in neutro. Dicitur, *plenum gratiæ*, non, vt B. Virgo, & Stephanus; ſed alio excellentiori modo omnibus gratiis fuit Chriſtus inſignitus: nam in eo fuerunt gratia vnionis, gratia capitis, gratia ſanctificans, & in ſupremo gradu ſuper omnes creaturas.
Theophyl.
Theophylactus exiſtimat, quòd Chriſtus dicitur gratiâ plenus, ſecundùm quòd ſermo eius erat gratioſus.
S. Thom.
Et D. Thomas: dicitur Chriſtus gratiâ plenus, quia eius doctrina gratiſſima fuit,
Pſalm. 44.
iuxta Pſalm.44.n.4. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.*

156. Thomas. Beda. Lyran.
Veritatis. Communis explanatio D. Thomæ, Bedæ, Lyrani, & aliorum. Dicitur Chriſtus plenus veritatis, quia figuras antiquas, & promiſſiones factas Patribus antiquis adimpleuit. Secundò, quia in eo nulla fuit vmbra, vel figura, ſed totum veritas. Tertiò, quia mendacium non eſt inuentum in ore eius. Et ideo ait Euangeliſta, n.17. *Lex per Moyſem data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

QVÆSTIO LXII.

Quare poſt memoratam Incarnationem dicitur, vidimus gloriam eius?

CVR dicto, *Verbum caro factum eſt*; ſtatim cõnectit Euangeliſta, *Vidimus gloriam eius?* 157.
Cyrillus.
Reſpondet D. Cyrillus lib.1. c.17. *Quamuis ergo Verbum caro factum ſit*, inquit, *nec tamen infirmitate carnis ſuperatum eſt, nec de priſca maieſtate, ac omnipotentia decidit, quoniam homo factus eſt.*
Leo.
Et D. Leo Papa Epiſt.10. Decretal. c.3. *Salua igitur*, inquit, *proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam coeunte perſonam; ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.* Denotatur Dei filiũ ex antiqua maieſtate nihil perdidiſſe.
Non deperditur nobilitas ex humilitate.
Non offendit generoſos, nec eorum gloriam minuit, ſi aliquid humile ſortiantur, de quo
Theoph. Cyrill.
Theophylactus *in c.13. in Ioann.* Imò D. Cyrillus lib.1. de recta in Chriſtum Dominum fide. *Illud Verbum*, ait, *quod inexplicabili modo ſupra omnem humanæ mentis captum eluxit, ex Deo Patre in humanam naturam deſcendens, & in id, quod non erat, ſe dimittens, ex muliere quoque naſci dignatum eſt: non quòd in ea exinanitione perſeueret; ſed vt Deum ſe eſſe oſtendat, atque in naturæ noſtræ forma in terris appareat.* Vbi notandum eſt quòd

Diuinitas in humilitate fulget.

ex muliere naſcens Deum ſe eſſe oſtendit. In nullo alio magis, quàm in humilitate, & exinanitione diuinitatis ſplendor fulget, atque irradiat. Secundò. In huius capitis initio de diuinitate, ac Verbi proceſſione Euangeliſta tractauit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum*; eius tamen gloriam non enuntiat, niſi poſtquam dixerat: *Verbum caro factum eſt*. Quare non priùs glorioſè viſum? Antea Verbum erat in ſinu Patris, at ex quo hominibus, vt eos viuificaret, aſſociatur, tunc glorioſè, vt Verbum Patris, eis apparuit.

QVÆSTIO LXIII.

Quomodo dicatur, quòd homines mortales gloriam eius viderint?

158. Exod 33.

CVM ſcriptum ſit Exod. 33. num. 20. *Non videbit me homo, & viuet*; quomodo hîc ait: *Vidimus gloriam eius*? Reſpondeo primò, quòd in citato Exodi loco ſermo eſt de gloria Dei in ſe: in hoc verò textu de gloria Dei per miracula egit Ioannes; de quo in expoſitione. Secundò. In Exodo erat gloria Domini, hîc autem eſt gloria Patris; *Quaſi vnigeniti à Patre*. At gloria Domini opprimit ſpeculantem? Patris verò lætificat intuentem, ac omne perículoſum expellit.

S. Bernard.

D. Bernardus ſerm. 61. in Cantic. *Totum benignum & paternum, quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria iſta, totis licèt viribus intendentem in ſe; ego potiùs imprimar illi. Etenim reuelata facie ſpeculantes, in eandẽ imaginem trãsformamur à claritate in claritatem.* Vbi enim fuit gloria Patris, ſtatim apparuit ſuauitas, & benignitas. Nomen Patris nihil moleſtum admittit.

Vbi quid paternum, ibi benignitas.

Irenæus.

Tertiò. Satis argutam rationem excogitauit D. Irenæus *lib. 5. in hæreſ.* quare Dominus manifeſtauerit gloriam ſuam, his verbis. *Præteritis temporibus dicebatur quidem ſecundùm imaginem Dei factum eſſe hominem, non autem oſtendebatur: adhuc enim inuiſibile erat Verbum, cuius ſecundùm imaginem homo fuerat: propter hoc autem, & ſimilitudinem facilè amiſit. Quando autem caro factum eſt, vtraque conformauit, & imaginem veram oſtendit, ipſe hoc fiens, quod erat imago eius, & ſimilitudinem firmans reſtituit.* Licèt homo ſe antea crederet ad ſimilitudinem Dei creatum, quandiu tamen ſe ad imaginem Dei factum non videbat, parui ſe ipſum pendebat. At vbi Deus humana indutus carne ei ſimilis apparuit, neceſſe fuit magni ſe æſtimare, & ſuam ducere imaginem. Tantum viſus noſtram mentem mouet, & rapit.

Homo cum ſe videat ad imaginẽ Dei factum, magni ſe faciat.

159. Theod.

Quartò Theodoretus *dialogo 3. de impaſſibili Dei natura*, ex D. Irenæo, *Quemadmodum*, ait, *fuit homo vt tentaretur, ita Verbum vt glorificaretur, & quieſcebat quidem Verbum, dum tentaretur, & crucifigeretur, & mortem obiret; homini autem aderat; dum vinceret, ſuſtineret, ſe benignum, humanúmque præſtaret, reſurgeret, & in cœlos aſcenderet.* Erat in Chriſto D. Verbum, & homo: Verbum vt glorificaretur, homo vt pateretur. Quando aderat tentatio, inſtabant flagella, crucis, ac mortis dolores, homo manifeſtabatur, Verbum quieſcebat, ſeu abſcondebatur. Quando ergo Verbum monſtrabatur? Quando glorioſè vincebat, ac triumphabat? *Cùm ſe benignum, humanúmque præſtaret.* Dũ pietas, ac benignitas prodibant, tunc ipſa diuinitas manifeſtabatur; non in rigore, non in flagellis, ſed in clementia, ac humanitate magis, ac magis ipſa diuinitas declarabatur.

Non rigor, ſed elementia diuinitatis ſignum.

Vexat Moyſes Ægyptum plagis, & ex Dei mandato. *Extendit manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operuerúntque terram Ægypti, fecerunt Magi ſimiliter incantationibus ſuis*, Exod. 8. n 6. Moleſtatus Pharao petiit à Moyſe, vt pro ipſo ad Deum preces fundat, ac ranarum multitudinem à terra, ac regno ſuo auertat, quod faciens Moyſes, liberatus eſt Ægyptus à tanta oppreſſione. 160. Exod. 8.

Sed ſicut Pharaonis venefici ſæuientem plagam induxerunt, cur ſimiliter eam non remouent, ac excludunt. Perniciem, ac deuaſtitatem inferre in Ægyptum datur Moyſi, & hoc etiam venefici valent æmulare, nam cùm hoc eſſet humiles affligere, quid hominis videbatur; ac magnifica manu plagam amouere, omnibus benefacere, cunctis indulgere, animantiaque ſanare, quædam aſſiſtentis diuinitatis nota, & ideo pro differentia Diaboli miniſtrorum, hoc Moyſi peculiariter datur, qui vice-Deus conſtitutus erat.

Pro diſcrimine habẽt Dei miniſtri à Diaboli ſatellitio, vt cunctis benefaciant.

Theodoretus quæſt. 18. in Exod. *Quare*, ait, *Deus conceſſit incantatoribus, vt quædam facerent, quæ Moyſes faciebat? vt pateſieret diſcrimen: mutabant enim aquam in ſanguinem, ſed aquam in priſtinam naturam reducere non poterant. Ranas quoque produxerunt, non tamen ab illis potuerunt liberare domos Ægyptiorum: conceſſit itaque Deus incantatoribus, vt hæc facere poſſent, vt Ægyptios caſtigarent; non tamen dedit illis, vt vltionem ſedarent.* Nota illa verba, *vt pateſieret diſcrimen.* Hoc enim intercedit inter Dei & diaboli miniſtros, quòd hi nihil aliud ſciunt, niſi affligere, & vexare; illorum auteſt eſt perdita reſtaurare, ac indulgentiam elargiri. Theod.

Quæres; quare, dum gloria Moyſis apparuit, neceſſe fuit faciem velare, vt filij Iſraël in eum intenderent, *Exod. 34. num. 33.* at gloria Chriſti Domini viſa eſt reuelata facie, vt ait Paulus 2. *Corinth. 3. n. 18.* Reſpondeo magnum eſſe diſcrimen inter gloriam Moyſis, & Chriſti. nam illa erat ſerui; hæc verò Domini; & ideo gloria Moyſis non potuit ſe manifeſtare, niſi cum aliorum nocumento, ac proinde appoſitum fuit velamen ne eorum oculi offenderentur. At ſplendor Chriſti erat gloria Domini, quæ non damnum, ſed remedium, ac ſanitatem ſui manifeſtatione afferebat. 161.

Quidquid ſerui, offendit: quidquid domini recreat.

August.

Vnde ait Auguſtinus tract. 2. in Ioan. *Verbum caro factum eſt, ipſa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis noſtri, & poſſemus videre maieſtatem eius.*

QVÆSTIO LXIV.

Quomodo gloria Chriſti fuerit viſa vt vnigeniti à Patre?

ET vnde viſa eſt gloria Chriſti quaſi vnigeniti à Patre? Nonne alij apparuerunt in gloria, vt Moyſes, & Elias, *Matth. 17.* Tamen gloria Chriſti, vnde vt vnigeniti? Reſpondeo primò. In eo, quòd ait, *plenum gratiæ, & veritatis*; vbi enim non ſolùm plenitudo gratiarum, ſed etiam veritatum omnium inueniebatur, neceſſe erat, vt diuinitas radiaret, ac pateſieret. 162.

Cyrill.

D. Cyrillus lib. 1. cap. 17. *Vidimus enim*, ait, *gloriam Chriſti adeo ſublimiorem creaturarum glorijs, vt mentis quiſque compos, nulli alij quàm vnigeniti Dei Filio conuenire illam fateretur: plenus enim erat veritate, & gratia.* Ita S. Pater. Vbi proſequitur, quòd alij Sancti apparuerunt in gloria: at Chriſtus Dominus, vt plenus gratia & veritate; & vbi ſumma veritas euulgabatur; non potuit non reſplendere diuinitas.

Vbi ſumma veritas, ibi diuinitas radiat.

Chryſoſt.

Secundò. Quamquam Moyſes, & Elias in gloria fuerint viſi; tamen gloria Chriſti fuit vt vnigeniti Filij Dei, cuius excellentiam agnoſcit Chryſoſtomus *homil. 11.* his verbis. *Neque enim miraculorum gratia Chriſtum dumtaxat admiramur, ſed & paſſionis, vt cùm affixus ſit Cruci, flagellis, & alapis cæſus, & inſputus ab his, de quibus tam bene merebatur: ſiquidem in his ipſis, quæ opprobrij, & ignominiæ plena eſſe videbantur, ipſum rurſus Verbum clariſſimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit. Non enim charitatis ſolùm, & amoris fuerat, ſed etiam immenſæ virtutis*; Crux, humilitas, & paſſio claritatem, ac virtutem ſuper cæteros oſtendebant.

Crux, & paſſio Chriſti gloriam eius ſuper cæteros oſtendebant.

Tertiò, inde gloria Chriſti, vt vnigeniti videbatur, quia ex eo quòd ipſe gratia & veritate plenus eſſet, aliis ſine ſui diminutione largiebatur: & ideo poſtea ſubdit Euangeliſta, num. 18. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

Cyrill.

D. Cyrillus lib. 1. cap. 20. *Illud etiam*, ait, *non prætermittendum, quia plenum, id eſt, perfectum in omnibus filium eſſe affirmans, tantum abeſſe, ne cuiuſque rei egeat, oſtendit, vt omnibus nunquam ipſe deficiens, abundè largiatur, & tamen plenitudinem ſuam eandem, atque immutatam ſemper conſeruet.*

Sola diuina bona non deminuuntur.

QVÆSTIO LXV.

Quomodo ait Euangeliſta, plenum gratiâ, & veritate?

163.

RESPONDEO. Vt demonſtraret Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem; nam gratia humanitatem, veritas diuinitatem manifeſtabat.

Fulgent.

D. Fulgentius lib. 5. ad Thraſymundum Regem, cap. 3. *Plenum igitur*, ait, *gratiæ, & veritatis Euangeliſta cognouit, quem vnum, eundémque verum hominem gratia veræ Incarnationis oſtenderet, & verum Deum vnigenitum à Patre natiuitatis æternæ veritas declararet.* Mira elegantia! S. Pater inter magnalia gratiæ, & veritatis Chriſti Domini fecit diuiſionem, vt gratia hominem, veritas Deum indicaret; adeò enim præclara eſt veritas, vt quædam quodammodo Deitatis notio ſit.

Veritas notio Deitatis.

164.

Sed quare dum Euangeliſta totus eſt in euulgandis Chriſti Domini donis, priùs de gratia mentionem facit, & ſecundo loco de veritate: *plenum gratiæ, & veritatis*? Reſpondeo, quòd gratia temporales excludit affectus, & vbi primùm hi abiiciuntur, ſtatim adeſt veritatis plenitudo; qui enim à temporalibus abſtinet, illiſque animum claudit, veritate, ac cœleſtibus donis plenus inuenitur. Secundò. Quidquid in mundo mendax, & falſum conſiſtit; vt ergo animus veritatem capiat, neceſſe eſt, vt cœleſti gratia impinguetur.

Vbi terreni deſunt affectus, ibi veritas.

CAP. II.

De Generatione temporali Ieſu Chriſti.

Matthæi 1. *n.* 1. Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.

VERSIONES.

Arabicus, Perſicus.	Genealogia Ieſu Chriſti.
Tertull. lib. de carne Chriſti.	Liber generaturæ Ieſu Chriſti.
Abulenſ. quæſt. 1. in Matthæũ. Salmeron ex radice Hebraica.	Liber actorum, ſeu operationum Ieſu Chriſti.
Maldon. ex Græco originali.	Liber generationum Ieſu Chriſti.

EXPOSITIO. I.

Dictionis, *Liber.*

SANCTVS Matthæus à generatoine Ieſu Chriſti ſuum initiauit Euangelium: ſcripſit enim Hieroſolymis, rogantibus fratribus Hebræis conuerſis, vt latè dixi in procemio *cap. 3.* & ideo, vt ibi notaui ex Chryſoſtomo, à generatione Chriſti incepit, vt ſic oſtenderet ipſum eſſe progenitum ab Abrahamo, & verum Meſſiam: & quia nihil gratius Hebræis eſſe poterat, quàm quòd Chriſtus ex eorum genere deſcenderet. Vide citatum locum. Dicitur autem initium iſtius capitis, totiúſque Euangelij, *Liber generationis*; id eſt, Catalogus, ac narratio progenitorum Chriſti, *liber* enim aliquando ſumitur pro breui ſcriptura, *Hieremiæ 32. num. 14.* vbi agitur de inſtrumento emptæ poſſeſſionis. 1.

Hæc oratio, *Liber generationis*, alicui videbitur imperfecta; ponitur enim nominatiuus ſine verbo; ſed talis non eſt, vt obſeruant D. Paſchaſius, D. Thomas *hîc*. Matthæus Euangelium Hebræis conſcripſit; & ideo in ſcribendo Iudæorum morem ſeruauit. Eſt autem apud eos conſuetum, ita loqui; ſicut cùm dicitur, *Viſio Iſaiæ*; ſubauditur, hæc eſt; nec tamen oportet apponere; ita hîc cùm dicitur, *Liber generationis*, ſubauditur, hic eſt. Ita S. Thomas. voluit enim Euangeliſta in docendo, ac ſcribendo retinere conſuetudinem eorum, ad quos rogatus, vt faciliùs perciperent, ſuum componebat Euangelium. 2. Paſchaſ. D. Thom.

***

QVÆSTIO I.

Quare Euangelium hîc à Matthæo dicatur Liber?

3. CVM S. Matthæus antiquum Hebræorum morem in ſuis ſcriptis maximè obſeruare intendiſſet, vt dixit in expoſitione, & dicam quæſtione ſequenti; quare ſuum hoc Euangelium ab eo non intitulatur, Viſio, vel Sermo, ſicut Prophetarum volumina dicuntur. *Viſio, quam vidit Iſaias. Verbum Domini, quod factum eſt ad Ioël?* Hanc quæſtionem proponit Theophylactus, & reſpondet his verbis. *Quæris*, ait, *vt diſcas; quare? Prophetæ loquebantur ad duros corde, & inobedientes, & ideo dicebant: Diuina eſt viſio, & ſermo eſt ex Deo, vt timeret populus, & non contemneret dicta: Matthæus autem ſermonem habebat ad credulos, gratos, & obedientes, & propterea nihil tale prædixit, quale Prophetæ.* Prophetæ cùm haberent ſermonem cum inimicis, ac obſtinatis, neceſſe erat, ex Dei manifeſtatione, ac apparitione auctoritatem conciliare: at Matthæus, cùm verba faciat ad obedientes, quibus quilibet minimus nutus ſufficit, ac ad amicos, & fideles, ſat eſt veritatem ſimpliciter narrare. Vide *cap.* 1. *quæſt.* 5. Aliam rationem inculcat Theophylactus. *Poſſem autem & aliud dicere, quòd Prophetæ mente videbant ea, quæ dicebant, Spiritu ſancto apparitionem faciente, & propterea Viſiones vocabant. Matthæus autem non mentaliter, & per apparitionem Chriſtum vidit, ſed corporaliter; & ideo non ait:* Viſio, *ſed* Liber. Quæ ratio etiam verè ſubſiſtit, quia licèt ex diuina reuelatione, vt de natiuitate Chriſti, multa acceperit Matthæus, quæ ipſe non vidit; tamen quàm pluries ipſe corporaliter interfuit, ideóque *librum* appellat Euuangelium ſuum.

Theophyl.

Ad inimicos requiritur auctoritas, ad amicos veritas ſufficit.

Theoph.

4. Tertiò. Vera ſolutio mihi eſt. Quia D. Matthæus voluit retinere antiquum morem Scripturæ, quæ quamuis Spiritu ſancto dictante compoſita ſit, quando tamen de alicuius vita, geſtiſque agitur, *liber* dicitur, vt *liber Ioſue, Regum, Machabæorum.* Et quia de mirabilibus Chriſti operibus tractabatur, ideo Matthæus antiquum Scripturæ morem imitatur. Quartò. Dicitur *liber* hoc Euangelium, ratione Chriſti Domini, de cuius vita, atque operibus hîc agitur: nam ipſe *liber* dicitur, vt tenet D. Hilarius *præfatione in* 1. *Pſalm.* Et hic eſt liber, qui apparet in Apocal. *cap.* 5. *n.* 1. ſignatus ſigillis ſeptem, vt ibi explicat Viegas *ſect.* 1. *à num.* 8. Hic autem liber apertus eſt in Cruce, vt omnium virtutum exempla in eo legerentur. Abac. 2. n. 2. *Scribe librum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat, qui legerit eum.* Chaldæus tranſtulit. *Scribe prophetiam, & explana eã in libro.* In hoc enim libro æternus Pater ſcripſit omnium virtutum magnalia, iuxta Iſaiam 8. n. 1. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis.* Quintò dicitur *liber*, ratione B. Virginis, de qua citatum locum Iſaiæ explicat D. Antoninus 4. part. tit. 15. §. 1. *Librum grandem*, ait, *eſſe B. Virginem, quia continuit in ſe diuinam ſapientiam incarnatam.* Et D. Ambroſius *in cap.* 7. *Luc.* ait, *quòd Spiritus ſanctus Beatiſſimam Virginem adumbrans, in ea tanquam mundiſſimo volumine carnem Filij Dei ſcripſerit.* Eſt *liber*, quia in ſe diuinam continuit ſapientiam, atque omnium in ea virtutum characteres ſunt exarati, omniaque mirabilia Dei leguntur.

Vera ſolutio.

Hilar.
Apoc. 5.
Viegas.

Chriſtus liber extenſus in cruce.
Abac. 2.
Chaldæus.

Iſai. 8.

Anton.

Ambr.

B. Virgo liber omnium virtutum.

5. Quartò, vt moraliter etiam dicamus, ſacri Scriptores, ac magiſtri ſeſe multoties communi omnium voci, & locutioni accommodant; hîc ſcribuntur Reges, Principes, ac Duces, ideo hoc breue compendium, ac epilogus, *liber* dicitur; ſolent enim, quæ Principum, atque magnatum parua, ac minima ſunt, magnis, præclariſque titulis ab hominibus inſigniri; & ideo conſuetudo inoleuit, vt minutus Regum catalogus, *liber* dicatur. *Hic eſt liber generationis Adam*, Geneſ. 5. num. 1. & decem tantùm Patriarchæ recenſentur: at verò *Exod.* 1. *n.* 1. ita habet textus. *Hæc ſunt nomina filiorum Iſraël, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum ſeptuaginta de femore Iacob.* Cur in Geneſi illa ſeries appellatur *liber*, hîc verò in multo maiori numero prætermittitur? Illi decem numerabantur, tanquam totius orbis Principes, ac Domini, vt notant D. Chryſoſtomus *homil.* 21. *in Geneſ.* & Philo Hebræus *lib. de Abrahamo*, & patet ex ipſo textu *ibi*; & ideo eorum breuis ſcriptura ſplendidè *liber* dicitur. In Exodo verò ſub dura captiuitate, & afflictione opprimebantur omnes, & ideo ſine vllo titulo, ac libri ornatu recenſentur. Ait Regina Saba ad Salomonem. *Beati viri tui, & Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper*, 3. Reg. 10. n. 8. Imò D. Paulus, cùm ſe eſſe iudicandum à præfecto Agrippa, ait. *Æſtimo me beatum apud te, cùm ſim defenſurus me hodie*, Actor. 26. num. 2. Syriacus tranſtulit. *Puto ego de meipſo, quòd beatus ſim, qui coram te hodie ego depono ſpiritum.* Sed quomodo in curia Regum dicitur beatitudo; hæc enim ſummam ſine vllo termino fœlicitatem, quæ in hac vita non eſt, importat? Quia Regum celſitudo ita extollitur, vt eorum proſperitas, quamuis maximè abbreuiata, multíſque implicata calamitatibus ſit ab omnibus expedita, decantetur. Caſſiodorus 10. variar. cap. 19. *Vobis glorioſi Principes, cùm ſitis abſolutè mirabiles, aliquid tamen additur, cùm vos omnia regna venerantur.* Conſuetudo erat apud Perſas Regi vitam ſempiternam dicere, per modum imperatiuum, quem modum retinuit Caniel. *Rex in æternum viue*, Daniel. 6. num. 21. vt notat ibi Theodoretus, qui ait, quòd *plures in ſuis ſcripturis Reges ſempiternos appellare cõſueuere.* Sed quid magis certum, quàm, dies hominis pauci? Sed cùm eſſent dies Regis, quamuis pauci, vt æterni celebrantur.

Regum minima magna dicuntur.

Gen. 5.

Exod. 1.

Chryſoſt.
Philo.

3. Reg. 10.

Act. 26.

Syriacus.

Caſſiod.

Daniel 6.
Theodor.

QVÆSTIO II.

Qare in hac generatione ponatur titulus?

6. IOANNES Euangeliſta eructando æterni Verbi generationem, titulum ſuppreſſit: & Lucas *c.* 3. temporalem enarrando, omnem prætermiſit; at Matthæus cur hîc præfixit titulum, *Liber generationis?* Reſpondeo primò, quòd Matthæus in præſenti tractabat de excellentiis Virginis Mariæ, quæ in illo cõtinentur: *De qua natus eſt Ieſus*; ideo Spiritus ſanctus diſpoſuit, vt hoc ornatu, ac titulo maximo componeretur: illud enim, quod magni æſtimatur, magno apparatu, atque artificio fabricatur, ac exornatur. Talia ſunt Deo, quæ ad Virginem ſpectant: ideoque hîc omnis decor, ac honeſtas apponitur; & hac de cauſa, Spiritu ſancto dictante inter omnes Euangeliſtas primò à Matthæo ſcribitur generatio temporalis Chriſti, quæ erat ex Virgine, quia de illa, tanquam de pretioſiſſimo ſtemmate Chiſtus Dominus gloriabatur. Reſpondeo ſecundò, quòd initium Euangelij Matthæi eſt principium totius noui Teſtamenti, Matthæus enim ſcripſit primò ante omnes, vt dixit *cap.* 1. *quæſt.* 5. Sicut ergo vetus Teſtamentum inchoatur, *In principio*, & dicitur *liber Geneſis*, liber generationis; ita conueniens fuit, vt nouum inciperet Teſtamentum, vt eleganter notat Paſchaſius Abbas *hîc. Liber principij*, inquit, *veteris Teſtamenti, Geneſeos denique ex initio voluminis appellatur; quia in eo ſecundùm noſtram interpretationem ſcriptum legimus, liber generationis Adæ*, Gen. 5. n. 1. *& illud: Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ*, Gen. 2. num. 4. *Ex quo conſtat, quocumque tamen modo, ex eo quòd in primordio ibidem generatio cæli, ac terræ inſcribitur, quia inde Geneſis appellatur, Et ideo dignum profectò fuit noui Teſtamenti initium, quantum poſſibile erat ſimili modo præſignari, vt eiuſdem noui, ac veteris Teſtamenti vnum Deum auctorem taliter promulgando, Euangeliſta demonſtraret.* Hæc Paſchaſius. Vt ex dicendi methodo idem auctor colligeretur: loquendi enim modus, ac ſtylus agendi perſonam maximè indicat. Vide *cap.* 1. *q.* 3.

Deus gloriatur de Virgine Matre.

Paſchaſ.

Ex medio loquendi idem auctor colligitur.

7. Geneſ. cap. 1. num. 3. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Duplicem habeo ponderationem ad hoſtrum intentum. Et quare in exordio Scripturæ apparet Spiritus in aqua? Opus ibi agebatur de creationis totius vniuerſi, quod peculiariter omnipotenti Patri adſcribitur; cur ergo non Pater, ſed Spiritus ſanctus adiungitur aquis? Tota antiqua Scriptura legis gratiæ figura extitit; & ſicut totum nouum Teſtamentum, & lex gratiæ in Spiritu ſancto per Baptiſmum ſuum habet initium, ita & vetus debuit inchoari in ſpiritu, & aquis, vt ex vtriuſque correſpondentia, conuenientiáque idem auctor colligatur Deus. Tertullianus lib. 1. de Baptiſmo cap. 4. *Satis eſt ea percepiſſe, in quibus ratio Baptiſmi recognoſcitur, primam illam, quæ iam tunc etiam ipſo habitu prænotabatur, ad Baptiſmi figuram, Dei ſpiritum, qui ab initio ſuperuectabatur ſuper aquas, intinctos reformaturum in lege gratiæ* Matthæi 3. *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem, ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Ecce in primordio totius orbis aquæ inueniunt ſuper ſe diuinum Spiritum; ſimiliter ei ſeruiunt dum Chriſtus baptizatur, & corporali ſpecie, dum in lege gratiæ viſibiliter conſpicitur. Sed ſemper ad aquas, & non ad alia elementa, nec ad aliam creaturam primò ſe exhibet, vt ſic ex modo, & ſede, vtriuſque paginæ videtur Dominus. Idem Tertullianus lib. 4. de Baptiſmo: *Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata, & benedicta corpora libens à Patre deſcendit ſuper Baptiſmi aquas, tamquam priſtinam ſedem recognoſcens requieſcit.*

Geneſ. 1.

Tertull.
Baptiſmi vis.

Matth. 3.

Tertull.
Quæ antiqua habenda.

EXPOSITIO II.

Dictionis, *generationis?*

8. CVM hæc periodus generationis Chriſti ſit admodum breuis, totum Matthæi Euangelium dicitur illius liber. Miſſis multis, tripliciter exponi poteſt. Primò. Ex D. Hieronymo *in prolog. galeato.* quem ferè ſequuntur D. Anſelm. D. Thom. *hîc*, Lyranus, Abulenſis *q.* 1. quòd iuxta morem Hebræorum variis modis denominabantur libri. Primò ab exordio, ac verbo, quod eſt in initio, vt patet in quinque libris Moyſi. Primus dicitur *Geneſis*, ideſt, *à principio*, ſecundus *Exodus*, ideſt, *Hæc ſunt nomina.* Appellatur liber ſecundò à materia in eo contenta, vt, *Liber Ioſue, Liber Iudicum, Regum.* Tertiò, inſcribitur liber ab auctore, vt videre eſt in prophetis, vt dicitur *Liber Iſaiæ, Hieremiæ,* &c. Secunda, & mihi accommodatior expoſitio Abulenſis citati, Maldonati, & aliorum, quòd generatio, præcipuè ſecundùm vim Hebraicam, non ſolùm ſignificat primam rei exiſtentiam, qua de non eſſe exiit ad eſſe, ſed totam ſubſtantiam totúmque curſum vitæ. Gen. 6, num. 6. *Noë vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* Vbi *generatio* idem valet, vt explicant Eucherius, S. Ambroſius, ac tota vita. Idem ergo eſt liber generationis Ieſus Chriſti, ac liber vitæ, ſeu operationum Chriſti. Tertiam expoſitionem dabo ex Chryſoſtomo *quæſt.* 6.

Hieron.
Anſelm.
S Thom.
Lyran.
Abulenſ.

Abulenſ.
Maldon.

Geneſ. 5.

Eucherius.
Ambroſ.

9. Cùm autem textus Græcus habeat, *Liber generationum*; ideo aliqui hoc referunt ad multas progenies, quæ hîc deſcribuntur. Alij, vt Dionyſius Carthuſianus, Albertus Magnus intendunt, Chriſti generationem hîc ſumi actiuè, & paſſiuè: actiuè, à quibus genitus eſt Saluator; paſſiuè, pro his ſcilicet, qui ſpiritualiter nati ſunt ab eo, Sed ſine dubio dicendum eſt cum D. Hieronymo, Paſchaſio, S. Thoma, quòd tantum vnius generatio hîc quæritur, ſcilicet Chriſti Domini. Et hoc tantùm intendit Matthæus, & ſæpe plurale ponitur pro ſingulari.

Carthuſ.
Albert. Mag.

Hieron.
Paſchaſ.
S. Thom.

QVÆSTIO III.

Quomodo narretur hîc Chriſti generatio quæ dicitur inenarrabilis?

10. CHRITTI generationem, quæ eſt inenarrabilis, vt teſtatur Iſaias 53. n. 8. *De anguſtia, & iudicio ſublatus eſt. Generationem eius quis enarrabit, quia abſciſſus eſt de terra viuentium?* cut hîc Euangeliſta narrare intendit? Reſpondenr D. Hieronymus *hîc*, D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſ. Euang. cap.* 1. noſter Cyrillus Hieroſ. *in* 2. *Catech.* Chryſoſtomus, Theophylactus, D. Thomas, & alij, prænunciatum Prophetæ de generatione ſecundùm diuinitatem exponendum. Matthæus verò generationem temporalem tantùm expendit. Si obiicias, Ioannem in exordio Euangelij ſui generationem ſecundùm diuinam enarraſſe naturam, poterit aliquis reſpondere, Prophetam agere de prefecta diuinæ generationis recitatione, quæ humanis verbis eſt impoſſibilis. Ioannem autem imperfectè, atque tenuiter eam expoſuiſſe, quantum verbis conſequi poteſt. Sed modò eſt dubitatio, quia humana etiam generatio perfectè narrabilis non eſt verbis humanis, cùm à ſæculis abſconditum comprehendat myſterium, Chriſtum Dominum ex Maria Virgine de Spiritu ſancto eſſe conceptum; ad quod nulla humana ratio attingere poteſt. Et ideo dictum Prophetæ: *Generationem eius quis enarrabit?*

Iſai. 53.

Hieron.
Auguſt.
Cyrillus.
Chryſoſt.
Theophyl.
S. Thom.

S. Leo. Epiphan. Bernard. Iuſt. Mart. Lactant. Carthuſ. Paſchaſ. Auguſt. Hieron.

de temporali intelligunt S. Leo Papa *ſerm. 5. de natiuitate*, D. Epiphanius *contra Theodoſianos*, D. Bernardus *ſerm. 1. de vigilia natiuitatis*, Iuſtinus Martyr *in dialogo contra Tryphonem*, Lactantius *lib. 4. cap. 18.* D. Dionyſius Carthuſianus, D. Paſchaſius *hîc*. Et de vtraque generatione tam diuina, quàm humana, D. Auguſtinus *lib. 1. de ſymbolo ad Catechum. cap. 3.* & D. Hieronymus.

11. Dicendum eſt igitur, quòd vtraque generatio humanis viribus eſt inexplicabilis; vtraque verò Dei auxilio, ac ſupernaturali lumine enarrabilis, non comprehenſiuè, quia hoc ad Deum ſolum pertinet, ſed aliqua ex parte, quantum fas eſt homini loqui. Vnde rectè dicit D. Paſchaſius, *Modus ille loquendi*, quis enarrabit? *non impoſſibilitatem, ſed raritatem narrandi oſtendit, ſicut & in alijs Scripturæ locis legitur:* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? *Pſalm. 41. Et*, Quis aſcendet in montem Domini? Aut quis ſtabit in monte ſancto eius? *Non quòd nullus habitabit, aut aſcendet; ſed quòd rarus, & diuina gratia electus.* Sed, quod homo naturalibus viribus non attingit, Dei gratia conſequitur.

Paſchaſ.

Vtraque generatio naturæ viribus inexplicabilis.

Qvæstio IV.

An agere de genealogijs ſit contra Apoſtolum?

12. Qvare hîc Euangeliſta Chriſti genealogiam tam accuratè expendit, cùm Apoſtolus ab huiuſmodi ſtudio videatur nos maximè absterrere, 2. ad Timoth. 2. n. 4. *Vt denunciares*, ait, *quibuſdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis.* Et ad Titum 3. n. 9. *Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita?* Reſpondetur, quòd cōtexere genealogias illuſtrium virorum in Scriptura eſt maximè vſitatum. Ad locum Pauli variæ ſunt expoſitiones. Quidam dicunt, quòd Apoſtolus ſtudium damnabat Hebræorum, qui varias fabulas antiquis genealogiis inſerebant. Alij dicunt, repudiare quoſdam Gentiles, qui genus ſuum ad Iouem, alioſque Deos reducebant. Optimè verò Rupertus ait: *Studium genealogiarū, dum vigeret lex Moyſis, aliquo modo vtile: at verò abrogata lege, & iam exhibito Meſſia, genealogiæ inutiles ſunt, nimirum ſine fine, quia aduentu Meſſiæ abolita eſt lex, ceſſauit tribuum hæreditas, & leges progenitorum euacuatæ ſunt.* Reſpondeo. Et vide quantum valeat intentio in opere. Venerari genealogias ob vanitatem, & elationem ſuper cæteros, reprobat Apoſtolus; genealogias inueſtigare ad veritatem aperiendam, & ad manifeſtandum vniuſcuiuſque ius in ſucceſſionem, vt intendit Matthæus, ad oſtendendum Chriſtum ex Abrahamo eſſe natum, res ſancta, & laudabilis. Vnde in eodem opere poteſt eſſe vitium, vel virtus, prout à diuerſa intentione, ac voluntate regitur, atque dirigitur.

2. Tim. 1. Titum 3. Rupert.

Intentio variat opus.

13. Gen. 35. De Iacob dicitur Geneſ. 35. n. 4. *Dederuntque ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas ſuper therebinthum.* Seu, vt explicant *ibi* D. Chryſoſtomus, Caietanus & alij. *Abſcondit eas.* Deuter. 27. n. 15. *Maledictus homo, qui facit ſculptile, & conflatile, abominationem Domini, ponetque illud in abſcondito.* Vbi in maledictionē incurrit, non ſolùm qui facit, ſed etiam qui abſcondit idolum. Quomodo ergo laudatur Iacob, benedictionémque conſequitur pro opere in lege ita deteſtato? Abſcondere idola ad ea perdenda, & conculcanda, vtque perpetuæ tradantur obliuioni, maximè laudabile. Abſcondere verò idola, vt ab oculis hominum ſint ſemota, vt tamen inſpecto loco memoriâ teneantur, vt venerentur, valde deteſtabile. D. Nilus in Aſcet. *Contraria videntur*, ait, *abſcondere Deos in Sichimis, & ponere idola in abſcondito. Illud enim laudabile eſt, hoc vitioſum, & execrandum. Neque enim idem eſt in terra defodere in perpetuum, & in abſcondito ponere: nam quod in terra defoſſum eſt, & à ſenſu remotum, tempore ipſo deletur etiam ex memoria. At quod in abſcondito poſitum eſt, eos fortaſſe, qui foris ſunt, latet; ſed cùm ab eo, qui poſuit, aſſiduè cernatur, memoriam ſui renouat, & circumfert. Abſcondere* ergo iuxta mentis cogitatum bonitatem, vel malitiā inducit.

Chryſoſt. Caiet. Deut. 27. Nilus.

Qvæstio V.

Quare non dicatur, liber actorum Chriſti, ſed generationis?

Reſpondeo primò, quòd generatio, iuxta vim Hebraicam, ſignificat geſta, ac facta alicuius, vt iam dixi in expoſitione. Secundò. Quòd diuino conſilio dictum eſt à noſtro interprete, *Liber generationis*; nam progenies vniuſcuiuſque, eius operationes ſunt, ita vt quilibet earum filius appellari poſſit. Tertiò. In operationibus reſplenduit poteſtas, quam à Patre habuit, faciendi miracula, inſtituendi Sacramenta, dimittendi peccata, in generatione verò humana id, quod à Matre accepit, maximè apparet. Et Dominus meus Ieſus Chriſtus de eo præcipuè iactatur, quod à ſanctiſſima Matre communicatum habet. Quartò. Non dicitur hic liber, ſeu catalogus miraculorum Chriſti, ſed generationis. Nam in miraculis beneficia ſuæ largitatis nobis exhibuit; in generatione verò noſtram naturam à nobis accepit, & magnificus, ac magnanimus non confecit catalogum, ac memoriale, de his quæ donat, ſed potiùs de illis, quæ recipit. Vide *cap. 1. n. 150.* Quintò Euangeliſta oſtendere intendit Chriſtum verum eſſe Meſſiam, & ideo à generatione incipit eum verum eſſe filium Abrahæ comprobare: ac veluti à prima radice inchoans hanc veritatem declarat. Vnde eleganter ait D. Chryſoſtomus homil. 2. *Ideo ſenſim, ac paulatim diſcurrit Euangeliſta per omnia ſigna quæ prophetata erant in lege.* Similiter Cæſarienſis dialogo 1. *Orditur*, ait, *Euangeliſta diuina prædicare de Chriſto, quaſi per ſcalam aliquam ſubducens ad diuiniora noſtrum intellectum.* Vt altiſſima Chriſti myſteria explicentur, à carnali generatione incipit Euangeliſta, vt non repentè, ſed paulatim ad maiora procedat, hoc eſt enim optimi magiſtri ingenium, vt auditores ſuos gradatim inſtruat, atque ad altiora inducat. 14.

Quilibet ſuorum operum filius.

Chriſtus gloriatur à Matre.

Magnanimus recordatur de his quæ accipit, non verò de illis quæ donat.

Chryſoſt. Cæſarenſis.

Paulatim eſt eundum.

Os iuſti parturiet ſapientiam, Prouerb. 8. n. 31. Septuaginta legunt, *Os iuſti diſtillat ſapientiam.* Valde accommodatum eſt verbum ſtillandi ad prudentiam doctoris, qua alios informat, vt ibi expendit 15. Prou. 8. Septuag.

Salazar. Plutarch.

expendit Salazar; nam, vt ait Plutarchus *lib. de officio auditoris*, rudis adhuc doctrinæ ſculptor nihil differt à vaſe, cuius anguſtius, & aſtrictius eſt orificium, cui ſi totam ſimul infundas aquam, totam effudit: ſi verò guttatim inſtilles, totam recipit, & cohibet. Sic Salmeron optimi magiſtri munus exprimit, dum doctrinam paulatim effundit auditorum captui. Vatablus legit: *Os iuſti propagabit ſapientiam.* Quod pulchrè declarat doctrinæ modum; ſicut enim ex vna vite, per propagationem extentis palmitibus paulalatim plures fiunt; ſic ſapiens doctrinam ſuam blandè, ac ſuauiter in audientium animos debet traducere, *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, Cantic. 1. num. 14. Loquitur anima ſancta cum dilecto ſuo adhuc in via incipientium. Sed cur non vuam, non vinum, non maturum fructum dixit; ſed tantùm botrum, gemmulam, ſiue florem? Delectabatur ſponſa eum eo, quod tunc licebat, vt poſtea per maiora incrementa maturum fructum caperet. Origenes homil. 2. in Cantic. *In quibus*, ait, *Verbum Dei vitis vera efficitur, non eis ad ſummmm maturos botros producit, & dulces, nec repentè eis efficitur vinum ſuaue, & lætificans cor hominis, ſed prius producit in eis ſuauitatem odoris in florem. Botrus hic florens monſtratur eſſe in vineis Engaddi, vt gratiam fragrantiæ ipſius imitantur in initijs animæ, vt pòſt pati poſſint acerbitatem tentationum, quæ propter Verbum Dei credentibus excitantur, & ita demum maturitatis eius dulcedinem præbet.* Non ſubitò, ſed per inferiora ad maiora aſcendendum, & anima gaudeat priùs in botris, vt poſtea delectetur in vino optimo, & condîto in regno cœlorum.

Vatabl. Cantic. 1. Origenes.

Qvæstio VI.

Quare dicatur liber generationis, *& non* paſſionis?

16. De paſſione frequentiſſimè tractat D. Matthæus, & tamen hic libet paſſionis non dicitur. Reſpondeo primò, quòd *liber* ſæpe dicitur apud Hebræos ab eo, quod eſt in principio, vt iam notaui in expoſitione. Secundò. Myſticè reſpondent ingenioſi Prædicatores, quòd Chriſtus in paſſione ſuum nobis pretioſum donauit ſanguinem; in generatione verò noſtram à nobis naturam & ſanguinem habuit: & magnificentiſſimus Dominus illius, quod acceperat, non verò quod largitus erat, mentionem facit. Vide *cap. 1. num. 25.* Tertiò. In generatione filius Dei ad noſtram ſalutem, ac redemptionem ſe obligauit, atque adſtrinxit; ad hoc enim noſtram carnem aſſumpſit. Præclarè ergo *liber* dicitur, non paſſionis, ſed *generationis*; nam in tam magnifico Domino, ſat eſt ſe pigneratum exhibere, vt inde totum confectum intelligatur negotium. D. Chyſoſtomus *homil. 2. in Matth.* poſtquam quæſtionem mouet, ſic pulchrè ſoluit. *Cuius verò*, ait, *rei gratia librum ipſum generationis Chriſti vocat, vbi non ſola vtique generatio, ſed tota prorſus ipſius myſterij diſpenſatio continetur? Quia totius ſcilicet diſpenſationis caput, & radix, atque principium omnium nobis conſiſtit bonorum. Euangeliſta autem ab ipſo omnium fonte, & capite bonorum librum vocauit.* Generationem tantùm ſcripſit diuinus Euangeliſta, quia ab ipſa tanquam à perenni fonte omnia bona manârunt. Et idem eſt quòd Deus factus eſſet homo, ac quòd totum redemptionis opus abſolueret, & nos multis aliis beneficiis cumularet.

Dominus memorat, non quod donat, ſed quod accipit.

Chryſoſt.

Idē eſt quod Deus incipiat benefacere, ac quod perficiat.

17. Pſalm. 71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſuper terram. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis*, Pſaml. 71. num. 6. vbi Propheta loquitur de deſcenſu Chriſti, eiuſque ſanctiſſima natiuitate: & tunc ait, quòd facta ſit pax; & eſt ſermo de ſpirituali, vt vult noſter Incognitus; & Angeli hanc denuntiarunt paſtoribus: *Et in terra pax hominibus*, Sed amicitiæ fœdus inter Deum, & hominem initum eſt in Chriſti morte, quando per ſuum ſanguinem nos æterno Patri reconciliauit: quomodo hæc pax in eius natiuitate decantatur? Idem enim eſt, quòd Chriſtus noſtra carne indutus appareret, ac quòd totum eſſet abſolutum redemptionis beneficium, Deus enim in ſuis non deſtitit donis, ſed ſemper maiora communicat. Et ideo ait D. Leo *ſermone 9. de natiuitate.* Nato Chriſto iam reparatio generis humani decantatur in terra, ex vno enim beneficio Deus ad aliud pigneratur. *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo, Domine, ſecundùm verbum tuum. Bonitatam, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Pſam. 118. num. 56. Commemorat Propheta dona ſibi à Deo data, ſcilicet gratiam, miſericordiam, & filium ſapientem; ſed ſi hæc iam habet, quomodo noua poſtulat? vt meritò dubitet Auguſtinus? Reſpondet D. Remigius. *Quaſi dicat Propheta: Tu debes me docere iuſtificationes tuas: nam tu iam feciſti cum me ſeruo tuo bonitatem.* Tanquam ſi vno accepto adſit pignus ad aliud conſequendum; & ideo miſericordiam poſtulat, fac cum ſeruo tuo, quia bonitatem cum illo feciſti.

Incognit. Leo. Pſalm. 118.

Deus ex vno beneficio pigneratur ad aliud.

Auguſt. Remig.

18. Dato iuramento, præcepit Abrahamus ſeruo ſuo, vt tenderet in Meſopotamiam ad conquirendam filio ſuo vxorem è domo Patris ſui. Cui reſpondit famulus, quòd fieri poterat, vt mulier nollet venire. Tunc ait ei Abrahamus. *Dominus Deus, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus eſt mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc; ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde vxorem filio meo*, Geneſ. 24. n. 7. Vnde agnouit Abrahamus præſentiam Angeli ſeruo ſuo affuturam? Ex beneficiis antea præſtitis: ac proinde certus erat, quòd Deus, qui illi tam largam ſtipulationem de filio, ac ſemine dedit, omnia eſſet impleturus, & vxorem perſimilem daturus. D. Chryſoſt. homil. 48. in Geneſ. *Docet enim*, ait, *quantam olim ab initio Dei beneuolentiam inuenerit, & quòd ille, qui à domo patris ſui euocauerit, & vſque ad hoc tempus ita gubernauerit, ita tam prouecta ſenecta Iſaac dederit, proſpera, quæ adhuc reſtant, faciet. Bene animatus inquit ibi. Certus ſum quòd qui tantis me beneficijs hactenus proſecutus eſt, prioribus etiam illud addet, & mittet Angelum ſuum ante te.*

Geneſ. 24. Chryſoſt.

Qvæstio VII.

Quomodo deſcribatur generatio Chriſti, cùm ſit figuratus in Melchiſedech?

Evangeliſta totus eſt in aſſignanda Chriſti genealogia, cùm Apoſtolus ipſum Dominum aſſimilet Melchiſedech; *ad Hebræos 5. num. 6.* 19.

num.6. & cap.7.n.1. & 3. dicitur Melchiſedech: *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia.* Quomodo ergo figuratum non ſtat cum figura? In figura nulla eſt progenies; in figurato tam amplam inuenis? Reſpondeo. Intellige Myſterium. Melchiſedech ſecundùm ordinem naturalem patrem, & matrem habebat. Imò D.Epiphanius *hæreſ.51.* tradidit, eius patrem fuiſſe Eraclam, & matrem Aſtaroth, vel Aſteriam: dicitur autem patre, & matre carere, prout idem eſt Melchiſedech, ac rex iuſtitiæ; quia tunc nullus conſanguinitatis affectus in eo introſpiciebatur. Eodem modo Chriſtus Dominus in ordine naturali, tot quot hîc vides nomine vocatos, obtinet patres: at verò vt rex Iuſtitiæ nulla in eo viſa eſt carnis, & ſanguinis propenſio, aut inclinatio; ita vt aliquando diceret: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?*

Epiphan.

In vero Rege nullus conſanguinitatis affectus appareat.

20. De Iacob ait Scriptura: *Iſrael diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos*, Geneſ.37.n.3. Et tamen cùm moriturus benediceret filios ſuos, Iudam conſtituit Regem, & *vt adorarent eum fratres eius*, Gen.49.n.10. Si ſanctus ſenex Ioſephum ſupra cæteros diligebat, quare ſupra cæteros non honorauit? Rupertus lib.4.de oper. Spiritus ſancti, cap.16. *Quia*, inquit, *in dandis benedictionibus non ſuam, ſed Dei voluntatem debuit facere, non carnis affectum, ſed ſpiritus inſtinctum ſequi, dignum fuit.* Iſrael, non carnis, ac amoris pondere, ſed Spiritus ſancti inſtinctu ducebatur; ideoque ſceptrum tribuit, non illi, qui dilectiſſimus erat, ſed Iudæ, in quo maiora erant merita futura. De æterno Patre ait Chriſtus Dominus: *Omne iudicium dedit filio, quia filius hominis eſt*, Ioan.5. à n.22. Sed quare Pater non dedit iudicium Chriſto Domino, quia eius filius, ſed quia filius hominis? Ad noſtram eruditionem, vt ex D. Auguſt. *tract.* 20. & ex aliis in proprio loco colligam, vt oſtendat, quòd non naturæ pondere, ſed meritorum diſcretione in natura aſſumpta traditum eſt iudicium filio; vt inde ſumas exemplum, quod pro ratione meritorum, non ſanguinis, tua bona diſtribuas: nam, vt dicitur Prouerb.28.n.21. *Qui cognoſcit in iudicio faciem, non benefacit iſte, & pro buccella panis deſerit veritatem.* Ita Sapiens, vt integritas iudicis ſeruetur, faciem debet ignorare.

Geneſ.37. Geneſ.49. Rupert. Ioan.5. Auguſt. Prou. 28.

EXPOSITIO III.

Dictionis, *Ieſu Chriſti.*

21. IESVS ſanctiſſimum nomen proprium eſt, & idem ac *Saluator*; quo nomine, vt notat Rupertus *hîc*, diuinitas indicatur; proprium enim eſt Dei, ſaluare; ſicut illius eſt ſolius, peccata dimittere. *Chriſti* cognomen eſt dignitatis; Hebraicè *Meſſias* appellatur, Græcè *Chriſtus*, Latinè *vnctus* dici poteſt. Vnde, vt aduertit Beda, nomen eſt dignitatis; nam Reges, Sacerdotes, ac Prophetæ vngebantur. Reges, vt Saul 1.*Reg.*10.*num.*1. Dauid 1.*Reg.*16.*n.*13. Salomon 3.*Reg.*1.*n.*19. Sacerdotes *Exod.*29. *num.*7. *Leuit.*8.*num.*12. Prophetæ, vt Eliſæus 3.*Reg.*19. *num.*19. Dicitur ergo Chriſtus, id eſt, Meſſias promiſſus in lege, ſeu vnctus ipſa diuinitate. Iſai. 61.num.1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit me*; in Regem ſcilicet totius vniuerſi, in Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech; & in Prophetam, *Deuter.*18.*num.*15. Iſidorus *in Eccleſiaſt.offic.cap.*24.& 25. D.Irenæus *lib.3.cap.*70. D. Ambroſius *ad Hebr.cap.*1. D.Athanaſius *orat. 2. contra Arrian.* D. Damaſcenus *lib.4. de fide, cap.*20. D.Hilarius *lib.3.de Trinit.* latè proſequuntur. Nota ex Heſychio *lib.2.in Leuit.cap.*8. quòd Saluator noſter dicitur Ieſus Chriſtus; nomen *Ieſus* ſibi retinuit, & nobis nomen *Chriſtus* communicauit; vnde credentes dicti ſunt Chriſtiani, *Actor.*15.*num.*26. *Ieſus* nomen ſaluandi, & redimendi eſt, *Chriſtus* verò cognomen dignitatis, ac regiæ maieſtatis: ſibi ergo Dominus reſeruauit, quòd paſſionem, ac crucem importabat; nobis verò, id, quod ſplendorem gloriæ, ac maieſtatis innuebat, communicauit.

Rupert. Beda. Iſai.61. Iſidorus. Irenæus. Ambroſ. Athan. Damaſcen. Hilar. Heſych.

Chriſtus ſibi retinuit paſſionem, nobis communicat excellentiam.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo D.Matthæus ſuum inchoet, & terminet Euangelium.

NOSTER ſacer Scriptor in nomine Ieſu canonicam ſuam exorditur hiſtoriam, eam terminat illis verbis: *Ecce, ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, Matth.28.num.vlt. In Euangelio Chriſti regnum exprimitur, & declaratur, quod vt optimum, & præcellens duobus clauditur; ſuos redimere, quod dicit Ieſus, & eis omnibus diebus adeſſe. *Ecce ego vobiſcum ſum.* Norma optimi Regis, & Præſulis eſt, ſubditos à malis, calamitatibuſque eximere, atque eis ſemper aſſiſtere. Conſtituit Pharao Ioſephum præpoſitum, ac gubernatorem in omni imperio ſuo; & vocauit eum lingua Ægyptiaca *Saluatorem mundi. Egreſſus itaque Ioſeph ad terrã Ægypti circuiuit omnes regiones*, Gen.41.n.45. Solemne erat apud antiquos ab operibus, ac rei euentu nomen imponere; ſic à fortitudine dicitur Iacob Iſrael; Moyſes eo quòd ab aquis ſublatus ſit. Cur ergo ab interpretatione ſomnij non dicitur Ioſeph auſculator myſteriorum, ſed Saluator mundi? Cur tam ſolemnem diem non multis celebrat? Non multa concilia conuocat; ſed ſtatim circuit regiones Ægypti; Cùm totum regimen regni ad Ioſeph eſſet delatum, nihil aptius ei conueniebat, quàm quòd eſſet Saluator, ac totum regnum deambularet, vt ita pro omnium ſalute adſtaret, ac omnium vtilitati proſpiceret, & omnibus præſens adeſſet. D. Syneſius lib.de regno: *Quique vigilare, & in maximo concurſu ſolicitudinum verſari ſuſtinet, vt noctu, & interdiu ſubditi malis omnibus vacent; hic in genere quidem ouium, paſtor, in hominum verò genere, Rex eſt.* 22.

Matth. 28.

Boni Principis eſt adeſſe ſuis.

Geneſ. 41. Syneſius.

Iſaias 6.num.1. vidit Dominum in throno maieſtatis: *Seraphim ſtabant ſuper illud, Sex alæ vni, & ſex alæ alteri: & duabus velabant faciem eius, & duabus volabant.* Grauis ſuboritur quæſtio; nam in dictis videtur magna repugnantia; *ſtabant*, & *volabant*; hæc enim inter ſe cõtraria ſunt, quod enim ſtat, in vno loco immobiliter perſeuerat; quod verò volat, vnum ſpatium relinquit, & continuo corporis motu nouum acquirit. Hugo ait, quòd *Seraphim ſtant, id eſt, Prælati, ſuper Eccleſiam, ſicut excubia ad ſalutẽ populi.* In illis diuinis ſpiritibus vera ſuperiorũ ſolicitudo adũbrabatur; 23.

Iſaias 6. Hugo.

ideoque ſtant, & ſimul volant; ſtant, tanquam vigiles, & vt omnibus præſentes adſint; volant verò ad cuiuſcumque neceſſitatem, & miſeriam, in illius ſubleuamen. Hæc, vt Seneca ad Polybium explicaret, dicebat de Rege: *Omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.*

Seneca.

QVÆSTIO IX.

Quare hîc exprimatur ſolùm nomen Ieſu Chriſti, & non Filij Dei?

24. AD oſtenſionem Chriſti maximè faciebat, quòd nomen filij Dei hîc apponeretur; poterat enim ita inſcribi: *Liber generationis filij Dei Ieſu Chriſti.* Quare non? Reſpondeo primò, quòd Euangeliſta hîc tantùm naturalem Chriſti narret generationem, & ideo diuinã ſilentio premit. Secundò. In nomine filij Dei reſplendet maximè Chriſti dignitas; in nomine verò Ieſu magna eius obligatio redimendi, atque ſaluandi: potius ergo decreuit, per aſtrictiorem obligationem innoteſcere, quàm per ſummam maieſtatem, tamquam quòd illa eſſet alta mente repoſita. Tertiò. Vt notat Rupertus, in eo, quòd dicitur Ieſus, Deus eſſe aſſeritur, & Deus verus cognoſcitur, vt in expoſitione dixi, & ipſam celſitudinem filij Dei potius voluit ſaluandi operibus oſtentare, quàm ſpecioſis titulis, & nominibus filij Dei.

Obligatio menti magis affixa quàm dignitas.

Rupert.

25. Cùm Dominus inter accuſantium voces ſtetiſſet coram nefario iudice Pilato, & ab illo in multis eſſet interrogatus: *Non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehementer*, Matth.27.num.14. Valde mirum, quòd dominus ita taceret, nec ſe verum eſſe Regem, Meſſiam, ac filium Dei declaret, ne impudica blaſphemantium ora ſuorum verborum vi compeſceret; non enim ſe Regem prodit verbis, ſed operibus. D.Ambroſius lib.10.in Lucam: *Cur*, ait, *Dominus tacuerit? Illud tamen præſtantiſſimum, quòd maluit ſe Regem probare, quàm dicere.* Hic eſt enim affectus præſtantiſſimi ingenij, vt non ſpecioſis titulis, ſed magnis factis proclametur; hæc enim ſunt, quæ maximè nobilitant. In impium decretum de nece Iudæorum conceſſit Aſſuerus, & cùm ponitur exemplum epiſtolarum, dicitur: *Rex maximus Artaxerxes*, Eſther 13.n.3. Poſtea verò detecta malitia Aman, illud reuocauit, & tunc dicitur: *Rex magnus Artaxerxes*, Eſther 16. num.1. Cur in crudeli edicto maximus appellatur; dum verò iuſtè, ac rectè operatur, magnus nominatur, quod eſt quid minus, & inferius? Cùm tyrannicè agitur, præſtantiſſimus titulus profertur, vt eo perſona nobilitetur; cùm verò præclariſſimæ res geſtæ adſunt, ipſæ ad magnum ſplendorem diuulgandum ſufficiunt, & ſpecioſum nomen non deſideratur: nihil enim Principem magis oſtendit, quàm ipſamet animi virtus. D.Baſilius expendens verba Iſaiæ cap.3. *Apprehendet enim vir fratrem ſuum*, ſic ait S.Pater: *Verus Princeps, non per hæc ſigna externa internoſcitur, cuiuſmodi ſunt, purpura, torques, ſeu amiculum pertenue, & diadema; ſed per id, quod in primis obtinet, virtutem Principe dignam.*

Matth. 27.

Maieſtas operibus potius quàm titulis oſtendenda.

Ambroſ. Eſther 13. Eſther 16. Iſai.3. Baſilius.

QVÆSTIO X.

Quare priùs ponatur nomen IESV, *& poſtea* Chriſti?

DIFFICVLTAS eſt, cur primò ab Euangeliſta Ieſus, & poſtea Chriſtus nominatur, ait enim: *Liber generationis Ieſu Chriſti*, & non è contra? Reſpondeo, quòd nomen *Ieſus*, id eſt, *Saluator*, dicit merita: *Chriſtus* verò dignitatem importat: appellatur ergo primò *Ieſus*, & poſtea *Chriſtus*; quia de meritis potius, quàm de corona, & purpura Saluator noſter gloriatur. Secundò. Merita dignitatem præcedere debent, & ideo antequam nominetur Chriſtus, id eſt, Rex, nomine Ieſus, in quo noſtræ redemptionis merita demonſtrantur, inſignitur. 26.

De meritis potius quàm dignitate gloriandum.

Præcepit Deus Abrahamo, Geneſ.17. num.1. *Ambula coram me, & eſto perfectus*; ſeu, vt legunt Septuaginta, *eſto inculpabilis*; ſeu, vt Oleaſter, *eſto integer*; ; ſeu, vt D.Ambroſius, *Emerere conſpectu meo.* Sed quare ei mandatur, vt mereatur? Promittebat Deus Abrahamo ingentem generationem, ac terram Chanaan, *num.*8. in poſſeſſionem ſempiternam, per quam terra viuentium communiter intelligitur; meritò ei dicitur, vt mereatur; nam ante acquiſitionem præmij, merendum, ac inſudandum eſt. Fidem Abrahamo inhæreo, cui promiſit Deus multiplicationem generationis ſuæ, Geneſ.13. num.16. *Faciam*, ait, *ſemen tuum, ſicut puluerem terræ.* Et cap.15.num.5. idem beneficium repetendo, inquit; *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuum.* Sed quare prima comparatio abiecto pulueri fit; ſecunda micantibus ſtellis? Eleganter Hugo: *Ad ſtellas*, ait, *vſque euehuntur, qui ita ſe abijciunt, ſicut puluis.* Ac ſi dicat, quòd illi ſolum micandi dignitatem in firmamento obtinent, qui merentur, labores, & humilitates ſuſtinendo. Dum Chriſtus Dominus in cruce penderet, Patrem exorauit: *Dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*, Luc.23. num.24. Sed quare dicitur: *Non ſciunt, quid faciunt?* cùm Principes, & multi è populo ipſum agnouerint? de quo multa dicam ſuo loco. Nunc in rem præſentem, & moraliter, Iudæi Pilato efficaciter inſtabant, vt de titulo, qui in cruce erat affixus, partem deleret; *Noli ſcribere Regem Iudæorum*; relinqueret verò alteram, ſcilicet, *Ieſus Nazarenus.* Et miſeri, qui meritum, in nomine Ieſus ſignificatum, relinquentes, Regis dignitatem adimere intendebant: meritò igitur de eis dicitur: *Non ſciunt, quid faciunt.* 27.

Geneſ.17. Septuag. Oleaſter. Ambroſ. Geneſ.13. Geneſ.15. Hugo. Luc.23.

Vbi merita, ibi dignitas

EXPOSITIO. IV.

Dictionum, *filij Dauid, filij Abraham.*

CVM multi in populo hoc nomine *Ieſus* fuerint dicti, ſeu, quod verius eſt, quòd ipſi aliquam cum eo habuerint ſimilitudinem; ideo Saluatoris noſtri perſona multis ſignis determinatur; ac proinde poſtquam Euangeliſta nomine ſuo Ieſum expreſſit, addidit Chriſtum filium 28.

filium Dauid, filium Abraham. Deinde cùm ſcriberet eis, qui ex lege Chriſtum nouerant repromiſſum, voluit, quòd ipſe eſſet, qui eiſdem fuerat diu longè promiſſus, luce clarius aperire. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.* Caietanus, & Ianſenius ita legunt: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, qui Dauid fuit filius Abraham.* Sed antiqua ſanctorum Patrum ſententia Hieronymi, Chryſoſtomi *homi.* 1. D.Thom. Ruperti, & Paſchaſij, quam ſequuntur communiter Recentiores, retinenda eſt, Chriſtum ſcilicet appellari primò filium Dauidis, ſecundò Abrahami, quia de eorum ſtirpe expectabatur Meſſias, vt ſic probaret, Chriſtum verum eſſe Meſſiam.

Caiet. Ianſenius.

Hieron. Crhyſoſt. S.Thom. Rupert. Paſchaſ.

QVÆSTIO XI.

Quare Chriſtus dicatur filius Dauidis, & Abrahæ.

29. Chryſoſt.

EGREGIE reſpondet Chryſoſtomus homil. 1. *Matthæus*, ait, *accedentibus his, qui ex Iudæis Chriſto crediderant, & rogantibus, vt quæ verbo docuerat, hæc eis litteris ſeruanda dimitteret, Hebræo dicitur Euangelium ſcripſiſſe ſermone, vtpote Iudæis ſcribens, nihil amplius ſtuduit oſtendere, quàm quòd ex Abrahæ, & Dauidis Chriſtus ſtirpe deſcenderet: nihil enim magis delectare Iudæos poterat quàm Chriſtum Abrahæ, & Dauidis nepotem eſſe dicere.* Matthæus, vt dixi *in prooemio*, ſcripſit Euangelium ſuum Iudæis ad fidem conuerſis: vt ergo eis ſanctã perſuaderet doctrinam, eorum animos attrahere voluit, Chriſtum ex eorum genere natum eſſe aperiendo, hoc enim debet eſſe ſtudium optimi magiſtri, vt doctrina ſua in audientium cordibus inſinuetur, & ita vnumquemque facile ſua inclinatione alliciat, & trahat.

Magiſter audictium animos attrahere intendat inclinatione ſua.

30. Apoc. 19.

Ait Ioannes: *Vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorũ, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum*, Apocal. 19. num. 17. Per has carnes Regum, tribunorum, fortium intelligitur omnis ciborum varietas, tam Principium, quàm inferiorum. Sed iam quæro: Cur iſte Angelus vocat tantùm aues per medium tramitem cœli volantes; non verò illas quæ in ſuis nidulis quieſcebant, vel in ramis arborum ſedebant? Volucres ciborum appetitu agitatæ volant, ac circumquaque feruntur; has enim, propoſita omni eſca, vt facilè vnamquamque ſua conditione trahat, ad cœnam vocat Angelus, hic enim prædicatorem Euangelij adumbrat, vt tenent D. Ambroſius, Aretas, Richardus, Interlinealis. Nam bonus magiſter vniuſcuiuſque ingenium debet indagare, & explorare, vt ſuomet affectu quemlibet valeat ineſcare, atque ad ſalutis adducere viam. Anſbertus. *Sancti prædicatores gladio verbi omnes tranſuerberantes, in Chriſti corpus quod eſt Eccleſia, traijciunt. Percurrit autem idem Auctor huius hiſtoriæ ſingulas hominum qualitates ad Chriſtum conuertentium, & dicit carnes equorum, & ſedentium in ipſis, &c.* Ac ſic dicat, quòd diuinus Concionator hominum qualitates conſiderat, vt illis inſpectis, quemlibet facilè ſua voluptate, ac omnium condimentorum lautitia trahat. Vide *cap.* 1. *n.* 82.

Ambroſ. Aretas. Richard. Interlin.

Anſbertus.

QVÆSTIO XII.

Quare hîc ponantur primò Dauid, & Abraham, & eorum filius expreſſè dicatur Chriſtus?

QVÆSTIO eſt: Cur Chriſtus Dominus Dauidis, & Abrahami tantùm filius ſcribatur, non verò Iſaac, Iacobi, & aliorum, ait enim Euangeliſta; *Filij Dauid, filij Abraham?* Reſpondent primò D. Chriſoſtomus *homil.* 2. Petrus Damianus, Albertus Magnus, S. Thomas, Hugo *hîc*. Quia Chriſtus Dominus ſimul Rex, & Sacerdos erat: oportebat ergo de ſacerdotali ſimul, & regio ſemine carnem ſuſcipere: & ad id manifeſtandum voluit primos eius parentes in genealogia nominare Dauidem, & Abrahamum, quorum alter Rex in lege ſcripta, alter Sacerdos extitit, vt ſic omnem Euangeliſta honoraret ſtatum, Eccleſiaſticum in Abrahamo, in Dauid ſæcularem. Secundò. Abulenſis *quæſt.* 3. hoc refert ad eorum ſanctitatem. *Matthæus*, ait, *in generatione Chriſti aſſumpſit principia à duobus hominibus, vnus erat qui ſcilicet circunciſus eſt, & in quo fuit principium credendi Abrahamo; alius fuit, qui electus eſt ſecundùm cor Dei, ſcilicet Dauid.* & ſimiliter D. Thom. Quaſi dicat, quòd in vno fuerit principium credendi, & in altero munditia cordis. Seu quòd in vno reſplenduerit fides, in altero operatio, ex quibus tota dignitas Chriſtiana deſumitur. 31.

Chryſoſt. Damian. Albert. Mag. S. Thom. Hugo.

Deus omnes honorat.

Abulenſ.

Dignitas Chriſtiana ex fide, & operatione.

32. Chryſoſt. Carthuſ. Ludulph. Gloſſa. Abulenſ.

Tertiò. reſpondent D. Chryſoſtomus *homil.* 2. D. Anſelmus, Carthuſianus, Ludulphus, Gloſſa, Abulenſis *quæſt.* 3. cuius ſunt verba; *In Chriſti genealogia Patriarchæ, & Reges ſunt viri honorabiliſſimi, & ad oſtendendam iſtam dignitatem ponuntur iſti duo, quorum vnus fuit primus, & maximus inter Patriarchas, ſcilicet Abraham: & alius primus & maximus inter Reges, ſcilicet Dauid.* Hi duo in primo capite, ac ſub parentis nomine affiguntur, quia fuerunt primi, vnus inter Patriachas, alter inter Reges. Et primi in aliquo ordine maximè venerandi, ac colendi ſunt. Dauid autem dicitur primus inter Reges, non in regno Iſraelitico, anteceſſit enim Saul, ſed in tribu Iuda, ac progenie Chriſti, vt notat Pater Gueuara: quia non ſolum ſibi, ſed etiam ſuis ſucceſſoribus meruit promiſſionem regni; at verò pollicitum Sauli datum, ad poſteros non tranſiuit. 1. *Reg.* 10. Et qui regalem purpuram, non ſucceſſoribus, ſed ſibi tantùm nanciſcitur, vix nomen Regis meretur. Ait Samuel Sauli: *Abiecit te Deus, ne ſis Rex*, 1. Reg. 15. num. 52. Quomodo dicitur regno priuatus, cùm poſtea regnauerit? Abulenſis queſt. 26. *Ideo rectè dicitur, quod abiectus eſt, ne regnaret, quia priuatus eſt iure regnandi in filijs.* Vbi primum regnum filiis perdidit, ſtatim ab ipſo regali faſtigio depoſitus eſt.

Primus in aliquo ordine venerandus.

Gueuara.

1. Reg. 15.

Abulenſ. *Pater vt ſibi habeat, acquirat filijs.*

33. Rupert.

Quartò. Rupert. lib. 4. de vict. Verbi c. 27. *Ratio docet*, inquit, *nõ multo minoris fuiſſe meriti, peperciſſe inimico propter Deũ, quàm non peperciſſe vnigenito filio. Hoc fecit Dauid inimico ſuo infenſiſſimo quærenti animam ſuam, inimico Regi, cuius regnum ſine dubio ſe ſuſcepturum eſſe ſciebat. Ob hanc maximè cauſam iuratum illi eſſe arbitramur, quòd ſemen, vel caro eius aſſumenda eſſet in filium Dei, quia maximè cauſa iſta facit filios Dei.* Ideo hi duo in principio generationis affixi ſunt, ac peculiariter eorum filius dicitur Chriſtus, quia ſe ipſos vicerunt, ac proprium in ſeruitutem redegerunt appetitum, vnus non parcendo filio, alter inimico parcendo. Quintò. Ambroſius *in cap.* 3. *Luc.* ad illa verba: *Qui fuit Adam*; hanc quæſtionem excitat, & ita ſoluit: *Ideo duos, ait, generis auctores Euangeliſta delegit; vnum, qui promiſſum accepit de congregatione populorum: alterum, qui de generatione Chriſti oraculum conſecutus eſt, & ideo licèt ordine ſucceſſionis poſterior; prior tamen, quàm Abraham, generatione deſcribitur Dauid.* Quaſi maiori ſanctitati Dauidis hoc attribuat; nam Abrahamus ex gentibus, ſeu infidelibus prælectus ad Chriſti proſapiam, Dauid verò ex congregatione fidelium, atque credentium. Et inter iniquos aptari, ac eligi, maximè laudabile: inter bonos autem, & probatos, hoc raræ, extraordinariæque virtutis eſt. Sextò. Rationem addit Carthuſianus: quia ſanctiores erant; qui enim in maiori ſanctitate prælucent, in maiori dignitate, ac honore ſunt apud Deum.

Magna virtus ſe ipſos vincere.

Ambroſ.

Inter bonos eligi rara virtus.

Carthuſ. *Sanctitas in magna dignitate.*

34. Hieron. Paſchaſ. Carthuſ. Beda. Gloſſa. Geneſ. 12. & 22.

Septimò. Multo verior mihi eſt Patrum communis ſententia, D. Hieronymi, D. Paſchaſij, Carthuſiani, Bedæ, Gloſſæ, & aliorum. Ideo inter omnes Abraham, & Dauidem, primos parentum nomine proponi; quia ad hos facta eſt Chriſti repromiſſio. Abrahamo Geneſ. 12. num. 13. & 22. num. 18. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod D. Paulus de Chriſto intelligendum eſſe docet *ad Galat.* 3. *n.* 17. Dauidi verò 2. *Reg.* 7. *n.* 12. & 1. *Paralip.* 17. *n.* 11. & *Pſalm.* 88. *n.* 4. *Pſal.* 131. *n.* 11. Ex quo profundè conſidera lector, quòd Deus magnatibus Abrahamo, & Dauidi aduentum filij ſui promiſit: at redemptionem, & beneficium in omnes, tam magnos, quàm paruos diffundit. E contra verò huius ſæculi Reges promiſſiones ad omnes tam nobiles, quàm plebeios extendunt, dignitates autem, & munera ad Principes coarctant.

Deus quamuis vni promittat, omnibus largitur.

35. Luc. 1.

Adeſt Angelus in templo Zachariæ, & ait illi: *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium*, Luc. 1. n. 13. Valde mirum eſt, quod Angelus dicat, *pariet tibi*; cùm Ioannes non ſolùm parentibus ſuis, ſed omnibus natus ſit; venit enim, vt omnes crederent per illum. D. Ambroſius, *Plena ſemper, ait, & redundantia ſunt diuina beneficentia, non exiguo conſtricta numero, ſed vberi bonorum coaceruata congeſtu; Sanctus enim non ſolùm parentum gratia, ſed etiam ſalus eſt plurimorum.* Hic eſt Deus Opt. Max. quòd quamuis tantus filius vni parenti promittitur, *pariet tibi*; in ſalutem tamen vniuerſi populi præparabatur.

Ambroſ.

36. *Reges, quãuis omnibus promittant, Principibus tantùm donant.*

E contra verò Reges ſæculi bona ſpe omnes adimplent; munera tamen ſua ad Principes, ac Dynaſtas coanguſtare ſolent. Viro, qui interfecerit Goliath, promiſit Rex Saul filiam ſuam in vxorem: quem cùm occidiſſet Dauid, fecit eum Saul tribunum ſuper mille viros, & dictum eſt ei, quòd vt eſſet gener Regis, centum præputia Philiſthinorum neceſſaria eſſent Regi, 1. *Reg*, 18. *n.* 25. Poſtea verò ſuccedẽtibus rebus poſtulauit Dauid vxorem ſuam Michol. *Quam deſpondi*, ait, *mihi centum præputijs Philiſthinorum*, 2. Reg. 3. n. 14. Iam inſurgit difficultas. Cur non ait: Quam mihi in vxorem promerui morte ingentis molis Goliath? Nónne pro hoc non extabat promiſſio Regis? Nónne hoc non fuit factum in Iſraël multo præclarius? Sine dubio. Cur huius non meminit? Quando Dauid ingentem illam deiecit membrorum proceritatem, paruus, & contemptibilis erat, ita vt Saul interrogauerit: *De qua progenie eſt iſte adoleſcens?* 1. Reg. 17. n. 58. Dauid autem optimè agnoſcebat, Regis pollicitationem, etiam vniuerſalem, in magnatibus conſtipari; & ideo non optat, ac quærit Michol vxorem ſuam pro Gigantis nece, quando paruulus, & ignotus erat, ſed pro centum capitibus Philiſthinorum; tunc enim iam vt Princeps militiæ, ac magnus in toto populo venerabatur.

2. Reg. 3.

1. Reg. 17.

QVÆSTIO XIII.

Quare dicatur, hîc primò inſcribi Abraham, & Dauid, ob promiſſionem eis factam, cùm eadem alijs Patribus data ſit?

EX ſeptima, & vltima ſuperioris quæſtionis ſolutione grauis ſuboritur difficultas: nam ibi reſolutum eſt ex communi conſenſu ſanctorum Patrum, ideo primum in hac genealogia Dauidem, & Abrahamum ſortiri locum, quia ad hos de Chriſto Domino ſpecialis facta eſt promiſſio. Sed eademmet, quæ data eſt Abrahamo, iiſdem ferè verbis reperitur conceſſa Iſaaco *Geneſ.* 26. *n.* 4. & Iacobo *Geneſ.* 28. *n.* 14. Quare ergo aſſeritur, quòd ob promiſſionem factam Dauidi, & Abrahamo, hi primò, ac ſub nomine parentis, *Filij Dauid, filij Abraham*, recenſeantur? Reſpondeo primò. Iſaaco, & Iacobo, & aliis facta legitur ſimplex quædam promiſſio; at Abrahamo, & Dauidi ſub iuramento data eſt: ad Abraham teſtatur Scriptura, Geneſ. 22. n. 16. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hãc rem.* Et Geneſ. 26 n. 3. Luc. 2. n. 73. *Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum.* Dauidi ſimiliter dicitur Pſalm. 131. n. 11. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et iterum Pſalm. 88. n. 39. *Semel iuraui in Sancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit.* Ergo peculiariter Chriſtus eorum filius nuncupatur: nam vbi maior eſt obligatio, efficacior, & validior exigitur recordatio. Secundò. Verbum datum Iſaaco, & Iacobo non fuit noua aliqua promiſſio, aut alia ab ea quæ facta fuerat Abrahamo, ſed confirmabatur in filiis eius, & ideo dictum eſt Iſaaco, Geneſ. 26. n. 4. *Complens iuramentum, quod ſpopondi Abrahamo patri tuo, multiplicabo ſemen tuum, & benedicentur in ſemine tuo, omnes gentes.* Vt ibi notant Chryſoſtomus, Caietanus, Pereira, & alij. Solum ergo de promiſſione Abrahami fit mentio, & non de aliis, quæ ſunt veluti continuatio, ac confirmatio illius: & hæ idem cenſentur cum beneficij collatione; qui enim beneficium confert, illud conſeruare, & cuſtodire tenetur. Tertiò. Abraham pater extitit multarum gentium, Dauid paſtor: meritò igitur Chriſtus Rex regum dicitur eorum filius: 37.

Geneſ. 22. & 26. Luc. 2.

Pſalm. 131.

Pſalm. 88.

Vbi maior obligatio maior & recordatio.

Geneſ. 26.

Chryſoſt. Caiet. Pereira.

Bonus Rex pater, & paſtor.

Rex enim ſuorum ſit pater & paſtor ; vtrumque
enim Chriſtus verus Dominus , & Rex comple-
D Baſilius. xus eſt , vt ait D. Baſilius Magnus *homil.* 26. de
Martyre Mamante.

38. Cùm Iacob in extremis benediceret filios
ſuos, Ieſeph munerauit , vt eſſet paſtor , & pater;
Geneſ. 49. ſic enim ait : *Paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël , Deus
patris tui benedicat tibi benedictionibus vberum,
& vuluæ* , Gen.49.n.24 per *vbera, & vuluam*,pa-
Lyran. rentis fœcunditatem intelligunt Lyranus , Caie-
Caiet. tanus,Lyppomanus, & alij. Sed cur inter tot fe-
Lyppoman. licia auſpicia , quibus bonus ſenex filiorum tur-
bam coronat, non alio munere dilectiſſimum
filium ſuum Ioſephum afficit , niſi tantùm vt ſit
pater , & paſtor ? Niſi ſanè opportunius ad rem
præſentem : Ioſeph enim totius regni clauum
tenebat , ideo concedit ei benedictionem hanc,
nam in paternali munere poterat auſpicari , qua-
li amore , ac indulgentia ſubditi , & inferiores
erant proſequendi ; in paſtorali verò arte præ-
ſtantiſſimum aſſequebatur documentum , qua
cura , atque ſolertia ſuper gregem vigilandum
erat. Philo *lib. de Ioſeph* , de hoc loquens ait.
Philo. *Quæ diſciplina cum ciuili conuenit, nam qui ſum-
mus eſt in arte pecuaria facile bonus Rex euadet,
pulcherrimo gregi hominum præpoſitus , approbata
induſtria in minori negotio.* Cùm Moyſes eſſet cõ-
ſtitutus à Deo dux , & gubernator totius populi,
iubetur,vt virga,qua oues ſoceri ſui paſcebat,ipsũ
Clem.Alex populum regeret , vt notat Clemens Alexandri-
Pſalm.76. nus *lib.*1. *Strom.* de eo dicitur à Deo : *Deduxiſti
ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron*,
Pſalm.76. num.21. Et etiam ei à Deo mandatum
Num.11. erat,vt ipſemet teſtatur. *Nunquid ego concepi om-
nem hanc multitudinem , vel genui eam , vt dicas
mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix
infantulum ?* Numer.11. n.12. Vbi ei impoſitum
eſt, vt tanquam pater , & mater ſe habeat erga
Abulenſ. populum , vt expendit Abulenſis *quæſt.* 21. Sed
quomodo Moyſes tam mirabiliter ordinatus à
Deo rector totius populi , (imò in quo totius re-
giminis recta ratio deſcribebatur) ei imperatum
eſt , vt populum ſicut oues duceret , & tanquam
filios portaret in gremio ? Optimè ſanè , nihil
aliud ad præſtantiſſimi moderatoris munus exi-
gebatur, niſi vt eſſet paſtor, & pater. D. Ambro-
Ambroſ. ſius *lib.*1. *Epiſt.*4. poſtquam notat , quòd Abra-
ham,Iacob,& Moyſes patres,& paſtores fuerint,
Regalem, inquit,*quandam in hoc munere diſcipli-
nam induentes.*

QVÆSTIO XIV.

Quare Chriſtus non dicatur Adami filius?

39. PRIMA Incarnationis reuelatio facta eſt
D.Thom. Adamo , vt docet D. Thomas 2.2. *quæſt.*2.
*art.*7. & 3.*part. quæſt.*1.*art.*3. *ad* 5. vbi Expoſito-
Bonauent. res referunt multos Patres. D.Bonauenturam *in* 2.
*diſt.*23. *in literam Magiſtri.* Et ita explicant Pa-
Epheſ.5. tres illud Pauli ad Epheſ.5. num. 32. *Nunc os ex
oſſibus meis, & caro de carne mea, Sacramentum hoc
magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.*
Valentia. de quò latè Valentia 1. *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *menbr.*1.
Vaſquius. Vaſquius 3.*part. diſp.*12.*c.*3. Suarius *de creatione*
Suarius. *lib.*3. *cap.*18.*n.*8. Reſpondeo primo , ad quæſtio-
nem. Reuelatio , ſeu promiſſio Adæ merè gra-
tuita fuit , & liberalis ; quæ verò Abrahamo , &
Dauidi , data ex meritis. Et in domo Dei , quæ
per opera quis conſequitur , tantùm vendicant
primam ſedem. Secundò. Euangeliſta oſtende-
bat , Chrſtum verum eſſe Meſſiam ; hic autem
promiſſus erat ex ſemine Abrahami , & Dauidis;
ideo hos tantùm commemorat. Tertiò. Reſpon-
det Abulenſis *hîc* , *quæſt.* 5. Matthæum ſcripſiſſe Abulenſ.
Euangelium Iudæis : progenies , & deſcenſus ab
Adam , vel Noë communes eſſe omnibus homi- *Beneficia*
nibus , ab Abrahamo particulares populo Iſraë- *particularia*
litico ; & beneficia , quo magis paricularia , eò *magis æſti-*
magis æſtimari certum eſt. *mantur.*

Quòd populus eductus fuerit de captiuitate 40.
Ægyptiaca per tot mirabilia , ſæpenumero Deus
in memoriam populo redegit , vt notant noſter
Incognitus , Lorinus , & alij : *Ego ſum Dominus* Incogn.
Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, Pſal.80. Lorinus.
n.11. Pſalm.77. n.11. Leuitic.26. num.13. & 45. Pſalm.80. & 77.
Num.23.n.22. Hierem.11. n.4. & paſſim in Scri- Leuitic.26. & 45.
ptura. Sed cur frequentius hoc beneficium pro- Num.23.
ponitur populo ante oculos , quàm prima homi- Hierem.11.
nis creatio ; nam quid multo maius eſt , cùm ſit
productio ex nihilo , & infinitam potentiam ar-
guat,ita vt iuxta Thomiſtas,puræ creaturæ com- Thomiſtæ.
mitti non poſſit? Creatio quid commune ad om-
nes homines ; egreſſus de Ægypto quid ſingula-
riſſimum populo Iſraëlitico ; & beneficium ex
ſingularitate maximè accreſcit , ac multo maius
eſt.Et ita ait noſter Incognitus : Comparatione Incognit.
populi exitus de Ægypto magnum beneficium
erat. Ait Iacob filio ſuo Ioſeph : *Do tibi partem* Geneſ.48.
*vnam extra fratres tuos, quamtuli de manu Amor-
rhæi* , Gen.48.n.22. Magno cum myſterio explica-
tur terram illam, ſcilicet Sichem, conceſſam eſſe à
parente Ioſeph *extra*, ſeu vt habet textus Hebrai-
cus, *ſupra*, ſeu *vltra*, fratres ſuos. Nonne ſufficie-
bat dicere, *Do tibi hanc partem*? Ad quid additur:
extra fratres tuos? Abulenſis , Cornelius. *Datur* Abulenſ.
tanquam ſpeciale beneficium. Vt ex ipſa ſingulari- Corn.
tate donum preſtantius,ac maius videretur.

QVÆSTIO XV.

Quare ponatur prior Dauid , quàm Abraham?

LONGA querela : Quare Dauid præpoſi- 41.
tus eſt Abrahæ ? Optimo , & diuino con-
ſilio ex multiplici ratione. Prima ? Hieronimus, D. Hieron.
Chryſoſtomus *in opere imperfecto homil.*1. D.Paſ- Chryſoſt.
chaſius, D. Anſelmus , D. Thomas, Hugo, Beda, Paſchaſ.
&alij. *Ordo præpoſterus, ſed neceſſariò commutatus*, Anſelm.
ait Hieronymus ; *ſi enim primum poſuiſſet Abra-* D.Thom.
ham, & poſtea Dauid , rurſus ei repetendus fuerat Hugo.
Abraham, vt generationis ſeries texeretur. Quod Beda.
ita intellige ; quia Matthæus obſeruauit illum
Hebræorum eloquentiſſimum modum , vt quæ-
libet dictio incipiat ab eo in quo alia deſinit , vt
iam notaui , & ideo , vt notat Barradas , nomen Barradas.
progenitoris bis coniunctim reperit , *Iſaac genuit
Iacob : Iacob autem genuit Iudam* ; ac proinde ſi
Euangeliſta primum poſuiſſet Abraham , iterum
erat repetendus, ac ſi diceret : Liber generationis
Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham : Abraham
autem genuit , &c. ad elegantiam Hebræorum
ſeruandam

Chryſoſt. ſeruandam, Secundò D.Chryſoſtomus *citato loco.*
Theoph. Theophylactus, Abulenſis *quæſt.*4. D. Ambroſius,
Abulenſ. vt citat D. Thomas. Quia Dauid Rex , vt ita di-
Ambroſ. gnitas regia veneraretur. Tertiò. Idem Abulen-
D.Thom. ſis. Quia Dauid ſanctior , & ſic magis dilectus
Maior ſanctitas , maior dilectio. Deo ; quod ex eo colligit, quia de eo dicitur: *In-
1.Reg.13. ueni virum ſecundùm cor meum*, 1.Reg.13. Et col-
ligit etiam ex multis in eum collatis beneficiis:
fecit eum Regem totius Iſraël ; multas ei gentes
ſubiecit, 2.*Reg.*8. & 1. *Paralip.*18. fecit eum ex-
cellentiſſimum Prophetam , & dedit ei ſapientiſ-
ſimum filium Salomonem. At probatio amoris,
Theophyl. exhibitio eſt operis. Theophylactus ait, *Quia pri-
mus ex Regibus Deo placuit.* Maximè æſtimanda
virtus in Rege , ideóque aliis , licèt antiquiori-
bus,anteponendus.

42. Quartò Theophylactus. Quia Dauid Chriſti
Idem. typum ſeruabat ; nam Chriſtus percuſſit diabo-
lum , ſicut Dauid Philiſthæum ; pepercit inimi-
Similis Chriſto. cis, ſicut & Dauid , & in hoc maximè illi ſimilis,
quòd tot preſſuris , ac calamitatibus regnum ſibi
Palatius. comparauit. Quintò, Palatius, *Scriptura docet*,ait,
ſinum Abrahæ eſſe locum refrigerij ; imò cap.8.di-
citur infrà. *Multi venient, & recumbent cum Abra-
ham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Cùm igitur
Abraham deſignet quietem, innuit Dominus, neceſſe
Prior labor quàm quies. eſſe, vt filius ſis Abrahæ, id eſt, quietis , priùs fuiſſe
filium Dauid pugnatoris anguſtijs, & laborib. preſſi.*
Vide hîc *num.*10. vt ſignificetur, quòd ad requiem
per labores in Dauide præfiguratos ſit tranſeun-
Beneficium magis particulare. dum. Sextò. In Dauide promiſſio erat magis de-
terminata,& veluti indiuiduata. Abraham perti-
nebat ad omnes Tribus , & ad multas alias gen-
tes,quæ ab eo ducebant originem? Dauid verò ad
Iudam,& in eo ad peculiarem familiam , & ideo
promiſſio Dauidis in ore omnium magis verſa-
batur,vt ſtatim dicam. Vide ſuprà *quæſt.*14.

43. Septimò D.Anſelmus. *Ideo*,ait , *Dauid præpo-
Anſelm. nitur, quia in multis peccauit, non Abraham, qui in
omnibus iuſtus apparuit , vt ex ſola miſericordia,
nõ ex meritis hominum notus probaretur.* Idem ferè
Hugo. Hugo,& alij. Ea de cauſa prior ponitur Dauid,qui
Infirmitas ſaluti proxima. & quondam peccator , vt proximior ſit Chriſto,
cuius miſericordia maximè indigebat , vt ita ne-
ceſſitas approximaretur remedio , infirmitas ſa-
luti. Deinde , quia in Dauide plus reſplenduit di-
uina miſericordia , quam in Abrahamo. nam il-
le in multis peccauit ; iſte in omnibus iuſtus ap-
paruit , ait Anſelmus. Cùm ergo in hoc repræ-
ſentetur iuſtitia,in illo miſericordia , Dauid præ-
cedat , miſericordia enim apud Deum primam
ſemper occupat ſedem.

44. Octauò Rupertus. *Myſteria*, inquit, *ſiue Incar-
Rupert. nationis, vel Natiuitatis , Paſſionis, Reſurrectionis,
& Aſcenſionis Ieſu Chriſti Filij ſui , prophetico &
corde concepit , & ore peperit anima huius beati
Dauid, cunctiſque venturis poſt ſe ſæculis legenda,
vel canenda conſcripſit; hoc Abraham non fecit, licèt
Qui libros componit , præcedit. Propheta fuerit, quippe qui nec literas habuit. Rectè
igitur licèt Abraham anterior fuerit, quàm Dauid,
non dixit Euangeliſta: Ieſu Chriſti filij Abraham,
filij Dauid; ſed ordinem præpoſterans , filij Dauid,
filij Abraham.* Qui inter glorioſam Eccleſiaſtico-
rum ſcriptorum coronam recenſentur , maximè
colendi,ac venerandi ſunt inter omnes,licèt anti-
quatè præcedant. Cùm ergo Dauid ſuos Pſalmos
nobis ſcriptos dederit, quod Abrahamus non fe-
cit ; ideo in hac ſacra genealogia primus nomi-
Oſee 1. natur. *Principium loquendi Domino in Oſee* , c.1.
n.2. Sed quomodo dicitur,quòd Verbum Domini
habuerit exordium in Oſee , cùm plures antea
vaticinati fuerint Prophetæ , vt Nathan , & alij?
Veſtrum eſt , quòd multi fuere antiquiores , ſed
Oſee primus ſuum vaticinium literis mandauit;
& ideo cùm ipſe primus ſcripſerit , ac compoſue-
rit librum , ideo eius verbum primum dicitur.
Ruffinus ibi: *Principium loquendi Domino in Oſee:* Ruffinus.
*id nimirum videtur oſtendere , quia ipſe primus ſit
ad hoc genus ſermonis adſcitus, non quòd Prophetæ
antè non fuerint, cùm & beatorum Eliæ, & Eliſæi,
& aliorum plurimorum eadem Regum hiſtoria ge-
ſta, dictaque commemoret; ſed quòd eorum, qui, quod
prænuntiabant, etiam literis mandare ad ſempiter-
nam memoriam iuberentur , operam Oſee primus
aſſumpſerit.*

Nonò. Vt etiam notat Theophylactus : *Quia* 45.
apud Iudæos celebrior erat Dauid, & poſterior fuit Theophyl.
Abrahamo. Et ideo promiſſio facta ad Dauid in
populo erat maximè vulgaris , ita vt paſſim Do-
minus diceretur filius eius , & non Abrahæ , vt
ſtatim dabo. Hæc eſt enim ſolemnis conſuetudo,
vt per noua in obliuionem vetera abeant. Deci- *Per noua obliuiſcuntur vetera.*
mò. Abrahæ non eſt facta promiſſio, qualis Da-
uidi ; Abrahæ pollicitum eſt tantùm , ex ſemine
eius Chriſtum naſciturum : & Dauidi non ſolùm
promittitur Chriſtus , ſed etiam regnum æter-
num nunquam abolendum. Pſalm.88.n.36. *Semel* Pſalm.88.
*iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius
in æternum manebit, & thronus eius , ſicut Sol.* Et
Iſai.9. n.7. *Super ſolium Dauid , & ſuper regnum* Iſai.9.
eius ſedebit vſque in ſempiternum. Vndè rectè no-
tauit Rupertus in hoc capite Matthæi, quòd *pro-* Rupert.
miſſio in Dauid aucta eſt. Meritò ergo primò di-
citur filius Dauid , & poſtea Abrahæ. In Dauid
promiſſio conſecuta eſt perſeuerantiam vſque in
ſempiternum: beneficia autem,& dona,quæ firmi- *Beneficia*
tatem, ſtabilitatémque in æternum ſecum aſpor- *maxima quæ perpetuitatẽ*
tant,quæ maxima inter omnia numerantur. *habent.*

Vndecimò. Abrahamus poſtquam Deus ei 46.
ſpopondit de ſemine ſuo naſciturum , ſemper ir-
reprehenſibilis extitit;at Dauid in multa dilapſus
eſt peccata in adulterium Bethſabee , in homici-
dium Vriæ ; in annumerationem populi : vt di-
uinæ promiſſionis veritas refulgeat , dicatur *Dei promiſſio*
Chriſtus primò filius Dauidis : quamuis enim *nunquam deficit.*
multa in eo fuerint peccata , nullo tamen modo
Dei verbum potuit præteriri. Duodecimò. Dauid
peccatori , ne in diffidentiam abeat,detur primus
locus. At nunc eſt difficultas: Abraham, Iſaac,Ia-
cob,viri ſanctiſſimi,& operibus pleni,poſt Daui-
dem , ac veluti ad eius pedes locum habebunt?
Nihil intereſt. Benemeriti , omnibúſque virtuti- *Benemeritus*
bus conſpicui,quocumque in loco ſine ſui anxie- *eſt ſui ſecurus.*
tate ſunt ſecuri. *Initio tu Domine terram fundaſti,* Pſalm.101.
& opera manuum tuarum ſunt cœli, Pſal.101.n.26.
Vbi *cœlum* , quamuis nobilius , ſecundo ponitur
loco, vt certum de ſua excellentia , quin in diffi-
dentiam abeat. Vide *c.*1.*n.*142.143.& 144.

Decimotertiò. Dauid primo ponitur loco , vt 47.
ſic maneat iuxta Chriſtum : erat enim Rex , qui
ad rectè gubernandum diuina aſſiſtentia, ac præ-
ſentia maximè indiget. Deinde,quia peccator,&
multis criminibus infectus fuit , vt ſic ex diuina
præſentia nobilitetur , & honoretur ; tales enim *Abiectus honorandus.*
Dominus noſter Ieſus , ne abiecti maneant, ſolet
decorare , honoréque inſignire. Decimoquartò
D.Chryſoſtomus *hom.*1.*in Imperfecto*. Theophy- Chryſoſt.
lactus , Euthymius , & alij. Quæ ratio eſt magis Theoph.
Euthym.

literalis. Matthæus ſcribebat Iudæis ad fidem conuerſis, Ideo primo loco Chriſtum appellauit filium Dauid, quia erat maximè vulgare, & per omnia ora verſabatur, Meſſiam Dauidis filium eſſe; quapropter Chriſtus Dominus paſſim in Euangelio *Dauid filius* nominatur. Interrogati Phariſæi à Chriſto Saluatore noſtro: *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt?* Reſpondent: Dauid, *Matth.22.n.24.* Viſis mirabilibus Chriſti dicebat populus: *Nunquid hic eſt filius Dauid?*

Matth. 12.9. 15.20.& 39. Marc.10. Luc.18.

Matth.12.n.23. Et ſimiliter, *Matth.9.n.27.& 15. n.22.& 20.& 30. Marc.10.n.47. Luc.18.n.28.& 29.* & multis aliis in locis. Semper noſter Euangeliſta communi opinioni condeſcendere, ac ſe ſe illi accommodare decreuit.

Communi opinioni accommodandum.

48. Magna inter interpretes difficultas eſt, cur noſter ſacer Scriptor Chriſti genealogiam per Ioſeph texuerit, cùm non ſit illius filius, ſed æterni Parentis? Reſpondet Maldonatus hîc in Matth. verſ.16.§. Itaque reſtat. *Euangeliſtas*, ait, *multorum opinioni ſeruire voluiſſe*, qui, vt ait Lucas c.3.n.2. *Chriſtum filium Ioſeph fuiſſe arbitrantur.* Intendebant ſacri Scriptores publicare, Chriſtum verum eſſe filium Dei, & Virginis; & tamen eius generationem per Ioſeph, tanquam parentem narrant, vt communi vulgi opinioni inſeruiant, quæ licèt eſſet falſa, tamen permittitur, ne contra communem opinionem aſſerere videretur, ne animi hominum ſe ſe auerterent à vera doctrina, ad quam eos ſacri Euangeliſtæ paulatim diſponere conabantur. Cùm Angelus feliciſſima Chriſti nuntia paſtoribus aſportaret, ei ſe aſſociant exercitus Angelorum: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis*, Luc.2.n.13. Qui feſtiuè, & modulanter venerant, non bene eis nomen militiæ congruit; hoc enim ad bellum ſpectat; cantantibus nomen chori aptius erat. In veteri Teſtamento paſſim inuenies militiam cœli, *4. Reg.21.n.3.& 5. Iſai.24.n.29. Hierem.19.num.13. Sophon.1. n.5.* At Angelorum chorum nunquam reperies: & Canonicus hiſtoriator communi vocabulo, ac loquendi modo condeſcendere voluit. Beda. *Chorus aduenientium Angelorum militiæ cœleſtis vocabulum accipit.* Et ideo non chorus, multitudo militiæ dicitur.

Maldonat. Luc.3. Luc.2. Beda.

QVÆSTIO XVI.

Quare Chriſtus Dominus à populo dicebatur filius Dauid, à viris præſtantiſſimis filius Abrahæ?

49. EX vltima ratione ſuperioris quæſtionis inſurgit difficultas: Quare Chriſtus Dominus communiter à populo filius Dauit dicebatur, & promiſſio ei facta in omnium linguis erat, ita vt de eo, quod pollicitum erat Abrahamo, non recordaretur populus, nunquam enim ab eo Chriſtus in Euangelio filius Abrahæ dictus eſt; è contra verò viri ſanctiſſimi ſolùm de fide à Deo præſtita Abrahamo circa Chriſtum recordabantur? Ait ſanctiſſima Virgo Luc.1. num.55. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, & ſemini eius in ſæcula.* Et Zacharias ibidem num.73. *Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum.* Paulus *ad Rom.4. n.13. & ad Galat.3.n.14.* Quare ergo populus ſolum Dauid, & viri ſanctiſſimi Abraham in memoriam reuocant? Solutionem accipe ex iis, quæ notaui ex D. Thoma *hîc*, quòd promiſſio Abrahæ fuit de membris, ac dè eorum vtilitate. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, Geneſ.22.num.18. At promiſſio Dauid facta eſt de capite, ac veluti de eius dignitate, & honore: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, Pſalm.131. n.11. Ideo populus promiſſionis Abrahæ obliuiſcebatur, & Dauidis tantùm recordabatur, quia huius ſæculi homines de bono communi etiam populi obliuiſcuntur, & ſolùm ad augmentum Regis ad eius captandam voluntatem oculos intendunt; ſicut fecerunt adoleſcentes Roboam conſilium dantes *3. Reg. 12. n.10.* Econtra verò viri ſancti ſolam omnium vtilitatem memoria tenent, & à bono Regis, ac particularium, mentem auertunt.

Luc.1. Rom.4. Galat.3. D. Thom. Geneſ. 24. Pſalm.131.

Aulici ſolùm de bono Regis recordantur.

50. Ab iniquis habitatoribus Sichem eligitur Abimelech in Regem iuxta quercum. *Abierunt, & conſtituerunt Regem Abimelech iuxta quercum, quæ ſtabat in Sichem*, Iud.9.n.6. At verò Salomon vngitur in Regem intra vrbem Hieruſalem, ac prope Gethon, vnus eſt fluuius Paradiſi ad irrigandam vniuerſam terram, vt vult Pineda de rebus Salom.lib.2. cap.5. *Deſcendit ergo Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi, & Belthi, & impoſuerunt Salomonẽ ſuper mulam Regis Dauid, & adduxerunt eum in Gethon, ſumpſitque Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem*, 3. Reg.1. n.38. Sed cur ille iniquus auſpicia regni habet iuxta arborem, iſte verò intra vrbem, ac iuxta Gethon? Abulenſ.4. *Reg.c.1.q.23.& 9. Indic. q.23.* de Abimelech diſſerens, aſſerit, *antiquitatem tenuiſſe, Reges apud arbores vngere: nam*, ait, *de arboribus eſt ratio, quia ſicut arbores florent, & virent, ita vngentes Reges imprecantur regnum illius ſemper florere proſperitate, & virere manendo in robore ſuo.* Iniqui, ac deprauati regni auſpicia dabant apud arbores; nam ſicut illæ, vt floreant, humorem, ac ſuccum à terra hauriunt, ita adulantes ſymbolicè præfigurabant, ſuum Regem omnes ſterilizare, vt ipſe fructificet, ac vireſcat. E contra verò Nathan Propheta, & ſancti viri acclamant Regem in loco publico, ac omnibus ſalutifero, & omnia fœcundante, quia non pro ſui commodo, ſed pro omnium vtilitate Regem vngebant.

Iudic.9. Pineda. 3.Reg.1. Abulenſ.

QVÆSTIO XVII.

Quare Dauid hîc regio titulo non inſigniatur?

51. CVR non dixit Euangeliſta; filij Dauid Regis: ſed regium nomen hîc reticuit, cùm infrà bis, nominando ipſum, Regem appellet; *Ieſſe autem genuit Dauid Regem, Dauid autẽ Rex?* Reſpondeo primò. Dauid ſcribebatur hîc proximus Chriſto Domino, iuxta quem nullus ex hominibus Rex poteſt nominari; vt ait Iſai. 40. n.17. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo.* Et vigintiquatuor ſeniores mittebant coronas ſuas, *Apocalypſ.4.n.10.* Secundò. Vt manifeſtetur, quòd plus Deus gloriabatur de Dauide paſtore, & paupere, quàm de ipſo Rege, & præpotente; pauperes enim à Deo magni æſtimantur.

Iuxta Chriſtum nullus Rex. Iſai.40. Apocal.4. *Pauperes à Deo æſtimãtur.*

Tertiò tacetur hic nomen *Regis*, vt detur intelligi, quòd Dauid iuxta Chriſtum tam ſublimem locum eſt conſecutus non ob regiam dignitatem, ſed ob facta, & merita præclara; hæc enim tantum in domo Dei præualent, & primas ſedes rapiunt. Quartò, non ſcribitur hîc Dauid Rex, ſed infrà in alio remotiori loco. Aderat hic iuxta Chriſtum Dominum tanquam eius magnus, ac familiaris amicus, & ideo hîc regalis corona ſupprimitur. Magnum documentum ex hoc hauriant aulici, ac optimates, quod quieſcant, & contenti ſint, ſi amicabiliter Regis latera aſſequantur, ac proinde patiantur, vt alij & diſtantes adipiſcantur, ac obtineant honores, & coronas. Vigintiquatuor ſeniores *Apocal.4. n.10.* tanquam à throno remoti reſidebant in ſedilibus ſuis, & tunc coronis capita ſua condecorabant. At cùm appropinquarent ad Dei ſedem, ante illam coronas ſuas mittebant, in hoc ſibi complacentes, quòd Dei throno aſſiſterent, & ideo omnia alia ornamenta à ſe dimittebant, ac abiiciebant.

Apud Deum non dignitas ſed merita valent. *Aulici contenti ſint, quòd Regem amicum habeant.*

52. Quintò conſidera diuerſum loquendi modum: nam dum Dauid Chriſto approximatur, *pater* dicitur *Ieſu Chriſti filij Dauid*; dum verò longè ab eo diſtat, Rex appellatur. Dauid Rex genuit Salomonem. Principes, dum in præſentia Dei ſe reputant, & proximè coram eo adſunt, vt parentes ſe habent; dum autem ab eo ſe abeſſe putant, vt Reges, & domini abſoluti gubernant. Et ideo Dauid, dum elongatur à Chriſto, & Rex nominatur, ſtatim apponitur ei Bethſabee adulterium, & Vriæ homicidium. Sextò. Vide quantum diſtet humilitas à maieſtate; nam vbi dicitur tantùm Dauid, ac pauper, & humilis introducitur, ſtatim ſumma extollitur dignitate, vt pater ſit Chriſti, & dicatur: vbi verò purpura, & ſceptro inſignitur, ibi adulterio, & homicidio deprimitur; ſemper enim humilitas Dei donis decoratur, & ſubleuatur: at verò altitudo, & maieſtas humana criminibus inficitur & inquinatur.

Reges iuxta Chriſtũ ſunt patres, longè domini. *Humilitas exaltatur, altitudo deprimitur.*

53. In Saule, & Dauide præclarè ponderans D. Cyrillus Alexandr. in c.21. Ioan. *Deus ſuperbis reſiſtit*, ait S. Doctor, *humilibus dat gratiam; Saul cùm paruulus eſſet in oculis ſuis, dux ſuper Iſraël conſtitutus eſt; cùm verò in ſuperbiam elatus eſt, à Deo abiectus, & reprobatus eſt: cùm Dauid vilis in oculis ſuis ſaltaret coram Arca, ludens citharâ, mirum in modum Deo placuit; cùm verò tumore animi inflatus populum iuſſit numerari, vindicẽ manũ Dei ſenſit.* Ac ſi dicat, quòd dum Saul paruulus ſibi videbatur, ad culmen regni euectus eſt; cùm verò ſuperbiret, peccatis deiicitur. Similiter Dauid, dum ſe in paruo reputat, ſubleuatur; dum verò extra ſe rapitur, deprimitur. Bis luctaſſe Iacob, narrat Scriptura; ſemel cum fratre Eſau in vtero; & iterum cum Angelo iuxta flumen: à fratre victor egreſſus eſt, ab Angelo pede claudicans recedit. Si verò huius rei rationem quæras, pondera verba textus, in luctamine Eſau; *plantam fratris tenebat manu*, Geneſ.25.n.25. Cum Angelo verò manibus, brachiis, & amplexibus implicabatur, *Geneſ.32. n.24.* Dum ergo fratris pedes tenet; in quo eius modeſtia, & humilitas ſignificabatur, victoriam aſſequitur, vt notat Rupertus: dum verò manus Angeli apprehendit, ita vt in victoriam contra eum ſe erigeret, claudicatione opprimitur, vt rectè expendit Theodoretus. *Ne verò*, ait, *de victoria ſuberbiret, putans ſe Deum viciſſe, femur Patriarchæ contractum eſt.*

Cyrill. Geneſ.25. Geneſ.32. Rupert. Theodor.

54. Expoſtulabat à Deo Regius Vates: *Feci iudicium, & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me*, Pſal.118.n.121. E contra verò Apoſtolus. *Iudicaui tradere huiuſmodi hominẽ Sathanæ*, 1. Cor.5. n.5. Quæres, quare Pſaltes adeò eſt timidus, vt poſt multa iuſtitiæ opera narrata vehementer poſtulet, ne tradatur inimicis ſuis; è contra verò Apoſtolus tanta fiducia plenus, vt non ſolùm in manus inimicorum tradi non timeat, ſed etiam poteſtatem habeat ad alios tradendos, ac veluti incarcerandos? D. Hilarius ibi: *Propheta*, inquit, *ne à Deo tradatur, erat: cæterùm Apoſtolus habet iam in ſe id fiduciæ, vt peccatores Diabolo tradat ipſe.* Dauid cùm eſſet Rex, timet ab ipſa dignitate tradi, quæ ſemper mille eſt expoſita calamitatibus: at Apoſtolus, vt morti deſtinatus, & tanquam purgamenta huius mundi, omni totius orbis bono expoliatus, adeò ſuperior erat, vt non ſolùm traditioni ſubiectus, ſed etiam poteſtate emineat ad peccatores Diabolo tradendos.

Pſalm.118. 1.Cor.5. Hilar. *A dignitate, vt à proditore traditur homo.*

Matth.1. num.2. Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius: Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar: Phares autem genuit Eſron: Eſron autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab: Aminadab autẽ genuit Nahaſſon: Nahaſſon autem genuit Salmon: Salmon autem genuit Booz de Rahab: Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Ieſſe: Ieſſe autem genuit Dauid Regem.

EXPOSITIO.

55. HÆc genealogia Chriſti Domini quadraginta, & duas perſonas amplectitur, & claudit, quas in tres partes, ſeu teſſeradecades, vt appellat D. Hieronymus, diſtribuit B. Matthæus, & vnaquæque quatuordecim continet perſonas, & in numero ſunt quadraginta duæ. Prima pars, ſeu quaterdenarius eſt ab Abraham vſque ad Dauid, qui procedit per Patriarchas Secunda à Dauide ad Tranſmigrationem Babylonis per Reges. Tertia à Tranſmigratione vſque ad Chriſtum per Duces, ac perſonas priuatas.

56. Series generationis incipit ab Abrahamo, qui pater fidei noſtræ ab Apoſtolo dicitur. Secundò Iſaac ſequitur: Deo in ſacrificium oblatus fuit. Tertiò Iacob, qui duodecim filios habuit, qui Tribuum Iſraël capita fuere. Quartò Iudas, qui ex Thamar nuru ſua eam ignorans, duos filios genuit, *Geneſ.38.* Quintò Phares, qui cum patre Iuda, & auo Iacob in Ægyptum deſcendit. Sextò Fſron, *Geneſ.48. num.13. & 1. Paralip.2. num.5.* Septimò Aram, qui citato loco Paralip. *num.9.* dicitur

Lyran.

dicitur Ram. Octauò Aminadab; hunc, teſtatur Lyranus hoc loco, cum populo Iſraëlitico exiiſſe de Ægypto, &, cæteris formidantibus, ipſum cum ſua Tribu Iuda primum mare rubrum intraſſe. Probabilius Abulenſ. *hic in comment.* tenet in Ægypto obiiſſe; ſi enim ipſe eſſet viuus, Tribus Iudæ fuiſſet Princeps; at eius filius Nahaſſon Princeps dicitur *citato loco Paralip. num.* 19. Nonò Nahaſſon Princeps, vt modò dixi. Decimò Salmon, qui in matrimonium duxit Rahab, quæ *Ioſue 2. n. 2. & 6. n. 25.* meretrix dicitur. Eam in vxorem accipiendo non peccauit Salmon, vt tenent *hic* Abulenſ. Beaulxam. Barradas. Quia illa ex idolorum cultu ad verum Deum ſe conuertit. Deinde magnum in populum collatum beneficium poterat matrimonio compenſari. Vndecimò Booz, qui erat homo potens, & multarum diuitiarum, duxitque vxorem Ruth Moabitidem, vt *lib. Ruth.* conſtat *cap. 4. num.* 13. Duodecimò Obed. Decimotertiò Iſai, ſeu Ieſſe. Decimoquintò Dauid, vt videbis in libro Ruth citato loco *num.* 21. & 22.

Abulenſ. Beaulxam. Barradas.

QVÆSTIO XVIII.

Quare Matthæus in genealogia Chriſti procedat deſcendendo, Lucas verò aſcendendo?

59. Ambroſ.

BENE notat D. Ambroſ. *in cap. 3. Luc.* quòd vtroque modo generationes narrantur in Scriptura, deſcendendo paſſim inuenies, *Geneſ.* 11. *num.* 10. Aſcendendo verò 1. *Reg.* 1. *n.* 1. & 9. *n.* 1. Quare ergo ordinando Chriſti generationem Matthæus incipit ab Abrahamo, & deſcendit vſque ad Chriſtum; Lucas verò *cap.* 5. inuerſo ordine, à Chriſto aſcendit vſque ad Adam, & Deum? Primò reſpondet D. Auguſt. *lib. 2. de conſenſ. Euang. cap.* 5 S.Thom. cap. 1. in Matth. *Matthæus,* ait, *intendit narrare generationem Chriſti carnalẽ, per quam deſcẽdit vſque ad infirmitatis noſtræ aſſumptionem, congruè eius generationem deſcendẽdo deſcribit; ſed Lucas, quia in ipſo commendat ſacerdotalem dignitatem, per quam Deo reconciliamur, & ipſi Chriſto vnimur, aſcendendo procedit.* Matthæus à primis progenitoribus ad inferiores ſe confert, agit enim de aſſumptione carnis, qua Filius Dei ad noſtram deſcendit infirmitatem: Lucas verò per Nathan, alioſque Sacerdotes deducit genus, eius dignitatem ſacerdotalem celebrando, per quam Deo reconciliamur, fitque noſter aſcenſus. Ex quo accipe rationem, ob quam D. Lucas in ſuo catalogo, peccatorum mentionem non facit, ab his enim Sacerdos valde alienus eſſe debet. D. Ambroſ. lib. 3. in Luc. *Non abnuo,* ait, *cùm Thamar, & Ruth defendo, peccatores quoque inter maiores Dominici generis computatos, quorum commemorationem S. Lucas declarare deſiderans, aliũ quendam ſucceſſionum ordinem tenuit. Neque enim Achab, neque Iechoniam, neque poſtremò Vriæ vxorem nominandos putauit, vt immaculatam ſacerdotalis generis ſeriem declararet.*

Auguſt. S.Thom.

Ambr. *Sacerdos alienus à peccatis etiam in ſuo genere.*

57. Auguſt. Secundò. Idem S. Auguſt. ſer. 15. de verbis Domini: *Matthæus,* inquit, *generationem Chriſti memorabat, qua deſcendit ad nos, ideo quando natus eſt Chriſtus, cœpit numerare deſcendendo; Lucas autẽ, quia tantùm numerare cœpit quando baptizatus eſt Chriſtus, ibi eſt initium aſcenſionis.* Similiter D. Anſelm. Quaſi quòd Matthæus narrat deſcendendo, quia de Chriſti generatione agebat, qua ad nos venit: Lucas verò aſcendendo, quia ſuſcipit Chriſtum à Baptiſmo, ex quo homo ad ſuperiora ſubleuatur, & ablutus à peccatis ad Deum accedit: & ideo D. Lucas in ſua ſerie ſeptuaginta ſeptem generationes apponit, per quas vniuerſitas peccatorum (vt probat D. Hieron. *Epiſt. 12. ad Damaſum,* ex illo Geneſ. 4. n. 23. *de Lamech verò ſeptuagies ſepties*) intelligitur. Pergit D. Auguſtin. cit. *Lucas exorſus eſt numerare vſque ad Adam, qui primus peccauit, & nos cum peccati obligatione generauit. Peruenit vſque ad Adam, & numerantur generationes 77. Sic ergo nulla generatio prætermiſſa eſt, nulla culpa præteritur, vbi non debetur ignoſci. nam ideo ipſius 77. generationes numerauit, quem numerum Dominus in peccatorum remiſſione commendauit, quoniam à Baptiſmo cœpit numerare, vbi omnia peccata ſoluuntur.* Idem habet D. Anſelm. Quod confirmat ex illo, quod Chriſtus D. dixit Petro, *Non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.*

Anſelm. Hieron. Geneſ. 4. Auguſt. Anſelm.

58. Paulin. Luc. 3. Tertiò. D. Paulin. *Epiſt. 10. ad Seuerum,* ex eo exiſtimat, quòd diuerſo modo ordiuntur hæc Euangelia; nam Lucas ſumit exordium à Ieſu: *Ipſe Ieſus erat incipiens,* Luc. 3. n. 23. In quo Matthæus terminat ſuam ſeriem; *de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus;* quia ipſe Dei Filius, eſt caput & terminus, principium, ac finis totius creaturæ.

Rupert. Quartò. Rupert. *hic in c. 1. Matth.* quandam rationem valde moralem excogitauit: quia in hac duplici ſerie generationum explicatur certamen, & victoria Verbi de Diabolo. Certamen, artem piſcatoris meditatus eſt Deus, ex his generationibus funem quendam ordinauit Deus, in cuius extremitate ſubligatus eſt diuinitatis hamus natura noſtra velatus, quem Diabolus diglutiens, illius cuſpide ſauciatus, captus periit, vt piſci in linea piſcatoris contingit. Victoria *in text. Luc.* Nam in eo fit circulus, vt ait Rupert. incipit in Ieſu Chriſto, qui eſt verus Deus, & terminatur in ipſo Deo, qui fuit Adam: in ſignum autem Victoriæ captiuo in auribus ponebatur circulus, vt de Leuiathan ait *Iob. 40. n. 20.* & ita in Matth. genealogia congreſſus Chriſti cum Diabolo deſignatur: in textu verò Lucæ, Victoria qua coronatus ad Deum Patrem redit. Vide Rupertum. Quintò. Tolet. *annot. 57. in c. 3. Luc.* In myſterio aduentus Chriſti duo conſiderantur, aduentus, & eius fructus; ille deſcendit de cœlis, vt aſcenderemus in cœlos; filius dei factus eſt homo, vt homo fieret filius Dei, & ideo Matth. deſcribit ipſum deſcenſum, ac aduentum eius ad nos; Luc. verò fructum Incarnationis narrat, dum homo ad Deum tendit, ac aſcendit. Hæ tamen omnes rationes ſunt morales.

Tolet.

59. Theoph. S Thom. Abulenſ. Sextò. Ratio litteralis, quam tradunt compendioſè D. Chryſoſt. *homil. 1. in Matth.* D. Thom. *hic* Abulenſ. *quæſt.* 5. Matthæus ſcripſit ſuum Euangelium Hebræis, qui maximè gloriabantur de Abrahamo, cui promiſſio de Incarnatione in eius ſemine erat facta: vt ergo oſtenderet, Chriſtum verum eſſe Meſſiam, ab ipſo Abrahamo tramitem generationis inchoauit texere, vt ita cum ipſo Abrahamo, ac Dauide Hebræum faceret beneuolum. Lucas verò ſuum Euangelium Græcis tradebat, ideo non tantùm progenitorum populi Iſraëlitici meminit, ſed vſque ad Adam, & ſurſum euehendo genealogiam protendit: quia cùm ſcriberet Gentibus inſipientibus, voluit incipere à notioribus, ad maiora eos deducendo, vel vt tacitè eos doceret, quòd per Chriſtum homo aſcendit ad Deum. Septima. Liceat mihi in laudem Virginis Mariæ, quandam rationem moralem dare. D. Matthæus narrat genealogiam Ioſeph. D. Lucas Virginis generationem deſcribit, vt eſt probabilis ſententia, & latè dicam *quæſt. vlt. huius cap.* Cùm ergo in generatione cuiuſque hominis, quamuis ſancti, & iuſti, lapſus, & deſcenſus ſit; ideo Matthæus proſapiam Ioſeph delineans, deſcendit. Cùm verò in generatione, ac rebus S. Virginis, quò magis mens conſiderat, eò ad maiora prouehitur, & vſque ad ipſum Deum volat; ideo Lucas, dum Virginis generationem diſcurrit, aſcendit. Et quia de S. Deipara tractabatur, ideo mulieres peccatrices luxuriæ inquinamento fœdas, vt Matthæus, non apponit, nec aliter exorditur generationem, niſi in Chriſti Baptiſmatis puritate, & vſque ad ipſum puritatis fontem deducit.

In Virgine omnia magna & ſancta.

QVÆSTIO XIX.

Quare Lucas, & Matthæus diuerſo verbo vtantur?

60. Auguſt.

DIVVS Matthæus ait, *Abraham genuit Iſaac,* &c. Lucas, *Qui fuit Dauid, qui fuit Ieſſe.* Quare? Reſpondet primò D. Auguſt. *lib. 2. de conſenſ. Euangeliſt. cap.* 2. quòd ipſa verborum differentia, quid ſinguli ſuſcepiſſent, eleganter manifeſtarunt. Matthæus, qui naturalem deſcribebat generationem, vſus eſt verbo *generandi;* Lucas verò, qui agebat de generatione legali, & per adoptionem, ab illo verbo abſtinuit; non enim rigoroſè dicitur filius genitus à patre adoptante; & quamquam aliquando dicatur, *Genuit nos verbo veritatis;* tamen ne confuſio fieret inter vtramque generationem, ideo ille modus loquendi vitandus fuit. Secundò. Texendo generationem Chriſti vtuntur Matthæus, & Lucas verbis *generandi, & fuit;* per *generationem* ſignificatur natiuitas, & ingreſſus hominis in mundum; per verbum *fuit,* mors, & exitus, vt oſtendatur, quòd mors, & natiuitas maximè coniunguntur, itavt idem ſit naſci, ac mori. Tertiò, etiam myſticè. D. Lucas agebat de ſacerdotali dignitate, cui omnia ſæculi bona in præterito eſſe debent, & tanquam res iam tranſactæ.

Mors & natiuitas coniunguntur.

61. Auguſt. Quæres: quare Matthæus in principio Euangelij ſui generationem Chriſti narrat; Lucas verò poſt Baptiſmum? Reſpondet primò D. Auguſt. citat. *lib. 2. de conſenſ. Euangeliſt. cap.* 4. quòd Lucas repræſentabat Chriſtum ſacerdotem, qui peccata noſtra per Baptiſmum expurgare venerat. Similiter D. Ambroſius *in cap. 3. Lucæ* Et ideo generationem deducit vſque ad Deum, quia poſt Baptiſmum homo ad Deum aſcendit. Tandem graues Recentiores, quòd Lucas ſignificari voluit communem opinionem, qua ante Baptiſmum reputabatur filius Ioſeph, donec ſignis, & virtute ſe ipſum mundo declarauit.

Ambroſ.

QVÆSTIO XX.

Quare hæc ſacra generatio inchoetur in Abrahamo?

RATIO literalis huius quæſtionis eſt: quia Abrahamus extitit caput, & origo totius populi Hebraici, & ei facta expreſſior de Incarnatione promiſſio fuit. Secundò, & myſticè. Abrahamus conſtituitur caput huius generationis. nam ille filium ſuum Deo obtulit in holocauſtum; ideo Deus, qui eſt diues in miſericordia, in ſuperabundante recompenſationem filium ſuum illi dare decreuit, *Gen. 22. num.* 16. Ita enim magnus eſt Dominus in magnificentia, & diſponit omnia miſericordiâ, & prudentiâ, vt præmium merito proportionetur, & quibus ei obſequia præſtamus, iiſdem dona ſua nobis communicet, & largiatur. Illud mirabile Sanſonis robur, quo vincula, & funes tam facile rumpebat, in capitis criminibus ſtatuit Deus, *Iudic. 16. num.* 17. Sed cur tantum donum eius potiùs brachiorum membris, ſeu lacertis, vel digitis manuum non addixit? Sanſon Nazaræus erat, ideſt, Deo conſecratus, cuius externum ſignum, quòd nouacula non tranſibat per caput eius, nec erat raſum tempore ſeparationis ſuæ. *Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius,* Num. 6. num. 5. Sanſon capillis obſequium Domino deferebat, cultumque præſtabat, ideo etiam in eis à Deo honoratur, ac ſuper cæteros extollitur. Lyranus. *Quia, ſicut ſupra dictum fuit, iſta fortitudo non erat virtutis noſtræ, ſed erat quoddam donum gratiæ gratis datæ, quæ in neceſſariis, & expedientibus fuit in eo, quandiu tenuit ritum Nazaræi.* Vide hac de re *lib. 2. cap. 4. quæſt. 34. num.* 132. 62.

Deus iiſdem remunerat, quibus famulamur. Num. 6. Lyran.

Tertiò. Abrahamus conſtituitur origo generationis huius; in ipſo enim plus præualuit gratia, quàm natura; cùm iniectus eſſet in ignem, Dei potentia illæſus exiuit. *De Vr Caldæorum,* Geneſ. 11. num. 31. Cùm eſſet ſenex, &, vt multorum eſt ſententia, iam ſterilis genuit filium; meritò ergo in catalogo hoc hic princeps ſcribitur; cùm hæc generatio tenderet, vt plus gratia, quàm natura valeret. Chriſtus conceptus eſt ſine ope viri, natus ex Virgine, quotieſcumque enim gratia, & natura concurrunt, gratia præferenda eſt. Benedicens Noe filiis ſuis ait: *Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem,* Geneſ. 9. n. 27. Quomodo Iapheth ætate minor primum in benedictione occupat locum? D. Paulinus Epiſtola 4. *Sacramenti ordo poſcebat, iuxta Noë propheticam benedictionem, in tabernacula Sem tranſire habitationem Iapheth, hoc eſt, in domo legis, & Prophetarum Eccleſiam potius iuſtificari, minorem temporum æuo, ſed gratia maiorem.* Sem, vt ſenior, naturam, Iapheth vt iunior, Eccleſiam repræſentabat, quam Deus gratia ſua ex gentibus congregauit: bene ergo Iapheth prior impetrat benedictionem, ſemper enim natura poſtponitur gratiæ. Cùm Elias veniſſet in Sarephta, inuenit mulierem, quæ habebat parum farinæ, ex qua ſibi, & filio ſuo panem præparabat: Elias ab ea petiuit, vt ſibi prius quàm filio ſuo panis buccellam daret, *quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ,* 3. Reg. 17. num. 15. Sed quomodo priùs Prophetæ cibos porrigit, & ſuper filium ſuum fame tabeſcentem 63.

Geneſ. 11. Geneſ. 9. Paulin. *Gratia pluſquam natura poteſt.* 3. Reg. 17.

 viſcera

Chryſoſt.

viſcera eius non ſunt commota? D. Chryſoſtomus *tom.6.homilia in Petrum,& Eliam*,ait,*Videre licuit naturam contemptam, & hoſpitalitatem honoratam, licebat videre eius viſcera proiecta, & Prophetam ſuſceptum*.In filio neceſſitate laborante naturæ vehementia demonſtrabatur; in poſtulatione Prophetæ efficacia gratiæ : bene ergo neceſſitas filij huic ſubmittitur ; nam parua gratia efficacior eſt, quàm vniuerſi naturæ conatus.

64. Quartò. Abrahamus exitit ſuperior omni carnis, ac ſanguinis affectu:ita à terra ſua egreditur, ac ſi non eſſet patria, in qua educatus fuerat, *Geneſ. 12.num.* ita filium dilectum Iſaac immolare intendit, ac ſi non eſſet pater, *Geneſ.22.num.*10. ita Iſmaelem à domo eiicit, ac ſi eſſet alienigena, *Geneſ.21.num.*10. Cùm Chriſtus Dominus conſtitutus eſſet Rex, ac Princeps totius vniuerſi, in quo nulla carnis, & ſanguinis propenſio introiuit; meritò eius progenies ab Abrahamo inchoatur. Ex pretio venditionis Chriſti *emerunt agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*, Matth. 27.n.7. Sed cur terra illa datur alienigenis, non verò conciuibus, ac naturalibus? D. Auguſtinus *ſermon.* 128. tenet agrum illum regnum Chriſti ſignificare, quod eius ſanguine acquiſitum eſt: & optimè dicitur hoc extraneis, & non domeſticis paratum; quia tanta iuſtitia, ac integritate erat regnaturus, ac ſi alienigena foret.

Matth.27.

Auguſt.
Rex alienus affectus.

Qvæstio XXI.

Quare numerentur fratres Iudæ?

65. Chryſoſt. Paſchaſ. Abulenſ.

CVR Euangeliſta Eſau, Iſmaelem, alioſque germanos prætermiſit, & tantùm fratres Iudæ commemorat? Reſpondent Chryſoſtomus *hom.*3.Paſchaſius, Abulenſis, & alij, quòd Iſmael, Eſau, & alij hinc repelluntur, ex eo, quòd non ſint filij promiſſionis, nec gratiæ, nec pars populi Dei, nec Chriſtus ex eis originem traxit : at filij Iacob Principes, & Patriarchæ duodecim Tribuum extiterunt, & quia non ſunt excluſi de populo Dei, etiam non merentur de Chriſti generatione excludi. Chryſoſt.*homil.* 3. *in Matth.* ita ait, *Præterea igitur illos (ſcilicet Iſmaelem, & Eſau) reticuit; feſtinat verò ad eos, ex quibus naſcitur Chriſtus.& vnde propagatur populus Iudæorum.* In eodem catalogo progenitores Chriſti, ac parentes populi fidelis recenſentur; qui enim in cauſa eſt, vt homines in Chriſto naſcantur, augeanturque, à progenitoribus Chriſti non diſtat. Secundò, vt ait Paſchaſius, cùm in eis Apoſtolorum numerus, & forma ſignatur, & aliunde dictum ſit, quòd Dominus regnabit in domo Iacob, ideo eorum fit mentio, & quia Chriſti patres non fuerant, hac de cauſa eorum nomina non exprimuntur, ſed ſolus Iudas declaratur, à quo originem traxit Saluator; vel eorum nomina tacentur, quia erant ſatis nota, ait Abulenſ. quæſt.7. *quia erant ſatis nota vt ita Euangeliſta conſuleret breuitati*

Chryſoſt.

Paſchaſ.

Abulenſ.

66. Secundò. Quia licèt peccatores, & accuſati fuerint de crimine peſſimo, & vendiderint Ioſeph; tamen veriſimile eſt, vt multi contendunt, omnes pœnitentiam egiſſe, & iuſtos effectos eſſe, quod non obtinuerunt Eſau, & Iſmael. Tertiò. Eſau, & Iſmael ſinguli ciuitatem, & regnum ad ſuum nomen celebrandum extruxerunt: at fratres Iudæ, retento Iſraelis cognomine in vnius populi, ac Reipublicæ vnitate permanſere, vt notat Abulenſis *quæſt.*6.Meritò ergo ſcribuntur, tum ob vnitatem, quam inter ſe, tum ob charitatem, quam erga patrem habuerunt. Quartò. D.Thomas. *Quia Iudæi, & fratres eius ſub cultura vnius Dei premanſerunt, & ideo de eis fit mentio in generatione Chriſti, non autem Iſmael, & Eſau.* Tantum enim extollit Religio & cultus Dei, vt illos faciat inter Chriſti parentes nominari.

Vnitas extol.

Abulenſ.

S.Thom.

Religio nobilitat.

Qvæstio XXII.

Quare dicatur, Iudas genuit Phares, & Zaram?

67. Abulenſ.

RATIO difficultatis eſt; quia Iudas alios habuit filios, ſcilicet Her, Onam, & Sela, *Geneſ.*38.*n.*3. Reſpondet primò Abulenſis *quæſt.* 8. Quia Phares, & Zaram fratres erant vterini ex eodem patre, & matre, & ſic maximè pertinebant ad populum Dei; non ſic verò Her, Onam, & Sela, quia licet ex eodem patte, non tamen ex eadem matre. Deinde, quia magni peccatores fuerint, quos Deus propterea interfecit, *Geneſ.*38. Secundò. D. Ambroſius in *cap.*3.*Lucæ* confugit ad ſenſum ſpiritualem, *In his duobus fratribus*, ait, *vterque populus figurabatur. vterque enim natus eſt ex Thamar, ideſt, ex cruce amara Chriſti, vbi parturiens clamauit: Zaram, ideſt, populus Iudeus, prior manum immiſit, in qua ligatum eſt filum coccineum, ideſt, circunciſionis, vel myſteriorum Crucis Chriſti: verùm retracto intus Zaram, prior egreſſus eſt Phares, ideſt, Gentilis populus Chriſtum ſuſcipiens.* Hi duo ideo ponuntur, quia duos populos, Iudaicum, & Gentilem, ſignificabant. Tertiò. D. Thomas ait, quòd in Abraham ſignificatur fides, in Iſaac ſpes, in Iacob charitas, in Iuda confeſſio, ex quibus oritur Phares, & Zaram : Phares, ideſt, diuiſio, ſeu deſtructio vitiorum; Zaram verò origo virtutum. Et ſic totus Chriſtianus ſtatus hîc deſcribitur, dum ex confeſſione deſtructis peccatis, reſultant gratia omneſque virtutes.

Peccatores Deus reijcit.
Ambroſ.

D.Thom.
Vitia deſtruēda, virtus amplectenda.

68. Maldonat.

Quartò Maldonatus. Iam tunc gemelli infantes in vtero contendere videbantur, quis nam primogenitus, & Chriſti parens futurus eſſet, vt dubium fuiſſe videretur, vter primogenitus habendus eſſet? Itaque voluit Euangeliſta honorem illis quodammodo partiri, ſic Phares in Chriſti genealogia numerans, vt Zaram non penitus excluderet. Magna intentare, affectaréque, eximia laus. Eſau verò non fuit nominandus; tum, quia ad Chriſti genealogiam ius non habebat; tum, quia paruipendens primogenita vendiderit, *Geneſ.*25.*num.*34. Acutè, & ingenioſè quandam hîc quæſtionem mouet R. P. Didacus de Baeza lib. 4. in Euang. cap.5. §.30. *Cur, cùm Iacob, & Eſau ſint fratres vterini, ſicut Phares, & Zaram, Chriſtus originem trahat à Iacob, & non à Zaram, cùm vterque ſecundo loco natus ſit?* Pulchrè reſpondet, quòd Iaco bprimogenituram ita affectauerit, vt nunquam deſtiterit; nam exiens *plantam fratris tenebat manu*, Geneſ.25.n.25. Vnde dicit D. Chryſoſtomus homil. de Iacob & Eſau: *Interea certamen nec naſcentibus defuit, dum maioris plantæ innixus Iacob aut prior naſci deſiderat, aut ſe victorem tali geſtu demonſtrat.* At Zaram, ſi habuit nobilem auſum, vt primas raperet, manum reuocauit, & liberum naſcendi locum fratri reliquit; & qui pedem ab incepto retrahit, ad magna aptus non eſt.

Laus intentare magna.

Baëza.

Geneſ.25.

Chryſoſt.

Qvæstio XXIII.

Quare fœminæ peccatrices in hoc loco ſcribantur?

69. Hieron. Ambr. Chryſoſt. Euthym.

QVARE non illuſtres fœminæ, ſed ſolæ multis criminibus infectæ huic ſacro ordini compinguntur? Reſpondent primò D. Hieronymus, S. Ambroſius *in cap.* 3. *Lucæ*, D.Chryſoſtomus *homil.*3.Euthymius & alij. *Notandum*, inquit Hieronymus, *in genealogia Saluatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas, quas Scriptura reprehendit : vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret.* Nec obſtat id, quod in contrarium habet Lyranus. Primò, quia in hoc catalogo ponitur Beatiſſima Virgo. Quia Patres, vt hîc aduertit Abulenſis, loquuntur de mulieribus, quæ viri ope conceperunt. Deinde, quia genealogia vſque ad Ioſeph protenditur. Nec obſtat ſecundò id, quod ait Hieronymus, quòd tres Reges ob grauia ſcelera relicti ſunt; nam, vt notant citatus Abulenſis; & S.Thomas, illi impœnitentes mortui ſunt : at Rahab, & Ruth, licet Chananææ, & idolorum cultrices, ſicut & Bethſabee adultera, & Thamar fornicaria : poſtea mulieres iuſtæ, ac ſanctæ pœnitentia peccata abluerunt.

Lyran.

Abulenſ.

Hieron.

S.Thom.

70. Ambroſ.

Secundò. Idem Ambroſius ſuper Lucam : *Ne pudeat*, ait, *Eccleſiam ex peccatoribus congregari, cùm Dominus naſci de peccatoribus non ſit dedignatus.* Ex quo habes, quòd non obliuiſcitur Chriſtus parentum peccatorum, ne tu obliuiſcare : honorauit ille, honora & tu genitores tuos, eſto pauperes, & humiles; pietas paterna apud te præualeat. Tertiò. Idem Ambroſius in 2. Dauid prologo cap.6. *Denique*, ait, *ea diſpoſitione Bethſabee, & Thamar inter auctores dominici generis computantur, quarum altera adulterium fecit; altera commiſit inceſtum. Ea diſpoſitione & Achab, & Iechonias adnumerantur maioribus Chriſti, vt omnes homines redempturus, beneficium à ſuis maioribus inchoaret.* Ideo Matthæus in hac generationis ſerie tot parentum Chriſti flagitia annumerat, & ab eis non abſtinuit; eſt enim maximus charitatis ordo, vt in diſtribuendis beneficiis propinquiores egentes primas habeant; ſicque veluti à progenitorum peccatis beneficium incepit. Et ita ait ſanctus Pater, *Beneficium à ſuis maioribus inchoaret*. Quartò. D. Paſchaſius hîc dat rationem, quantum ad Rahab, & Ruth, quæ Gentiles erant. *Qui iam per Patriarchas*, ait, *ex quorum carne futurus erat, ſibi Eccleſiam, non ſolùm de Iudæis, verùm etiam ex Gentilibus clementiſſimè copulabat.* Similiter Caietanus, *Intendit*, inquit, *Euangeliſta, & ipſa genealogia aperire, quòd Ieſus Chriſtus ex iſtis traxit originem, qui pro omnium ſalute incarnatus eſt.* Qui in omnium ſalutem venerat, ex omnium ſanguine voluit procreari, vt ſic omnium infirmitatibus maximè condoleret, & omnes ſui propinquitate decoraret.

Parentes etiā peccatores honorandi.

Ambroſ.
Conſanguinei primò fauendi.

Paſchaſ.

Caiet.

Fratrum infirmitatibus condolēdum.

71. Quintò. D. Auguſtinus *lib.22.contra Fauſtum, cap.*64. Impugnans Manichæorum hæreſim aſſerentium, quòd Chriſtus non habuerit verum corpus, tametſi originem ducens ex fœminis peccatricibus, ita ait: *Iſti hæretici ignorant, veraciſſimum Saluatorem noſtrum, non ſolùm loquendo, ſed naſcendo magiſtrum extitiſſe; etenim fideles congregandi erant ex omnibus gentibus, & ita ex generatione Chriſti diſcere debuerant, parentum iniquitatem ſibi non obeſſe, iuxta illud Ezechielis : Non occidentur patres pro filijs. Ezech.* 18. *Illud Deuter.*24.*Vnuſquiſque onus ſuum portabit.* Similiter Euthymius, filij enim ob delicta parentum nec abiiciendi, nec puniendi ſunt. Deinde idem Euthymius aliam rationem ſubdit. Vt Iudæorum tumorem reprimeret, quorum erat, virtutis nullam habere curam, ſed de progenitoribus plurimum gloriari; ideo oſtendit, illos ex illegitimis natos nuptiis Similiter loquitur Genadius *in Catena Græca.* His enim mulieribus reprobauit Dominus in ſuis maioribus præſumptionem de generis ſplendore. Sextò. Dicam quod ſentio in hac re, non ponuntur hîc aliæ mulieres, quia vt Iudææ, ac legitimæ vxores, certum erat, quòd ex ſuis viris ac maritis conceperant, vt Sara ex Abrahamo, Rebecca ex Iſaac; ſed tantùm recenſentur fœminæ, quæ ob peccata ſua ſuſpectæ erant, & de quibus dubitari poterat, an à propriis viris conceperint, vt Thamar, quæ ex inceſtuoſo concubitu conceperat; Rahab, quæ dicitur meretrix; Bethſabee, quæ adultera; Ruth, quæ Moabita, & idolorum cultrix; & vbi honor, ac fama anceps, opinióque periclitatur, ibi res, vt omne tollatur dubium, ab intimis aperienda, & explicanda, quod ſtatim illuſtrabo. De hoc *q.25.n.*77.78.

Auguſt.

Euthym.

De progenitoribus non gloriandum.
Genadius.

Vbi fama periclitatur ibi res explicanda.

Qvæstio XXIV.

Quis ſit Booz hîc nominatus?

72. QVÆSTIO eſt, vtrùm iſte Booz ſit vnus, an triplex, v. g. filius, pater, & auus, omnes hoc nomine Booz appellati? Et quiſnam ſit, qui dicitur genuiſſe Obed ex Ruth? Lyranus *hîc* exiſtimat tres fuiſſe Boozos. Fundamentum eius eſt. Quia à tranſitu Iordanis vſque ad natiuitatem Dauid fluxerunt trecenti ſexaginta ſex anni, & valde durum, quòd quatuor perſonæ, ſcilicet Salmon, Booz, Obed, & Ieſſe, tantum tempus adimpleuerint. Quòd verò ſit ſupradictus annorum numerus ex 3.*Regum cap.6. n.*1. Quòd anno quadringenteſimo octogeſimo ab egreſſu Ægypti (qui erat annus quartus regni Salomonis.) Domus Domini cœpit ædificari. Ex quibus detrahendi ſunt quadraginta anni deſerti vſque ad introitum Terræ promiſſæ; & ſeptuaginta anni, quibus vixit Dauid; & quatuor anni regni Salomonis; ſuperſunt trecenti ſexaginta ſex anni à tranſitu Iordanis vſque ad natiuitarem Dauidis. Et confirmatur ex Ioſepho *lib.*5. *Antiquitatum cap.*5. vbi teſtatur, hiſtoriam Ruth contigiſſe tempore Heli : ergo Salmon non potuit eſſe pater immediatus illius Booz, qui genuit Obed, niſi dicatur dictum Booz trecentorum ferè annorum genuiſſe Obed, quod eſt abſurdum.

Dubium.

Ioſeph.

73. Tenendum tamen eſt, vnum tantùm fuiſſe hominem nominatum Booz, & non plures. Hoc

mani

manifeſtè conſtat ex Scriptura, ex fine libri Ruth, vbi fit epilogus generationis Phares vſque ad Dauidem, & vnus tantùm nominatur Booz; & 7. *Paralip cap.2.num.12.* vbi ponitur progenies Phares per Eſron vſque ad Dauidem, & vnus tantùm nominatur Booz filius Salmon, & pater Obed. Similiter Lucas *cap.3. num.32.* vnum tantùm refert Booz filium Salmonis, & patrem Obed. Deinde, quia noſter Euangeliſta ait; *Omnes generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim*; & in ſecunda quaterdena non dicit *omnes*, quia in ea dimiſſi ſunt tres Reges ob ſcelus idololatriæ. Præterea id, quod dicitur de hoſtiria Ruth, fuiſſe tempore Heli, falſum eſt, vt communiter notant Scripturarij. Tandem non eſt impoſſibile, quòd illi quatuor, ſcilicet Salmon, Booz, Obed, Ieſſe, prædictum tempus totum adæquent; nam ſi æquè diuidatur, quilibet vno dimidio anno ſupra nonaginta vixiſſet, & ſi eorum aliquis minus vixit, alius potuit tanto plus viuere, vt dictus numerus compleatur, præcipuè cùm Abraham genuerit filios ex Cethura centum quadaginta annorum natus. Et denique iſti viri Salmon, & Booz fuerunt virtute illuſtres, & ob charitatem Rahab, & Ruth in matrimonium duxerunt.

Probatur vnum tantùm fuiſſe Booz.

QVÆSTIO XXV.

Quare Booz genuerit præſtantiſſimum filium Obed ex Ruth Moabitide.

74. QVANQVAM aliqua iam dixi *q. 20.* hîc res altius inquirenda eſt: Quomodo ex hac coniunctione, & matrimonio Booz cum Ruth, quæ erat Moabita, oritur præclarus filius, ſcilicet Obed, qui dicitur ſubditus, ſeu parentibus maximè obediens, ex quo naſcitur tota regalis proſapia, imò & ipſe Chriſtus (ſola enim obedientia hæc potuit educare, Obed pater eſſe Ieſſe, auus Dauid, *Ruth cap.4.num.12.*

Ex obediẽtia illuſtria pullulant.

75. *Imperfect.*

Præclarè reſpondet Author operis imperfecti homil.1. *Rooz ſenior conſtitutus* ait, *non ſibi vxorem accepit, ſed Deo non propter paſſionem corporis ſui, ſed propter iuſtitiam legis, vt ſuſcitaret ſemen proximo ſuo, non magis amore, quàm religione feruentior.* Et poſtea ſubdit. *Talis ergo Bo z ex tali coniuge Ruth, qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur ſubditus. Nunc autem qui diuitias eligunt, non mores, pulchritudinem, & non fidem; & quod in meretricibus ſolet quæri, hoc in coniugibus optant: propterea non genuerunt filios ſubditos vel ſibi, vel Deo, contumaces, & contra ſe, & contra Deũ, vt filij irreligioſitatis ipſorũ.* In coniunctione Boozi, & Ruth, vbi nulla inflammatio cupiditatis interuenerat, ſed tantùm religio in Deum, & amor filiorum ſpectabatur, vt ex propagine Ruth procrearet filios, alius naſci non potuit, niſi Obed, ideſt, illis ſubditus. Booz cum Ruth matrimonium iniuit, vt lex impleatur, & vt ſuſcitet ſemenco nſanguinei, & propinqui ſui, *Ruth 4.n.10.* iuxta id, quod præceptum erat *in Deuteron 25. n.7.* Et vbi homo totus eſt in eo, quod ſibi incumbit, & debita ratio expoſtulat, propter iuſtitiam legis, non mirum, quòd talis filius natus ſit. Aliter verò cùm Iſael in deſerto luxuriaſſet cum Moabitis, *Num.25.* Inde horribilia mõſtra prodierunt, ait idẽ Imperfectus. *Non magis honore, quàm religione feruentior.* Et infrà eadem homil. *Ruth pro merito fidei ſuæ nupſit Booz, quia propriam gentem contempſit, & terram, & genus, & elegit Iſrael,* &c. Meritò Ruth, quæ amore Religionis dimiſit patriam, parentes, ac cognàtos, & adhæſit populo Dei, tantùm filium genuit.

Caſta coniũctio in matrimonio filios ſanctos generat.

76. *Procop.*

Tertiò. Ad quæſtionem, Procopius relatus in Gloſſa 2. *ad cap.25. Deuteron.* ad illa verba. *Accipiet eam*, n.5. *Nondum*, ait, *manifeſtata reſurrectione, ipſa poſteritas, ac memoria per ipſam generationis conſeruata ſolatio veteribus fuit. Interim verò reſurrectionis figuram obtinuit. Eam verò cùm obſeruaſſet Booz, & duxiſſet Ruth, prodigij quiddam ſimile adeptus eſt, vt proauus eſſet Chriſti, futuram promiſſionem reſurrectione morali imitatus. Nam oportebat eum, qui nobis reſurrectionem donauerat, genus ducere per eos, qui typum eius ſecundùm carnem conſeruauerant.* Dum Booz ſemẽ propinqui ſui ſuſcitare intẽdit, figurã reſurrectionis Chriſti adumbrauit, & ex eo ad tantam meruit gloriam ſubleuari, vt inter Chriſti parentes annumeretur.

Figura reſurrectionis Chriſti maximè honoratur.

Quartò, Paſchaſius, & Abul q.13. *Vaticinatum, erat*, inquiunt, *ab Iſaiæ 16.n.1. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Eſt petra deſerti, quæ ciuitas terræ Moab, de qua dicitur fuiſſe Ruth, & ſic agnus dominator terræ, id eſt, Meſſias, venturus erat ad montem filiæ Sion, id eſt, in Hieruſalem, vbi mons eſt Sion: de petra deſerti, id eſt, de terra, vel ſtirpe Moabitarum, vbi erat ciuitas, quæ vocatur petra, ſcilicet de ſtirpe Ruth, quæ erat de petra deſerti.* Hæc Abulenſis. Ponitur ergo Ruth, vt videatur veritas diuinæ promiſſionis adimpleta. Sicut ob eandem cauſam dicitur filius Dauid, & Abrahæ.

Paſchaſ. Abulenſ.

Veritas diuina adimpleta.

Quintò, Quia obedientia Booz vt ſuſcitaret ſemen propinqui ſui, *Ruth 4.num.10.* remuneratur obedientiâ filij, qui dicitur Obed, id eſt, obediens, nam obediens filios obedientes generat.

Obedientia remuneratur.

77. Sextò. Quia Ruth Moabita maximam cum propinqua, ac ſocru ſua vnitatem, concordiámque conſeruauit atque retinuit, ita vt ei diceret: *Populus tuus populus meus, Deus tuus Deus meus*, Ruth 1.num.17. D. Hieronymus, de vera circunciſ. ſic ait: *Cur tantum peregrinæ conceditur, vt ſuo vtero deſtinatæ benedictionis ſemen accipiat & Iſraeli non Iſraelita parturiat dignitatem? Vnde iſtud, oro, promeruit? Credo, quia dixit ſocrui ſuæ: Populus tuus, populus meus; Deus tuus, Deus meus.* Ex concordia cum propinquis, tanqum ex admirabili virtute, digna, vt in hoc catalogo locum haberet.

Ruth 1.

D. Hieron.

Concordia cũ propinquis.

Septimò. Quia res erat anceps, & in dudubium reuocari poterat; au Booz rectè geſſiſſet in copulanda ſibi Ruth matrimonio? nam prohibitum erat Moabitidas ducere, *Deuter.23.n.3.* Aliunde lex præcipiebat fratris defuncti ſemen ſuſcitare; fuit ergo magnum facinus declarandũ, ne res eſſet ſub lite, tum ex nato filio Obed, qui dicitur obediens, tum, vt ait Rupertus hîc: *Semen, quod ex ea ſuſcitatum eſt, ſtatim ſecunda generatione generet Dauid Principem, & Regem Eccleſiæ Domini. Siquidem Obed ex ea generatus genuit Ieſſe, Ieſſe autem genuit Dauid Regem. Et Booz quidem non ſolùm excuſatus, verùm etiam iuſtificatus eſt, ducendo vxorem Moabitidem.* Hæc Rupertus. Vbi defectus cogitari poteſt, ibi ſuſpicio amouenda, honor, & ſanctiras aperienda.

Rupert.

Vbi fama periclitatur, ibi explicanda virtus.

78. *Geneſ.25. Auguſt.*

De Iacob inquit Scriptura. *Vir ſimplex habitabat in tabernaculis*; ſeu, vt legit D. Auguſtin. in

quæſtionibus ſupra Gen. apud Lippoman. *Vir ſine dolo*, Geneſ.25.num.27. Sed cur Scriptura de Iacob eiuſmodi teſtimonium profert, cùm aliud ſimile non dicatur, nec de Abrahamo, nec de Iſaac? Deus calumniam, quæ de ipſo ſuſpicari poterat, præoccupauit; nam poſtquam ſeniori fratri Eſau benedictionem præriperet, dicturus erat pater. *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem*, ibidem num.35. Similiter, & frater: *Iuſtè*, inquit, *vocatum eſt nomen eius. Iacob ſupplantauit me in altera vice*, n.36. ibidem. Ne ergo Iacob tanquam fraudulentus haberetur, neceſſe fuit diuino teſtimonio eius ſimplicitatem probari. Ita eleganrer D. Auguſtinus lib. 16. de ciuitate Dei cap.37. *Iſte dolus*, ait, *Iacob, ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ rei myſterium quæreretur, ſuperiùs dixit Scriptura: Erat autem Iacob vir ſimplex, hoc eſt, ſine dolo. Quis eſt dolus ſine dolo? Quæ, fictio non mentientus, niſi profundum myſterium veritatis.* Regius Vates Pſalm.105.n.1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Pater loquitur ad filium, vt ſedem conſtituat in dextera eius; at ſi filius ſit in dextera, Pater ad ſiniſtram manebit, qui apud nos multo inferior eſt locus. Optimè ait S. Auguſtinus, *Sede à dextris meis, vt honorificetur Filius.* Quòd Pater in natura, & eſſentia non ſit minor filio, omnes hæretici fatentur. At filium minorem eſſe Patre, aſſeruit Arrius. Sit ergo Chriſtus ad dexteram, vt æqualitas naturæ refulgeat, & omnis ambigendi occaſio abigatur.

Auguſt.

Geneſ.27.

Pſalm 105.

Auguſt.

Omnis ambigendi ſuſpicio amouenda.

QVÆSTIO XXVI.

Quare Dauid ſolus nominetur Rex?

79. *Abulenſ.*

RESPONDETVR primò, cum Abulenſi *quæſt,15.* & aliis. *Quia primus fuit ex tribu Iuda Rex, Regum caput, & fons.* Et ſi Saul antea regnauerat, ad Chriſti regnum non pertinebat. Secundò. Quia Dauid primus fuit electus ad regnum, tanquam in eo ſtabiliendum, & in ſua progenie conſeruandum, vt conſtat ex promiſſione perpetui regni illi facta, *2.Reg.7.num.12. 1.Paralip.17.num.11. Pſalm.88.num.4. Pſalm.131. num.11.* Et dignitas conceſſa, cum perpetuitate, quæ firmata inter cætera maxima reputatur. Tertiò. Solus Dauid titulo regio inſignitur, etenim coram Domino ſe humiliauit, ita vt eum contemneret Michol. *2. Reg.6.num.20.* Et qui ſe humiliat, exaltabitur. Hæc cauſa aſſignatur à Ruperto, ob quam Moyſes tanta ſit dignitate ſublimatus, vt Deus fieret Pharaonis; elegit enim magis improperium Chriſti, quàm diuitias Ægyptiorum, *ad Hebræos 11.num.26.*

Illa reputatur dignitas quæ eſt cum firmitate.

Humilitas exaltatur.

Quartò. inter omnes Reges huius catalogi, Dauid hoc habuit proprium, quòd ipſum regnum proprio ſuo labore comparauerit; in quo Chriſtum D. repræſentauit, qui per crucis dolores in regnum ſuum introiuit; meritò ergo Dauid, qui ita Chriſto aſſimilatus ait, omnibus eſt prælatus; omnis enim noſtra condecoratio, ac honos in eo ſtat, quòd Chriſto configuremur. D. Auguſt. Pſalm.15. *Cùm ergo Dauid*, ait, *Deus elegiſſet, & prædeſtinaſſet ad regnum, noluit & ipſum Dauid ante regnum tenere, quam primò à perſequentibus liberaret, vt etiam in hoc ipſo figuraret nos, id eſt, corpus eius cuius corporis caput Chriſtus, porrò enim ſi ipſum caput noſtrum ſine primo peracto labore in terra, in cælo regnare noluit; neque leuare ſurſum corpus, quod deorſum accepit, niſi per tribulationis viam; quid audent membra ſperare capite ſuo magis ſe poſſe eſſe felicia.*

Ea eſt noſtra condecoratio, quòd Chriſto aſſimilemur.

Auguſt.

80. *Auguſt.*

Quintò. Pulchrè D. Auguſtinus lib. 1. de mirabilibus ſacræ Scripturæ, cap.30. *Dauid autem Rex*, ait, *genuit Salomonem: cui non additur Regem, cùm Salomon patris regno teneret maius imperium. Sed ex hoc intelligitur patris ſui Dauid regnum Salomon hæreditario iure poſſidere, ad Dauid honorem regni plus pertinere.* Dauid regnum ex operibus obtinuit, Salomon ex hæreditate; & apud Deum honos non ex hæreditate, ſed ex meritis comparatus, & acquiſitus excellentiam habet.

Non ex hæreditate, ſed ex meritis honor.

Quintò. Inter omnes Patriarchas non Abrahamo, non Iſaaco, non Iacob Deus regnum dedit, ſed tantùm vni Dauidi, & hic inter omnes alios Reges regali titulo decoratur. Rupertus lib. 4. in Cantica, *Qui ferè*, ait, *primus vocibus manifeſtis canturus erat myſteria regni noſtri, & virtutes ſæculi venturi, oportuit eum Regem fieri, Regem Dauid potentem, & ſecundùm nomen ſuum bellatorem.* Elegit Deus Dauidem, vt manifeſtis vocibus virtutes regni Chriſti inter nationes celebraret, ad regiam dignitatem priùs aſſumitur; nam ſolus Rex, & qui de regno experientiam habet, de regni rebus poteſt agere, & habere ſermonem. Et nora, quòd bis dicitur Rex: *Ieſſe genuit Dauid Regem; Dauid autem Rex.* Quia bis dormientem Saulem in ſpelunca deprehendit, & viuum dimiſit, *1.Reg.7. & 26.num.10.* Et ex vtroque loco intellexit Saul, ipſum futurum Regem: ſeu quia miſericordia, & iudicio gubernauit: miſericordia in hoſtes, iuſtitia in homicidas, *3.Reg.2.num.8.* Tertiò. Quia ſibi, & ſuis regnum comparauit: ideo bis nominatur Rex.

Rupert.

Qui habet experientiam loquatur.

Matth.1. num.6. Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ: Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Aſa: Aſa autem genuit Ioſaphat: Ioſaphat autem genuit Ioram: Ioram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit Ioatham: Ioatham autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autẽ genuit Manaſſen: Manaſſes autem genuit Amon: Amon autem genuit Ioſiam: Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.

EXPOSITIO.

81. ACCEDIMVS ad explicandas quæſtiones, quę in ſecunda reperiũtur quaterdena, & à poſtrema prioris quaterdenæ progenie ſumemus exordium, vbi dicitur: *Dauid autem Rex genuit Salomonem*, qui interpretatur Rex pacifi

pacificus, & fuit potentiſſimus; ſolùm enim in pace eſt ſumma opulentia. Et eſt prima perſona huius quaterdenæ. Secunda Roboam, id eſt, multitudo populi: de quo eleganter ait D. Chryſoſtomus homil. 1. in Matth. *Salomon, cùm haberet regnum valde multiplicatum, natū ſibi illo tempore filium, appellauit Roboam, id eſt, in multitudine populi, vt ſecundùm ſtatum regni ſui multiplicari nominaretur filius eius; prouidentia autem Dei diſpēſauit, vt diceretur in multitudine populi, quoniā quod fit in multitudine populi, ſtatim facilè ſeditionem patitur.* Sapiens Rex filium ſibi in hæredem regni natū multitudinem populi appellauit, quia magnitudo regni ſtat in multitudine populi. Deinde vt diuina prouidentia innueret diuiſionem regni in filio; quod enim ſtat in multitudine, non perſeuerat, ac facilè erroribus ſuccumbit.

In pace opulentia.

Chryſoſt.

Quod eſt in multitudine non perſeuerat.

82. Tertia Abias. Et hic etiam declinauit à Domino 3. *Regum* 11. Quarta Aſa, qui morbo laborans ſe totum medicorum induſtriæ commiſit, 2. *Paralip.* 14. 15. 16. Quinta Ioſaphat. Et hic eſt valde celebris in Scripturis, ob fiduciam in Deum, 2. *Paralip.* 18. Sexta Ioram, hic fuit impiiſſimus, & occidit omnes fratres ſuos filios Ioſaphat: vnde à Deo punitus eſt, 2. *Paral.* 21. Et hîc omittuntur tres Reges intermedij: nam Ioram genuit Ochoziam, Ochozias Ioas, Ioas Amaſiam, qui genuit Oziam. Dicitur autem hîc in textu, *Ioram genuit Oziam*; non vt filium, ſed per alios interiectos, tamquam nepotem. Ozias non erat filius Ioram, ſed Amaſiæ, 4. *Reg.* 15. & 2. *Paralip.* 25. Septima perſona in hac genealogia eſt Ozias: fecit quod rectum erat in oculis Domini, & adiuuit eum Deus contra inimicos ſuos, & diuulgatum eſt nomen eius vſque ad introitum Ægypti, 2. *Paralip.* 26. Octaua Ioatham, hic fuit Rex bonus, colens Deum ſecundùm vias patris ſui, 4. *Reg.* 15. & 2. *Paralip.* 26. Nona Achaz, & fuit peſſimus, poſuitque ſimulacra Solis, & Lunæ in templo Domini, 4. *Reg.* 16. & 2. *Paralip.* 28. Decima Ezechias, & fuit optimus, 4. *Reg.* 19. & 2. *Paralip.* 29. Vndecima Manaſſes; & habuit ſecum Magos, & diuinatores; captuſque eſt à Rege Babylonis, in anguſtia orauit ad Deum, & reduxit eum ad terram ſuam, & deſtruxit idola omnia, 4. *Reg.* 21. Duodecima Amon, & fuit peſſimus: vnde ſerui eius occiderunt eum, 4. *Reg.* 21. Decimatertia Ioſias, extitit in Deum deuotiſſimus, fecitque maximè obſeruare legem Dei, 4. *Reg.* 22. & 93. Decimaquarta Iechonias, & fuit malus: & hic eſt pater illius Iechoniæ, qui nominatur poſt tranſmigrationem Babylonis; de quo infrà.

QVÆSTIO XXVII.

Quare Bethſabee hîc non exprimatur?

83. ALIÆ hîc declarantur mulieres peccatrices, vt Thamar, Rahab, Ruth; cur Bethſabee non ſcribitur nomine ſuo, ſed tantùm ait Euangeliſta: *Ex ea, quæ fuit Vriæ*; ſeu, vt eſt in textu Græco, & teſtatur Cerda in Aduerſariis cap. 187. *Dauid genuit Salomonem ex Vria?* Reſpondet primò Maldonatus, *Vt oſtendatur Salomonem ex adulterio non eſſe natum, ideo dicitur: Ex ea, quæ fuit Vriæ*; quia tunc iam non erat Vriæ, ſed legitima Dauidis, quando ex ea Salomon natus eſt. Secundò reſpondeo ex iis, quæ docent D. Remigius, D. Thom. Paſchaſ. & Hugo *hîc*, & alij, quòd Bethſabee ſuum fecit interficere virum, eiuſque mortis conſcia fuit; cùm ergo proditionis labe infecta fuerit, meritò in catalogo progenitorum Chriſti non recenſentur. Inter omnia flagitia, ac crimina, circumuenire dolis maximè execrabile. Tertiò D. Anſelmus hîc ait: *Tacet nomen Bethſabee, vt nominando Vriam reducat ad memoriam illud maximum ſcelus, quod fecit Dauid in eum. Tacet etiam, quia cæteræ cùm eſſent notabiles, non ſolùm non culpari, ſed etiam laudari meruerunt. Iſta verò adeò culpabilis eſt, quòd nomine non eſt digna, ſed ſolus iuſtus.* Vbi tres innuit rationes. Primò. Vt crimen adulterij, & homicidij Dauid, quod pœnitentiâ deletum eſt, in mentem veniat. Secundò, quia aliæ mulieres Gentiles, ac idololatræ laudandæ, dum populo Dei ſe coniungunt; Bethſabee verò, quæ erat fidelis, & in domo viri iuſti, ac eius præſentia quòd tantùm commiſerit crimen, valde culpabilis, ita vt non ſit nomine digna. Tertiò; quia Vrias ratione vxoris perſecutionem ſuſtinuit: non illa ergo, ſed ipſe eſt nomine dignus.

Cerda.

Maldonat.

Remig. Thomas. Paſchaſ. Hugo.

Proditoris crimen grauiſſimum.

Anſelm.

Qui patitur perſecutionē, nomine dignus.

Quartò. Paſchaſius ad præſentem quæſtionem: *Ad quod ſanè*, ait, *non incongruè fatendum creditur, quia tres præſcriptæ fœminæ, per quas Chriſti opera pietatis inſignia typicè præſignantur, non ſolùm non culpari, verùm laudari rectè meruerunt. Vnde ſine vllo nominis pudore recenſentur. Hæc quoque adulterio fuſcata ſimul & viri homicidio cruentata meritò videtur prætermiſſa.* Aliæ fœminæ, vt Thamar, Ruth, & Rahab nominantur; vnaquæque enim non luxuriæ incitamento, ſed amore generis Iſraelitici coitum ambiuit: at Bethſabee laſciuiis ſeruiens Regis in adulterium conceſſit; meritò ergo à regia proſapia expungitur mulier, quæ pudicitiæ modeſtia non decoratur. Et nota, quòd Reginæ nomen ſubticuit, vtique adulterij labe offuſcatæ. 84.

Paſchaſ.

Luxuria indigna regni.

QVÆSTIO XXVIII.

Quare hîc fiat mentio de adulterio?

REGIOS inter ſplendores adulterij meminit Euangeliſta, quòd totam videtur fœdare regiam proſapiam, & ſuſpectam reddere legitimam prolem? Reſpondeo primò, quòd totum crimen lachrymis iam obliteratum erat, & culpa pœnitentiâ extincta non nocet, nec deprimit, ſed nobilitat, ac extollit. Ita D. Iuſtinus Martyr q. 87. *Ergo Dauid*, ait, *qui pœnitentiâ delicta ſua correxit, propterea inuentus eſt ex animi Dei ſententia, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Ac benignè potentiam honorans Deus in vxoris Vriæ progenie collocauit genus Dauidis, eadémque de cauſa fecit, vt ex ea genus Chriſtus duceret.* Potentia cum pœnitentia animum Dei maximè rapit. Similiter Bachar. *epiſt. de recip. lapſ.* expendendo, cur ea, quæ fuit Vriæ, Chriſtus voluerit genus trahere. *Talis filius*, inquit, *naſcitur ex pœnitentia, talem parturiunt gemitus, & lamenta.* Secundò. Dum Dauid regio inſignitur titulo, ſtatim ei adulterium, & homicidium apponitur ex ea *quæ fuit Vriæ*; vt inde agnoſcas, quòd nulla ſit mundana dignitas tam ſublimis, quæ aliquam labem non patiatur, atque macula aliqua non fœdetur. Tertiò. In memoriam 85.

Iuſtin.

Pœnitentia in potentia maximè decora.

Bachar.

Nulla dignitas mundana ſine macula.

riam noſtram Deus adulterium reuocat: Dauid ſub ſecreti prætextu peccandi licentiam ſumpſit? & ideo diuina diſponente virtute, peccatum, vt maximè diuulgaretur, ac in omnium manibus haberetur, in Euangelio ſcriptum eſt, iuxta id, quod dicitur 2. Reg. 12. n. 12. *Tu feciſti abſconditè; ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu Solis.*

Peccatum ſecretum diuulgatur.

2. Reg. 12.

QVÆSTIO XXIX.

Quare tres Reges hîc omittantur?

86. RESPONDETVR primò, quòd Euangeliſtæ propoſitum erat, tribus quaterdenis totam Chriſti genealogiam comprehendere: ſi autem illos, ſcilicet Ochoziam, Ioas, & Amaſiam, in hac ſecunda teſſeradecade numeraſſet, ſeptemdecim iam fuiſſent generationes; hos autem potius, quàm alios ſubticuit, quia peccatores & ſemini Achab, ac impiiſſimæ Iezebelis ſe immiſcuerunt. Ita D. Hieronymus, D. Hilarius *Can.* 1. *in Matth.* Paſchaſius, D. Thomas, Carthuſianus, Abulenſis *quæſt.* 17. & alij multi. Ex quo habes, quantum noceat iniquorum affinitas, ac propinquitas: nam propter ſanguinem Achab in generatione ſancta hi tres Reges non ponuntur. Hanc ſententiam ſanctorum Patrum magis explico, quòd illi tres Reges non tantū deleti ſunt propter ſanguinem Achab, verùm etiam propter Dei promiſſionem, qui per Eliam comminatus fuerat illi, ſe omnem eius poſteritatem vſque ad quartam generationem deleturum, 3. *Reg.* 21. *n.* 2. Quod in Amaſia terminatum eſt. nam vxor Ioram filia Achab prima generatio, Ochozias ſecūda, Ioas tertia, Amaſias quarta, & vt videantur filij extincti, eorum non fit mentio in Euangelio.

Hieron. Hilar. Paſchaſ. Thomas. Carthuſ. Abulenſ.

Propinquitas iniquorum nocet.

87. Secundò. Rupertus *hîc* ait, hos tres Reges prætermiſſos, quia Prophetas, ac miniſtros Dei variis affecerunt iniuriis, non ſinentes eos vaticinari, nec prædicare: nam Ochozias Prophetas perſecutus eſt, ſicut & Achab 2. *Paralip.* 22. *n.* 24. Ioas Zachariam Prophetam filium Ioiadæ occidit 2. *Paralip.* 24. *num.* 22. Amaſias diuino Vati eius ſcelera reprehendenti reſpondit: *Num conſiliarius Regis? quieſce, non interficiam te*, 2. Paralip. 25. n. 16. Quamquam alij homines ſceleratiſſimi hac in progenie numerentur; hi tamen tres Reges, qui prophetarum ora claudere, & obſtruere intenderunt, excluduntur. Tertiò. D. Auguſtinus in quæſtionibus ex nouo Teſtamento quæſt. 85. *Non immeritò*, ait, *hi ab Euangeliſta ſublati ſunt de numero cæterorum; ſic enim eorum continuauit impietas, vt malignum eorum nullum interuallum haberet. Ab Ioram autem captum malignum ſic perambulauit vſque ad Oziam filium Amaſiæ, vt nullius lateri eſſet ſuffragium, quo ex parte meriti patris, aliquis eorum remaneret in numero Regum: nam Ioram malignè agens, meritò Ioſaphat remiſſus in numero eſt, Salomon quoque merito patris remiſſus eſt.* Alij nequiſſimi Reges, cùm ſanctiſſimos patres haberent, ex eorum merito in catalogo Chriſti progenitorum ſcribuntur. Hi autem tres tam ipſi, quàm eorum parentes mali, ac idololatræ extiterunt; vnde adminiculo paternæ virtutis deſtituti, à Chriſti genealogia excluduntur, aliter ſi ſanctos haberent patres, tantùm eorum virtus filiis prodeſt.

Rupert.

Impedire prædicatorem graue peccatum.

Auguſt.

Virtus parentis filijs prodeſt.

QVÆSTIO XXX.

Quomodo dicatur, quòd Ioſias genuerit Iechoniam?

IOSIAS quatuor habuit filios. Primus fuit Iohanam, ſecundus Ioachim, tertius Sedecias, quartus Sellum, 1. *Paralip.* 3. *num.* 15. Primus Iohanam mortuus eſt ante obitum patris, tres alij, defuncto parente, diuerſis temporibus Reges Iſraël extiterunt, omnes tamen captiui multis miſeriis affecti mortui ſunt. Quilibet eorum multa nomina ſortitus eſt; de quo latè Abulenſis *quæſt.* 20. nam Sellum dictus eſt Ioachaz, qui primus poſt patrem regnauit, & à Rege Ægypti Nechao captiuus ductus in Ægyptum, ibi mortuus eſt, 4. *Reg.* 24. *num.* 25. Ioachim qui & Iechonias dictus, & Sedecias diuerſis temporibus regno expoliati, ac à Nabuchodonoſore captiuitate ſubiugati ſunt, 4. *Reg.* 24. & 25. Ioachim ergo, qui ſecundò regnauit, dicitur hîc Iechonias. Ita D. Epiphanius *lib.* 1. *de hæreſi in ſecta Epic.* D. Ambroſius *lib.* 3. *in Luc.* D. Hieronymus *hîc*, D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euangeliſt. cap.* 4. D. Thomas, Euthymius, Hugo. Alij, & communiter Recentiores dicunt, Iechoniam eſſe Ioachim nepotem Ioſiæ, qui ductus eſt in Babyloniam, 4. *Reg.* 24. *num.* 2. Ad quæſtionem; Quare fratres Iechoniæ hîc nominantur, cùm hoc in aliis ordinariè non fiat? Reſpondent primò communiter Doctores, quòd computantur, quia regia dignitate omnes inſignes fuere. Secundò Caietanus. Ad commendandam, ait, memoriam Ioſiæ in multitudine filiorum Regum, tres enim Reges fuerunt; vt qui ex ſucceſſione pronepotum Regum commendari non potuit, ſaltem ex multitudine filiorum Regum commendetur. Et hoc directè videtur Euangeliſta feciſſe ad ſignificandum, quare ſuſtulerit memoriam Ioram in quartam generationem, oſtendendo quantum illius impietas meruerit, ſupplendóque memoriam pietatis Ioſiæ, dum illi adimitur, & huic ſuperadditur. Hæc ille. Tantum beneficium ex ſancto parente filij recipiunt. Tertiò. Paſchaſius. *Iechoniam autem*, ait, *& fratres eius, idcirco ſimul ponit, vt quorum erat communis impietas, & coæqualis infamia, fieret ſimul vna ſupplicij ſui & miſeriarum memoria.* Ideo Iechonias, & fratres eius computantur, vt æqualitas diuinæ iuſtitiæ innoteſcat; ſicut enim omnes iſti malum coram Domino fecerunt, & in eis æqualis fuit culpa, æqualis etiam extitit pœna, vt omnes regno priuati, captiuitate oppreſſi in varias prouincias tranſlati ſint. Et hæc mihi probabilior. 88.

Abulenſ.

Epiphan. Ambroſ. Hieron. Auguſt. Thom. Euthym. Hugo.

Caiet.

Paſchaſ.

Pœna culpæ æqualis.

QVÆSTIO XXXI.

Quare Euangeliſta ſubticuerit captiuitatem Ægyptiacam, & expreſſerit Babylonicam?

DIVVS Chryſoſtomus homil. 4. in Matth. 89.
Cur autem, ait, *ſicut Babylonicæ captiuitatis meminit, non etiam deſcenſus in Ægyptum? Quia hos nō timebāt; Babylonicos verò audire ſine timore*

Chryſoſt.

non poterant, & quòd illud eſſet antiquum, hoc verò recens, atque oculis ſemper occurrens : & illuc quidem non propter peccata abducti fuerant; huc verò ob ſcelera tranſlati ſunt. Vbi ſanctus Pater tres nobis dat rationes. Prima, captiuitatem Babylonicam in memoriam reuocat ad comprimendos, & coercendos à peccatis Iſraëlitas; nam ſimilem maximè timebant; & quod non facit amor, timor pœnæ facit. Secunda. Quia captiuitas Ægyptiaca valde perantiqua; Babylonica verò valde recens, & ideo in omnium ore maximè frequens. Tertia, captiuitas Babylonica permiſſa eſt ob peccata, & ſcelera populi; deſcenſus verò in Ægyptum in occaſionem meritorum, & vt promererentur bona promiſſa, ac vt virtus clareſceret, ordinatus eſt à Deo. Et ſolùm quæ ex culpa, & non quæ ad meritum naſcuntur, oppreſſionis, ac captiuitatis nomine appellanda. Quartam. Addo, quòd Euangeliſta voluit hanc quaterdenam in fulgentiſſimo Salomonis Regno incipere, & vſque ad captiuitatem Babylonicam ducere, vt intelligas, quòd omnis gloria mundi, in miſeria, lachrymis, & lamentatione terminatur.

Quod non amor, timor facit.
Antiqua obliuiſcũtur.
Quæ ex culpa tantum nomen pœnæ.
Omnis gloria mundi in laboribus terminatur.

QVÆSTIO XXXII.

Quare appelletur tranſmigratio, & non captiuitas Babyloniss

90. TOTA Scriptura clamat, quòd Iudæi ſubiugati, & captiui ducti ſunt in Babyloniam: quomodo non dicitur captiuitas? Pro quo nota, quòd triplex fuit Babylonis captiuitas. Prima anno tertio regni Ioachimi, & primo Nabuchodonoſoris. Secunda poſt octo annos, anno octauo imperij Nabuchodonoſoris; cùm Rex Ioachim, cum matre, ac Principibus populi, Nabuchodoſori ſponte ſe dedit, ac ſubiecit; & inde tranſlatus eſt ad Babyloniam, & hæc, cùm voluntariè ſit facta, dicitur à Hieremia *in Ezechiele* 1. *num*.2. tranſmigratio. Tertia captiuitas extitit anno decimonono Nabuchodonoſoris, & vndecimo regni Sedeciæ, qui cum maiori populi parte captiuus in Babyloniam tranſlatus eſt. quæ omnia conſtant ex 4. *lib. Reg. cap*.24. & 25. Dicitur tranſmigratio, & non captiuitas, quia vna fuit vera tranſmigratio, cùm ſponte ſit facta, & minorem dicit infamiam, quàm captiuitas, præcipuè cùm ex conſilio Hieremiæ ciuitas ſe dederit Nabuchodonoſori; & quæ decus ſuum habent, ex aliorum ſocietate non amittunt; imò potiùs illa ex tali conſortio condecorantur. Secundò. Tranſmigratio non importat tantam abiectionem, & ignominiam vt captiuitas: & ſolent iuſti ita aliorum defectus, ac turpitudines narrare, vt non videantur iniuria afficere, & onerare, ſed qua fieri poteſt exonerare ac excuſare.

Triplex captiuitas.
Peccata aliorum verbis diſſimulant iuſti.

91. Poſtquam Ioſeph ſuis ſe fratribus manifeſtauit, alta voce dixit cap.45. *Pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum*, num.6. Et iterum, *Præmiſit me Deus, vt reſeruemini ſuper terram*, n.7. & iterum: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*, n.8. Quod expendens D. Ambroſius lib. de Ioſeph Patriarcha c.12. *Quàm pia*, ait, *fraternitas, quàm dulcis germanitas, vt etiam parricidiale excuſetur admiſſum, dicens diuinæ illud prouidentiæ fuiſſe, non impietatis humanæ: quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, ſed à Domino miſſus ſit ad vitam.* Ioſeph re vera venditus eſt, ſed vt parricidiale illud crimen ſubticeat, diuinæ illud prouidentiæ adſcribit, non venditionem, ſed miſſionem appellando. *Cùm vidiſſet*, ait textus Geneſ.21. num.9. *Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Cauſa, ob quam poſtulat, vt filius ancillæ à paterna domo egrediatur, ludus ille fuit viſus à Sara; qui, vt tradit D. Hieronymus *in quæſtionibus Hebraicis*, erat idolorum cultus. Quare ergo non ait: Eiice ancillam, non enim filius eius in idololatria inſtruet filium meum, nec cum eo ludet, ſed tantùm ait, *non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo*; Sara, vt pia & ſancta idolorum cultum tranſmutauit in ludum; ludus verò peſſimæ pueritiæ ne patefieret, hæreditatem paternam in medium profert, quæ, vt ex conditione naturæ oriebatur, in vituperium verti non poterat. Inſtanter populus à Samuele Regem poſtulauit, 1. Reg. cap.8. num.21. *Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini.* Hæc penultima verba, *locutus eſt ea*, legit Chaldæus, *& ordinauit ea ante Dominum.* Populus furore commotus in tumultuaria verba ſe præcipitauit, ac Samuel ita diſpoſuit, vt compoſito ordine coram Domino recitaret, ne in pœnam populi verterentur.

Geneſ.45.
Ambroſ.
Geneſ.21.
Hieron.

*Matth.*1. *n*.12. Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autẽ genuit Azor: Azor autem genuit Sadoc: Sadoc autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar: Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.

EXPOSITIO.

92. TERTIA teſſeradecades initium habet à captiuitate Babylonica, & terminatur in libertate totius orbis per Chriſtum à tyrannide Diaboli. In hac quaterdena primus eſt Iechonias, & filius illius, de quo fit mentio ante tranſmigrationem, vt explicabo *quæſt. ſequenti*. Secundus, Salathiel; & hic cum patre ſuo Iechonia mortuus eſt in captiuitate, & eſt diſtinctus ab eo, de quo fit mentio 1. *Paralip*.3. vt notant Abulenſis, Caietanus, & alij. Tertius, Zorobabel, hic rediit cum populo in terram Iuda, expletis ſeptuaginta annis captiuitatis, & fuit dux populi, & Princeps in templo ædificando: de

de quo multa Eſdras *lib*. 1. *c*.2. & *ſequentibus*. Et de hoc dicitur 2. Aggæi num.24. *Aſſumam te Zorababel fili Salathiel, ſerue meus, & ponam te quaſi ſignaculum.* Quartus, Abiud. An fuerit genitus in captiuitate, vel pòſt, non conſtat. Quintus, Eliacim. Sextus, Azor. Septimus, Sadoc. Octauus, Achim. Nonus, Eliud. Decimus, Eleazar. Vndecimus, Mathan. Duodecimus, Iacob. Et de his progenitoribus ex Scriptura nihil conſtat. Decimuſtertius Ioſeph, vir ſanctiſſimæ Dei Genitricis, de quo dicam multa *c. vltim. huius libri*. Decimuſquartus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, de Spiritu ſancto conceptus, ex puriſſimo ſanguine Virginis Mariæ formatus. Et nota, quòd in omnibus præcedentibus generationibus dicitur quòd talis genuit talem; hîc verò non dicitur, quòd Ioſeph genuit Chriſtum, ſed tantùm dicitur vir Mariæ, de qua natus eſt Ieſus: quia non ope viri, Spiritu ſancto cooperante, conceptus eſt; qui vocatur Chriſtus, id eſt, Meſſias.

Aggæi 2.

QVÆSTIO XXXIII.

Quinam ſit iſte Iechonias, & quomodo pater tantorum Principum?

93. PRÆSENS quæſtio duo inquirit. Primum, quiſnam ſit iſte Iechonias? An ſit illemet, de quo fit mentio ante tranſmigrationem, de quo dicitur: *Ioſias genuit Iechoniam, & fratres eius?* quia ſi eſt illemet, vel in hac quaterdena, vel in ſecunda, tredecim erunt generationes; quod repugnat cum computatione Matthæi. D. Auguſtinus *lib*.2. *de conſenſu Euang. cap*.4. ait, quòd Iechonias bis numeratur; & id factum eſſe ex eo quòd eſt in angulo ſecundæ, & tertiæ teſſeradécadis; nam in ædificio bis numeratur lapis angularis. Imperfectus *homil*.1. ait, quòd Iechonias dupliciter recenſetur, ob duas, quas habuit, conditiones: fuit Rex ante tranſmigrationem, & poſtea captiuus, & priuatus; & apud huius ſæculi homines, ſi Princeps, vel potens, in paupertatem incidit, eſt iam alter ab eo, qui antea erat. Tertiò D. Hieronymus, Ambroſius *lib*.3. *in Lucam*, D. Carthuſianus, S. Thomas, Abulenſis, & Hugo tenent, non eſſe eundem, ſed duos tali nomine appellatores. Et ita ceſſat tota difficultas; ac proinde huic ſententiæ libentiſſimè adhæreo.

Auguſt.
Imperfect.
Hieron.
Ambroſ.
Carthuſ.
Thom.
Abulenſ.
Hugo.

94. Quoad ſecundum. Quomodo Iechonias ſit auus, vel proauus Zorobabelis, qui fuit populi dux, 1. *Eſdr. cap*.2. cùm de Iechonia dicatur à Deo per Hieremiam *cap*.22. *num*.30. in fine. *Scribe virum iſtum ſterilem, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſupra ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda* Reſpondent communiter Doctores, quòd Iechonias non dicitur abſolutè ſterilis, id eſt, quòd non habeat filios, ſed tantùm quòd non ſint ex eius ſemine, qui ſint Reges temporales Iſraël, & ſic poteſt exponi illud, *& poteſtatem habeat vltrà in Iuda*; ideſt, poteſtatem regiam; Zorobabel autem fuit dux populi. Secundò. Bene poteſt interpretari locus de poteſtate abſolutè, & ſimpliciter, quæ eſt independens ab alio homine, vt erat poteſtas Regum Iſraël. Iuriſdictio autem Zorobabelis fuit dependens à Cyro. Tertiò. Comminatio illa per Hieremiam poteſt accipi conditionaliter, itaut non ſit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda, in quantum eius filij ſimiles patri fuerint peccatis; Zorobabel autem fuit vir iuſtus, & probus, qui magno zelo honorem Dei, & bonum populi tractauit, noluit Deus, vt virtus tanta ſine præmio etiam temporali abiecta maneret, cùm ſcriptum ſit: *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezech.18. n.19. Quomodo verò locus Hieremiæ nòn pugnet cum regno Chriſti, infrà dicetur; nam cùm dicitur, *Nec erit vir*, ait Interlinealis, *vir* tantùm, Chriſtus autem eſt Deus, & homo, de quo infrà.

Hierem.22.
Ezech.18.

QVÆSTIO XXXIV.

Vnde habuerit Matthæus huius tertiæ teſſeradecadis genealogias?

95. IN ſacris litteris hæ vltimæ generationes non inueniuntur: vnde ergo illas habuit Matthæus? Reſpondetur primò, ex reuelatione Spiritus ſancti. Secundò, ex annalibus Iudæorum, qui in templo aſſeruabantur; Iudæi enim maximè erant genealogiarum ſtudioſiſſimi, primò propter natiuitatem Meſſiæ ex Tribu Iuda, & familia Dauid, ſecundò ne Tribus commiſcerentur inuicem per matrimonia: tertiò, ne hæreditates vnius Tribus ad alteram tranſirent: quartò, vt agnoſcerentur veri Sacerdotes ex familia Aaron, qui poſſent in templo miniſtrare. Vnde apud Eſdram *lib*.1. *cap*.2. *num*.59. & *lib*.2. *cap*.7. *n*.61. & *lib*.3. *cap*.5. quidam deiecti ſunt à ſacerdotio; quia non potuerunt genus ſuum indicare. De hoc latè Abulenſis *quæſt*.26. Et in his libris ſummi Sacerdotes valde verſati erant, & lites omnes de poſſeſſionibus & genealogiis pendentes iudicabant: & ideo penes ipſos erant huiuſmodi commentarij; atque hic eſt liber, de quo 1. Paral.9. n.1. *Vniuerſus ergo Iſraël dinumeratus eſt, & ſumma eorum ſcripta eſt in libro Regum Iſraël, & Iuda.* Et apud Ezechielem 13. *n*.9. de pſeudoprophetis pronuntiatur, quòd in Scriptura Domus Iſraël non ſcribentur. Hic ergo liber genealogiarum in archiuis templi aſſeruabatur, vt dicitur de libro regni facto ſub Saule 1. *Reg*.10. *n*.25. qui manſit in Sanctuario cuſtoditus.

1. Paral. 9.

QVÆSTIO XXXV.

Quare dicatur hîc de Ioſeph, virum Mariæ?

96. RESPONDEO primò. Quia eius genealogiam hîc narrabat Euangeliſta. cuius rei rationem dabo *quæſt. vlt*. Secundò. Vt videas humilitatem, & obedientiam Mariæ, quæ cùm iam omnium Domina, & Regina eſſet electa; ipſum tamen reuerebatur vt virum, & ei ſubdita erat. Tertiò. Quamuis Beatiſſima Virgo ad tantam eſſet altitudinem euecta, & ſublimata, vt Spiritus ſancti Sponſa diceretur; tali tamen dignitate naturalis non obliuiſcebatur obligationis, vt Ioſeph tanquam ſponſum, & virum coleret,

ac veneraretur; cùm ſcriptum ſit: *Caput mulieris vir*. Quartò. D. Auguſtinus *lib. de cathechizandis rudibus*, ita ait, *Natus Ieſus de Matre, quæ quamuis à viro intacta conceperit, ſempérq; intacta permanſerit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo manens, tamen fabro deſponſata erat, omnem typum carnalis nobilitatis extinxit.* Maluit Dominus matrem ſuã cum artifice homine deſponſatam eſſe, vt in hominibus omnem nobilitatis maiorum arrogantiam, ac iactantiam condemnaret.

August.

Omnis faſtus nobilitatis obÿciendus.

97. Cùm Virgo Chriſtum Dominum genuerit, *de qua natus eſt Ieſus*; ergo cum Deipara quindecim ſunt generationes, quod repugnat, vt infrà dicam, & non ſolùm quatuordecim. Reſpondeo primò, virginem Matrem ſimul cum Ioſeph loco vnius generationis computari; & quia ex Ioſeph non deſcendebat, non ſolùm Ioſeph numeratur, ſed addita eſt Virgo, non vt diſtinctam, ſed vt eandem efficeret generationem Chriſti, cuius Ioſeph erat putatiuus pater, & ipſa mater veriſſima, & ideo Euangeliſta hîc ſcribens generationem Ioſeph, ſimul de Beatiſſimæ Virginis progenie agebat.

Virgo computatur idem cum Ioſeph.

Qvæstio XXXVI.

Quare hîc ante Virginem tot generationes deſcribantur?

98. Respondeo primò, ex S. Methodio Martyre in homil. de B. Virgine: *Tot ſæcula euehuntur, vt dignitatem Matris Dei ſuſpicari valeamus. Conditum eſt momento ad vnam Dei vocem cælum, & quidquid cæli ambitu continetur: at Virginem Deiparam multos per annos operoſiſſimè fabricata eſt Dei omnipotentia; nec mirum, ſunt reliqua omnia, etiam ſimul ſumpta, nihil aliud, quàm riuulus quidam ab immenſo diuinitatis mari longiſſimè emanans; at Virgo ſanctiſſima Deo tam affinis, & ei adhærens, vt mater filio.* Ergo Beatiſſima Virgo ſuper cætera Dei opera, quæ tanto molimine fabricata eſt. Secundò, vt ex tam antiqua proſapia Virginis nobilitatem, & ex fructu ſanctitatem intelligas, vt inde videas, qualis ſit, in qua nobilitas cum tanta ſanctitate ſociata eſt. Tertiò Chryſoſtomus hîc: *Per iſta*, ait, *nos docet Dominus, vt nos quoque nunquam erubeſcamus de vitÿs parentum, ſed vt vnum quæramus, ſcilicet virtutem: ſi quis propria virtute decoretur, parentum ſuorum non decoloratur opprobrÿs.* Vbi fulget virtus, tenebræ paternalium defectuum non officiunt, nec oſtendunt, vt ſuprà diximus. Quartò. Et in eandem conſiderationem ad illa verba Cantic. 3. num. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarÿ.* Quæ verba ponderans Rupertus, ſic ait: *Tu dicis, ô Virgo, ſum puluis cum Abraham; ſed puluis es pigmentarius, qualem conficit Spiritus ſanctus. Dicis, propter humilitatem; ſum fumus cũ Dauid; ſed es fumus ex aromatibus aſcendens ex aureo thuribulo ad olfactum Dei.* Quamuis in parentibus Beatiſſimæ Virginis fuerit puluis, & fumus peccatorum, ac vitiorum; ab his omnibus tamen ipſa aliena, diuina gratia cooperante, omnia illa mala in maximas excellentias conuertit, ac omni perfectione, & virtute inſignita in ſuauiſſimum odorem ad præſentiam Dei aſcendit.

Method.

Virgo ſuper omnia Dei opera.

Chryſoſt.

Vitia parentum non nocent.

Cantic. 3.

Rupert.

Virgo libera à parentum peccatis

99. Quintò. Ex tam longa peccatorum ſerie naſcitur Virgo, quæ ipſa omnium peccantium tenebras, atque nebulas diſſipare valebat; & ideo amicta Sole apparet *in Apocal.* 11. *num.* 1. Et, *Electa, vt Sol*, dicitur Cantic. 6. num. 9. Quia, vt ait Hugo de S. Victore, 34. Electa, vt Sol dicitur, quia Solis iuſtitiæ, qui ex ipſa genitus eſt, præuentrix extitit, vt peccatorum tenebras fugaret.

Cantic. 6.
Hugo.
Virgo omnia peccata fugat.

100. Sextò. Ex tot, tantiſque maioribus multa labe inquinatis pullulat hæc immaculata roſa Virgo Maria, quia ipſa, vt omnium peccantium auxiliatrix, aduocataque naſcebatur, vt ſterilitates parentum, ac omnium creaturarum ſalutifero ſuæ natiuitatis rore fœcundaret, vt in vberes fructus germinarent. Dum terra aquarum penuria maximè opprimeretur, vidit puer patris mei Eliæ, & ait: *Ecce nubecula parua quæ aſcendebat de mari*, 3. Regum 18. num. 44. Nubes illa typus extitit ſanctiſſimæ Virginis, vt eſt multorum Patrum ſententia, & dicam *ſequenti cap.* Sed cur nubeculæ comparatur, quæ eſt Sol, & Lux? Noſter Ioannes Hieroſolymit. lib. de inſtitut. Monachorum, cap. 33. *Significauit autem Deus*, ait, *Eliæ in prædicta viſione, quo tempore nubecula illa, ſcilicet B. Maria, videretur à diſcipulis Eliæ de mari, id eſt, de amara, & vitioſa natura humana oriri, & aſcendere.* Nubes, vt eſt commune Philoſophorum placitum, ex vaporibus, ac exhalationibus terræ componitur, ac coagulatur; tota tamen ad irrigandam terram in imbres diſſoluitur; ita hæc ſanctiſſima nubecula Maria de natura noſtra omni amaritudine vitiata, eſt egreſſa, vt in nos ſaluriferos cæleſtium donorum & gratiarum imbres diffunderet, noſtramque ſterilitatem fœcundaret.

Virgo peccatorum auxiliatrix.

3. Reg. 18.

Ioan. Hier.

101. Quia ergo eiuſmodi matrem, & aduocatam aſſecuti ſumus, de qua ait Diuus Bernardus ſermone 1. de Aſſumpt. *Maria nobis facta dicitur aduocata, quæ apud Deum ſalutis noſtræ negotia efficaciter pertractat*; omni eam affectu, ac veneratione colere, & adorare debemus. Ait Chriſtus Dominus Cantic. 2. num. 7. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vſque ipſa velit* Et tamen ex circunſtantibus nullus extitit, qui pro forma, ac effigie ſponſæ, quæ eſt ſanctiſſima Virgo, vt vult Rupertus, aliquid interrogaret. Verumtamen cùm ipſa ſanctiſſima anima de Sponſo ſuo loqueretur: *Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, dicite ei, quia amore langueo*; ſtatim quæſierunt ab ea: *Qualis eſt dilectus tuus?* Cantic. 5. num. 9. Cur ad vtrumque iuramentum filiæ Hieruſalem non æqualiter ſe habent, ſed pro qualitate ſponſi perſcrutantur, minimè verò pro ſponſæ conditione? Dicat vnuſquiſque prout ſuo ſenſu abundat. Dicam ergo: Fieri poteſt, vt detur anima adeò deprauata, peccatiſque obſtinata, vt ſponſum ignoret, nec voce, nec fronte agnoſcat; nullus tamen adeò vecors, vt Virginem Mariam neſciat, ſed omnium hominum nationes eam adorant, ac venerantur, vt ſcribit OEcolampadius ſerm. de laudanda Maria in Deo.

Bernard.

Cantic. 2.

Rupert.

Cantic. 5.

Nullus eſt qui Virginem non adoret.

OEcolamp.

Qvæstio XXXVII.

Quare Euangeliſta, cùm ad Chriſtum accedit, mutet ſtylum?

102. Evangelista aliorum generationes deſcribendo vtitur verbo *genuit*; *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autẽ genuit Iacob*, &c. Cùm verò ad Chriſtum accedit, mutat verbum; non enim ait, Virum Mariæ, quæ genuit Chriſtum, ſed, *de qua natus eſt Ieſus*; conceptionem eius prætermittendo, de natiuitate loquitur. Reſpondeo primò, quod conceptio dicitur prima natiuitas, vt patet ex eo, quod Angelus dixit infrà ad Ioſeph, num. 20. *Quod in eo natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Secundò. Chriſti generatio noua, & inuſitata extitit præter rerum ordinem; nouo, & peculiari modo fuit explicanda. Tertiò. In aliis, *genuit*; ſignificat enim fœtum dum intra matris vterum concipitur, ac paulatim efformatur, & per multos dies variis diſpoſitionibus perficitur: Chriſtus autem dicitur natus, quia in primo ſuæ conceptionis inſtanti infuſa anima rationali omnibus modis fuit perfectiſſimus, organiſque diſtinctus, ſicut cæteri infantes in lucem prodeuntes, de quo latè Baſilius magnus *homil.* 25. Eius ſanctiſſima anima alta cognitione, triplicique ſcientia exornata, de quò latè S. Thomas 3. *part. quæſt.* 12. *& quæſt.* 35. *art.* 3. *&* 4. Notat Guerricus Abbas *ſerm.* 2. *de Annunc.* quòd Chriſtus Dominus dicitur *germen*; Hierem. 23. num. 5. *Germen iuſtum*; dicitur etiam *flos*, Iſai. 11. num. 1. *Flos de radice eius aſcendet*; vocatur quoque *fructus*, Pſal. 66. n. 7. *Terra dedit fructum ſuum.* Vnde ait citat. Abbas. *Bene autem ſimul vocatus germen, flos, & fructus, qui ſine gradu profectus, ab initio conceptus ſui, omni virtute, & gratia in ſeipſo extitit perfectus.* In primo ſui momento fuit germen, flos, & fructus, quia omnem conſummationem perfectionis obtinuit.

Baſilius.

D. Thom.
Guerricus.

Hierem. 23.
Iſai. 11.

Pſalm. 66.
Abbas.

103. Quartò. In aliis *genuit*, per quod innuitur miſeria humani generis, peccatum ſcilicet in nos per generationem transfuſum; in Chriſto verò natiuitas, *de qua natus eſt Ieſus*; quæ remedium ſalutis attulit mundo; naſcendo enim illuminauit homines, tam Iudæos, quàm Gentiles ambulantes in regione vmbræ mortis, & omnes ad ſui cognitionem attraxit; & ita ex Iudæa paſtores, ex Gentilitate Magos adduxit in hoc eodem Euangelij textu: in aliis eſt infirmitas, *genuit*, in Chriſto verò medicina, natiuitas; nullibi enim medicamen melius collocatur, quàm dum ægritudini propiùs accedit. Quintò. Genuit, ſeu generatio efformationem, atque augmentum fœtus importat: natiuitas verò laborem, periculum, ac moleſtiam. Iob cap. 5. n. 7. *Homo naſcitur ad laborem.* Et quamuis in Chriſti ortu, vt dicam *lib. 2. cap. 1.* nulla eſſet preſſura; tamen, vt ex hoc moraliter dicamus, filius Virginis appellatur Ieſus Chriſtus, id eſt, Saluator, & Rex: non fuit ergo conueniens, vt de eo diceretur generatio, ſed natiuitas; Regem enim, ac Saluatorem non decet proprium augmentum, ſed pro ſuis multa pati, & ſuſtinere.

Infirmitas ſaluti approximata.

Iob. 5.

Rex non quærat ſua, ſed ſuorum augmentum.

104. Libenti animo ſeſe offert Dauid ad pugnandum cum Goliath. *Non concidat cor cuiuſquam in eo: ego ſeruus tuus vadam & pugnabo aduersùs Philiſthæum*, 1. Reg. cap. 17. num. 32. Sed quomodo bonus adoleſcens tanto periculo ſe ſubiicere audet, in certaménque deſcendere cum eo, cuius robur totus Regis exercitus formidabat? Diuino numine Rex Iſraël electus iam erat, & vt talis publicaretur, decreuit Deus, vt pro omnium ſalute, periculo, pugnæque ſudori ſeſe ipſum exponeret D. Baſilius Seleucus orat. 15. *Cùm autem*, ait, *nullus è toto exercitu probaretur ſatis, eſſetque in periculo Saul, tunc militem ſuum producit in medium gratia, verè Regem facto declarans, dum pugnæ prouocationem Dauid ad ſe rapit.* Perpende vltima verba, in ipſo pugnæ conflictu ſe Regem manifeſtat, hæc eſt enim optimi Regis, ac Prælati conditio omne ſubire periculum, dummodo ſalua ſint pignora ſua. Intendebat Moyſes ſolus in Ægyptum pergere, dixit enim: *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum*, Exod. 4. num. 18. Poſtea verò dicitur ei à Deo: *Vade, & reuertere in Ægyptum, mortui ſunt enim, qui quærebant animam tuam*, ibid. Et ſtatim ſubditur. *Tulit Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & reuerſus eſt in Ægyptum*, ibidem num. 20. Ille antea in Ægyptum deſcendere ſolus decreuerat, modò cum tota familia accedit. Eleganter reſpondet Reuerendus Pater Ioannes de la Haye *in ſuo commentar. verſ.* 19. *conceptu* 149. Aperta ratio eſt: primum, quia putabat ſuos hoſtes viuere in Ægypto, quibus quidem ſe ipſum offerebat, ſed ſuos domeſticos ſubtrahebat; poſtea verò, cùm ſublatos agnouit, nullum erat periculum, quod ſuis familiaribus formidaret: itaque Moyſes ſuum in periculum ſponte ruens, ſuorum periculum diligenter præcauebat, *lib. 2. cap. 3. num. 7.*

1. Reg. 17.

Baſilius.

Exod. 4.

Ioannes de la Haye.

Qvæstio XXXIII.

Quare hîc Euangeliſta non explicet Spiritus ſancti cooperationem?

105. In gloriam Chriſti maximè cedere videbatur, quòd hîc Spiritus ſancti concurſum, & cooperationem Euangeliſta explicaret, dicendo: Qui natus eſt de Maria ex Spiritu ſancto; & tamen ſacer hiſtoriator noſter hoc ſubticuit. Reſpondeo primò, quòd Euangeliſta hîc tantùm manifeſtare intendebat, Chriſtum ex progenie Abrahæ ortum eſſe; & ideo Spiritus ſancti influxum non commemorauit; at verò cùm neceſſitas expoſtulauit, ſtatim illum aperuit, ac patefecit, infrà num. 20. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Nam in egregiè dicto, & facto etiam tempori, & occaſioni ſeruiendum. Secundò. In eo, quod dicitur, natus ex Virgine Maria, opus Spiritus ſancti eſſe ſignificatur, & innuitur. D. Bernardus homil. 2. ſuper Miſſus eſt: *Deus ſic elegit matrem*, ait, *quæ videlicet ineffabiliter, & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum huiuſmodi decebat natiuitas, quia nõ, niſi de Virgine naſceretur, talis congruebat, & Virgini partus, vt non pareret, niſi Deum; voluit itaque & matrem ſuam eſſe Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Ac debitum quidẽ omni iure miraculũ iſtud erat, vt ita conceptui partus reſponderet.* Et ſatis perbellè. Virgo tam ſancta, & pura, vt Maria,

In doctrina tempori accommodandum.

Bernard.

Maria ſolum Deum gignere poterat.

alium gignere non poterat, niſi Deum, & Deus congruentiùs aliam non poterat habere matrem, niſi Mariam.

106. Geneſ. 5. Dixit Deus ad ſerpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius; quia conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*, Geneſ. 3. n. 15. Hoc teſtimonium communiter de beata Virgine intelligunt Patres, D. Chryſoſtomus *homil. 17. in Geneſ.* D. Ambroſius *lib. de fuga ſæculi, cap. 7.* D. Auguſtinus *lib. 12. de Geneſ. ad liter.* Rupertus *lib. 13. in Geneſ. cap. 19.* D. Leo *5. diſt. cap. cùm enixa*, qui etiam per ſemen mulieris Chriſtum interpretantur, qui concurſu matris ſine viri ope natus eſt. Et quia de Virgine Maria ſermo eſt, ideo ait: *Inimicitias ponam*, & non *pono*; vt eſſet manifeſtum, quòd de Eua non loqueretur. Inſurgit modò difficultas: Cur hoc loco Deus totus eſt in explicandis mulieris encomiis: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius?* Et nihil dicitur de filij magnalibus? Cur non ponitur aliquod ſignum ad tale ſemen, & fructum mulieris agnoſcendum? Sat erat, quòd manifeſtaretur, mulierem eſſe Virginem Mariam, vt inde excellentia eius filij pateſieret; nullus enim alius tantæ Virginis filius eſſe poterat, niſi Deus factus homo. Diuus Cyprianus, vt refertur in libr. Arbor. vitæ, Concept. 473. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter te, & mulierem; non dicit, pono, ne ad Euam pertinere videretur; ſed ponam inimicitias inter te, & mulierem: id eſt, ſuſcitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, Angelo deferente verbum, rationem de promiſſionis exigat nouitate, dicendo: Quomodo fiet iſtud; quoniam virum non cognoſco? Ecce iſtud ſemen mulieris, quod non per traducem genitalium miniſterium commiſtione ſexus vtriuſque infunderetur in vtero, ſed clauſo clauſtro indeflorata Virginis inueniretur: ex hac ergo ſemen promiſſum eſt mulieri, quod ſemen Deus noſter eſt.* Et latè pergit. Vterus tantæ Virginis ad Deum hominem generandum ſola Spiritus ſancti gratia poterat fœcundari. Vide hoc *cap. 10.*

Chryſoſt. Ambr. Auguſt. Rupert. Leo. Cyprian.

QVÆSTIO XXXIX.

Quare Virgo Maria nominetur hîc, ſine aliquo titulo?

107. VALDE mirum videbitur, quòd Euangeliſta nominat hîc, Mariam, eámque cognomine aliquo non appellat, dicendo Virginem, vel Reginam, ſicut Dauid regia nomenclatura inſigniuit? Reſpondeo, quòd in eo, quod ait, *de qua natus eſt Ieſus*, tanquam in compendio omnia magnalia comprehendit. Quæ enim talis dignitas excogitari poteſt, vt ſubſtantia Virginis ipſius Dei ſubſtantia ſit, vt ait D. Auguſtinus ſerm. 2. de Aſſumpt. *Caro Chriſti, caro eſt Mariæ.* Arnaldus Carnot. *lib. de laudibus Virginis.* Petrus Damianus *ſerm. 1. de Natiuitate*, ait: *Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Eademmet caro Virginis in corpore Chryſti hypoſtaticè vnita eſt Deo. Vnde exclamat D. Anſelmus de Conceptione Virginis, c. 8. *Decens erat, vt & puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſe ipſum dare diſponebat.* De hoc infrà multa *cap. 5.*

Auguſt. Arnal. Carn. Damian. *Caro Chriſti, caro Virginis.* Anſelm.

108. Ex eo, quod Mater Dei habet vt Æterni parentis filia ſit, mater æterni Verbi, Sponſa Spiritus ſancti, domina, ac Regina omnium creaturarum: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumdata varietate*, Pſal. 44. n. 14. vt Regius Vates radicem, ac fontem totius Virginis magnitudinis decantaret, ait: *Omnis gloria eius ab intus*; hoc eſt, ab vtero, ita explicat locum Richardus à S. Laurentio lib. 6. de laudibus Virginis. *Cuius*, inquit, *Omnis gloria ab intus, quando Chriſtum geſtabat in vtero. Quid dicit de ea Zachar. 2. In gloria ero in medio eius, vnde tam ſæpe de ea dicitur abſque eo, quod pulcherrimum eſt, & intrinſecus latet.* A fœcunditate ipſius vteri, qua talem genuit filium, obtinuit, vt eſſet filia Regis, ac circumamicta, & circumdata omnium gratiarum, cæleſtiúmque donorum varietate.

Quanta ſit dignitas matris. Pſalm. 44. Richardus à S. Laurent. *Omnis gloria Virginis à maternitate.*

109. *Ipſa dignitas matris*, ait D. Thomas 1. part. q. 26. art. 6. ad 4. *habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius.* Vnde in genere Matris Deus de potentia abſoluta non poteſt facere meliorem matrem; nulla enim poteſt eſſe maior, quàm Mater Dei. Si verò ſecundùm dona ſpiritualia, atque ei communicatas gratias conſideretur, eorum magnitudo ex ſupradictis patet. Et ait D. Auguſtinus lib. de natura, & gratia, cap. 36. *Inde nouimus tantam gratiam eſſe Virgini collatam, quia Deum meruit concipere, & parere.* Si ergo ſecundùm diuum Thomam ipſa dignitas eſt infinita, & illa habuit gratiam, qua Deum meruit concipere: vide quanta ſit illius ſublimitas, quantamque perfectionem ipſa mundo attulerit. Vnde ſi Pater, & Spiritus ſanctus vellent de alia muliere aſſumere carnem, nulla maior perfectio intenſiua eſſet in orbe, nec de lege ordinaria daretur mulier ſanctior Maria: neque ei ſecundùm potentiam ordinariam aliqua perfectio addi poſſet. Tam perfecta in ſe ſubſiſtit. D. Bernardus ſermone 6. de gloria Virginis. *Aduerte*, inquit, *quòd hæc benedicta puella tantam perfectionem attulit vniuerſo, quod vlterioris perfectionis non eſt capax, nec Deus poteſt ordinaria poteſtate ipſam perficere vlteriori perfectione. Imò ſi ipſe Pater, vel Spiritus ſanctus de fœmina naſcerentur, nihil accreſceret orbi; quia quidquid nobilitatis, quidquid diuinitatis, & quidquid æternitatis, & totum in orbem diffuſum eſt, & productũ in illo æterno ſuppoſito, quod generauit Beatiſſima Virgo Maria, inuenitur.*

D. Thom. *Dignitas matris quandam infinitatem habet.* Auguſt. *Quanta ſit Virginis gratia.* Bernard.

QVÆSTIO LX.

Quare Euangeliſta ait de Saluatore noſtro: qui vocatur Chriſtus?

REDEMPTOR noſter Ieſus verè eſt Chriſtus Domini, vnctus oleo diuinitatis; quare Euangeliſta ait: *Qui vocatur Chriſtus*, cùm commodiùs videatur dicendum: *Qui eſt Chriſtus*? Reſpondeo modum eſſe loquendi Hebræorum, vt pro *eſſe* ponant, *vocari*, Lucæ cap. 1. num. 32. *Filius Altiſſimi vocabitur.* Et num. 37. *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis.* & 110.

Luc. 1.

& ſæpe alibi. Et meritò ſanè; nam re vera, qui dignitatem aliquam ſortitur, per merita, hoc ipſo ſolùm nomine ab ipſa deriuato appellari poteſt.

111. Suprà ſatis agitaui quæſtionem hanc; quare in hoc catalogo Dauid, & Abrahamus ponuntur in capite, & cum parentis nomine: *Filij Dauid, filij Abraham?* Inter varias ſolutiones, quas ibi dedi, vna eſt ex D. Chryſoſtomo, Anſelmo, Carthuſiano: quia iſti primatus dignitatem habuere. Abrahamus primus inter Patriarchas, Dauid primus inter Reges. Sed ſtatim ſuboritur quæſtio; quomodo Dauid dicatur primus inter Reges, cùm anteceſſerit Saul? Reſpondet Theophylactus, *Primus ex Regibus Deo placuit.* Magnum nomen defertur iuxta virtutis generoſitatem; & qui turpibus factis regalem purpuram fœdauit, nominis gloriam amiſit; & ideo inter ſceptro, coronáque conſpicuos Dauid primus ſcribitur, qui operibus regale munus adimpleuit. De Regibus Iſrael ait Deus: *Ipſi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognoui*, Oſee 8. num. 4. vbi de ipſis iniquis Regibus Deus ait, quòd quamuis principatum tenuerint, non tamen ex me; hoc eſt, non ex mea voluntate ſimpliciter, ſed ex aliqua permiſſione, vt explicant Diuus Cyprianus *Epiſtola ad Cornelium*, Lyranus, Hugo, & alij. Sed difficultas eſt, quomodo dicat Deus: *Non cognoui?* Nunquid diuinam cognitionem, & captum aliquid fugere poteſt? Minimè, omnia ſunt aperta, & nuda oculis eius; cùm verò iſti Principes iniqui ac præuaricatores legis Domini, quam ad vnguem obſeruare, auctoremque ipſius ipſum Deum colere debuerant, extiterint, ideo regium eorum nomen, ac dignitatem non agnouit Deus. Rupertus ibi in commentario. *Regnauerunt*, ait, *non ex me, ipſi, qui bonum proiecerunt*; qui enim in bono deficit, à dignitate cadit.

Qui habet merita, ſolum meretur dignitatis nomen. Chryſoſt. Anſelm. Carthuſ. Theoph. Oſee 8. Cypr. Lyran. Hugo. Rupert.

QVÆSTIO XLI.

Quare dicatur hîc ex Virgine natus Ieſus, *& non* Deus?

112. CVM Saluator noſter verè Deus, & homo ſit; non ait Euangeliſta, natus eſt *Deus*, ſed *Ieſus*. Sic notat Diuus Thomas hîc; *Natus eſt Ieſus; non dicit Deus, ſed Ieſus, quod eſt nomen hominis*, Vt homo naſcebatur ex Virgine, & ideo nomen hominis apponit. Reſpondeo ſecundò, quòd Ieſus dicit vnionem duarum naturarum in vna perſona: imò, vt dicunt communiter Logici cum Fonſeca 5. *Methapyſ. cap. 5. ſect. 5. quæſt. 7.* Ieſus dicit de formali naturam humanam, & connotat diuinum ſuppoſitum. Noluit ergo Chriſtus Dominus hîc ſcribi ſub nomine Dei, quod de formali dicit naturam diuinam; ſed ſub nomine Ieſus, quod primò, & formaliter humanam importat naturam, quæ eſt caro Virginis, de qua tanquam præclariſſima gloriatur Chriſtus.

S Thom. Fonſeca. *Deus de matre gloriatur*

113. Pſalm. 92. Ait Regius Vates Pſalm. 92. num. 1. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Bis dicitur Dominus indutus; primò decorem, ſecundò fortitudinem habet pro indumento. Sed inter magnalia Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri diuinitatis, pro ornatu, & decore præcinget humanitatem, an diuinitatem? D. Bonauentura *hîc*, Rupertus *in c. 3. Apocal. lib. 3.* vbi ait: *Dominus indutus decorem, & fortitudinem regnauit, id eſt, dum virgineam aſſumpſit carnem.* Licèt maiora ſint, quæ Chriſtus Dominus à Patre accepit. Et de eis maximè pulchreſcuit; ipſa tamen virginea caro, cùm à ſanctiſſima Matre ſua ſit communicata, pro decore habita eſt. *Egredimini*, clamat Sponſa Cantic. 3. num. 11. *& videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Per *diadema* à Verbo aſſumptam ex Virgine carnem intelligunt D. Athanaſius *in ſynopſi.* D. Ambroſius *lib. 1. de inſtitut. Virginis, cap. 16.* Philocarpathius, D. Bernardus *ſerm. 2. de Epiphan.* Beda, & alij Sed quare corpus à Virgine miniſtratum, diadema Chriſti appellatur? Inter omnia ſtemmata regalia corona à Rege maximè æſtimatur, in ea omnia illius magnalia continentur. Et hac de cauſa ſuprà Regis caput locum habet: meritò caro Chriſti à Virgine efformata Saluatoris diademati comparatur, de qua maximè gloriabundus in die maieſtatis ſuæ apparet. D. Gregorius Magnus ad citatum locum Canticorum, *Mater Chriſti*, ait, *Beata Maria eſſe creditur, quæ coronauit eum diademate; quia humanitatem noſtram ex ea aſſumpſit, ſicut in Euangelio recitatur.* Et ſtatim infert: *Diadema pro gloria aſſumitur.* Quaſi gloria Chriſti ſit caro à Virgine data. Vide *hoc lib. cap. 2. ſuprà, & cap. 5. num. 20. & num.* 88.

Bonauent. Rupert. Cant. 3. Athan. Ambroſ. Philocarp. Bernard. Beda. Greg. Magn.

Imò ipſum corpus à Virgine genitum habetur à Chriſto Domino pro particulari honore, & benedictione. Benedicens Iacob Ioſeph ait: *Omnipotens benedicat tibi benedictionibus vberum, & vuluæ*, Geneſ. cap. 49. num. 25. Per *Ioſeph* autem hîc communis Patrum conſenſus intelligit Chriſtum Dominum. D. Hippolytus, D. Eucherius, Rupertus & alij. Sed in benedictione, qua æternus Pater munerat filium ſuum dilectiſſimum Ieſum Chriſtum, ei datur benedictio vberum, & Ambroſius de benedictionibus Patriarch. cap. 18. *Mariæ dicit vbera, quæ verè benedicta erant. Vnde illa mulier in Euangelio ait: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* Nulla enim Chriſto charior eſſe poterat benedictio, quàm quòd talis matris eſſet filius, cùm hoc ſit ei pro ſumma gloria. 114.

Virgo pro benedictione data Chriſto. Geneſ. 49. Hippol. Eucher. Rupert. Ambroſ.

Matth. 1. *num.* 17. Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim; & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à tranſmigratione vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.

EXPOSITIO.

REDEGIT ad numerum Euangeliſta ſupradictas generationes per tres diſtributiones, quas per tres teſſeradecades, vt ſuprà ex Hieronymo attigimus, facit. Prima ab Abraham vſque ad Dauid generationes quatuordecim 115.

decim, id eſt, qui geniti ſunt,ſeu qui vixerunt ab Abraham vſque ad Dauid: ſic Geneſ.6. n.9. *Noë vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* A Dauid autem excluſiuè (neceſſarium eſt enim illum in eo primo quaterdenario includi. Si ad textum, & illius contextum attentis oculis reſpicimus vſque ad tranſmigrationem Babylonis,ſcilicet vſque ad Ioachim,ſeu primum Iechoniam, incluſiuè generationes quatuordecim. Et à tranſmigratione Babylonis, videlicet à ſecundo Iechonia Salathielis patre, vſque ad Chriſtum incluſiuè generationes quatuordecim. Et ſic efficiuntur generationes quadraginta duæ.

Geneſ.6.

QVÆSTIO XLII.

Quare in hac ſerie quadraginta duæ perſonæ narrentur?

116. IN hoc catalogo quadraginta duas generationes, ſeu perſonas ſcripſit Euangeliſta. Computando tripliciter quatuordecim, in quadraginta duo veniunt. Primò reſpondent Origenes *homil.in Numer.* D.Hieronymus *Epiſtola ad Fabiolam.* Paſchaſius *hic*, & alij, has quadraginta duas generationes quadraginta duobus manſionibus, quibus filij Iſrael ex Ægypto ad terram promiſſionis peruenerunt, *Numer.*33. reſpondere. Sicut enim ille populus Hebræus per illas manſiones ad Iordanem venit, deinde ad terram promiſſam: ſic per quadraginta duas generationes perueniunt ad Virginem, quaſi ad Iordanem,vt ait Paſchaſius, quæ pleno fluens gurgite Spiritus ſancti gratia redundabat,& ſic fit acceſſus ad Chriſtum, in quo ſunt omnia bona promiſſa. Secundò.Idem Paſchaſius,Remigius, *Quòd iſte numerus naſcitur à ſeptenario,& ſenario; nam ſexus ſeptem quadraginta duo faciunt: ſex ad opera (ſex diebus operatus eſt Dominus;) ſeptem verò ad requiem futuræ vitæ (ſeptimo die requieuit Deus) ſignificandam pertinet.* Vt ergo ad requiem, quæ eſt in Chriſto, poſſis intrare, neceſſe eſt,vt priùs per labores, ac preſſuras tranſeas. Huius rei alias dabo rationes *quæſt.ſeq.*

Origenes. Hieron. Paſchaſ.

Per Virginem acceditur ad Chriſtum. Paſchaſ. Remig.

Ad vitã per labores ingredimur.

August. D. Auguſtinus *lib.2. de conſenſu Euang. cap.4.* exiſtimat, excepto Chriſto, quadraginta eſſe generationes; Iechoniam enim, vnum tantùm eſſe aſſerit,in quo quadragenario numero totum vitæ noſtræ curſum ſignificari docet: de quo ait ſanctus Pater, *Illa nunc interim ratio occurrit, quòd tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, & mundus ipſe quatuor partibus terminatur, quadraginta autem quater habet decem.* Sed quadraginta duæ ſunt generationes, vt manifeſtè patet ex computatione Euangeliſtæ.

QVÆSTIO XLIII.

Quare Euangeliſta totam hanc genealogiam in tres diuiſerit partes?

117. Chryſoſt. RESPONDET primò D.Chryſoſt.homil.4. *Vt oſtendatur,quòd nec commutatis quidem diſciplinæ modis ille vnquam populus ſit melior effectus,neque cum Ducum, neque cum Regum,neque cum Sacerdotum poteſtate regeretur, ad ſtudium virtutis acceſſerit.* Secundò, quòd indicat idem D.Chryſoſt.Imperfect. *homil.*1. qui elegantiſſimè ait, *In tres partes diuiſit per generationes quatuordecim; quia ter completis quatuordecim mutatus eſt in Iudæis hominum ſtatus. Ab Abraham enim vſque ad Dauid fuerunt ſub Iudicibus, à Dauid vſque ad tranſmigrationem ſub Regibus à tranſmigratione vſque ad Chriſtum ſub Pontificibus.Hoc ergo vult demonſtrare,quoniam ſicut ſemper ter completis quatuordecim generationibus,mutatus eſt hominũ ſtatus;ſic completis quatuordecim generationibus à tranſmigratione vſque ad Chriſtum, neceſſe eſt à Chriſto ſimiliter mutari hominum ſtatum: quod factum eſt. Poſt Chriſtum enim iam non ſub iudicibus multis,nec ſub Regibus multis,nec ſub Pontificibus multis fuerunt: ſed omnes generationes ſub vno Chriſto,& Iudice,& Rege,& Pontifice factæ ſunt.* Et hæc ratio illas tres populi Iudaici mutationes comprehendit.

Imperfect.

Chriſtiani ſub vno Iudice, Rege,& Pontifice.

118. Remig. Gloſſa. S.Thom. Abulenſ. Tertiò.S.Remigius,Gloſſa,S.Thom.Abulenſis *q.2.in prologo Matth.* docent, quòd prædicta diſtinctio myſterio congruit; quia quaterdenarius eſt numerus compoſitus ex quatuor & decem. Per decem ergo vetus Teſtamentum intelligitur, quod datum eſt in decem mandatis. Per quatuor autem,Euangelium,quod in quatuor libris diſtinguitur. Tres autem quaterdenarij fidem Trinitatis deſignant,quod vtrique legi conueniebat; ſed in noua magis explicitè, in veteri autem magis obſcurè. Quartò D.Hieronymus apud S.Thomam, *Per illum numerum*, ait, *ſignificantur tria tempora, quibus omnium hominum vita ducitur. Per primum quaterdenarium ſignat tempus ante legem: quia ſunt aliqui Patres, qui fuerunt ante legem; ſecundum tempus ſub lege: quia omnes illi qui hîc ponuntur,ſunt ſub lege. Per tertium autem, tempus Gratiæ; quia terminatur ad Chriſtum, per quem gratia,& veritas facta eſt.* Ita Hieronymus. Quintò. Gloſſa, & Paſchaſius inquiunt, quòd in hoc numero ſeptiformis gratia Spiritus ſancti denotatur; nam quatuordecim,bis ſeptem includit; per quod ſignificatur,gratiam Spiritus ſancti,tam intrinſecus, quàm extrinſecus, ſeu tam corpori, quàm animæ eſſe neceſſariam ad ſalutem, iuxta illud, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*,Pſalm.83.n.1. Rupert.ſextò ita explicat,quòd *Chriſtus promiſſus fuit Abrahæ,diſtulit tamen venire ob ſcelus venditionis Ioſeph, qui annis quatuordecim ſeruiuit in Ægypto, poſtea promiſſus cum iuramento Dauid,diſtulit ſuum aduentum ob crimen adulterij eius cum Bethſabee etiã cum homicidio Vriæ coniunctum. Deinde promiſſus per Prophetas ſub Ezechia,& Ioſia,diſtulit per quatuordecim alias generationes venire ob peccatum Manaſſe fundentis ſanguinem innoxium.*

Hieron.

Lex triplex extitit.

Gloſſa. Paſchaſ.

Pſalm.83. Rupert.

119. Hîc poſui rationes ſanctorum Patrum, vt,quæ tibi magis placuerit,eligas:exiſtimo tamen,quòd, cùm Euangeliſta ſcripſerit Euangelium ab Abrahamo, ob rationes, quas ſuprà dedi,& ſint quadraginta duæ generationes, diuiſit in tres partes, ad diſcernendum ordinem regalis generis à cæteris, qui totus in ſecunda quaterdena continetur. Secundò. Tres ſeries poſuit, vel in honorem Trinitatis, vel ob triplicem ſtatum populi ſub Iudicibus, ſub Regibus, ſub Sacerdotibus; vel ob tres leges, naturalem,ſcriptam, & nouam; vel ob celebres tres promiſſiones in vnaquaque quaterdena factas; quæ erant valde communes,

& vulgares in populo. In prima teſſeradecade pollicitum eſt Abrahamo.In ſecunda Dauidi cum iuramento in figura Salomonis filij eius. *De fructu ventris tui.* In tertia, in ædificatione templi per Aggæum cap 2. num. 10. *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, plus quàm primæ*; & ideo tres ordines æquales hîc ſunt conſtituti.

Aggæi 2.

120. Quæres: Quare Euangeliſta generationum ſummam,& diuiſionem expreſſerit? Reſpondeo primò. Ob rationes proximè datas. Secundò, vt ait Caietanus; *Curauit Euangeliſta in quolibet ordine declarare numerũ,ne quis putaret,ipſum ex obliuione aliquid reliquiſſe;ſed quidquid omiſit,vt tres Reges, ex induſtria, & magno conſilio omiſit.* Tertiò voluit cauere, ne quis poſſet generationis Chriſti catalogum, aut minuendo, aut augendo numerum corrumpere.

Caiet.

Quare Euãgeliſta exprimit diuiſionem,

QVÆSTIO XLIV.

Quomodo Matthæus,& Lucas conueniant in narranda ſerie progenitorum Chriſti?

121. SATIS perantiqua,& difficilis quæſtio hîc occurrit. Matthæus hoc capite primo, & Luc. 3. catalogum Maiorum Chriſti ſcripſerunt, ita tamen vt à Dauide vſque ad Ioſeph in nominibus eorum diſcrepent,vno vel altero exceptos; & ideo hanc difficultatem, vt inextricabilem obiiciebat Chriſtianis Iulianus Apoſtata (vt teſtatur Hieronymus *in Matth.cap.*1.)& etiam Iudæi,vt idem refert *in cap.5.epiſt.ad Titum*, ad illud, *Stultas quæſtiones.* Et idem etiam obiiciebat Manichæus, vt teſtatur Auguſtinus *lib. 2. retractat.cap.* 7. Sed his dicimus:Scrutamini Scripturas,& ſtatim res fiet plana.In hac re inter Catholicos duæ ſunt ſententiæ.

D. Hieron.

Auguſt.

122. *Prima ſententia.* Prima ſententia tenet, Matthæum generationem ſancti Ioſeph à Dauide per Salomonem; Lucam verò genus Beatiſſimæ Virginis ab eodem Dauide per Nathan deſcripſiſſe. Certum eſt autem, parentes Beati Ioſeph ſanctiſſimæ Virginis eſſe diſtinctos, & ſic ceſſat tota controuerſia, quæ excogitari poteſt inter ipſos Euangeliſtas. Hanc ſententiam tenent multi. Ioannes Lucidus *lib.2.de emendatione temporum cap.9.& l.2. cap.*1.Iannes Annæus *lib.2. de Chronograph Philonis.* Petr. Galatinus *de Arcanis Catholicæ veritatis,lib.7.cap.*12. Ianſenius *in concordia Euangelica,cap.*14.Driedo *l.3.de dogmatibus, c.5. part.*4. Suarius *tom 2.ad 3.part.diſp.2.ſect.3.§.Dico* 3.citantur enim pro hac ſententia Hieronymus, vel Auctor lib.*de ortu Virginis*, & D.Auguſtinus *l.2. de quæſtionibus Euangel.q.9.* Carthuſianus, Sotus *in 4.diſt* 30. *quæſt.2.art.*1. Can.*lib.*11.*de locis, cap.*5. Caniſius *lib.1.de Beata Virgine cap.*3. Verùm hi vltimi Auctores nihil faciunt pro hac quæſtione. nam D.Hieronymus, & D. Auguſtinus illi in locis nec verbum de illa, vt etiam fatetur Suarius, Carthuſianus,tam *in cap.1. Matth.art.2.quæſt.5.* quàm *in cap.3. Lucæ,art.9.* ad illud, *Quia fuit Heli*; non ſolùm hanc ſententiam non tenet, verùm expreſsè contrariam docet, vt legenti patebit, Sotus loco allegato ſolùm ait Beatam Virginem per lineam paternam eſſe de tribu Iuda, per maternam verò de tribu Leui Canus, & Caniſius *locis allegatis* ſolùm dicunt, hanc ſententiam ab aliquibus catholicis probari.Citatur etiam Caietanus *in cap.3.Lucæ*, ad illud: *Qui fuit Mathat.* Sed ibi poſtquam proponit communem ſententiam,adducit hanc de carnali generatione Virginis, & ait, ſi talis opinio conſtaret, amplectanda eſſet. Et magis falsò citatur Damaſcenus ab aliquo Auctore, loco ſtatim allegando expreſsè ait, quòd Matthæus, & Lucas ambo generationem Virginis ſiluerunt; docet enim non fuiſſe morem Hebæis, generatione texere mulierum.

Lucidus. Annæus. Galatinus. Ianſenius. Driedo. Sotus. D. Hieron. Auguſt. Carthuſ. Sotus. Canus. Caniſius.

Caiet.

123. *Secunda, & vera ſententia.* Secunda ſententia, omnino vera, quæ nobis maximè placet, docet vtrumque Euangeliſtam Chriſti genealogiam per Ioſephum, cuius filius putabatur,enarraſſe,licèt non eodem modo Matthæus originem naturalem; Lucas verò legalem deſcripſit. Hæc ſententia eſt communis, & conſtat ex traditione Eccleſiæ, communi ſanctorum Patrum conſenſu, ac approbatione grauiſſimorum Theologorum. Probatur primò. Quia illa prima ſententia ſupponit, Heli parentem fuiſſe Beatiſſimæ Virginis; atqui omnes Patres, & Eccleſia tenet, appellatum Ioachim: ergo ille non eſt pater Beatiſſimæ Virginis, nec ille catalogus Lucæ illius genus. Nec ſat eſt id, quod reſpondet Ioannes Annæus citatus,quòd per abbreuiationem Ioachim dicitur Heli; vel fortaſſe, quia fuit binominis. Hoc, inquam, non ſatisfacit. Primò, quia Ioannes Annæus, vt fatetur etiam Suarius citatus,§.*ad tertiam*,multa falſa,& improbabilia de his genealogiis docet. Et *tom.*1. *ad 3.part.diſp.1.ſect.2.§.Quartò igitur*, ait, quòd hiſtoria Ioannis Annæi ex falſis Auctoribus conficta eſt.Et *ibidem §.Alij cum Euſebio,in fine*,vocat computationem Ioannis Annæi voluntariam. Deinde hîc maximè eſt liberum, dicere Ioachim vocari Heli per abbreuiationem,vel eſſe binominem; nam Ioannes Lucidus, & Ioannes Annæus floruerunt circa annum milleſimum quingentiſimum; & poſt tot annorum centenas, vnde collegerunt, eſſe binominem, vel nomen abbreuiatum? Quia ſi licet hoc fingere, nihil erit firmum in Scriptura,& alios omnes Chriſti progenitores dicemus binomines, vt rectè notauit D.Auguſtinus *l.2.quæſt.Euangelic.quæſt.*5. Confirmatur tandem, quia vt doctè probat Vaſquius *tom.2. ad. 2.part. diſp.127.c.4.à num.*40. iuxta radicem Hebraicam, & Græcam Ioachim per abbreuiationem nec poteſt dici, nec ſcribi Heli. Ipſum vide. Nec contra hoc facit id, quod Galatinus adducit ex quodam Rabbino,qui habuit reuelationem, ſcilicet parentem Matris Meſſiæ duplex habuiſſe nomen, vnum Ioachim, alterum Heli; hoc enim nullius eſt ponderis, vt etiam Auctores primæ ſententiæ tenent: quia reuelationes Rabbinorum apocryphæ, & ſine fundamento ſunt, & ideo omnino reiiciendæ.

Primũ fundamentum.

Suarius.

Vaſquius.

124. *Secundũ fundamentũ.* Probatur ſecundò ex ipſo textu.Ita ait: *Et ipſe Ieſus erat incipiens,quaſi annorum triginta,vt putabatur filius Ioſeph,qui fuit Heli.* Sed in tota genealogia illud nomen *qui*,ſemper refert vltimam perſonam ad ſubſequentem, tanquam filium ad patrem; ergo ſic in præſenti Ioſeph refertur ad Heli. Auctores contrarij reſpondent torquendo expreſſum textum; & dicunt, illam dictionem, *vt putabatur filius Ioſeph*,per parentheſim legendam: & tunc Chriſtus eſt, qui refertur ad Heli Et hoc confirmant ex Auctore *quæſt.noui, & veteris*

Auctor. qq. noui,& veteris teſtam.

teris Teſtamenti, apud Auguſtinum *quæſt.* 56. Et tandem ex textu Græco ita habet, *ſicut exiſtimabatur filius Ioſeph, filius Heli.* Sed contrà. In primis in nullo textu, ſiue Hebraico, ſiue Græco, ſiue Latino, illa dictio, *vt putabatur filius Ioſeph*, per parenteſim legitur; ergo tali modo accipienda non eſt; nec enim pro noſtra voluntate in ſacro textu punctum, vel parentheſis, vel apex ponenda ſunt: hoc enim faciunt hæretici ad verum ſenſum corrumpendum, & ideo talia fingere grauiter reprehendunt ſancti Patres, vt notaui *cap.* 1. Deinde, quomodo poteſt fieri credibile; quòd Lucas narraſſet generationem Virginis, & non Ioſeph; & tamen faceret mentionem Ioſeph, & non Virginis, cuius genus ſcribebat? Ille Auctor quæſt. noui, & veteris Teſtamenti, valde diuerſus eſt ab Auguſtino, vt in cenſura ante ipſum librum notatur; vbi dicitur in fine, quòd ille liber continet multa ab Auguſtino, & à veritate aliena. Auctor tamen illius libri in illa quæſtione expreſsè habet noſtram ſententiam; & nullo modo docet, quòd Chriſtus referatur ad Heli, & non Ioſeph, vt legenti patebit. Textus Græcus nullo modo fauet eiuſmodi expoſitioni; ita habet: *Sicut exiſtimabatur filius Ioſeph, filius Heli*; nam in textu Græco nomina in hac genealogia non connectuntur per relatiuum, *qui*, ſed per caſum gignendi, vt obſeruat Vaſquius citat. *num.* 36.

125. *Tertiũ fundamentum.* Damaſcen.

Probatur tertiò noſtra ſententia ex D. Ioanne Daſmaceno *lib.* 4. *de Orthodoxa fide cap.* 15. Et quod communiter tradunt Auctores, ſcilicet, quòd auus Ioachim fuit Panthera, & pater Barpanthera; & tamen Lucas hos non nominat in ſuo catalogo: ergo ibi non tractat de progenie Ioachim; nec enim ſufficiens ratio reddi poteſt ad hos omittendos, ſicut de aliis dicimus in generatione ſcripta à Matthæo. Et confirmatur: quia non erat recepta conſuetudo, & ordinaria apud Hebræos generationes texere mulierum; & ideo Matthæus narrat generationem per Ioſephum; & Lucas cap. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria.* Vbi ſummatim ponit generationem Ioſeph, & non Virginis, ne ab ordinaria conſuetudine diſcederet: poſtea verò latè ipſam explicat *cap.* 3.

126. Iuſtinus. Iul. African. Ambroſ. Hieron. Auguſt. Damaſcen. Nazianz. Nicephor. Anſelm. Beda. Theophyl. Euthym. Carthuſ. Bonauent. D.Thom. Hugo. Salmeron. Beaulxam. Maldonat. Tolet. Barrabas. Vaſquius.

Probatur quartò, & efficaciſſimè; quia ſancti Patres, cùm in hoc negotio maximè inſudauerint ſemper hanc ſententiam tenuerunt, & docuerunt communi conſenſu ab exordio ipſius Eccleſiæ D. Iuſtinus *quæſt.* 131. *& quæſt.* 133. *ad Gentes.* Iulius Africanus, apud Euſebium *lib.* 1. *hiſtoriæ Eccleſ. cap.* 7. D. Ambroſius *lib.* 1. *in Lucam, cap.* 3. D. Hieronymus *in cap.* 1. *Matth.* ad illud, *Iacob autem genuit Ioſeph.* D. Auguſtinus multis in locis *lib.* 2. *retract. c.* 7. *&* 12. *lib.* 2. *quæſt. Euangel. quæſt.* 5. *& lib.* 2. *de conſenſu Euangeliſt. cap.* 3. D. Damaſcenus *lib.* 4. *fidei, cap.* 15. *& orat.* 3. *de natiuitate Virginis*, D. Nazianzenus *in carmine de genealogia Chriſti*, Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 11. D. Anſelmus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Carthuſianus, D. Bonauentura *in cap.* 3. *Lucæ*, *in* illud, *Qui fuit Heli*, D. Thomas 3. *part. quæſt.* 31. *art.* 3. *ad ſecundum.* Grauiſſimi Doctores, Hugo *ad cap. Luc.* Salmeron, Beaulxam. Maldonatus, Toletus *in cap. Luc.* Barradas *lib.* 5. *cap.* 30. Vaſquius ſuprà citatus, & aliqui innumeri antiqui, & recentiores. Imò vſque ad annum 1550. (circa quod floruerunt Ioannes Lucidus, & Ioannes Annæus, qui primi contrarium dixerunt) nullus auſus eſt oppoſitum in medium proferre. Imò Iulius Africanus, qui fuit valde proximus tempori Apoſtolorum, teſtatur, hanc ſententiam accepiſſe à propinquis, & conſanguineis Chriſti. Ex quo hæc ſeneentia etiam traditione ſtabilitur. Sed iam aduerſariorum fundamenta ponamus.

127. Arguunt primò Auctores primæ ſententiæ. Quia in vtraque genealogia valde diuerſi ſunt progenitores à Dauide vſque ad Ioſeph. Matthæus teſtatur, illius patrem eſſe Iacob, Lucas verò, Heli. Et confirmatur, quia multo plures generationes computat, quam Matthæus: ergo illi duo Enangeliſtæ non deſcribunt eandem genealogiam Ioſeph.

128. *Solutio.* Reſpondent ſancti Patres communiter. Primò, quòd D. Ioſeph duos habuit patres, vnum naturalem, à quo eſt genitus; alterum legalem, cui legis præcepto adoptatus fuit: præcipiebat enim Deus, *Deuteronom.* 25. quòd ſi eſſent duo fratres, vno ſine filio moriente, ſecundus ſuſcitaret ſemen fratris ſui, ita vt primogenitus nomine defuncti naſceretur, Iacob, & Heli erant fratres nati, non ex eodem patre, ſed ex eadem matre, quam Africanus, & Nazianzenus in carmine *Feſtham* vocant. Hæc duobus nupſit viris, Mathat, ex quo genitus eſt Heli & Nathan, qui fuit pater Iacob. Heli duxit quandam in matrimonium, & mortuus eſt ſine filiis; tunc Iacob vt impleret legem, eandem duxit, ex qua natus eſt D. Ioſeph, qui eſt filius naturalis Iacob, & legalis Heli. Hæc tradunt D. Iuſtinus, & Africanus, qui ait, à conſanguineis Chriſti hæc accepiſſe. Et idem docent D. Ioannes Damaſcenus, Nazianzenus, Ambroſius, D. Hieronym. S. Thomas, Beda, & alij ſuprà citati Patres, excepto Auguſtino. Et idem habet etiam Hilarius *Can.* 1. *in Matth.* Titus Boſtrenus *in cap. Lucæ*, & alij multi. Hilar. Boſtrenus.

129. Auguſt. D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 3. *& lib.* 3. *contra Fauſtum, cap.* 3. *& lib.* 28. *cap.* 3. ait, Ioſeph fuiſſe filium adoptionis Heli, quem ipſe ſibi adoptauit: ſicut filia Pharaonis adoptauit ſibi Moyſem; ac proinde in hac ſententia Heli, non ex legis mandato, ſed ex amore, & adhuc viuens ſibi Ioſephum adoptauit. Prima tamen ſolutio, vtpote communis ſanctorum Patrum, & antiquitate, ac traditione probata tenenda eſt: Ioſeph duos habuit patres, naturalem Iacob, legalem verò Heli: vtramque autem generationem Euangeliſtæ enarrant; Matthæus naturalem, Lucas verò legalem; cuius rei rationem optimè reddit Titus Boſtrenus: *Opportunè*, ait, *conuenienterque alter naturalis, alter legalis meminit, quò hac nimirum ratione planum fiat, Ioſephum ex vtroque parente ad Dauidem, & Iudam genus ſuum referre.* Deinde Iudæ ſolùm parentes legales conſiderabant: Gentiles, naturales: Euangeliſtæ diuino afflati Spiritu, D. Ioſephum ex vtroque parente ad Dauidem reducunt, vt ſic omnibus ſatiſfaciant, & omnium dubitationem depellant. Boſtrenus.

129. Ambr. Nec cõtra hæc, quæ diximus, tibi faciat difficultatem. Primò, quòd D. Ambroſius citatus, quamuis noſtram communem ſententiam teneat, exiſtimat Heli eſſe patrem naturalem D. Ioſeph, Iacob verò legalem. Communis tamen

ſententia tenenda eſt, vtpotè antiquitate, traditione, & tot Patrum teſtimonio roborata. Secundò. Id, quod dicit Ianſenius, non potuiſſe excitare ſemen fratris defuncti, niſi germanum fratrem ex vtroque parente, nullum habet fundamentum; & maior eſt auctoritas Pattum in contrarium. Deinde ſi propinquus filium legalem defuncto gignere poterat, Ruth *cap.* 4. *num.* 5. quanto magis frater ex vno, & eodem parente prognatus, Tertiò. Id, quod obiiciunt Auctores contrarij contra Africani auctoritatem, ſiquidem ipſe fatetur, ſe non habere certum teſtimonium, nihil facit; quia poſtquam ipſe narrauit, quæ à nobis in prima ſolutione dicta ſunt, ait: *Hæc autem non nobis ad ſubitum reperta, aut abſque illis auctoribus commentata ſunt, ſed ipſi hæc Saluatoris noſtri ſecundùm carnem propinqui, ſiue ſtudio tanti ſeminis demonſtrandi, ſiue edocendi, quæ ſecundùm veritatem geſta ſunt, tradiderunt*, Quòd verò ipſe ait, ſe non habere certum teſtimonium, ideſt, ſcripturam authenticam: cuius rei rationem affert ipſemet Africanus; quia ſcripturæ, quæ in archiuis templi ſeruabantur, ex mandato Herodis (conſcij ignobilitatis generis ſui) concrematæ ſunt; & ita ait, ſe tantùm ex traditione habuiſſe.

Ianſenius. Ruth 4. African.

Arguunt ſecundò. Lex præcipiebat, quòd quando frater ſuſcitaret ſemen fratris ſui mortui, primogenitum ex ea natum, nomine defuncti appellarit. *Et primogenitum*, inquit, *ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſrael*, Deuteron. 25. n. 6. Atqui Iacob non vocauit filium ſuum Heli, ſed Ioſeph: ergo ex lege non duxit vxorem fratris, nec Ioſeph eſt filius legalis Heli. Hoc argumentum magnam olim difficultatem fecit Auguſtino *lib.* 2. *quæſt. Euangelic. quæſt.* 5. tamen *lib.* 2. *retractat. cap.* 12. optimè difficultatem explicat, quòd nomine defuncti vocaretur, non quaſi haberet idem nomen; ſed quòd filius illius reputaretur. Et ita explicant communiter Doctores illum locum. Dionyſius Carthuſianus, Lyranus, Hugo, Abulenſis *quæſt.* 6. Cornelius à Lapide. Et conſtat ex libro Ruth *cap.* 4. vbi propinquus ad ſuſcitandum ſemen propinqui ſui genitum Obed vocauit, non verò proprio defuncti nomine appellauit.

Auguſt. Dionyſ. Lyran. Hugo. Abulenſ. Corn. à Lap. Ruth 4.

Arguunt tertiò. Non videtur veriſimile, quòd Euangeliſtæ intendant explicare generationem Chriſti, deducendo, illum eſſe filium Abrahæ, & Dauidis; & hoc tantùm præſtant per Ioſephum, & non per Beatiſſimam Virginem, cùm Chriſtus Dominus ſit filius naturalis Virginis, & non Ioſephi; & aliquando Scriptura mulierum genealogias deſcribit, vt factum habemus in Iudith, ſuo libro *cap.* 8. vbi quatuordecim eius parentes narrat Scriptura vſque ad Ruben: ergo à fortiori hoc fieri debuit de Beatiſſima Virgine, quæ multo illuſtrior eſt. Confirmatur primò. Quia ex generatione B. Ioſeph, non rectè colligitur genus ſanctiſſimæ Virginis, nec Chriſti Domini, quia viri non de ſua ſolùm, verùm etiam de reliquis tribubus vxores ducere poterant, vt probat D. Auguſt. *in queſtionib. lib. Iudicum, quæſt.* 47. & ideo Saul, qui erat de tribu Beniamin, dedit filiam ſuam Michol Dauidi de tribu Iuda, 1. *Reg.* 18. *n.* 27. Et vndecim Tribus iurarunt, ſe tribui Beniamin non daturas filias ſuas, propter ſcelus, quod commiſerat: quòd nequaquam iuraſſent, niſi alias eis licitum eſſet, *Iudic.* 21. *num.* 1. Et Sacerdos Ioiada ex tribu Leui accepit in vxorem Ioſabeth filiam Ioram ex tribu Iuda, 2. *Paralip*, 21. *num.* 11. Booz duxit Ruth, quæ erat alienigena, *Ruth* 4. Et Ioachim ex tribu Iuda parens Beatiſſimę Virginis habuit Annam in vxorem ex tribu Leui, vt dicemus ad illa verba, *Eliſabeth cognata ſua.* Confirmatur ſecundò. Quia eſto D. Ioſeph non poſſet ducere vxorem, niſi ex ſua tribu Iuda, non tamen inde ſequitur, quòd Beatiſſima Virgo ſit ex familia Dauid; quia poterat habere vxorem in eadem tribu ex alia familia: & ſic videtur, non probari ex hoc, Chriſtum eſſe ex familia Dauid, quod nullo modo eſt dicendum.

Iudith 8. *Confirm.* 1. Auguſt. *Confirm.* 2.

131. *Solutio.* Hieron. Ambroſ.

Reſpondetur ad argumentum. Conſuetudinem eſſe Scripturæ in generationibus non texere ordinem mulierum, ſed virorum, vt docet D. Hieronymus *in cap.* 1. *Matth.* & D. Ambroſius *in c.* 3. *Lucæ*, quod ita intellige, non quòd aliquando alicuius mulieris viduæ, vt Iudith, genus non deſcribatur; ſed quòd generatio viri non ſolet per fœminas computari; & ideo generatio, ſiue viri, ſiue mulieri, vt Iudith, numquam per fœminas, ſed per viros deſcribitur. Tandem, quia, vt notant Recentiores communiter, Euangeliſtæ ſtatim in exordio Euangelij ab antiqua conſuetudine diſcrepare noluerunt, eique aduerſari recuſarunt.

132. *Ad* 1. *confir.* Euſebius.

Prima, & ſecunda confirmatio, non ſolùm procedunt contra noſtram, ſed contra omnem ſententiam, quia ſi eſt verum, quod intendunt, fruſtrà Matthæus Chriſti generationem per Ioſephum deſcribit: & ideo Theologi toti ſunt in eis ſoluendis. Breuiter ad primam Euſebius Emiſſenus *in ſermon de Natiuit. S. Mariæ*, prædictam legem non ducendi ex alia tribu, ait, eſſe vniuerſalem, & non eſſe licitum ducere ex alia tribu, & eos, qui cum alia nupſerunt, peccaſſe. Hæc ſententia nullo modo eſt tenenda, propter parenres ſanctiſſimæ Virginis. Et ideo dicendum, quòd viri bene poterant habere vxores ex alia tribu, vt probant exempla adducta; tamen fœminæ, quæ patrum hæreditatem adibant, neceſſariò coniungendæ erant in matrimonium viro ex ſua tribu, ſibique propinquo, & non alteri, vt obſeruauit D. Bonauentura *in* 4. *d.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 2. Et poſt eum Maldonatus, Barradas citati, & Vaſquius *num.* 15. Nam lex, *Num*, 36. *num.* 8. iuxta lectionem Hebraicam ita habet: *Omnis filia hæreditatem obtinẽs de tribubus filiorum Iſrael, vni de familia Tribus patris ſui erit in vxorem.* Et Chaldæus vertit, *Omnis filia hæres poſſeſſionis.* Finis, ac ratio legis erat, ne hæreditates permiſcerentur; & ideo lex tantùm reſpiciebat fœminas, quæ hæreditatem patrum obtinebant. Cùm autem ſanctiſſima Virgo eſſet ſuorum parentum vnica filia, & hæres poſſeſſionis eorum, non potuit in matrimonio tranſire ad alterum, niſi ad virum Tribus, & familiæ ſuæ. Et ideo rectè notat Maldonatus, quòd Beatiſſima Virgo ducta eſt in matrimonium ex præcepto & obligatione legis, de quo *cap. vlt.* Ex quo apertè coniuncitur, quòd Euangeliſtæ deſcribendo generationem Ioſeph, etiam Virginis enarrent.

Bonauent. Maldonat. Barradas. Vaſquius. Num 36.

133. *Ad* 2. *confir.* Ad ſecundam confirmationem iam patet ſolutio ex proximè dictis, quia fœmina hæres paternæ hæreditatis neceſſariò in matrimonium collocanda erat viro, non tantùm ex tribu ſua, verùm etiam ex familia; ſic enim ait lex: *Vni de familia Tribus patris ſui erit in vxorẽ.* Et quòd non ſolùm

ſolùm ex eadem tribu, ſed etiam ex eadem fami-
Chryſoſt. liā vxor eſſet ducenda, itā intellexerunt Chryſo-
Eucher. ſtomus *homil.2. in Matth.* Eucherius *in quæſtio-*
Theophyl. *nibus in Matth.* Theophylactus ad illud, *Ioſeph*
Euthym. *virum Mariæ.* Euthymius ad eadem verba. Fauet
Ambr. D. Ambroſius *lib.3. in Luc.cap.3.* Et ideo de filiis
Salphaad, quæ paternam hæreditatem obtinue-
Num.36. runt, dicitur: *Fecerunt filiæ Salphaad, vt fuerat*
imperatum, & nupſerunt Maala, & Therſa, &
Hegla, & Melcha, & Noa filiȷs patrui ſui de fami-
lia Manaſſes, qui fuit filius Ioſeph. Num.36.n.12.
Cùm igitur Beatiſſima Virgo paternalium bono-
rum eſſet hæres, non potuit nubere, niſi propin-
quo ſuo, & ex familia ſua. Alia argumenta par-
ui ponderis omitto, vt quòd Salathiel à Mat-
thæo, & Luca numeretur, fuerunt enim plures
eiuſdem nominis.

CAP. III.

De Conceptione, ac Natiuitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

QVÆSTIO I.

Immaculata Virginis Conceptio ab omni peccato originali immunis Scripturæ teſtimoniȷs demonſtratur: ad illa verba: Abraham genuit Iſaac.

1\. NON *patitur humana deuotio ſan-*
Bernard. *ctiſſima Virgo*, vt ait D. Bernardus,
te ſilentio præterire. Et à tua puriſ-
ſima Conceptione exordiamur.
Abraham autem genuit Iſaac. Su-
periori cap.q.14. dubium propoſui: Quare Euan-
liſta non iucipit catalogum progenitorum Chri-
ſti ab Adamo, cùm prima reuelatio Incarnatio-
nis ipſi Adamo fuerit facta; vt ibi ex ſanctis Pa-
Hieron. tribus dixi, & præter ibi citatos tenent D. Hie-
ronymus *in comment. ad Epheſ. 5.* ad illa verba,
Auguſt. *Nunc os ex oſſibus meis.* D. Auguſtinus *lib.9.Gen.*
Epiphan. *ad lit.cap.19.* D. Epiphanius *hæreſi* 48. Tertullia-
nus *lib.de anima, cap.11. & 21. & lib.3. contra*
Tertull. *Marchionem, cap.5.* Proſper *lib.1.de promiſſ.p.1.*
Proſper. *cap.1.* D. Leo Papa *epiſt.22.ad fin.* & aliȷ. Cur ergo
Leo. ſubticuit Adamum? Ea ratio præter datas citato
loco nunc occurrit. Præuidit Spiritus ſanctus,
cui omnia ab æterno ſunt præſentia, feſtum Con-
ceptionis Virginis hoc Euangelio celebrandum
ab Eccleſia, decreuit nullam in illo Adami men-
tionem fieri; vt inde cognoſcas, in die Conce-
ptionis Virginis Mariæ nullam primi parentis
memoriam habitam fuiſſe, ac ſi ille nunquam
extitiſſet; vt enim ait Petrus Damianus ſerm. de
Damian. Aſſumptione Virginis; *Caro Virginis ex Adam*
ſumpta maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis
continentia puritas in candorem lucis æterna con-
uerſa eſt. Quamquam enim Virgo naturaliter
Adami filia, illius tamen maculæ ita in ea prohi-
bitæ ſunt, ac ſi ab eo originem non traheret.

Pſalm.44.num.11. facit in præſenti locus. *Au-* 2.
di filia, & vide, inclina aurem tuam, & obliuiſcere Pſalm.44.
populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet
Rex decorem tuum, quia eſt Dominus Deus tuus.
Et quamquam ſenſus variȷ ſint; quidam de Eccle-
ſia, aliȷ de ipſa Virgine intelligunt; tamen de
conceptione eius immaculata explicant Chry- Chryſippus.
ſippus Hieroſolymitanus *ſerm. de S. Maria Dei-*
para. Leo Imperator Baſiliȷ filius *in homil.de An-*
nunciat. ſic ait: *Cùm adhuc in lumbis paternis* Leo Imper.
contineteris, progenitor tuus clamabat: Audi fi-
lia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere
populum tuum, & domum patris tui. Audiſti verè,
ô filia, commendationem, & oblita es populi tui, &
ſortis, & domus paternæ: ſortis videlicet illius, quam
Eua progenitrix toti generi diſtribuit, infinito illo
affectuum, paſſionum, & animi perturbationum cu-
mulo, quaſi hæreditario, relicto. At nihil horum tu
in domum tuam intuliſti. Hæc Imperator. Vbi ipſi
Virgini denuntiatur, paternam domum, ac popu-
lum obliuioni tradere; quamuis enim cum aliis
ab eis genus ſuum trahat, ita tamen macularum,
ac paſſionum eſt expers, & immunis, vt nullo
modo à talibus progenita videatur.

Et quod magis eſt, ipſamet Virgo ob purita- 3.
tem ſuam paternæ ſortis, ac domus ſe nobis obli-
tam proponit. Nullus eſt, qui ignoret, quòd in
Canticis Canticorum ſub nomine Sponſæ ex
communi Patrum ſententia, ipſa puriſſima Virgo
intelligatur. Sed ſi rem diligenter perſcruteris,
paſſim inuenies nomen *matris*, & nunquam *pa-*
tris. Cantic.1.num.6. *Filiȷ matris meæ.* Cantic.3. Cant. 1. & 3
num. 4. *Introducam illum in domum matris meæ.*
& num.11. & 6.num.8. & 8. num.1.2. & 5. Quare
ergo illi nomen matris in memoria, patris verò
in obliuione? D. Bernardus ſerm. 29. in Cantic.
Pulchrè autem, ait, *filios matris ſuæ, non autem &* Bernard.
patris ſui illos vocat, qui non habebant patrem
Deum, ſed ex patre Diabolo erant. Per matrem
verò tam ipſe, quàm Gregorius Magnus, & Nyſ- Greg. Magn.
ſenus *in cap.6.Cant.n.8.* gratiam intelligunt: me- Nyſſen.
ritò ergo hæc ſanctiſſima Virgo patrem ignorat,
& ſolam matrem agnoſcit; quia ita fuit à næuo, à *B. Virgo à*
labeque patris ſegregata: tamquam ſi illo care- *gratia pro-*
ret, atque à ſola matre, ſcilicet Dei gratia produ- *ducta.*
ceretur.

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de ra- 4.
dice eius aſcendet, Iſai.11.num.1. D. Ambroſius Iſaiæ 11.
de benedictionib.Patriarch.cap.4, Hieronymus *ad* Ambroſ.
locum Iſaiæ, inquiunt; *Virga Maria, flos Mariæ* Hieron.
Chriſtus eſt. Sed facit quæſtionem; cur Prophe-
ta, naturali modo loquendo, non ait, quòd virga
germinet florem, ſed tam virgæ, quàm flori idem
principium immediatè aſſignat: *Egredietur vir-*
ga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcen-
det. Quare hoc? Vt denotet, quòd tam Maria,
quàm eius filius Ieſus ab eodem principio, ſcili-
cet Dei omnipotentia, ac eius gratia, licèt val-
de diuerſimodè nati ſunt; Chriſtus ab omnipo-
tentia, dum produxit mirabilem vnionem hypo-
ſtaticam, de qua dicitur: *Fecit potentiam in bra-*
chio ſuo. Beata Virgo etiam oritur immediatè ea-
dem omnipotentia, ac gratia Dei, prout eam ab
originali macula præſeruauit; & ideo ait, *de ra-* *De radice*
dice Ieſſe, non de radice Dauid, cui promiſſio fa- *Ieſſe, & non*
cta eſt, quòd Chriſtus ex ſemine eius naſceretur; *Dauid.*
Ieſſe, munus, ſeu donum ſignificat, teſte D. Hie- Hieron.
ronymo. Diuina prouidentiā Propheta primam
Virginis originem ad Ieſſe refert, vt innuatur,

quòd prima Virginis productio, & egreſſio, ex
cæleſti, ac ſupernaturali Dei dono, atque mune-
re facta eſt. Et pro *radice*, in Hebræo habetur
Gueſog. id eſt, *ex trunco præciſo*, vt obſeruant ibi
Procop. Procopius, & aliqui Rabbini, apud Pagnin. in
Pagninus. theſauro vocum Hebraicarum, quia puriſſima
Dei Genitrix orta eſt ex natura humana, non
prout erat coniuncta, & radicata cum antiqua, &
vitiata radice primi hominis, ſed prout erat ab
illo præciſa, & ſeparata, vt inde nulla macula pri-
mi hominis ad eam tranſmeare potuerit. Et ideo
Bernard. ait D. Bernardus in ſermone, qui inſcribitur *de*
B. Maria, cap.37. vbi ipſam comparat cum arca
Teſtamenti, quæ de materia incorruptibili facta
eſt: *De lignis,* ait, *Setim condita eſt arca, quia licèt*
Maria de Patrum natura per peccata vitiatam
duceret originem, præelecta tamen eſt per Spiritum
ſanctum, & præſeruata ad purum. Ac ſi dicat, quòd
per Dei ordinationem præciſa eſt à maculoſo
trunco, & ad purum reſeruata.

5\. Vidit parens meus Elias: *Et ecce nubecula par-*
2.Reg.18. *ua aſcendebat de mari,* 3.Reg.18.n 44. In quo my-
ſterium immaculatæ Conceptionis ei reuelatum
fuiſſe teſtatur antiquiſſimus, & grauiſſimus Au-
ctor Ioannes Hieroſolymitanus, qui floruit circa
Ioan. Hier. annos 400. lib. de inſtitut. Monach. cap. 32. *Per*
illam nubeculam, ait, *reuelauit Deus Eliæ, quòd quæ-*
dam infantula, ſcilicet B. Maria, per illam nubecu-
lam ſignificata eſt; & inſtar illius nubeculæ per hu-
militatem parua naſceretur de humana natura pec-
catrice, deſignata per mare. Quæ infantula iam in
ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde; &
quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro,
Beata Virgo *tamen ſine aliqua amaritudine. Licèt namque nu-*
libera à na- *becula illa eſſet originaliter à mari, alterius tamen*
turæ pondere. *fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis; mare quip-*
pe ponderoſum eſt, & amarū; ſed nubecula illa leuis
fuit, & dulcis: ſic etiam B. Maria de mari, ſcilicet
natura humana, aliter tamen fuit orta. Et ſatis ele-
ganter. Nubes à mari oritur, valde tamen diſtinctę
qualitatis ab ipſo eſt, mare amarum, grauidum, &
ponderoſum, opacum, & ſterilizans; nubes verò
valde eſt ſemota ab his imperfectionibus; dulcis,
leuis, lucida, & fœcundans. Sic Beatiſſima Virgo,
licèt orta de humana natura, tamen tota pulchra
ſine macula humanæ propaginis venuſtiſſima ap-
paret. De hac parentis Eliæ reuelatione mentio-
nem faciunt grauiſſimi Auctores citati; Ioannes
Ioan. Hier. Hieroſolymitanus, Ioſephus Antiochenus *lib.de*
Ioſeph. Antioch. *perfecta militia primitiuæ Eccleſiæ, c.12.* Gilbertus
Gilbert. Gerablatenſis *in Chronico*, Hieroſolym. Palino-
Palinodor. dorus *lib. 1. antiquitatum Eremitarum Montis*
Petrus de Oieda. *Carmelit.* Petrus de Oieda *in ſua informatione pro*
immaculata Conceptione, c.1. fol.3. Lazana *de Con-*
Lazana. *ceptione, cap.2. fol.7.* Ægidius Luſitanus *de Con-*
Ægidius. *ceptione Virginis, lib.3. quæſt.4.art.1. §.1.n.8.* Sa-
Salazar. lazar *de Conceptione, cap.38.n.11.* & docent multi
ex ſuprà citatis, Eliam hanc reuelationem do-
cuiſſe diſcipulos ſuos, à quibus à tempore Apo-
ſtolorum anno poſt Chriſtum 83. in honorem
Conceptionis immaculatæ inſtitutam fuiſſe ca-
Bachonius. pellam in monte Carmelo. Et Ioannes Bachon.
in 4.diſt.2.quæſt.3.art.3. qui ab hinc trecentos an-
nos vixit, teſtatur, quòd ab antiquiſſimis tempo-
ribus feſtum Conceptionis in Romana Curia,
præſentibus Cardinalibus, in Carmelitarum
conuentu celebrabatur. Ad noſtrum redeamus
intentum.

6\. Cant.4.n.8. ait Sponſus. *Veni de Libano ſponſa*
Cantic. 4. *mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite*
Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus
Leonum, de montibus pardorum. Attentè expende
ſingula Lector. Vocat ſponſus ſponſam à Libano, Ambroſ.
qui, vt notat D. Ambroſius, *Candor* interpretatur,
iuxta vim nominis Græci, & propter abundantiā
cedrorum pro incorruptibilitate accipitur. Vtrū-
que notauit D. Hieronymus in epiſt. de Aſſum-
ptione Virginis ad Paulam, & Euſtochium: *Non* Hieron.
immeritò, ait, *venire de Libano iubetur, quia Liba-*
nus candidatio interpretatur, erat enim candidata
Maria multis meritorum virtutibus, & dealbata
niue candidior Spiritus ſancti muneribus, quoniam
quidquid in ea geſtum, totum puritas, & gratia fuit,
& ideo immaculata, quia in nullo corrupta. Ac ſi
dicat: Pura, & vndique candidiſſima veni. *Corona-*
beris de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermō,
Valde diuerſimodè legitur, propter multiplicem
ſignificationem nominum Hebraicorum, & ideo
aliqui vertunt, *à principio fidei*: aliȷ, *à prima fide*:
aliȷ, *à primo fœdere*, vt videbis apud Ludouicum
de Soto Maior, Ghiſler. & alios. Quidam tamen Soto.
hebraizantes in annotationibus ad Biblia, quæ Ghiſler.
datæ ſunt in lucem anno 547. & habet funda-
mentum in Dictionario nominum Hebræorum
(vt ſtatim explicabo ex etymologia Amana, Sa-
nir, Hermon) ita legunt, & vertunt locum. *Veni*
mecum, coronaberis de prima credulitate, de primo
fœdere, & anathemate.

Singula explicemus. Quænam fuit prima cre- 7.
dulitas humana? Illa ſcilicet, quam mulier dedit Geneſ. 3.
ſerpenti, quòd ſi comederet fructum, eſſet ſicut
Deus: & Adamus credidit mulieri hoc aſſerēti. Et
ita communiter loquuntur Patres apud Lyppo-
manum. Et ex hac prima credulitate transfuſum
eſt peccatū in genus humanum. At verò, tu Spon-
ſa ſanctiſſima, coronaberis: nam ex ipſa credulita-
te aliȷ originali peccato ſunt oppreſſi: tu verò co-
rona exaltata eris. *De primo fœdere.* Primum fœ-
dus, & pactum extitit inter Deum, & Adamum,
iuxta illud Oſeæ 6.n.7. *Ipſi autē ſicut Adam trāſ-* Oſeæ 6.
greſſi ſunt pactum meum. Et hoc explicat D. Atha-
naſ. *lib.de Incarnatione Verbi, in principio.* Salme- Anaſtaſ.
ron, & aliȷ, de quo latè Suarius *lib.3. de creatione* Salmeron.
hominis, c.21. à n.20. Hoc autem pactum fuit, quòd Suar.
ſi ipſe de ligno vetito non ederet, iuſtitiam tam
ipſe, quàm poſteri ſui haberent originalem: ac co-
medendo de fructu prohibito illā amiſerunt. *Veni*
coronaberis de primo fœdere, id eſt, ſi aliȷ ex ipſo
primo fœdere occaſionem ruinæ habuerunt, tu
habebis coronæ, cùm in ipſa generali lege non
fueris comprehenſa, ſed præſeruata. Tertia corona
de anathemate. Primū anathema, (ſeu execratio,)
latum eſt contra Adamum, eiuſque filios; propter
quod omnes naſcimur filiȷ iræ, vt ait Paulus; tan-
tum ergo abeſt, vt hæc ſacratiſſima Sponſa hac
vniuerſali maledictione comprehendatur, vt in-
de, quia præuenta, benedictione, ac corona done-
tur. *Veni coronaberis de primo anathemate.*

Non eſt hîc prætereunda explicatio Richardi, 8.
ac Ruperti Abbatis, qui tradunt, *Amana*, id eſt, Richard.
auis nocturna, *Sanir*, dens vigilans; *Hermon*, ana- Rupert.
thema: ac ſi dicat Sponſus, veni coronaberis de
aue nocturna, de dente vigilante, ac de anathe-
mate. Auis nocturna originale peccatum ſigni-
ficat: *Nox, in qua conceptus eſt homo*, Iob cap.3. Iob. 3.
num.3. Dens vigilans, Dæmon, qui ſemper eſt vi-
gilans, ad mordendum, ac deuorandum. *Circuit*
quærens, quem deuoret. Anathema, ipſam primam

maledictionem parentibus datam innuit;& idem
valet, ac ſi dicat Sponſus: Veni,coronaberis de
victoria, quam aſſecuta es à peccato originali,
Dæmone, ac primi parentis maledictione; nam
vnde alij execrationem, tu benedictionem impe-
traſti. Petrus Chryſologus ſerm.140. de Annun-
Chryſolog. tiatione Virginis: *Benedicta*,ait, *tu in mulieribus,*
quia in quibus Eua maledicta puniebat viſcera,
tunc in illis gaudet,honoratur,ſuſcipitur Maria be-
nedicta. Expende,*honoratur,& ſuſcipitur Maria.*
Ildephonſ. S Ildephonſus lib.de parturitione, & virginitate
Mariæ: *Beata Virgo*,ait,*plena gratia nec dolorem*
ſenſit,nec corruptionem: quia quantum aliena fuit
à culpa, Spiritu ſancto in ea cooperante, in totum
extranea à maledicto primæ damnationis.

9\. *De cubilibus leonum, de montibus pardorum.*
Chaldaic. Paraphraſis Chaldaica ita legit: *Offerent tibi tri-*
buta habitatores ciuitatum fortium,qui ſunt robu-
Anſelm. Richard. *ſti,ſicut leones,& leopardi.* D.Anſelmus,Richard.
& alij,per leones,& leopardos intelligũt Dæmo-
nes, qui ſi in alios per peccatum imperium cru-
deliter exercuerunt, tibi verò ſanctiſſima Virgo,
tanquam triumphanti, quæ eorum caput contri-
uiſti, tributa reddent. Et nota, quòd Sponſus,
tripliciter appellat ſponſam:*Veni de Libano ſpon-*
*ſa mea,veni de Libano,veni coronaberis:*quia tri-
plici corona muneranda eſt ob tres victorias de
peccatis adeptas. Prima eſt de peccato originali;
ſecunda de mortali; tertia de veniali,quia ab his
omnibus fuit immunis, & pura Virgo. Ad has
Virginis coronas fortaſſe alludit doctiſſimus
Idiota lib.5.contemplat.de Virgine Maria,cap.6.
Idiota. *Inueniſti*,ait, *Virgo Maria gratiam cæleſtem,gra-*
tiam apud Dominum, quia fuerunt in te ab origi-
nali labe præſeruatio, Angelica ſalutatio,Spiritus
ſancti ſuperuentio. Tandem ait Chriſtus, *Sponſa*
mea. Nunc primum in Canticis Canticorum au-
ditur *ſponſa*;huc vſque appellauit eam amicam,&
ſororem; nunc verò ſponſam dicit, quæ eſt idem
cum ſuo ſponſo, & caro Virginis,caro Chriſti,vt
communiter docent Patres,quos referam ſequen-
ti annotatione; vbi ergo Chriſtus eam agnoſcit
immunem ab omni peccato originali, & actuali,
eam nominat ſponſam, quia ſolùm vbi tanta da-
batur puritas,cum carne Verbi humanitati iden-
titas poterat interuenire. D. Anſelmus de Con-
Anſelm. ceptione Virginis: *Nempe*, ait, *decens erat,vt ea*
puritate Virgo illa niteret, cui Deus Pater vni-
cum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi
genitum,tanquam ſe ipſum diligebat, ita dare di-
ſponebat, vt naturaliter eſſet vnus, idémque com-
munis Dei Patris,& Virginis filius, & quam ipſe
filius ſubſtantialiter ſibi matrem facere diligebat.

10\. Cant.2. Canticorum 2.num.10.ait ſponſa: *En dilectus*
meus loquitur mihi: Surge,propera,amica mea,co-
lumba mea,formoſa mea,& veni,iam hyems tranſ-
yt,&c.Ecce ſponſus introducitur totus euigilans,
vt patet ex numero antecedenti, ad hoc vt vocet
ſponſam,& dicat,(vt habet paraphraſis Chaldai-
ca:)*Surge matutino tempore*; per quod ſine dubio
eius Conceptio deſignatur, quæ fuit eius prima
ſurrectio. Sed pulchram hîc quæſtionem faciunt
Caſſiodor. Bernard. Caſſiodorus, Bernardus *ſerm.*58. Nonne ſponſus
antea ſuſcitari dilectam prohibebat, num.7.*Ad-*
iuro vos filiæ Hieruſalem,per quas Angeli intelli-
guntur, *ne ſuſcitetis,neque euigilare faciatis dile-*
ctam,quoad vſque ipſa velit; quo pacto nunc,non
ſolùm vt ſurgat, ſed & vt acceleret,iubet? Vt
ſingularem ſuam protectionem erga Virginem
declararet; ſiquidem ipſam in ſua matutina
Conceptionis erectione, non Angelis, non ho-
minibus, ſed ſibi ſoli credidit. Alij ſuſcitari poſ-
ſunt ab Angelis: at Beatiſſima Virgo à ſolo
Deo. Et ideo introducitur reſpiciens per fene-
ſtras, ptoſpiciens per cancellos, per quos Ca-
tena trium Patrum, & D.Bernardus *ſerm.*57. in- Catena PP. Bernard.
telligunt gratiam, & dona cæleſtia,quæ ei com-
municanda erant quoad vſque ipſa velit, hoc ad-
didit ſponſus, vt principatum Mariæ, iam in
ſua Conceptione declararet: nam ad alios pro
ſua libertate,ac beneuolentia accedunt Angeli;
ad Virginem verò,cùm ſit omnium domina,nul-
lus ad illam audeat appròximare, quoadusque
ipſa velit.

Et qualis in ipſa ſua prima excitatione erigi- 11.
tur? *Amica mea, formoſa mea.* Dum ſurgit,iam
eſt amica,& formoſa.Sic explicat Rupertus: *Ele-* Rupert.
gitque me ante mundi conſtitutionem,vt eſſem ſan-
cta, & immaculata in conſpectu eius in charitate.
Amica mea,columba mea; pergit idem Rupertus:
In omnibus Euæ oppoſita es, Eua mihi inimica,vi-
ro ſuo vipera, ſibimet confuſa, & ignominioſa. Tu
verò mihi amica per humilitatem,columba mea per
charitatem,formoſa mea per caſtitatem. Veni ergo
Maria,veni:nam Eua ad latebras fugit, nam cre-
didit ſerpenti ſuſurranti: at tu Maria,quæ credi-
diſti Angelo annuncianti, veni, & contere caput
ſerpentis; iam enim hyems tranſiit, id eſt,peccato-
rum tempeſtas. Ita latiùs Rupertus,ad conteren-
dum draconis caput,tripliciter eam appellat ſpõ-
ſus; *Amica mea, formoſa mea, columba mea.* Vt
amica conculcauit peccatum mortale, vt formo-
ſa,in qua non eſt macula, veniale. Vt columba,
non ex propagine vitiata felle amaritudinis, ſu-
perauit peccatum originale.

Apparuit *in Apocalypſ.*12. Mulier illa amicta 12.
Sole, de qua multi multa in præſenti dicunt; il-
lud tamen notandum mihi occurrit *num.*3. quòd
Draco perſecutus eſt mulierem,quæ peperit maſcu-
lum, & datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ,
vt volaret in deſertum in locum ſuum: & emiſit
ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquam
flumen,vt eam faceret trahi à flumine. Hanc mu-
lierem Beatiſſimam Virginem ſignificare, com-
munis eſt Patrum expoſitio.D.Epiphanius *ſerm.* Epiphan.
de laudib.Mariæ. D.Auguſt.*lib.*4.*de Symbolo ad* Auguſt.
*Catechum.cap.*1, D.Bernardus *ſerm.ſuper ſignum* Bernard.
magnum. Carthuſianus *lib.*3. *de laudib. Virginis,* Carthuſ.
*art.*9.& alij communiter ad citatum locum. Sed
hîc illud mihi quæſtionem facit. Cùm ſerpens
totus eſſet ad deuorandam,ac perdendam mulie-
rem,eique nocendum: quare cùm Draco ſe iſti
primum opponit, ac perſecutionem contra mu-
lierem mouet,non emiſit ſtatim ex ore ſuo vene-
noſum flumen in mulierem, ſed adeò fuit remiſ-
ſus,& otio torpens, vt priùs mulieri darentur
alæ, & ipſa in locum paratum à Deo fugeret,
quàm ex ſerpentinis faucibus venenum exiret?
Non negligentia Dæmonis hoc factum fuit, ſed
alta Dei pronidentia: quamuis enim Diabolus
maximè vigilaret ad mulierem veneno inficien-
dam,multò altiùs, & ſublimiùs ſuperuigilauit,&
excubauit Dei omnipotentia ad eam cuſtodien-
dam,in tutóque muniendam:& ideo *datæ ſunt ei*
alæ, vt ait Carthuſianus,id eſt,ab Spiritu ſancto, Carthuſ.
vt priùs ſub protectione Dei ſe reciperet, quàm
ſerpens ex ore ſuo venenum euomeret. Et ſic ait
Aretas Cæſariæ Epiſcopus: *Non deuenit mulier* Aretas.
in

in manus Sathanæ, ſed datis ſibi duabus alis in de-
ſertum fugit:& in inſidys,quas aduersùs Virginem
*tetenderat,fruſtratus eſt ſerpens.*Prius ergo mulier
extitit victrix, quàm Diabolus aduersùs eam ſuas
machinationes moueret. Hîc mecum expende
Geneſ.3. illud,quod dictum eſt ſerpenti,Geneſ.3.n.15. *Ini-*
micitias ponam inter te,& mulierem,& ſemen tuũ,
& ſemen illius;ipſa conteret caput tuum,& tu inſi-
diaberis calcaneo eius. vbi de Beatiſſima Virgine
ſermo eſt; & ideo dixit de futuro, vt notat Ru-
Rupert. pertus: *Conteret caput tuum*; ſed in præſenti re-
ctus loquendi modus videtur inuerſus; priùs
enim videbatur dicendum: Tu inſidiaberis cal-
caneo eius, & ipſa conteret caput tuum; ſem-
per enim inſidiæ antecedunt victoriam: at con-
trà hîc dicitur, & meritò, priùs enim in muliere
fuit victoria, quàm in Diabolo inſidiæ. Adeò
erat mulier ſub protectione Dei, vt prius gloria
victoriæ reſplenderet, quàm Diabolus inſidias
tenderet. D. Philippus Abbas cap. 17. de ſalute
Philip. Abb. primi hominis: *Ipſa*, nempe mulier, *machinata*
tuæ ſuggeſtionis conteret ariete diuini timoris,ener-
uans fraudes tuas conſilio prudentiæ ſuæ. Et Chry-
Chryſoſt. ſoſtomus apud Lyppomanum: *Totum enim robur,*
ait Deus,illi concedam,vt continuò immineat capi-
ti tuo; te autem faciam ſub pedibus eius iacere.
Nota illud *continuò.*

13\. Sed antequam ab hac Dei protectione erga
Cantic.4. Virginem egrediamur, expende illud Cant.4.n.4.
Sicut turris Dauid collũ tuum,quæ ædificata eſt cũ
propugnaculis; mille clypei pendent ex ea. Dicitur
Ghiſlerius. turris Dauid, quia turris illa, vt teſtatur Ghiſler.
*ibi expoſit.*4.*n.*33. ſupra montem Sion, & prope
templum Domini erecta eſt. Per *Sion* ſignificatur
Pſalm.2. ſanctitas,ac perfectio virtutum, Pſal.2.n.6. *Super*
Iſaiæ 51. *Sion montem ſanctum eius*, Iſai.51.n.11. Per *tem-*
plum,in quo erat arca,& propitiatoriũ,protectio,
& defenſio Dei intelligitur: quia in ſanctitate,&
protectione Dei hæc turris erecta eſt. *Ædificata*
autem, dicebat Petrus diſcipulis ſuis epiſt. 1.c.2.
1.Petri 2. n.5.*Et ipſi tãquam lapides viui ſuperædificamini,*
Epheſ.2. *domus ſpiritualis.*Et Paulus ad Epheſ.c.2.n.22. *Et*
vos coædificamini in habitaculum Dei. Beatiſſima
Virgo dicitur turris Dauid ædificata,quia nunquã
extitit,niſi vt turris;aliis verò dicitur,*ædificamini*;
in qua loquendi forma apertè ſupponitur, eos
aliquando ſcilicet in ſtatu peccati, non fuiſſe ha-
bitaculum, & domum Dei, & ideo eis mandatur
ædificari in gratia: at cùm in Beatiſſima Virgine
numquam eiuſmodi ſtatus repertus ſit, non vt
turris ædificanda, ſed ædificata introducitur.
Deinde in domo diſcipulorum Petri, in habita-
culo deſiderato Pauli armorum nulla fit mentio;
quia ſerpens ad illa aliquando potuit aditum in-
uenire. At turris hæc armis omnibus vallata ex
nulla parte potuit perforari. Gilib Abb.ſer.26. in
Gilbertus. Cant.*Vide priuilegium ſponſæ*,ait, *Apoſtolus Petrus*
hortatur nos coædificari in domo ſpirituali:hæc ve-
rò non tantùm in domum,ſed etiã in turrim ædifica-
tur. Paulus in habitaculum Dei coædificari nos
optat;ſed ſponſa hoc non contenta,etiam propugna-
cula adiungit,vt ſublimis,& ſecurior ſit habitatio.

14\. *Mille clypei pendent ex ea*, iuxta radicem He-
braicam ita legitur: *Deus clypeus pendeat ex ea.*Et
ita Georgius Venetus *Cant.*3.*tom.*7.*cap.*13.expli-
Venetus. cat locum, dicens. *Deus eſt ſcutum pendens, &*
imminens ſuper ipſam turrim vt protegat,& defen-
dat. Sic etiam ex radice Hebraica aliqui legunt
Prouerb.8. illud Prouerb.8.num.23. *Ab æterno ordinata ſum.*
Ab æterno tecta ſum. Ab ipſa æternitate hæc ſan- *Quanta ſit protectio Virginis.*
ctiſſima Virgo, cùm in matrem Dei eſſet electa;
ab ipſo erat protecta, & cuſtodita. Et ideò ait
Fulbertus Carnotenſis in ſerm de Natiuitate Vir-
ginis: *Quanta putamus prouiſio Angelorum circa* Fulbert.
tam Deo gratiſſimos parentes ab initio ſuæ procrea-
tionis, & excubatio ſuper tam ingentem ſobolem?
Nulli fidelium dubium eſt,quòd circa eam iam iam
tunc communis frequentia cæleſtium agminum in-
uigilabat. Vbi tota cœleſtis Curia excubans in-
troducitur, & euigilans ſuper hanc ſanctiſſimam
puellam; quanto magis ipſe cœleſtis Dominus,
ad cuius nutum Angeli mouentur; ita vt poſſi-
mus hîc dicere illud Pſalm. 83. n.12. *Miſericor-* Pſalm.83.
*diam,& veritatem diligit Deus.*E.Hieronymus ex
Hebræo ita legit, *Sol, & ſcutum Dominus Deus.* Hieron.
Aquila:*Sol,& clypeus*;alij: *Lux, & ſecuritas*,apud Aquila.
Lorinum.Et ita Deus erga Virginem extitit ſcu-
tum, vel clypeus, Deus ſecuritas eam cuſtodien-
do,Sol,vel Lux,eam illuminando: *& gratiam,&*
gloriam dedit ei Dominus.

Vis ſcire quanta prouidentia, altóque conſilio 15.
ſe Deus circa Virginem habuit, non ſolùm in
vitæ ipſius progreſſu, verùm etiam in ſua pura
Conceptione? Expende illud, quod ait Ioannes
de ſancta ciuitate de cælo deſcendente: *Et erat* Apocal.21.
ſtructura,ait, cap.21.n.18. *muri ex lapide iaſpide:*
ipſa verò ciuitas,aurum mundum ſimile vitro mun-
do. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pre-
tioſo ornata, fundamentum primum iaſpis, ſecun-
dum ſapphirus, &c. Et proſequitur deſcribendo
duodecim fundamenta. Per hanc ciuitatem Bea-
tiſſimam Virginem intelligunt recentiores, &
fauet.D.Bernardus *ſerm.*27.*in Cantic.*Sed illud eſt Bernard.
iam dubium. Quare Euangeliſta, dum de ciuita-
te agit, tam contractè, & ſuccinctè ſe habet in
deſcribendis muris, plateis, & turribus ciuitatis,
ita vt de eis vnum tantùm dicat verbum: *Stru-*
ctura muri ex lapide iaſpide:ciuitas aurum mundũ;
at in fundamento enarrando ſatis diffuſè totus
eſt,non contentus eo quod dixerat: *Fundamenta*
omni lapide pretioſo ornata;ſed per ſingulos lapi-
des minutatim diſcurrit? Vt ſic omnibus ſit no-
tum, Beatiſſimam Virginem, non ſolùm in vita
ſua, per ciuitatem adumbratam, ſed etiam in ſua
Conceptione, per fundamenta ſignificatam, om-
ni lapide pretioſo, id eſt, omni cæleſti dono
gratiæ, & ſanctificationis ſtabilitam, ac muni-
tam fuiſſe. De hoc fundamento loquitur Anſel-
mus lib.de Exam.Virginis,c.3. *Nulli denique*,ait, Anſelm.
dubium,caſtiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animã
eius funditus ab omni fuiſſe macula peccati; iugi
Angelorum cuſtodia,protectam, vtpote aulam,quã
ſuus,& omnium creator Deus corporaliter inhabi-
taturus. Expende illud, *funditus ab omni macula*
*peccati.*Deinde nota,quod ait Euangeliſta, n.15.
Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram
arundineam auream,vt metiretur ciuitatem, quia
hanc ciuitatem, ſcilicet Beatiſſimam Virginem,
tam quoad ſuam altitudinem, quàm quoad fun-
damenta,ſolus ille,qui eam fundauit,poteſt men-
ſurare. D. Bonauentura in ſpeculo lect. 5. *Quis*
Mariæ immenſitatem dimenſus eſt,niſi is,qui illam Bonauent.
non ſolùm in gratia, ſed etiam in miſericordia tam
altiſſimam, tam latiſſimam, tam profundiſſimam
*operatus eſt.*Hoc immenſum gratiarum Mariæ pe-
lagus ſolum per Dei potentiã,& miſericordiã,qui
eam fundauit, & non per humanã tenuitatem re-
cogitãdum eſt;licèt ex humana procreata natura,

Pſalm.86.

in ea tamen quidquid eſt,gratia eſt, & in ſuo primo introitu maximè ea circumdata, & ornata. Inquit Regius Vates. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Pſal.86.n.2.Chaldaica legit,*portas ſanctuarij ſuper omnes domos Eccleſiarum,vel congregationis Iacob.*Sed quæ portæ iſtæ tam dilectæ à Domino? Portæ materialis ciuitatis? Minimè; hæ enim in fauillas, & cineres diſſolutæ ſunt. Diuus Ambroſius *lib. de inſtitut.Virginis, cap.*7. D. Hieronymus *in Ezechiel. cap.* 44. D. Auguſtinus *ſerm.*2. *de Aſſumpt.* dicunt, eſſe Beatiſſimam Virginem; quæ eſt porta inarata ſine vllo peccato. Sed cur potius portæ, quàm domui comparatur? Porta, vt ait Gilbertus Abbas, eſt initium ciuitatis:& initia Beatiſſimæ Virginis in ſua Conceptione Deo fuere dilectiſſima ſuper omnes manſiones, ac congregationes Iacob.

Ambroſ. Hieron. Auguſt. — Gilbertus.

16. Luc.3. Matth.1.

Illud mihi ſæpe quæſtionem fecit. Quare D. Lucas narrando Virginis genealogiam, iuxta ſententiam Soti, Cani, Suarij, & aliorum, quos retuli ſuperiori capite *quæſt. vlt.* tamen nomen Virginis ſubticuit; Matthæus verò narrando generationem Ioſeph, ipſam exprimit, *Virum Mariæ?* Illud mihi in præſenti nunc videtur: quia in ſerie, quam Lucas ordinauit, mentio Adami neceſſariò erat facienda, *qui fuit Adam* cùm vellet Euangeliſta vſque ad vltimum principium rem ducere, Adamus peccati figuram exprimit. Abrahamus, vt pater fidei gratiam, & dona ſupernaturalia adumbrat: non debuit ergo Virgo numerari, vbi peccati vmbra,& figura inueniebatur, ſed tantùm vbi gratia, & miſericordia repræſentabatur.

QVÆSTIO II.

Pura Virginis Conceptio rationibus ex Scriptura deſumptis comprobatur. Ad illa verba: De qua natus eſt Ieſus.

17. *Prima ratio.*

SIT prima ratio. In ſententia Scoti, quam latè in noſtris lecturis explicauimus, ſi Adamus non peccaſſet, adhùc Deus fieret homo. In ea non ſolùm Chriſtus Dominus eſt primus omnium prædeſtinatorum, ſed etiam ad eſſe exiſtentiæ ante omnes determinatus; & cùm Deus clarè, & diſtinctè in ſuis decretis procedat, in illomet ſigno, in quo decreuit, Verbum fieri hominem, determinauit concomitanter, carnem ſumere ex hac numero muliere; Deus enim non potuit, velle carnem in confuſo, ſed diſtinctè, & in particulari; & ita in eodem ſigno præelegit Beatiſſimam Virginem ad maternitatem filij ſui: poſtea in aliis ſignis prædeſtinauit homines ad gloriam, permiſit peccatum Adæ, ac eo præuiſo de eius remedio tractauit. Ita Scotus *in* 3.*diſt.*19. *quæſt. vnica*, §. *In iſta quæſtione*, *& diſt.*7. *quæſt.*3. §. *Hi ſunt.* Alexander 3. *part.quæſt.*2.*num.*13.Catharinus *de eximia prædeſtinatione Chriſti.* Viguerius *de Iuſtitutionibus Theologicis,c.*2.§.1.*verſ.*4. Suarius *tom.*2. *ad* 3.*part.diſp.*1.*ſect.*3.*ſtatim in principio*, Salazar. *de concept.cap.*3.*& ſequentibus.*Fauent Sancti Patres,quos ipſi adducunt, & ideo ait D. Bernardinus Senenſis ſerm.51.cap.4. *Tu ante omnem creaturam in mente Dei prædeſtinata fuiſti, vt Deum ipſum hominem procreares.*

Scotus. Alexand. Catharinus. Viguerius. Suarius. Salazar. Bernard.

18. Chryſol.

Et hæc ex cauſa, quare vbi primum nomen Mariæ in Euangelio auditur, antequam quidquid aliud de ea dicatur, ſtatim nomine matris inſignitur: *de qua natus eſt Ieſus*;quia Beatiſſima Virgo in mente Dei ſemper, vt mater filij ſui eſt intellecta: quod eleganter dixit Chryſologus ſerm.146.dum expendit illa verba: *Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph. Quomodo*,ait, *non ante conceptum mater, quæ poſt partum Virgo permanet? Aut Genitrix quando non,quæ ſæculorum generauit auctorem?* Et poſt peccata ſubdit: *Maria mater vocatur,& quando non Maria, mater?* Imò vt ſatis venuſtè idem Chryſologus intendit, diſcurre per omnes ſiue figuras, ſiue prophetias, quæ ad Beatiſſimam Virginem ſpectant, vt in cōminatione Dei ad ſerpentem, *Inimicitias ponam inter te,& mulierem;ſemen tuum, & ſemen illius*, Geneſ. 3. n. 13. ſiue conſideres congregationem aquarum,*Geneſ.*1.*n.*9. ſiue arcam teſtamenti; virgam Aaronis,*Num.*17.*n.*9.Iſai.7.n.14. *Ecce Virgo concipiet.*Hierem.32.n.22.*Fœmina circundabit virum.*Oſeæ 2.n.19. *Sponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio.* Sempet ergo Maria,& Mater Dei fuit repræſentata,& figurata;quia ſemper Maria, vt mater fuit conſiderata, & cœleſtibus donis ditata. Igitur ſi in omni ſigno à filio vt mater intelligebatur, eam conuenienter deſerere non debuit, vt peccato macularetur.

Geneſ.3. Geneſ.1. Num.17. Iſaiæ 7. Hierem 31. Oſeæ 2.

19. *Secunda ratio.* Eccleſ.24.

Secunda ratio Eccleſiaſt.24.n.5.*Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* quæ verba de Beatiſſima Virgine iuxta ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ ſenſum intelliguntur. Os ſignificat gratiam,& illuminationem.Cant.1.n.1. Iſai. 45. n.23. ait Beatiſſima Virgo, quòd ab ore Dei exierit Princeps, & Regina ante omnem creaturam.Quod magis confirmo,& ſtatim inferam conſequentiam, in qua facio vim Prouerb.8. n.13.*Ab æterno ordinata ſum.*Ex Hebræo habetur *Ab æterno ordinata ſum princeps. Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum*, Prouerb.8.n.22.D. Athanaſius ad decreta Nicenæ Synodi ita legit: *Dominus præfcit me initium viarum ſuarum.*Illud autem *præfecit*,iuxta mentem Athanaſij, id eſt poteſtatem, & auctoritatem ſuper omnia mihi conceſſit:& ad hunc ſenſum explicat Damaſc. *orat.*1. *de natiuit.Virginis*,iſtam particulam,*primogenita.* Ergo ſi Beatiſſima Virgo producitur ab ore Dei primogenita ab æterno ante omnem creaturam, ſeu ſupra omnem puram creaturam; nulli creaturæ in tempore ſubiecta eſt,nec contraxit originale peccatum, per quod diabolus regnat in nobis.

Prouerb.8. Athanaſ. Damaſcen.

20. *Tertia ratio.* Ioann.1.

Tertia ratio. Ex eo Ioannes *epiſt.*1. *cap.*1. *n.*5. colligit,quòd *in Deo non ſint tenebræ*,ſcilicet nequitiæ, iuxta Gloſſam, & ſanctos Patres; quia *Deus lux eſt*; ſed etiam Beatiſſima Virgo eſt lux reſplendens gratia, & per lucem figurata. Maior, & conſequentia rectè colligent. Minorem probo 1.Geneſ.1. num.3. *Dixit Deus,fiat lux,& facta eſt lux.* Quod ita explicat D. Vincentius Ferrer.ſerm.1. de Natiuitat. Mariæ Virginis. *Fiat lux*,ait S.Pater, *Ecce Conceptio Virginis Mariæ; & facta eſt lux, Ecce ſanctificatio Virginis Mariæ.* Et ſubdit: *Non credatis, quòd fuerit ſicut in nobis,qui in peccatis concipimur, & naſcimur,& nutrimur:ſed ſtatim poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata.* Similiter D. Antoninus *tom.*4. *tit.*15. *cap.*4. §.2. exiſtimat, per

Geneſ.1. Vincent. *Beata Virgo lux.* Anton.

illam primam lucem Conceptionem Virginis ſignificari. Deinde nota, maximè dubitatum eſſe apud Doctores, quid illa lux primæ diei fuerit in ſua creatione? D.Dyoniſius *cap.*4.*de diuinis nominibus.*S.Thomas 1. *part. quæſt.*68.*art.*4.*ad* 2. *& in comment. ſuper locum Geneſ.* & alij tenent, illam lucem fuiſſe quoddam corpus luminoſum, ex quo poſtea Sol quarta die eſt productus: ſic etiam in ordine gratiæ Deus primò produxit quandam lucem, quæ tam in ſua prima creatione,id eſt,Conceptione,quàm per dies ſubſequentes, id eſt, vitæ decurſum ſemper in gratia reſplenduit,& ex hac luce formatus eſt corpore Sol iuſtitiæ; & ideo in conditione, ac fabricatione orbis Deus prima die Solem non creauit, ſed lucem illam,ex qua ortus eſt Sol.Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt. *In hac prima die*,ait,*facta eſt nubecula,de qua poſtea factus eſt Sol:quid autem nubecula materia corporis ſolaris, niſi B.Virgo mater eſt materia corporis Chriſti.*

Dionyſ. S. Thom. Albert.Mag.

21. Pſalm.88.

Probatur ſecundò etiam illa minor. Pſalm.88. n.30.*Et thronus eius, ſicut dies cœli.* Thronus,de quo Regius Vates ibi loquitur, & comparat diebus cœli,eſt Beatiſſima Virgo Maria,vt ibi explicat D.Bonauentura. Age,& inquiramus,quæ differentia ſit inter dies cœli, & dies terræ? D.Ambroſius, & D. Auguſtinus optimè eam aſſignant. Dies terræ, de eis dicitur: *factum eſt veſpere, & manè*; incipiunt in tenebris, finiuntur in luce. At dies cœli ſemper ſplendent, & fulgent, nullam obſcuritatem pro termino vendicant. Alij ſancti dies terræ dici poſſunt, qui incipiunt in veſpere, & caligine originalis peccati, terminantur verò in luce, & die gratiæ. At thronus Dei Beatiſſima Virgo, dies eſt cœli, ſemper in gratia micat, & fulget, nulla peccati obſcuritate, nec initio,nec fine offuſcata eſt.

Bonauent. Ambroſ. Auguſt.

22. *Quarta ratio.* *Caro Chriſti caro Virginis.*

Quarta ratio: *Caro Chriſti, caro Virginis eſt.* D.Auguſt.homil.4.de Aſſumpt.*Si igitur*,ait,*natura matris eſt filius,conueniēs eſt,vt ſit & filij mater, nec quantum pertinet ad æquam adminiſtrationē: ſed quantū pertinet ad eandem reciprocam ſubſtantiam*, &c. & latiùs pergit proſequendo Arnoldus de laudibus Virginis, verſ.17. *Vna eſt Maria, ac Chriſti caro,vnus ſpiritus,vna charitas.*Petrus Damianus ſerm.2.de Natiuit. *Habitat*,inquit, *Deus in Virgine,cum qua vnius naturæ habet identitatē.* D.Anaſtaſius Synaita lib.6.quæſt. Anagogic.propè finem. *Quis*,inquit,*mihi,dic quæſo,aut ex hominibus aut ex Dæmonibus audebit dicere,quòd ea,quæ eſt eiuſdē ſimul cum Deo eſſentiæ, quoad carnē attinet,non ſit ad imaginem,& ſimilitudinem eius,qui ex ipſa natus eſt?* Et cùm tam coniuncta ſit Chriſto in carne, ſupra omnem naturam miros effectus in ea gratia operata eſt,vt eleganter ait idem D.Auguſtinus citata homil.4.de Aſſumpt.*Quantum*,inquit, *Chriſti poteſtas poſſit, mundi oſtendit vniuerſitas, quantum gratia Mariæ monſtrat integritas.* Vniuerſi mundi machina, creaturæ omnes, homines, & Angeli potentiam Dei oſtendunt. At ſola Mariæ integritas in puritate, ſanctitate, ac virginitate efficacem gratiæ vim demonſtrat.

Arnoldus. Damian. Anaſtaſ. Syn. Auguſt. *Potentia gratiæ oſtenditur in Maria.*

23. *Quinta ratio.* Hierem.31.

Quinta ratio. Ex perfecta ſimilitudine,& correſpondentia inter Chriſtum, & Virginem. Hierem.31.num.22.ait:*Creauit Dominus nouum ſuper terram; fœmina circundabit virum.* Vbi manifeſtè loquitur de Beatiſſima Virgine, vt eſt communis Patrum ſententia.*Creauit*, & nō fecit,ait,vt opus diuinæ omnipotentiæ denotetur, cuius ſolius eſt creare. *Nouum*, non ex veteri propagine vitiata, vt notat Salazar *de Concept. cap.*19. *num.*18. ſed recenter, ac nouo modo procreata. Et ita legunt Septuaginta: *Quia creauit Dominus ſalutem in plantatione noua.* Quæ verba ſimul arborem, ac fructum nouum dicunt,Chriſtum ſcilicet,eiuſque matrem,qui nouo ſunt proceati modo, per quos ſalus eluxit in orbe. *Circundabit*; quod facit ad noſtrum intentum,non ſolùm,vt aliqui dixerunt, appoſitum eſt ad matris dignitatem ſignificandam,ex eo quòd circularis figura fine,ac principio caret,& quandam adumbrat infinitatem, in quo immenſa maternitatis Dei dignitas aliqualiter denotatur. Sed illud *circundabit* expende, quod iuxta originem ſuam indicat ambire, ac ſphærica figura continere. Sic Cant.1. num.11. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo.*In textu Hebraico ita legitur. *Dum eſſet Rex in circulo ſuo.*Vbi eſt ſerm de Beatiſſima Virgine,vt tenent Rupertus, Beda, Aponius, & alij Sed quare hæc Sanctiſſima Virgo figuræ in gyrum deductæ comparatur? Perfectus circulus, quando aliquid ſui in medio cingit,nullum eſt in circulo punctum, quod per lineam rectam contento non reſpondeat.Meritò ergo Beatiſſima Virgo dicitur circulus Chriſtum ambiens, quia adeò extitit perfecta,vt nullum inſtans aſſignari poſſit,ſiue in Conceptione, ſiue in Natiuitate,vel vitæ decurſu,ſeu morte, in quo in Chriſtum non tetenderit; ac quantum fas eſt puræ creaturæ,filio ſuo non proportionaretur.

Salazar. Septuag. Cantic.1. Rupert. Beda. Aponius.

24. 3.Reg.18.

Vidit parens meus Elias: *Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*, 3. Reg.18.n.44.Vbi nota, quòd illa nubecula, quæ Beatiſſimam Virginem figurabat, non alteri nubeculæ aſſimilatur, ſed veſtigio hominis. Quod eleganter ponderat doctiſſimus noſter Ioannes Hieroſol.lib.de inſtitut. Monach. c.34. *Quæ ideo*, ait, *viſa fuit quaſi veſtigium hominis aſcendere in Carmelum, quia in hoc ſpirituali aſcenſu, ſcilicet Beatiſſima Virgo, non fœminam,quam imitaretur, ſed hominem habuit in exemplum.*Hæc ſanctiſſima Dei Genitrix,dum ſpiritualiter in ſua Conceptione aſcendit, non ſecuta eſt ad imitandum aliam fœminam,ſed virum, de quo dicitur, *vir Oriens nomen eius*,Zachar.6.n.12. Qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus,vt qualis eſt ſecundùm humanitatem filius,talis ſit mater;vt loquitur D.Auguſtinus ſerm.20.ad fratres in Eremo. *Maria*,ait,*electa eſt,& ſuper omnes creaturas prælecta omnibus gratijs fœcundata,omni virtute,& ſanctitate in vtero repleta, vt de mundiſſima matre mundiſſimus filius naſceretur. Et ſicut in cœlo filius habuit patrem immortalem,& æternum:ſic & in terra haberet matrem omni corruptione carentem. Igitur in cœlo qualis eſt pater, talis eſt filius: & in terra qualis eſt mater, talis eſt & ſecundùm carnem filius.*Nota illud:*Omni corruptione carentem.* Ergo qualis eſt mater, talis eſt filius ſecundùm carnem: ſed filius eſt ſine omni corruptione: ergo & mater.

Ioan.Hier. Zachar 6. Auguſt. *Virgo ſimilis filio.*

25. *Sexta ratio.*

Sexta ratio. Quia productio, ac efformatio Beatiſſimæ Virginis in vtero matris non fuit opus naturæ,ſed præcipuè gratiæ. S.Ildephonſus in libro de parturitione, & virginitate Deiparæ. *Quid eſt*, inquit, *quòd legem natura requirunt in Maria,vbi totum,quod in ea fuit,poſſedit Spiritus ſanctus.*S.Ioannes Damaſcen.*orat.* . *de Natiuitate Virginis*; poſtquam diſſerit, cur Virgo ab ſterili orta

Ildephonſ. Damaſcen.

orta ſit,ſubdit: *Etiam natura gratiæ cedit, ac tremula ſtat,progredi non ſuſtinens. Quoniam ita futurum,vt Dei Genitrix,ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè eſt auſa, verùm tantiſper expectauit, donec gratia fructum ſuum produxiſſet.* Ac ſi dicat,quòd in tanto opere, vt erat Virginis Conceptio, ac productio,natura ſe intromittere non eſt auſa, ſed tremula, & ſtupefacta ſtetit, donec gratia totum operata eſſet.
Auguſt. S.Auguſtinus *in tract.de quinque hæreſibus,cap.5.* ſic loquitur in perſona Chriſti. *Hanc, quam deſpicis,Manichæe,mater mea eſt,& de manu fabricata eſt mea.*

26. Cantic.7. *Juncturæ femorum tuorum ſicut monilia,quæ fabricata ſunt manu artificis.* Cantic.7.num.2.ſeu,vt ex Hebræo vertitur: *Vertebræ femorum tuorum ſicut gemmæ pretioſæ, opus manuum artificis.* quod
Rupert. de Beatiſſima Virgine explicat Rupertus. Ac ſi dicat: Compoſitio corporis tui, velut gemmarum manuum artificis. Sed cùm lapides pretioſi à natura creentur, quare non opus naturæ, ſed manuum artificis dicitur? Quia non natura, ſed ars opificis ſupremi hoc operata eſt ædificium;
Eccli.1. hîc enim conuenit illud Eccleſiaſt.1.num.9. *Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit,& menſus eſt.* Ex hoc tamen nihil contra dignitatem, & excellentiam ſanctorum Virginis parentum dicimus; nam, vt pulchrè ait S. Ioannes Damaſcenus orat.1. de Natiuitate Virginis:
Damaſcen. *Ioachim,& Anna tanquam ſpirituales montes,dulcedinem ſtillauerunt.* Non tanquam entia corporalia,& materialia, ſed vt parentes Spiritus ſancti gratia impleti, ac velut tot ſpirituales affecti, hunc ſacratiſſimum florem Beatiſſimam Virginem genuerunt, non impetu naturæ, ſed gratiæ impulſu Ergo gratia in ſua prima generatione totum operata eſt. Et ideo ait doctiſſimus Idiota
Idiota. de contemplatione Deiparæ, cap.4. *Inter omnia opera æterni opificis, poſt operationem illam, qua naturæ vnitus eſt filius tuus, ſpeciale opus fuiſti, ô Beatiſſima Virgo.* Et quanta ſanctitate,ac puritate eam creauerit,audiamus D.Niſſenum orat.de Na-
Niſſen. tali Domini. *O beatum vterum*, ait, *qui bonitatis ſuæ præſtantia ad ſe traxit animi bona:in reliquis omnibus vix animus purus Spiritus ſancti præſentiam capit:hîc autem caro fit Spiritus ſancti habitaculum.* Vbi acutè comparat puritatem carnis Deiparæ cum qualibet anima ſancta,quæ vix eam munditiem attingit, vt in illa præſentia Spiritus ſancti per gratiam detur. At corpus Virginis adeò eſt ſublime, vt puritate noſtram ſuperet animam, ac dignum Spiritui ſancto habitaculum exhibuerit. Et ſi hæc de virgineo corpore,quid de puriſſimo Spiritu, ac animo ſentiendum?

27. *Septima ratio.* Septima ratio ſit ex magna ſanctitate, & puritate Virginis. De Deo ob ſuam ſupereminentiam, & infinitam bonitatem dicuntur attributales perfectiones, non ſolùm in concreto, ſed etiam in abſtracto; hæc enim eſt vera: Deus eſt ſapientia, Deus eſt miſericordia, &c. Per
Leo Papa. Bernard. quod ſignificatur, vt explicant S. Leo Papa *epiſt.91.* aliàs *93. cap.3.* S. Bernardus *de conſiderat.cap.7.* Deum eſſe talem per ſe primò, & cum ſumma perfectione, vt non veluti per adiacentiam, ſed ex ſe illas ſemper haberet: atqui etiam puritas, & ſanctitas dicitur de Beatiſſima Virgine in abſtracto, non eo modo, quo de Deo per eſſentiam pronuntiatur, ſed tantùm in eo ſenſu, quod nunquam ab eis fuerit deſtituta, & in nullo inſtanti oppoſitum interuentum ſit; quia ſi aliquando in ea regnaſſet peccatum, poterat affirmari ſancta, vel perfecta, quæ vt concreta, præter formam dicunt ſubiectum contrariorum capax: at ſanctitas, & perfectio, important formam cum contrario omnino repugnantem,vt ſtatim magis explicabo.

Quòd verò illæ formæ dicantur de Virgine in abſtracto, oſtenditur Cantic.6.num.8. *Vna eſt columba mea,perfecta mea.* Pagninus in Theſa ita legit. *Vna eſt columba mea,perfectio mea.* Cant.7. n.6. *Quàm pulchra es chariſſima in delicijs.* Septuaginta, & textus Hebraicus, & multi Patres vertunt: *Charitas in delicijs*, Cantic.3.n.4. *Ne euigilare faciatis dilectam.* In Hebræo, *Ne euigilare faciatis charitatem.* Charitas idem eſt realiter cum gratia ſanctificante, vt tenent multi Theologi cum Scoto *in 2. diſt.26. art.1. quæſt. vnica.* Vel ſi eſt realiter diſtincta, eam infallibiliter conſequitur, vt docet D.Thomas 1.2. *quæſt.113.art.3.* Vnde in rem noſtram eleganter ait D. Ambroſius ſerm.17.in Pſalm.118.verſ.5. *Meritò*, inquit, *Spiritus ſanctus exclamat: Quàm pulchra, & ſuauis facta es charitas in delicijs tuis. Pulchra decore virtutis,ſuauis iucunditate gratiæ, quam nulla vexat amaritudo peccati;& ipſa iam charitas,quæ diligendo Deum,& nomen acceperit;quia Deus charitas eſt.* Dionyſius Carthuſianus lib. 2. de laudibus Virginis. *Maria*, ait, *non viua,ſed vita dicenda eſt, & quidquid viuit, per vitam viuit.* Quod bene explicat Salazar *de Concept. cap. 23. num.9.* Maria dicitur vita,& non viua;nam *viuus*, eſt nomen concretum, & connotat ſubiectum contrariorum receptaculum, & ad vtrumque paratum; at vita ita eſt determinata in gradu vitæ, vt ei omnino repugnet mors. Sic Maria dicitur vita; quia ita gratia obumbrata eſt, vt numquam in ea mors peccati eſſe potuerit. Et in hoc ſenſu intelligo D. Auguſtinum *ſerm. de Aſſumpt.* vbi ſic de B.Virgine loquitur: *Si formam Deitatis appellem, digna exiſtis.* Formam Dei hîc accipio per participationem,quæ eſt gratia, non dicit ſubiectum, ſed formam, ob rationem datam. Ergo cùm Beatiſſima Virgo dicatur in abſtracto perfectio, charitas,vita,& gratia: in ſubiecto autem aliquando poſſit contrarium inueniri; non tamen in ipſis formis v.gr. In vita mors eſſe non poteſt; in ſanctitate peccatum: igitur nec etiam in Beatiſſima Virgine, vt de ea meritò dicamus: *Deus meus impolluta vita eius*, Pſal.17.n.31.

Confirmatur hæc puritas Virginis ab omni peccato, ex modo deſcribendi Matthæi, & Lucæ in ſuis genealogiis: nam Matthæus, qui generationem Ioſeph narrat,vtitur verbo *genuit*; Lucas verò, qui iuxta aliquos, vt iam ſupra dixi, Virginis proſapiam tractat, verbo *fuit.* Quod notauit Origenes *homil.28.in Lucam.* Vbi obſeruat, quòd Matthæus ſemper nomen generationis adiungit; Lucas verò in tam multa nominum ſerie, excepto, quòd *putabatur filius Ioſeph*, nullum generationis nomen adſcripſit. Sed quare Matthæus vtitur communi verbo *genuit*, vt conſtat *Geneſ. 4. & 10. & 13.* & ſæpè. At Lucas verbo inuſitato in genealogiis deſcribendis, *Qui fuit?* Niſi quia ille de Ioſeph, hic de Beatiſſima Virgine agebat. Ioſeph, qui communi modo à parentibus ſuis progenitus eſt,eius origo cõmuni methodo deſcribitur:at Beatiſſima Virgo, quæ admirabili, & inuſitato modo à ſuis eſt egreſſa

Margin notes (right of this column): 28. — Cantic.6. — Pagninus. — Cantic 7. — Septuag. — Cantic.3. — Scotus. — S.Thom. — Ambroſ. — Carthuſ. — Salazar. — Auguſt. — Pſalm.17. — 29. — Origenes.

maioribus, ita vt eorum non coinquinaretur defectibus, admirabili, & inuſitato modo proponitur: & ita eſt ſuorum parentum filia, vt ab eorum maculis ſit immunis. Deinde nota, quòd generationem Chriſti, vt filij Abrahæ, per Ioſeph, Matthæus narrat: Lucas verò ſecundùm ſacerdotalem dignitatem, vt Auctor eſt Auguſtinus *lib.2.de conſenſu Euangeliſt.c.4.* & alij Patres, Sacerdotium quandam munditiem præſe fert; & quamuis Chriſtus Dominus ſit ipſamet ſanctitas per eſſentiam, quando tamen dicitur filius Virginis, vtpote puriſſimæ, quandam ſanctimoniam etiam ex dignitate voluit manifeſtari, vt ſic puritas, & mundities Virginis liceat commendari,maniſque laudibus extolli.

Margin notes: Auguſt. — *Chriſtus dũ dicitur filius Virginis;ſingulari ſanctitate exprimitur.*

30. Ambroſ. Ildephonſ. Caſſiodor. Confirmatur ex ſanctitate eximia Chriſti Domini, ex qua rectè ſancti Patres puritatem Virginis colligunt. S.Ambroſius *lib.10. Epiſt.cap.79.* S. Ildephonſus *lib.de Virginitate Mariæ, cap.8.* Caſſiodorus *lib.4.Epiſtol.2.* Si Chriſtus adeò eſt ſanctus, vt nullum poſſit habere commercium cum re inquinata peccato, quomodo eligeret in matrem, quæ illo fuerat maculata? Quænam eſt cauſa, ob quam Iacob moriturus adſtrinxerit iuramento filios ſuos, vt eum in Ægypto non ſepelirent,ſed in terra Chanaan, *Geneſ.47.num.29. & 49. num. 29.* At Ioſeph moriens ſinit corpus ſuum in depoſitum per multum temporis in Ægypto poni. *Geneſ.50.num.23.* Iacob nec ad horam vult corpus ſuum in Ægypto claudi: at Ioſeph ferè per trecentos annos patitur? Chriſtus à Ioſeph non erat deſcenſurus; Iacob verò in eius patrem deſtinabatur. Cùm ergo Chriſtus virtualiter iam in lumbi Iacob contineretur, terram peccatis maculatam, vt erat Ægyptus, pro tunc ingredi noluit. Si ergo virtualitas Chriſti terram violatam ad horam pati noluit, quid de realitate corporis ſui iudicandum,non ad horam, ſed per nouem menſes; & non ſolùm per hoc temporis ſpatium, ſed per totam æternitatem, cùm Virginis ſanguinem in ſe ſubſtantialiter habeat,ab ipſoque formatus, & compoſitus ſit; Si tres Reges, Ochozias, Ioas, & Amaſias propter mixturam ſanguinis impiiſſimæ Iezabelis, in hoc Euangelio à catalogo progenitorum
Hieron. Hilar. D.Thom. Chriſti excluduntur: vt obſeruat D. Hieronymus,D.Hilarius, S.Thomas, & alij, vt dixi ſuperiori capite, quomodo in ea, quæ ad totius Trinitatis receptaculum parabatur, aliquam imperij Diaboli mixturam, etiamſi pro breui admitteret mora? Abſit hoc;abſit hoc.

31. Concludimus ergo, Electam in Dei matrem ab omni ſorde peccati,tam originalis, quàm venialis,& mortalis fuiſſe immunem, & omni ſanctitate, ac puritate donatam. Imò ait Andreas Cretenſis orat.2.de dormitione Virginis *O nubes*
Andr.Cret. *Virgo theſaurus ſanctitatis.* *tota lucida! tu enim verè ex, quæ re vera pulchra es,& macula non eſt in te.* Et ſtatim ſubdit: *O ſancta,& ſanctis ſanctior,& omnis ſanctitatis ſanctiſſime theſaure.* Ita eleganter Cretenſis Epiſcopus Hieroſolymitanus. Ex qua tanta Virginis ſanctitate licet mihi dicere,nõn ſolùm à peccato originali, ſed etiam ab illius debito fuiſſe liberam, vt
Valentia. Salas. Herrera. Viguerius. Galatin. Salazar. cum Catharino tenent Valentia *tom.2. diſput.6. quæſt.11.punct.2* Salas. *tom.2. in primam ſecundæ, quæſt.18.tract.13. diſp.11.ſect.5. quæſt.11.* Herrera *in Scotum,lib.2.ſent.diſp.24.quæſt.9.* Viguerius *de inſtitut cap.18.§.5.* Galatin. & alij multi, quos citat,& ſequitur Salazar *de Concept.cap.8.* Et, quod magis eſt,de hac re extat ſentẽtia ſanctæ Inquiſitionis Toleti,vt hæc opinio de immunitate à debito peccati originalis liberè defendi poſſit,apud eundem Salazar citatum *num.20.*& eam in multis publicis concluſionibus vidi ſuſtentari,& defendi. Nec aliquis ex hoc inferat, Beatiſſimam Virginem non fuiſſe redemptam; hoc enim nullo modo ſequitur. nam, vt luculenter ait D. Auguſtinus, medicus dupliciter curare poteſt, ſanando, vel præſeruando. Ita in Pſalm.85. *Quemadmodum*, ait, *ſi medicus videat tibi imminentem ægritudinem,fortè ex aliquo labore,& dicat, Parce tibi,& ſic te tracta,nec quieſce,his cibis vtere:nã ſi non feceris,ægrotabis. Tu autem ſi feceris, & ſanus fueris,rectè dices Medico: Liberaſti me ab ægritudine,non in qua eram,ſed,in qua futurus erã.* Et ſimiliter *lib.perſeuerantiæ*,ad illa verba, *Raptus eſt.* Et D.Bernardus *ſerm.22 in Cantica* Et in hoc ſenſu explicat idem D.Auguſtinus de Samgar illud, quod dicitur 3. Iudic. n.31. *Ipſe quoque defendit Iſrael*, ſeu, vt eſt in textu Hebræo, *ſaluauit*; cùm tamen in eius tempore nullum fuerit bellum. Ita ſoluit D.Auguſtinus quæſt.25. *Intelligendúmque*, ait, *dictum* ſaluauit, *non quia nocuerit aliquis hoſtis, ſed nec permitteretur nocere.* Et in hoc ſenſu paſſim ſumitur hoc verbum *ſaluare*, in Scriptura, *Geneſ.19.num.17.& 19.* Imò & ipſum verbum *redimere.* Pſalm.70.num.23, *& anima mea,quam redemiſti*; ideſt, ab inimicis meis. Et Pſalm.143 n.10. *Qui redemiſti Dauid ſeruum de gladio maligno*; ideſt, à prauo Goliæ gladio, vt eſt communis expoſitio ſanctorum Patrum; non quia eo gladio fuiſſet vulneratus, ſed quia præſeruatus eſt, ne transfigeretur. Sic Beatiſſima Virgo dicitur redempta, non quia peccato originali, vel illius debito fuiſſet maculata, ſed quia meritis filij ſui immunis, ac præſeruata facta eſt. Et ita peculiari modo eſt redempta, de quo vide infrà *cap.7.num.6.* Et quid mirum,quòd de Beatiſſima Virgine ita ſentiamus, cùm ipſa ſpecialiſſimè fuiſſet redempta, ac chariſſima filio ſuo, ita vt dicat D.Bernardus ſermon.de aſſumpt. *Vulneraſti cor meum ſoror mea, ſponſa, vulneraſti cor meum. Pro amore tuo carnem ſumpſi,& vulneribus primis vulneraſti in cruce cor meum:nam primogenita redemptoris filij ſui Ieſu fuit Virgo Beata.* Vbi aſſerit,quòd amore ſuo Deum traxit ad terram,& quòd in redemptione quandam habuit prioritatem. Ita indicat modus ille loquendi,primogenita Redemptoris.

Margin notes (right of this column): *Sententia S. Inquiſitionis.* — *Virgo peculiariter redempta.* — Auguſt. — Bernard. — Auguſt. — Iudic.3. — D. Auguſt. — Pſalm 70. — Pſalm.143. — Bernard. — *Deus amore Virginis carnem ſumpſit.*

QVÆSTIO III.

De Natiuitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ. De qua natus eſt Ieſus.

32. SÆPE dubitatum eſt: quare Euangeliſta texendo Virginis genealogiam, eam non deſcribat per progenitores ſuos, ſed per parentes Ioſeph, cum aliquarum fœminarum generationes in Scripturis reperiamus, vt patet in Iudith, cuius parentes vſque ad Ruben narrantur, *Iudith 8. num.1.* Atqui multo illuſtrior eſt Beatiſſima Virgo; quare in ea hoc non inuenimus factum? de quo multa iam dedi, præcipuè ſuperiori capite. In præſenti id mihi videtur, quod dicebatur hîc Mater Ieſu, *De qua natus eſt Ieſus.*

Aliĵ totam nobilitatem ſuam à parentibus acceptam habent; at Beatiſſima Virgo præcipuum decus à filio participat, ex eo quòd ſit Mater Ieſu Petrus Damianus ſerm. 2. de Natiuitate B. Virginis; *Clara*, inquit, *proauorum titulis, ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis; non filia ſiquidem Regum, ſed mater Regis regum.*

Damian.

33\. S.Thomas à Villa Noua ſerm. 2. de Natiuitate Virginis. *Cogitanti mihi*, inquit, *quid cauſæ ſit, quòd cùm Euangeliſtæ de Ioanne Baptiſta, & aliĵs Apoſtolis tam longum fecerint tractatum, de Virgine Maria, quæ vita, & dignitate omnes antecedit, ita ſummatim percurrunt hiſtoriam; cur, inquam, non traditum eſt memoriæ, quomodo concepta, quomodo nutrita; quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata; quis enim dubitat, quin in eius natiuitate, & pueritia mira multa contigerint? Mihi ſic hæſitanti nihil aliud occurrit, quàm ita placuiſſe Spiritui ſancto, eiuſque prouidentia Euangeliſtas ſiluiſſe propterea, quia Virginis gloria, ſicut in Pſalmo legitur, omnis intus erat, & magis cogitari poterat, quàm deſcribi. Non eam Spiritus ſanctus literis deſcripſit: ſed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere poſſit, defuiſſe; imò re ipſa intellectum omnem ſuperat. Vbi ergo totum erat, pars ſcribenda non fuit, ne putares, quod ſcriptum non fuerat, ei forſitan defuiſſe. Quidquid igitur de Virgine ſcire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breuiloquio: De qua natus eſt Ieſus; hæc longà, & pleniſſima hiſtoria eius eſt.* Anſelmus. *De Virgine Maria ſolùm dicere, quòd Mater Dei eſt, ſuperat totum, quod ſub Deo dici poteſt. Vnde B. Thomas quandam ei dignitatis infinitatem attribuit.* Huc vſque & latiùs S. Archiepiſcopus. Sed adhuc huic quæſtioni adhæreo. Quare Salomon tam ample, ac ſpatiatim Virginis ſplendores deſcribit in Canticis. *Eccleſiaſt.* 24. vbi multa de eius ſtatura, capite, collo, manibus, ac calceamentis dicuntur, quæ omnia Euangeliſtæ ſubticuerunt? Liber Canticorum liber ænigmaticus Beatiſſimæ Virginis eſt, cuius virtutes eximias, ingentia dona, peculiares gratias, aliqualiter, licet remotiſſimè, Salomon attingere valet; at in realitate, eóque perfectionis gradu, quo in ea inueniebantur, nullus eſt, qui dicere poſſit; ſed ſolus ille Eccleſiaſt. 1. num. 9. *Qui eam creauit in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt.* & ideo ab humana loquela ſilentio veneranda eſt. Sufficit nobis ad hiſtoriam plenam id, quod de ea ſcribitur; *De qua natus eſt Ieſus.* hîc eius virtutes, hîc eius magnalia Conceptionis, Natiuitatis, & vitæ ſuæ continentur.

Th. à Villa Noua. Anſelm. Eccli. 1.

Ad laudes Virginis explicãdas nulla ſufficiunt verba.

34\. Magno myſterio expendendum eſt id, quod refert Fulbertus Carnotenſis ſerm. 1. de Natiuitate Virginis; *Nata eſt*, ait, *Beatiſſima Virgo, ſicut legimus, patre Nazareno, matre Bethleemita, quas vrbes Chriſti natiuitati, vel conſeruationi deſtinatas eſſe Prophetæ non tacuerunt.* Et idem *ſerm.* 2. Naſcitur ergo Beatiſſima Virgo ex Nazareth, & Bethlehem; in Nazareh concipitur Chriſtus, in Bethleem naſcitur. Vis ſcire, qualiter progenita, ac nata ſit Beatiſſima Virgo? Conſidera, quòd concepit, ac peperit Saluatorum ſæculorum, talis partus, talis maternitas ipſam genuit, ac parturiuit. Et ideo ait D. Anſelmus citatus quæſt. 1. *Decent erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tamquam ſe ipſum diligebat, ita dare diſponebat.*

Fulbert. Anſelm.

36\. Cantic. 4. num. 13. *Emiſſiones tuæ*, ait Sponſus, *paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* ſeu, vt legit D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, circa medium: *Emiſſiones tuæ paradiſus malogranatorum cum fructu pomorum.* Ac ſi dicat, exitus, ac egreſſiones in tua natiuitate, veluti paradiſus omnium virtutum, & donorum, non ſolùm terreſtris, verùm etiam cæleſtis, in quo Dominus habitauit, & ſuper ipſa gauiſus eſt, *Malorum punicorum.* Theodoretus *quæſt. vltima*, per mala punica intelligit ſignificari charitatem, quam in eo repræſentant, quòd *ſub vno eiuſdem mali cortice multa continent grana, ita mutuò inter ſe conſerta, vt viciſſim minimè comprimant, & corrumpant, ſed integrent, & conſeruant.* Sic Beatiſſima Virgo omnium fuit plena virtutum, quæ miro ordine erant inter ſe compoſitæ, & mutuò conſeruabantur. *Cum pomorum fructibus.* Vt non ſolùm in vno virtutum genere, ſed in omni excelluiſſe intelligas. Et ideo, vt notat Rupertus Abbas, qui locum de Beatiſſima Virgine exponit, ſtatim ſeptem numerantur aromaticæ plantæ *Cypri nardo*, &c. Quibus ſeptem Spiritus ſancti dona ſignificantur, quibus domus hæc ſuffulta extitit. Sed illud hîc maximè notandum in rem noſtram quòd emiſſiones Beatiſſimæ Virginis malo punico comparantur. Quoſcumque exitus in malo punico conſideres, ſemper coronatos inuenies, ſiue dum malum granatum in flores erumpit, ſiue dum turget in gemmas, ſiue dum coaleſcit in fructum: meritò ergo illi comparantur emiſſiones Beatiſſimæ Virginis è vulua matris, quæ coronam ſemper aſportabat, vtpote illa, quæ in matrem Regis ſæculorum creabatur: & ideo deſe ait Eccleſiaſt. 24. num. 5. *Ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Expende illud *primogenita*, quod maioratum, & primatum innuit. Huc reuoca Prouerb. 8. num. 35. *Qui me inuenerit, inueniet vitam.* Septuaginta legunt: *Egreſſiones meæ, egreſſiones vitæ.* Et aliqui codices transferunt: *Egreſſiones eius, egreſſiones gloriæ.* Quoſcumque inceſſus greſſuſque in Beatiſſima Virgine inueneris, gloria, & honore laureatos reperies.

Cantic 4. Hieron. Theod. Rupert. Eccli. 24. Prouerb. 8. Septuag.

B. Virgo ſemper coronata.

37\. Sed quid mirum, quòd Beatiſſima Virgo in Natiuitate ſua talis egrediebatur, cùm non natura, ſed gratia, totum, quod in ea erat, operabatur; vt ex Patribus ſuperiori quæſt. diximus. Nata eſt Beatiſſima Virgo Nazareth, vt ex traditione ſanctorum Patrum teſtatur Fulbertus Carnotenſis *ſerm. 2. de Natiuitate.* Et naſcitur Septembri menſe, in quo verni flores areſcunt, atque marceſcunt, vt manifeſtè videas, quòd hîc flos, non naturæ impetu, ſed gratiæ impulſu oritur; natura miratur, & gratia operatur; Nazareth enim flos interpretatur.

Fulbert.

38\. Cant. 3. n. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentariĵ.* Aliqui ex Hebræo legunt, *Quæ eſt iſta, quæ oritur, ſicut virgula fumi de deſerto.* Per *deſertum* intelligitur mundus, vt explicant Richardus de S. Victore, D. Gregor. *homil. 22. in Ezechiel.* Et optimè ſanè, cùm mundus ante eius natiuitatem illius præſentia, ac patrocinio eſſet deſtitutus, rectè deſertum appellatur. Virgula, quæ recta, & directa eſt in Deum, nullum habet nodum peccati. *Sicut virgula fumi.* Caſſiodorus in comment. *Similitudinem fumi affert, quia fumus ex igne naſcitur, & mox altiora aëris expetit.* Et ſubdit: *Anima Deum amans gracilis eſt, & delicata, diſciplinis Spiritus ſancti attenuata, non habens groſſitudinem carnalium deſideriorum.* Iam apparet, quàm apta ſit ſimilitudo. Orta eſt Beatiſſima Virgo ex igne diuini amoris, quo Deus ad noſtram carnem ſumẽdam æſtuabat, & ſicut virgula fumi in nullo inſtanti cohiberi poteſt, quin ſurſum ſcandat: ſic Beatiſſima Virgo in nullo extitit momento, quin ad ſuperiora euolaret: & ideo de ea ſæpe dicitur, *Aſcendit.* Cant. 8. n. 5. *Quæ eſt iſta quæ deſcendit de deſerto delitiĵs affluens.* Et nõ progreditur: Quamuis ex noſtra ſit compoſita natura, nulla tamen terreni affectus craſſitudine facta eſt ponderoſa; ſed ab illis aliena omnino reperta eſt. Quid mirum? Vide quod ſequitur: *Ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentariĵ?* Ex omnibus donorum, ac virtutum odoribus. *Spiritus ſanctus pigmentarius* (vt ait comment. Rupertus) *eam confecit, ac fabricauit.* D. Ambroſ. *lib. 8. epiſt.* 62. ita legit: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit à deſerto, ſicut vitis propago, fumo incenſa, odorificata myrrha, & thure ab omnibus pulueribus vngente?* Sicut vitis propago, dum creſcit, virtualiter nouos in ſe racemos includit; ſic Beatiſſima Virgo dum in ortu exurgit ſuo, in ſe iam vitæ racemum, ſcilicet Chriſtum Dominum eminentialiter aſportat.

Cant. 3. Richard. D. Gregor. Caſſiod. Cantic. 8. Rupert. Ambroſ.

39\. Meritò hic dies quo Beatiſſima Virgo tanta egreditur gloria, valde eſt celeberrimus, & feſtiuus, ac iucundus Deo, Angelis, & hominibus, Geneſ. 2. n. 2. dicitur: *Requieuit Deus die ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Requies illa, & ſanctificatio per modum fuit cuiuſdam feſti, & ſolemnitatis, vt indicant D. Auguſtinus 11. *de ciuitate Dei, c. 31.* Chryſoſtomus, Procopius *ad citatum locum.* Sed cùm legitur, Deum feciſſe cælum, & terram, Solem, & Lunam, non legitur, Deum requieuiſſe, feſtumve indicaſſe, ſed Scriptura nos tantùm hæc docet poſt hominis creationem? In homine illo creato Deus iam à Verbo aſſumendam naturam vidit humanam (in qua expoſitione ſunt Rupertus, Iunilius, & aliĵ Patres,) ideo diem illum præ vnionis hypoſtaticæ deſiderio, requie, & feſtis decorauit. Sed ſi in die, quo ipſa caro vnienda tam remotè in Adamo apparuit, tanta fuit ſolemnitas, qualis eſſet tempore, quo ipſamet determinatè, & in indiuiduo viſa eſt, in orbemque exiuit? Hoc non explicari, ſed tantùm cogitari poteſt. Hanc cogitationem magis firmemus, ex D. Bernardo Eccleſiaſt. 24. n. 8. ait Sapientia increata. *Gyrum cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, in fluctibus maris ambulaui.* Et ſubdit, *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in electis meis mitte radices.* Ad quæ verba ſapienter D. Bernardus ſerm. de B. Maria: *Altiſſimus*, ait, *ſibi Mariam, quaſi mundum ſpecialiſſimum, condidit, hæc eſt vnica illa ſalutaris fœmina, in qua ſola quæſitam in omnibus requiem inuenit.* Quaſi, quòd ſapientia per totum orbem, per gyrum cæli, & profundum abyſſi in ſuis deſideriis requiem quæſierit, & hæc tantùm inuenta eſt in domo Iacob, & hæreditate Iſrael, nimirum ſanctiſſima Virgo ex ex eius propagine nata.

Geneſ. 2. Auguſt. Chryſoſt. Procop. Rupert. Iunilius. Eccleſ. 24. Bernard.

40\. Ex vehementi rei alicuius deſiderio rectè infertur gaudium, & oblectatio poſſeſſionis. Quanto verò amore, ac huius Virginis affectione Deus teneretur, collige ex Damaſceno lib. 4. fidei, c. 15. *Virgo ſacratiſſima*, ait, *variĵs Prophetarum imaginibus per Spiritum ſanctum adumbrata eſt. Hanc rubus Moſaicus, Aaronis virga, Noë arca, Gedeonis vellus, Turris Dauid, Thronus Salomonis, Ezechielis clauſa porta, & alia ſimilia adumbrarunt.* Vt ſic tot figuris Dei erga Virginem deſideria miteſcerent, ac recrearentur. Imò hic Dei in Virginem amor adeò fuit eximius, vt condens mundum ad ipſam inſpexerit, illamque vt præſentem fuerit contemplatus, vt ex ſententia Rabbinorum teſtatur Galatinus *lib. 7. de arcanis, c. 2.* & D. Bernardus *ſerm. 3. de Salue Regina*, poſtquam multas Virginis figuras enumerat: *Breuiter concludam*, ait, *de hac, & ob hanc, & propter hanc totus mundus factus eſt, & hæc gratia Dei plena eſt, & per hanc homo redemptus eſt, Verbum Dei caro factum eſt, Deus humilis & homo ſublimis.* Ergo ſi tandiu deſiderata, quanto gaudio hodie ſuſcepta, cùm iam in terris totius Trinitatis thalamus apparet, veri Salomonis reclinatorium, & *Myſterium cæli, & terræ*, vt D. Epiphanius *ſerm. de laudibus Mariæ*, Virginem appellat.

Damaſceñ. Galatinus. Bernard. Epiphan.

Propter Virginem mundus creatus; & Deus homo factus.

41\. Dies hic lætus, & feſtiuus Angelis, Petrus Damian. ſerm. 3. de Natiu. Virg. *Per hanc*, ait, *Beatiſſimam Virginem non ſolùm amiſſa olim vita hominibus redditur, ſed etiam beatitudo angelicæ ſublimitatis augetur, quia dum homo ad ſuperna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur.* Lætantur Angeli, per Mariam enim eorum conſortes adimplentur, & gratiam, ac gloriam, ſiue eſſentialem, ſiue accidentalem per Chriſtum ſunt aſſecuti. de quo extant variæ ſententiæ apud expoſitores. S. Thom. 3. *p. q. 19. art. 4.* Vnde ipſi ad hunc diem ſolemnizandum maximè ſunt obligati. Vnde ait D. Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Natiu. Virgin. *In ortu eius lætati ſunt cæli, decantauerunt Angeli laudes, Deo promulgata eſt pax; humanæ ſpei cœpit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris, quæ totum occuparunt orbem, radios ſuos rutilant, aurora perfudit.*

Damian. D. Thóm. Laurent.

42\. Hic dies magnam lætitiam, & incredibile gaudium toto terrarum orbe diffudit, omnéſque homines, ac Sanctos lætificauit. Cant. 6. num. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens.* Sed quare ortus eius comparatur potius auroræ, quàm Soli, vel Lunæ, vel alteri Rei? Rupert. Hugo de S. Victore: *Sicut aurora finis eſt præteritæ noctis & initium diei ſequentis; ſic ipſa Virgo munda oriens finis dolorum, & conſolationis initium.* In hac die omne iam malum finem accepit, omneque bonum in orbe cœpit eluceſcere, iam enim primum apparuit noſtræ ſalutis fundamentum. Vnde meritò Petrus Damianus *ſerm. 2. huius diei*, appellat *Natiuitatem Virginis Mariæ virginem omnium feſtiuitatum.*

Cantic. 6. Rupert. Hugo. Damian.

44\. Genuit Lamech filium, Geneſ. 5. n. 29. *Vocauitque nomen eius Noë, dicens: Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum.* Noë, id eſt, requies, ac conſolatio, vt communiter exponũt ibi Patres. Sed quare, vt meritò ait D. Ambroſius lib. de Noë, & arca, cap. 1. *Cùm ſub Noë diluuium factum ſit, non requies hominibus, ſed interitus videatur illatus, nec remiſſio malorum, ſed cumulus miſeriarum; verùm ſi iuſti viri mentem conſideres, aduertes iuſtitiam ſolam eſſe, quæ nos requieſcere facit ab operibus iniquitatis, quia dum ea quæ iuſta ſunt, gerimus, nihil timemus puræ ex conſcientiæ*

Geneſ. 5. Ambr.

Phil. Abb. *ſcientiæ ſecuritate.* Et ſimiliter D. Philippus Abbas de Obedientia Clericorum cap. 6. *Noe*, inquit, *Iuſtus dignus eſt appellari, qui cum domo ſua ſolus diluuio meruit liberari. Denique Noë requies interpretatur: ſuper iuſtum quippe quietanter Dominus requieuit.* Si ergo quando Noë naſcitur, quies, & conſolatio dicitur, quia in eo, vt in Iuſto Deus requieuit, & totius orbis extitit conſolatio, quia arcam fabricauit, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt. Quanto magis Beatiſſima Virgo in Natiuite ſua quies dicetur, & conſolatio? Quies, per reſpectum ad Deum, in ipſa namque deſideria Dei quieſcunt. Vnde Pſalmiſta in perſona Chriſti

Pſalm. 138. Domini, ait Pſalm. 138. n. 15. *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Hebræi exponunt: *In vtero matris ſuæ*; & hunc appellat inferiora terræ.

Bonauent. D. Bonauentura ibi: *Quia ergo*, ait, *Domina, humillima fuiſti, Verbum incarnatum ex te carnem ſumere coëgiſti eo modo, quo centrum elementaria corpora ad ſe venire compellit, & in quo tantùm requieſcunt.* Fuit etiam Virgo multo potiori iure totius orbis conſolatio, non quia in hac arca octo animæ, ſed totus mundus ſaluus factus eſt. Vnde ait D. Bernardus ſerm. de Natiuitate Mariæ:

Bernard. Prouerb. 8. *Totum ſcilicet, bonum nos habere voluit Deus per Mariam*, Prouerb. 8. num. 35. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

Caiet. Pagnin. Caietanus: *Educet beneuolentiam à Domino.* Pagninus: *Qui me inuenit, inuenit vitam, & educet quidquid voluerit à Domino.* Si Mariam habes, omnia habes.

44. Damian. Petrus Damianus ſerm. 2. de Natiu. Mariæ: *Si Salomon*, inquiunt, *cum Iſraëlitico populo in dedicatione templi ex lapidibus facto tam copioſum & magſinicum ſacrificium ſolemniter celebrauit; quale, quantumque gaudium Beatiſſimæ Mariæ Natiuitas populo Chriſtiano debet afferre, in cuius vterum, velut reuera ſacratiſſimum templum, Deus ipſe deſcendens, & humanam naturam ſuſcipere, & cum hominibus dignatus eſt viſibiliter habitare.* Quod latè proſequitur: quia in templo Salomonis Deus deſcendit cum gloria in nebula propter cæcitatem Iudæorum. In hoc verò Beatiſſimæ

Pſalm. 18. Virginis, ſicut ſcriptum eſt, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*; vt ſedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminaret; cum ipſa comes illuminantur, & ſine ipſa nihil eſt in luce. *Per ipſam, cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decreuit: vt ſicut ſine ipſa nihil factum, ita ſine ipſa nihil refectum ſit.*

45. Prouerb. 8. Salazar. Naſcitur ſanctiſſima Maria, Prouerb. 8. n. 21. *Vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Vt ibi explicat Salazar: theſauros, id eſt, vniuſcuiuſque captum. Nam, vt ait D. Athanaſius

Athan. ſerm. de Annuntiatione: *Hac de cauſa factum eſt, vt gratia plena appellata, vtpote quæ omni gratia abundans, idque per ſuperuentum in te Spiritus ſancti. Ideoque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati ſcilicet iſtiuſmodi bonis. Ad te ergo clamamus, recordare noſtri, & tribue nobis pro iſtis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum.*

* * *

CAP. IV.

Annunciatur Præcurſor.

Lucæ 1. *n.* 5. Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abiæ, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen illius Eliſabeth.

VERSIONES.

Syriacus. Sacerdos quidam nomine Zacharias, ex miniſterio domus Abiæ, & vxor, &c.

Carthuſian. Nomine Zacharias de ſemine Abiæ.

Arabicus. De miniſterio familiæ Abiæ.

EXPOSITIO.

1\. De præfatione Euangelij Lucæ aliqua ad principium huius libri: & ideo à præſenti textu inchoamus. Et antequam Euangeliſta Chriſti facta, & opera narrare incipiat, à Ioanne Baptiſta initium ſumit, vt ſic oſtendat Chriſtum Dominum verum eſſe Meſſiam, qui miſit ante ſe præcurſorem ad parandam viam eius, *Malach.* 3. *num.* 1. & ideo *Matth.* 3. *num.* 3. & *Marc.* 4. *num.* 1. ad hoc referunt citatum teſtimonium Malachiæ.

2\. *Fuit in diebus Herodis Regis. In diebus*, hoc eſt, in tempore, frequens Hebraiſmus. *Herodis Regis.* Tres fuerunt Herodes. Primus dictus Aſcalonita, & etiam appellatus Magnus, qui occidit Innocentes, & fuit Rex Iudææ. Secundus prioris filius, Tetrarcha Galilææ, & extitit tempore paſſionis Domini, & occidit Baptiſtam. Tertius nepos prioris, & filius Ariſtobuli, & occidit Iacobum fratrem Ioannis, & hic fuit Rex Trachonitidis, & Galilææ. Lucas ergo hîc Regem appellando, de primo loquitur, prout diſtinguitur à ſecundo, & tertio. *Tres Herodes.*

3\. *Sacerdos quidam*, &c. Nomen patris, & matris Ioannis ponit Euangeliſta, vt de his omnibus, quæ ad tantum filium pertinent, certi ſimus. *Zacharias* idem valet, ac memoria Dei: *Eliſabeth*, idem, ac iuramentum Dei; vt his nominibus ſignificetur, quòd in Dei memoria erat iuramentum antiquis Patribus datum, vt ipſemet Zacharias dixit: *Iuſiurandum, quod iurauit*, vt notat Hugo. Vnicuique ſuæ promiſſiones, & iuramenta in memoria fixa eſſe debent. Deinde nota, quòd in vtroque Ioannis parente nomen Dei inuoluitur, vt ſic denotetur, in vtroque ad tantam prolem generandam diuinam virtutem extitiſſe. Theophylactus ait, quòd Eliſabeth, id eſt, quies Dei. Zacharias dicitur *de vice Abiæ.* Cùm multi eſſent Aaronis filij, qui tantùm ſacerdotali dignitate fungebantur, vt euitaretur contentio, & confuſio, eos Dauid in viginti quatuor familias diſtribuit, qui ſingulis hebdomadibus pro ſorte *Homo iuramẽti, & promiſſionis recordetur.* Theoph.

in

in templo deſeruirent: octaua ſors cecidit ſuper Abiam, qui tunc erat caput familiæ illuſtris, ex qua Zacharias Præcurſoris pater originem duxit. Quod totum habes *Paralip.* 24. *num.* 3. & 10. Et ita explicant D. Ambroſius, Euthymius, Theophylactus, Bonauentura, & alij. Elizabeth ex eadem etiam erat Aaronis familia, vt lex diſponebat ducere ex eadem tribu. Ambroſ. Euthym. Theophyl. Bonauent.

QVÆSTIO I.

Quare Euangeliſta hîc vtatur verbo Fuit?

4\. Dum Lucas Zachariæ dignitatem, & nobilitatem deſcribit, apponit verbum *fuit* præteriti temporis; *Fuit ſacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abiæ.* Dum eius, ac vxoris ſanctitatem narrat, apponit verbum *erat*, imperfecti temporis; & *erant iuſti ambo ante Deum.* Reſpondeo primò, quòd verbum *fuit*, ſignificat rem præteritam, ac tranſactam; verbum autem *erat*, æternitatem, ac permanentiam; & ideo vſus eſt eo Ioannes in generatione æterna: *In principio erat Verbum*, vt diximus *cap.* 1. Omnis iſtius ſæculi dignitas, ac nobilitas citò deficit, ac perit, ita vt nullum illius ſit veſtigium: Iuſtitia autem coram Deo in æternum durat, ac perſeuerat. De quo multa D. Gregor. *lib.* 5. *Moral. c.* 1. Sit ſecunda ſolutio. De iuſtitia, ac virtute, quæ coram Deo in æternum ſtat, verbum *erat*, at de ſacerdote legis veteris *fuit*; quia ſacerdotium illud iam finitum, extinctum, ac abolitum eſt. *Dignitas mundi tranſit, iuſtitia perſeuerat.* D. Gregor.

QVÆSTIO II.

Quare fiat mentio de diebus Herodis.

5\. Reſpondeo primò, quòd Euangeliſta antiquam Prophetarum conſuetudinem voluit retinere, qui Regum, ſub quo ſcribebant, tempus annotabant, *Iſai.* 1. *n.* 1. *Hierem.* 1. *num.* 2. *Oſeæ* 1. *num.* 1. *Amos* 1. Secunda ratio. Theophylactus, Euthymius, Beda, Bonauentura, Carthuſianus, & alij. Vt oſtenderet Euangeliſta, illud eſſe tempus, quod à Patriarcha Iacob venturo Chriſto præſcriptum erat; iam à Iuda regnum erat ablatum, & ad alienigenam Herodem tranſlatum; & ideo dixit Iacob, Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.* Seu quòd Concilium Sanhedrim de ſeptuaginta Iudicibus, de tribu Iuda iam ceſſeuerat, illud enim Herodes extinxit. De quo multa infrà dicam, & ita illud erat Meſſiæ tempus, cùm omnis iudicandi poteſtas à tribu Iuda eſſe ablata. Tertia. Hugo Victorinus lib. 4. Inſtitut. Monaſt. *Venit*, inquit, *Herodes, qui non erat de Iſrael, & arripuit ſceptrum dominationis in populum, vt ad exortum cæleſtis imperij carnale regnum deficeret; & promiſſus à ſæculis Rex Iſrael, cùm non eſſet ſceptrum de Iuda, æternum reciperet, quod temporale tranſierat.* Ante Chriſti exortum, notatur Herodis regnum, quod citò defecit, ac à Romanis extinctum eſt, vt dicam *cap.* 9. *lib.* 2. vt fiat manifeſtum, quòd ad præſentiam regni cæleſtis omnia bona temporalia diſparent. *Vt ad exortum cæleſtis imperij carnale regnum deficeret.* Deinde vt cognoſceremus ſceptrum Iſrael Chriſto promiſſum eſſe æternum, cùm temporale eſſet in manu Herodis. Quartò. Euangeliſta in Herode ſuppreſſit ſua turpia facinora, fuit enim peſſimus, & de ipſo ſolùm regiam publicat dignitatem. Agebat hîc Euangeliſta de magnalibus Ioannis Baptiſtæ, *Erit magnus coram Domino.* De virtutibus Zachariæ, & Elizabeth; de Herode non turpe, ſed quod magnum erat, dicere voluit. Non ſolent iuſti aliquos laudibus inſignire, alios dedecorando. Specioſa laus inter magnos prolata. Theophyl. Euthym. Beda. Bonauent. Carthuſ. Geneſ. 49. Hugo. *Ad præſentiã æterni regni temporalia deficiunt.* *Laus vnius ſine vituperatione alterius.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm Zacharias fuerit Summus Sacerdos?

6\. Affirmant antiqui Patres, D. Chryſoſtom. *homil.* 2. *de incomprehenſibili Dei natura*, D. Auguſtinus *tract.* 46. *in Ioan.* D. Ambroſius, Beda, Strabus, Theopylactus contrariam ſententiam, ſcilicet, Zachariam non fuiſſe ſummum Sacerdotem, ſed vnum ex viginti quatuor, qui in templo miniſtrabant, tradunt Lyranus *hîc*, & *infrà num.* 9. ad illa verba: *ſecundùm conſuetudinem Sacerdotis*; ibi Maldonatus, noſter Beaulxam. Salmeron *tom.* 2. *tract.* 33. Toletus *annot*, 3. Et eſt probabilior, ac rationibus efficacibus ſtabilitur. Primò. Quia cùm Euangeliſta hîc de parentis Baptiſtæ laudibus agat, ſi eſſet ſummus Sacerdos, illud exprimeret. Secundò. Quia Zacharias erat à dextris altaris incenſi. In ſancta Sanctorum, vbi ſummus Sacerdos tantùm ſacrificabat, nullum erat altare incenſi, ſed extra in primo tabernaculo, vt rectè colligit Lyranus ex Paulo *ad Hebræos* 9. *num.* 4. & 5. Tertiò. Zacharias ingreſſus eſt, vt poneret incenſum tamquam ſacrificium, vt patet ex hoc cap. Luc. atque ad ſummum Sacerdotem non pertinebat facere ſacrificium ex incenſo, ſed tantùm illud ponebat, vt tabernaculum nebula impleretur, *Exod.* 30. *num.* 10. & *Leuitic.* 16. *à n.* 2. Ergo non fuit ſummus Sacerdos. Et nota, quòd priùs ponit dignitatis nomen appellatiuum, *Sacerdos*, quàm nomem proprium *Zacharias*; quamuis enim perſona eſſet ſanctitate illuſtris, dignitate tamen multò erat illuſtrior. Deinde vt prius ante oculos obſeruetur muneris, ac officij obligatio, quàm perſonæ qualitas. Vide *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 24. Chryſoſt. Auguſt. Ambroſ. Beda. Strabus. Theoph. Lyran. Maldon. Beaulxam. Salmeron. Tolet. Lyran.

QVÆSTIO IV.

Quare ſcribatur nomen matris Elizabeth?

7\. Ponitur nomen matris, & *vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth*, cùm hoc non ſit vſitatum apud Hebræos, qui patris nomen ſolùm ſcribebant, vt videre eſt apud Prophetas, *Iſai.* 1. *n.* 1. *Hierem.* 1. *n.* 1. Imò & apud Apoſtolos; ideo Petrus dicitur Simon Ioannis *Ioan.* 21.

Ioan.21.num.15. Et Ioannes Apoſtolus & Iacobus dicuntur filij Zebedæi, *Matth.20. num. 20.* Quare de Baptiſta etiam matris nomen adſcribitur? Reſpondet Cardinalis Hugo : *In commendatione aliorum Prophetarum, vt Iſaiæ, Hieremiæ, Oſeæ,& aliorum,non ponitur, niſi nomen patrum; hîc autem ponitur nomen patris, & matris, quia vterque Propheta.* Ac proinde ob vtriuſque ſanctitatem ambo hîc ſcribuntur. Secundò. Chryſologus ſerm.89. *Aaron*,ait,*primus Pontifex in lege fuit Sacerdotij origo : propterea meritò, prætermiſſis omnibus, eius filia dicitur,cuius in ſe memoria prætulit ſanctitatem, quam tanti generis pia cuſtos glorioſiſſimè transfundit in filium.* Ac ſi dicat: Ideo alij intermedij progenitores tacentur, & ſolùm Aaron Sacerdotij caput exprimitur, quia vt tanti patris filia ſe habebat,ac ipſam ſacerdotij ſanctitatem in filium transfundebat. Tertiò. Quò perſona illuſtrior, eo maior in eius deſcribendis parentibus diligentia eſt. Cùm ergo Ioannes nobilitate, ſanctitate, ac vita cæteros antecelleret, ideo in eius maioribus recenſendis, apponendiſque exactior cura fuit. Simon Caſſianus in ſerm. de vigilia Baptiſtæ : *Sed nec*, ait, *in vno parente dumtaxat præcurſor tanti Regis commendandus erat, niſi adderetur alterius fama notabilis; nam & vxor Sacerdotis,præcurſoriſque mater,de proximo affutura erat de filiabus Aaron, cuius nom... etiam ipſam extollebat, quæ Elizabeth vocabatur.* Expende illud : *Nec in vno parente præcurſor commendandus erat.*

Hugo.

Chryſol. *Filius imitator virtutum patris.*

Ioannes alios virtute antecellit. Caſſian.

QVÆSTIO V.

Quare Euangeliſta tam accuratè exprimat nobilitatem parentum Ioannis?

8. ILLVSTREM parentum Ioannis proſapiam Euangeliſta cur maximè explicat? Nam Zacharias dicitur, *De vice Abiæ, Eliſabeth de filiabus Aaron?* Reſpondet primò S.Ambroſius hîc : *Quæ enim*,ait,*alia intentio hoc loco ſancti Euangeliſtæ, niſi vt S.Ioannes Baptiſta nobilitetur parentibus,miraculis,moribus,munere, paſſione : ſic etiam S.Samuel mater Anna laudatur; ſic Iſaac à parentibus nobilitatem accepit, quam poſteris dereliquit.* Similiter Chryſologus ſerm.89.*Virtus, ac ſanctitas in nobilitate maximè fulget,ac ſplendet.* Secundò. Beda *in homil.vigiliæ S. Ioannis Baptiſtæ*; poſtquam de nobilitate parentum agit : *Iuſtis enim*, ait, *parentibus Ioannes eſt genitus, vt eo confidentiùs iuſtitiæ præcepta populis daret,quo hæc ipſa non quaſi nouitia didiciſſe, ſed veluti hæreditario iure à progenitoribus accepta ſeruaret.* Qui enim maiores habet iuſtitia, nobilitate conſpicuos, confidenter poteſt prædicare,loqui,& reprehendere,vnde namque calumniatores oblatrare poſſint, non habent. Et Ioannes cùm eſſet vox,conueniens fuit, vt vndequaque confidentia eſſet munitus.

Ambroſ.

Chryſol.

Beda.

Sanctitas in nobilitate fulget.

Reprehendēs non habeat vnde redarguatur,

9. Tertiò. Vt teſtimonium Ioannis de Chriſto magnæ eſſet auctoritatis, & ponderis. Nam perſonæ nobiliſſimæ, cæteris paribus, fide ſolent eſſe digniores. S. Paulinus epiſt.10.ad Seuerum: *Auxit*, inquit, *meritum Sacerdotis commemorata nobilitate coniugij, & laudaturus vitam,genus ante laudauit,vt venerabilior exiſteret.* Quartò. Nobilitas in vtroque coniuge. Nam matrimonio ſociati, ſanguine ac virtute debent eſſe æquales, vt pace floreant. D. Bonauent. *Vterque*, ait, ſcilicet Zacharias,& Elizabeth,*erat de generatione ſacerdotali,& per hoc ad coniugium apti.* Quintò. Pater, & mater Ioannis explicantur ex genere eſſe Leui, ad refutandam Iudæorum opinionem exiſtimantium, ipſum eſſe Meſſiam, *Luc.3.num.13.* Quia nulla ex parte Baptiſta erat de regali tribu, ac proinde nulla ſuſpicio eſſe poterat, quòd ipſe eſſet Chriſtus. Et ideo ait Titus Boſtrenſis, quòd *Euangeliſta à Ioanne,eiuſque patre narrandi initium facit,quo dum præcurſorem iuſtis encomijs ornatum in medium adducit, vt ad Chriſti patefactionē viam paulatim muniat, quā ille prædicabat.* Expende illud, *paulatim muniat*, quòd in rebus magnis vtile eſt conſilium,paulatim procedere.

Paulin. *Teſtimonium magnæ auctoritatis ex nobilibus.*

Bonauent.

Coniuges æquales

Boſtrenſis. *Ioannes non erat Meſſias.*

10. Sextò. Notatur, quòd antiquum ſacerdotium in Ioannis parente ex lege ad filium pertinebat; ipſe tamen illud negligens, in templo numquam miniſtrauit, ſed eremum periuit,vt Chriſtum ſequeretur, in cuius præſentia omnia, quæ erant legis veteris, in contemptum abierunt; & multo ei pretioſior erat Chriſti paupertas, quàm omnis alia dignitas. Beda *homil.2.in vigil.B.Ioannis*, ita ait : *Prætulit longam ſolitudinis ſitim, & eſuriem continuis hoſtiarum ſolemnijs : pilis camelorum, & cinctui zonæ pelliceæ auro textas Pontificum poſtpoſuit ſtolas : vt is,qui merito iuſtitiæ perfectioris, auctoritatem ſibi prædicandi aſciuerat, ipſe etiam neglecto ordine paterni pontificatus, oſtenderet, quia non dubiè melioris pontificatus præco & præcurſor exiſteret.*

Omnia legis veteris contemptibilia in præſenti Chriſti.

Beda.

Lucæ 1.n.6. Erant autem ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela.

VERSIONES.

Syriacus.	Coram Deo, & ambulantes in omnibus mandatis eius, & iuſtitia Domini inculpatè.
Vatablus.	Iuſti coram Deo, vitam agentes iuxta omnia præcepta, & iura Domini irreprehenſi.
D. Irenæus lib.3.c.1.	Incedentes in omnibus iuſtitiis.
Pagninus, & Arias.	Et iuſtificationibus Domini irreprehenſibiles.
Arabicus.	In iuſtificationibus Domini ſine macula.

EXPOSITIO.

11. EXTVLIT eos Euangeliſta à genere, ac officio, nunc verò à virtute. *Incedentes*,ait. Quo oſtendit, eos in via virtutis numquam ceſſaſſe, ſed ſemper maiores feciſſe progreſſus. Chryſolog.ſerm.91. *Incedentes dixit, vt eos oſtenderet cucurriſſe virtutibus, non ſtetiſſe, & ambulaſſe in via iuſtitiæ : non remanſiſſe in itinere mandatorum,ſed ad mandatorum plenitudinē perueniſſe.* Et eodem modo expendit idem ſanctus Pater *ſerm.89.* proceſſerant in diebus ſuis. In via virtutis non quieſcendum. *In omnibus mandatis.* Diuus Bonauentura. *Rectè dicit in omnibus*, ait, *quia ſecundùm quod dicitur* Iacob.1. *Quicumque autem legem ſeruauerit, offendat autem in vno,factus eſt omnium reus. In omnibus mandatis*, id eſt, virtutibus, ſeu operibus moralibus, quæ ad iuſtitiam pertinebant. *Et iuſtificationibus*, id eſt, præceptis legalibus, & cæremonialibus, quæ ad legem ſpectabant. Ita Diuus Auguſtinus *lib.2. quæſtionum in Exodum, quæſt.95.* Origenes *homil.25. in Numer.* Euthymius, & alij.*Sine querela*, id eſt, ita erant inculpabiles,vt non poſſent in aliquo reprehendi.

Chryſolog.

Bonauent. Iacob.2.

Auguſt. Origenes. Euthym.

QVÆSTIO VI.

Quare tam exactè eorum virtus explicetur?

12. MAXIME eſt Euangeliſta in Ioannis parentum virtute deſcribenda, ait enim, *Erant ambo iuſti ante Deum,incedentes in omnibus mandatis*; quare hoc? Reſpondet primò Diuus Ambroſius hîc.*Docet*,inquit,*Scriptura parentes oportere laudari,vt veluti tranſmiſſæ immaculatæ puritatis hæreditas in ijs,quos volumus laudare,præcellat.* Et ſubdit. *Tales maiores habere debuit prænuntius Chriſti, vt non repentè conceptam, ſed à maioribus acceptam, & ipſo infuſam iure naturæ prædicare fidem dominici videretur aduentus.* Parentum iuſtitia memoratur, vt à talibus Ioannes grogenitoribus laudetur, & quòd eius virtus non ſubitò apparuerit; (nem hæc aliquando eſt valde ſuſpecta;) ſed quod multo antea hæreditario iure à maioribus fuerit transfuſa. Expende illud, *non repentè conceptam.* Secundò. Sæculum illud, in quo regnabat Herodes, multarum calamitarum plenum erat, horum probitate atque virtute iuſtorum Deus recreare, & ſubleuare voluit. Chryſologus ſerm 86. *Dum dicitur*, ait, *ſub quo Rege quis Sacerdos ſit, temperantur mala;adeſt ſemper in mœrore ſolatium, nec conſolator deeſt,cui imminet perſecutor.* Et eleganter.Ita enim Deus ſuauiter omnia diſponit.Tertiò Hugo. *Magna laus, quod in diebus Herodis, ſcilicet proſperitatis temporalis, Sacerdos teneat Dei memoriam.* Zacharias,id eſt,Dei memoria,vt diximus in expoſitione.

Ambroſ.

Sanctitas non repentè appareat.

Chryſol.

Temperātur, ac mitigantur mala.

Hugo.

13. Quartò. Toletus annotat.7.*Dicuntur iuſti*,ait, *vt ipſorum parentum prophetia narranda maiorem conciliaret fidem,multa enim & Zacharias,& Elizabet, Spiritu ſancto inſpirante, pronuntiarunt.* Quintò. Steriles reputabantur tamquam peccatores, & pœna multati à Deo : *Non erit infœcunda, & ſterilis in terra tua*, Exod. 23. num.26. Deuteronom. 7. num. 14. Ne talis ſuſpicio de eis daretur, ideo eorum virtus fuit declaranda; nam vbi fama in diſcrimen adducitur, ibi tunc veritas maximè enodanda. Et hac de cauſa Euangeliſta tam accuratè exprimit, Zachariam eſſe de vice Abaiæ, ac tribu Leui, ne de eo mala daretur opinio, tunc enim Herodes omnia confuderat. Chryſologus ſerm. 86. *Herodes veniens ex gente alienā inuaſit regnum,violauit ſacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, ſpreuit ſenes, infecit iuuenes,Tribus miſcuit,deleuit ſtemmata,corrupit genus, tulit quidquid erat & diuinæ, & humanæ funditus diſciplinæ; ne quid ergo tale, & in ipſo Zacharia crederetur admiſſum, Euangeliſta cogitur ſic referre: Fuit Sacerdos nomine Zacharias de vice Abiæ.* Vide ſuprà *c.2.n.77. & 78.*

Tolet. *Ex probitate auctoritas.*

Exod.23. Deuter.7.

Vbi fama periclitatur,ibi virtus manifeſtanda.

Chryſol.

14. Nota, quòd dicuntur ambo iuſti, ac ſi ad perfectionem iuſtitiæ non potuiſſent peruenire, niſi illius vnitatem tenerent. D. Chryſoſtomus ſerm.91.*Ambo iuſti*,ait,*quia ambobus erat vna iuſtitia, ambo iuſti, quia conſtabat inter eos non de diligentia, ſed de ſanctitate coniugum;ambo iuſti, quia ſexu diſpares, pares meritis habebantur;ambo iuſti, quia ſicut erat in duobus vna caro,ſic erat in duobus vnus ſpiritus.* Nota ſecundò, quòd dicuntur iuſti apud Deum, cui pectoris clauſtra patent, quem cogitationum ſecreta non latent. Chryſologus ſerm. 89. *Placere iudicijs humanis, coram hominibus eſſe iuſtum, eſt virtutis humanæ, maximi eſt & laboris : ante Deum, qui ſcrutatur corda, cogitationes diſcutit,eſſe iuſtum,humani laboris non eſt, muneris eſt diuini.* Ac ſi diſcrimen ponat inter eſſe iuſtum coram Deo, & coram hominibus : nam coram hominibus, vt faciunt hypocritæ, maximi laboris eſt; at eſſe iuſtum coram Deo, cùm ſit muneris diuini, maximè dulce : gratia enim omnia diſponit fortiter, & ſuauiter.

Chryſoſt.

Coniugum vnitas.

Chryſol.

QVÆSTIO VII.

Quare eorum virtus dicatur ſine querela?

CVR de horum iuſtitia, ac virtute teſtatur Euangeliſta, quòd *fuerit ſine querela?* Reſpondeo. Ad ſignificandum, quòd fuerit virtus ſincera, ſine ſimulatione, ac fictione, & vt talis eſt, nulla querela eſt. Quuod pulchrè dixit hîc D.Ambroſius. *Sanctus Euangeliſta non ſolùm iuſtos ante Deum, & incedentes in omnibus mandatis eius, ſed etiam ſine querela incedentes, ait; quod miro cum prophetico congruit dicto,quo Salomon in prouerbijs vſus eſt:Prouide bona ſemper coram Deo,& coram hominibus, Prouerb.3. nulla ergo, querela eſt,vbi & mentis bonitas concordat,& facti. Et plerumque iuſtitia durior hominum querelam excitat.* Vltima verba expende,quòd vbi non eſt ficta ſimulatio, ſed mentis puritas cum factis, non iuſtitia dura, ſed ſuauis eſt. Secundò. Sine querelà, id eſt, ſine ſimulatione. Sic etiam explicat Diuus Auguſtinus lib.2. de peccatorum meritis, cap.13. *Sine querela,quia in lege nihil ſimulatum eſt.* 15.

Ambroſ.

Vera virtus ſine ſimulatione.

Auguſt.

16. Nota hîc illud, quòd egregiè ponderauit D. Auguſtinus, quòd Scriptura non ſolet dicere aliquem ſine peccato, ſed potiùs ſine querela. Ad Philipp.2.num.15. *vt ſitis ſine querela,& ſimplices.* Ad Coloſſ.3. n.13.1. ad Theſſal.2.num.10. & ſæpe. Sic ait Auguſtinus tom.6. libro de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtinum. *Sed aliud eſt, eſſe ſine peccato, quod de ſolo in hac vita Dei vnigenito dictum eſt; aliud, eſſe ſine querela,quod de multis iuſtis etiam in hac vita dici potuit; quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in*

Idem.

Philipp.2.

Auguſt. *Vera virtus non excitat querimonias.*

iſta

iſta humana conuerſatione iuſta querela eſſe non poſſit. Quis enim iuſtè queritur de homine, qui nemini malè vult? Et in libro de natura, & gratia c. 14. *Cùm aliquoties in Scripturis inueniatur homines dictos eſſe ſine querela, non inuenitur, qui dictus ſit ſine peccato, niſi vnus ſolus, de quo apertè dictum eſt; eum, qui non nouerat peccatum*, 2. Corinth. 5. Ita Auguſtinus. Vbi enim vera eſt iuſtitia, nulla querimoniæ occaſio datur; ideo idem valet, iuſtè viuere, ac ſine querela viuere. 2. Cor. 5. Auguſt.

Lucæ 2. n. 7. Et non erat illis filius, eo quòd eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.

VERSIONES.

Syriacus. Nullum porrò habebat filium, quandoquidem Elizabeth erat ſterilis, & ambo erant multorum dierum.

Vatablus. Nec tamen erat illis proles.

Arias. Non erat illis natus.

EXPOSITIO.

17. NON *erat illis filius*. Cuius rei duæ aſſignantur cauſæ ab Euangeliſta; vna generalis ad omne tempus ſe extendens, quia ſcilicet Elizabeth erat ſterilis. quæ ponitur, vt bene notat Caietanus: *Ne putares*, ait, *mortuos eſſe filios, aut filias, reddit rationem ex ſterilitate vxoris, vt intelligas, eos nunquam habuiſſe prolem.* Vnde infert Toletus *annotatione prima*, quòd mirabilior extitit conceptio Baptiſtæ, quàm Iſaac ex Abrahamo, & Sara, quia licèt Sara filios non generaret, tamen ſterilis non erat, vt Elizabeth. Et ipſe Toletus reſpondet ad aliquot ſacræ Scripturæ loca, quæ obiici poterant. Altera cauſa erat, quia Elizabeth, & Zacharias prouectæ ætatis, iam inepti ad generationem inueniebantur. Caiet. Tolet.

QVÆSTIO VII.

Quare ſterilitas horum parentum adeò explicetur?

18. AIT Euangeliſta: *Eo quòd eſſet Elizabet ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.* Reſpondetur primò. Ad eorum gaudium in ſuſceptione prolis explicandum: nam quanto res deſiderata magis eſt extra ſpem, tanto maiori cum gaudio ſuſcipitur. Beda hîc: *Diuinitus*, inquit, *eſt procuratum, vt prouectæ ætatis, diúque coniugij fructu priuatis Ioannes parentibus naſceretur, quatenus inopinato prolis ortu, & ipſis donum gratius efficeret, & cæteros miraculi ſtupor futuri Prophetæ pararet auditui.* Secundò. Chriſoſtomus *homil. in cap. 1. Lucæ*, teſtatur, quòd hæc Elizabeth ſterilitas fuit, vt de conceptu Virginis, & partu ne miraremur. Tertiò. Theophylactus. *Iuſtorum mulieres*, ait, *vt Sara, & mater Sanſon, & Samuelis, & iuſtæ ſæpe ſteriles fuerunt, vt diſcas, legem non exigere corporalium filiorum procreationem, ſed ſpiritualium.* Lex non damnabat eos, qui natura erant ſteriles, ſed eos, qui in via virtutis erant infœcundi. Quartò. Chryſologus ſermon. 87. *Sterilitas ſenectutis*, inquit, *exaggeratur extrema; & ab ſpe generandi totum ſubducitur, quidquid eſt corporis, & naturæ: & ne vel cogitatio ſobolis vlla remaneret, ad id peruentum eſt temporis, & ætatis: & tunc totum diuinum creditur, cùm fuerit nihil humanum.* Vt ſic ex vtriuſque parentis ſterilitate coniicias, in conceptione Baptiſtæ, non humanam virtutem, ſed diuinam eſſe operatricem. Quintò. Hoc magis explicat idem Chryſologus, dum probat Ioannem, ex parentibus ſterilitate aridis naſci, vt inde eius excellentia magis agnoſceretur, ita ait ſerm. 92. *Elizabeth annoſitate iam mortua ſanctum reuiuiſcit in partum: ſtupet ordo, deficit conſuetudo: miratur ipſa natura, & ex apparatu menſionis, hoſpitis meritum dignitáſque innoteſcit.* Beda. Chryſoſt. Theoph. Chryſol. *In conceptione Ioãnis non natura, ſed gratia operatur.* Chryſol.

19. Quare dicitur, *Non erat illis filius*; cùm, ſecundùm communem loquendi modum, dicendum videatur; non erant illis filij, in numero plurali? Sic dicitur de Sarai, *non genuerat liberos*, Geneſ. 16. num. 1. Sic de matre Sanſonis, *ſterilis eſt, & abſque liberis*, Iudic. 13. num. 3. Sic de matre Samuelis. *Annæ autem non erant liberi*, 1. Reg. cap. 1. num. 2. Reſpondeo, quòd de aliis infœcundis dicitur: Non erant ei filij, quia liberi à talibus nati, vt Iſaac, Samſon, & Samuel in virtute, ac iuſtitia æquales, & ſimiles habuerunt. At de Zacharia, & Elizabeth pronuntiatur: non erat eis filius, quia Baptiſta ab eis natus vnicus, & ſingularis inuentus eſt; ita vt aſſeratur de eo: Nullus inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta. S. Chryſologus ſerm. 91. *Non dixit*, ait, *non erant illis filij, ſed non erat illis filius, quia ſingularis futurus erat, qui erat de talibus naſciturus.* Geneſ. 16. Iud. 13. 1. Reg. 1. *Baptiſta ſingularis.* Chryſol.

QVÆSTIO IX.

Quare memorantur parentes Ioannis, & non Eliæ.

IOANNI aduentus primi Præcurſori nomen patris, ac matris deſcribitur; Elias tamen ſecundi aduentus futurus prænuntius nullum parentum memoratum habet; quare hoc? Reſpondet Hugo. *Elias præco ſecundi aduentus ſubitò ſine patre, & matre*, 3. Reg. 18. *ideo fit, quia Ioannes præcurſor fuit in teſtimonium carnalis generationis. Elias præcurſor erit in ſecundo aduentu, vbi carnalis generatio locum penitus non habebat, ſed ſpiritualis.* In primo aduentu venit filius Dei, vt eſſet frater, ac conſanguineus noſter, & ideo in eius præcurſore carnaliter propinqui, ac parentes recenſentur: at in ſecundo aduentu, in quo vt iudex apparebit, in eius anteſignano nulla carnis indicia notantur, quia in eo nullus conſanguinitatis, nec patris, nec matris affectus, cùm rectus iudex ab his omnibus ſit alienus. 40. Hugo. 3. Reg. 18. *Rectus iudex nullum carnalem habet affectum.*

21. Cùm Laban fugientem Iacob perſequeretur, conquerens, quòd idola ſua furatus eſſet, & omnem Iacob ſubſtantiam perſcrutaretur, Gen. 31. n. 33. *Cúmque intraſſet*, ait textus, ſcilicet Laban, *Confirmat.* Geneſ. 31.

tentorium Rachaëlis; illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta Cameli, & ſedit deſuper, ſcrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti, ait, &c. Sed quare Rachel, præclaris imbuta moribus, videns parentem, eique alloquens, debita reuerentia non ſurrexit, ſed immobilis ſedens manet? S. Ambroſius *lib. 2. de Iacob, cap. 5.* ait: *Nemo credat, paternam læſam eſſe reuerentiam, quòd ſtante patre, ſedit, vbi cauſa agebatur Religionis, fides debuit habere ſedem iudicij, & quaſi res ſtare perfida.* Sæpe ſæpiùs Rachel humilis, ac obedientiſſima ſe patri exhibuit; nunc verò ſedet, quia non vt filiæ, ſed vt iudicis perſonæ vices agebat; ac tamquam in tribunali, & iudicio præſes, patrem ignorat; quia vt rectus miniſter nullius affectu conſanguinitatis tangebatur. Ambroſ.

22. In illo finali, & vltimo iudicio reprobi clamabunt ad Dominum: *Domine, Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus. Tunc confitebor illis, ait Dominus, quia numquam noui eos*, Matth. 7. n. 23. Sed quomodo dicet: Nunquam noui eos: nónne ipſe numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat? Nónne ipſe nouit omnia, *Daniel 13. n. 42.* Paſchaſius hîc: *Qui finxit ſingillatim corda eorum hominum, & intelligit omnia opera eorum, quomodo rectè dicit, non noſſe, quos creauit? Nunquid non vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum? Propter quod vtique, non noſſe Dei, magis figuratè accipitur; non nouit autem eos, quos perimit, damnat.* Licèt vt creator omnia agnoſcat, ac nomine vocet, vt tamen iudex recta exequens, omnes tamquam amicos, ac propinquos ignorat; ſed de hoc multa variis in locis. Matth. 7. Daniel. 13. Paſchaſ.

Lucæ 2. n. 8. Factum eſt autem, cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum.

VERSIONES.

Syriacus. Factum eſt autem, cùm ipſe ſacerdotio fungeretur in ordine miniſterij ſui coram Deo.

Vatablus. Euenit autem, cùm is ſacerdotio fungeretur.

Arabicus: In diebus ordinis miniſterij ſui.

EXPOSITIO.

23. IN *ordine vicis ſuæ*, id eſt, in ſua hebdomada: nam alternantibus vicibus miniſterium ſacerdotale ad domum Abiæ, ac ad Zachariam deuenerat *Ante Deum*, ſeu, vt alij legunt, *coram Deo*, id eſt, in primo tabernaculo. Tres erant templi partes: prima dicebatur Atrium, in quo populus orabat. Secunda primum tabernaculum, in quo Sacerdotes manè, & veſpere thura offerebant. Tertia Sancta Sanctorum, vbi erat teſtamenti Arca, & vbi ſemel in anno Summus Sacerdos introibat. Zacharias autem erat in primo tabernaculo, illud enim dicebatur eſſe ante Deum, *Exod. 27. num. 21. & 30. num. 8.* & ibi erat altare, in quo incenſum offerebatur.

QVÆSTIO X.

Quare dicatur, in ordine vicis?

24. NONNE ſufficiebat dicere, vice ſua, ad quid appoſuit, in ordine? D. Bonauentura hîc: *Dicit, in ordine*, ait, *quia illud debet maximè fieri ordinatè*, 1. Corinth. 14. *Omnia autem honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Quo innuit, quòd, vt noſtræ actiones, orationes, ac ingreſſus in templum Deo ſint acceptabiles, requiritur, vt ordinatè fiant. Secundò. D. Ambroſius hîc ponderat illud verbum *vicis ſuæ: Et tunc*, ait, *vices erant, nunc autem perpetuitas.* Alludit ad antiqui Sacerdotis mutabilitatem. Ad mores. In iuſto dignitates, ac munera vices ſuas habent, nolunt enim in illis perpetuò immorari, vt ſunt multi ambitioſi. *Benedicite Deo de fontibus Iſraël*, *Pſal. 67. n. 27.* De fontibus, non de puteis. Aqua cæleſtium beneficiorum de fontibus eſt, quæ licèt in omnes diffundatur, ſuas tamen vices habet, modò hos irrigat hortos, modò illos; aqua verò mundi de puteo, quæ ſemper in vno, lutoſoque loco clauditur, & continetur. Bonauent. *Omnia cum ordine fiant.* Ambroſ. *Dignitates habeant vices.* Pſalm 67.

Lucæ 2. n. 9. Secundùm conſuetudinem ſacerdotij ſorte exiit, vt incẽſum poneret ingreſſus in templum Domini.

VERSIONES.

Syriacus. Ritu Sacerdotij accidit ei, vt componeret ſuffitus ingreſſus.

Vatablus. Secundùm conſuetudinem functionis ſacerdotalis, vt ſors illi obueniret, vt ſuffitum faceret.

Pagninus. Sortitus eſt, vt ſuffiret ſuffimentum ingreſſus.

Textus Græcus. Deſignatus eſt, vt poneret incenſum.

EXPOSITIO.

25. MEMINIT Euangeliſta antiquæ conſuetudinis, qua ſorte exiit, vt incenſum poneret. Beda refert hanc ſortem ad tempus Dauidis, in quo octaua ſors contigit Abiæ, eiuſque ſucceſſoribus. Alij verò exiſtimant, quòd cùm in familia Abiæ multi eſſent Sacerdotes, ſorte eligebatur, quis eorum incenſum adoleret. Et hoc videtur textui conſentaneum. Hoc autem genus ſortis penitus ignoratur. *Vt poneret incenſum*, ait Hugo, id eſt, oratio deuota. Et non memoratur dici, ſed poni; quia ſine dubio non valet oratio, quæ manu non ponitur ante Deum, id eſt, operibus non iuuatur. Beda. Hugo. *Oratio cum opere.*

QVÆSTIO XI.

Quomodo dicatur ingreſſus in templum?

26. DIxit Euangeliſta, *ingreſſus in templum*; cùm ſecundùm rigorem Latinum dicendum eſſet, *ingreſſus templum*? Reſpondeo. Quòd appoſita eſt illa particula *in*, ad denotandum, Zachariam introiſſe in templum materiale, & à ſe diſtinctum, ipſe enim, vtpote Sacerdos, & Sanctus, Dei templum erat. D. Chryſoſt. ſerm. 87.
Chryſoſt. *Bene dixit*, ait, *ingreſſus in templum, non ingreſſus templum; quia ipſe erat Dei familiarius templum, portans in ſui pectoris puritate tota legis arcana: & apponens non tam thuris, quàm puræ ſupplicationis incenſum, gratius namque Deus in ſuo, quàm in hominis opere requieſcit.*

Lucæ 1.n. 10. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi.

VERSIONES.

Syriacus. Tota verò turba orabat foris tempore ſuffitus.

Vatablus. Et omnis multitudo populi precabatur foris tempore ſuffimenti.

Græcus Hora thymiamatis.

EXPOSITIO.

27. DVm Zacharias in templo incenſum offerebat, populus erat foris in atrio, non confabulationibus, ſed orationi intentus, vtpote cùm omnium cauſa agebatur, omnium inſtabat deprecatio. Et hoc ora incenſi, quæ erat veſpere, & circa finem diei, iuxta Chryſologum
Chryſol. ſer. 86. *In hora incenſi*, ait, *iam Sol Iudaico occubabat in templo, vt in Eccleſia matutinus exurgeret.* In vltima diei hora offertur incenſum, quia lex vetus iam ad ſuum deuenerat finem, vt tranſacta nocte, Sol gratiæ reluceret.

Lucæ 1.n. 11. Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi.

VERSIONES.

Vatablus. Viſus eſt illi Angelus Domini.

Textus Græcus. Viſus eſt ab eo Angelus corporalibus oculis.

Theophylact. A dextris altaris Thymiamatis.

EXPOSITIO.

28. Ambroſ. Auguſt. REcte explicant D. Ambroſius *hîc* & D. Auguſtinus *epiſt.* 112. quòd Angelus illi apparuit, non in ſua ſubſtantia angelica, ſed in corporea figura aſſumpta; & ita eſt explicandus textus Græcus. Eo tamen modo Angelus illi ſe exhibuit, vt cognoſceret Zacharias, Angelum eſſe eum, qui ſe illi oſtendebat. *A dextris altaris.* Deſcribit Euangeliſta tempus, & formam apparitionis; nunc de illius loco agit, Dicitur, *Altaris incenſi*; vt ſignificetur, fuiſſe altare Thymiamatis, & ita ipſe Theophylactus Theophyl. legit, quod erat diſtinctum ab eo, in quo holocauſta offerebantur. Dicitur, *à dextris*, quod fœlix indicat nuntium.

QVÆSTIO XII.

Quare Angelus ſe manifeſtet Zachariæ in vigilia?

ANgelvs cur Zachariæ apparuit vigilanti, 29.
& non in ſomniis, ſicut aliis aliquando apparuit? Reſpondet primò Chryſologus in Catena D. Thomæ. Chryſol. *Res magna, viſione magna eges.* *Manifeſtè*, ait, *autem apparuit, non in ſomnijs, eo quòd nimis arduum annuntiabatur, vnde manifeſtiori, & mirabiliori viſione egebat.* Ac ſi dicat, quòd ob magnitudinem rei, quæ denuntiabatur, quòd ſcilicet ſteriles talem filium gignerent, tam apertà viſio neceſſaria erat. Secundò. Zacharias futurus erat de promiſſione *Omnis ambiguitas excludenda.* dubius; ne ergo exiſtimaret illud eſſe ſomnium, neceſſarium fuit, vt in vigilia fieret, vt ſic omnis ambiguitas excluderetur. Tertiò. Non ſolùm Zachariæ vigilanti, ſed etiam pro communi bono totius populi oranti ſe Angelus manifeſtat; quia ipſa oratio impetrauit, vt tanto dignaretur fauore, vt clarè vigilans Angelum videret eiuſque præſentia frueretur.

QVÆSTIO XIII.

Quare Angelus appareat in templo?

REspondet primò D. Ambroſius, Beda 30. Ambroſ. Beda.
Non autem immeritò, ait, *Angelus videtur in templo; quia veri Sacerdotis annuntiabatur iam aduentus, & cæleſte ſacrificium parabatur, in quo Angeli miniſtrant: non enim dubites, aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus immolatur.* Ita Ambroſius. Ratione Sacerdotis Chriſti fit apparitio, & denuntiatio in templo. Secundò, Hugo. Hugo. *Munus perſonaliter exequendum.* *Apparuit*, ait, *Angelus illi exequenti perſonaliter ſuum officium, ac pro populo oranti.* Viſione tanta, tantopere nuntio dignus fuit, dum per ſe ipſum, & non alium munus ſuum adimpleuit, hoc enim Deo maximè eſt gratum. Tertiò. Titus Boſtrenſis; Boſtrenſis. *Quia puro corde, & vt decebat templum eſt ingreſſus, & his ſemper adſunt Angeli, ac Dei auxilium.* Quartò Maldonatus. Maldonat. Vt magis conſtaret, Angelum à Domino fuiſſe miſſum; cùm appareret eo loco, vbi Deus habitare dicebatur, vbi arca Teſtamenti è regione erat, vnde diuina reſponſa reddebantur. Quintò. Quia Zacharias in templo ſacrificabat, ac debita Deo obſequia miniſtrabat, & in loco obſequij beneficia accepit; *Deus quodãmodo obligatur à loco obſequij.* quodammodo enim Deus ab ipſo loco obligabatur, vt preces audiret, poſtulata concederet. Sextò Guerricus Abbas *ſermon.* 3. *de Baptiſta*, ait: Guerricus. *Mirantur igitur alij, quòd à Prophetis prænuntiatus, quòd ab Archangelo promiſſus,*

& eodem, quo Chriſtus; cùm tamen Chriſtus in cubiculo, Ioannes in templo. Hoc in magnam cedit Ioannis laudem, quòd Chriſtus in priuata denuntietur domo, Ioannes verò in templo, & iuxta altare; ea tamen ratio mihi videtur, quòd cùm Ioannes eſſet creatura, in templo annuntiatur, vt à loco auctoritatem accipiat, & ſanctitatem? Chriſtus verò, cùm ſit Deus, hoc à ſe habet, & nullo extrinſeco indiget; vel dic quòd vnuſquiſque accipit diuinum reſponſum prout in ſuo munere ſe exercet, Virgo clauſa, Sacerdos in templo diuina oracula promerentur.

QVÆSTIO XIV.

Quare Angelus appareat à dextris altaris?

31. QVantvm ad id, quod Angelus apparet à dextris altaris. Reſpondent primò Ambroſius, Beda, Euthym. Ambroſ. Beda. Euthym. *Quia cæleſtis doni gaudium prædicabat; gaudium enim, & fœlicitas per dexteram deſignatur; & ideo Angeli annuntiãtes Chriſti reſurrectionem ad dexteram ſedent*, *Gaudium in Baptiſta.* Marc. 16. n. 5. Ad magnam ergo in annuntiatione præcurſoris lætitiam demonſtrandam Angelus ad dexteram ſedet. Hugo. Hugo ait: Quia gaudium æternæ beatitudinis nuntiabat. Secundò. Idem Ambroſius. Ambroſ. *Apparuit autem à dextris altaris incenſi, quia diuinæ inſigne miſericordiæ deferebat; Dominus enim à dextris eſt mihi, ne commouear*, Pſalmo 15. Denuntiabat Angelus aduentum Chriſti, in quo Dei patuit miſericordia, quæ per dexteram ſignificatur. Tertiò. Caſſianus ſermon. de Caſſian. Baptiſta, lib. 3. cap. 1. *A dextris*, ait, *apparuit* *Omnia in melius mutanda.* *altaris incenſi, quoniam omnia erãt in meliora mutanda, & à dextris ponendi erant omnes credentes ea, quæ ipſe nuntiaturus aduenerat.* Quartò S. Bonauentura. Bonauentr. *A dextris, vt ſignificaretur, quòd de cæleſtibus ciuibus erat.* Prouerb. 1. *Longitudo dierum in dextera eius.* *Vnuſquiſque oſtendit, qualis ſit.* Vnuſquiſque geſtu, & ſitu ſuo oſtendit, qualis ſit: Angelus de cælo dexteram occupat, Angelus verò malus ſiniſtram; quia ſicut ille bona, & proſpera, ita iſte mala, & ſiniſtra profert.

32. *Quare Angelus ſtat.* Quare Angelus erat ſtans, cùm apud ſepulchrum ſederet? Reſpondeo primò, quòd Angelus ad monumentum, vt cuſtos, ſedet; hîc ad Zachariam tamquam miniſter, & nuntius ad dicendum ea, ad quæ miſſus erat, ſtabat. In forma, & modo, ſecundùm munus ſibi commiſſum, ſe habet. *Lex vetus finita.* Secundò. In ſepulchro, tamquam in lege gratiæ, ac teſtamento Chriſti nouo ſedet; in templo Iudaico tamquam in lege veteri, ſtat, vtpote illinc demigraturus, & ad legem gratiæ tranſiturus, vt ibi immobilis, ac fixus permaneat; ideoque ad Chriſti ſepulchrum ſedet. *Sacerdotes venerandi.* Tertiò. In monumento Angelus cum ſanctis mulieribus; hic in templo cum Sacerdote, qui poſtea de diuinis fuit promiſſionibus dubius; tamen ob Sacerdotij dignitatem Angelus ſtat, illi ſoli plus reuerentiæ impendens, quàm tribus aliis piis fœminis, ac amore charitatis feruentibus. Quartò, Zacharias habebat iam tunc in ſe virtualiter Ioannem Baptiſtam; & ideo nil mirum, ſi ab Angelis maximè venerentur.

Lucæ 1. *num.* 12. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum

VERSIO.

Vatablus. Ingruitque timor in eum.

EXPOSITIO.

EX ſubita viſione angelica turbabatur Zacharias, *& timor irruit.* In 33.
hoc ſignificatur, vt ait D. Bonauentura, vehementia timoris. Idem. Deinde ſatis communis erat opinio apud Iudæos, ſtatim morituros, qui Angelos videbant. *Iudic.* 6. *num.* 22. *&* 23. *& cap.* 13. *num.* 22. Manue Angelum videns dixit vxori: Iud. 13. *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.*

QVÆSTIO XV.

Quare Zacharias videns Angelum turbetur?

ABraham, Loth, & Tobias, Angelorum 34.
præſentia minimè turbati, *Geneſ.* 18. *&* 19. *& Tobiæ* 6. Zacharitas verò turbatur. Vnde hoc? Reſpondeo primò, quòd illis Angeli humana facie, ac forma induti, inſtar hominum agentes, ac conuerſantes ſe præbuerunt: at Zachariæ ſplendidis veſtibus, ac mirabili fulgore Angelus repentè ſe manifeſtauit, ita vt ſuperior videretur creatura. D. Ambroſius hîc. Ambr. *Perturbamur*, ait, *& à noſtro alienamur affectu, quando perſtringimur alicuius ſuperioris poteſtatis occurſu.* Beda ſimiliter: Beda. Daniel. 10. *Humanæ fragilitatis*, ait, *eſt ſpiritualis creaturæ viſione turbari.* Vnde Daniel 10. n. 16. ait. *Viſo Angelo, Domine mi, in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium.*

Secundò. Quia; vt Dixi in expoſitione, communis erat Iudæorum opinio, quòd videntes An- 35.
gelos morte afficiebantur. Tertiò. Turbatur Zacharias; quia tanto oraculo ſe iudicabat indignum. nam iuſtus cùm ad ſe oculos conuertat, *Iuſtus cæleſtia dona timet.* cæleſtia dona timet. Quartò. Timet. Zacharias, quia populus foris totus erat perfuſus lachrymis, & ſibi ſoli viſiones fiebant: & fauores vni *Fauores vni ſuſpecti.* facti, dum alij lachrymantur, valde ſuſpecti. Quintò Perturbatur, quia non bonum Angelum reputauit. Chryſoſtomus *hom.* 2. *in Natali S. Ioannis*, ita Zachariam ad Angelum dicentem intro- Chryſoſt. ducit: *Ceſſa deinceps*, ait, *tu qui me terres; ſi enim eſſes à Deo miſſus Angelus, ad ea, quæ ſunt mihi vſus, adiumento fuiſſes, & miſertus eſſes eorum, qui foris lachrymantur, affligereris vnà cum eis, qui affliguntur.* Ex eo ſibi perſuaſit, Angelũ non eſſe à Deo miſſum, quia eum impediebat, ac deterrebat à ſacrificio, ac à bono opere oblationis, & ideo dixit, *Ad ea, quæ mihi ſunt vſus, adiumento fuiſſes.* Deinde, quia Angelus apparebat in gloria, ac gaudio, populus verò erat in afflictione, & triſtitia; ideoque alienum à ſancto nuntio exiſtima- *Diuinum dolere cum dolentibus.* uit: eſt enim diuinum, dolere cum dolẽtibus; quapropter ait. *Affligereris vnà cũ eis, qui affliguntur.*

Amos 6. num. 1. *Væ*, inquit, *qui opulenti eſtis* 36.
in Sion, & confiditis in monte Samariæ: qui dor- Amos 6.

mitis

mitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem pſalterij, ſicut Dauid, putauerunt ſe habere vaſa Cantici: bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti; & nihil patiebantur ſuper contritionem Ioſeph. Poſtquam Propheta lamentatur eorum ſcelera, tamquam ad omnium maximum deuentum eſt: *Nihil patiebantur ſuper contritionem Ioſeph.* D. Hieron. *Cúmque,* inquit, *his delicijs affluatis, ſi quos videritis de populo perire, nulla miſericordia ſuper interfectione eorum flectimini, ſed contemnitis quaſi bruta animalia, & in ſuo beſtias cruore pereuntes.* Tamquam inde maximè aggrauaretur iniquitas, ideo vltimo apponitur loco, nihil patiebantur ſuper contritionem.

Hieron.

37\. Notat Caietanus, vt in eodem Ioſeph perſiſtamus, *Gen.37.num.23.* ad illa verba: *Confeſtim igitur, vt peruenit ad fratres ſuos, nudauerunt eum,* ait Caietanus, *Tacet hîc Moyſes preces Ioſeph ſupplicantis fratribus, vt miſererentur eius, teſtantur enim inferiùs fratres in c.42. interceſſiſſe huiuſmodi preces.* Sed quare, cùm huiuſmodi preces interfuerint, ſcriptor canonicus eas ſilentio premit, cùm adulteria, inceſtus, & multa crimina idololatriæ enarret? Adeò graue, & turpe eſt, afflicto non condolere, imò in tempore eius oppreſſionis gaudere, & epulari, vt fecerunt ipſi filij Iacob, dum frater detineretur in ciſterna, vt Scriptori canonico non fuerit in animo, ea propalare, ac ſcribere, & ideo ſi proponuntur, ſit ex ore fratrum, non verò narrantis hiſtoriam. Ait Angelus Ioſeph, Matth.2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Sed quare non potiùs in Perſidem, vbi ſunt Magi, qui eum reuerenter adorabunt, ac recipient? Chryſoſtomus homil.8. in Matth. *Nos tamen,* inquit, *ſcrutari dignum eſt, cur & non magi præſentes ſaluentur, & puer: ſed illi quidem in Perſidẽ reuertantur, hic autem cum matre in Ægyptum transfugiat.* Et poſt pauca ſubdit. *Quid verò iſtud eſt? quod ab ipſis videlicet vitæ initijs ad tentationes debeamus, & ad inſidias præparari.* Relinquebat Dominus Ieſus pueros ſuos in Bethlehem à nefario tyranno trucidandos; non vult ergo aſportari à Magis, nec in Perſidem fugere. Alienum erat à tanto Domino inter regales delicias viuere, dum ſui in vltimo diſcrimine verſabantur; fugit in Ægyptum, vt ibi cum ſuis tentationes, ac miſerias patiatur.

Geneſ.37. Caiet. Matth.2. Chryſoſt.

Lucæ 1 num.13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua; & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.

VERSIONES.

Chryſoſt. ſerm. de natiuit. Ioan. Zacharia, exauditæ ſunt preces tuæ.

Arias. Exaudita eſt petitio tua, & vxor tua Elizabeth gignet filium tibi.

Arnobus Afrus. in annot. ad cap.1. Lucæ Ideoque naſcetur tibi filius.

EXPOSITIO.

38\. CONFORTAT Angelus Zachariæ turbatum animum, non tantùm verbis, ſed etiam ſignis, & rebus: *Quoniam exaudita eſt petitio tua;* in quo ſe oſtendit Angelus Dei bonum miniſtrum, qui ſciebat à Deo orationem exauditam, quæ erat de aduentu Meſſiæ; & ideo ſubdit natiuitatem Præcurſoris. *Vxor tua,* non alia, ſed hæc, quam modò habes, *Elizabeth;* & ideo explicat nomen eius, *Pariet tibi filium,* vt notat Caietanus, non ex altero viro, ſed ex te, *Pariet,* inquit, non gignet, quod futurum erat in peccatis, ſed pariet, quia puer in gratia edendus erat in lucem, & vt denotaret, qualis filius erat, ait, *Vocabis Ioannem;* Ioannes enim, id eſt, donum ac miſericordia. Nota, quòd cùm Zacharias multipliciter oraſſet, nunc tantùm eius deprecatio dicitur exaudita; aderat enim Sacerdotis oratio ſimul cum populi oratione, quæ multum eſt efficax. Obſidetur Hieruſalem à Nabuchodonoſore 4.*Reg.25.* & à Sennacherib. ab illo capitur, ab hoc liberatur; & ait Deus: *Saluabo eam propter Dauid ſeruum meum,* 4.Reg.19. num 34. Nonne merita Dauid erant in conſpectu Dei in vtraque obſidione? maximè. Quomodo ergo non in vtraque obſidione liberatur? Dum à Sennacherib deprimitur, merita Dauid erant orationi populi aſſociata; & vbi hæc interueniunt, omnia vincunt.

Caiet. *Oratio Sanctorum cum noſtra efficax* 4.Reg.19.

QVÆSTIO XVI.

Quare Angelus præceperit Zachariæ, ne timeret?

39\. RESPONDET primò Euthymius, vt poſſet Zacharias, ſedato prius animo percipere, quæ dicenda erant. Secundò, vt oſtendat, ſe proſpera, & non aduerſa nuntiaturum. Tertiò, vt obſeruant D. Athan. *in vita S. Antonij,* Beda, Theophylactus, hoc eſſe diſcrimen inter apparitionem boni, & mali Angeli; nam bonus timorem incutit, & poſtea reficit, ac conſolatur: hoc enim habent cæleſtia, & diuina; malus verò timorem ingerit, & auget, qui ſemper permanet. Quartò, vt notat Toletus, potuit Angelus impedire timorem, ne inſurgeret, ſicut & inſurgentem amouit; id tamen non effecit, & vt nuntiantis maieſtas repræſentaretur, & vt eo ipſo ad credendum ei animus Zachariæ præpararetur; vt enim alicui fidem adhibeas, multum valeat, quòd magna concipias de eius auctoritate. De magno parente Elia, & Enoch, quando in fine mundi venient prædicaturi aduersùs Antichriſtum, ait Dominus. *Dabo duobus teſtibus meis, prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duo oliuæ, duo candelabra in conſpectu Domini terræ aſtantes,* &c. Apocal.11. num. 3. & 4. vbi eorum virtutes, ac poteſtates latè deſcribuntur. Sed cur diuinus Spiritus, tantus eſt in eorum magnalibus publicandis? Vt

Euthym. Athanaſ. Beda. Theoph. Tolet. *Multum valet auctoritas ad credendũ.* Apoc.11.

Vt ita ſuis teſtibus magnam reconciliaret auctoritatem, dum eos homines agnoſcerent præexcellenti poteſtate eminere. D. Ambroſius Apocal.11. *Duæ ergo oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtare dicuntur: quia in terra poſiti illud tempus præſtolantur, quo officium prædicationis ſuæ expleant.* In magnum eorum auctoritatis incrementum, quandiu prædicationis munus exercent, oliuæ, & candelabra dicuntur. Cùm vinum deficeret in nuptiis Cana Galilææ, dixit Mater Ieſus ad eum. *Vinum non habent.* Cui ait Dominus. *Quid mihi & tibi, mulier, nondum venit hora mea,* Ioan. 2.n.3. Sed Chriſtus omnium temporum Dominus, quomodo ait de ſe, *nondum venit hora mea?* Eleganter Chryſoſtomus homil.21. in Ioan. *Nondum cognitus ſum, neque enim ipſum quiſquam præter Andream, & Philippum ſequebatur, neque hi verè adhuc ipſum cognoſcebant.* Sed quid obſtat ad miraculum operandum, quòd Dominns non eſſet cognitus, & à paucis ſequeretur? Multum per omnem modum, nam illud inſigne opus in magna veneratione non eſſet, quandiu illius auctor vt ignotus haberetur. Ne ergo miraculum deuenuſtare videretur, pro tunc recuſabat Dominus illud edere, cùm in eo tempore eius fama, ac opinio magna non eſſet. Vide *cap.10. quæſt.3. in ſine.*

Ambroſ. *Opus æſtimatur ob auctorem.* Ioan. 2. Chryſoſt.

QVÆSTIO XVII.

Quidnam petierit Zachariæ oratio?

40\. ALIQVI Recentiores, vt Maldonatus, volunt, fuiſſe pro filio poſtulando. Sed communis Patrum ſententia eſt, Zachariam oratione ſua deprecari Chriſti aduentum, ac commune populi bonum. Ita D. Auguſtinus *lib.2. quæſtion. Euangelic. cap.1.* Chryſoſtomus *homil. de natiuitate Ioannis Baptiſtæ.* Ambroſius, Titus Boſtrenſis, Euthymius, Theophylactus, & alij. Quod ex eo probatur, quòd Sacerdos, & præcipuè tantus Sacerdos, non debehat orationem agere niſi pro communi populi bono, & ideo populus erat foris orans. Secundò. Idem Titus Boſtrenſis. *Quomodo,* ait, *pro populo intercedente, proque peccatis illius Deum deprecante, & veniam cum ſeruis ſuis depoſcente, dicit: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua? Videri hæc poſſunt parum inter ſe cohærere. In orationis enim exauditæ argumentum, filium nomine Ioannem ipſi naſciturum ſubdit. Aptè cohærent omuia; quia enim pro peccatis populi deprecabatur, procreaturus erat filiũ, qui ſublata voce clamaret: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Filius, qui alta voce, ac magna libertate pro peccatis populi tollendis clamaturus erat, bene intelligitur peti à Patre, quando pro totius populi bono exorat; nullum enim maius bonum, quam peccatorum extinctio. Tertiò. Angelus non dixit, *Vxor tua,* abſolutè, vt notat Caietanus ſed, *& vxor tua,* notetur particula *&*, ac ſi diceret, vltra id, quod deprecatus es, habebis filium.

Maldon. Auguſt. Chryſoſt. Ambroſ. Boſtrenſis. Euthym. Theophyl. Boſtrenſis. *Peccatorum extinctio populorum bonum.* Caiet.

41\. Sed quare Angelus miſcuit hîc ſermonem de Baptiſta? Primò, vt ipſum reddat certum de aduentu Chriſti, cuius præcurſorem promittit. Secundò, quia Deus eſt adeò liberalis in ſuorum orationibus exaudiendis, vt non ſolùm petita concedat, ſed etiam multo plura largiatur. Sic D. Ambroſius in præſenti. *Plena ſemper,* ait, *& redundantia ſunt diuina beneficia, non exiguo conſtricta numero, ſed vberi bonorum coaceruata congeſtu; vt hîc precationis fructus, deinde ſterilis partus vxoris, tum lætitia plurimorum, & magnitudo virtutis, Altiſſimi quoque Propheta promittitur.* Tertiò. Quia Ioannes non tam fuit particulare, quàm commune omnium bonum. Chryſologus ſerm.88. *Cùm non tamen ſibi ſoli, ſed omnibuus affuerit iſte venerandus Antiſtes, quàm reſponderit Angelus vniuerſis, quàm Deus proſpexerit in vno iſto germine Sacerdotis, vt eam daret vniuerſitati, largiretur ſæculis, populis condonaret, & fieret Sacramenti filius inter ſacratis delatus.* Similiter Euſebius Gallican. homil.2. de Baptiſta. *Ergo Angelus,* ait, *dum pro incolumitate Iſraelis expectatum reddit oraculum, non tam ſeni ſobolem, quàm Pontifici promiſit hæredem. Quia dum tanto Prophetæ præparatur ſucceſſor generis, plebi proſpicitur ſpes ſalutis.* Natiuitas Ioannis non tam ſeni, quàm Pontifici pollicetur, qui eſt in cultum Dei conſecratus, atqui in commune bonum: quaſi hoc totum ab ortu ſuo Ioannes habeat.

Deus dat vltra petita. Ambroſ. Chryſol. Euſebius. *Ioannes commune bonum.*

QVÆSTIO XVIII.

Quare Ioanni nomen prædicatur ante eius natiuitatem?

42\. NOTARVNT Hugo Cardinalis, & ex parte D. Hieronymus *in quæſtionibus in Geneſ.* & Eucherius *quæſt.2. in Lucam.* In nouo Teſtamento prædicta ſunt duo tantùm nomina, ante conceptionem ſcilicet Ieſu Chriſti, & Ioannis Baptiſtæ; in veteri autem Teſtamento ſex. Hiſmael. *Geneſ.16. num.11.* Iſaac, *Geneſ. 17. num.19.* Agag, *Num.24. num.7.* Sanſon, ſecundùm quandam tranſlationem, vt teſtatur Hugo *Iudic.13.* Ioſias 3. *Reg.13. num.2.* Cyrus *Iſaï.43. num.1.* Sed quare in Teſtamento veteri ſex, in lege verò gratiæ duo tantùm reperiuntur in Scriptura? Reſpondeo, quòd in illo antiquo tempore, cùm lex eſſet imperfecta, & carnis, multi extiterunt, qui pro ſingulari dono mundo donati ſunt, non ſolùm Iuſti, vt Iſaac, Sanſon, Ioſias, ſed etiam peccatores, vt Hiſmaël, Agag, Cyrus, ratione alicuius rei temporalis. At in lege gratiæ, vbi eſt ſumma perfectio, & maxima cæleſtium donorum abundantia, duorum ſolùm nomina, nempe Chriſti, & Baptiſtæ; hi enim duo inter cæteros viros pro ſingulari dono mundo conceſſi ſunt, Chriſtus vt Redemptor, Ioannes vt eius præcurſor.

Hugo. Hieron. Eucher. *Chriſtus, & Ioannes pro ſingulari dono.*

43\. Sed quare Ioanni ante natiuitatem nomen datur, cùm aliis, vt Abrahamo, Sarai, Iacob, & Petro ad vltimam ſenectutem nomen reſeruetur? Reſpondeo, quòd nomen à Deo impoſitum, ſine effectu ſignificato eſſe non poteſt; Ioanni ante natiuitatem nomen datur, quia ab ipſo vtero, mediante Dei gratia, mirabilia virtutum operaturus erat: aliis verò non in infantia, ſed in ſenectute nomen conceditur, quia tunc ad præclara facinora deſtinabantur. D. Chryſoſtomus homil.18. in Ioannem. *Deus, ait, eſt, qui nomina aptè imponit, qui Abram Abraham, & Sarai Saram vocauit. Ita & Ioanni nomen cælitus impoſuit, qui enim debebant ab ineunte ætate virtute pollere, eis* tunc

Nomen à Deo ſine affectu non eſt. Chryſoſt.

Ioannes in ſanctitate in infantia, ſicu: alij in ſenectute.

tunc indita ſunt nomina : qui verò in ætatis progreſſu profecturi erant, poſtmodum. Ioanni ante natiuitatem, aliis verò poſt ætatem multam nomen datur, quia iam tunc ipſe tantum excreuerat, ac alij in ætate vltima. De nomine verò Ioannis multa infrà, dum de natiuitate fuerit ſermo.

Luc.1.n.14. Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.

VERSIO.

Vatablus. Et erit tibi gaudio, & exultationi, multíque ſuper eius natiuitate gaudebunt.

EXPOSITIO.

44. ET erit tibi gaudium interiùs in animo, & exultatio exteriùs; eſt enim lætitia, quæ foras erumpit, ac corporis motibus demonſtratur. *Et multi gaudebunt.* Hæc lætitia non erit priuata, vt eſt in ortu aliorum filiorum, ſed publica, & communis, quæ vſque hodie durat, & perſeuerat.

QVÆSTIO XIX.

Quare dicatur, quòd multi gaudebunt, & non omnes?

45. Beda.

RESPONDET Beda hîc: *Notandum*, ait, *quòd nato præcurſore multi gaudent, nato autem Domino annuntiat Angelus gaudium magnum, quod erit omni populo, quia videlicet hic ſalutem multis prædicare, ille omnibus, qui velint, venit donare.* Hoc enim diſcrimen inter ſalutem, & bonum datum à Deo, vel ab homine; quod enim eſt à Deo largitore, ad omnes ſe extendit; quod verò ab homine, paucos apprehendit. Sicut etiam ſuprà dixerat Angelus Zachariæ: *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* At Beatiſſimæ Virgini: *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Sed quare ſicut Zachariæ, non appoſitum eſt *tibi?* Chryſolog. ſerm. 142. *Quare? Quia Sanctum vocabitur Filius Dei.* Qui Filius Dei eſt, omnibus naſcitur; filius verò hominis particularibus tantùm, ſcilicet *tibi?*

Hominis donum limitatum. — Luc. 1. — Chryſol.

Luc.1.n.15. Erit enim magnus coram Domino: & vinum, & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.

VERSIONES.

Syriacus. Futurus eſt magnus corã Domino, &c. Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ipſe in vtero matris ſuæ exiſtẽs.

Hebraicus apud Vatab. in Scholijs. Erit maximus coram Domino.

Theophylact. Spiritu ſancto replebitur iam inde ab vtero matris ſuæ.

Syrus apud Cornel. Spiritu ſanctitatis replebitur.

Arabicus. In vtero matris ſuæ.

EXPOSITIO.

46. CAVSAM tanti filij, ac gaudij explicat Angelus, quinque modis Baptiſtam extollendo. Et primò: *Erit magnus*, non potentiâ, & corpore, ſed virtute, ac ſanctitate, vt explicat D. Ambroſius. *Coram Domino*, non iudicio ſuo, ac populi, ſed æſtimatione diuina, in qua nihil falſum ſubeſſe poteſt. Vel, *Erit magnus*, ſeu Hebraicè, *maximus*, in præſentia Chriſti, ipſum indicando, & baptizando. Secundò. *Vinum, & ſiceram non bibet:* exponit eius ſanctitatem, eius abſtinentiam manifeſtando, quæ omnium eſt fundamentum virtutum. *Et ſiceram non bibet.* Sicera apud Hebræos nomen genericum ſignificat omne id, quod inebriare poteſt; Ioannes tanta abſtinentia vſus eſt ob carnis puritatem. Vt ait Apoſtolus Epheſ. 5. num. 18. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et ideo Sacerdotes, dum in templo miniſtrabant, ex Dei præcepto à vino abſtinebant, *Leuitic.* 10. *num.* 9.

Ambroſ. — Epheſ. 5.

47. Tertiò. Apponit: *& Spiritu ſancto replebitur*, ſeu, vt clariùs habet Syriaca, *Adhuc ipſe in vtero matris ſuæ exiſtens*; id eſt, in vtero matris à peccato originali ſanctificatus eſt, ac dona Spiritus ſancti ei ſunt infuſa, acceleratúſque rationis vſus; quapropter ab vtero matris mereri cœpit, vt eſt hodie multorum ſententia. Hoc autem totum factum eſt in viſitatione Beatiſſimæ Virginis ad Eliſabeth. Euſebius Gallican. *homil.* 1. *de Baptiſt.* quæ habetur poſt feſtum Pentecoſt. *Magnum eſt*, ait, *Spiritu ſancto illuſtrari, ſed multo maius impleri; & ideo ſicut vas plenum balſamo admixtionem liquoris alterius expuit, & penitus excludit, ita in eum nil ſæcularis maculæ introire iam poterat in quo ſanctificationis plenitudo regnabat.* Nota, quòd poſtquam dicitur; *Vinum, & ſiceram non bibet*, ſtatim ſubditur; *Spiritu ſancto replebitur*, vt ait Beda: *Cui vini ebrietas tollitur, ſpiritus gratia cumulatur.*

Syriac. — Euſebius. *Nil ſæculare potuit introire in Ionanẽ.*

QVÆSTIO XX.

Quare de Ioanne dicitur: Erit magnus.

48. DE ſolo Ioanne dicitur: *Erit magnus coram Domino*, cùm de nullo alio viro ſancto nec de D. Petro, nec Paulo, vel Magdalena ſimile dicatur: imò de omnibus gentibus dicitur per Iſaiam 40. num. 17. *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Sed tantùm de Chriſto Domino dicitur hoc cap. 1. Luc. num. 32. *Hic erit magnus?* Reſpondeo, quòd tot ſunt excellentiæ, & magnalia Baptiſtæ, vt id quod dicitur de Filio Dei, ei adaptetur; ita enim Dominus vult ſeruos ſuos honorare, & extollere. De hoc ad proximum citatum Lucæ locum. Secundò. Appellatur magnus, quia

Iſai. 40. — Luc. 1. — *Qui gloriam Dei quærit, magnus.*

quia de eo dicitur, parare Domino plebem perfectam, & non ſibi, vt notat Hugo. Qui non de ſe, ſed de aliis agit, verè magnus dicendus eſt.

Hugo.

49. Sed ex hac alia oritur quæſtio, quam ponit Toletus *annot.* 21. Quare dicitur ſolùm magnus coram Deo, & non ſimul coram hominibus, cùm re vera hominum opinione magnus extiterit? Primò, quia, vt Chriſtus, ac Meſſias à multis creditus eſt, quamuis eſſet de tribu Aaron, *Luc.* 3. *num.* 15. Secundò, qui eius teſtimonium impellebat Iudæos Chriſto Domino credere. Tertiò, quia omnes Euangeliſtæ eius teſtimonio, tamquam quid maximum, ad doctrinæ Chriſti veritatem confirmandam, & incredulos refutandos, vſi ſunt. Ad quæſtionem propoſitam. Reſpondet ptimò Cardinalis citatus, quòd magnitudo, quæ ex hominum opinione dependet, non eſt abſolutè magnitudo, ſed tantùm reſpectu illorum, qui de eo magna concipiunt. At magnitudo erga Deum, facit abſolutè, & ſimpliciter magnum, cùm ipſe falli non poſſit, ac proinde magnus coram Deo abſolutè, & ſimpliciter, non verò reſpectu aliquorum magnitudinem virtutum importat. Secundò dico. *Magnus coram Deo*, & non coram hominibus, quia Ioannis altum virtutum cacumen, non iudicium humanum, ſed diuinum tantùm deprehendere valet, ac proinde eius magnitudo ſoli Deo erat manifeſta.

Tolet. — Luc. 3. — *Solus Deus Ioannis virtutes comprehendit.*

QVÆSTIO XXI.

Quare Angelus de potu tantùm, & non de cibo mentionem faciat?

50. QVARE, cibum tacens, & potum explimens dixit Angelus: *Vinum, & ſiceram non bibet?* Reſpondetur primò, quia difficilius eſt à potu, quàm à cibo abſtinere. Secundò. Hac abſtinentia admirabilem Ioannis vitam Angelus manifeſtauit, ſicut etiam de Sanſone prænuntiauit *Iudic.* 13. *num.* 4. Et hanc Nazaræi obſeruabant pro aliquo vitæ tempore; Ioannes tamen illam pro toto ætatis ſuæ diſcurſu retinuit. Tertiò, vt admirabilis Ioannis ſanctitas demonſtraretur. In Sacerdotibus ſummam Deus requirebat puritatem, in hac vita poſſibilem, præcipuè cùm in Sancta Sanctorum ingrediebantur; eis tamen tunc à vino, & ſicera abſtinere præcipiebat, *Leuitic.* 10. *num.* 9. *Ezech.* 44. *num.* 21. vt ſumma eorum puritas ſignificaretur: hæc ergo de Ioanne prænuntiatur, vt intelligas, qnòd tanta fuit illius ſanctitas in toto vitæ diſcurſu, quantam Deus in ſummo Sacerdote Sancta Sanctorum ingrediente exoptabat. Quartò, vt per abſtinentiam à vino, & ſicera contemptus rerum temporalium denotetur, à quo eius reſultauit magnitudo. Beda *homil.* 1. *in Vigilia Baptiſtæ*, ait. *Magna coram Domino virtutis eſt, prædicantem in deſerto cæleſtia gaudia, terrenas ex integro ſpreuiſſe delicias; ſed & hoc coram Domino magnum eminet, quamuis hominibus videatur deſpectus quòd is, cui in natis mulierum maior non eſt, laſciuientis ob ludum puellæ capite truncatus eſt. Cuius ordinem magnitudinis ipſe Angelus exponens: Et vinum, inquit, & ſiceram non bibet.* Virtutum celſitudo in abſtinentia exprimitur.

Ea puritas eſt in Ioanne, quam Deus optabat in Sacerdote. Beda.

QVÆSTIO XXII.

Quare dicatur, quòd Spiritu ſancto replebitur ex vtero?

51. RESPONDETVR, vt ſanctificatio Ioannis, à peccatóque originali expurgatio demonſtretur, de quo latiùs *quæſt. ſequenti*, modus audiendus eſt. D. Chryſologus ſerm. 88. *Beatus Ioannes, qui antè Dei Spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu; beatus, qui antè diuina poſſidere meruit, quàm ſortiretur humana; beatus qui antè meruit cælum ſcire, quàm terram.* Et alia proſequitur S. Pater. Dicitur ſanctificatus ex vtero, vt eius admirabilis ſanctificatio ſignificetur. In primis Hieremiæ expurgationem à peccato originali antecellit; quod notat D. Dionyſius Carthuſianus in præſenti: *Gratioſior fuit*, ait, *ſanctificatio Ioannis, quam Hieremiæ, non de Hieremia aſſertum eſt, quod Spiritu ſancto repleretur in vtero.*

Chryſol. — Carthuſ. *Ioannis ſanctificatio antecellit aliorum.*

Et quamuis Apoſtoli dicantur Spiritu ſancto repleti, *Actor.* 9. *num.* 4. tamen multo excellentior hæc Ioannis extitit. Simon Caſſianus lib. 3. de Præcurſore. cap. 1. *Illi*, ideſt, Apoſtoli, *repleti ſunt Spiritu ſancto in conclaui, iſte in vtero; illi cum linguis, iſte exiſtens elinguis: illi cum ſonitu, iſte nondum aurium officio fungens: illi cum igne, iſte adhuc, maternis viſceribus inuolutus, illorum calore confotus. Hæc eſt protinus incomparabilis hominibus magnitudo, cui quæcumque alia ſubiciuntur omnino, cum quibus Spiritus ſancti plenitudinẽ habet.* Vbi multa ſats doctè innuit. Illi in conclaui, iſte in vtero; illorum enim beneficium commune multis, iſtius verò ſingulare, & inde multò pretioſius. Illi cum linguis, quia illarum miniſterio prædicaturi erant; iſte exiſtens elinguis, quia non ſolùm ſermone, ſed etiam tacendo ad pœnitentiam prouocaturus erat. Illi cum ſonitu, vt iam in adulta ætate exiſtentes, iſte nondum aurium, vt infans, officio fungens. Illi cum igne, vt ab actualibus peccatis mundarentur, iſte adhuc in vtero matris ſine illis exiſtens, ita vt ab originali tantùm purificaretur. Meritò ergo iſtius incomparabilis eſt plenitudo: vt dicat Bernardus ſerm. de S. Baptiſta: *Illi*, ſcilicet Apoſtoli, *repleti ſunt Spiritu ſancto; hoc tamen legitur Ioannes in vtero aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem longiori præmiſſione meruit obtinere.* Ad quod celſitudo Apoſtolica trium diſpoſitione annorum in Chriſti ſchola potuit deuenire, hoc Ioannis in vtero matris initium extitit.

Caſſian. — *Ioannes Apoſtolos antecellit.* — Bernard.

QVÆSTIO XXIII.

Ex præcitatis verbis ſanctificatio Ioannis rectè colligitur, & mens Auguſtini explicatur.

52. IOANNEM Baptiſtam ſanctificatum fuiſſe in vtero matris ſuæ, conſtans eſt Patrum ſententia. Hoc apertè docent D. Athanaſius *ſermon.* 4. *contra Arrian.* D. Cyprianus *epiſtola ad Iulian. quæſt.* 73. *& epiſtol.* 76. *ad magnum.* D. Hieronym. *in cap.* 1. *Ieremiæ.* D. Ambroſius *in Lucam*, ad præſentia verba, *& ſerm.* 63. *in natiuitate Ioann.*

Athan. — Cyprian. — Hieron. — Ambr.

Origen. Cyrill. Chryſol. Euſebius. Maxim Gregor. Bernard. S. Thom.

Ioan,*& lib.5.de fide cap.*4.Origen,*homil.4.in Lucam*.D.Cyrill.Ieroſolymitan. *Catech.*3.D. Chryſologus.*ſerm.*.88.Euſebius Emiſſen.*ſerm.*1.*de Baptiſtæ*.D. Maxim. *ſerm.*1.*de Ioann*, D. Gregorius Magn.*lib.*3.*Moral.cap.*4.D.Bernard.*epiſtola* 174. & alij multi Patres, ſequuntur omnes Scholaſtici cum D.Thoma 3.*par.quæſt.*27.*art.& 6.& in* 3.*quæſt.*2.*art.*1. *quæſt.*3. Probatur primò, ex prædictis verbis,*Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*, quod non ſolùm de dono prophetiæ, ſed de gratia ſanctificante intelligitur à Patribus,vt vidimus,ac etiam à communi conſenſu totius Eccleſiæ,quæ canit in eius officio,

Sanctificatio Ioannis in vtero probatur.

Hinc parens nati meritis vterque abdita pandit. Sine gratia autem non eſt meritum. Secundò Apoſtoli dicuntur repleti Spiritu ſancto *Actor.*2.*num.*4. & etiam Stephanus *Actor.6.num.*8. Et tamen hæc plenitudo non intelligitur ſolùm de dono prophetiæ, ſed etiam de gratia; ita etiam de Ioanne dicendum. Tertiò confirmatur ex lectione Syriaca,quæ eſt magnæ auctoritatis, quæ ita habet. *Et replebitur Spiritu ſanctitatis, adhuc ipſe in vtero matris exiſtens.* Quod explicant Boſtren.Theophylactus.*Adhuc intra vterum matris.* Et ideo aliqui dicunt hanc ſententiam eſſe de fide, vt Villegas *in ſerm. de natiuitate in Ioann.* Hæc tamen ſententia eſt valde conſona fidei, vt oppoſita ſit pluſquam temeraria in fide, vt ait Ægidius Luſitanus *lib.*1. *de ſanctificatione Virg. quæſt.*2.*art.*4.§.3.*num.*4.

Syriacus. Boſtrenſis. Theoph.

Cenſura contrariæ ſententiæ. Villegas. Ægid.Luſit.

Difficultas ex Auguſtino.

Tota difficultas in hac materia ex mente D. Auguſtini reſultat. nam *epiſtol.*57.*ad Dardanum*, ſic ait. *Quamlibet enim ſententiam de prægnantibus, imò de hominibus habeamus, adhuc inter materna viſcera conſtitutis, verùm exiſtimemus eos nec non donari poſſe aliquo ſanctificationis modo, vel propter Ioãnem,vel propter Ieremiam*, &c.*Tamen illa ſanctificatio qua efficimur templum Dei, & ſinguli templa Dei,& in vnum omnes templum Dei,non eſt niſi renatorum, quod niſi nati homines eſſe non poſſunt.*Ex quibus verbis Auguſt.dubitaſſe collegit Suar. *tom.*2. *ad* 3.*p.diſp.*3.*ſect.*1.§. *Sed in primis.* Et ſanctum Doctorem in oppoſita noſtræ ſententiæ fuiſſe tradunt Ianſenius *in ſua concordia cap.*2.*&* 3.Toletus *hoc cap.*2.*Lucæ,annotat.*23. Vaſquius *tom.*2.*ad* 3.*p. diſp.*115.*cap.*4. Ita intelligentes ſanctum Doctorem,quòd Ioannes dicatur repletus Spiritu ſancto, & ſanctificatus ab vtero, non gratia illa, qua conſtituimur templum Dei, hoc eſt,ſancti, & iuſti, ſed vel dono diuinæ prædeſtinationis, de quo Paulus *ad Galat.*1. ait, *ab vtero ſegregauit me*;vel de dono prophetiæ. Sed nunquam mihi perſuadere potui magnum Eccleſiæ lumen Auguſtinum in tali ſententia fuiſſe, imò oppoſitum colligitur ex eius ſermonibus 1.2.*&* 3.*de natiuitate Ioan.*qui in ſermonibus de Sanctis *to.*10.ſunt 21.22.*&* 23.Vbi latè explicat Natiuitatem Ioannis poſt Chriſti natiuitatem celebrari, ob eius myſterium, eiuſque ſanctitatem, & *ſerm.*23.apertè ait,quòd Ioannes tanta gratia fuit præuentus,vt de vtero matris ſuæ Chriſtum ſalutauerit.

Suar. Ianſen. Tolet. Vaſquius. Gal.1.

Auguſtinus non negat ſanctificationem Ioannis in gratia ab vtero.

Prima explicatio Auguſtini. D.Thom. Alenſis. Bonauent. Richard. Valentia.

Ad citatum locum Auguſtini, reſpondent primò.D.Thomas 3.*par.quæſt.*27.*art.*1.*ad* 2. *& in* 3.*d.*3.*quæſt.*1.*art.*1.*quæſt.*3.ibi Alenſis. D.Bonauentura, & Richard. Valentia 3.*par.quæſt.*1.*punct.*1.*in fine*, quòd ſcilicet Auguſtinus abſolutè non neget ſanctificationem Ioannis, & Ieremiæ, ſed negat illam modo ordinario, nullus enim ordinario modo renaſcitur in Chriſto, niſi priùs ſit natus ex vtero matris ſuæ. Illi autem extraordinario modo, ac ſingulari priuilegio, antequam ex vtero renaſcerentur,fuerunt ſanctificati.

Ægyd. Valentia.

Aliter, & rectè explicabis Auguſtinum cum Ægidio Luſitano *tom. de Concept. lib.*1. *quæſt.*2. *art.*7.§.2. *à num.*4. & etiam innuit Valentia citatus, quòd Auguſtinus non negat abſolutè in Ioanne ſanctificationem ab vtero, ſed eam, *qua efficimur in vnum omnes templum Dei*; qua actu conſtituimur membra Eccleſiæ.Nam Auguſtinus citata epiſtola argumentatur contra quoſdam hæreticos, qui dicebant pueros hominum fidelium in vtero matris eſſe iam fideles, ac membra Eccleſiæ; hunc errorem refellit Auguſtinus,nam tales pueri naſcuntur in peccato originali, & veluti ex abundantia, ait, eſto eſſent ſanctificati in vtero, cùm tamen non renaſcantur per regenerationem baptiſmalem, actu non ſunt intra Eccleſiam, cùm ianua iſtius templi ſit Baptiſmus, vt docet Concilium Florentinum in inſtructione Armænorum, homines ſcilicet fieri de corpore Eccleſiæ per Baptiſmum. Sicut Catechumenus, quamuis per actum dilectionis Dei ponatur in gratia, & poſſit ſaluari;tamen propriè actu non eſt intra templum Eccleſiæ, cùm non ſit ingreſſus per ianuam Baptiſmi, vt docent Cano *lib.*4. *de locis cap.*2.Turrecremata *lib.*1.*cap.*8.*ad* 8. Bellarm *tom.*2.*lib.*3.*de Eccleſia militanti, cap.*3.Valentia 21.*diſp.*1.*quæſt.*1.*punct.*7.§.14. Azor *tom.*2.*lib.*5.*cap.*20. *quæſt.*5. Turrian.2.2.*d.*14.*dub.*1. Et hanc in præſenti eſſe mentem Auguſtini, probatur ex ipſamet epiſtola ad Dardanum, vbi ſic ait. *Quamuis exiſtimemus Hieremiam, & Baptiſtam fuiſſe in vtero per gratiam ſanctificatos,tamen ſanctificatio,qua efficimur,& adunamur in vnum Eccleſiæ templum,non eſt,niſi natorum:quia renaſcentia baptiſmalis, qua ſola actu, & propriè in hoc templum ingredimur,non datur,nec dari poteſt,niſi renatis.*

Mens D. Auguſtini. Florent. Cano. Turrecrem. Bellarm. Valentia. Azor. Turrian.

Lucæ 1.*n.*16. Et multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum.

VERSIO.

Concordant omnes.

EXPOSITIO.

EXPLICAT quartam Ioannis excellentiam, quòd ſcilicet ex Iſraël ad Chriſti veri Meſſiæ fidem multos adducet. Et poſtquam dictum eſt, *Spiritu ſancto replebitur*; ſtatim ſequitur:*conuertet multos*; vox enim Prædicatoris,quæ, non in aërio ſpiritu, ſed in Spiritu ſancto eſt,audientium penetrat corda. 53.

Luca 1.*n.*17. Et ipſe præcedet ante illlum in ſpiritu,& virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.

VERSIO

VERSIONES.

Syriacus. Vt conuertat eos, qui ſunt immorigeri ad ſcientiam rectorum, ac præparet Domino populum perfectum.

Chryſoſtom. homil. de nat.Bapt. tom 2. Et ipſe præcedet ante faciem eius in ſpiritu Eliæ.

Theophylactus. Cum ſpiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iuſtorum, vt paret Domino plebem præparatam.

Vatablus. Et contumaces ad prudentiam iuſtorum, vt præparet Domino populum inſtructum.

Arias. Et inſuaſibiles in prudentiam iuſtorum parare Domino plebem expeditam.

Beda. Et incredibiles ad prudentiam iuſtorum.

EXPOSITIO.

54. QVINTA Ioannis excellentia eſt, vt præcedat Chriſtum verum Meſſiam, ac Deum, *in ſpiritu, & virtute*, id eſt, in fortitudine, ac zelo *Eliæ : vt conuertat corda patrum in filios*; id eſt, vt explicant D. Hieronymus *cap.*4.*Malach.* D. Auguſtinus *lib.*20. *de ciuitate Dei*,D.Gregorius *lib.*11.*moralium,cap.*10. vt deuotionem, atque affectum veterum Patriarcharum, ac Prophetarum erga Meſſiam prædicatione ſua in filios, & poſteros transferat, eorumque cordibus inſerat. Theophylactus aliter explicat: vt Ioannes ad Apoſtolos Hebræorum corda conuertat. Iudæi patres fuerunt,Apoſtoli autem illorum filij. *Et incredulos ad prudentiam iuſtorum*, id eſt, ad doctrinam Euangelicam : *Parare Domino plebem perfectam.* Ecce finis prædicationis Ioannis, facere populum diſpoſitum, ad ſuſcipiendum Chriſtum Dominum. Græcè habetur,*parare populum præparatum*; noſter verò Interpres tranſtulit *perfectum* : nam idem eſt, quod populus ſit omnibus modis præparatus ad ambulandum in via Dei, atque omnimodè perfectus conſiſtat.

Hieron. Auguſt. Gregor. Theophyl.

Magna perfectio in via Dei ambulare.

QVÆSTIO XXIV.

Quare dicatur de Baptiſta, quòd præcedat in ſpiritu Eliæ.

55. RESPONDETVR, quòd præcedet ante Dominum tum ſex menſibus ante eius natiuitatem, tum prædicatione regni cælorum, ac aduentus Chriſti, ipſum digito demonſtrando ad vniuerſum populum, tum deſcenſu ad Limbum ſanctorum Patrum:ad quod alludens D.Ambroſius ait : *Bene etiam præibit ante faciem Domini S.Ioannes, qui prænuntius natus eſt, & prænuntius mortuus eſt.* Ex quo habes, quanta ſit Ioannis excellentia : nam ante natiuitatem meruit, dum Chriſtum adorat in vtero; & poſt mortem, quamuis non detur meritum, adhuc tamen præſtitit famulatum,Chriſtum ſanctis Patribus in Limbo denuntiando, nòn ſpe mercedis, vt alij Sancti inſeruierunt; Dauid Pſalm. 118. num.112. *Inclinauit cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Et Apoſtoli : *Quid ergo erit nobis?* At Ioannes non intuitu præmij, ſed amoris, & obſequij famulatus eſt. Ille optimus Pater familias æquale dedit ſtipendium primis, ac vltimis operariis; imò vltimi in accipienda mercede prælati ſunt. Matth.20. n.8. *Incipiens à nouiſſimis.* Ad quod reſpondet D.Gregorius Niſſenus : Quia primi facta conuentione venerunt, vltimi verò nulla accepta mercede laborem ſuſceperunt. Primi ob mercedem,ſecundi ob amorem, & ideo diſcrimen tam latum inter eos extitit. Deinde dicitur in ſpiritu & non in anima Eliæ, vt ait D.Auguſtinus, apud Carthuſianum; quia animæ non tranſcorporantur, vt aliqui hæretici finxerunt.

Ambroſ.

Ioannes ante natiuitatem & poſt mortem obſequiũ præſtitit.

Pſalm.118. Matth 20. Gregor. Auguſt.

QVÆSTIO XXV.

Quare dicatur, quòd conuertat corda patrum in filios?

RESPONDEO, quòd eadem habentur de Elia apud Malach.*cap.*4.*in fine*.Ideo ergo prænuntiatur ab Angelo de Ioanne, quia de eo dixerat, quòd præcederet in ſpiritu Eliæ; cui enim idem ſpiritus donatur, iiſdem fulgeat operibus,vt hîc expendit Beda. Secundò,& rectè reſpondet Simon Caſſianus ſerm. de Baptiſta, lib.3.cap.1. *Duo igitur*, inquit,*mediatores aduenturi erant,vnus,qui corda filiorum Iſrael conuerteret ad Chriſtum,Deum,& Dominum omnium nationum; & alius, qui reconciliaret ad Patrem. Proinde Ioannes mediator erat, & corda hominum, prout in ipſo,erat conuerſurus ad Chriſtum; Chriſtus verò reconciliaturus ad Patrem, omnium Deum.* Duo ergo mediatores, Chriſtus,& Ioannes,vt quod Chriſtus habebat, ex munere ſuo Ioanni communicaret; Ioannes mediator,vt homines adduceret ad Chriſtum; Chriſtus mediator,vt cum ſuo æterno parente homines reconciliaret. Tertiò, vt Baptiſtæ ac Eliæ eximia virtus clareſcat; in deprauatis enim hominibus paternas virtutes imprimere potuerunt. Beda *homil.*2. *in vigil. Baptiſtæ*, ait : *Vnum igitur, atque idem vtriuſque*(ſcilicet Baptiſtæ,& Eliæ)*opus eſt,fidem ſcilicet, atque intellectum, quem habuere pâres,in filiorum mentes prædicando infundere.* 56.

Beda. Caſſian.

Ioannes mediator ergà Chriſtum.

Beda.

Lucæ 1.*n.*18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis.

VER

VERSIONES.

Syriacus. Et dixit Zacharias ad Angelum: Quomodo iſtud ſciam?

Theophylact. Ad Angelum: Quo argumento cognoſcam iſtud?

Pagninus. Ad Angelum, per quid iſtud cognoſcam?

EXPOSITIO.

57. PROPONITVR Zacharias dubitans, cuius extitit cauſa, eo quòd ipſe, & vxor eius eſſent ſenes, & ideo ſignum petit, ex quo rem pollicitam ſupra naturam, & ætatem ſibi poſſit perſuadere; familiare ſiquidem erat Iudæis, ſigna quærere, vt Abraham, *Geneſ.* 15. *n.* 8. Gedeon, *Iudic.* 6. *num.* 17.

Lucæ 1. *n.* 19. Et reſpondens Angelus, dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

VERSIONES.

Theophylact. Euthymius, Origen. homilia 5. in Lucam. Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſtiti in conſpectu Dei, miſſus, vt loquar ad te, & hæc tibi læta nuntiem.

Arias. Ego ſum Gabriel aſtans ante Deum.

EXPOSITIO.

58. SVUM Angelus explicat nomen, auctoritatem, & officium: nomen, *Ego ſum Gabriel*, id eſt, Dei fortitudo; auctoritatem, *qui aſto ante Deum*, ac ſi dicat, ſum, non de vulgarium numero Angelorum, ſed de primis, qui aſſiſtunt ante Deum ad eius mandata exequenda. Græcè habetur in præterito; *qui aſtiti in conſpectu Dei*. Aliqui dicunt eſſe Hebraiſmum ponere præteritum pro præſenti. Tamen dicitur, *qui aſto*, id eſt, ſoleo aſtare ante Deum; & dicitur etiam in præterito, *aſtiti*, vt denotetur, ſe tunc de cælo deſcendiſſe; eſt enim natura angelica circunſcripta, & cùm ſit in nouo loco, ſeu ſphæra, priorem deſerit. Cum hoc tamen ſtat, vt ait D. Gregorius Magnus homil. 34. in Euangelia: *Cùm ad nos veniunt Angeli, ſic exteriùs explicant miniſterium, vt tamen nunquam interiùs deſinant per contemplationem; quia etſi circumſcriptus eſt Angelus; tamen ſummus Spiritus Deus incircumſcriptus eſt.* Explicat officium ſuum, *Ad hæc tibi læta nuntianda.*

Gregor.

* * *

QVÆSTIO XXVI.

Quare Angelus nomen ſuum explicet, & ſe eſſe miſſum?

59. QVANTVM ad id, quòd Angelus ſuum nomen manifeſtet, *Ego ſum Gabriel.* Reſpondeo primò. Quia Gabriel eſt, qui multa vera, ac iucunda nuntiauit, *Daniel.* 8. *n.* 16. & 9. *num.* 21. & ideo nomen ſuum aperit, vt ei fides adhibeatur: nam ſicut mendax ſemper talis præſumitur, ita multum ſuadet verax ad ſuis dictis acquieſcendum. Secundò. Gabriel, id eſt, fortitudo Dei vt ſic depellat eius dubitationem, quæ ex humanæ naturæ debilitate naſcebatur; fortitudo enim Dei omnia ſuperat, & vincit, & ideo dum ardua nuntiat, nomen ſuum exprimit, vt ſignificet nihil nomini ſuo contrarium dicere. Tertiò. Hoc maximè ſpectat ad laudem Ioannis, cuius ortus ab eodem quo Chriſtus, Angelo nuntiatur, vt ponderat D. Auguſtinus *ſerm.* 20. *de Sanctis.* vbi concludit S. Doctor: *Quaſi ex aliquo ſimilis Domini præmittitur filius ſterilis ante filium Virginis, neſcio quod maius miraculum ipſa natiuitate declarans.* Similia habet *homil.* 44. & *ſerm.* 21. *de Sanctis.*

August.

60. Quare, inquit Angelus: *Miſſus ſum hæc tibi euangelizare?* Cur hîc appoſuit nomen Euangelij? Reſpondet primò Maldonatus: *Interpres*, ait, *hîc retinuit verbum Græcum euangelizandi, vt fortaſſis indicaret, hoc primum fuiſſe exordium Euangelij, vbi ea primum vox ab Angelo eſſet vſurpata; nam etſi quod Angelus Zachariæ nuntiabat, Euangelium propriè non erat, proœmium tamē erat Euangelij.* Hęc excellētiſſima Euangelij vox, primum ab Angelo dicitur, dum virtutes Baptiſtæ pronuntiantur; quia ad eius laudes omnia reſeruantur magnalia. Secundò ait, *Miſſus ſum loqui ad te*; vt bonus miniſter, nihil de ſuo addidit, ſed tantùm ſibi commiſſum munus exercuit. D. Chryſoſtomus in catena, *Vt cùm audias*, ait, *à Deo miſſum fore, nihil humanum exiſtimes ex his, quæ tibi dicuntur, neque enim ex me loquor, ſed mittentis relata denuntio. Hæc eſt enim nuntij bonitas, vt nihil ex ſe referat.*

Maldon. *Vox Euangelij prima in nuntiatione Ioannis.*

Chryſoſt. *Bonus miniſter nihil de ſuo.*

Lucæ 1. *n.* 20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo, quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo.

VERSIONES.

Textus Græcus. Ecce eris tacens, & loquendi impotens.

Vatablus. Ecce eris tacitus, nec valebis loqui ad eum vſque diem, quo fient hæc.

Pagninus. Ecce eris tacens, nec valens loqui ad eum vſque diem.

Mariana ex Hebræo. Eris mutus, & ſurdus.

EXPO

EXPOSITIO.

61. SIGNVM à Zacharia poſtulatum in ſuæ incredulitatis pœnam conuertitur. *Ecce eris tacens.* Et vt hoc ſignum clariùs appareat, hæc pœna non perpetua, ſed erit vſque ad tempus, quo hæc implenda ſunt, id eſt, vſque ad pueri circuncisionem. Illud autem, *eris tacens*, aliqui legunt, *eris ſurdus*; & ita effectus eſt mutus, & ſurdus, quod patet ex his quæ inferiùs dicuntur: *Innuebant patri eius.* nam ſi ipſe audiret, non nutibus, ſed ſermone erat agendum.

QVÆSTIO XXVII.

Quare Zacharias, & non alij, ob petitum ſignum puniatur.

62. ZACHARIAS ob dubitationem ſuam: *Ego enim ſum ſenex*; & ob petitum ſignum: *Vnde hoc ſcire poſſum?* tam rigidè punitur. *Ecce eris tacens?* Cùm tamen alij ob ſimilia nullo ſupplicio ſint affecti. Abraham *Geneſ.* 15. *num.* 8. Deo multa promittenti dixit ipſe: *Domine Deus, vnde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam?* Et ſimiliter Gedeon Iudic. 6. n. 17. *Si inueni gratiam coram te, da mihi ſignum*, & num 38. Reſpondeo primò, quòd Abraham, Gedeon, & alij ſigna poſtularunt, non ex dubitatione. De Abrahamo dicitur: *Credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiā.* Sed ex gaudio, atque admiratione miraculi magnitudinis, ac fidei, vt communiter notant Patres ad citata loca Geneſis Cum D. Auguſt. *lib.* 16. *de ciuit. Dei cap.* 29. At Zacharias ex dubitatione ſigna quærit, & ideo Angelus ei dixit: *Quia non credidiſti verbis meis.* Ex quo nota, quòd ex tam ſimilibus Abrahami, & Zachariæ verbis Deus vnum peccaſſe iudicauit, non verò alterum; quia non tantùm verba, ſed eorum intentionem, ac originem ponderat, & cognoſcit: vt etiam ad præſens intentum notat Auguſt. *hom.* 44. Vide ſuprà *cap.* 2. *n.* 11.

Geneſ. 15.

Iudic. 6.

Auguſt.

In ſimilibus factis diſſimilis exitus.

63. Secundò. Punitur Zacharias, & non alij, vt Gedeon, & Ezechias 4. *Reg. cap.* 19. Quia Zacharias erat Sacerdos, & doctor legis, intra templum, ac iuxta altare accepit oraculum; & quo maiora beneficia, ſtrictior eſt obligatio. D. Chryſoſt. cit. in Catena. *Nec intuitu Sacerdotis*, ait, *ei parcitur, ſed ob hoc plectebatur amplius, quia circa fidem cæteris præeſſe debebat.* Tertiò. Zacharias, quamuis Sacerdos, & in templo, dum petit ſignum, punitur, non tamen Abraham, & Gedeon, hi enim ſub vmbra ſacræ Euchariſtiæ erant poſiti: nam Abraham antecedenti *cap.* 14. *num.* 18. panem à Melchiſedech accepit. Gedeon *autem purgabat frumenta in torculari*, Iudic. 6. num. 11. In quibus figurabatur ſacra Euchariſtia, & cùm eſſent tanti myſterij vmbra protecti, non ſolùm pœnam euaſerunt, ſed magnam Dei miſericordiam, ac benignitatem ſunt experti. Quartò. Promittitur filius Zachariæ & Sarai, *Geneſ.* 18. *num.* 10. & tamen dum Zacharias de ſe dicit, quòd ſit ſenex, caſtigatur, dum verò Sara de ſe aſſerit, *Num verè paritura ſum anus?* nullam pœnam recepit. Hæc enim antea occupata fuerat in peregrinis recipiendis, ac eorum cibis præparandis. Et quæ in miſericordiæ operibus fuerat occupata, nil mali poterat experiri: nam ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatū.

Vbi maius beneficium, maior obligatio.

Chryſoſt.

Iudic. 6. *Euchariſtia protegit ab omni malo.*

Eleemoſyna à pœna nos defendit.

QVÆSTIO XXXIII.

Quale non fuerit Zachariæ peccatum?

64. DVo ſuppono. Primum, eum non dubitaſſe de potentia Dei, cognoſcebat enim ex Scriptura, Deum eſſe omnipotentem, & ſterilem vuluam Saræ, & Annæ aperuiſſe. Secundum, Zachariam cognouiſſe Angelum, qui ſecum loquebatur, eſſe bonum & ſanctum, vt notat Carthuſianus. Et hoc cognouit, vt ipſe ait, ex eius modo loquendi, ac conſolandi, quem erga ipſum Angelus habuit. His poſitis, dico, peccatum Zachariæ fuiſſe veniale. Hæc eſt communis ſententia. Ita D. Chryſolog. *ſerm.* 90. Caiet. Maldonat. Beaulxam. & alij. Nec enim Deus, hominem iuſtum, qui in omnibus mandatis, ac iuſtificationibus vſque ad illud tempus inceſſerat, & promiſſione tanta dignum fecerat, in graue peccatum labere permitteret. Deinde, quia dubium non fuit ex pertinacia, ſed fortaſſe ex quadam admiratione. Si verò ipſe tam graue ſuſtinuit ſupplicium, vt eſſet tacens; non fuit tam in pœnam, quàm potiùs in ſignum, vt tenet D. Chryſolog. *ſerm.* 86. Denique, vt cognoſcas, quòd leues dubitationes circa Baptiſtæ magnalia, tamquam grauia peccata rigidè puniuntur.

Carthuſ.

Chryſol. Caiet. Maldon. Beaulxam.

Dubitatio de laudibus Baptiſtæ punitur.

QVÆSTIO XXIX.

Quare Zacharias ab Angelo tam grauiter puniatur?

65. RESPONDEO primò. Quia Gabrieli non præſtitit fidem, & ſic ipſe dixit; *Quia non credidiſti verbis meis.* Secundò. Quia ipſe poſt Dei promiſſionem, vltra quam nihil eſt amplius deſiderandum, ſignum quæſiuit. D. Chryſol. ſerm. 90. *Ecce eris tacens; egit ergo Angelus*, ait, *vt tali documento Pontifex eruditus non dicat amplius, Vnde hoc ſciā?* & latè proſequitur. Tertiò. Vt cognoſcas, quantum inter fauores periclitetur homo; nam dum Zachariæ oratio exauditur, dum deſiderata impetrat, dum viſionem, ac locutionem Angeli meretur, ibi lapſum inuenit. D. Chryſol. ſerm. 88. *Caro*, inquit, *nuſquam de ſua conſcientia eſt ſecura; Zacharias ipſo placationis tempore offendit; dum credit, dubitat; dum poſtulata promeretur, incurrit; condemnatur, munera ipſa cum ſuſcepit.* In maiori fauore labitur Sacerdos. Quartò. Rigor pœnitentiæ auſteræ non ſubitò, ſed paulatim introducendus, non ab alienis, ſed à propriis, ac propinquis initiandus. Naſciturus erat Ioannes, qui magnam toti orbi auſteritatem indiceret; ideo priùs in propinquis, ac maioribus ſuis præmittenda, ac oſtendenda erat. D. Auguſt. lib. 3. de mirabil. cap. 1. tom. 3. *Conuenienti*, ait, *diſpenſatione factum eſt, vt Ioannes poſtea hominibus victu, & veſtitu, & loco exempla pœnitentiæ præberet, & pœnitentiam prædicans etiā conceptionis eius tēpore pater pœnitētiæ modū ſibi ab Angelo impoſitū, donec ille naſceretur,*

Chryſol.

In fauoribus periclitatur homo.

Idem.

Rigida pœnitentia paulatim.

Auguſt.

ſuſtineret. Antequam Ioannes aliis prædicaret pœnitentiam, eam ſuo parenti indicere ordinatum eſt, vt à ſuis inciperet. Quintò. Dum Zacharias petit ſignum, eius ori clauſuram Angelus imponit. Beda. *Dat ſignum*, inquit, *quod rogatur, vt qui diſcredendo locutus eſt, iam tacendo credere diſcat.* Signum exoptatum exhibet Angelus, quo Zacharias credat, & ita eadem res extitit ſupplicium, & beneficium: ſupplicium delinquenti, beneficium obſecranti.

Beda. *Eadem res ſupplicium, & beneficiũ.*

QVÆSTIO XXX.

Quare tali pœna mulctetur?

66\. HOc punitur ſupplicio, vt ſit mutus; immò etiam, vt volunt Diuus Ambroſius, Euthymius, & Theophylactus, Mariana. Et ſurdus, quare? Reſpondet primò Beda. *Dat ſignum*, inquit, *quod rogatur, vt qui diſcredendo locutus eſt, iam tacendo credere diſcat.* Supplicium aperit oculos, & dat intellectum, & qui loquendo delinquit, tacendo emendetur. Secundò. Theophylactus, *Meritò*, ait, *duo hæc paſſus eſt, & quòd non audiret, & non loqueretur; quia enim non obedierat, condemnatur, vt ſurdus ſit, & quia contradixerat, vt ſileat.* Hoc ſupplicium delicto maximè proportionatur; qui enim non credendo delinquit, meritò ſurditate punitur, cùm fides ſit ex auditu; qui verò verbis contradixit, taciturnitate deprimitur.

Ambroſ. Euthym. Theoph. Mariana. Beda. *Supplicium dat intellectum.* Theophyl.

67\. Tertiò. Diuus Ambroſius *hîc*, Diuus Auguſtinus *lib. 3. de mirabil. cap.* 1. Diuus Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *epiſtol.* 257. Franconius Abbas *tom.* 7. *de gratia Dei.* Myſterium agnoſcunt quòd Zacharias typus extiterit antiquæ legis, quæ aduueniente tuba Euangelica, ſilentio condemnata eſt, vt ampliùs non loquatur: *Lex enim, & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Vnde ait hîc D. Chryſoſtomus, *Ioannes Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum.* Vide *hîc* Diuum Bonauenturam. Quartò. Diuus Chryſologus ſermon. 90. *Non poteris loqui*, ait, *vt ex te, in te credendi regulam conſequaris, & vernaculo exemplo, Deum poſſe, credas, facere quod promittit.* Ac ſi dicat, quòd familiari ſigno ad credendum maximè cogeretur; nam quæ domeſtica ſunt, ac intra propriam domum, maximè mouent. Idem Chryſologus ſerm. 89. *Ille non dedignatur à filio verba recipere, cui dederat vitam.* Voluit Angelus Zachariam honorare, vt reciperet loquelam à filio, & non ab extraneo; tum vt Ioannis gratitudo oſtenderetur, qui tantis beneficiis ſuos parentes proſequebatur.

Ambroſ. Auguſt. Peluſiot. Francon. Chryſoſt. Bonauent. Chryſol.

68\. Quare dixit Angelus, *Non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant*, quod fuit vſque ad circuncifionem; cùm tamen tunc omnia denuntiata ab Angelo non eſſent facta, nec impleta, præcipuè, quo ad ſecundam partem, *Vt conuertat corda patrum in filios?* Reſpondeo primò, quòd Zacharias plectitur vſque ad circuncifionem, nominiſque impoſitionem, quod ipſe propria manu ſcripſit, ſicut dictum erat ab Angelo, quòd Ioannes vocaretur, hoc eſt enim Dei iudicium, vt propria manu, ac proprio ſupplicio fateamur id, quod verbis contradicimus. Secundò. Quia hæc eſt Dei beneficentia, vt idem ſit incipere beneficium, ac perficere, & conſummare. Tertiò. Quia in ipſo Ioannis nomine omnia promiſſa magnalia, tamquam in compendio claudebantur; & idem fuit tali nomine, ac omni prænuntiata magnitudine condecorari. Quartò. Iuſtorum pœna non eſt perpetua, ſed breui tranſiens, nam Deus, vt iuſtus punit, vt miſericors conſolatur, & ſubleuat terminatione temporis, & ideo de ſe ait: *Ego percutiam, & ſanabo.* Quintò. Incredulitatis pœna differtur vſque ad natiuitatem Ioannis, & vltrà durare non permittitur, vt ita benefica manus Ioannis à ſuis beneficia inchoaret. D. Chryſolog. ſerm. 80. *Egreditur Pontifex geſtans in ore ſterilitatis indicium, vt cùm mater pareret filium, daret filius vocem, tunc Verbi Pater ederet ſacramentum, & daret ante natus patri veniam, quàm dilueret crimina vetuſta.* Vide ſuprà *cap. 5. num. 30. & 50.*

Id, quod verbis contradicimus, fatemur factis. *In Ioannis nomine omnia magnalia.* Idem. *Beneficia à ſuis inchoanda.*

Lucæ 1. n. 21. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur, quòd tardaret ipſe in templo.

VERSIO.

Syriacus. Populus autem ſtabat, ac præſtolabatur ipſum Zachariam, & mirabantur ſuper retardatione ipſius in templo.

EXPOSITIO.

POPVLVS erat foris in atrio, Zacharias verò intus iuxta altare thymiamatis, & ex tarditate, quæ facta eſt; tum ob colloquium cum Angelo, tum, quia Zacharias fortaſſe obſtupidus hæſit, populus admirabatur. 69.

QVÆSTIO XXXI.

Quare nullus ingrediatur templum?

CVM Zacharias tam longa mora tardaret in templo, nullus è populo ingreſſus eſt, vt eum excitaret, vel tantæ tarditatis cauſam videret. Reſpondet primò Caietanus. *Quia nulli licebat intrare templum ſummo Sacerdote ibi exercente officium.* Secundò Theophylactus, *Vſque modò*, ait, *Iudæus foris eſt, expectans verum Chriſtum Sacerdotem venturum: & miratur, quòd tantum tardet.* Inter Zachariam, & Angelum in templo de lege gratiæ agebatur; ideo Iudæus foris eſt, & non intrat, ſed tantùm de tarditate miratur. Tertiò. Nullus ex populo, vel ex Sacerdotibus, qui circa templum morabantur, ingreditur, quia nullus audebat ſe in alienum officium, atque in vicem alienam intromittere, ſed vnuſquiſque in ſuo ordine ſtabat. 70.

Caiet. Theoph. *Vt populus Iudaicus foris expectabat.*

Lucæ 1.

Lucæ 1. n. 22. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt, quòd viſionem vidiſſet in templo: & ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.

VERSIONES.

Syriacus. Et intellexerunt eum viſionem vidiſſe in templo, & ipſe nutu innuebat eis, & manſit mutus.

Euthymius. Et permãſit mutus, & ſurdus.

EXPOSITIO.

71\. EX tanta mora in templo, ac taciturnitate Zachariæ agnouit populus, ipſum viſionem vidiſſe. *Et ipſe erat innuens illis.* Hoc aliqui referunt cum Carthuſiano ad viſionem; ipſe enim viſibili ſigno inſinuabat, ſibi aliquid diuinum contigiſſe, vt populus affirmabat. Alij illud *innuere*, reducunt cum Caietano ad id, quod ipſe ſignificabat, ſe eſſe elinguem, & impotentem ad loquendum, non ex aliqua ægritudine, ſed ex aliqua ſuperiori cauſa. Tertiò. Alij, & probabilius, illud *innuere*, intelligunt, quòd ille iis diebus miniſterij ſui pro vocibus ad populum nutibus, ac ſignis vtebatur: nam illud verbum *erat*, & *permanſit*, quandam conſiſtentiam, ac permanentiam denotant de eo, quòd ipſe manſit mutus, & ſurdus, vt ſuprà dictum eſt.

Carthuſ. Caiet.

QVÆSTIO XXXII.

Quare populus ſibi perſuaſerit, Zachariam viſionem vidiſſe.

72\. QVARE populus exiſtimauit potiùs ex taciturnitate, Zachariam viſionem vidiſſe, quàm ex aliquo delicto in eiuſmodi pœnam incidiſſe? Reſpondet primò Carthuſianus. *Voluit*, inquit, *Deus ſciri à populo, quòd ei Angelus apparuiſſet, & qualiter Angelus natiuitatem Ioannis pronuntiaſſet, vt populus inciperet ſe diſponere, ad fidem Meſſiæ.* Ac ſi dicat, quòd voluit Deus, vt populus paulatim ad fidem Chriſti diſponeretur. Deinde vt ſignum de natiuitate Baptiſtæ populus cognoſceret, & admiraretur, quia Baptiſtæ magnalia antequam videantur, & audiantur, admirationem excitant. Secundò. Diſpoſuit diuina prouidentia, vt eſſet ſuſpicio de viſione facta, & non de pœna inflicta propter Zachariæ incredulitatem; non enim vult Deus, vt defectus, ac delicta Sacerdotum populus agnoſcat, ac percipiat. Vnde ait Simon Caſſianus ſerm. de Baptiſta: *In templo multatus, egreſſus non loquitur.*

Carthuſ. *Peccatum Sacerdotum non diuulgãdum.* Caſſian.

73\. Tertiò. Populus de Sacerdote non malum reputat, ſed tantùm bonum, nempe impotentiam loquendi contigiſſe, non ex delicto, ſed ex viſione. Vnde nota, quanto diſcrimine ſe iuſtus habeat erga ſe, ac alios: nam populus orans in atrio Dei, de Sacerdote malum nec loquitur, nec præſumpſit, ſcilicet non crimen commiſſum, ſed apparitionem ei factam. At Zacharias, vt ſanctus, de ſe nutu non innuit, vt vult Caietanus, angelicam oſtenſionem habitam, ſed defectum, ac impotentiam loquendi inflictam. Quartò, quod eſt literale, tanta erat ſanctitas Zachariæ, vt nullus de eo malum ſuſpicaretur, & cum aliunde ipſe totus mirabundus veniret, intellexerunt omnes eum viſionem vidiſſe.

Iuſtus non cogitat malum. Caiet.

Lucæ 1. n. 23. Et factum eſt, vt impleti ſunt dies officij ſui, abiit in domum ſuam.

VERSIONES.

Syriacus. Cúmque impleti fuiſſent dies miniſterij eius, venit in domum ſuam.

Vatablus. Porrò autem vt impleti ſunt dies muneris eius.

Theophylact. Et accidit vt impleti ſunt dies.

EXPOSITIO.

EXPLETA vicis, ac miniſterij ſui hebdomada, quo tempore Sacerdotes ſecundùm legem, non ſolùm ab vxorum complexu, vt notat D. Bonauentura, ſed etiam ab ipſo domorum ſuarum abſtinebant ingreſſu; quia non illicita pro tempore, ſed etiam illorum occaſiones vitandæ ſunt. Ex hoc conſidera cum Theophylacto, quales eſſe debeant Sacerdotes nouæ legis, qui ad diuinum miniſterium quotidie accedunt. Peracto ergo tempore functionis ſuæ profectus eſt Zacharias in domum ſuam, quæ non in Hieruſalem, ſed in montanis erat Iudææ. Et quamuis tam lætum de filio acceperit nuntium, non ſtatim vadit in domum, donec dies miniſterij adimpleantur. Primò. Quia deſerere munus hebdomadæ ſuæ, non licitum erat. Secundò. Vt iuſtus, ac timoratus magis præ oculis habebat, quæ ad cultum, & honorem Dei pertinebant, quàm quæ ad proprium commodum, & affectum ſpectabant. Tertiò. Vt prudens non lætitia quaſſatur, ac gaudio efferueſcit, ſed omnia prudenter, grauiter, ac maturè facit, in ſuoque ordine diſponit. 74.

Bonauent. Theophyl. *Omnia maturè diſponenda.*

Lucæ 1. n. 24. Poſt hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque; dicens.

VERSIONES.

Syriacus. Et factum eſt poſt dies illos, vt vterum ferret Elizabeth vxor ipſius, & occultaret ſe quinque menſibus, ac diceret.

Vatablus. Occultabat ſe ipſam menſes quinque

Arias. Abſcondit ſe menſibus quinque.

EXPOSITIO.

75. HIc multa modeſtè ſcribendo ſuppreſſit Euangeliſta, regreſſum Zachariæ in domum ſuam, congreſſum eius cum vxore, huiúſque admirationem de ſilentio viri, qui indiciis, ac nutibus aliquid magni de prole habenda indicauit. Poſt ergo dies functionis ſuæ ſacerdotalis Zacharias iuit in domum ſuam, vbi Elizabeth concepit, quæ ſe occultauit per menſes quinque completos: nam Annunciatio ad Virginem facta eſt menſe ſexto; vt dicemus capite ſequenti.

QVÆSTIO XXXIII.

Quare ſe occultauerit Elizabeth?

76. Origenes. Boſtren. Ambroſ. Theoph. Euthym. Beda.

RESPONDENT primò Origenes *in Luc. homil.6.* Titus Boſtrenus, D. Ambroſius, Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij *hîc*. Hoc pudori, ac verecundiæ Elizabeth aſcribunt; verecundabatur enim, quòd concipiendo ſenili ætate riſui ſe omnium exponeret, tum quia nouum, & inſolitum erat, quòd ſenex mulier conciperet. Vnde ait Chryſologus ſerm. 92. *Occultabat ſe menſibus quinque; quia etſi erat diuini muneris, ſui tamen temporis non erat, quod habebat.* Secundò. Vt erat quid mirabile, quòd ſenex conciperet, noluit, vt prudens, rem diuulgare, niſi tempore, quo vteri tumore, omnes aſſerenti fidem præſtarent, vt ſic non tam verbis, quàm operibus crederetur. Tertiò. Ita ſe res habent ſæculi huius, quæ non obtentæ deſiderium excitant, poſſeſſæ verò moleſtiam producunt. Elizabeth, dum extitit ſterilis, filij deſiderio tenebatur, dum videt ſe concepiſſe, verecundatur: ad quod reſpexit Chryſologus ſerm. 92. *Modò*, ait, *fatigat conceptus verecundia, quandiu negati partus ærumna afflixit.* Quartò. Agar, dum concepit, in ſuperbiam elata dominam ſuam deſpexit. At Elizabeth, dum concepit, humiliatur verecundia affecta. D. Bonauentura in præſenti. *Occultabat ſe menſibus quinque*, ait, *hoc enim erat ſignum humilitatis, & pudicitiæ. Non ſicut Agar ancilla, de qua dicitur* Geneſ. 16. *quæ concepiſſe ſe videns deſpexit dominam ſuam.* Ob humilitatem Elizabeth vetula occultabat ſe, ne quid magnum diceretur de ea, quod in ſenectute concepiſſet, vt Sara, & Anna.

Chryſol. — *Iuſtus beneficijs humiliatur.* — *Idem.* — *Bonauent.*

QVÆSTIO XXXIV.

Quare quinque menſibus ſe occultauerit?

77. Origen. Ambroſ. Beda. Theoph. Hugo.

RESPONDENT primò Origenes, D. Ambroſius, Beda, Theophylactus, & alij, quod poſt tranſactum quintum menſem ceſſauerit Elizabeth pudor ex eo, quòd vidiſſet Virginem etiam concepiſſe; nã vbi maiora apparent, minora redduntur facilia. Secundò Hugo, *Nemo*, ait, *ſibi datam gratiam proferat in publicum, donec oriatur ei ſpes ſalutis, occultatur conceptus Ioannis, vſque dum Ieſus concipitur.* Tantus enim erat Ioannes, & vt Chriſti vos noluit videri, nec in orbe publicari à Chriſto ſeparatus, ſed ad illius conſpectum.

Ioannes manifeſtatur ad Chriſti conſpectum.

78. Tertiò. Et germana ratio Elizabeth conceptum occultauit, quamdiu vt naturalem agnouit; at vbi cæleſti gratia affectum ſenſit, ſtatim euulgauit. Iuſti enim non id, quod naturale eſt, ſed ſupernaturale æſtimant, ac magnifaciunt. D. Ambroſius hîc: *Erubeſcit*, ait, *Elizabeth onus parentis, quandiu neſcit myſterium religionis: & ibi id intellexit, illa, quæ occultabat ſe, quia conceperat filium, iactare ſe cæpit, quia gerebat Prophetam.* Quartò Beda & Zacharias Epiſcopus ad ſenſus morales confugiunt. Quinque menſibus Elizabeth occultat conceptum, ſiue quia Moyſes quinque libris myſteria Chriſti parabolatim deſignat: ſiue quia ipſa lex Chriſti diſpenſationem in quinque mundi ætatibus per Sanctorum facta, vel dicta figurat. Et Incarnatio Chriſti ſexta ſæculi ætate ad legis impletionem facta eſt; ſexto enim menſe mittitur Angelus ad Mariam Virginem.

Ambr. — *Beda. Zachar.*

Lucæ 1.*n.*25. Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobriũ meum inter homines.

VERSIONES.

Syriacus. Nempe iſta fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit me, vt auferret opprobrium.

Arias. Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus inſpexit auferre opprobrium meum in hominibus.

Vatablus. In diebus, quibus reſpectum habuit ad auferendum opprobrium, *&c.*

EXPOSITIO.

79. SIc fecit Dominus, vt ſterilis conciperet; & hoc in diebus, in quibus mihi beneficiis propitius fuit, auferendo opprobrium meum; nam ſterilitas apud Hebræos in dedecus reputabatur, Geneſ. 30. num. 23. Rachel, dum peperit, ait: *Abſtulit Deus opprobrium meum.* Duo hîc conſidera. Primum gratum animum Elizabeth, nam totum opus in Deum reuocat; ait enim: In diebus, quibus reſpexit Deus. Secundum quòd opprobrium appellat inter homines, & non apud Deum; nam id, quod apud homines pro iniuria, & infamia reputatur, apud Deum ſæpe magnam meriti & præmij cauſam habet. Sterilitas, quæ apud Hebræos reputabatur infamis, aliquando tamen pro merendi motiuo dabatur à Deo: ſic mulieres ſanctiſſimæ ſæpe infœcundæ fuerunt, Sara, Rebecca, Rachel, Anna Samuëlis mater, ac etiam Sanſonis mater, *Iudic. cap.* 13. *num.* 2.

Geneſ. 30.

CAPVT

CAP. V.

Annunciatio Angelica ad Virginem.

Lucæ 1.*n.*16. In menſe ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

VERSIONES.

D. Ambroſ. in comm. Eodem tempore miſſus eſt Angelus, *&c.*

D. Irenæus lib. 3 *c* 11. In ipſo tempore miſſus eſt Angelus, *&c.*

EXPOSITIO.

1. CIRCA hanc diuini Verbi Incarnationis legationem multa hîc breuiter annotantur ab Euangeliſta. Primò tempus, *menſe ſexto*; hoc eſt, ab eo tempore, quo Angelus Zachariæ apparuit, vel à conceptione Ioannis, vt communiter exponunt D. Ambroſius, Theophylactus, D. Bonauentura, Beda, & alij. Secundò. Perſona mittens, hoc eſt, miſſus à Deo; hîc autem Deus ponitur pro tribus perſonis diuinis; quia cùm hæc miſſio ſit ad extra, communis eſt toti Trinitati. Tertiò. Perſona delegata; hoc eſt, *Angelus Gabriel*. Quartò. Sanctiſſima Virgo, ad quam legatio mittitur. Quintò. Locus. *In ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*; erat enim ciuitas parua iuxta montem Thabor ſita, in Galilæa inferiori fundata, vbi Maria, & Ioſeph habitabant. Sextò exponitur modus legationis: *Concipies, & paries*, &c: de quibus omnibus infrà dicendum eſt. Nota hîc cum Dionyſio Carthuſiano, quòd Angelus hîc cuncta myſterij huius tam diſtinctè, ac planè elucidat, vt hæc legentes, ac audientes, quaſi præſentia oculis animi proponamus, atque cum ſumma intentione, deuotionéque ſingula quæque diſtinctè penſemus.

Ambroſ. Theophyl. Bonauent. Beda. — *Carthuſ.*

QVÆSTIO I.

Quare ſexto poſt conceptum Ioannis menſe incarnetur Verbum.

2. Auguſt.

RESPONDETVR primò ex D. Auguſtino *tract.27. in Ioan.* quòd quinarius numerus imperfectus eſt, & ideo lex vetus vt imperfecta, quinque libris continebatur, & Ioannes, qui typus erat legis, quinque menſibus Chriſti conceptionem præcedit. At numerus ſenarius perfectus eſt, & ideo homo, qui inter cætera Dei opera perfectiſſimus eſt, ſextò die conditus eſt. Chriſtus autem Dominus, qui ſecum omnem perfectionem adduxit, ſexto etiam menſe cõcipitur. Secundò. Beda, *Quia*, ait, *Chriſti incarnatio, vel ſexta ætate ſæculi futura, vel ad impletionem legis erat profutura, rectè ſexto menſe concepti Ioannis miſſus ad Mariam Angelus naſciturum nuntiat Saluatorem, vnde dicitur in menſe ſexto.* Tertiò Hugo. In ſexto menſe concipitur, quia ſexta die hominem creauit, pro cuius reparatione homo fieri voluit, vt ſic reparatio, ac creatio mutuo ſibi reſpondeant.

In Chriſto omnis perfectio. — Hugo. *Creatio, & reparatio.*

QVÆSTIO II.

Quare non aliter deſcribatur tempus?

CVM Euangeliſta Verbi incarnationem narret, tempus non numerat à creatione cæli & terræ, vel ab eductione populi ex Ægypto, vel ab exordio anni; apud Hebræos enim menſis ille Martij initium anni erat; illi namque dupliciter annum computabant; vnum, qui vulgaris dicebatur, & à nouilunio Septembris incipiebat: alterum, qui vocabatur Sacer à Martiique æquinoctio exordiebatur. Ita teſtatur Genebrardus in initio ſuæ Chronographiæ. Ad quæſtionem multipliciter reſpondet Toletus *annot.* 39. Primò, quòd cùm dicitur, *menſe ſexto*, annus poſterior cum priori coniungitur, vt ſic Deus noui, & veteris Teſtamenti auctor oſtendatur, qui veteribus noua contexuit, & quæ imperfecta præceſſerant, perfecit. Secundò, vt Chriſtus hoc modo ſignificetur omnium Saluator, non tantùm eorum, qui poſt eum, ſed eorum etiam, qui ante eum ſecundùm carnem fuere. Ita, & alia ſimilia Toletus. 3.

Genebr. Tolet.

Tertiò reſpondeo, quòd dum grauia, ac mirabilia narrantur, à re magna ſumitur computatio, vt fiebat apud Romanos. Ab Vrbe condita, & olim apud Hiſpanos ab Auguſto. Euangeliſta non à creatione cæli, ac ſpirituum angelicorum, nec ab exordio anni, ſed à conceptione Ioannis cœpit tempus numerare, quia hanc præ cæteris mirabiliorem exiſtimauit. Quartò. Diſpoſuit Deus, tam intimam eſſe inter Verbum incarnatum, & Ioannem coniunctionem, vt anni Chriſti non aliter, niſi in ordine ad Ioannem recenſerentur. Quintò. Quia Ioannes quodammodo fuit initium legis Euangelicæ, illius enim conceptio propter Chriſtum facta eſt, & ipſe vt lucerna, ac præcurſor cœpit Chriſtum prædicare, digitoque oſtendere, & ideo dicitur Matth. 11. num. 12. *A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur*; & ideo rectè vtriuſque dies, & anni coniunguntur. 4.

Ioannes magnum opus. — *Inter Chriſtum & Ioannem vnio magna.* — Matth. 11.

QVÆSTIO III.

Quare non dicatur Angelus miſſus à tribus diuinis Perſonis?

DE perſona mittentis quare dicitur Angelus miſſus à Deo, & non à tribus diuinis perſonis, cùm hæc legatio à tota Trinitate ſit facta, vt dixi in expoſitione? Reſpondeo primò, vt iam dixi, quòd ſub nomine Dei intelliguntur tres diuinæ perſonæ. Secundò, quòd in veteri Teſtamento, quando miſſio fiebat, ſub nomine Dei tantùm dicebatur. Daniel 6. num. 22. 5.

Daniel.6. 1.Reg.15. Hierem.25.

Deus meus miſit Angelum ſuum. 1.Reg 15.num.1. *Me miſit Deus, vt vngerem te* Herem.25.num.4. *Miſit Dominus ad vos omnes ſeruos.* Ergo etiam quando fit miſſio in nouo teſtamento, ſub nomine Dei fit, vt intelligatur ex eadem dicendi, & operandi methodo, quòd noui, & veteris Teſtamenti idem ſit auctor.

Ex methodo dicendi auctor.

Tertiò. Promiſſiones Incarnationis factæ ſunt ſub nomine Dei; Deus enim pollicitus eſt ad Abraham *Gen.22.num.28.* ad Iſaac *Geneſ.26.n.5.* ad Iacob *Geneſ.28. num.15.* Ergò rectè dum opus exhibetur, ſub nomine Dei fit, vt idem nomen, quod veluti adſtrictum, & obligatum erat, opus ipſum adimpleat, ac perficiat.

Qui eſt adſtrictus ſe deobliget.

Quartò. Angelus multa dicturus erat in laudem, ac honorem Chriſti, qui eſt ſecunda Trinitatis perſona: non declaratur expreſsè Trinitas, v[illegible]omen filij taceatur, ne legatio ad eius mag[illegible]declaranda ei manifeſtè att[illegible]ucretur; laus enim aliunde proueniens ſpecioſior eſt.

Laus non ab ore proprio.

Ioan.14.

Diſcipulis ſuis ait Saluator: *Paraclitus autem ſpiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, Ioan.14,n.16. Sed cur hoc tribuit Patri, cùm Spiritus miſſio Patri, & Filio tamquam perſonis, à quibus procedit; vt docent Theologi, cum D.Thoma 1.*part.quæſt.*43.*art.*8. *in corpore*, conueniat.

S. Thom.

Ioan.16.

Imò Chriſtus Dominus de ſe dixit: *Expedit vobis, vt ego vadam, ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos*, Ioan.16. n.7. Cur ergo in loco, quem expendimus, miſſio Patri tantùm adſcribitur, dicebat enim: *Quem mittet Pater in nomine meo*, id eſt, vt explicat Theophylactus, *In gloriam nominis mei*?

Theoph.

Meritò etenim diuinus Magiſter, vt ſuis explanet Diſcipulis, quàm neceſſaria ſit eius in cælum aſcenſio, ait: *Cùm abiero mittam eum ad vos*; quando verò explicat, quòd Spiritus ſanctus ad ſuas laudes, atque glorias publicandas ſit aduenturus, non ſibi, ſed Patri, tamquam perſonæ diſtinctæ huiuſcemodi miſſionem refert, ne ad ſuas laudes decantandas ſpiritum mittere videretur, cùm eas diuulgare ad aliũ ſpectet.

QVÆSTIO IV.

Quare per Angelum declaretur hoc myſterium?

6. POTERAT Deus hoc myſterium per ſe ipſum immediatè Virginis manifeſtare, noluit tamen niſi per Angelum. Reſpondent communiter ſancti Patres. D. Auguſtinus *ſerm.*13. *de Natiuitate*, D.Bernardus *ſer.*2.*de Pentecoſte.* Beda *hom.de Annuntiat.* D.Irenæus *lib.*5.*c.*19. D.Chryſologus *ſerm.*2.*de Annuntiat.* cuius hæc ſunt verba: *Audiſtis*, ait, *agit, vt homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitã: agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina.*

Auguſt. Bernard. Beda. Irenæus. Chryſol.

Per eandem viam ſalus, qua perditio.

Ac ſi dicat primò, vt per eandem viam homo reſurgat ad vitam, per quam lapſus fuerat ad mortem. Deinde ſecundò, vt natura angelica miniſterio tanti operis efferatur honore, quæ iniuria erat depreſſa, cùm ex ea prodiiſſet Lucifer, qui primos parentes à ſuo ſtatu deiecerat.

Affectus iniuria nobilitatur.

Tertiò, vt meritum Beatiſſimæ Virginis magis eluceſceret; præclarior enim fuit illius fides in myſterio tam difficili fidem Angelo adhibere, quàm ipſi Deo immediatè reuelanti; & hæc fides laudatur ab Elizabeth, dicente: *Beata, quæ credidiſti.*

7. Quartò, & moraliter. Angeli hominem de paradiſo eiecerunt, Angeli Sodomam caſtigarunt, Angeli in exercitu Senacherib magnam ſtragem ediderunt; & tamen Angeli hîc humanæ non dedignantur miniſtrare naturæ, Regis enim famuli pro conditione Domini facies induunt; ſi Rex iraſcitur, excandeſcunt omnes; ſi erga aliquem benignus, & affabilis eſt, eundem omnes diligunt, ac venerantur.

Durè ferunt homines inferiorem ipſis æquari.

Quintò. Inter magna huius myſterij miracula, pondera, quòd aduenit Angelus, vt homo, qui per naturam inferior erat, per gratiam ei ſuperior eſſet. Rigidè homines ferunt inferiores ſibi eſſe æquales, ſuperiores verò nullo modo. Omnes Babylonis Satrapæ Danielis ſcientia à morte ſunt liberati, *c.*2. *num.* 25. & tamen mortem in eum machinabantur omnes; pro Daniele nullus erat, *cap.6.num.2.* Daniel è captiuitate, ac ſeruus erat, vt hîc ponderat Theodoret. *Et tamen Rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum.*

Theod.

Ideò Principibus valde moleſtum erat, hominem conditione inferiorem ipſis eſſe præpoſitum. D. Paſchaſ.lib.1. in Matth. *Dolebant Principes captiuum in omni regno dominari.*

Paſchaſ.

Geneſ.27.

Maximè doluit Eſau, quòd ſibi Iacob præriperet benedictionem, ita vt diceret: *Veniet dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*, Geneſ.27.n.41. Sed cur ita ira exarſit in fratrem; Cur, vt ait Lyppoman. non cogitat Dei iudicium? Cur non conſiderat, eſſe Iacob venditam à ſe benedictionem? Cur tandem non conſolatur ampliſſima benedictione, quam à patre impetrauit? Quare ita ira exarſit? Dum benedixit Iſaac dixit: *Fratri tuo ſeruies*, Gen.27.num,40. Ideo ira exarſit Eſau, & furor non quieſcit, quia ſe videt maiorem natu fratri minori ſubiici. Moleſtiſſima res eſt, vt primus inferiori ſubdatur, ac humilietur.

Lyppom.

Procop.

Procopius, *Eſau*, ait, *non tam indignatur, quòd benedictionem nequit percipere, quàm quod cernit fratrem benedictione dignum habitum, & ob eam rem ſe illa excidiſſe.* Concutitur dolore, non tam ob donum amiſſum, quàm potiùs ob minorem fratrem ſibi prælatum.

QVÆSTIO V.

Quare non per hominem, ſed per Angelum hæc mittatur legatio?

8. RESPONDENT primò, D.Hieronymus *ſermon. de Aſſumptione*, D. Chryſologus ſerm.143. *Quia ſemper*, inquiunt, *Angelis eſt, cognata virginitas, in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis.* Quia ergo ſanctiſſima Virgo adhuc viuens cæleſtem vitam, ac puritatem agebat, ideo cæleſtis nuntius ad eam venit.

Hieron. Chryſol.

Gregor. Thaumat.

Secundò D. Gregorius Thaumaturgus ſermon.3. de Annunciatione. *Miſſus eſt*, inquit, *ſeruus incorporeus ad Virginem immaculatam, miſſus eſt peccato liber ad corruptionis, ſeu labis expertem.*

Coram Virgine ſolus ſine peccato apparuit.

Ad puriſſimam Virginem ab omni peccato liberam, non homo, qui ſaltem originali erat infectus, ſed Angelus ab omni macula expers, nuntius erat aptus, & conueniens. Tertiò infrà idem S. Gregorius Thaumaturgus eodem ſermone. *Angelus cum Virgine loquitur*, ait, *vt non*

Exemplum efficax.

ampliùs cum muliere ſerpens loqueretur. Adeò potens eſt exemplum, vt nulla fœmina cum Dæmone iam loquatur ex eo quòd videt aliam fœminam cum ſancto Angelo habere ſermonem. Quartò. Mittitur Angelus, vt non ſolùm cognoſcamus, Angelos, tantum non inuidiſſe bonum, quod illis eſt denegatum, verùm de illo nobiſcum lætari, nobiſque de illo congratulari.

9.
Toler.

Quintò. Toletus *annot.*44. inter alias rationes hanc aſſignat: Quia Deus aſſumere noluit naturam angelicam, ſed humanam, congruum fuit eos non omnino à tanti boni participatione excludere, idcirco nuntios effecit, maximè cùm & hoc myſterium ad eos etiam ſpectaret, nam eorum ruinæ implendæ erant.

Homo ad ſalutem hominũ difficilis.

Sextò. Hîc agebatur de humanæ naturæ remedio: homo enim ad hominum ſalutem valde difficilis eſt; conuenientior ergo fuit nuntius angelicus; ſicut Chriſto Domino in agonia poſito, vbi de ſalute humani generis negotium agebatur, non homo, ſed Angelus apparuit, confortans eum, *Luc.22.n.43.* vt *ibi* dicam. Septimò. Mittitur Angelus ad ineundum pacis fœdus inter Deum, & hominem, Angeli enim ſunt Angeli pacis; homo verò indictum cum Deo ratione peccati bellum habebat.

Qui in bello eſt, pacẽ dare non poteſt.

Ergo multo conuenientior extitit Angelus legatus, quàm homo, nam qui in bello erat conſtitutus, quomodo pacem daret? Aut de pacis negotio ageret? Octauò. De altiſſimo myſterio hîc agebatur: ſupremum ergo nuntium venire, conueniens fuit, vt ait D.Bernardus, de quo infra. Et D. Ambroſius hîc: *Tantum enim mandati myſterium, non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum.* Nam ſi Deus in veteri Teſtamento per manum Angelorum multa antiquis Patribus reuelauit, & diſpoſuit, quæ omnia ad hoc opus ordinabantur, quanto magis congruebat, hoc myſterium per Angelum declarari.

Bernard. Ambroſ.

10.
Idem.

Nonò. Perpende altum acumen Diui Ambroſij *lib.*1. *in Lucam.* Ita ait S.Pater: *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolam Angelus reperiret, ne quo degenere deprauaretur affectu, ab Angelo ſalutatur.* Non aliquis ſanctiſſimus Patriacha ex antiquis, ac parentibus Virginis, vt Abraham, vel Iſaac, non aliquis Propheta eximius in gratia, ac iuſtitia, vt Hieremias, vel Elias, ad Virginem mittitur, nam quilibet ex his, quamuis alto ſanctitatis apice emineret, tamen homo erat; *Ne quo degenere deprauaretur affectu.*

Colloquium mulieris cum viro periculoſum.

Angelus ad Mariam venit, nam adeò tenera, & delicata res eſt virginitas, vt ex ſuo genere, ac natura deprauetur affectu, ſi interueniat ſolitarium colloquium puellæ Virginis cum viro, etiam ſanctiſſimo; ac de re ſanctiſſima, qualis erat Incarnatio.

11.
Cant. 8.

Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum, Cant.8.n.14. Maximè inquirenda eſt cauſa, ob quam Chriſtus Dominus ſuis delictis, ac amicis præcipiat tam velociter fugere, vt capreæ, hinnulique ceruorum curſum imitentur? Sine dubio eis mandatur fuga à ſermocinatione mulierum, & Virginum Hieruſalem. Sed colloquium iuſti, ac dilecti Dei, qualenam erit cum pia fœmina? Vtique de re ſancta, & vtili. Et tamen ei mandatur, terga vertere, fugam inire, & non quolibet modo, ſed velociſſimo curſu ceruorum, quando à facie venatoris fugiunt.

Philo.

Philo Carpathius *in fine commentariorum in Cantica*, ita præfatum explicat locum, & ait, *ceruorum naturam æmulatus fuge fœminam, quam quidem nõ videre prima victoria eſt; ſecunda, non alloqui: tertia non attingere, nam ſi facies fœminea aculeus eſt peccati, quid erit alloquiũ, ac tactus?* Semper enim ex ſermone mulieris cum viro coinquinatur affectus. Somniauit Ioſeph, *Circumſtãtes manipulos fratrum adorare manipulum ſuum.* Et iterum ait, *Vidi Solem, & Lunam, & vndecim ſtellas adorare me*, Geneſ.37.n.7. & 9.

Geneſ.37.

Philo.

Vbi, vt auctor eſt Philo *libro de Ioſeph*, Dominus ei aperuit, quomodo ipſe erat in terra Ægypti dominaturus, & à fratribus adorandus, quod mediante venditione adimplendum erat. Sed cur ei non repræſentatur, quomodo ab impudicis dominæ ſuæ blanditiis erat impetendus? Cur hoc abſconditur, cùm cætera pateſiant? Noluit Deus, vt ſanctus iuuenis etiam per ſomnium haberet muleris repræſentationem, atque colloquium; nam, vt ait D. Hieronymus aduersùs Iouinianum: *Cogitatio mulieris mentem momordit, coinquinat affectum.*

Hieron.

QVÆSTIO VI.

Quare non Seraphim, vel Cherubim, ſed Angelus mittitur?

12. RESPONDEO, quòd Seraphim eſt Spiritus in amore accenſus, Cherubim ſcientia plenus; at verò Angelus ex natura ſua ad miſſiones, ac legationes eſt deputatus, Deus optimus maximus alium mittere noluit, ſed qui hoc ex munere habebat.

Bonus miniſter qui ex officio eſt.
Pſalm.43.

Nullus ſuſtitutus, ac alterius vices agens, officium ſibi commiſſum rectè exequitur, *Qui mandas ſalutes Iacob*, Pſalm. 43. Multi enim Prophetæ miſſi ſunt; & tamen cùm eſſent, veluti in alterius locum ſubrogati, remedium homines minimè aſſecuti ſunt. At vbi Chriſtus Dominus aduenit, qui ex natura ſua, ac officio ſalus erat, ſtatim ſanitatem habuerunt. Vnde dixit Guerricus Abbas ſermone de Annuntiatione. *Si ſalutem mandares, & non dares, non ſaluaretur homo.*

Guerricus.

QVÆSTIO VII.

An Deus immediatè per ſe ipſum, aut interuentu ſuperiorum Angelorum, legationem hanc Gabrieli reuelauerit?

13. PRo cuius reſolutione ſupponenda eſt celebris doctrina D. Dionyſij *lib. de cæleſti Hierarchia, cap.*3.4.7. & 8. D. Damaſceni *lib.*2. *cap.*3. S.Thomæ 1.*part.quæſt.*106.*art.*1. & 2. quòd celſiores ſpiritus immediatè à Deo erudiuntur, & ipſi facienda inferioribus indicant: ac proinde ſuperiores illuminant inferiores, & prima Hierarchia ſecundam, & ſecunda Angelos tertiæ.

Dionyſ. Damaſcen. S.Thom.

Et ſic dum de populi liberatione ageretur, vnus Angelus ex Poteſtatibus clamauit ad Gabrielem Danielis 8.num.16. *Et audiuit vocem viri, & clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere iſtum viſionem* Ita etiam in præſenti quærimus: An Gabriel ſit

Daniel.8.

 immediatè

Chryſoſt. Carthuſ. Clichtou. Bernard. Caſſian.

immediatè illuminatus à Deo de hac legatione: an per ſuperiores Angelos? Prima ſententia eſt, quòd Gabriel immediatè acceperit in hoc legationem à Deo. Ita D. Chryſoſt. in orat. *de Annunt.* apud Metaphraſt. D. Dionyſius Carthuſianus *hoc loco*, Clichtoueus *lib. de Annunt*, *c.2.* D. Bern. *homil.1. in Miſſus eſt*; & addit S. Pater. *Ideo dictum eſt ab Euangeliſta, miſſum Gabrielem à Deo, ne cui, vel beatorum ſpirituum, ſuum Deus, antequam Virgini, reuelare putetur conſilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele.* Secunda ſententia eſt, hanc legationem miſſam fuiſſe, interuentu aliorum Angelorum; imò cum magna lætitia, & exultatione totius cæleſtis Curiæ. Ita Simon Caſſianus *ſermon. de Annuntiat.*

Solus Deus realiter medetur, homines verò cum ſpe. Tertull. 2. Reg. 17. Geneſ. 41.

14. At ſi illa prima Patrum ſententia retineatur, dubium eſt, quare Gabriel, dum mittitur ad Danielem, pro explicanda promiſſione de populi libertate, illuminatur ab alio Angelo? *Clamauit vir: Gabriel fac intelligere*; at verò dum hîc venit delegatus ad Virginem, immediatè eruditur à Deo? Reſpondeo, quòd hîc Angelus à Deo illuminatur immediatè, quia realiter aſportabat executionem ſalutis. At verò, dum Gabriel ad Danielem venit, ab alio mittitur Angelo, quia afferebat remedium in ſpe, ac futura promiſſione: ſolus enim Deus præſentialiter medetur, ac beneficiis tibi adeſt; creatura verò in ſpe, ac in aliud tempus pollicendo. Notauit Tertullianus *lib.1. de Baptiſm.* quòd Deus in initio orbis creauit fontes, homines verò foderunt ſibi puteos: fons vt Dei donum, aquam infundit præſentialiter in manus, ac ſitim extinguit; puteus verò, vtpote hominis beneficium, aquam à longè, ac veluti in ſpe oſtendit. Grauis fames perurgebat tempore Eliæ, ac Pharaonis Regis Ægyptiorum; dum verò Deus tempore Eliæ vult viduæ ſubuenire, *Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus.* Regum 3. cap. 17. n. 16. ita vt in manibus eſſet famis leuamen; dum verò Pharao ſuis intendit adhibere remedium, exit edictum à Rege, *vt omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur ſeruetúrque in vrbibus*, Geneſ. 41. num. 35. Sed quare vnuſquiſque non conſtituit ſibi horreum, ſed tantùm ſub poteſtate Regis omne frumentum ſeruatur in auxilium hominum? Vt non in manu veſtra, ſed aliorum habeatis remedium.

QVÆSTIO VIII.

Cuiuſnam Angelici ordinis ſit Gabriel?

D. Thom. Salmeron. Gregor. Dionyſ. Damaſcen. Gregor. Bernard. D. Thom. Caiet. Abulenſ. Suarius.

15. AD primum Seraphinorum chorum pertinere, teſtantur aliqui apud D. Thomam citandum, cum quibus conſentit Salmeron *lib.3. tract.3.* Eſſe ſummum, ac ſupremum Angelum, tenent D. Gregorius Magnus homil. 3. in Euangel. *Summum Angelum venire dignum fuerat*, &c. Et D. Dionyſius *de cæleſti Hierarchia*, *cap. 4. & 8.* D. Damaſcen. *orat. 2. de Aſſumpt.* Tamen eſſe de Archangelorum choro, ad quos ſpectat, ſumma annuntiare, tenent D. Gregorius *homil. 34. in Euangel.* D. Bernardus *lib.5. de conſiderat. cap.4.* D. Thomas 3. *part. quæſt. 30. art. 2. ad quartum, ibi* Caietan. Abulenſis *c. 18. Matth. quæſt. 60.* Suarius *tom. 2. ad 3. p. diſp. 9. ſect. 1.* Et hæc eſt verior ſententia. Sed quare non dicitur: Miſſus eſt Archangelus? Reſpondeo, quòd Angeli nomen eſt officij, id eſt, eſſe miſſum. Secundò. Archangeli nomen naturæ nobilitatem indicat; nomen verò Angeli ſignificat eſſe miſſum: & Gabriel magis gloriatur de eo, quòd dicitur miſſus, ac ſeruus Dei, quàm de nobilitate, ac ſplendore naturæ. Eſt enim inter omnia præſtantiſſimum, inter ſeruos Dei annumerari.

Magna nobilitas ſeruire Deo.

QVÆSTIO IX.

Quare potius Gabriel, quàm alius mittitur Angelus?

Hieron. Gregor. Proclus. Idem. *Res magnæ nō ſubitò proponendæ.* Damian.

RESPONDEO primò, quòd Gabriel, vt docent D. Hieronymus *in cap. 8. Daniel.* & D. Gregorius *homil. 34.* idem eſt, ac Dei fortitudo; rectè ergo ad hoc munus eligitur, vt annuntiet Chriſtum, qui dicitur fortis: *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens.* Virtute enim diuinitatis victoriam conſecutus eſt à Dæmone. Secundò Proclus. Gabriel, ideſt, vir Deus, ſeu Deus homo, ſeu nobiſcum Deus. Proclus *hom. de natiuit. Domini*, quæ habetur *tom. 6. Concilij Epheſini, cap. 7.* acutè ait: *Et quid Grabiel, quæſo, interpretatum ſonat? Audi, & diſce; vtique idem ſonat, quòd Deus homo, quo diſpenſationis myſterium facilius perſuadeat, rei miraculum nominis ratione anticipat.* Meritò mittitur Gabriel, qui ſignificat idem, ac Deus homo, vt anticipata ſui nominis fama ad tantum myſterium ſuſcipiendum humanæ aures aſſueſcant; res enim magnæ & inauditæ, non ſubitò proponendæ, ſed paulatim humana mens debet præmiſſa fama emolliri, vt viſa re familiùs perſuadeatur. Tertiò. Cardinalis Petrus Damian. *orat. 1. de natiuit.* exiſtimat Gabrielem eſſe Angelum cuſtodem Virginis; ergo conuenientiſſimè ad hoc munus electus eſt, nam ſicut ipſe peruigili ſolicitudine cuſtodiendo, Virgini inſeruiebat, ita honorem, qui ex Virgine ad Angelos obuenire poterat, primò participare debebat. Quartò. Incarnationis myſterium per Gabrielem promiſſum, & explicatum eſt, *Daniel cap. 9. num. 21.* Congruebat ergo, vt per eundem eſſet Virgini intimatum, vt ponderat D. Iulian, Archiep. Tolet. lib. 2. contra Iudæos in initio. *Iam ergo*, ait, *manifeſtum eſt, quòd vnus, idemque Angelus Gabriel fuerit, qui & præfixa illa tempora Danieli de Chriſti Natiuitate aperuit, & partum Virginis præſentem eſſe monſtrauit; ad tempus ita que præfinitum occurrit, & olim à ſe dicta, operis efficientia completa eſſe conuincit.* Optimè diſpoſitum eſt, vt fides, ac verbum à Gabriele datum in operis executione poſitum demonſtraret, vt ſemetipſum à promiſſione liberaret. Quintò. Hæc eſt diuina conditio, vt ſi quemdam incipiat honorare, ſemper ad altiora promoueat, & dum fidelem miniſtrum inueniat, eius functiones alterius interuentu non impediat. 16.

Iulian. *Promittens ſoluat debitum.* *Deus miniſtrum fidelem in ſuo munere non impedit.*

Miniſter expertus. Franconius.

Sextò, & moraliter. Gabriel multas iam functus eſt legationes, ad Danielem, ad Zachariam, ac ad beatam Annam, vt tenet communis ſententia: ergo aptiſſimè ad hoc munus eligitur; nam etiamſi alij eſſent Angeli ſuperiores, tamen de fidelitate, ac ſolertia Gabrielis magnum dabatur experimentum. Franconius Abb. tom. 6. de gratia. *Eligitur*, ait, *nuntius vnus ex multis militibus, tanto Rege dignus, tanto myſterio idoneus, tam* 17.

1. Reg. 28. Abulenſ. Text. Græc.

amicæ, legationis peritiſſimus. Vt inde tu diſcas, quòd in negotiis magni ponderis, non tantum agas de miniſtro præclaræ auctoritatis, quantum de illo, cuius fidelitas iam eſt probata, per omniaque tentata. Cùm in magno periculo Saul eſſet conſtitutus, à Pythoniſſa expoſtulauit: *Suſcita mihi Samuelem*, 1. Reg. 28. num. 11. Sed quare potius Samuelem, quàm Abrahamum, Iſaac, vel alium deſiderauit? Abulenſis ibidem quæſt. 27. *Voluit Samuelem*, ait, *quia ipſe prædixerat ei omnia, quæ futura erant ſibi.* Quamuis enim alij eſſent Patres, ac populi capita, & inde in maiori opinione conſtituti; ipſe tamen Samuelem flagitauit, qui neceſſaria prædicere ſolitus erat, ac de cuius veritate magnum experimentum habebat. Cùm Iacob profectus tenderet in Ægyptum ad filium ſuum Ioſeph, miſit Iudam ante ſe ad Ioſeph, vt nunciaret ei, & occurreret in Geſſen, *Geneſ. 46. num. 28.* Sed cur Iacob ad hoc non deſtinauit Ruben maiorem natu, vel alterum è ſuis filiis? Sed Iudam, qui contra Ioſeph conſilium dederat? Iacob optimum habebat de Iudæ fidelitate experimentum, & quantum conatus eſt ſeruare Beniamin, ita vt ipſe pro eo ſeruituti ſe offerret, *Geneſ. 44. num. 33.* Ideo ad hanc tanti ponderis eligitur legationem, quæ fidelem, & expertum optabat miniſtrum. Textus Græcus apud Lyppomanum. *Ea cauſa id fecit, quia prudentiam Iudæ filij iam expertus erat, cùm excuſationem ageret de adducendo Beniamin ad Ioſeph.*

QVÆSTIO X.

In qua ſpecie Angelus apparuit?

Hieron. Auguſt. Ambroſ. Origen. Laurent. Claudian. D. Thom. Alb. Magn. Suarius. Barradas. *Virgo vidit eſſentiam Angeli.*

18. RESPONDETVR, quòd humana, ac ſenſibili ſpecie indutum, pulcherrima, ac decora facie, & candida veſte ornatum ſe præbuit. Ita Diuus Hieronymus *epiſtola ad Euſtochium*, Diuus Auguſtinus *ſermone 14. de Natiuitat.* Diuus Ambroſius *lib. 1. de officijs*, Origenes *homilia 4. in Lucam*, Diuus Laurentius Iuſtitianus *ſerm. de Annuntiat.* Claudianus *lib. 3. de ſtatu animæ, c. 5.* Iſte enim modus erat ſuauior, & humanæ naturæ congruentior. Et omnes apparitiones antiquis Patribus factæ, viſibili ſpecie ſe habuerunt. Deinde valde conueniens erat, vt Deus incarnandus per Angelum apparenti corpore indutum annuntiaretur. Dubium tamen hîc eſt, an Beatiſſima Virgo non ſolùm viderit corpus ab Angelo aſſumptum, ſed etiam ipſam in ſe ſubſtantiam angelicam? Negat D. Thomas 3. *par. quæſt. 30. art. 3. ad primum.* putat enim, hoc conſentaneum non eſſe ſtatui viatoris. Affirmat verò Auctor quæſtionum ad Antiochum *quæſt. 12.* quæ tribuuntur Anaſtaſio, Albertus Magnus *ſuper Miſſus, cap. 149.* Suarius *tom. 2. ad 3. par. diſp. 9. ſect. 2.* Barradas *hîc*, & alij. Ratio eſt, quia clara Angeli cognitio potuit Beatiſſimæ Virgini communicari; ſicut de Eſſentia diuina communiter conceditur; ergo valde probabile eſt, hoc priuilegium datum fuiſſe Beatiſſimæ Virgini, dum in vita erat; igitur ad cognitionem hanc in tanti myſterij annuntiatione eſt valde veriſimile eſſe eleuatam.

QVÆSTIO XI.

Quare Angelus non loquatur ex aëre cum Virgine?

Baſilius. *Ob Virginis ſocietatem cælum relinquitur.*

POTERAT Angelus ex aëre legationem ſuam Virgini exponere, ſicut legimus cum Abrahamo feciſſe, ſed relinquendo cælum ingreſſus eſt ad Virginem veluti humano modo deambulando? Reſpondet primò D. Baſilius Seleucus orat. 1. *Cùm Gabriel*, ait, *ad Deiparam Virginem miſſus, ad inferiora hæc deſcendebat, cælos vti que à tergo relinquebat.* Ac ſi dicat, quòd vbi Angelo data eſt facultas accedendi ad Virginem, ita ab eius conſpectu, ac ſanctitate captus eſt, vt cæleſtia tergo darentur, ad hoc vt ad ipſam appropinquaret. Tertiò. Gabriel agnoſcebat Virginem, vt Dominam, ac reginam Angelorum, ſi ab aëre loqueretur, eſſet veluti in loco eminentiori; domum ergo ingreditur, ac coram ipſa genuflectitur, vt explicat Eccleſiæ pictura, vt ipſam tanquam Imperatricem, ac Domini ſui matrem veneraretur, atque adoraret, & ideo Abrahamo loquitur ex aëre, *Geneſ. 22. n. 11.* at verò Virgini genuflectens ante eam, vel quia Angelus habuit pro ſingulari honore quod in Virginis domo ingrederetur. Vide *cap. 6. quæſt. 20.* 19.

QVÆSTIO XII.

Quare vigilanti Virgini Angelus appareat?

Chryſoſt.

ANGELVS non locutus eſt ad Virginem in ſomniis, ſicut dupliciter apparuit beato Ioſeph, *Matth. 2. n. 13 & 19.* Reſpondet primò Chryſoſtomus relatus in catena D. Thomæ. *Ad Virginem*, ait, *alloquitur, non in ſomnijs; imò viſibiliter aſſiſtit, nam quaſi magna valde relatione, egebat ante rei euentum viſione ſolemni.* Tanta enim res, non in ſomno, ſed magna conſideratione tractanda erat. Secundò. Angelus beato Ioſeph intimauit præceptum, *Surge, accipe puerū*; at à ſanctiſſima Virgine exquiſiuit conſenſum, & vt manifeſtum eſſet, hunc perfectiſſimum fuiſſe, non cùm dormiret, ſed dum excubias ageret, tantum myſterium aperiendum fuit. Tertiò. Beato Ioſeph expoſuit Angelus mandatum, & imperium ſummi Dei; ſanctiſſimæ Virgini altum opus amoris, & res maieſtatis, ac poteſtatis, permittit dormire, quod amoris negotium negat, imò totum hoc refugit. 20.

QVÆSTIO XIII.

Quare concipiatur in Galilæa?

Hieron. Cyrill.

SVPPONO ex D. Hieronymo *lib. de locis Hebraicis*, D. Cyrillo Alexandrino *lib. 2. contra Iulianum.* duplicem fuiſſe Galilæam, vnam inferiorem, ſuperiorem alteram. Inferior erat ad Meridiem, & habitabatur à tribu Zabulon, vbi erat mare Tiberiadis, & ciuitas Nazareth. Superior verò ſita erat versùs Septentrionem; 21.

nem, & incolebatur à tribu Nephthalim. Ad quæſtionem, quare voluit concipi in Galilæa, & non in alio loco, vel in aliquo agro? Reſpondet primò Hugo Cardinalis. *Rectè ergo in ciuitate voluit concipi Dominus, quia omnes homines ad vnitatem Eccleſiæ reducere veniebat, vt vnam faceret ciuitatem.* Secundò. Quia Galilæa erat coniuncta Tyrò, & Sidoni, ac proinde finis Prouinciæ Iudææ, vt ait hîc D. Bonauentura; & ideò habitabant in ea ſimul Iudæi, & gentes, vt teſtatur Ioſephus *lib. 3. de bello Iudaico. cap. 4.* Strabo *cap. 4.* Et ideo ait Iſaias 9. n. 1. *Aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium.* Hac de cauſa celebratur hîc myſterium hoc, ad ſignificandum Verbum fieri carnem ad ſaluandum vtrumque populum, & ad copulandum illos in vnum.

Hugo. Bonauent. Ioſeph. Strabo. Iſai. 9.

22\. Tertiò. Ex multiplici ſignificatione nominis Galilææ; ſignificat enim primò idem, quod terminus, vt tenent aliqui apud D. Hieronymum ad citatum proximè locum Iſaiæ, Meritò ergo ibi fit Deus homo, ad innuendum hoc myſterium eſſe terminum diuinæ Omnipotentiæ; ita vt intenſiuè non poſſit dari maius opus, vt tenent communiter Theologi cum D. Auguſtino *ſermon. 3. & 15. de tempore.* Vel quia Chriſtus Dominus erat terminus totius legis, ad Rom. 10. num. 4. *Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Secundò. Galilæa idem eſt, quod Tranſmigratio, quam etymologiam tenet D. Gregorius *homil. 21.* Quia per hoc myſterium natura humana tranſmigrauit ad ſuppoſitum Verbi, & omnia bona cæleſtia ad hominem, tranſmigrarunt. De quo D. Bernardus *ſermon. 2. de natiuitate.* Et natura humana ex ignorantia tranſmigrauit ad cognitionem cæleſtium myſteriorum, & ad omne bonum. Tertiò *Galilæa* idem eſt, ac latinè rota, ſeu reuolutio, deriuatur enim à verbo Hebraico *rotare*, ſeu *reuoluere*; & hanc etymologiam ſequitur D. Gregorius Nyſſenus *orat. 2. de Reſurrect.* Ex qua deriuatione ſumitur alia ratio, ob quam Chriſtus Dominus voluit concipi in Galilæa, vt ſignificetur, quantæ reuolutiones ex hoc myſterio ſecutæ ſunt. Iudæorum populus, qui vt filius habitus erat, repudiatus eſt; & Gentiles, qui erant neglecti, in locum dilectiſſimorum prælecti ſunt, idola, quæ venerabantur, deiecta, Crux, quæ abiecta, vbique honorata, & adorata; & alia quamplura ſimilia.

Hieron. *Incarnatio ſummum Dei opus.* Auguſt. Rom. 10. Gregor. Bernard. Greg. Nyſſ.

Qvæstio XIV.

Quare Nazareth eligatur ad Verbi Incarnationem?

23\. Reſponderi poteſt primò, ex Beda lib. de locis ſanctis, cap. 16. *Nazareth,* ait, *muros non habet.* Ideo in ea generatur Rex cæli, & terræ; verus enim Rex debet eſſet in loco pareti, & manifeſto, ita vt nullum detur impedimentum, quominus ſui poſſint ad eum accedere. Et ideo dicitur *flos campi,* Cant. 2. de quo ſtatim. Secundò. Nazareth locus paruus, & abiectus erat: vnde dixit Nathanael, *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Ioann. 1. num. 25. Hugo. *In hoc, quòd humilem locum elegit, humilitatem commendauit, & nos docuit, vt nos illa loca eligamus, quæ poſſunt de nobis magis, quàm nos de ipſis gloriari.* Et poſt pauca ſubdit. *In Nazareth ciuitate parua concipitur, & nutritur: in Hieruſalem ciuitate ſublimi patitur, & crucifigitur; quid hoc? niſi quia ſalus in humilitate cuſtoditur, in ſublimitate periclitatur. Maria in Nazareth concipit Ieſum, in Hieruſalem amiſit Ieſum.*

Beda. *Rex in loco manifeſto.* Cant. 1. Ioan. 1. Hugo. *Salus in humilitate cuſtoditur.*

24\. Tertiò D. Bernardus ſerm. 3. de Annuntiat. *Miraris,* ait, *quòd Nazareth parua ciuitas, & tanti Regis nuntio illuſtratur, & tanto? Sed magnus latet in hac parua ciuitate theſaurus. Nouit cælum vnigenitus Dei Patris, ſed nouit cælum, nouit & Nazareth: cœlum ex Patre, Nazareth ex Matre ſibi vendicauit.* Duo innuit S. Pater. Primum, quòd Chriſtus Dominus, cùm habeat cælum à Patre, & Nazareth à Matre, pro cognomento dicitur Nazaræus, *Matth. 2. n. 23. Ioann. 9. n. 19.* Quia illud paruum, quod habebat à Matre, in magna æſtimatione, ac veneratione ei erat, ita vt ab illo nominaretur. Secundò. In terris elegit ſibi pro patria locum ignobilem, & contemptibilem, qui pro habitaculo ſibi creauit cælum valde ſpacioſum. Vt videas diuinam mentem, quod in cæleſtibus partem magnam; in terrenis ſibi paruam aſſignauit.

Bernard. *Gloriatur de eo, quòd à Matre.* *In cælis magnum, in terra paruum.*

25\. Quartò. Ex ſignificatione huius nominis *Nazareth,* cuius ſex interpretationes tradit Franciſcus de Mayron *ſuper Miſſus eſt;* ſignificat enim ſanctitatem, conſeruationem, vnctionem, munditiam, cuſtodiam, ac florem. Et quamuis hæc omnia Chriſto Domino optimè conueniant; prima tamen, & vltima ſunt communiores. Et quòd Nazareth idem ſit, ac conſecrare, ſanctificare, ſeu ſeparare, tradunt Euſebius *lib. 7. de demonſtrat. Euangel. cap. 7.* D. Gregorius Nazianzenus *orat. de funere patris ſui;* & viri religioſi dicebantur Nazaræi. Meritò ergo hîc locus conuenit Conceptioni Chriſti, qui totus eſt ſanctificatus, & conſecratus Deo, ac ſeparatus ab hominibus, *ad Hebr. 7. num.* 26. Nec enim in alio loco Deus concipi debuit, niſi in loco mundiſſimo. Theophylactus. *Vbi enim Deus, ibi nihil impurum, nihil non ſanctum.*

Euſebius. Nazianz. *Vbi Chriſtus, ibi puritas.* Theoph.

26\. Quintò. Nazareth, ideſt, flos, quam ſignificationem ſequuntur D. Bernardus *ſuper Miſſus eſt.* D. Bonauentura *hîc.* Anderas Epiſcopus Hieroſolymitanus *ſermon. de Annuntiat.* & communiter Recentiores. Et meritò talis patria Chriſto Domino congruebat. Primò. Quia ſicut flores ſpem certam nobis fructus ingerunt; vnde apud priſcos Romanos, vt ſpes præfiguraretur, duo lilia depingebantur hac litera, *Auguſta ſpes;* ita Chriſtus Dominus, de cuius aduentu dictum erat: *Flores apparuerunt in terra noſtra,* Cantic. 2. num. 12. vniendo ſibi humanam naturam, certam ſpem ſalutis nobis præbuit. Secundò. Quia ſicut flos, dum vireſcit, ac integer manet, non coaleſcit in fructum, niſi cùm deſtruitur; ita Chriſtus Dominus verus flos, vt daret fructum ſanctificationis animarum noſtrarum, neceſſarium fuit iuxta hunc ordinem rerum, mori, & interire, iuxta illud: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert,* Ioan. 12. num. 24. Ad hunc ſenſum inclinat D. Ambroſius *l. de Spiritu ſancto, c. 5.* Tertiò. Bruta animalia flores conterunt, ac pedibus calcant; cordatus verò homo colligit, ac in eis delectatur; ſic Chriſtus à peccatoribus, qui beſtiarum more vitam degunt, contemnitur, à Sanctis verò vene-

ratur,

Bernard. Bonauent. Andr. Epiſc. *Chriſtus ſpes noſtra certa.* Cant. 1. *Prudentes Chriſtũ adorant.* Ioan. 12. Ambroſ.

ratur, ac honore afficitur: & ideo dicitur flos campi, & non hortorum. Quartò. Nomen floris quadrat Chriſto Domino ob pulchritudinem, ſuauitatem, ac odorem, quæ in totum terrarum orbem diffundit. Ita D. Auguſtinus *lib. de ſalutaribus documentis, cap. 34. tom. 4.*

Auguſt.

Lucæ 1. n. 27. Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria.

Versiones.

Chryſoſt. homil. 2. in Matth.	Cui nomen erat Ioſeph de domo, & familia Dauid, *&c.*
Theophyl. ex impreſ. Pariſ. 1566.	Ad virtutem deſponſatam viro, *&c.*
Mariana ex Syriaco.	Ad Virginem venditam.
Ex Hebr. iuxta D. Hieron. in Tradit. Hebr. in Geneſ.	Ad abſconditam deſponſatam viro.

Expositio.

27\. Hactenvs de actore legationis, ac eius miniſtro, egit Euangeliſta, nunc ad ſanctiſſimam Virginem, ad quam deſtinata fuit legatio, conuertit ſermonem; & vt veritas conſtet, maximè quæ ad eam ſpectant, explicat; nomen ſcilicet Mariam, eius qualitates, nempe eſſe Virginem, & deſponſatam, ac nomen viri exprimit, de cuius excellentiis multa dicam *cap. vlt. huius lib.* ac tandem eius progenies deſcribitur. *De domo Dauid;* cui diuina promiſſio facta erat, *Pſalm. 131. Iſai. 9.* Nota hîc elegantem ordinem verborum, priùs dicitur de Deipara, quòd ſit Virgo, & poſtea deſponſata. Hugo; *Vt oſtendatur virginitas nuptijs præferenda* Secundò, quòd Ioſeph non appellatur hîc homo, ſed vir, quod virtutem, ac robur animi indicat. Tertiò, quòd quamuis legatio ad Virginem mittatur, tamen prius explicat nomen viri, quàm illius. Etſi enim multo maior ſit ſanctitas Deiparæ, quàm Ioſeph, tamen quantum ad matrimonium caput vxoris vir. Quartò, quòd illa lectio Theophylacti, pro *Virgine* poſuit *virtutem,* quamuis non legatur in aliis codicibus eiuſdem, non fuit prætermittenda, cùm maximè declaret eius ſanctitatem, ita vt dicatur ipſamet virtus, vt dixi *cap. 3. num. 30. & 31.* Deinde dicitur è domo Dauid, vt oſtendatur, quòd quamuis pauperes, tamen nobiles. Illud autem, *de domo Dauid,* refertur ad Ioſeph, ex quo oſtenditur origo Mariæ. Mariana. Pro ſponſata legit venditam; nam olim viri dotabant, & quaſi emebant ſponſas, 1. *Regum* 18. *num.* 25. *Oſeæ* 3. *num.* 2. & ſic erant obedientes. Virgines etiam dicebantur abſconditæ, quia valde ſeparatæ erant ab hominibus.

Hugo. Theoph. Mariana.

Qvæstio XV.

Quare non creetur noua caro ad vnionem Verbi?

28\. Poterat Deus nouam carnem è limo terræ producere, ad eam ſibi vniendam, ſicut efformauit corpus Adami; ſed quare noluit? Reſpondet primò D. Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 18. in princip. *Poterat Deus,* ait, *hominem aliunde ſuſcipere, non de genere iſtius Adami, qui ſuo peccato obligauit genus humanum; ſed melius iudicauit, vt de ipſo, quod victum fuerat, genere aſſumeret hominem, Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.* Voluit ergo Deus per naturam victam vincere, iuxta illud Pauli ad Roman. 8. n. 3. *De peccato damnauit peccatum in carne.* Quæ ratio eſt communis Patrum, Tertulliani *lib. de carne Chriſti.* Chryſoſtomi *ſerm. 13. in epiſt. ad Rom.* S. Thom. *3. p. q. 4. art. 6. in corp.* Non ſolùm affectauit Deus, hominem perditum reſtituere, ſed etiam voluit ipſum honorare, eius aſſumendo naturam. Secundò. Vt victoria Verbi eſſet glorioſior, dum Diabolus per debilem naturam vincebatur, quo enim infirmius belli inſtrumentum, eo victoria illuſtrior. Notat Chryſoſtomus, diuina prouidentia factum eſſe, vt Saulis arma Dauidi non adaptarentur, vt ipſe parta victoria, non lancea, ſed funda; magis nobilitaretur. Tertiò. Ad oſtendendam diuinam iuſtitiam, vt ille homo ſolueret qui debitor erat, & in illa carne fieret ſatisfactio, in qua facta fuerat iniuria. Ita D. Irenæus *lib. 3. cap. 31. & lib. 5. cap. 21.* D. Leo Papa *ſerm. 3. de Natiuitate.* D. Thomas *citato loco.* Quartò. Vt oſtenderet, ſe eſſe creatorem, ſi quidem per ipſam victam naturam, eam reſtaurauerat, ſi aliam denuo creaſſet, non defuiſſent impij hæretici, vt Marchionitæ, aſſerentes, alium eſſe creatorem, alium redemptorem. Ita D. Irenæus *lib. 5. cap. 59.* Chryſoſtomus *ſerm. 13. in Roman.* Quintò. Ad maiorem diuini amoris oſtenſionem, vt Deus carnem noſtram aſſumendo, non ſolùm bona ſuà nobis communicaret, ſed etiam mala noſtra, id eſt, noſtras infirmitates, in ſe ſuſciperet, quantum honeſta ratione fieri poterat.

Auguſt. Rom. 8. Tertull. Chryſoſt. S. Thom. *Glorioſa victoria per debile inſtrumentum.* Irenæus. S. Leo. D. Thom. Irenæus. Chryſoſt.

Qvæstio XVI.

Quare ex muliere caro aſſumatur?

29\. Decrevit Deus humanam naturam ſibi vnire ex muliere, & non alicuius hominis naturam ſibi aſſumere, eius creatam ſubſiſtentiam corrumpendo, ſicut fieri potuit. Reſpondeo primò, quòd ſicut à fœmina exordium habuit hominis perditio, ita etiam voluit, vt ab illa initium ſumeret reſtauratio. Ita D. Bernardus *ſerm. 2. de Pentecoſt.* D. Auguſtinus *ſerm. 13. de Natiuit.* Innocentius Papa *ſerm. 2. de Aſſumpt.* Chryſologus *ſerm. 2. de Annuntiatione.* Hugo, cuius hæc ſunt verba: *Cùm de viro produxiſſet fœminam in perniciem, de fœmina virum producere voluit in ſalutem, vt quæ fuerat principium humanæ damnationis, eſſet principium reparationis.* Secundò. Vt vterque ſexus nobilitaretur, ſecus virilis in

eo

Bernard. Auguſt. Innoc. Pap. Chryſol. Hugo.

eo honoratus, quòd virilem humanitatem ſibi aſſumpſerit; fœmineus in eo clarificatus, quòd ex eo caro accipitur. Ita D. Auguſtinus *lib. de fide, & ſymbol. cap.* 4. Tertiò. Vt ſanctiſſimam Virginem haberet in matrem, ac eius filius eſſet, ac diceretur, vt ex Patribus ſuprà retuli *cap.* 3. & infrà dicam. Quartò. Vt obſeruaret connaturalem, & conſuetum modum humanæ naturæ, quantum ei licitum erat, & ſuæ infinitæ perfectioni non repugnabat. Ita Sophonius *in epiſtola Synodali*, quæ refertur in VI. Synodo *act.* 11. Damaſcenus *lib.* 4. *cap.* 15. Ordinarius autem modus eſt, ex fœmina naſci, & procreari. Quintò. Humana natura exaltanda erat Reſurrectione, & Aſcenſione: voluit ergo non adultam naturam ſibi aſſumere, ſed experiri eius infirmitates, ab exordio naſcendo, & pueritiam agendo.

Auguſt. Sophon. Damaſcen.

QVÆSTIO XVII.

Quare naſcatur ex Virgine, & non ex corrupta?

30. MVLTÆ ſunt rationes congruentiæ. Prima, quia Deo conueniebat tam admirabili modo maieſtati ſuæ conſentaneo naſci ſine læſione matris. D. Ignatius Martyr in epiſtola ad Heronem: *Decebat namque*, ait, *eiuſmodi partus ex ſola Virgine Deum; decebat creatorem, non conſueto, ſed peregrino, & admirando vti partu, vtpote omnium opificem*, &c. Similiter D. Leo *ſerm. de natiu.* D. Chryſoſtomus *homil. 49. in Geneſ.* Secunda. Primus Adamus de terra virginea, nec dum manibus hominum tractata conditus eſt; ita ſimiliter decuit, ſecundùm Adam de Virgine intacta generari. Ita D. Irenæus *lib. 3. cap.* 31. D. Auguſtinus *ſerm. de natiuit.* Tertia. Decebat incorruptionis largitorem ipſum donum matri ſuæ communicare. D. Gregorius Nyſſenus in orat. de Chriſti natiuitate: *Decebat eum*, inquit, *qui propter integritatem, & incorruptibilitatem vniuerſitatis in humana vita verſatus eſt, initium facere ab ea, quæ natiuitati eius inſeruiret.* Vnuſquiſque beneficium à ſuis, atque ab eis, qui illi famulantur, debet inchoare. Quartò. Vt perditio, & reſtauratio ſibi ordinem ſeruent: perditio à muliere Virgine, vt tunc erat Eua, vt eſt communis ſententia, incepit; etiam reſtauratio à muliere Virgine initium habeat. Ita D. Iuſtinus *in Dialog. cum Tryph.* Tertullianus *lib. de carne Chriſti.*

Ignat. Leo. Chryſoſt. Irenæus. Auguſt. Greg. Nyſſ. *Beneficium à ſuis incipiendum.* Iuſtin. Tertull.

31. Quintò. Vt ſicut ab æterno Verbum in cælo ex Patre ſine corruptione genitum eſt; ita decuit in terris ex matre ſine corruptela gigni. Ita D. Damaſcenus *lib. 4. fidei, cap.* 45. Ratio ſexta. Vt ſe oſtenderet virginitatis amatorem. D. Ambroſius *epiſt. 81. ad Syriacum.* D. Gregorius Nazianzenus *in carm. de Virginitate.* D. Auguſtinus ſerm. 7. de Natiuitate: *Diligamus*, inquit, *caſtitatem, quia vt hanc ſibi placere Deus indicaret, pudicitiam vteri virginalis elegit.* Virginitas autem, quæ à Deo eligitur, eſt virginitas Mariæ; de qua ait D. Bernardus homilia 2. ſuper Miſſus eſt: *Erat Virgo mente, & corpore; vnum enim ſine altero minimè placet Deo.* Septimò D. Ambroſius *hîc*, dum rimatur cauſas, ob quas Virgo eligitur, ait: *Quid, quòd etiam fides Mariæ verbis maior adſciſcitur, & mendacij cauſa remouetur.* Myſterium Incarnationis creditur difficiliter, vt dictis Mariæ fides detur, Virgo præeligitur: nam ſicut luxuria in dictis arguit mendacium; ita puritas in aſſertione veritatem indicat, & magno auctoritatis vigore teſtimonium confirmat.

Damaſcen. Ambroſ. Nazianz. Auguſt. Bernard. *Vera virginitas interior, & exterior.* Ambroſ. *Puritas corroberat veritatem.*

32. Octauò. Chriſtus Virgo voluit matrem habere Virginem, quia dum homines virginitatem, ac caſtitatem in tantam elatam vidiſſent ſublimitem, eam amplecterentur. Ita D. Gregorius Nazianzenus orat. 20. de laudibus Baſilij: *Chriſtus Virgo*, inquit, *ex Matre Virgine gignitur, virginitatem velut lata lege ſanciens.* Exemplum enim magnatum maximè prouocat, & excitat; ita namque intelligo illud, *lege ſanciens.* Nonò. Virgo in matrem eſt deſignata, vt oſtendatur, ipſam ab æternitate præparatam fuiſſe, & non caſu inuentam. D. Bernardus homil. 2. ſuper Miſſus eſt: *Ad Virginem*, ait, *miſſus eſt Angelus, nec nouiter, nec fortuitò inuentam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, ab Angelis ſeruatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promiſſam.* Similiter *hîc* D. Bonauentura. Res magnæ non ſubitò inchoandæ, ſed alta meditatione, & præparatione ſunt faciendæ. Decimò. Ex Virgine matre concipitur Deus, vt ſpem omnium bonorum nobis ingereret. D. Ambroſius lib. 10. epiſtol. 89. *Dominus noſter*, ait, *Ieſus Chriſtus indicauit, homines magis beneficijs alligari poſſe, quàm metu, pluſque charitate proficere, quàm formidine ad correctionem, itaque promiſit gratiam veniens per Virginis partum.* Sicut enim vbi ſunt inquinamenta luxuriæ, omne malum timeri, & formidari poteſt; ita vbi adeſt virginitatis puritas, omne bonum ſperari: vt ergo Chriſtus deſcendens omnem gratiam promitteret, per Virginem venit, in qua omnia bona nobis promittuntur.

Nazianz. *Ad virginitatem nos excitat.* Bernard. Bonauent. Ambroſ. *Vbi virginitas, ibi omne bonum.*

QVÆSTIO XVIII.

Quare Virgo deſponſata eligatur?

33. SVPPONO, tempore ſalutationis Angelicæ inter Beatiſſimam Virginem, & S. Ioſephum, non ſolùm ſponſalia, ſed etiam verum matrimonium eſſe celebratum. Vt contra aliqnos docent D. Chryſoſtomus *homil. 4. in Matthæum*, D. Epiphanius *hæreſi* 78. D. Thomas *3. part. q. 19. artic.* 2. De quo latè dicam *cap. vltim. huius lib.* Quare Chriſtus ex deſponſata voluit naſci, decem, vel vndecim rationes adducunt D. Thomas *2. part. quæſt. 29. artic.* 1. Abulenſis *in cap. 1. Matthæi, quæſt.* 31. Hugo hoc loco, & alij multi. Ex quibus aliquas breuiter pono, & alias addam.

Chryſoſt. Epiphan. S. Thom. D Thom. Abulenſ. Hugo.

34. Prima. Ex parte Chriſti; ne vt illegitimus reputaretur, ac proinde à Iudæis vt Meſſias non crederetur; ſi enim leuiora quædam ad id negandum obiiciebant; quanto magis ſi hoc potuiſſent. Vnde ait hîc Ambroſius, *Quid Iudæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti.* Secunda. Vt eius genealogia conſueto modo deſcriberetur; hîc autem erat per virum, & non per fœminam. Terriò. Vt hoc myſterium Dæmoni eſſet occultatum; nam Diabolus propter vaticinium *Iſaiæ* 7. maximè obſeruabat, an aliqua Virgo conciperet; vt ergo celaretur Diabolo conuenientiſſimum fuit, Virgi-

Ambroſ.

nem eſſe deſponſatam, vt Chriſtum putaret, non ex Virgine, ſed ex Ioſepho generatum. Ita D. Hieronymus ex Diuo Ignatio *in 1. Matthæi.* D. Baſilius *de Chriſti generatione.* D. Damaſcenus *lib. 4. fidei cap.* 15. D. Ambroſius *lib. 2. in Lucam.* D. Bernardus *homil. 4. in vigilia natiuitatis.* Sed contra hoc ſtat difficultas, quòd integritas virginalis, ac generatio ſunt res corporeæ, quæ non ſolùm homini patent, ſed etiam Angelus intuetur. Reſpondetur cum Diuo Thoma *citato art. 1. ad* 3. Dæmon non ſemper omnia intuetur, & Deo permittente, & volente non aduertit, cernens illam eſſe coniugatam. Sed inſtat Scotus *in 4. diſtinctione 30. quæſt.* 2. quòd, ſtante deſponſatione, Dæmon exiſtimauit Virginem concepiſſe ex Ioſepho, ita ſi non eſſet deſponſata, exiſtimaret ex aliquo alio generaſſe: ergo non fuit neceſſarium eſſe ductam in matrimonium. Refellitur inſtantia primò. Quia maior erat occaſio decipiendi Dæmonem, dum ipſa eſſet deſponſata. Secundò, quia Diabolus magnam de ſanctitate Virginis habebat opinionem, numquam prauum motum vidit excitari in ea, numquam aliquod proferre otioſum verbum, nullam edere actionem ſuperfluam: ergo ſi vidiſſet, quòd non deſponſata generaſſet, potiùs Diabolus ſibi perſuaderet, quòd per miraculum concepiſſet, quàm quòd pudicitiam violaſſet. In tantum puritas Mariæ etiam à Dæmone reputabatur.

Hieron. Ignat. Baſilius. Damaſcen. Ambroſ. Bernard. D. Thom. Scotus. *Puritas Mariæ maximè reputatur etiam à Dæmone.*

35. Quarta, & ex parte Beatiſſimæ Virginis. Vt opinioni, ac famæ Beatiſſimæ Virginis conſuleretur; ne homines iudicarent, de ſtupro concepiſſe: vnde Chriſtus voluit potiùs reputari filius Ioſeph, quàm honorem Virginis in diſcrimen adducere. Et ſic ait Diuus Ambroſius. *Maluit autem Dominus, aliquos de ſui ortu, quàm matris pudore dubitare.* Mulieris fama delicata, qualibet aura leui maculatur, & ideo omnis ſuſpicio etiam fictitia amputanda. Quinta. Vt Ioſeph eſſet cuſtos Beatiſſimæ Virginis, ac ſocius in quotidianis miniſteriis. Ita D. Hieronymus *in Matth.* 1. Sexta. Vt Beatus Ioſeph eſſet fideliſſimus teſtis virginitatis Mariæ. Ita D. Ambroſius *hîc*, D. Bernardus *homil. 2. ſuper Miſſus eſt.* Septima. Quia futuri erant aliqui hæretici aſſerentes, Virginem eſſe Deum, ac alterius ſubſtantiæ à noſtra, vt teſtatur Diuus Epiphanius *hæreſi* 78. Ergo conueniens fuit, eſſe deſponſatam homini, vt eiuſdem ſubſtantiæ cum illo eſſe intelligeremus. Ita D. Athanaſius Epiſtol. ad Epict. *Gabriel*, ait, *ad illam ipſam legatur, neque ſimpliciter ad quamuis Virginem; ſed ad Virginem deſponſatam viro, vt ex ſponſo oſtenderet Mariam verè hominem eſſe.* Octauò Cardinalis Hugo. *Altera cauſa*, inquit, *ne fatuis virginibus daretur cauſa, vel occaſio excuſandi de infamia, dicendo, quòd mater Chriſti infamata fuerit.* Vnde commune eſt diffamatis mulieribus, licentioſum ſuum viuendi modum, ac deprauatum nomen excuſare, prætendentes aliàs pudicas mulieres infamiæ notam, ac vulgi rumores non euadere; & ne poſſent dicere, quòd etiam puriſſima Virgo huiuſmodi mundi opiniones non effugerit, ideo deſponſata eligitur, vt nulla poſſet eſſe de ea ſiniſtra opinio, ac vt omnis luxuriæ excuſatio abigatur.

Ambroſ. Hieron. Ambroſ. Bernard. Epiphan. Athan. Matth. 1. Hugo. *Mulier diffamata omnes vult diffamari.*

36. Nonò. Ne Beatiſſima Virgo lapidaretur à Iudæis tamquam, ſi adulterium commiſiſſet. Ita D. Hieronymus *in 1. Matth.* Origenes *homilia 1. in diuerſos.* D. Thomas *citato artic.* Hanc tamen rationem impugnant aliqui cum Tolet. *annot.* 55. Quia in veteri Teſtamento non inuenitur tale ſupplicium latum contra ſtuprum; nam *Leuitici 21. num.* 9. Virgo filia Sacerdotis, quæ ſtuprum committebat, flammis comburebatur; at verò Beatiſſima Virgo Sacerdotis filia non erat. Secundò, quia videtur quædam repugnantia; quomodo enim poterat eſſe adultera, ſi deſponſata non eſſet? Ratio tamen tot grauiſſimorum Patrum veneranda eſt. Ad primam difficultatem dic primò, quòd aliqui apud Abulenſem *in 1. Matth. quæſt.* 31. dicunt, quòd dictum D. Hieronymi intelligendum eſt de lapidatione infamiæ, ſcilicet quòd infamaretur à Iudæis, & hoc erat illam lapidare. Secundò. *Deuter. 22. num.* 21. præcipiebatur, quòd ſi Virgo deſponſata inuenta eſſet à viro ſuo deflorata, lapidaretur; quòd habebat locum, non ſolùm in deſponſata, ſed etiam in illa, quæ erat in domo patris ante deſponſationem. Ita D. Thomas *citata quæſt. 29. artic. 1. ad* 4. Abulenſis *loco citato.* Tertiò. Addo, quòd Beatiſſima Virgo, vt hæres paternalium bonorum, tenebatur ex lege, vt dixi *cap. 2. quæſt. vltima*, deſponſari cum Beato Ioſeph, tamquam propinquiori; ergo ſi inuenta fuiſſet virginitatem violaſſe, lapidanda erat. Ex quo patet ſolutio ad ſecundam difficultatem. Decimò. Vt Beatiſſima Virgo ex magna humilitate, ac deſponſatione fabri exaltaretur ad ſublimitatem Matris Dei. Ita D. Bernard. *homil. 2. in Miſſus eſt.* Albertus Magnus, qui ita ait: *Vt Matris dignitas humilitati ſocietur: vt quanto maior ſit in omnibus, tanto fiat humilior, vt ſit Mater Dei, & vxor fabri.* Alias rei rationes vide *cap. 10. quæſt.* 2.

Hieron. Origenes. S. Thom. Leuit. 21. Abulenſ. D. Thom. Abulenſ. Bernard. Alb. Mag.

QVÆSTIO XIX.

De ſanctiſſimo nomine Mariæ?

37. SANCTISSIMVM Mariæ nomen diuinitus fuiſſe acceptum, tradunt Author *lib. de ortu Virgin.* inter opera D. Hieronymi, Gerſon *ſer. de natiuit. Virg.* Et ita eſt mirabile, vt contineat in ſe ſanctiſſimum nomen Dei Iehouah, & nomen Saluatoris noſtri Ieſu; vt probat Viegas *in Apocal. cap. 12. comment. 2. ſect.* 2. Multa verò ſignificare, certum eſt: & ita ait D. Bernardin. Senen. ſerm. 1. de nomine Virg. *Maria ergo non vnam tantùm, ſed multiplicem interpretationem habet, vt ſicut Deum ipſum, non vno tantùm nomine nominamus, ſed multis, vt ſic eius incomprehenſibilitatem annuntiemus, ſic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus.*

Author de ortu Virginis. Gerſon. Viegas. *Nomen Mariæ ex Dei nomine.* Bernardin.

38. Primò. Maria apud Hebræos ſignificat mare amaritudinis, ſeu amaritudinem maris. Ita D. Ambroſius *lib. de inſtitutione Virginum c.* 5. Carthuſianus *hîc*, & alij. Et hoc poteſt intelligi actiuè, & paſſiuè. Paſſiuè, dum tempore Paſſionis in ſe ſuſtinuit mare amaritudinum, quando gladius pertranſiuit animam eius. Actiuè cùm omnem amaritudinem, ac mœrorem à mari huius mundi ipſa excludat, ac in dulcedinem conuertat: Cantic. 5. num. 1. dicebat Dominus: *Vinum bibi cum lacte meo*; quod eleganter ponderat D. Anton. de Padua 3. Dominica Quadrageſ. *Quare*, ait, *non dixiſti Domine Ieſu: Bibi acetum meum cũ lacte meo? virginalibus enim vberibus lactabatur.*

Ambroſ. Carthuſ. Cantic. 5. Ant. de Padu.

Vbi enim eius labia à pectore Virginis lac potarunt, nihil amarum iudicauit, ſed omnia ſaporem optimi vini induunt. Tertiò. Dicitur mare amarum per reſpectum ad Diabolum, ac Catholicæ fidei inimicos. Ita D. Bonauentura in ſpeculo Bonauent. Virginis, cap. 1. *Mare armarum eſt*, ait, *Diabolum ſubmergendo quemadmodum mare rubrum amarũ fuit Ægyptijs in ipſo ſubmerſis. O quàm amarum & timendum eſt hoc mare Ægyptijs! O quàm amara, & timenda eſt Maria Dæmonibus!*

39. Secundò. Maria dicitur amari, congregationes enim aquarum appellauit maria: ſicut enim multitudines aquarum congregantur in mari; ita multitudines gratiarum coadunantur in Maria. Alb. Mag. Albertus Magnus in Mari. c. 198. *Congregationes*, inquit, *aquarum appellauit maria; locus autem omnium gratiarum vocatur Maria, S. Origo fontium, & fluminum mare: virtutum auctrix, & ſcientiarum ſcientia Sanctorum Maria.* Et D. Bonaventura in Bonauent. ſpeculo Virginis, cap. 3. *Omnia flumina intrant in mare, omnes gratiæ intrant in Mariam, flumen gratiæ Angelorum, flumen gratiæ Apoſtolorum.* Tertiò. Maria iuxta Hebraicas litteras interpretatur ſtella maris. Ita Beda *hîc*, D. Bonauent. D. Bernard. Beda. Bonauent. Bernard. D. Thom. *hom. 2. ſuper Miſſus eſt.* Quod explicat D. Thom. opuſc. 8. *Maria*, ait, *interpretatur ſtella maris, quia ſicut per ſtellam maris nauigantes diriguntur ad portum; ita Chriſtiani diriguntur per Mariam.* Sed cùm multæ ſint ſtellæ cæli, quare dicitur tantùm ſtella maris? Optimè reſpondet Euſeb. Gal- Euſeb Gal. lican. ſerm. in Miſſus eſt: *Dicitur enim Maria ſtella maris. Plures enim ſtellas habet cælum, mare vnam, quæ præ illis omnibus clarior, & melior eſt.* Licèt enim per reſpectum ad eos, qui ſunt in terra multæ ſint ſtellæ cæli; tamen ad eos, qui in mari nauigant, vna tantùm eſt, vt portum conſequantur: ita qui ſunt in hoc mundo, vt ſalutem adipiſcantúr, vnam debent habere ſtellam, ſcilicet Mariam; & ideo Paſtores, cùm puerum quærerent, Luc. 2. intrantes in præſepe, de eis dicitur, Luc. 2. *Inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem*, primò intuiti ſunt Mariam, quæ tanquam ſtella, eos duxit ad puerum, vt ibi ex Bernardo dicam. Tandem, vt Hugo. obſeruat Hugo, propter quatuor, ſtellæ aſſimilatur. Primò. Quia cùm magna eſſet, ad modum ſtellæ modica apparebat, propter humilitatem. Secundò. Quia ſicut ſtella lucet in nocte: ſic Beatiſſima Virgo his lucet, qui ſunt in tenebris peccatorum. Tertiò. Quia naufragantes huius mundi ad portum ſalutis dirigit. Quartò. Quia ad modum ſtellæ ex ſe profert radios virtutum, ac bonorum exemplorum. De hac ſtella ſignificata in ſanctiſſima Virgine Maria, multa D. Bernardus, & D. Bonauentura, ſupra citati.

40. Damaſcen. Bonauent. Arnold. Quartò. Maria lingua Syriaca, id eſt, Domina. Ita D. Damaſcenus *lib. 4. de fide cap. 15.* D. Bonauentura *in ſpeculo, cap. 3.* Arnoldus Carnotenſis *de laudibus Virginis*, qui ita ait: *Maria lingua Syriaca Domina dicitur.* Et poſtea ſubdit: *Potentia filij mater non poteſt eſſe ſeiuncta, vna eſt Mariæ, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas, & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum: inſeparabiliter perſeuerauit promiſſum, & donum.* Quàm latũ ſit eius dominium? Multa communiter dicunt Patres, & recentiores de eius patrocinio. S. Maria ex Hebræo nomine, id eſt, luminare, ſeu illuminatrix. Bernard. Beda. Bonauent. Alb. Mag. Ita D. Bernard. *ſerm. de natiuitate Mariæ*, Beda *hîc*; D. Bonauent. *in ſpeculo Virginis, cap. 9.* Albertus Magnus *hîc*, extitit enim illuminata cognitione omnium ſpiritualium, & ſupernaturalium myſteriorum, ita vt ad viſionem ipſius diuinæ eſſentiæ peruenerit; & etiam illuminatrix, cùm ſit omnium Doctorum magiſtra, vt ait D. Anſelmus, Anſelm. in cap. 10. Lucæ. *In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, Chriſtus eſt in Maria; ergo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt in Maria.*

Sextò. Maria, teſte D. Ambroſio, interpretatur, Deus ex genere meo: ita habet lib. de inſti- 41.
Ambr. tut. Virgin. cap. 5. *Vnde & ſpeciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod ſignificat Deus ex genere meo.* Ita hoc nomen tam excellens eſt, vt ex ſua etymologia dicat maternitatem Dei, & hoc nobis Matth. 1. innuere voluit D. Matthæus *cap. 1.* dum ait: *Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria*; nónne ſufficiebat dicere, *Cùm eſſet deſponſata Maria*? Ad quid dicitur: *Mater Ieſu*? Optimè Chryſologus, vt Chryſol. dicam cap. vltimo huius libri: *Quaſi ad exprimendum ſignificatum ipſius nominis Mariæ, quod eſt Mater Ieſu.* Septimò. Maria, id eſt, imitatrix Dei. Rutilius. Ita tradit Rutilius Epiſcopus doctiſſimus in Hebraico idiomate, *lib. 2. ſuper Magnificat, cap. 23. dub. 5.* Extitit enim imitatrix Dei. Primò. Quia ſicut Deus Deum generat, ex ſua ſubſtantia ſine ſui corruptione, ac alterius conſortio; ſic Beatiſſima Maria Dum generauit ex ſua ſubſtantia ſine ſui corruptione ac aliquo humano conſortio. Secundò. Quia ſicut Deus operatur ſemper illud, quod eſt perfectius, ſecundùm præſentem ordinem; ſic Maria ſemper exercuit illud quod erat præſtantius. Vnde teſte D. Ambroſ. *in Pſ. 40.* Ambr. ita loquitur Deus ad Virginem: *Generationis meæ*; ait, *in te priuilegium recognoſce, quam nulla potuit macula inquinare peccati.*

Octauò. Maria idem valet, vt multis placet, 42.
ac de monte, & altitudine Dei; & meritò, quia virtutes, ac ſanctiſſimum nomen Mariæ ex omnipotentia Dei manarunt: ſic enim ait Petrus Damian. Damianus ſerm. de Annuntiatione. *De theſauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur.* Nonò. Maria Epiphan. idem eſt, ac ſpes. D. Epiphanius. *Mariam*, ait, *interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem, peperit enim Dominum, qui eſt ſpes totius mundi: vnde & ipſa dixit: Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & ſanctæ ſpei.* Spes enim omnium noſtrum in ea ſita eſt, ac omnes lætantes magnam fiduciam concipimus. Doctiſſimus Idio- Idiota. ta de contemplatione Mariæ, c. 5. *Tantæ virtutis*, ait, *& excellentiæ eſt tuum ſanctiſſimum nomen, Beatiſſima Virgo, quòd ad inuocationem ipſius cælũ ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, Dæmones contremiſcunt, infernus conturbatur.* Vide infrà de hoc iterum *quæſt. 32.*

Lucæ 1. n. 28. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

VERSIONES.

Syriacus.	Et ingreſſus eſt ad eam Angelus, & dixit ei: Pax tibi ô plena gratiâ; Dominus noſter tecum eſt; & benedicta es inter mulieres.
Vatablus.	Et dixit: Aue gratioſa: Dominus tecum, &c.
Pagninus.	Et dixit: Aue gratiâ affecta, &c.
Arias.	Et dixit: Gaude gratiâ plena, Dominus cum te, &c.
Aliqui ex verb. Græco apud Salmer. tom 3. tract. 5.	Et dixit: Gaude, vel ſalue, vel vale gratificata: Dominus tecum, laudata inter mulieres.
D. Bonauent.	Benedicta ſuper mulieres.
Caietanus.	Salue gratificata.
Mariana.	Aue vehementer amata.
Hildephonſ. ſerm. 3. de Aſſumpt.	Benedicta tu inter omnes mulieres.

EXPOSITIO.

43. EXEQVITVR Angelus legationem ſuam, & penetrauit ad locum, in quo Virgo clauſa orabat: & quatuor peragit Angelus. Primò, Virginem ſalutat. Secundò, ſuam legationem proponit. Tertiò, modum, quo res annuntiata facienda ſit, explicat. Quartò, difficultatem ſuperuenientem ſoluit. Angelus ait: *Aue*, dictio Græca, quæ multa ſignificat, id eſt, pax tibi, vel ſalue, vel gaude, vel vale; ſed vale non dicitur ad initium, ſed ad finem; & ideo in illo triplici priori modo accipienda eſt. *Gratiâ plena*, id eſt, gratioſa, quæ ita placuiſti Deo, vt ab eo habeas ſupernaturale donum, quo anima ei chara, & dilecta eſt. *Dominus tecum*; ac ſi dicat gratia illa, qua es plena, Dominus peculiariter tibi adeſt, vt te dirigat, ac gubernet, ac tam altum myſterium in te perficiat. *Benedicta tu in mulieribus.* Quia tanta es plena gratiâ, vt te elegerit Deus ad hoc vt ſis Virgo, & Dei Mater. Nota hîc optimam verborum connexionem. Primò, ipſam vt Dominam reuerenter ſalutat. Secundò. Priùs dixit: *Aue* ſeu Pax tibi, ſeu Salue, & poſtea ſubiunxit: *Gratiâ plena, Dominus tecum*; quia vbi eſt gratia Dei, & Deus adeſt; ibi ſolùm eſt vera pax. Tertiò. Priùs dixit: *Gratiâ plena*; & poſteà: *Dominus tecum*; quia inter Deum, & gratiam nihil mediat; & ibi Deus inuenitur, vbi eius gratia datur: Et poſtea: *Benedicta tu*; quia ex ipſa gratia, & præſentia Dei eſt omnis laus, & bene- Athanaſ. dictio. D. Athanaſius *ſermon. de Deipara*, notat, quòd his verbis Gabrielis Angeli laudant in cælo Virginem Mariam.

QVÆSTIO XX.

Quare deſcribatur ingreſſus Angeli ad Virginem?

44. SVPPONO, quòd Angelus apparuit ei in forma humana, vt dixi *quæſt.* 10. & non ex improuiſo, ſed gradiens ad locum Virginis, vt Caiet. hîc obſeruat Caietanus. Reſpondeo primò. Vt indicaret Euangeliſta, quòd Beatiſſima Virgo erat intus in domo ſua, & non foris, nec in plateis, nec in cætu virorum; hoc enim expreſsè denotat illud verbum, *ingreſſus eſt.* Ita D. Ambroſ. Ambroſ. Euſebius. Bernard. *lib. 2. de Virginibus, & lib. 1. de offic. cap. 18.* Euſebius Gallican. *homilia, ſuper Miſſus eſt.* D. Bernar. *homil. 3. ſuper idem*, & communiter Patres Ex quo reiicitur hæreticorum impudentia, qui finxerunt, Beatiſſimam Virginem fuiſſe ab Angelo ſalutatam, cùm accepta hydria foras prodiiſſet ad hauriendã aquam. hoc deliramentum manifeſtè euaneſcit his verbis: *Ingreſſus ad eam.* Imò, vt piè, & doctè ait D. Bernardus *citato loco*, Angelus introiuit ad Virginem, quæ tunc erat clauſo oſtio orans, per dotem penetrabilitatis.

Secundò Narratur tam manifeſtè iſte ingreſ- 45.
ſus ad Virginem, vt ſignificetur, quòd ipſa erat verè filia Saræ, quæ occultabatur in domo ſua, ſicut illa in ſuo tabernaculo, vt dicitur *Geneſ. 18. num. 10.* Tertiò. Vt pulchrè notauit Hugo, ad Hugo. oſtendendam veritatem verborum Angeli, ſcilicet quòd Virgo eſſet gratiâ plena, quia, vt ille ait, *Multum timent illi, qui habent abundantiam gratiæ, colloquia mala.* Ita Cardinalis. Abundantia, *Colloquia mala gratiã perdunt.* & plenitudo gratiæ deperditur à multiloquio, ac frequenti exitu à domo. Ex quo obiter hîc expendo quæſtionem quandam: Quare Annuntiatio Præcurſoris fit Zachariæ, dum eſſet intra templum, ac iuxta altare, ac incenſum poneret, de quo ſuperiori capite. At verò verbi diuini, *Placet Deo mulier in domo.* quæ maior eſt, fit ab ipſo Gabriele in domo dum Virgo clauſa eſt orans; Reſpondeo, quòd ſicut placent Deo Sacerdotes, dum altari miniſtrant: ita ſanctæ Virgines dum clauſæ in intima parte domus orant, eiuſmodíque oratio multo pretioſior eſt quocumque alio thymiamate.

Quartò. Vt ſignificetur, quantum placet Deo 46. *Fuge conuerſationem.*
anima, quæ humanas fugit conuerſationes, in Deúmque tota mente transfixa eſt. Non eligitur Virgo in matrem, quæ eſſet in publico, ſed quæ in ſecreto domus meditationibus vacabat: Cantic. 4. *Hortus concluſus, fons ſignatu: Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, ait ſponſus de dilecta ſua *Cant. 4. num. 12.* Vbi iuxta D. Gregorium Niſſenum *homil. 19.* expende quòd tunc dicuntur emiſſiones, id eſt, orationes ſponſæ paradiſus malorum punicorum, quando anima eſt hortus concluſus, fons ſignatus. Ad calcem iſtius quæſtionis dicendum eſt de hora huius ingreſſus angelici. Et multis placet fuiſſe *Qua hora Angelus ingreſſus.* ſub veſperam. Nituntur conſuetudine Eccleſiæ, quæ hac hora ſignum præbet ad ſalutandam Virginem. Sed hæc coniectura non vrget; quia etiam in multis partibus talis ſalutatio fit manè. Probabilius tamen eſt, hanc Annunciationem factam fuiſſe media nocte, quia tunc Virgo vigilans erat meditationibus intenta; tali enim hora Chriſtus eſt natus, & ita integros nouem menſes Caſſian. Suarius. habuit in vtero. Ita Simon Caſſianus *de Annuntiatione.* Suarius *tom. 2. ad 3 part. diſp. 9. ſect. 5.* ac alij recentiores.

QVÆSTIO XXI.

Quare Angelus tripliciter Virginem ſalutet?

ANGELVS hac breui oratione tripliciter 47.
hîc Virginem reuerenter ſalutat. Primò:

Aue.Secundò, *Dominus tecum*. Tertiò. *Benedicta tu*; vt patebit ex dicendis. Reſpondet primò Eu-
Gallican. ſebius Gallicanus ſermone ſuper Miſſus eſt. *Non fuit ſufficiens*, ait, *Aue dixiſſe, addidit, Dominus tecum, & deinde eam benedixit, quaſi tribus vicibus, ſub vna voce eam ſalutans. Qua in re diligens obſequium charitatis affectus, & reuerentia declaratur.* Ob magnam reuerentiam erga tantam Dominam, ac Reginam, eam tripliciter ſalutauit, vt ex D. Hieronymo dicam *quaſt. ſequenti*. Secundò. D. Fulgentius *ſermone de laudibus Mariæ ex*
Fulgent. *partu*. ita ait. *Cùm dixit Angelus Mariæ, Aue, ſalutationem illi cæleſtem exhibuit. Cùm dixit: Gratia plena, oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam. Cùm dixit: Benedicta tu inter mulieres; virginitatis eius benedictum fructum expreſſit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres.* Dum dixit, *Aue*, Pax tibi; ſalutationem cæleſtem dedit; vera enim pax à ſolo cælo deſcendit. Cùm dixit, *Gratia plena*; veterem iram excluſam, & gratiam reſtitutam oſtendit; vbi enim eſt vera amicitia, ibi tantùm vera, & integra pax inuenitur. Cùm dixir *Benedicta tu*, inter mulieres, fructum cum flore virginitatis declarauit. Et ita tripliciter Angelus eam ſalutat, vt ſereno animo audiat, pacem dat, amicitiam cum cælo, ac fructum cum virginitate annuntiat.

48. Tertiò. Ingreſſus Angelus tribus vicibus Vir-
Maria orationi attẽta. ginem ſalutat. Tam dedita, ac intenta erat ſanctiſſima Maria orationi, & meditationi; ſicque flagrabat deſiderio, vt Deus deſcenderet, & homo fieret (cùm iuxta communem ſententiam in hac contemplatione, & lectione eſſet,) quod vt aduerteret ad ea, quæ exponenda erant, atque eam Angelus ſibi intentam faceret, tripliciter eam vocare, ac ſalutare, neceſſe fuit. Cùm Abraham euaginato iam, ac pendente gladio filium Iſaac in ſacrificium vellet immolari, Angelus ad mortem
Geneſ.22. pueri impediendam de cælo clamauit: *Abraham, Abraham, ne extendas manum ſuper puerum*, Geneſ.22.num.11. Sed quare duplicatur vox? Nónne ſufficiebat ſemel vocare Abraham? D.Ambro-
Ambroſ. ſius lib.de Abraham cap.8. *Repetiuit vocem*, ait, *tamquam veritus ne præueniretur ſtudio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non poſſet.* Eodem modo hîc illa Angeli vox geminatur, vt ſanctiſſima anima, tota in Dei contemplationem abſorpta, audiat, & attendat ad dicenda.

QVÆSTIO XXII.

Quare Angelus vtatur voce, Aue?

49. ANGELVS ſalutando Beatiſſimam Virginem vſus eſt dictione illa *Aue*, verbum in ſalutando vſque ad illud tempus inaudi-
Origen. Ambroſ. Beda. tum, quo nemo antea vſus eſt, vt obſeruãt Origenes *homil.6.in Lucam*, D.Ambroſius, Beda *hîc*, & alij communiter. Cuius rei ſeptem rationes apponam. Primò, *Aue*, id eſt, Gaude, vt legit Euthy-
Euthym. Greg. Nyſſ. Thaumat. mius, D.Gregorius Nyſſenus *orat.de Natiuitate Domini*, D.Gregorius Thaumaturgus *ſerm.1. de Annunciat.* Exhortatus eſt autem Angelns Beatiſſimam Virginem ad gaudium; quia ex ipſa totius mundi lætitia proditura erat. D.Baſilius Se-
Baſilius. leucus orat.39. de Annunciat. *Lætos ſume vultus, ait Angelus ad Virginem, ex te omne gaudium naſcetur.* Et D. Ambroſius *homilia de humana Chriſti generatione*, ait: *Maria edocta iuſſa eſt ab Angelo gaudere.* Ambroſ. Secundò. Piè poſſumus dicere, quòd Angelus Virginem ſalutauit hoc verbo *Aue*, quia litteris inuerſis reddit idem, quod *Eua*, ad quod alludit Eccleſia, *Sumens illud Aue, mutans Euæ nomen*; nam mala per Euam allata, in bonum per Mariam ſunt commutata; & ideo ſicut illi triſtitia intimatur, dum dicitur Geneſ.3. *Multiplicabo ærumnas tuas*; ſic huic lætitia de- Geneſ. 3. nuntiatur. Dixi *piè*, quia idiomate Hebraico, quo Angelus locutus eſt, non ita litteræ correſpondent.

Tertiò Angelus inaudito modo loquitur ad 50.
Virginem; nam reuerentia, & veneratio vniuſcuiuſque dignitati proportionata eſſe debet: cùm autem Beatiſſima Virgo omnibus aliis creaturis excellentior eſſet, ideo admirabili, ac extraordinario modo fuit ſalutanda. Et ita ait D. Hiero- Hieron. nymus *ſerm. de Aſſumptione Virginis*, Angelum ſalutaſſe Virginem, *Aue gratia plena*, quia admiratus fuit de eius excellentia, quæ tanta erat. Euſebius Emiſſenus, *Stupens*, ait, *in Virgine virtutis* Euſebius. *plenitudinem, dixit Aue gratia plena.* Quartò. Gabriel fatur ad Mariam, *Aue*, quod nulli vmquam creaturæ dictum erat ab Angelo; nam, vt ait B.Ioannes in ſua 2.epiſt.ad finem num.10. *Si quis* 2.Ioan. *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis; qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius.* Vbi Gloſſa. D.Thom. Gloſſa, & D.Thomas notant, quòd hæc ſalutatio *Aue*, tantùm pertinet ad eos, qui ſunt ſocij, ac *Virgo ſocia Angelorum.* eiuſdem muneris participes, vnde nequitia Iudæ conſummata fuit, cùm Chriſto Domino dixiſſet in horto: *Aue Rabbi*; ſalutat ergo Angelus Virginem proferendo *Aue*, quod antea ab ipſo nulli creaturæ dictum erat, vt denotaret, quòd ſanctiſſima Domina ita erat pura, & immaculata, vt ipſa ſola in omnibus eſſet ſocia, & comes Angelorum. Quintò. *Aue*, id eſt, Pax tibi, ſeu Pax tecum. Chriſtus Dominus præcepit ſuis Apoſtolis, vt in quamcumque domum intrarent, dicerent, *Pax vobis*, Luc.10.num.5. Illud ergo donum, quod vo- Luc.10. luit ad extraneas gentes obſeruari, eiſque com- *Beneficium à tuis.* municari, prius à ſuis voluit inchoari, eiſque etiam exhiberi, & ſuprà *n.26.*

Sexrò. *Aue*, id eſt, Pax tibi, ſeu Salue, id eſt, ſa- 51.
lutem dicere, ſeu benedicere, ſeu gaudere. Hugo. Hugo. *Numquam in Scripturis*, ait, *antea, nec ab alio Angelo talis ſalutatio data: quia hæc Mariæ debebatur; nam in omni ſalutatione fiebat priùs aut vitæ imprecatio*, Daniel.2.n.4. *Rex in æternum viue*; *aut* Dan.2. *ſalutis*, 2.Reg.16.n.17. *Salue Rex: aut benedictio-* 2.Reg.16. *nis vt meſſores ad Booz*, Ruth 2.n.2. *Duas verò ſa-* Ruth 2. *lutationes delatas ab Angelo viris inuenies*, Tob.5. Tob.5. n.11. *Gaudium ſit tibi, dictum eſt Tobiæ. Et Domi-* Idem. *nus tecum: Gedeoni*, Iudic.6.n.12. *At hæc ſalutatio* Iudic.6. *B.Virginis ex omnibus conflata, imò & dignior.* In hac Beatiſſimæ Virginis omnes ſalutationes tam *Plus virtutis in Virgine, quàm in Sanctis.* ab hominibus, quàm ab Angelis viris illuſtribus factas recapitulauit Gabriel: imò amplius addidit: *Benedicta tu in mulieribus*, vt innueret, in ſanctiſſima Virgine non ſolùm virtutes, & excellentias veterum Patrum, ſed multo ampliora inueniri. Vide *cap.7.num.15.*

Septimò. Arnoldus Carnotenſis *de laud. Ma-* 52.
riæ, notat: *Quòd raro in veteri Teſtamenti ſalutatione angelica quemquam honoratum reperies. Non* Carnotenſ.
ſalu-

ſalutatur Abraham, cùm extollitur titulo fidei, non ſalutatur Iſraël, non Iacob, non Moyſes, non Iſaias, vel Daniel, nec Ezechiel, nec etiam Zacharias. At adnuntiato Chriſto, ſalutationes incipiunt, & iam proximo Ieſu, qui eſt Saluator, & mundi ſalute non longè poſita, Verbum ſanctæ ſpei, Verbum incolumitatis, reſtitutionis noſtræ de cælis ad terram defer-
A Chriſto Domino omne bonum. *tur: iam hoc verbum priùs rarum omnino incipit frequentari. Salutat Angelus Mariam, nec multo pòſt Elizabeth occurrit, & ipſa ſalutans, & prophetans; ſalutant Angeli poſt reſurrectionem ſanctas mulieres, ſalutat ipſe Chriſtus Diſcipulos: denique, & hunc ſalutandi morem exultans ſeruat Eccleſia.* Salutatio dicit ſpem, ac bonorum communicationem; poſt Chriſtum ſalutationes frequentantur: quia cum ipſo venit ſpes gloriæ, reſtitutio gra-
Vnius ſufficit delictum vt totum macularet genus. ac tandem de cælis omne bonum. Imò nunquam legitur in Scriptura Angelus mulierem ſalutaſſe, etiamſi illi apparuerit, vt Saræ, Agar, & Manue vxori, totus enim fœmineus ſexus propter Euæ peccatum extitit inuiſus, ſufficit namque vnius delictum ad inficiendum totum genus: Mariam verò Angelus honorificis verbis ſalutat, vt indicaret, minimè peccatum contraxiſſe, ac totum damnum eſſe ablatum, & antiquam gratiam reſtitutam, vt ſuperiori quæſtione dixi ex D. Fulgentio.

QVÆSTIO XXIII.

Quare Angelus proprium Mariæ nomen ſubticuerit, & tantùm dixerit: Aue gratia plena.

53. RESPONDEO primò, quòd ſicut perſonas in magna dignitate conſtitutas, non proprio dicimus nomine, ſed per titulos, per antonomaſiam intelligimus; ſic Angelus Mariam non nominauit, quam per gratiæ plenam intelligebat, quod nulli alteri poterat conuenire.
B Virgo fit pura in terra, vt beatus in cælo. Seeundò. Quia Angelus, vel Beatus loquitur cum alio Angelo, vel Beato, non ipſum nomine appellando, ſed conceptum ſuum audienti manifeſtando, & ad eum dirigendo, vt eſt communior ſententia Theologorum. Vt ergo Angelus cum ſanctiſſima Maria haberet ſermonem, Beatorum, ac Patriæ more, non eam proprio nomine vocat: ſed tantùm legationem ſuam, & conceptum illi exponit, ac manifeſtat. Tam purè, & ſanctè viuebat Beatiſſima Virgo in terra, veluti Beatus
Magna efficacia nominis Mariæ. in cælo. Tertiò. Et fortaſſe ob reuerentiam ipſius nominis Mariæ, quod noluit Angelus proferre, niſi magna ex cauſa ad eius timorem depellendum, vt infrà ex D.Chryſologo dicam.

QVÆSTIO XXIV.

Quare dicatur gratia plena?

54. GRATIA in ſuo genere ſignificat id, ratione cuius aliquid fit, & alteri placet, eique
Daniel.1. acceptum eſt. Daniel.1. num.9. *Dedit Deus gratiam in conſpectu principis.* Gratum verò, quod alteri eſt acceptum, ac ei placet. Gratia autem apud Theologos ſignificat donum ſupernaturale, ratione cuius creatura intellectualis placet Deo, ab eoque diligitur. Hæc autem gratia vel eſt increata, quæ eſt ipſemet Deus, vel eſt gratia ſanctificans, ac gratum faciens, vel eſt gratia gratis data, quæ ſunt dona Spiritus ſancti, ratione quorum homo eſt acceptus Deo ad opera ſupernaturalia, vt ad miracula perpetranda, vel ad actum prophetiæ. Omnibus autem modis Beatiſſima Virgo fuit gratia plena, vt ſtatim explicabo. Et Hieron.
docet. D.Hieron. ſerm.de Aſſumpt. *Benè verò*, ait, *plena, quia cæteris per partes præſtatur; Mariæ ve-* Athan. *rò ſe tota infundit plenitudo gratiæ.* Et D.Athanaſ. *ſerm.de S. Deipara.* Vt gratia plena appellata ſit, vtpote quæ omni gratia abundaret. Ita vt de illa Eccli.24. dicatur illud Eccleſiaſtici 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis.*

Extitit plena gratia increata, quia licèt non 55.
fuerit aſſumpta ad vnionem hypoſtaticam, tamen in ſe habuit realiter ipſum gratiæ auctorem, ex quo meritò plena gratia dicitur, vt ait Athan. D. Athanaſ. *citatus*. D. Ambroſ. in Lucam lib.2. Ambroſ. cap.2. *Bene ſola*, ait, *gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur auctore.* Et D.Hieron. *epiſt.*140. Hieron. in expoſitione in Pſalm.44. *Sancta Maria, quia conceperat*, inquit, *eum, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia ſalutatur.* Chryſippus Hieroſolymitan. ſermone de S.Ma- Chryſipp. ria. *Gratia plena, quia tecum eſt vniuerſus gratiæ theſaurus.*

Fuit plena gratia ſanctificante; de quo ait Eu- Euſeb. Emiſ. ſebius Emiſſenus hîc. *Alij ad menſuram datur, hæc autẽ gratia plena dicitur.* D.Bernardin. Senen- Bernardin. ſis tom.1.ſerm.6. *Excepto Chriſto*, inquit, *tanta gratia Virgini à Domino data eſt, quantum vni puræ creaturæ dari poſſibile eſſet.* Ex cuius dignitate, *In ſola Virgine, plus gratiæ, quàm in alijs creaturis puris.* ad quam Deus elegit, & præelegit eam, hodie communiter inferunt Theologi cum ſanctis Patribus; plus gratiæ, meriti, ac virtutum fuiſſe in ſola Beatiſſima Virgine, quàm in omnibus aliis Sanctis ſimul ſumptis, ſiue Angelis, ſiue hominibus, vt ſtatim dicam. D.Epiphanius in oratio- Epiphan. ne de laudibus Virginis: *Solo Deo*, inquit, *excepto, cunctis ſuperior extitit B.Virgo.* Andreas Cre- Cretenſ. tenſis tract. de Aſſumptione. *O Virgo, quæ, ſolo* Idiota. *Deo excepto, omnibus es altior.* Idiota lib.6. *Sanctorum omnium priuilegia, ô Virgo*, inquit, *omnia habes in te coniecta, nemo æqualis eſt tibi, nemo maior te, niſi Deus.* D. Laurentius Iuſtinianus ſer- Laur.Iuſt. mone de natiuitate Virginis, *Nullus mortalium*, ait, *quamuis donorum cæleſtium numeroſitate ſit præditus, Virgini valet coæquari Patriarcharum vtique prophetarum, Apoſtolorum, martyrum, omniúmque Sanctorum merita B.Maria tranſcendit.*

Tertiò. Extitit plena omnibus Spiritus ſancti 56.
donis. D.Athanaſius *ſermone de Deipara*, ita ait; Athanaſ. *Spiritus ſanctus deſcendit in Virginem cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus diuini adſunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratioſa eſſet: atque idcirco* gratia plena *cognominata eſt, eo quòd impletione Spiritus ſancti omnibus gratijs abundaret.* Et quãuis habuerit omnes gratias, non tamen exercuit omnium vſum, dum in viuis erat in terra, vt docendi, ac miraculorum, tum ob ſuam humilita- D.Thom. tem, tum, quia non expediebat, vt docet Diuus Thom.3.*part.quæſt.27.art.5.ad 3.*

Quartò. Dicitur *gratia plena*, prout gratiam 57.
nobis communicat; tum, vt ait D. Thomas cita- *Per Virginem ad omnes diffunditur gratia.* to art.5.ad primum. *Pariendo Beatiſſima Virgo gra-*

tiæ

Chryſol. Richard.

tiæ auctorem, quodammodo gratiam ad omnes deriuauit. Tum, quia ſuis precibus à filio nobis impetrat. Vnde ait Petrus Chryſologus ſerm.42. *Vere gratia plena eſt, quæ largo gratiarum imbre totam funderet, & profunderet creaturam.* Et Richardus lib.1. de laudibus Virginis, c.4. *Bene enim dicta es gratiæ plena, & in tantum plena, vt ex tuo redundante totus habeat mundus.* Sicut ergo Chriſtus Dominus dicitur plenus gratia, de plenitudine eius nos omnes accipimus, *Ioan.1.n.16.* ita etiam Beatiſſima Virgo, de cuius redundantia nos omnes ditamur. Hoc tamen diſcrimine, quia à Chriſto accipimus gratiam, tamquam ab auctore illius, à Beatiſſima Virgine, tamquam ab impetrante, & deprecante.

58. Sed quæres: Quomodo Chriſtus Dominus dicatur citato loco plenus gratia. Stephanus dicitur plenus gratia, *Actor.6. num.8.* & Apoſtoli paſſim dicuntur pleni Spiritu ſancto, *Actor.2. num.4.* & alij? Reſpondetur cum D. Thoma 3.*p. quæſt.7.art.11.in corpore*, Caietano *ibid.* Cabreira *in commentar. art.*10. Suario *diſp.22. ſect.2.§.aliquando*, Lorca *diſp.42.n.12.* Raguſa *diſp.75.§.dicitur.* eſſe plenum gratiæ dici in ordine ad dignitatem, & munus, ad quod deſtinati ſunt habentes illam: & ideo Chriſtus Dominus dicitur plenus gratia, prout habuit illam plenitudinem, quæ conueniebat redemptori, ac humanitati filio Dei vnitæ: Beatiſſima Virgo, quæ congruebat matri Dei; Apoſtoli, & Stephanus, quæ requirebatur ad dignitatem miniſtrorum Dei. Vnde cùm excellentia Chriſti Domini ſit ſuprema, eius plenitudo fuit ſumma, quæ de lege ordinaria dari poteſt. Cùm autem dignitas Beatiſſimæ Virginis omnium Sanctorum gradus maximè excedat, ideo eius plenitudo illorum omnium eminentiſſima eſt.

D.Thom. Caiet. Cabreira. Suar. Lorca. Raguſa.

QVÆSTIO XXV.

Quare Angelus eam hîc dicat plenam non Spiritu ſancto, vel virtute, ſed, gratiâ.

59. SVPPONO in primis cum D. Auguſtino *in Enchiridion, cap.38.* Chryſolog *ſerm.142.* Beda *homil.3.de B.Virgine*, quòd Beatiſſima Virgo habuit plenitudinem gratiæ, non à conceptione Verbi, ſed multò antea, quia Angelus quando ingreſſus eſt ad eam, non de futuro, ſed præſenti appellauit gratiæ plenam. Cùm hoc tamen ſtat, quòd in ipſa filij conceptione magna gratiarum multitudo accumulata eſt. Modus verò, quo Angelus eam gratia plenam vocat, expendendus eſt. Sub quo varias quæſtiones reſoluo.

Auguſt. Chryſol. Beda.

60. Primò: Quare dicitur gratia plena, cùm alij multi dicantur Spiritu ſancto pleni, quod iuxta ſonum vocum, quid maius videtur? ſic dicitur de Ioanne, *hoc 1. cap. num.15.* vt ſuprà vidimus. De Elizabeth infrà *num.41.* De Zacharia *num.67.* De Apoſtolis *Actor.24.* De Petro *Actor.48.* de Congregatis Hieroſolymæ, *Actor.4.cap.31.* De ſeptem illis Diaconis, *Actor.6.55.* De Stephano, *Actor.6. 7. & 8.* De Paulo, *Actor.9.17. & 13.9.* De Barnaba, *Actor.11.24.* Reſpondet optimè primò Maldonatus, quòd licèt iuxta ſonum vocis maius videatur repleri Spiritu ſancto, quàm gratia, cùm Spiritus ſanctus ſit fons, & Auctor totius gratiæ; tamen iuxta vſum Scripturæ, multo maius eſt impleri gratiâ; nam qui dicuntur Spiritu ſancto impleri, non intelligitur de ipſo Spiritu ſancto in ſe, ſed dono aliquo illius, vt miraculorum, prophetiæ, vel fortitudinis, quod foris oſtentant. At verò qui gratia, non tantum huiuſmodi dono, quantum gratia ſanctificante, qua homo maximè diligitur à Deo, repleri intelliguntur.

Maldon.

61. Secundò. Impleri Spiritu ſancto forma erat iam vſitata, vt ipſe Gabriel ad Zachariam de Ioanne Baptiſta prædixerat, ſuprà *num.15.* Angelus autem Beatiſſimam Virginem ob eius admirabilem, & extraordinariam ſanctitatem, voluit admirabili, & extraordinario modo ſalutare, ac laudare. Hoc autem, quod erat gratia impleri, forma erat loquendi, nec antea dicta, nec audita. Vnde ait Beda. *Benedictionis formam mirabatur, quæ nuſquam lecta eſt, numquam antea: ſoli Mariæ hæc ſalutatio ſeruabatur.* Illuſtriſſima virtus, & ſupra omnem ordinem exquiſitis eſt prædicanda verbis. Tertiò. Quia repleri Spiritu ſancto, paſſim de multis dicitur, vt conſtat ex dictis: gratia verò, rariſſimè, & de paucis, & laus quo rarior, eo glorioſior.

B.Virgo extraordinario modo laudanda.

Beda.

62. Secundò. Quare, cùm de Stephano dicatur, *Plenus gratia, & fortitudine*, Actor.6.num.8. de Beatiſſima verò Virgine tantùm ait Angelus: *Gratia plena*; quare non dixit etiam, *Plena gratia, & virtutibus*? Reſpondeo, quòd virtutes, in quibus Stephanus reſplendebat, verbis poterant explicari; in quibus verò ſanctiſſima Virgo, ob earum magnitudinem ſilentio tantùm venerari. Secundò. Angelus dixit: *Gratia plena*; & addidit: *Benedicta tu in mulieribus*; in quo ſignificabat, eã eſſe in Matrem Dei electam, vt tradunt communiter Patres, D.Irenæus *lib.5.cap.19.* Franconius Abbas *lib.6. de gratia*, Beda, D.Bonauent. & alij *hîc.* Et vbi eam Angelus in Matrem Dei præelectam protulit, nihil ampliùs dicendum iudicauit. Ibi omnia magnalia, tamquam in compendio recapitulantur.

Actor.6.

Virtutes Virginis explicari non poſſunt.

Irenæus. Francon. Beda. Bonauent.

In Dei maternitate omnia magnalia.

63. Tertiò. Quare dicitur gratia plena, & non exornata, ſeu veſtita gratia? Hugo. *Non dicit*, ait, *ornata, ſed plena; quia interior gratia commẽdatur.* Deo enim non virtus, quæ exteriùs apparet, ſed quæ interiùs nitet, maximè placet. Quartò. Quare non dixit Angelus: Gratia plena apud Deum, vel homines? Caiet. *Non explicat*, ait, *Angelus, apud quem, vel apud quos reddita ſit gratioſa, quia ſecundùm veritatem effecta erat gratioſa abſolutè, & nõ apud hunc, vel illum.* Dicitur abſolutè gratia plena, quia apud omnes, ſcilicet apud Deum, Angelos, & homines gratioſa erat. Quintò. Quomodo eam laudat Angelus in præſentia, cùm dicatur, Eccleſiaſt.11.n.30. *Ante mortem non laudes quemquam*? Reſpondeo. Quòd illud intelligendum, quoad homines huius ſæculi; peccator enim, cùm laudatur, extollitur; iuſtus verò humiliatur. Et ſic Virgo reſpondet Angelo, *Ecce ancilla Domini.*

Hugo.

Virtus interior.

Caiet.

Eccli.11.

QVÆSTIO XXVI.

Quare Angelus dixit ad Virginem: Dominus tecum?

64. SVPPONO cum omnibus ferè Patribus contra Petrum Alexandriæ Epiſcopum, &

Andream Cretenſem oratione de Annuntiatione Virginis ad Angeli vocem: *Dominus tecum*; non concepiſſe Verbum. nam poſtea Angelus dixit: *Ecce concipies, & paries.* Et Virgo quæſiuit: *Quomodo fiet iſtud?* Ac tandem reſpondit: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Si verò aliquando Patres hæc verba ita explicant, *Dominus tecum in mente, tecum in ventre*; ſæpe ſumunt illud, quod proximè futurum erat, pro præſenti. Ita graues Recentiores.

65. Primò. Dixit Angelus: *Dominus tecum*, non deprecatiuè, vt Angelus ad Gedeonem *Iudic. cap.6.num.13. Ruth 2. num.4.* Quaſi deprecando quòd Dominus eſſet cum illa, ſed annuntiando, quòd Dominus illi præſens erat, magna gratia implendo. Quod confirmo. Quia ait, *Dominus tecum*; non dixit: Dominus eſt tecum, vel erit: ſed ad includendam omnem temporis differentiam, abſolutè ait: *Dominus tecum*; enimverò ſecundùm omne tempus ſemper Dominus fuit cum Maria; à primo conceptionis ſuæ inſtanti, vt dixi *cap.3.* Secundò, *Dominus tecum*; ſpeciali gratia ſupra omnes puras creaturas ſanctificando. Franconius Abbas lib. 6. de gratia. *Dominus tecum eſt, ô Virgo*, inquit, *non generali tantùm benedictionis gratia, qua & cum cæteris Sanctis eſt, verùm & ſingularis prærogatiua gratiæ, ſicut cum matre filius. Dominus tecum, vt viſcera tua ſanctificet, vt in carne tua humanam ſibi naturam aſſociet.* Quod exggerat D.Auguſtinus ſermon.18. de tempore. *Dominus tecum*, inquit, *ſed pluſquam mecum; Dominus tecum, vt ſit in corde tuo, ſit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam.* Sed expende illud, quod ait Angelus; *Dominus tecum pluſquam mecum.* Cum Beatiſſima Virgo in via exiſteret, & Angelus eſſet Beatus. Et de Baptiſta dicitur: *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Luc.4.n.28. Tamen rectè ait Angelus, quòd Dominus plus erat in Maria, quàm in illo, ratione dilectionis, & dignitatis, ad quam eam habebat præelectam, vt eſſet regina, & domina omnium creaturatum. Quod confirmo; quia de Baptiſta dicitur: *Manus Domini erat cum illo.* Luc. cap.1.num.66. At de Virgine, abſolutè, ſeu totus, *Dominus tecum*; quia non ſecundùm vnam gratiam, nec ſecundùm vnum attributum, ſed ſecundùm omnem gratiarum plenitudinem, quantum matri Dei conueniens erat, ipſe Dominus in Virgine elucebat.

A conceptione Deus cum Maria.

Franconius.

Auguſt.

Luc 4.

Deus maximè in Virgine.

Luc.1.

66. Tertiò. Angelus dixit: *Aue*, ſeu vt eſt in Græco, *Gaude*, nunc vt redderet rationem ipſius gaudij, addidit, *Dominus tecum*; quia vbi Deus adeſt, ibi ſolùm inuenitur gaudium verum. Andreas Cretenſis citatus: *Dominus tecum*, inquit. *O immenſam humanitatem! O benignitatem incredibilem. Non fuit ſatis gaudium indicaſſe, niſi ipſum gaudij authorem ineſſe Virgini ſignificaret.* Quartò, *Dominus tecum*; quia caſtiſſima, & omni puritate plena inuenta eſt. D.Baſilius Seleucus, oratione 39. *Dominus tecum*, inquit, *quia templum exiſtis vere Deo dignum, caſtitatis aromatibus bene odoratum.* Vt Deus ad Virginem deſcenderet, caſtitatis odore fuit trahendus. Quintò. *Dominus tecum*; quia Virgo Maria erat ſolitaria, in domo abſcondita, Deo orans. Hugo Cardinalis. *Duo dixit: gratia plena, Dominus tecum. Primum meruit humilitas; ſolitudo meruit ſecundum, habere Dominum: ſit igitur gratia plena propter humilitatem, Dominus tecum, propter ſolitudinem.*

Cretenſ.

Baſilius.

Virginitas attrahit Deũ.

Hugo.

Deus diligit ſolos.

67. Sextò. Quare Dominus, qui ſuum præmiſit nuntium ad eius aduentum anuntiandum, ante ipſum ad Virginem aduenit? Fortaſſe ad excludendum metum, ne, ex tanta dignitate, ac felicitate ruinam aliquam, atque iacturam timeret Maria. Philippus Abbas in Cantic. cap.1. *Putabam, ait, Angelus, mittentis imperio prænuntium me venire, ſed imperator nuntium, mihi viſus eſt, præuenire; fortè quia prior ſolam Virginem voluit inuenire, ne videret ſine ipſo ipſam rudem, & timidam conuenire.* Prior ad Virginem acceſſit Deus, ne timore affecta, in tam ſublime euecta, lapſum timeret. Septimò. Diuus Bernardus ſermon.54. in Cantic. *Denique Dominus*, ait, *tranſilijt Gabrielem, & peruenit ad Virginem, eodem Angelo teſtante, cùm ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid? quem modò reliquiſti in cælo, nunc in vtero reperis? Quónam modo? Volauit, & præuolauit ſuper pennas ventorum. Victus es, ô Archangele, tranſilijt te, qui præmiſit te.* Valde propenſum eſt Saluatoris noſtri ingenium ad deiectionem, ac humilitatem, & vt ad ima deſcendat, omnem tranſilit creaturam. Deinde, quia, licèt Angelus miniſter eſſet fideliſſimus, & velociter, ac in inſtanti aduenisſet; Dominus tamen ſuper pennas ventorum præuolauit, & tranſiliit, ne res tam alta, & ſublimis ſine ipſo, ſed in eius præſentia ageretur, ac tractaretur.

Philipp.

Dignitas plena timore.

Bernard.

Magna non ſolo committenda miniſtro.

68. Octauò Idem Diuus Bernardus ſermone 3. ſuper Miſſus eſt; *Hoc mirandum*, ait, *quomodo qui Angelum miſerat ad Virginem, ab Angelo inuentus eſt eſſe cum Virgine; nimio tamen præuolans deſiderio præuenit ſuum nuntium ad Virginem.* Sic Deus flagrabat deſiderio redemptionis humani generis, & aſſumendi noſtram naturam, vt vbi primùm aduenit aſſignatum, ac diſpoſitum tempus à Patre, vnius Angeli moras non ſuſtinuerit, ſed præuolauerit, ac ipſum anteceſſerit. Optimè ait Seneca, *In deſiderio etiam velocitas mora eſt.* In magna illa affectione, qua Deus ad naturam tenebatur humanam, velocitas vnius Angeli mora eſt.

Bernard.

Deus olim hominem fieri, maximè deſiderabat.

Seneca.

69. Cùm Daniel ad Deum effuſis lachymis oraret, dicebat: *Exaudi Domine; placare Domine: attende, & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus*, Daniel. *cap.9. num.19.* Vbi Propheta non ſolùm populi libertatem à captiuitate, verùm etiam Dei aduentum in carnem poſtulabat. Quod patet ex reſponſione ab Angelo data; *Septuaginta hebdomades*, &c. ibi *num. 24.* Sed quare Propheta hypoſtaticam vnionem exoptat, non propter peccata noſtra, ſed propter ipſum Dominum; cùm tamen ex illa nihil vtile Deo accreſcat, ſed totum remedium humani generis in ipſa poſitum inueniatur? Gloſſa Interlinealis. *Propter temetipſum, quo nihil maius, pro quo rogari poſſit.* Quamuis miſeria noſtra Verbi Incarnationem efficaciter exoptaret, maximè tamen requirebatur, vt Dei deſiderium de ſuſcipienda carne mitigaretur. De Iacobo dicitur Geneſ. cap. 32. numer. 24. *Ecce vir luctabatur cum eo.* In Hebræo eſt, *pulurizabatur cum eo.* Sed quid puluis cum Deo, qui eſt ipſa puritas? Mos eſt amantium, dum rem optatam non poſſident, monumentis, ac veſtigiis blandiri voluptati. Sic Deus dum noſtram non aſſumebat naturam, affectui ſuo blanditias puluere dabat.

Daniel.9.

Interlin.

Geneſ.32. Hebræus.

Qvæstio XXVII.

Quare dixerit Angelus, Dominus tecum *& non*, Deus tecum?

70\. Respondetvr primò, quòd per hanc vocem *Dominus*, ſæpe diuinitas ſignificatur. *Hieremiæ cap.33.num.2. Iudith c.16. num.3.* Actorum cap.10.num.36. *Hic eſt omnium Dominus.* Vbi latè vide Lorinum. Secundò. Toletus *annotatione* 70. aſſerit quòd Angelus intendebat, Beatiſſimam Virginem Mariam ad conſentiendum verbis ſuis ſua legatione inducere; nomine Domini, tamquam argumento quodam vſus eſt; ſi enim Dominus eſt, eius dicto, & imperio obediendum. Tertiò. Doctor Ioannes Carthagena *lib. 5. homil.* 8. ait, quòd Deus dicitur, dum reſpicit creaturas, tamquam earum author: *Dixit Deus, fiat lux* Dominus verò nuncupatur, prout ſecundùm ſupremum, & abſolutum dominium omnia gubernat. Non dixit ergo: Deus, ſed *Dominus tecùm*; vt denotaret, quòd hoc myſterium, non ſecundùm leges naturæ, ſed ſecundùm ſupremam, & abſolutam Dei potentiam peragendum erat; vt ipſa Virgo Maria intacta conciperet, & ſuum pareret genitorem. Pro quo facit D. Athanaſius *ſermone contra hæreſes*. Quartò Deus dicit naturam increatam, quæ eſt vbique: Dominus verò denotat reſpectum ad ſeruos. Dicitur ergo *Dominus*, vt ſignificaretur, quòd non ſolùm, vt Deus ibi erat, ſicut vbique per eſſentiam, per præſentiam, & potentiam; verùm etiam vt Dominus, cùm Regis, ac Domini ſplendor maximè eluceat, dum ſuis præſens adeſt, fouendo, ac tuendo.

Act 10. Lorinus. Tolet. Carthag. *Incarnatio ſecūdùm potentiam abſolutam.* Athanaſ.

Qvæstio XXVIII.

Quare Virgo ab Angelo dicatur Benedicta in mulieribus?

71\. Benedicere, idem eſt, ac beneficiis proſequi. Dicitur ergo Beatiſſima Virgo Maria benedicta inter mulieres, ſeu vt habet D. Hieronymus ſermone de Aſſumptione, *Plus benedicta, quàm omnes mulieres.* Et licèt de Iudith *lib. ſuo c.13.num.23.* dicatur; *Benedicta es tu, filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram.* Tamen ſicut plenitudo gratiæ Beatiſſimæ Virginis eſt ſupra omnes Sanctos, ita eius benedictio. Igitur primò, dicta eſt benedicta, quia concepit, & peperit, & vnà cum Deo Patre vnum habet filium; nam *benedicere* in Scriptura ſignificat fœcunditatem, Geneſis cap.1.num.22. *Benedixitque Deus, dicens: Creſcite, & multiplicamini.* Et ita Virgo Maria hîc dicitur benedicta ratione fœcunditatis tanti, ac talis filij. Ita Diuus Auguſtinus *ſerm.11. de Natali.* Diuus Hildephonſus *ſerm. 3. de Aſſumptione*, Dinus Bernardus *ſuper Miſſus eſt*, & alij Patres. Secundò. Quia omnis maledictio per Euam inducta, per Mariam ſoluta eſt. Ita D. Irenæus *lib.3.c.33.* D. Auguſt. *ſerm. 10. de tempore.* Tertiò. Quia in ea fuit omnis benedictio, virginitas, fœcunditas, ac excellentia omnium virtutum, & donorum quæ eſſe poſſunt.

Hieron. Iudith 13. Geneſ. 1. Auguſt. Hildeph. Bernard. Irenæus. D. Auguſt.

72\. Sed inſurgit dubium: Quomodo Angelus hæc dixit? quando enim Angelus hîc Virginem ſalutabat, adhuc ipſa non conceperat Verbum, adhuc per eam maledictio non erat diſſoluta. Ideo graues authores tenent, hæc ab Angelo affata eſſe de futuro; ac ſi diceret, *Benedicta eris.* Aliter tamen ſimpliciter dicendum eſt: nam Angelus in ſuis verbis vnam fecit integram orationem; ac in prima ſalutationis patre, *Aue gratia plena, Dominus tecum*, locutus eſt de præſenti; ergo etiam in hac vltima parte; *Benedicta tu inter mulieres*, de præſenti protulit verba. Quamuis Virgo Maria pro tunc Deum in vtero non haberet, ad diuinam tamen maternitatem erat electa, & Angelus ex diuino conſilio agnoſcebat conſenſum ab ipſa præſtandum; opportuna autem laus, auſpicium eſt dignitatis futuræ. Deinde Virgo Maria meritis reſplendebat præclariſſimis, vt dignum Dei habitaculum effici mereretur; & vbi adſunt merita, ſtatim honoris infula coronat. De Chriſto Saluatore ait Iſaias cap.8. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortituto Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* Magnam omnibus difficultatem fecit, quomodo vaticinatur Propheta Diaboli ſuperbiam à Chriſto in infantia eſſe confringendam, à ſuoque principatu expoliendam, & meritò addubitat Diuus Cyrillus Alexandrinus aiens, *Nec ex hiſtoria, rebuſque ſub ſenſibus cadentibus inuenimus Chriſtum natum, ſtatim, vel expoliaſſe Damaſcum, vel regionem Regis Aſſyriorum.* Victoria à Chriſto Domino in Cruce eſt aſſecuta, ibi humani generis hoſtem debellauit, vt ipſe dixit Ioannis cap.12.num.32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Si inimicus in Cruce deuictus, quomodo ei in infantia victoria tribuitur? Chriſtus Dominus à primo ſuæ conceptionis inſtanti infinitis reſplenduit meritis, vt communiter fatentur Theologi. Differatur ergo triumphus, ac generis humani redemptio vſque ad Chriſti mortem ex pacto, ac fœdere cum æterno parente inito, iuxta illud Iſaiæ cap. 53. num.10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Tamen cùm Chriſtus Dominus, antequam apud homines patrem, & matrem exteriùs vocare ſciret, omnibus meritis emineret, ideo ei pro tunc victoria magnis fuit vocibus acclamata, magnoque faſtu inimicorum applaudenda expoliatio. Vnde eleganter dixit Caſſiodor. lib.5. variar. *Si merita ſplendent, de illorum venuſtate ante coronam auream facies pulchreſcit.*

Vbi meritū, ibi adeſt corona. Iſai 8. Cyrill. Ioan. 12. Iſai. 53. Caſſiodor.

Lucæ 1.n.16. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.

VERSIONES.

Syriacus. Illa verò cùm vidiſſet, turbata eſt eius ſermone, & meditabatur, qualis eſſet pax iſta.

D. Ambr. hîc, & lib. 1. offic. c.18. & lib. 2. de Abrah. c.9. Ipſa autem, vt vidit eum, mota eſt in introitu eius, & erat cogitans, qualis eſſet hæc ſalutatio.

Pagni

Pagninus. Illa verò cùm vidiſſet, turbata eſt ſuper oratione eius, &c.

Arias. Illa verò videns perturbata eſt in eius ſermone, & ratiocinabatur, qualis eſſet ſalutatio iſta.

EXPOSITIO.

73\. Græc. Græci omnes Codices habent: *Quæ cùm vidiſſet*; nec enim multum refert, ſi legatur: Quæ cùm vidiſſet Angeli maieſtatem; vel cùm audiſſet inauditum Angeli ſermonem; nam fortaſſe tum ex aſpectu Angeli tanto fulgore apparentis; tum ex tam honorifico, inſolitoque ſermone turbata eſt. Hæc autem turbatio orta fuit, non ex debilitate, aut defectu corporis virium, ſed fuit quidem timoris, & pudoris, atque admirationis affectus, & ideo Angelus reſpondit: *Ne timeas, Maria.* Hæc verò prudens admiratio, & turbatio in Virgine, quam refert Euangeliſta, & rationalis timor reſultauit ex ponderatione eorum, quia audiebat, & tanta animi moderatione, & conſtantia turbata eſt, vt cogitaret, *Qualis eſſet iſta ſalutatio.* Vnde rectè ait D. Bernardus homil.3. ſuper Miſſus eſt. *Turbata eſt, ſed non perturbata, turbati eſt, & non eſt locuta, ſed cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Quòd turbata eſt, verecundiæ fuit virginalis; quòd non perturbata, fortitudinis; quòd tacuit, & cogitauit, prudentiæ.* Pro quo ſimilia verba adducam *q.* 30. ex D. Bonauentura.

Bernard. Bonauent.

Qvæstio XXIX.

Quare Virgo, audito ſermone Angeli, turbetur?

74\. Svppono ex communi ſententia Patrum, Diui Hieronymi, Diui Auguſtini, Diui Bernardi, Diui Laurentij Iuſtiniani, Diui Petri Damiani, quos ſtatim referam, Beatiſſimam Virginem aſſuetam eſſe colloquiis Angelorum. De quo Diuus Damaſcenus *oratione 1. de Dormitione Virginis.* Cauſam ergo turbationis Virginis proponamus, rationes etiam ad mores aliquantulum componendo. Primò Euthymius *hîc*, D. Bernardus *homil.3. ſuper Miſſus eſt.* Andreas Cretenſis *ſerm. de Annuntiatione*, eam timoris cauſam exiſtimant, quia dubitabat Beatiſſima Virgo, an ille eſſet Angelus Lucis, vel Sathanæ; ſciebat enim Beatiſſima Virgo, quòd Sathanas aliquando ſe transfigurat in Angelum lucis. Ait Diuus Bernardus citatus: *Quidquid nouum, quidquid ſubitum fuerit ortum, ſuſpectas habet inſidias; idcirco Maria turbata eſt: ſciebat, quòd ſæpè Angelus Sathanæ transfigurat ſe in Angelum lucis.* Sed hoc magnam habet difficultatem, quia dicitur in textu, *Turbata eſt in ſermone eius.* Secundò. Quia inter gratias gratis datas habuit perfectam diſcretionem ſpirituum; ergo cognoſcebat, bonum eſſe Angelum. Tertiò. Quia, vt mihi perſuadeo, Beatiſſima Virgo à principio cognouit, eſſe bonum Angelum & Gabrielem, ideoque ipſe Angelus non dixit Virgini: *Ego ſum Gabriel*, vt manifeſtauit Zachariæ, vti vidimus ſuperiori capite.

Hieron. Auguſt. Bernard. Iuſtinian. Damian. Damaſcen. Euthym. Bernard. Andr. Cret. Bernard.

75\. Secundò. D. Ambroſius *hîc, & lib. 2. de Virginitate*, & Diuus Hieronymus *in epiſt.7. ad Lætam, & in epiſtola ad Euſtochium*, Diuus Damaſcenus *orat.1. de dormitione Virginis*, affirmant, perturbationem Virginis iſtam, de qua ſupra, fuiſſe ortam ex ſubita Angeli apparitione in forma viri inſolita, & admirabili. Vnde eleganter D. Ambroſius *lib.2. de Virginitate, de Beatiſſima Maria*, ait: *Ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo, vt cognoſcas aures religioſas, oculos verecundos.* Nam Deipara, cùm eſſet aliena à colloquio hominum, peregrinata eſt in ſpecie viri, in qua Gabriel apparuit; non tamen in Angelo, vtpote eorum alloquiis aſſueta. Ex quo multa habes ad mores. Primò. Quia verecunda Virgo aſpectum viri timuit. Vnde ait D. Bernardus, quòd *Virginalis verecundia tuta timero ſolet.* Secundò. Quia quamuis cognouerit Angelum, cùm tamen apparentem, & fictam viri formam inſpexerit timore tacta eſt. Videbatur ei adoleſcens eximia & præſtanti forma cùm talis non eſſet, & vbi adeſt fictionis vmbra, prudens pauet.

Ambroſ. Hieron. Damaſcen. Ambroſ. Bernard. *Fictio timenda.*

76\. Tertiò. Citatus Andreas Cretenſis, *Turbata*, inquit, *eſt in ſermone eius.* & ſubdit: *Quaſi diceret: Num ſola ego inter mulieres nouū naturæ modum inducam?* Præſenſit Beatiſſima Virgo Maria, ex modo annuntiationis, quòd ipſa eligeretur in Meſſiæ matrem ſine virginitatis læſione, & ideo turbata eſt, dum ſe videt ad nouum, ac ſingularem maternitatis modum eligi: nam ſingularitas ſemper eſt valde ſuſpecta. Quartò Diuus Petrus Chryſologus *ſerm.* 140. Diuus Hieronymus *in epiſt. ad Euſtochium*, docent, eximium ſplendorem ac fulgurantes radios, quos Angelus ex ſe mittebat, originem extitiſſe timoris. Cui fauet Eccleſia. *Expaueſcit Virgo de lumine.* Quintò. Idem Chryſologus ſermone 143 *Maria*, ait, *vt vidit Angelum, turbata eſt: quia in ingreſſu Angeli Virgo ſenſit diuinitatis ingreſſum.* Nulla eſt creatura adeò pura, quæ ad Dei præſentiam non paueat, Sextò. Idem Chryſologus ſerm. 142. *Quid plura*, ait, *mox ſentit, in ſe ſupremum ſuſcipi iudicem.* Virgo puriſſima, immuniſque ab omni peccato, cùm ex ſalutatione, vt dicam, cognouerit intra ſe Deum ſuſcipiendum, expaueſcit. Qualiter debet contremiſcere homo qui ad Euchariſticam accedit menſam: ſi enim ſuſcipit agnum, ſuſcipit etiam iudicem. Sed cum his omnibus expoſitionibus pugnat illud, quod dicitur in textu: *Turbata eſt in ſermone eius.*

Cretenſis. *Singularitas timenda.* Chryſol. Hieron. Chryſol. *In Dei præſentia timendum.* Chryſol. *Qui accedit ad Euchariſtiam timeat.*

77\. Septimò. Origenes *homil.6. in Lucam.* D. Ambroſius *hîc.* D. Laurentius Iuſtinianus *ſermone de Annuntiat.* Hugo, turbatam Virginem fuiſſe, affirmant, ex inſolito ſalutandi genere; quia à ſæculo ſimile non fuerat auditum, ſciebat enim ſalutationes hominum, & Angelorum ex Scriptura, benedictiones legis ex *Deuter.28.* & nunquam ſimilem: *Aue gratia plena*, audierat. Et ſic ait D. Ambroſius: *Salutationis nouam formam Virgo mirabatur, nuſquam enim erat lecta, vel audita.* Diuus Auguſtinus ſerm. de Annunciat. *Poſt illius benedictionis præſagium terretur Virgo de nouitate verborum.* Semper prudens noua, & inſolita timet. Sic ait D. Bernardus ſerm.3. ſuper Miſſus: *Omne nouum ſuſpectas reddit inſidias.* Octauò. Andreas Cretenſis *ſerm. de Annuntiat.* ſic meditabundam

Origen. Ambroſ. Laurent. Hugo. Ambroſ. Auguſt. Bernard. *Noua timenda.*

ſecum

Cretenſis.

ſecum loquentem introducit. Virginem : *Qualis eſt hæc ſalutatio? Quis ille, aut vnde ingreſſus, qui nuntium hoc mihi apportauit? Angelum ergo eum cenſebo? Verùm hominis inſtar loquitur.* Adeò eſt cauta Virginitas, vt in puro ſpiritu humanam loquelam timeat, Nonò. Graues authores, ex eo Beatiſſimam Virginem metuere aſſerunt; quia audierat ab Angelo, ſe benedictam vocari, ſubtilitate ingenij ſui cognoſcebat ex Scriptura, benedicere, fœcundare, ſeu prolem dicere. Geneſ.1. *Benedixit eis, dicens : Creſcite*, &c. Vt autem hæc intellexit, caſtiſſima, ac puritatis amantiſſima cœpit erubeſcere, & timere virginitati ſuæ.

Geneſ.1.

78. Decimò. D. Thomas 3. *part quæſt.* 30. *art.* 3. *in fine*, ex aliquorum Patrum ſententia ita, *B. Virginem, vt aſſuetam viſionibus Angelorum, non fuiſſe turbatam in viſione Angeli, ſed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur; quia de ſe non tam magnifica cogitabat; vnde Euangeliſta non dicit, quod turbata fuerit in viſione Angeli, ſed in ſerm.* Et ſimiliter D. Laurentius Iuſtinianus ſæpe *citatus*. Extitit ergo Beatiſſima Virgo turbata ex tam honorifica ſalutatione in ſui laudem, ac ex tot magnalibus, quæ de ſe audierat; vir enim prudens cùm laudatur in ore, torquetur in corde. Orabat Chriſtus Dominus in horto, dicens : *Pater ſi vis, transfer à me calicem iſtum. Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, Lucæ 22.n.42. Sed quid hoc quòd poſt confortationem Angeli angores augentur, & præ triſtitia ſanguis è corpore effunditur? D. Epiph. hær. 69. *Angelus confortabat eum, admirando eius fortitudinem, laudando, ac dicendo Tua eſt potentia Domine, tua eſt fortitudo.* Et ſimiliter Theophylactus Cùm ergo Dominus Ieſus ſui laudes, magnitudines donorum. ac dominationum à Patre præparatas audiuit, timore vehementi tactus, factus eſt in agonia prolixiùs. Et quamuis Dominus, dum mortem paueret, dixit: *Triſtis eſt anima mea*; dum verò confortationem tot magnalibus plenam auſcultat, factus eſt tunc ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis. Hæc autem confortatio, vt ait Gloſſa Interlinealis, *fuit ad noſtram eruditionem.* Chriſtus enim Dominus illa minimè egebat, ſed vt te inſtruat. Quòd in ipſo, qui ſui erat maximè ſecurus, ſua audita præconia timuit; qualiter tu; qui ad omnem es propenſus miſeriam, tui debes commendationes horreſcere, & formidare? Vnde ait Seneca Epiſtola 4. ad Lucillum. *Ad omne fortuitum bonum ſuſpenſi, & pauidi ſubſiſtite, quia beneficium inſidiæ fortunæ ſunt.*

S.Thom. — Laurent. — *Prudẽs, dum ſui laudes audit, timet.* — Luc. 22. — Epiphan. — Theophyl. — Interlin. — Seneca.

QVÆSTIO XXX.

Quare Deipara, audita ſalutatione, non ſtatim reſpondit?

79. RESPONDEO primò, quòd Beatiſſima Virgo Maria, audita tam honorifica ſalutatione, non ſtatim reſpondit, ſed ob magnitudinem prudentiæ animi ſui, antequam reſponderet, erat verba Angeli, eorumque intelligentiam præponderans. Diuus Chryſologus ſermone 140. *Cogitat Virgo*, ait, *quia citò reſpondere, eſt facilitatis humanæ; cogitare verò, ponderis eſt maximi, & iudicij præmaturi.* Et D. Bonauentura hîc. *Tripliciter*, ait, *Virgo eſt commendabilis, in auditu ſcilicet, affectu, & cogitatu. In auditu commendatur modeſtia, cùm dicit, quæ cùm audiſſet, ideſt, ſilentio, & taciturnitate auſcultaſſet, ſecundùm illud* Eccleſiaſt. 11. *Audi tacens. In affectu commendatur, cùm dicitur: Turbata eſt, ſcilicet ex verecundia.* Beda: *Decet trepidare Virginem. In cogitatu laudatur, cum dicitur: Et cogitabat, qualis eſſet ſalutatio. Et hæc eſt magna prudentia* Sapientiæ 6. *Cogitare de illa.* Daniel. cap. 4. *Cœpit intra ſemet ipſum quaſi vna hora cogitare.* Ita ille.

Chryſol. — Bonauen. — *Prudens citò reſpõ*

80. Secundò. Andreas Cretenſis ſermone de Annuntiat *Veriſimile eſt*, ait, *ipſam haud ignaram diuinorum, quæ in Scriptura habentur, oraculorum fuiſſe. Vt cogitationes ſuas ſtatim conuerterit ad primæ parentis lapſum, animo ſecum ſuo reuoluens deceptionis primæ caſum. Non ergo immeritò Euangeliſta meditabundam illam fuiſſe, ſcripſit.* Vbi Cretenſis ipſe loquitur conſequenter ad ſuam ſententiam, quam retuli *ſuperiori quæſt. in 1. ſolutione*; quòd ſcilicet Beatiſſima Virgo fuerit dubia, an ille Angelus eſſet bonus, vel malus? Sciebat enim Beatiſſima Virgo, primum mulierem deceptam fuiſſe locutione Angeli Sathanæ: cogitabat ergo, ne in ſalutatione illa fallacia aliqua lateret; prudens enim aliorum caſu, & ruina fit cautus. Hæc eſt ſententia Cretenſis, ſed eam *citato loco* impugnaui. Tertiò. Cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio, vt denotetur, quantùm diſtet hæc Angeli apparitio, ab illis quæ fiebant Prophetis. Nam cùm idem Gabriel Danieli apparuiſſet, totum terribilem ſe exhibuit : *Oculi eius, vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius, vt vox multitudinis*, Daniel. c. 10. n. 6. At Beatiſſimæ Virgini ſe præbuit totum placidũ, ac hilaris eam humiliter, & honorificè ſalutat, & reueretur. Deinde Daniel, dum vidit Angelum, de ſe ait ibidem n. 7. *Non remanſit in me fortitudo, ſed ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* At Beatiſſima Virgo eundem Gabrielem audiens, prudentia, ac fortitudine, erecto corpore ſtabat cogitans, qualis eſſet iſta ſalutatio. Ex quo moraliter conſidera, qualiter ſe habuit Angelus erga Beatiſſimam Virginem, ac Danielem : Beatiſſimam Virginem, vt Dominam, ac Reginam lætus, & humilis veneratur; Danielem verò, vt ſibi inferiorem, terribili aſpectu terret, ita vt ipſe conſternatus iaceret, & vultus eius terræ hæreret. Solent enim miniſtri coram dominis ſuis lenes, ac modeſtia perfuſi videri : coram verò ſubditis toti horribiles, ita vt à facie eorum terror nimius irruat in illos. Hæc ita moraliter accipe.

Cretenſis — *Prudẽs aliorum ruina cautus.* — Dan. 10. — *Miniſtri ſuperioribus ſuis humiles, inferioribus terribiles.*

Lucæ 1. *n.* 30. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.

VERSIONES.

Pagninus. Ne timeas, Maria, nacta es gratiam apud Deum.

Text. Græc. Ne timeas, Maria, nacta gratiam iuxta, ſeu prope Deum.

Arias. Ne paueas Maria.

D. Cypr. lib. 2. *adu. Iudæos.* Inueniſti gratiam ante Deum.

EXPOSITIO.

81. BEATISSIMA Virgo, audita ſalutatione Angeli, ob ſui humilitatem ſenſum illius inueſtigabat, & in reſponſione cunctabatur. Verbi ſenſu non percepto, magnæ eſt prudentiæ non reſpondere. Ideo Angelus legationem ſuam exprimere intentat. Et primò vult, ab ea timorem, ac pauorem expellere; amicitiæ, ac beneuolentiæ cauſa eam proprio nomine vocat, & rationem deponendi timorem aſſignat, quia inueniſti gratiam apud Deum, illíque es grata, ac gratioſa.

QVÆSTIO XXXI.

Quare Angelus velit ab ea timorem excludere?

82. RESPONDET primò Titus Boſtrenſ. *Quia verò fieri vix poterat, vt conturbata, accuratè ad ea, quæ Angelus dicturus erat, attenderet, quo ab omni animi commotione iam libera diuinum reſponſum ſedatè accipiat, propterea Gabriel in ipſo ſtatim orationis veſtibulo omnem illi metum adimit, dicens : Ne timeas, Maria.* Secundò Caietanus. Confortat eam modò, ne timeat, vt ex hoc, quod virgo videt, ſuum internum affectum à Gabriele cognoſcit, Dei Angelum eſſe cognoſcat; ſola enim diuina reuelatione poterat Angelus eiuſmodi habere cognitionem. Tertiò. D. Auguſt. ſerm. 5. de Natiuitate Domini, tom. 10. *Ne*, inquit, *timeas. Abijce abs te omnem metum ſæculi, quæ conceptura es gaudium mundi.* Ac ſi dicat : Mulier, in quam cæleſte gaudium, ac ipſemet vniuerſi Dominus intraturus eſt, nullius creaturæ timore, ſed ſolius Dei replenda eſt; ac proinde à mea præſentia ne timeas. Quartò. Vt diſcant homines, gratiam Dei habentes, timere ne eam perdant. Qui bonis temporalibus ſunt expoliati, vbique ſecuri; qui verò magnam copiam poſſidet, valde timidi : ſic gratiæ expertes, in omni loco intrepidi, illius theſaurum habentes, valde pauidi. Quintò. D. Petrus Chryſologus *ſerm.* 144. ita introducit Angelum ad Mariam loquentem : *Ne timeas, Maria. Quid timet, quæ ſuſcepit eum, quem timent omnia, quæ timentur? Quod timet, cui iudex cauſæ eſt aſſertor, integritas teſtis innocentiæ.* Ac ſi dicat : Quieto, & tranquillo animo eſto Virgo; hoc enim tua verificat puritas, & iudex vt integrè, & fidelis amicus, cui places, hoc affirmant; ideo namque tibi iam dixi : *Gratia plena, Dominus tecum*; & vbi adeſt iudicis teſtimonium, ac beneuolentia, nulla eſt timendi materia. Sextò D. Chryſologus *ſerm.* 142. dandus *q. ſeq.* ponderat, quòd Maria ex Hebræo nomine *Domina* nuncupatur; & ait: *Vocat ergo Angelus Dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis: quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & imperauit auctoritas.* Cùm ipſa ſit domina à ſeruitute peccati libera, nulla eſt ei timẽdi ratio, cùm ex ſuo germine habeat dominãdi auctoritatẽ.

Boſtrenſ. — Caiet. — Auguſt. — *Qui multum habet, multum timet.* — Chryſol. — Chryſol. — *Maria Domina nuncupata.*

83. Septimò. Timet Virgo, vt nos in omni tranquillitate, & ſerenitate timeamus : nam, vt ait D. Bernardus hîc, *Vis ô homo in periculo eſſe ſecurus? Time ſecuritatem. Vis eſſe à Dæmone liber? Angelos de cælo time.* Cùm Chriſtus Dominus eſſet in vltima cœna cum ſuis diſcipulis, eis dixit, quòd ab vno illorum in ſuorum inimicorum manus eſſet tradendus : & manifeſtum erat, ac euidens, quòd Dominus loquebatur de proditione illa nocte peragenda. Quid tunc Apoſtoli? *Contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere : Numquid ego ſum Domine?* Matth. 26. num. 22. Sed quomodo Petrus, Ioannes, Andreas, ac alij Apoſtoli. Iuda excepto, timent, ac trepidant? Nónne quilibet de ſua conſcientia erat certiſſimus, quòd numquam tale erimen ei venerit in mentem? Cur ita pauent, ac quærunt omnes? Numquid ego ſum Domine? Omnes valde ſecuri erant de ſuo conſtantiſſimo affectu erga Chriſtum Dominum, & tamen timent ne fortè ab eo diffidant; & cadant. S. Leo ſerm. 7. de Paſſione, cap. 3. *Ecce innocentes condiſcipuli*, ſcilicet, ô Iuda, *ad ſignificationem facinoris expaueſcunt, & omnes ſibi, non edito impietatis authore, formidant. Contriſtati enim ſunt, non de conſcientiæ reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minus verum eſſet, quod in ſe quiſque nouerat.* Cùm Agar Ægyptia fugeret à facie Dominæ ſuæ, ei apparet Angelus, & ipſam reprehendit, *Geneſ.* 16. *num.* 8. nullum tamen pauoris ſignum in muliere viſitur. Danieli ſe exhibet Angelus aſportans feliciſſima nuncia de exitu populi à captiuitate Babylonica: & tamen Propheta ait de ſe : *Non remanſit in me fortitudo; ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium : & audiens iacebam conſternatus, & vultus meus hærebat terræ.* Daniel. 10. num. 8. Agar mulier; & idololatra in viſione Angeli non timet, & ſanctus Propheta ſupernaturali fide, diuina gratia, cæleſtibus donis munitus, ita pauet ac timore conſternatur. Cur ergo timet? Quia ſanctior erat; & licèt ex ſanctitate poſſet habere animum ſecurum, ac pacatum ad loquendum cum Angelo, inde ipſam ſecuritatem timebat. Vnde dixit Tertullian. *lib. de idololatria, cap.* 24. dum de gubernaculo fidei agit; *Inter hos ſcopos, & ſinus, inter hæc vada, & freta idololatriæ, velificata Spiritu Dei fides nauigat tuta, ſi cauta, ſecura, ſi attonita.*

Bernard. — *Iuſtus ſecuritatem timet.* — Matth. 26. — Leo. — Daniel. 10. — Tertull.

QVÆSTIO XXXII.

Quare Angelus exprimat hîc nomen Mariæ?

84. ANGELVS hîc nomen Mariæ ponit, cùm in principio ſalutationis illud ſubticuerit. Reſpondeo primò. Vt Angelus ſe familiariter illi exhibeat, & ab ea omnem timendi rationem expellat, ideo nomine proprio appellat. D. Bernardus homil. 3. ſuper Miſſus eſt : *Familiariter*, ait: *Virginem vocans ex nomine, benignè, ne timeat, perſuadet, nihil hîc doli, aut fallaciæ eſt, nullam circumuentionem, nullas hîc ſuſpiceris inſidias.* Et ideò, vt notat Lactant. Firmianus lib. de opific. mundi : *Cùm Diabolus ad primam fœminam inſidioſè alloqueretur, non eam nomine proprio appellat, ſed tantùm dixit ad mulierem*, Geneſ. 3. num. 1.

Bernard. — Lactant.

Quaſi

Beneuolentiæ ſigno non eſt decipiendum.
Athan.

Quaſi nollet Diabolus ſub beneu olenti ſigno aliquem decipere,quod ſæpe homines non verecundantur.Secundò D.Athanaſius *epiſt.ad Marcellinum de interpretatione Pſalm.*notat,quòd Angelus nomine proprio Mariam vocauit,tanquam à ſuo genere alienam & diuerſam ; cùm Angelus ſit incorporeus, ipſa verò corporea. Tanta enim erat puritas Virginis, vt ne Angelus in natura putaretur, neceſſe fuerit, eam vt diuerſam tractare,& nominare.

85. Chryſol.

Tertiò. Ad Mariam dicit, *Ne timeas*, ipſum enim Marianum nomen magnam habet vim ad tranquillitatem, & ſerenitatem animi inducendam,& ad metum, ac perturbationem excludendum.D.Petrus Chryſologus ſerm.142. *Ante cauſam*,ait, *dignitas Virginis annunciatur ex nomine. Maria Hebræo ſerm.*ait,*Latina Domina nuncupatur:vocat ergo Angelus Dominam,vt Dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci,& vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impertiuit auctoritas.*Et ideo vt Angelus quietum redderet animum Ioſeph, Marianum nomen, vt efficax remedium,illi adhibuit, non dixit ſolùm: Accipe coniugem;ſed adhibet Mariam ad depellendum timorem : *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, Matthæi 1. Expende illa verba, *Ante cauſam dignitas Virginis annunciatur ex nomine.* Antequam Angelus exprimeret ſuam legationem,quòd Virgo eſſet electa in matrem Dei, iam tam ſublimis dignitas ipſo Mariano nomine declarabatur;nam Maria,ideſt,Domina ex radice Hebraica, excellenti quadam prærogatiua, *& vocari Dominam ſui germinis fecit auctoritas.*Quartò.Maria,ideſt,Domina;& ideo ait D.Chryſologus citato loco:*Cauſa dignitatis Virginis annuntiatur ex nomine.*Appellat ergo Angelus eam Mariam hîc, ideſt,Dominam,vt oſtendat, quòd non ſolùm à conceptione filij, ſed multo antea dominationem habuerit, & hoc nomine fuerit inſignita; quia ab æterno ordinata erat in Dei matrem. Et ideo ait Fulbetus Carnotenſis ſerm. de Natiuitate Virginis.*Archangelus Gabriel eam, antequam Mater Dei efficeretur, quia futuram nouerat, tanta veneratione ſalutauit.*

Nomen Mariæ timorem excutit. Matth. 1. *Mariæ nomen omnẽ dignitatem dicit.* Chryſol. Carnot.

86.

Quintò. Ex eo, quòd Gabriel eam Mariam appellare ſcit, non humanem, ſed Angelum Dei ſe oſtendit; ita enim erat abſcondita Virgo, & clauſa in domo, vt nullus eſſet homo, qui eam nomine proprio agnoſceret; ac proinde tantùm diuina reuelatione hæc notitia conſequi poterat: & ideo ait D. Bernardus Chryſologus ſerm. 145. *Hoc nomen Maria prophetiæ germanum eſt.* Sicut enim prophetia ex dono Dei tantùm habetur, ita & nomen Mariæ. Vel fortaſſe intelligit S.Pater,quòd ſicut donum Prophetiæ illuminat intellectum,ita & nomen Mariæ. Sextò.Eam nomine proprio appellat, vtſignificet Angelus, nomen Mariæ eſſe ſcriptum in libro vitæ. Ita D. Bonauentura *hîc.* Vnde ait Cardinalis Nicolaus Cuſanus lib.8.Exercitat. *Non eſt*, ait, *Maria deleta de libro mortis, quia nunquam in eo ſcripta fuit.* Septimò. Non in prima ſalutatione nomen Mariæ Angelus poſuit, ſed hîc ſecundò hoc in ſerm. ad Virginem, quia ſtatim addendum erat, *Concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum*; tanta enim eſt excellentia nominis Mariani, vt à Ieſu ſegregari non poſſit; ita vt primum locum nomen Ieſus, ſecundum Mariæ habeat. Ita doctiſſimus Idiota *liber de contemplatioone Virginis,cap.5.*& citatus Cardinalis Nicolaus.

Virgo clauſa in domo. Chryſol. *Nomẽ Mariæ illuminat intellectum.* Bonauent. Cuſan. Idiota.

Qvæstio XXXIII.

Quare dixerit Angelus : Inueniſti gratiam apud Deum?

RESPONDETVR, quòd ad excludendum timorem à Beatiſſima Virgine hoc dixit. Inuenire gratiam eſt Hebraiſmus; & idem valet,ac eſſe gratum alicui,illique placere,ac eius fauorem habere. *Eſther 2.n.9.& 7.n.3. Iudic.12.num.17.*Ac ſi dicat Angelus. Quæ grata es Deo, & eius beneficiis, ac fauore munita, nihil habes ad timendum. Ita ait D. Petrus Chryſologus.*Verum eſt,quia qui inuenit gratiam,neſcit timere.*Similiter D. Bernardus *ſerm.3.ſuper.Miſſus eſt.* D. Bonauentura, Baſilius Seleucus Epiſcopus.*Timor eſt eorum, qui offenderunt, tu verò gratiam inueniſti.* Sed dubium hîc oritur, de qua gratia loquatur Angelus? 87.

Chryſol. Bernard. Bonauent. Baſil.Sel.

Primò eſt ſermo de gratia ſanctificante, quam genus humanum peccando amiſerat, hanc Maria inuenit, vt omnibus reſtituat. Et ideo ait Cardinalis Hugo hîc.*Quia non ſibi ſoli retentura erat gratiam,ideo dixit Angelus,inueniſti;currant ergo peccatores ad Virginem,qui gratiam amiſerant peccando,& eam inuenient apud eam,eam ſalutando,& ſecurè dicant:Redde nobis rem noſtram,quam inueniſti.*Et Albertus Magnus ſermone 1. de Annuntiat.*Inueniſti gratiam,*ait,*non creaſti vt Deus, non capuiſti vt Angelus, non perdidiſti vt Adam, non rmiſti vt Simon Magus, non abſcondiſti vt infidelis doctor, ſed reſtituiſti potius.* 88.

Hugo. Alb.Mag.

Secundò, & mihi probabilius, ſermo eſt de gratia Incarnationis, quam ipſa maximè optabat; & ideo Angelus explicat gratiam, quam inuenit: *Ecce concipies, & paries filium*; vt obſeruarunt D. Ambroſius *hic*, & Origenes *homil. 6. in Lucam*, & in hac explicatione eſt etiam D. Bernardus *ſerm.3.*D. Bonauentura *hîc.* Andreas Cretenſis *ſerm.de Annuntiat.*In cuius rei explicationem nota modum loquendi; *Inueniſti gratiam apud Deum.*De aliis quatuor modis dicitur inuenire gratiam vel coram Domino, de Moyſe *Exod.33.num.12.*Vel ante Deum,vt dixit beatus Stephanus *Actor.7.num.46.*Vel in oculis Domini, vt de Abraham *Geneſ.18.num.3.* Vel in conſpectu Domini, vt dicitur de Ioſeph *Geneſ. 50. num.4.* At ſanctiſſima Virgo apud Deum, ſeu, vt eſt in Græco, prope, ſeu iuxta Deum, quia alij ita inuenerunt gratiam, vt eſſent diſtantiſſimè ſeparati, & inferiores Deo; at Virgo ita inuenit, vt eſſet prope, ſeu iuxta celſitudinem Dei, vt eſt mater cum filio; & hanc coniunctionem parentis ad filium denotat particula *apud. Et Verbum erat apud Deum;*& ita ait D.Thomas, quòd Beatiſſima Virgo ſua operatione fines diuinitatis propinquiùs attigit,2.2.*quæſt.*105.*art.*4.*ad* 2. 89.

Ambroſ. Origen. Bernard. Bonauent. Cretenſ. *Virgo Deo valde propinqua.* D.Thom.

Deinde nota,quòd non dicitur : *Inueniſti gratiam* apud Dominum, ſed *apud Deum*, ſeu,vt ſonat in Hebræo, *apud Elohim*, id eſt,apud Deum iudicem. Dominus dicitur, qui operatur ſecundùm vim, ac potentiam abſolutam; Iudex verò, qui ſecundùm metas iuſtitiæ gubernat. Dum ergo ſermo eſt de gratia Incarnationis, non dicitur inuenire gratiam apud Dominum, ſed apud Deum, ſeu iudicem, quia ſuppoſito decreto Incarnationis dignum habitaculum Deo eſt præparatum. Et ideo ſententia, quæ aſſerit, Virginem meruiſſe maternitatem de condigno, vt piam, & probabilem ſuſtinui in propria lectura cum aliquibus antiquis, & Cabreira 3.*part. quæſt.2. art.11. diſput.6. num.6.* Raguſa *diſput.*45. & 46. Ergo,ſuppoſito decreto Incarnationis,debuit fieri in Virgine. Nota tertiò, quòd abſolutè dictum eſt, cùm dicitur *gratia plena*; quia apud omnes, tam Deum, quàm creaturas, gratioſa erat, vt *ibi* dixi : at verò hîc determinatè *apud Deum*, tum vt certa ſit de virginitate non amittenda, tum quia ſolus Deus hoc myſterium poterat operari. Nota quartò, quòd hæc gratia, quam inuenit, fuit ſingularis, & generalis, vt loquitur D. Bernardus homilia 3. ſuper Miſſus eſt.*Inueniſti,*ait,*gratiam; quantam gratiam? Gratiam plenam,gratiam ſingularem : ſingularem, an generalem? Vtramque ſine dubio, quia plenam,& eo ſingularem,quo generalem.* Ac ſi dicat, quòd hæc gratia fuerit ſingularis, & generalis; ſingularis, quia extitit peculiaris; generalis, quia ad alios tranſiuit; ita enim Dei beneficia ſe habent, vt pluribus communicentur. 90.

Suppoſito decreto incarnatio debuit fieri ex Virgine. Cabreira. Raguſa. Bernard.

Lucæ 1.n.31. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.

VERSIONES.

Textus Græcus.	Habebis in vtero, & paries,&c.
D.iuſtin. in Apolog. 2. ad Anton. Imp.D.Damaſc. lib.3. de fide c. 2.	Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.
Heſychius hom.1.de laud.Virg.	Paries filium, vocabis nomen eius Emmanuël.

EXPOSITIO.

91. ECCE, ait, vt denotet celeritatem: ac ſi dicat; ſtatim conceptura es, vt explicat Græcus auctor citatus *in Catena.Ecce,*vt indicet rem nouam,& non viſam,hoc enim ſignificat illa particula in Scriptura *Ecce*, vt modus annuntiandi prophetiæ correſpondeat:*Ecce Virgo concipiet*, Iſai.7. Ac ſi dicat: Tu es illa Virgo, quæ concipies, & paries. *Concipies in vtero,* ait, *& paries*, tempore ſuo, & naturali loco gignes. *Vocabus nomen eius Ieſum.* Valde enim frequens eſt in Scriptura nomen, *Annuntiare. Nomen eius Ieſum*, id eſt, Saluatorem, quo ei innuitur partus ſine dolore; vt enim ait D.Gregor. Niſſenus in Catena:*Saluatoris aduentus omnis triſtitiæ, doloris,ac timoris eſt propulſio.*De hoc vero ſanctiſſimo nomine multa ſequent. lib.in proprio loco.

Iſai.7. Greg.Nyſ.

***

Sylueira in Euang.Tom.I.

Qvæstio XXXIV.

Quare dicatur Deiparæ : Concipies, & paries?

92. ANNVNCIATVR Beatiſſimæ Virgini,*Concipes,& paries*; cùm Zachariæ, vt ſuperiori cap. vidimus, de Baptiſta dictum ſit : *Vxor tua pariet tibi filium*,Luc.1.num.13.Vbi Angelus ſolùm partum Præcurſoris, non verò conceptionem denuntiat : vtrumque tamen hîc Beatiſſimæ Virgini. Reſpondeo primò. Vt veritas Euangelica Prophetiæ correſpondeat. De Ioanne non conceptio, ſed ortus tantùm in Prophetis prædictus erat,*Hierem.*1.*Malach.*3.*n.*1. At de Chriſto Domino, Conceptio, & ortus prophetatus eſt. Iſai.7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Secundò. Conceptio Ioannis fuit in peccato,ortus verò in gratia : ergo tacetur conceptio, & partus annuntiatur, vt denotetur, quòd totùm, quod in Ioanne apparet, gratia eſt. Tertiò. Innocentius tertius Pontifex ſerm.1. de S. Ioanne. *Gabriel,*ait,*Ioannis non conceptum,ſed ortum dicit; Ieſu verò prædicit ortum pariter,& conceptum:quia Ioannes fuit conceptus in culpa, ſolus autem Chriſtus fuit ſine culpa conceptus : vterque verò natus in gratia. Et ideo vtriuſque natiuitas colitur ; ſed ſolius Chriſti conceptio celebratur.* Iuſti,& Dei miniſtri,quod bonum eſt,publicant,& manifeſtant; quod verò malum,occultant, & abſcondunt. Natiuitas Chriſti, & Ioannis, vt Sancta, ab Angelo annuntiatur; at Conceptio Chriſti, vt Deo grata,ab Angelo dicitur ; Conceptio verò Ioannis, vt in peccato, tacetur. Balaam ad maledicendum populum proficiſcebatur ; & ideo Angelus voluit interficere eum; ac Deus direxit linguam eius, vt benediceret. Vbi nota cum Lyrano, & Carthuſiano, quòd vt iniquus vates, & ex ſe loquens intentabat maledicere populum, eius peccata, ac ſcelera diuulgando ; & bona, ac benedictiones prætereundo; & Spiritu Dei inflatus aliter ſe habuit, vt benediceret, & mala conticeſceret : benedictiones verò alta voce clamaret. Ex quo patet, homo quantum differt à ſe, dum proprio ſpiritu, ac inſpiratione Dei agitur. Vide ſuprà *c.1.n.115.& c.2.n.90.*

Luc.1. *Veritas Prophetia.* Iſai 7. *In Ioanne totum, quod apparet,gratia eſt.* Innoc. *Iuſti bonum manifeſtant, malum occultant.* Lyran. Carthuſ.

93. Sed expende adhuc in hac adæquatione : quare Angelus citato loco dixit Zachariæ, *Vxor tua pariet tibi filium*, Luc.1. num.13. at verò Beatiſſimæ Virgini tantùm ait : *Concipies,& paries filium;*non addidit *tibi*, vt dixerat Zachariæ? Reſpondet primò Diuus Petrus Chryſologus ſermone 142.*Non dixit, tibi, non dixit tuum. Quare? Quia ſanctum vocabitur filius Dei.* Ac ſi dicat Angelus; Vide quantum diſcrimen ſit inter filium Zachariæ, ac filium Dei; nam ille naſcitur tantùm patri,ac matri : at filius Dei non tantùm matri, ſed omnibus hominibus, vt verus Sol exoritur. Bona hominis ad paucos coarctantur,Dei verò ad omnes diffunduntur.Secundò Ioannes naſcitur vt filius Zachariæ ; Ieſus verò vt Saluator, ac Rex totius vniuerſi. *Dabit illi Dominus ſedem Dauid, & regnabit in domo Iacob.* Natiuitas filij vt Ioannis, ſit vni patri, & matri; at Saluatoris, & Regis ortus, non vni tantùm, ſed omnibus paratur. Dum annuntiatur Ioannis natiuitas, inquit Angelus

Luc.1. Chryſol. *Bona Dei ad omnes.* *Rex non vni, ſed omnibus.*

L

Luc.1. Angelus Zachariæ : *Erit tibi gaudium,& exultatio*, Luc.1.num.14. At de Chriſto Domino nato Luc.2. ait Angelus ad paſtores : *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, Luc.2. num.10. Ille prodit in lucem, gaudium particularibus afferens, hic verò vt Saluator,& Rex omni populo.

QVÆSTIO XXXV.

Ad quid Angelus dixit: In vtero?

94. ADDIDIT Angelus: *Concipies in vtero.* Nónne ſufficiebat dicere : *Concipies, & paries*? Hieron. Bonauent. Reſpondent primò Diuus Hieronymus *in cap.2. Matth.*& D. Bonauentura *hîc.* Vt oſtendat, hoc eſſe magnum, mirum, ac nouum, concipiat intra de Spiritu ſancto, nihil recipiendo ab extra, vt aliæ fœminæ concipiunt. Secundò. Noſter Beaulx. Salmer. Beaulxam. Salmeron tom.3. tract.6. *In vtero*, vt ſignificet, conceptionem hanc non eſſe ſpiritualem, & in mente, quarum paſſim fit mentio in Iſai.26. Scriptura, Iſai.26.num.17. *A facie tua concipimus.* Sed quòd hæc conceptio erit ſecundùm carnem, & corporaliter. Tertiò D. Petrus Chryſologus Chryſol. ſerm.144. *Ad quid in vtero? Vt veritas partus denotetur, vt ſicut de Deo vero Deus verus natus eſt, ſic de vtero conceptus, veritas humani corporis naſceretur.* Ambr. Similiter D. Ambroſius *lib.4.de fide,c.4.* Sicut ad oſtendendam veram, & realem filij à Patre æternam generationem, dicitur : *Ex vtero ante Luciferum genui te*; ſic ad manifeſtandam veram generationem à Virgine, ponitur; *Concipies in vtero.* Quartò. Angelus alludit ad promiſ- Pſalm.131. ſionem Dauidi factam; *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, Pſal.131.num.11. Quintò. Græcus. Græcus Author in Catena. *In vtero*, vt intelligatur, quòd ille, qui annuntiatur, ex noſtra ſubſtantia erit,& verus illius filius.

95. *Quare ante omnia dicitur filius Virginis.* Sed quare : dum Angelus hîc facit recapitulationem magnalium Chriſti Domini, ait enim, *Concipies,& paries. Vocabis nomen eius Ieſum, erit magnus,& filius Altiſſimi vocabitur,& regnabit in domo Iacob*; quare, inquam, ſtatim in primordio apponit, quòd erit filius Virginis : *Concipies in vtero, & paries*? Quia de tali matre inter cætera Chriſtus Dominus maximè gloriatur. Expende Symbol. modò illa verba Symboli : *Et Incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine,& homo factus eſt.* Si dicitur homo factus, ad quid præmittitur, *Incarnatus eſt*? Reſpondebit Theologus, quòd vnio prius facta eſt ad partes, quàm ad totam humani- D.Thom. Valentia. tatem. Ita D.Thomas *3. part. quæſt.6. art.5.ad 1.* Valentia *diſput.1.quæſt.6.punct.2.* & alij. Sed ſicut dicitur expreſsè vnio facta ad carnem, quæ vna eſt ex hominis partibus; quare non dicitur facta ad animam, quæ altera eſt? Vide, quæſo. *Incarnatus eſt ex Maria Virgine.* Tanti æſtimabat carnem ſibi à Virgine communicatam, vt hanc expreſsè, & diſtinctè diuulgari, ac publicari affectaret maximè, ac partem illam, ſcilicet animam, quam ex Patre creatam habebat, ſatis eſt implicitè, & inuolutè in homine dici, & denotari. *Chriſtus maximè æſtimat id, quod eſt à matre.* Imò ita gloriatur de eo, quòd habet à matre, vt multis, & variis modis dici velit, & prædicari. Communiter docent ſancti Patres, vt ſuo loco dicemus, quòd Chriſtus Dominus inſtituit admirabile Euchariſtiæ Sacramentum ſub ſpeciebus panis,& vini; quia ob magnitudinem amoris ſui, multis & variis modis voluit ſe nobis in cibum dari, & communicari; ita etiam ſe iactat de eo, quòd filius Virginis dicatur, vt hoc vario ſermone celebrari diſponat. Semel explicitè: *Incarnatus eſt ex Maria Virgine*; iterum implicitè, *Et homo factus eſt.* At verò illud quod à Patre obtinet, ſat eſt ſemel tantùm dici,& implicitè. Vide ſuprà *c.2. n.14.&* 112.113.114.& alibi.

QVÆSTIO XXXVI.

Quare non dixit Angelus hîc: Saluum faciet populum à peccatis?

ANGELVS hîc ait Beatiſſimæ Virgini: *Vocabis nomen eius Ieſum*; cur non addidit, *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*? Sicut Angelus dixit beato Ioſeph *Matth.1.n.21.* nã illa adiunctio Iuſtini, & Damaſceni, de qua in verſionibus, non habetur apud Lucam, ſed deſumpta eſt ex Matth. *citato loco*? Ad quæſtionem ergo reſpondeo primò, quòd Angelus non aperuit Beatiſſimæ Virgini illam declarationem: *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*; quia Sanctiſſima Virgo ob ſui ingenij acumen optimè illam penetrabat in nomine *Ieſus*, ita vt nulla expoſitione indigeret. Secundò. Angelus ſtatim addidit: *Hic erit magnus,& filius Altiſſimi vocabitur*; ergo ſufficienter ibi innuebat, quòd ſaluum faceret populum ſuũ, cùm ſit propriũ filij Dei, ſuos ab omni anguſtia, ac miſeria liberare. 96. *Proprium eſt Filij Dei, ſuos ſaluare.*

Tertiò. In præſentia beati Ioſeph auſus eſt Angelus verba circa peccata proferre, *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*; at coram Beatiſſima Virgine ita illam contemplatus eſt puriſſimam,& ab omni peccati contagione liberam, vt erubeſceret in eius præſentia peccata nominare, ac ore dicere. Cùm Rex Ezechias ægrotaret, Iſaias ex Dei mandato mortem denuntiauit, dicens: *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues. Qui conuertit faciem ſuam ad parietem, fleuitque fletu magno*, 4.Reg.20.n.1. Communis ſententia eſt, quòd vertit ſe ad parietem etiam coram ipſo Iſaia. Sed magne Rex, vbi eſt vrbanitas tua quòd venerando Prophetæ terga des? D. Hieronymus lib.2.aduerſùs Pelagianos: *Si cogitaueris hominem*, ait, *non miraberis cauſam doloris.* Vertit ſe ad parietem, non ex contemptu, ſed ex animoſitate regia. Conſiderauit Ezechias ſe in lachrymas erumpere ob amorem rerum ſæcularium, & Iſaiam illarum eſſe contemptorem magnum, erubuit coram tanto viro talem fletum excitare, & ideo ob verecundiam vertit ſe ad parietem. 97. *Magna puritas Virginis.* 4.Reg 20. Hieron.

Lucæ 1.n.32. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum,& regni eius non erit finis.

VERSIONES.

Textus Græcus. Et filius Altiſſimi inuocabitur, *&c.*

Syriacus, & D.Epiphan. hæreſi 29. Et dabit illi Dominus Deus thronum Dauid patris eius.

Vatablus. Dabit illi Dominus Deus ſolium Dauid patris ipſius, regnabitque ſuper domum Iacob.

D. Cyprian. lib.2. aduerſ Iudæ. Dabit thronum Dauid patris ſui, regnabitque in ſæcula.

EXPOSITIO.

97. EXPLICAT Angelus conditiones filij naſcituri, *Erit magnus*; ſimpliciter, & abſolutè in omni virtute, poteſtate, & miraculis; & hanc magnitudinem exponit, eius duas naturas declarando, diuinam ſcilicet, dum ait: *Vocabitur filius Altiſſimi*; hic filius à te generandus vocabitur etiam Filius Dei; Deus ſæpe in Scriptura dicitur Altiſſimus. Eius naturam humanam indicat, dum eum appellat filium Dauid: *Dabit illi ſedem Dauid patris eius.* Sedes Dauid non regni temporalis intelligitur, ſed quæ in ea figurabatur, ſpiritualis ſcilicet, quale regnum ſpirituale prædictum erat à Prophetis de Meſſia. Dicitur potius ſedes Dauid, quàm Salomonis, propter celebrem promiſſionem ei factam, & quòd Dauid regnauit ſuper eos, qui amaro erant animo, 1. *Reg.22.n.22.* Ita regnum Chriſti conflatur ex hominibus, qui per contritionem amaro ſunt animo. *Regnabit in domo Iacob*, non ſolùm ſuper tribum Iuda, vt filij Dauid regnabant, ſed regnum Chriſti erit ſuper duodecim Tribus, per quas totus orbis intelligitur; & hoc non erit ad tempus, ſed in æternum; & quia *æternum*, aliquando in Scriptura ſolùm ſignificat multum tempus, *Geneſ.17.num.8.* ideo explicat hanc æternitatem. *Et regni eius non erit finis.* Vel aliter explicat; *Regni eius non erit finis*, id eſt, nullis terminis claudetur, nec limitabitur.

QVÆSTIO XXXVII.

Quare dicatur de Chriſto Domino, quòd erit magnus?

98. HOc etiam dicitur in Scriptura de Baptiſta, & aliis; at quid de Chriſto? Reſpondet Ambroſ. Diuus Ambroſius *hîc*, quòd Baptiſta dicitur magnus, adiiciendo coram Domino, vt denotetur, quòd erat homo purus, & ſeruus, & non dominus : at Chriſtus dominus dicitur abſolutè magnus, & non coram Domino, quia ipſe verè eſt Cyrill. Bonauent. Dominus. Et ſimiliter ferè reſpondet D. Cyrillus *hom.12.in Leuit.* D.Bonauentura. Secundò, quòd Angelus dixit : *Hic erit magnus*; & ſtatim eius magnitudinem excellentiſſimam eſſe oſtendit, propter gratiam ſingularem, ſcilicet vnionis hypoſtaticæ : *Filius Altiſſimi vocabitur*, propter regalem excellentiam, quam inſinuat : *Dabit illi Dominus ſedem Dauid*; propter æternalem potentiam, cùm dicit : *Regnabit in æternum, & regni eius non erit finis.* Et his tribus; eius ſingularem magnitudinem explicat. Tertiò. Notat Diuus Bernard. Bernardus *hom.3. ſuper Miſſus eſt*, quòd dum Angelus Beatiſſimæ Virgini magnalia Chriſti Domini aperit, ſtatim in ipſo exordio ait : *Erit magnus*,& poſtea ſubdit: *filius Altiſſimi vocabitur,& dabit illi ſedem*, &c. Ac ſi dicat Angelus, licèt ô Beatiſſima Virgo, hic puer Ieſus tibi paruulus videatur corpore, & membris; quidquid tamen in eo cogitaueris, magnum, & altum eſt; vtpote filius Altiſſimi, & mirabilia magna operans. *In Chriſto omne magnũ, & mirabile.* Idem. D.Bernardus hom.8. ſuper Miſſus eſt. *Et tu quidem*, ait, *ô Virgo, paruulum paries, paruulum nutries, paruulum lactabis; ſed videns paruum, cogita magnum. Magnificet ergo anima tua Dominũ, quia hic erit magnus,& filius Altiſſimi vocabitur. Magnus erit,& magna faciet tibi, qui potens eſt.* D.Cy- Cyrill. rill.Alexandrin.lib.12.in Leuitic. *Gabriel Angelus natiuitatẽ Ieſu annuntiat, dicens: Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. Peccatum enim hominem paruum facit, & exiguum, virtus eminentem præſtat, & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exile,& exiguum facit corpus hominis; ſanitas verò lætum reddit,& validum: ita intellige, quia & animam quidem ægritudo peccati humilem facit, & paruam: ſanitas verò interioris hominis, & virtutis opera magnam faciunt eam & eminentem.* Dixit Angelus de Chriſto : *Hic erit magnus*, & ſtatim ſubinfert. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Quomodo hæc connectuntur; meritò ſanè; nullus enim erit magnus, niſi etiam ſimul ſanctus ſit; nam virtus magnum facit, peccatum verò paruum & abiectum. *Virtus magnum facit, peccatũ verò humilem reddit.*

Quartò. Dicitur magnus, vt denotetur, quòd ſolum in ipſo ſit vera magnitudo : nam licèt aliqui Sancti, vt Iſaac, Moyſes, Ezechias, Ioannes Baptiſta, qui præceſſerunt aduentum Chriſti, dicerentur magni; tamen poſtquam Chriſtus aduenit, nullus magnus dictus inuenitur in Scriptura; ille enim ſolus magnus eſt, in quo eſt omnis magnitudo, & comparatione illius omnes minimi apparent. Origenes homil. 12. in Leuitic. *De Iſaac dicitur*, ait, *quia proficiebat valde, vſquequo factus eſt magnus, Moyſes magnus dictus eſt, & Ioannes Baptiſta magnus dictus eſt: nunc autem Ieſus magnus dictus eſt, & poſt hunc iam nullus appellatus eſt magnus. Prius enim quàm adeſſet, qui verè magnus, ad comparationem reliquorum hominum magni appellati ſunt Sancti; vbi verò aduenit ipſe, qui non ex comparatione cæterorum, ſed ſui magnitudine verè magnus eſt, vltrà iam nullus magnus appellatus eſt. Hic ergo eſt, de quo ſcribitur magnus Sacerdos de fratribus ſuis.* Vbi enim ipſe apparuit, ad eius præſentiam iam nullus eſt magnus, nec aliquis inuenitur magnus dictus. Quintò D.Bernardus homil.3. ſuper Miſſus eſt. *Quare*, ait, *hic* erit, *& non potiùs* eſt *magnus, qui ſemper æqualiter magnus, non habet quo creſcat, nec maior poſt conceptum futurus ſit, quàm ante? An fortè propterea dixerit, erit, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus ſit.* Optimè explicat ſanctus Pater, qua ratione dicitur erit magnus, non ratione diuinitatis, ſed humanitatis. Licet tamen hæc verba expendere in laudem Virginis; Deus, cui nil accreſcere poteſt, dicitur, *erit magnus*, quia homo,& filius Virginis, cùm pro peculiari honore, ac decore de tanta matre glorietur. 99. Origenes. *Solus Chriſtus magnus, & illius comparatione omnes parui.* Bernard. *Deus de matre gloriatur.*

***

lentia non à conſangnineis, ſed ab omnibus generaliter eſt acclamanda.

Qvæstio XXXVIII.

Quare dixerit, Filius Altiſſimi vocabitur, *& non potiùs*, erit?

101. Dixit Angelus: *Filius Altiſſimi vocabitur*; & non dixit, filius Altiſſimi *erit*, prout de magnitudine aſſeruit. Reſpondetur, quòd Angelus de Chriſto Domino ait, *erit magnus*. Et hanc magnitudinem explicat ſecundùm vtramque naturam; de humana, dum poſtea ſubdit, *Dabit illi Dominus Deus ſedem*; modò agit de diuina: *Filius Altiſſimi vocabitur*; non dixit, *erit* filius Altiſſimi, quia ab æterno ſecundùm naturam diuinam filius Dei eſt: ſed *vocabitur*; quia miraculis, ac operibus in tempore talis declarabitur. Theophylactus: *Fuit quidem*, ait, *ante ſæcula filius Altiſſimi Verbum, ſed non vocabatur, neque cognoſcebatur, poſtquam autem incarnatum eſt, & apparuit in carne, tunc vocatum eſt filius Altiſſimi, qui apparebat, & miracula faciebat*. Ex quo habes documentum, quòd ad glorioſum nomen conſequendum, non tantum prodeſt magnitudo naturæ, quantum eius declaratio bene faciendo, alioſque adiuuando. Vide *cap. 1. num.* 8.

Theoph. *Nomen glorioſum manifeſtationem requirit.*

102. Secundò. Nota, quòd Angelus videtur hîc inuoluere contradictionem, aſſerit enim, Chriſtum filium Altiſſimi nuncupandum; ipſe verò vocat eum filium Dauid: *Dabit ſedem Dauid patris eius*. Quare ergo non incipit eum vocare filium Dei? Dum Angelus de ipſo ait, quòd erit magnus operibus, & miraculis, ac donandis beneficiis, tunc aſſerit vocandum filium Dei; dum verò ipſum introducit ſedem Dauidis accepturum, ſtatim filium hominis agnoſcit. D. Petrus Chryſologus *ſerm.* 44. ita ait: *Vides quia quando accipit, Dauid filius dicitur, quando dat, Dei filius nuncupatur.* Proprium enim Dei eſt dare, & benefacere, hominis verò accipere.

Chryſol.

Dei proprium eſt dare.

103. Tertiò. Expende diſparem modum, quo Angelus loquitur de nomine Ieſu, ac Filij Dei; nam dum de ſanctiſſimo nomine agit Angelus, permittitur Beatiſſimæ Virgini, puerum ſuum appellare Ieſum: *Vocabis nomen eius Ieſum*, ſuperiori numero. Sicut etiam beato Ioſeph dicitur, *Matth.* 1. At dum de nuncupatione Filij Dei agit, hoc non vni, ſed omnibus committitur: *Filius Altiſſimi vocabitur*: *Ieſus* ſaluationem, & laborem importat; *filius* verò Dei valde honorificam excellentiam ſuper omnes: Ieſus ergo poteſt vocari à matre, patre putatiuo, & ab amico; glorioſum autem vocabulum filij Altiſſimi à tota multitudine dicendum. Rupertus *lib. 1. do operibus Spiritus ſancti, cap.* 10. ait: *Paulo antè, vocabis nomen eius Ieſum, hîc autem vocabitur filius Dei. Illic* vocabis, *hîc autem* vocabitur, *dixit, & ad beatum Ioſeph, vocabis nomen eius Ieſum. Etenim nomine Ieſu, quo plures æquiuocabantur, liberè ab ipſa, vel à Ioſeph vocari potuit: filius autem Dei, ſiue filius Altiſſimi, vt vocaretur, reſeruatum erat euangelicæ prædicationi; vocabitur ergo, id eſt, inuocabitur ab omni ſæculo hoc nomine, quod eſt filius Dei.* Nomen Ieſu, quod ſaltem ſono vocis aliquibus erat commune, potuit à matre, vel patre putatiuo diuinitus illi dari. At nomen excellentiſſimum filij Dei, non ab vno, vel altero, ſed ab omnibus generaliter accepit. Ita enim excellentia non à conſangnineis, ſed ab omnibus generaliter eſt acclamanda.

Rupert.

Magnitudo communis ab amico, peculiaris ab omnibus dicenda.

Qvæstio XXXIX.

Quare hîc Dicatur, Dominus Deus?

104. Cvm ſæpè in hoc cap. fiat mentio nominis Dei: *Miſſus eſt Angelus à Deo*; iterum, *non eſt impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Hîc tantùm dicitur, *Dominus Deus*, dum Angelus ad Virginem loquitur. Cùm ipſe vniuerſi author ſe exhibet omnibus creaturis, & Angelis imperans, & cuncta ei eſſe ſubiecta, & nihil ei impoſſibile diuulgatur, tunc dicitur tantùm, *Deus*: at verò cùm de eo prædicatur. *Dabit*, ſtatim *Dominus Deus* publicatur: *Dabit illi Dominus Deus.* Plus enim nobis, & ſanctis Angelis maieſtatem, & excellentiam Dei ipſa beneficentia, & donorum effuſio prædicabat, quàm ipſum ſupremum dominium omnia gubernandi, & cuncta ad nutum diſponendi. Notat Arias Montanus *lib. de Arcano ſermone*, quòd quamuis Deus in Hebræo dicatur multis nominibus, hoc tamen nomine *Sadai*, id eſt, magnus, omnipotens, & ſibi ſufficientiſſimus, ſolùm dicitur de Deo dum beneficia communicat, tunc enim omnes ſpecioſi tituli de eo prædicantur.

Arias. *Deus, ſeu benefacere, oſtēdit maieſtatem.*

105. Valde celebrantur in Scriptura duæ illæ viſiones Iſaiæ, & Ezechielis. Vidit Iſaias Dominum in ſolio excelſo, & eleuato inter expanſas Seraphim alas: *Et clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius*, Iſaias cap. 6. n. 2. Vidit Ezechiel Dominum in illo admirabili curru, mira extructo magnitudine, qui à quatuor animalibus aſportabatur, *& vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*, Ezechiel cap. 1. num. 12. Sed quomodo apud Iſaiam omnes in laudem Dei tonant, *Sanctus Dominus Deus exercituum plena eſt omnis terra.* Et apud Ezechielem nullam glorificandi vocem audies, ſed omnes racito ore imperata faciunt? D. Thomas, ad locum Iſaiæ: *Prouiſionis liberalitate*, ait, *plena eſt omnis terra gloriâ eius, quia vſque ad vltimas creaturas, quæ per terram intelliguntur, extendit diffuſionem ſuæ bonitatis.* In throno illo erat Deus omnibus communicans beneficia ſua: *Prouiſionis liberalitate plena eſt omnis terra.* In curru creaturis ſuis mandans; & plus laudis, ac honoris donorum largitas reconciliauit, quàm poteſtas imperandi. Pſalm. 67. agit Regius Vates de præclaris Chriſti Domlni myſteriis, vt tenent D. Auguſtinus, D. Chryſoſtomus, & alij communiter. Et cùm de victoria, qua Dæmones deuicit, tractat, ipſum Deum appellat, n. 1. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius. Sicut deficit fumus, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Cùm de poteſtate tradita Apoſtolis ad deſtruenda idola, Dominum dicit num. 12. *Dominus dabit Verbum euangelizantibus virtute multa.* At verò cùm ad fontes, ac beneficia, quæ Deus Eccleſiæ ſuæ communicat, conuertit ſermonem, ait n. 7. *In Eccleſiis benedicite Deo domino de fontibus Iſrael.* Huc vſque Deus, vel Dominus tantùm, nunc verò vtrumque ſimul Deum, ac Dominum pronuntiat, quia non de poteſtate, ſed de beneficentia loquitur, & glorioſiora donis, quàm maieſtate, ac potentia acquiſiuit.

Iſai. 6.

Ezech. 2.

D. Thom.

Auguſt. Chryſoſt.

Pſalm. 67.

Qvæstio XL.

Quare dicatur: Regnabit in Domo Iacob?

106. Angelvs de Chriſto Domino ait: *Regnabit in domo Iacob*, potius, quam in domo Abraham, vel Iſaac, de his enim tantùm facio quæſtionem, quæ fuerunt totius populi capita, & non de Iuda, vel altero, à quo vna tantùm Tribus originem habuit. Reſpondent primò graues Recentiores, quòd in domo Abraham extitit filius Iſmaël idololatra, in domo Iſaac Eſau paganus; at in domo Iacob duodecim fuerunt filij, & licèt ex eis aliqui peccauerint, omnes tamen fideles, & ſub cultu vnius veri Dei fuere. Chriſtus autem peculiariter regnat in ſuis fidelibus, qui per pœnitentiam conuertuntur. Reſpondeo ſecundò. In domo Abraham duo nati ſunt filij, vnus tantùm, ſcilicet promiſſionis, obtinuit benedictionem; in domo Iſaac duos peperit Rebecca, vnus tantùm aſſecutus eſt benedictionem. At in domo Iacob duodecim progeniti ſunt filij, & omnes propriis benedictionibus ditati ſunt à patre. In hac ergo domo præfigurabatur regnum Chriſti, cuius dona non vnus, vel alter poſſidet, ſed ad omnes dilatantur, ac ſe extendunt.

Chriſtus regnat in fidelibus.

Dona Chriſti ad omnes ſe extendunt.

107. Tertiò. Iacob moriturus tranſpoſitis manibus benedixit nepotibus, *Geneſ.* 48. *n.* 13. quo Crucis figuram expreſſit, ſic D. Iſidorus hîc relatus in Gloſſ. *Cancellatis manibus crucis myſterium præfigurauit.* Meritò ergo dicitur regnare in domo Iacob, vbi crucis figura apparet, qui regnum ſuum in Cruce, ac laboribus, quibus nos redemit, collocauit. Quartò. In domo Iacob, qui pro vxoris dilectione, vt eam ſibi compararet, formam ſerui accepit; ſic Chriſtus, vt Eccleſiam ſibi in ſponſam acciperet, ſerui figuram non recuſauit. Quintò. Iacob ea erat ſanctitate præditus, vt cùm audiſſet filium ſuum Ioſeph in Ægypto regnaſſe, dixerit: *ſufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit*, Gen. 45. n. 28. In hac ergo domo, vbi non terrena, & temporalia, ſed vita Ieſus, qui in Ioſeph, figurabatur, quæritur, & ipſa ſufficit nobis; ibi regnare dicitur Chriſtus. Guerr. Abb. ſerm. 1. de Reſurrect. *O vocē fidelem, & planè dignam amicis Ieſus! ô caſtiſſimum affectum, qui ſic loquitur: Sufficit mihi ſi Ieſus viuit; ſi viuit, viuo, cùm de ipſo pendeat anima mea; imò ipſe ſit vita mea, ipſe ſufficientia mea.*

Iſid.

Regnū Chriſti in laboribus.

Geneſ. 45. *Ibi regnat Chriſtus, vbi ipſe ſolus quæritur.* Guerr.

Qvæstio XLI.

An Chriſtus Dominus habuerit ius hæreditarium ad regnum temporale Iſraëliticum?

108. Cvm Angelus hîc proponat Chriſti regnum, vt luculenter rem explicemus, inquirendum eſt, an non ſolùm Chriſtus Dominus, vt Filius Dei obtinuerit regnum ſpirituale totius mundi, ſed etiam an in eo fuerit aliquod ius ad regnum temporale Iſraëliticum, vtpote qui erat filius Dauidis, ac cæterorum Regum Iſraël. Et certum de fide eſt, Chriſtum Dominum non fuiſſe viſibiliter in actuali poſſeſſione, ſeu vſu temporalis regni Iudæorum, vt manifeſtè conſtat ex toto contextu Euangelij, & *Ioan.* 6. vbi voluerunt eum facere Regem, & ipſe abſcondit ſe. Item quia tempore Chriſti alij fuerunt Reges in Iudæa. Etiā apertè conſtat ex hiſtoria Euangelica, *Luc.* 3. *à n.* 1. Quæſtio ergo ſolū eſt: An Chriſtus Dominus habuerit ius ad ipſum regnum Iſraëliticum?

109. Prima ſententia conſtanter negat. *Et hæc eſt valde communis.* Pro qua adducens multos Patres doctè pugnat noſter VValdenſis *lib. 2. doctrinalis fidei cap.* 76. *&* 77. Sotus *lib. 4. de inſtit. & iure quæſt. 4. art.* 1. Valentia *tom. 4. diſput. 1. quæſt. 22. punct. 6. §. Hanc ſententiam.* Vaſquius *tom. 1. ad 3. part. diſput. 87. cap. 1. num. 4. & 5. & cap.* 6. Suarius *tom. 1. ad 3. part. diſput. 48. ſect. 1. §. Dico* 2. Raguſa *tom. 2. diſput.* 26. Franciſcus de Mendoça *tom. 1. in lib. Reg. cap. 2. annot. 15. ſect.* 3.

VValdenſ. Sotus. Valentia. Vaſquius. Suar. Raguſa. Mendoça.

110. Probatur primò. Si aliquod erit fundamentum ad hoc, vt dicamus, Chriſtum obtinuiſſe ius hæreditarium ad regnum Iſraëliticum, ex eo erit quia paſſim in Scriptura dicitur Rex. *Dominabitur à mari vſque ad mare*, Pſal. 71. num. 8. *Regnabit, & ſapiens erit*, Hierem. 23. num. 5. *Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur*, Daniel. 2. num. 44. Atqui in his locis agitur de Chriſti regno ſpirituali, & non temporali, vt patet ex rigore verborum; nam regnum Chriſti dicitur regnum ſempiternum, regnum æternum, cuius non erit finis, vt hîc ait Angelus: omnia autem regna temporalia cum mundo terminum, & finem habent; ergo non eſt fundamentum, vt dicamus, in Chriſto extitiſſe ius hæreditarium ad temporale regnum. Et confirmatur auctoritate Patrum. D. Auguſtinus *lib. 10. de ciuit. c.* 7. de Saul agens; *Sic*, inquit, *populi Iſraël perſonam figuratè gerebat homo iſte, qui populus regnum fuerat amiſſurus, Chriſto Ieſu Domino noſtro per nouum Teſtamentum, non carnaliter, ſed ſpiritualiter regnaturo.* D. Baſil. *in Catena D. Thomæ*, ad hæc verba Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid*; ait, *Non in materiali ſede Dauid Dominus ſedebit, tranſlato Iudaico regno ad Herodē, ſed ſedē appellat Dauid, in qua reſidet Dominus, indiſſolubile regnum.* Similiter, Beda *ibi*, & alij Patres. Ergo Chriſtus D. tantùm ſpirituale habuit regnum, & per conſequens nullum obtinuit ius ad Iudæorum temporale.

Pſalm. 71. Hierem. 23. Daniel. 2.

Auguſt.

Baſilius. Luc. 1.

Beda.

111. Secundò argumentatur. Quia ſi Chriſtus Dominus habuiſſet aliquod ius ad regnum, eſſet vel quia erat filius Virginis, vel quia reputabatur filius Ioſeph; ſed ex neutro capite retinuit ius: ergo nullum fuit in Chriſto ad regnum temporale. Maior eſt certa. Minor probatur. In primis non quia filius Virginis; quia regnum transferebatur à Dauide in poſteros per generationem à Salomone; B. autem Virgo, licèt deſcenderet à Dauide, non tamen per Solomonem, ſed per Nathan alterum Dauidis filium, vt eſt communior ſententia, & dixi *c. 2. quæſt. vlt.* & ex Luc. 3. *Qui fuit Nathan, qui fuit Dauid.* Vbi Euangeliſta generationem Virginis enarrat. Deinde, quia quamuis deſcenderet per Salomonem, non conſtat, an ſemper per primogenitos. Et eſto hoc cōcedatur, & quòd B. Virgo ius ad regnnm obtineret, non deueniret ad Chriſtum; quia in B. Virgine adhuc viuente ſiſteret, quin ad filium tranſiret. Denique non ex eo quia reputabatur filius Ioſeph: nam licèt ſanctiſſimus Virginis ſponſus deſcenderet à Dauide per Salomonem Matth. 1. non tamen conſtat, quòd in ea linea habuerit prærogatiuam primo-

Luc. 3.

Matth. 1.

geniti, ad quem ſpectabat ius regni. Et licèt hoc detur, tamen Chriſtus Dominus non erat illius naturalis filius, ſed tantùm putatiuus. Quod aliqui dicunt, quòd erat filius adoptiuus illius, nullum aſſignabitur ad hoc fundamentum. Et eſto admittatur, ad ipſum tamen per adoptionem ius transferri non poterat: nam maioratus inſtitutus à maioribus, per adoptionem non tranſit, cùm ſit in legitimi ſucceſſoris præiudicium.

112. Tertiò. Argumentatur ex *Hieremiæ cap. 22. num. 30.* vbi Iechonias in peccatorum pœnam priuatur ſucceſſione regni per vniuerſam poſteritatem; dicitur enim de Iechonia: *Quare abiecti ſunt ipſe, & ſemen eius*; & ſtatim: *Scribe virum iſtum ſterilem: virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltrà in Iuda.* Ergo tota poſteritas Dauid videtur priuata, quantum ad temporale regnum; & per conſequens, cùm Chriſtus Dominus eſſet Filius Dauidis, & Iechoniæ, nullum habuit ius ad regnum.
Hierem. 22.

113. Quartò argumentatur. Quia perfecta paupertas, qualem Chriſtus Dominus obſeruauit, non ſolum vſum, ſed etiam dominium, & ius ad bona temporalia excludit: ergo Chriſtus omnibus illis caruit. Ad quid retineret ius, ſi vſus dimittendus erat? Et confirmatur, quia Chriſtus Dominus dixit Pilato, Ioannis 18. num. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* quaſi ſignificaret, quòd regnum ſuum, non temporale, ſed ſpirituale erat. Et hæc faciunt pro hac parte.
Ioan. 18.

114. Secunda ſententia eſt vera, & ſemper mihi fuit viſa longè probabilior, vt dixi, dum explicarem materiam de Incarnatione: aſſeritque, quòd Chriſtus Dominus, vt homo, obtinuerit legitimum, ac hæreditarium ius ad regnum temporale Iſraëliticum. Eam tenent noſter Ioannes Bachonus *quæſt. 1. prologi, art. 2. concluſione 2. & quæſt. 11. art. 3.* Armacanus *lib. 4. de quæſt. Armenorum*, D Bernardin. Senenſis *tom. 3. ſerm. de S. Ioſeph*, Paulus Burgen. *addit. 2. in cap. 1. Matth.* Petrus Morales *in Matth. lib. 2 tract. 9. concluſ. 1.* Alphonſus de Mendoça *in relect. Theologica de vniuerſali Chriſti regno.* Hanc ſentētiam tenent multi ſancti Patres, D. Bernardinus Senenſis *citatus*, D. Athanaſius, *ſermone de Beatiſſima Virgine, poſt medium*, explicans illud *Pſalm. 109.* de Chriſto. *Dixit Dominus Domino meo*; ſic habet S. Pater: *Accepit his verbis thronum Dauidis corporaliter ex ratione proſapiæ, qua pater illi fuit Dauid.* D. Epiphanius *hæreſ. 29.* ait: *Chriſtus habet regiam dignitatem, quia eſt ex ſemine Dauidis Regis ſecundùm carnem.* D. Hieronymus *in cap. 22. Hieremiæ, circa finem*, & alij.
Bachon. Armacan. Bernardin. Burgenſ. Morales. Mendoça. Bernardin. Athanaſ. Pſalm. 109. Epiphan. Hieron.

115. Probatur primò à multis adducendo multa Scripturæ loca, vbi dicitur Chriſtus Dominus Rex. Ioann. 1. num. 49. ait Nathanaël: *Tu es Rex Iſraël.* Deo inſpirante dixerunt Magi, *vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Confugere autem ad ſenſum ſpiritualem, eſt, vim textui inferre. Cùm Chriſtus Dominus acclamaretur Rex *Matth. 21. num. 9.* numquam reſtitit clamantibus, quod apertè dixit Marcus 11. *num.* 10. Acclamabant omnes, dicentes; *Benedictum, quod venit regnum patris noſtri Dauid.* Luc. 19. num. 39. *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini.*
Ioan. 1. Marc. 11. Luc. 19.

116. Probant aliqui ſecundò. Quia Beatiſſima Virgo deſcendebat ex familia Dauid, & deficiente viro fœmina poterat ſuccedere, vt patet ex *Num. 27. num. 8.* Deinde, quia licèt Beatiſſima Virgo deſcenderet à Dauide per Nathan, ſecundùm paternam lineam: tamen aliqua ex parte à Salomone originem habuit, vt ait D. Thomas *3. part. quæſt. 31. art. 3. ad ſecundum*, D. Hieron. *in c. 21. Hieremiæ*, D. Ioannes Damaſcenus *lib. 4. cap. 15.* vt dixi *citato c. 2. quæſt. vlt.* & latè Suarius *tom. 2. ad 3. part. diſput. 2. ſect. 3. §. Dico 3. & §. ad 4.* Et coniectura eſt, quia illæ fœminæ erant valde coniunctæ in eadem Tribu, ac proinde ſæpe matrimonio iungebantur: ergo Beatiſſima Virgo potuit habere ius ad regnum; ergo etiam Chriſtus. Hæ ſunt rationes, quibus alij hanc probant concluſionem.
D. Thom. Hieron. Damaſcen. Suarius.

Meo iudicio ſic probatur bene concluſio. Primò, quia *lib. 1. Machabæorum cap. 14. num. 41.* dicitur, quòd cùm regnum iam ceſſaſſet in familia Dauid, Senatus, ac Principes Iudæorum ex communi conſenſu conuenerunt, *Simonem Machabæum eſſe ducem, & Sacerdotem ſuum in æternum, donec ſurgat Propheta Domini fidelis.* qui Propheta fidelis intelligitur Chriſtus Dominus, iuxta illud Deuteronom. 18. *Propheta Sicut me*, &c. Et ita exponunt D. Dionyſius, D. Thomas, Lyra, Hugo de ſancto Victore, Serarius & alij *ibi.* Ex quo ſic facio argumentum. Ex communi conſenſu tranſlatus eſt Ducatus, ac principatus ex familia Dauid ad familiam Machabæorum: ſed hæc tranſlatio non fuit abſoluta, & in perpetuum, ſed vſque ad certum tempus, id eſt, *Donec ſurgat Propheta Domini fidelis*, ſcilicet Chriſtus Dominus: ergo vbi primum Chriſtus Dominus aduenit, acquiſiuit integrum ius ſuum ad regnum, & principatum; quia illa tranſlatio fuit legitima, & habuit vim legis, & in illa voluntate ſemper ille populus perſeuerauit, & aliunde non conſtat, illam retractaſſe. 117.
Deut. 18. Dionyſ. D. Thom. Lyra. Hugo. Serarius.

Nec obſtat Ioannes *cap. 19. n. 16.* quòd populus clamauerit, ſe non habere Regem, niſi Cæſarem; nam clamor ille ortus eſt ex eo, quòd populus non cognouerit, Chriſtum eſſe Meſſiam, vt dixit D. Petrus Actor. 3. n. 14. *Vos autem ſanctum, & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis.* Et concludit n. 17. *Et nunc, fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut, & principes veſtri.* & 1. Corinth. cap. 2. n. 8. Ac proinde populus ſemper perſeuerauit in illa voluntate virtuali, vt Meſſias ſuus eſſet Rex. 118.
Actor. 3.

Probatur ſecundò. Quia regnum exciſum eſt à filiis Dauidis, vel ob peccata propria vniuſcuiuſque, vel ob peccata ſuorum parentum, vt conſtat ex *Hieremiæ cap. 22. num. 30.* nempe ob peccata Regis Sedeciæ, & Iechoniæ: atqui Chriſtus Dominus erat legitimus filius Dauid, & nullum habuit peccatum, nec etiam ex delictis parentum aliquam contraxit pœnam, vt eſt omnium ſententia: ergo ex nullo capite eſt priuatus iure regni, ergo habet ius ad regnum. Quod luculenter confirmo ex Ezechiele *21. n. 25.* De Rege Sedechia ſic ait Propheta: *Tu autem profane, impie dux Iſraël? Hæc dicit Dominus: Aufer cidarim, tolle coronam, & hoc non factum eſt, donec veniret, cuius eſt iudicium, & tradam ei.* Vbi D. Hieronymus, & Interlinealis dicunt coronam regiam ablatam eſſe à domo Iudà vſque ad Chriſtum, cui reſeruata eſt. In cuius confirmationem clariùs Septuaginta vertunt: *Aufer coronam, donec veniat, cui debetur.* Sed corona, quæ debetur, & tradita eſt Chriſto, eſt regnū Regis Sedechiæ; de hoc enim eſt ſermo Prophetæ: atqui imperium Regis Sedechiæ eſt temporale; nam ſine iure non datur debitum; ius ergo habuit. Et confirmatur ex eo, quòd Angelus dixit Beatiſſimæ Virgini: *Dabit illi Dominus ſedem Dauid.* Dauid autem nullam habuit ſedem ſpiritualem, ſed tantùm temporalem, cùm non eſſet Sacerdos. 119.
Ezech. 21. Hieron. Interlin. Septuag.

120. Ad primum argumentum reſpondetur, quòd aliud eſt, loqui de iure ad regnum, aliud de vſu, atque actuali poſſeſſione regni; Chriſtus Dominus, quamuis habuerit ius ad regnum temporale, & ſpirituale; tamen ſolum fuit in actuali poſſeſſione regni ſpiritualis, & non temporalis. Prophetæ autem, ac ſancti Patres loquuntur de regno, quod actualiter obtinuit, quod fuit ſpirituale, & non de iure ad regnum, de quo hîc agimus.

121. Ad ſecundum argumentum dicimus, Chriſtum retinuiſſe ius ad regnum Iſrëliticum, quod eſſet filius Virginis, & talis filius, nempe *Propheta Domini fidelis*, & ille, cui reſeruatum erat ius ex diuino iudicio, quamuis in aliis fuerit exciſum. Vnde licèt iure conſanguinitatis alij, & etiam ſanctus Ioſeph propinquiores fuerint Dauidi, tamen propter excluſionem factam in Iechonia ius ad regnum amiſerunt: quod tamen obtinuit Chriſtus Dominus, cùm eſſet illi Propheta Domini fidelis, vt patet ex citato loco Machabæorum. Et ille, cui traditum erat regnum, vt conſtat ex Ezechielis adducto loco ſuprà.

122. Ad tertium reſpondent aliqui, quòd regnum fuit extruncatum ex familia Iechoniæ, non tamen inde aliquid colligitur contra ius, quod obtinuit Chriſtus Dominus, ſiquidem Iechonias deſcendebat à Dauide per Salomonem, Beatiſſima autem Virgo Maria per Nathan. Vnde nec Chriſtus Dominus, nec Beatiſſima Virgo Maria erant ex familia Iechoniæ; & ſi ob demerita regnum erat excluſum à familia Salomonis, tranſiit ad alterum Dauidis filium, nempe ad Nathan. Meliùs, & clariùs reſpondetur: *Nec erit de ſemine eius vir*, vt ait Gloſſa Interlinealis, *Vir tantùm.* Chriſtus autem eſt Deus, & homo; & ideo licèt ille locus intelligatur de aliis Dauidis poſteris, non tamen intelligitur de Chriſto Domino, vt ibi explicant D. Hieronymus, D. Baſilius, S. Thomas, & alij expoſitores communiter.
Interlin. Hieron. Baſilius. S. Thom.

123. Ad quartum. Cum perfecta paupertate ſolùm pugnat vſus, & dominium, non tamen ius ad regna, & bona temporalia; imò inde redditur glorioſior, quòd, cùm habeat ius, ipſum renuntiat, & dimittit. Et ideo licèt Chriſtus Dominus obtinuerit ius regni, noluit tamen habere vſum temporalem, ſed à ſe abdicauit, & totum tranſtulit in regnum ſpirituale in perpetuum, & ſic, vt inquit Apoſtolus 2. Corinthiorum cap. 8. num 9. *Propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Quòd tamen obtinuerit ius, Chriſto eſt valde glorioſum, vt inquit Anſelmus *de ſolitudinibus, cap. 52.* vbi ſic ait: *Sola poſſeſſio quarundam rerum ſine vſu eſt grauiſſima, ſola poſſeſſio nobis grata erit, & exultatio grandis.* Ad confirmationem reſpondetur cum D. Thoma *3. p. q. 59. art. 4. ad* 1. non negaſſe Chriſtum ſe eſſe Regem temporalem quoad poteſtatem, ſed quoad modum imperandi, & vſum regni; quia non erat Rex eo modo, quo alij Reges temporales, v ſe cum miniſtris tueretur. Et ideo notat D. Auguſtinus *tract. 115. in Ioannem*, quòd Chriſtus non dixerit, *Regnum meum non eſt in hoc mundo*; ſed dixerit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*
2. Cor. 8. Anſelm. D. Thom. Auguſt.

QVÆSTIO XLII.

Soluuntur aliquot quæſtiunculæ.

QVÆSTIVNCVLA prima. Quare non dicitur, regnabit in familia; ſed in domo Iacob? Multipliciter reſpondet Toletus *annot. 9.* Primò. Ad indicandam peculiarem prouidentiam, quam Chriſtus Dominus habet de Eccleſia, ſicut paterfamilias de domo ſua, qui bene agnoſcit omnia, quæ ſunt in illa. Secundò. Quia ſicut homo in propria domo pretioſa recondita habet; ſic Chriſtus Dominus theſauros gratiæ, ſcilicet Sacramenta, & dona Spiritus ſancti, repoſitos in Eccleſia ſeruat. Tertiò. Propter habitationem, homo enim propriè domi habitat; ſic Chriſtus Dominus in Eccleſia quandam habitationem habet. Matth. 28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quartò. Ad ſignificandam vnionem quandam, ac familiaritatem, quam nobiſcum habet, & nos cum illo; ſicut ij qui eiuſdem domus ſunt. Quintò Hugo. *Per hoc, quod dicit: In domo Iacob, notatur paucitas, quoniam multi vocati, pauci verò electi.* 124.
Toler. *Prouidentiā habet Chriſtus de Eccleſia.* Matth 28. *Chriſtus nobis familiaris.* Hugo.

Quæſtiuncula ſecunda. Quare dicitur, *in domo Iacob*, & non *in domo Iſrael*, cùm populus Hebræus ab illo parente natus, dictus ſit Iſraëliticus? Iacob, id eſt, mitis, pauper, paſtor perſecutionibus Eſau, ac laboribus, frigoris, & niuis oppreſſus: Iſraël, id eſt, fortis, bellator. Geneſis *cap. 32. num. 28.* Hebræi ergo, vt homines iſtius ſæculi, ab eo, quod nobilius erat in parente, nomen acceperunt, vt Iſraëlitæ dicerentur; at Chriſtus Dominus, vt diuinus homo, ab eo, quod deiectius erat, ſcilicet Iacob, nomen imperio ſuo acquiſiuit: ipſum enim in paupertate, & humilitate fundauit. 125.
Homines regnum in magno fundant, Chriſtus in paupertate.

Quæſtiuncula tertia ex D. Bernardo homil. 4. ſuper Miſſus eſt: *Quid magnum promittitur ei, qui ſedet ſuper Cherubim, & quem Propheta vidit ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, ſedere ſuper thronum Dauid patris?* Ad quam reſpondetur, quòd quamuis Chriſtus Dominus, vt vnigenitus æterni Patris, omnes terminos terræ in hæreditatem haberet; cùm tamen, ratione matris, Iſraëliticum regnum ad eum ſpectaret, ideo tamquam maximè gratuitum ei promittitur. Secundò. Regnum, obtentum à patre erat iure hæreditario; quod verò in Iacob, id eſt, in omnibus fidelibus parabatur, meritis poſſidendum, & exinde maximè glorioſum. Vide ſuprà *cap. 1. num. 127. cap. 2. num. 26. & 27.* 126.
Bernard. *Deus maximi æſtimat, quòd eſt à Virgine.* *Quod per merita glorioſius.*

Quæſtiuncula quarta. Quare dicitur, quòd Chriſti *regni non erit finis.* Rationem literalem appoſui in expoſitione, moralem inquiro. Meritò hæc de Chriſti regno annuntiantur: nam de huiuſmodi regno ait Iſaias, *Factus eſt principatus ſuper humerum eius*, Iſai. 9. num. 6. Qui autem prælaturam, ac officium habet ſuper humeros, vt illud aſportet, & ei ſubiiciatur, & non ſub pedibus, vt contemnat, ac conculcatum habeat; illius regni non erit finis, ſed firmiter perdurabit; Petrum caput Eccleſiæ ſuæ creat Chriſtus Dominus, vt ipſam vſque in finem mundi per ſuos ſucceſſores regat, & gubernet; & ait illi: *Tu es* 127.
Iſaiæ 9.

Matth. 16.

Petrus,& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth.16.num.18. Diabolus,vt Chriſtum Dominum tentaret, eum ſtatuit ſupra pinnaculum templi, *Matth.4. num.5.* Chriſtus conſtituit Eccleſiam ſuper Petrum, & Diabolus aſſumpſit Dominum ſuper templum; quid hoc ſignificat? quænam huius rei differentia? Ex vtriuſque intentione facilè ſolutio deprehenditur. Dominus intendebat, vt Eccleſiaſticus principatus perduraret in Petro, ac ſuis ſucceſſoribus vſque in finem mundi, & ideo ſuper ipſum ſuam Eccleſiam erigit, ac ædificat. Diabolus autem affectabat, an ſi fieri poſſet, quòd Dominus corrueret, ac præcipitaretur; & ideo ad ſuam intentionem Chriſtum collocat ſupet templum, quod ad officium ſuum ſpectabat, vt inde in ruinam ſe daret; hæc enim valde proxima eſt illi, qui officium ſuum paruipendet, ac tanquam ſuis pedibus conterit.

Vt in officio valeas perdurare,ipſum aſporta ſuper humeros, & non ſub pedibus.

Lucæ 1.n.33. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?

VERSIONES.

Syriacus. Quomodo fiet iſtud, quandoquidem vir non eſt mihi cognitus?

D.Ambroſius hîc. Quoniam virum non cognoui.

Heſych.Presb. Hieroſ. homil. 2. de laud. Virg. Quomodo fiet iſtud apud me.*&c.*

Et iterum ibidem. Quomodo mihi fiet iſtud, quia virum, *&c.*

Moſis Bar-Cyphæ Syr. Epiſ.p.1 de Par.c.vlt. Quomodo fieri poteſt, vt hoc eueniat, quando vir mihi notus non eſt?

EXPOSITIO.

128\. MAGNA aduertentia,& conſideratione adiuit Beatiſſima Virgo Angeli legationem, in nulloque loquentis ſermonem interrupit: magna eſt enim ignorantia, dicentis ſermone non finito,reſpondere. Eccleſiaſt.11.n.8. *Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum; & in medio ſermonum,ne adijcias loqui.* In hac reſponſione ad Angelum, tria conſidera in Beatiſſima Virgine, vt notat Hugo. Primum,Magnanimitatem fidei in promiſſi credulitate. Secundum.Prudentiam in interrogatione modi. Tertium.Stabilitatem in firmitate propoſiti.Quod triplici quæſtione elucidabo.

Eccleſ.11. Hugo.

QVÆSTIO XLIII.

An in Deipara vlla fuerit dubitatio?

129\. IN Beatiſſima Virgine,dum quærit: *Quomodo fiet iſtud?* Fuitne aliqua dubitatio? Reſpondent primò, Origenes *homil.1. in Geneſ.* D.Gregorius Nyſſenus *orat. de Chriſti natiuitate*, Euthymius *hoc loco.* Hanc interogationem factam fuiſſe ex incredulitate. Secundò. D. Athanaſius *ſermone de Deipara.* D.Chryſoſtomus *homil.49. in Geneſ.* affirmant, Beatiſſimam Virginem dubitaſſe,& ideo dixiſſe: *Quomodo fiet iſtud?* Omnes tamen, licèt dicant, Zachariam non credendo,& dubitando peccaſſe,Beatiſſimam Virginem à culpa liberant: quia Zacharias habebat exempla ad credendum, ſteriles,vt Sara,& Anna mater Samuelis,miraculosè pepererunt. Beatiſſima Virgo exemplum non habebat, quòd aliqua Virgo peperiſſet.

Origen. Greg. Nyſſ. Euthym. Athan. Chryſoſt.

130\. Dicendum tamen eſt, quòd Beatiſſima Virgo firmiſſimè, & conſtantiſſimè,ſine vlla dubitatione crediderit omnia, quæ ab Angelo dicta fuere. Solum ergo modum, quo erant implenda,an ope viri, cùm non eſſet reuelatus,quæſiuit. Ita communiter ferè omnes ſancti Patres, D. Bernardus *homil.4.ſuper Miſſus eſt*,ait: *Non dubitat de facto, ſed modum quærit,& ordinem.* Similiter hoc loco Theophylactus, Titus Boſtrenſis, D.Ambroſius, D.Bonauent. Beda, Euſebius Emiſſenus *ſerm.4. ante Dominicam 2.Aduentus.* Ratio eſt manifeſta: quia Beatiſſima Virgo Maria laudatur ab Eliſabeth inſtinctu Spiritus ſancti de fide; *Beata, quæ credidiſti,quoniam perficientur,quæ dicta ſunt tibi.* Et ideo ſancti Patres, vt notat Abulenſis *Parad.cap.31.*eam de fide maximè laudant.D.Auguſtinus appellat *Matrem credentium.* Noſter D.Cyrillus contra Neſtorium, *Sceptrum fidei.* Ergo firmiſſimè præbuit aſſenſum credibilibus. Secundò. Beatiſſima Virgo cognouit, Gabrielem eſſe Angelum Dei ſanctum, & ex parte Dei illa proponentem; ſed huiuſmodi dictis non credere, peccatum eſt, vt patet ex materia de fide. Igitur, cùm conſtet ex Tridentino, quòd in ea nullum fuerit peccatum actuale,nulla in ea circa dicta ab Angelo extitit dubitatio.

Bernard. Theophyl. Boſtrenſis. Ambroſ. Bonauent. Beda. Euſebius. Abulenſ. Auguſt. Cyrillus.

131\. Nec obſtat illud verbum, *Quomodo*, quod in Scriptura eſt dubitantis, & non credentis. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?*Ioan.6.n.53. *Quomodo hic litteras ſcit?* Ioan.cap.7. num.15. Nam illi increduli fuerunt circa reuelata, & manifeſtata iam à Chriſto Domino: at Beatiſſima Virgo Maria hîc, quærit illud, quod adhuc reuelatum non erat, quomodo ſcilicet conceptio illa eſſet facienda; & ideo Angelus reſpondet; *Spiritus ſanctus ſuperueniet*,&c. Secundò. Quia ſic olim Ioſeph ex amore caſtitatis dixit: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Geneſ.39.Sic Beatiſſima Virgo Maria ex amore virginitatis: *Quomodo fiet iſtud?* Tandem,quia ſub eiſdem verbis ex diuerſa intentione loquentis latent peccata, & merita; quod eleganter notat D. Auguſtinus *lib.50. homiliar. homil.43.* ita ait: *Si verba attendamus, haud ambo crediderunt Zacharias,& Maria. Sed nos verba audiuimus,Deus poteſt corda interrogare, Zacharias ait: Per quid cognoſcam hoc? deſperando dixit,non inquirendo; Maria verò è contrario,quando ait: Quomodo fiet iſtud? Inquirendo dixit,non deſperando.* Similiter D.Chryſologus *ſerm. 142.* Diuerſa intentio patet. Zacharias fuit ſupplicio multatus: Beatiſſima Virgo Maria merito exaltata. Vide *cap. 2. num.12.& 13.*

Ioan. 6. Ioan. 7. Geneſ. 39. Auguſt. *Diuerſa intentio variat opus.* Chryſol.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLIV.

Quare Virgo hîc modum executionis tanti myſterij interroget?

132\. SVPPONO hîc,Beatiſſimam Virginem habuiſſe votum perpetuæ virginitatis.Ita hîc ſancti Patres communiter. D. Auguſtinus *lib. de S.Virgin.cap.4.* D. Bernardus *ſerm.4.de Aſſumpt. & ſuper Miſſus eſt.*D.Anſelm.*l.de excellent.Virg. cap.4.*D.Gregorius Nyſſenus *orat.de Chriſti natiuit.*& alij multi, qui omnes notant illud de præſenti, *non cognoſco*; idem valere ac de futuro, *non cognoſcam*; nam apud Hebræos eadem vox præſens,& futurum ſignificat, vt aduertit Galatinus *lib.7. de Arcan.* Et idem eſt noſter loquendi modus aliquando: Hodie non veſcor carnibus, ac non veſcar: Hodie non tendo in villam, ac non tendam.Tempore autem,quo illud emiſit, dicam *cap.vul huius libri.*Illud autem aduerte,quòd hîc ait Beda, quòd Beatiſſima Virgo in hoc voto faciendo extitit prima fœminarum. Notanter ait venerabilis Pater, *prima fœminarum*, quia aliqui viri votum virginitatis iam antea emiſerant, vt alibi latiùs dicam. Ad quæſtionem veniamus.

Auguſt. Bernard. Anſelm. Greg. Nyſſ. Galatin. *B. Virgo habuit votum caſtitatis,* Beda.

133\. Interrogat Beatiſſima Virgo Maria modum myſterij, vt notat elegantiſſimè D. Gregorius Taumathurgus ſerm 1.de Annuntiat. *Neque*,ait, *prius ſanctiſſima Virgo donum admiſit, quam quis illud mitteret,& quodnam donum eſſet, ac quis ferret,addidiciſſet.*Quod magnæ eius prudentiæ attribuitur, quòd rem nouam, & à ſæculis non viſam, non amiſit, niſi magno examine præmiſſo, & ideo interrogat modum. Secundò. Quamuis Beatiſſima Virgo eſſet magno ingenio prædita, non tamen hac in re proprio voluit captu ratiocinari,ſed modum perquirit à cæleſti nuntio,qui illum explicare poterat.Hugo: *Non in proprio ſtudio*,ait,*commentata eſt,quomodo fieret Mater Dei, credens, quòd omnia poſſibilia ſunt apud Deum.* Prouerb.12.n.2. Qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit. *Vnde maximè arguendi ſunt illi, qui propter tumorem, & elationem animi, cùm ſibi ſatis ſapere videantur,aliorum hortamenta reſpuũt.*

Thaumat. *Magna prudentia nõ niſi examinata admittere.* Hugo. *Prudentia alios interrogare.*

134\. Tertiò.Vt tradit D. Gregorius Nyſſenus *orat. de Chriſti natiuit.*dum ait,*Quoniam virum non cognoſco*,idem eſt ac ſi diceret, ſi res meæ voluntati committitur, potius nolo in Matrem Dei elegi, quàm iacturam virginitatis aliquam pati,ac promiſſum votum violare. Ex quo accipe magna documenta. Primò, quòd ſalubrius eſt, cordis ſynceritate, & animi virtutibus reſplendere, quàm ſublimi aliqua dignitate inſigniri. E contra verò homines iſtius ſæculi pro honoribus acquirendis virtutes animi proſternunt. Secundò, quòd in bono incepto perſiſtendum eſt. Beatiſſima Virgo à ſe ſemel abdicauit filiorum ſobolem, carniſque delectamenta:non vult ergo reiecta iterum aſſumere. Pro quo aliqui explicant illud Cantic.5.n.3.*Expoliaui me tunica mea,quomodo induar illa?* Nota hîc vltimò humilitatem Beatiſſimæ Virginis, quòd non ait: Quomodo concipiam hunc filium Altiſſimi; hunc, qui regnaturus eſt in domo Iacob? Sed tantùm ait: *Quomodo fiet iſtud?* Pro humilitate ſe matrem filij tanti publicari non vult. Et ideo Chriſtus Dominus de hac matre ſe tantùm glorificauit. Vide ſuprà dicta.

Greg. Nyſſ. *Nobilior virtus quacumque dignitate.* *Incepto perſiſtendum.* Cantic. 5.

QVÆSTIO XLV.

Quare addiderit Virgo: Quoniam virum non cognoſco?

135\. MAGNA ſanè hîc eſt difficultas; Beatiſſima enim Virgo optimè intellexit totam Angeli legationem eſſe de Meſſia concipiendo; hoc apertè indicat numerus antecendens: *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi*, &c. Deinde Beatiſſima Virgo manifeſtè ſciebat ex *Iſai.7.* qnòd Meſſiam Virgo conciperet & pareret: ipſa enim Spiritus ſancti donis, ſcientiæ, intellectus, & prophetiæ ac aliis erat illuſtrata, vt tradit D. Thomas 3. *part. quæſt. 27. art.5.* Ad quid ergo, dum agitur de conceptione Meſſiæ,ait: *Quoniam virum non cognoſco?*

D.Thom.

136\. Reſpondet primò Chryſologus ſerm.142.*Non quæras virum*,ait:*ceſſet opus hominis,quia ad reparationem hominis ſufficit ars diuina.*Quærit Virgo vt data occaſione Angelus rem explicet, quia ad remedium hominis non opus hominis, ſed Dei interuenit. Reſpondent ſecundò Recentiores, quòd Deipara ſciebat ex Iſaia, Virginem concepturam, & parituram; modus tamen conceptionis iſtius reuelatus non erat (vt bene notat D. Ambroſius,)& ideo dicunt,quòd Beatiſſima Virgo ſciebat, de potentia Dei abſoluta fieri poſſe, quòd Virgo ex viro concipiat ſalua virginitate, quapropter dixit: *Quoniam virum non cognoſco.* Tertiò. Albertus Magn. *ſuper Miſſus eſt*, ait; *Quòd Maria dixit: Quoniam virum non cognoſco; propter materiæ pleniorem deſcriptionem propter veritatis maiorem expreſſionem ac denique propter noſtram ædificationem.* Dixit hoc, diuina diſponente Prouidentia, non propter ſe, ſed propter nos, vt de perpetua virginitate ſua manifeſtum daretur teſtimonium,& impia Hæreticorum ora obmuteſcerent. Quartò. Ita direxit Deus eius mentem,vt diceret: *Quoniam virum non cognoſco*; at tanto virginitatis ſtudio Deum maximè alliceret, vt de illa fieret homo,& carnem ſumeret. Ad quod fortaſſe tendit Chryſoſt. hom. 49. in Gen. *Quoniam virum non cognoſco*,ait, *nam ſi cognoſceres,non fuiſſes habita digna,vt hinc myſterio ſeruires.*Tantum placet virginitas Deo.

Chryſol. Ambroſ. Alb. Mag. Chryſoſt.

Lucæ 1.n.34. Et reſpondens Angelus dixit ei:Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.

VERSIONES.

Syriacus. Spiritus ſanctitatis veniet,& virtus Altiſſimi obumbrabit ſuper te,propterea is, qui naſciturus eſt ex te, ſanctus ipſe, & filius Dei vocabitur.

D.Hilar

*D Hilar.lib.*2.*de Trinit.*	Spiritus ſanctus deſuper veniet in te.
D. Iuſt.Mart. quæſt.66.	Spiritus ſanctus in te intrabit, & vis Altiſſimi tibi obumbrabit.
*Marius Vict. Afric. lib.*1. *aduerſ. Arrium.*	Spiritus ſanctus adueniet in te, & virtus Altiſſimi inumbrabit te.
D. Ath. ſerm. de S.Deip.	Et virtus Altiſſimi adumbrabit tibi.
Arias.	Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & efficientia Altiſſimi te obumbrabit, ideoq; natum ex te ſanctum, *&c.*
Text.Hebraicus.	Et virtus Altiſſimi impluet, ſeu irrorabitur in te.
Textus Græcus.	Quod generatum fuerit ex te ſanctum, *&c.*
*Nazianzenus orat.*49.	Spiritus Dei veniet in te.
Mariana ex Syriaco.	Obumbrabit ſuper te.
Arabicus.	Deſcendet in te.

EXPOSITIO.

137. RESPONDET Angelus ad id, quod Beatiſſima Virgo dixerat: *Virum non cognoſco*; & ait: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*; id eſt, vt explicat D. Chryſoſtomus *homil.*49.*in Geneſim.* Chryſoſt. Non quæras hîc naturæ modum, & ordinem quando ſupra naturam ſunt, quæ fiunt; non naturali via, ſed ſupernaturali fœcundaberis, & Spiritus ſanctus efficiet in te, quidquid præſtat virile ſemen in generatione humana: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ipſa virtus Spiritus ſancti te proteget, vt nullum virginitatis patiaris detrimentum. Illa autem verba verſionum, *Inumbrabit, adumbrabit, impluet*, explicabo *quæſt.*49. quæ magnam habent elegantiam. *Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum.* August. D. Auguſtinus *lib.*3. *contra Maximinum*, *cap.*17. Pro *ideo*, legit, *propterea.* Irenæus. D. Irenæus *lib.*7. *cap.*26. & alij multi, *Quapropter*; ſed ad ſenſum parum refert, ſi hoc, vel illo modo legatur, *Quod naſcetur.* Iuxta morem Scripturæ duplex eſt natiuitas; vna quando fœtus exit in lucem; altera, quando concipitur. Matth.1. *Matth.*1. Angelus ad Ioſeph: *Quod in ea natũ eſt*; & in hoc ſenſu hîc ſumitur, & ſic Textus Græcus, *Quod generatum fuerit ex te*, ait, quia ſola Virgo materiam miniſtrauit, & Spiritus ſanctus fœcundauit. *Sanctum*, ait Angelus, quod connexionem habet cum illo *naſcetur*, vt habet noſtra vulgata. Et Chriſtus Dominus dicitur Sanctus per excellentiam: quia eſt ſanctus ſanctitate ſubſtantiali, & intrinſeca, quia Deus, & homo eſt. *Filius Dei vocabitur*, non adoptiuus, ſed naturalis; de quo latè Theologi 3. *part. quæſt.* 23.

***

QVÆSTIO XLVI.

Quare dixerit Angelus, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te?

RESPONDETVR primò. Ad denotandum, quòd iſte conceptus non fiet ope viri, ſed quòd Spiritus ſanctus ſeminariam viri ſupplebit virtutem. In generatione humana mulier dat materiam, quæ accedente viri virtute ſeminis organizatur, & formatur, vt ſit capax animæ rationalis. Ita explicant D. Damaſcenus *lib.*5. *cap.*2. D. Ambroſius *lib. de ſtatu Virginis, cap.*51. 138.

Damaſcen. Ambroſ.

Secundò dicitur: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*; quia licèt fœtus virilis quadraginta dierum ſpatio efformetur, hîc tamen diuina Spiritus ſancti virtute in inſtanti complebitur, & animam rationalem recipiet; & ſic conceptio Chriſti in inſtanti perfecta eſt. Ita D. Baſilius *homil. de humana Chriſti generatione.* D. Damaſcenus *lib.*3.*de fide, cap.*2.

Baſilius. Damaſcen.

Tertiò. Quomodo dicitur, quòd Spiritus ſanctus ſuperueniet in Virginem, ſi iam per gratiam erat in ipſa, ita vt ei diceretur: *Gratia plena*, inueniſti gratiam apud Deum? D. Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt: *Si autem iam Spiritus ſanctus in ea, quomodo adhuc tamquam nouiter ſuperuenturus repromittitur? An fortè ideo non dixit, venit in te, ſed addidit, ſuper, quia & priùs quidem in ea fuit per multam gratiam; ſed nunc ſuperuenire nuntiatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effuſurus eſt ſuper illam.* Ita ſanctus Pater ideo dicitur ſuperuenire, quia admirabili modo & magna gratiarum multitudine nunc denuo aduenit in eam. Ex quo rectè ait D. Amadeus homil. 3. de Incarnatione: *In alios Sanctos venit Spiritus ſanctus, ſed in te ſuperueniet, quia præ omnibus, & ſuper omnibus elegit te, vt ſuperes vniuerſos, qui ante fuerunt, vel poſt te futuri ſunt plenitudine gratiæ.* Ac ſi dicat, quòd dicitur ſuperuenire, vt ſignificetur, quòd noua plenitudine gratiæ ſuper omnes Sãctos in eam aduenit, vt omnes ſuperet, & excedat. Quarto D. Hildephonſus ſerm.2 de Aſſumptione: *Maria*, ait, *peruenit ad eas nuptias, quæ in vtero ſunt dedicatæ, pro quibus arrhas accepit ſponſa Chriſti in dotis titulo, & pignus hæreditatis æternæ Spiritum ſanctum.* In die Incarnationis inter Virginem, & Deum celebratæ ſunt nuptiæ, & pro ſuis eximiis virtutibus Maria habuit arrhas, ſcilicet æternam hæreditatem, & quia non erat conueniens, vt Virgo ſtatim aſſumeretur in cælum, ideo aduenit Spiritus ſanctus, & manſit apud Virginem, tam ad formandum, & organizandum Chriſti corpus, quàm vt ei eſſet datus in pignus ſuæ hæreditatis. 139.

Bernard. Amadeus. Hildeph. *Spiritus ſanctus datus Virgini in pignus.*

Quintò. Inter varias gratias quas Spiritus ſanctus ſuperueniendo, Beatiſſimæ Virgini communicauit; vt eſſet terribilis, & formidabilis Dæmonibus. Ita D. Athanaſius *ſerm. de Deipara*, dum expendit hoc angelicum dictum, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: vt in Apoſtolos*, ait, *virtus iſta ideo deſcendit, vt contra omnem aduerſariam virtutem vigerent, ideoque Spiritus ſuperueniet eſſentialiter, ita quoque Spiritus ſanctus in Virginem deſcendit.* Elegantiſſimè S. Pater quandam facit contrapoſitionem inter aduentum Spiritus ſancti in Virginem, ac in Apoſtolos; & ſicut Spiritus, vt contra omnem aduerſariam pugnarent poteſtatem, eamque vi gloriæ ſuæ expugnarent, Apoſtolos inflammauit; ita Beatiſſimam Virginem, vt pro ſuis deuotis aduersùs omnes dæmoniacos dimicaret incurſus, eos terrendo, & fugando, Spiritus repleuit. 140.

Athanaſ. *Virgo pro ſuis deuotis pugnat.*

141. Sextò. Quæſiuit ab Angelo Beatiſſima Virgo; *Quomodo fiet iſtud?* Reſpondet Angelus: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*; ac ſi dicat. Gratiam, quam inueniſti apud Deum, modum, & ordinem tam admirabilis myſterij, quem à me requirit, nec dicere, nec exprimere valeo; ſed Deus, ideſt, Spiritus ſanctus ſuperueniendo te docebit, de hiſque te inſtruet. D. Bernard. homil. 4. ſuper Miſſus eſt; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Ac ſi Angelus*, ait, *reſpondeat ad Virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens ſcies, & feliciter ſcies, ſed illo doctore, & authore; ego autem miſſus ſum nuntiare virginalem conceptum, non creare, nec poteſt doceri, niſi à donante; nec poteſt addiſci, niſi à ſuſcipiente.* Quæ enim virtute Dei in Virgine operata ſunt, & quæ gratiæ ei datæ, non cuiuſcumque, ſed ſolius Dei eſt dicere, vt etiam ait D. Bernardus. Vnde aliqui de Beatiſſima Virgine explicant illud Iſaiæ 19. num. 11. *Erit vobis viſio, ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent: Lege iſtum. Et reſpondebit: Non poſſum, ſignatum eſt enim.* Beatiſſima Virgo liber eſt, vt dixi *cap.* 2.*num.*4. Si aliquis homo, vel Angelus, huius libri magnalia dicere, & explicare velit, non poteſt; ſignatum eſt enim. Solus Leo de tribu Iuda, ſcilicet Chriſtus Dominus illum ſoluere, & aperire valet.

Bernard. Iſaiæ 19. *Gratiam, & excellentias Virginis ſolus Deus dicere poteſt.*

QVÆSTIO XLVII.

Quare hîc diuinus Spiritus ſanctus dicatur?

142. ANTEA in veteri Teſtamento inuenies appellari Spiritus Dei, vel Spiritus Domini; nunc verò in nouo Teſtamento incipit aliter dici Spiritus ſanctus, Rupertus in cap. 1. Matth. *Non facilè*, ait, *in omni ſerie veteris Teſtamenti reperies hoc inſigne vocabulum, ſcilicet Spiritum ſanctum. Ab hoc loco ferè primum ſonuit in auribus noſtris hoc reuerendum, & inſige vocabulum, Spiritus ſanctus, vbi Angelus ad Mariam, Spiritus ſanctus, ait, ſuperueniet in te; quam ob cauſam? niſi quia (quod cum magna reuerentia cogitandum eſt) maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus eſt, claruit hic Spiritus Domini, quod verè ſanctus ſit.* Ac ſi dicat, quod Spiritus Domini hîc primum dicitur ſanctus, quia ratione myſterij incarnationis magna cum reuerentia venerandus ſit. Deinde cùm Incarnatio ſit fons, & origo totius ſanctitatis, ratione illius cooperationis Spiritus Domini dicitur ſanctus, ſæpe enim ab operibus, & factis nomen deriuatur.

Rupert. *Spiritus ſanctus ob Incarnationem venerandus.*

143. Rupert. Secundò. Idem Rupertus citato loco in cap. 1. Matth. *Ex tunc*, ait, *qui priùs dicebatur Spiritus Dei, vel Spiritus ſanctus, cœpit altius enuntiari, primum ex ore Angeli, deinde ex omni Euangelio Chriſti, quod vocabulum venerabilius ſonare non dubito omni habenti aures audiendi.* Ac ſi dicat. Antea dicebatur Spiritus Domini, vel Dei, nunc verò in myſterio Incarnationis, ac lege gratiæ, excellentiori vocabulo dicitur Spiritus ſanctus, quia ob tantum myſterium Deus à nobis eſt peculiariter colendus, ac venerandus, nouiſque vocabulis nominandus.

Deus ob Incarnationem venerandus.

QVÆSTIO XLVIII.

Quare Chriſtus Dominus dicatur conceptus de Spiritu ſancto?

CERTVM eſt de fide, vt patet ex Concilio Nicæno, quòd Chriſtus Dominus ſit dè Spiritu ſancto conceptus; & conſtat ex Matth. 1. *Quòd in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Et ratio eſt, quia Spiritus ſancti virtus, & efficacia organizando, & animando carnem Chriſti, præſtitit omne illud, quod ex parte viri miniſtratur. Ita communiter omnes Patres, & Theologi cum D. Auguſtino *in Ench. cap.*37. *& ſerm.* 2. *de Natiuit Domini.* Sed modò reſtat quæſtio: Quare hoc opus tribuitur Spiritui ſancto, cùm omnia opera ad extra communia ſint omnibus tribus perſonis; & cur potius Spiritui ſancto, quàm Patri, aut Filio adſcribatur? Reſpondet primò D. Thomas 3.*part. quæſt.*32.*art.*1.*in corpore.* Spiritus ſanctus eſt amor Patris, & Filij, hoc autem opus Incarnationis ex Dei amore maximo prouenit. Secundò. D. Auguſtinus in Enchir. c. 40. *Iſte modus*, ait, *quo natus eſt Chriſtus de Spiritu ſancto, inſinuat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipſo primo exordio naturæ ſuæ, quo eſſe cœpit, verbo Dei copularetur.* Spiritu ſancto tribuuntur dona gratiæ, ideo hoc myſterium ei adſcribitur, vt inde intelligas, quòd fuerit opus ſummè gratuitum, & ex nullis præcedentibus meritis. Ex quo duo moraliter nota. Primò, quòd Spiritus ſanctus, qui eſt amor, eſt etiam donorum gratiæ diſtributor, ſolus enim verus amor dat gratiæ dona, & gratis. Secundò. Hæc actio, quæ interuenit in hoc myſterio, ordinata eſt ad vnionem naturæ humanæ cum diuina; diſtinctorum antem vnio, non tam potentia, & ſcientia, quàm vi amoris perficitur, 144.

Matth. 1. Auguſt. D. Thom. *Incarnatio opus amoris.* Auguſt. *Solus amor dat gratis. Diuerſorum vnio amore fit.*

Tertiò D. Petrus Chryſologus ſerm. 142. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: Quia*, ait, *quod de carne natum eſt, caro eſt: & quod de Spiritu, Spiritus eſt.* Chriſtus Dominus, vt viuorum, ac mortuorum eſſet iudex, cõcipiebatur, vt ergo ab effectibus carnis & ſanguinis oſtendatur alienus, de Spiritu ſancto dicitur conceptus; quamuis enim in eo eſſet caro, & ſanguis, in affectu tamen totus veluti Spiritus erat. Quartò. Spiritus ſanctus, cùm perſonam ad intra non producat, vt docet Catholica fides, ad hoc vt eius potentia innoteſcat, ei tribuuntur multa opera ad extra, vt ſic ipſe vitam, quam habet communicatam à Patre, & Filio, aliquo modo quantum decet, aliis communicet. D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 1. Geneſ. *Viuificat omnia Spiritus Dei, & cùm ipſe natura vita ſit, vtpote à vita, hoc eſt, à Patre, & Filio procedens.* Quintò. Creatio adſcribitur Spiritui ſancto: & in hoc ſenſu D. Hieronymus *Epiſt. ad Oceanum*, quæ eſt 83. Theodoretus *quæſt.*5.*in Geneſ.* explicant illud Geneſ. 1. num. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Meritò ergo opus reſtaurationis, & redemptionis tribuitur ei, vt idem videatur creator, & reſtaurator. 145.

Chryſol. *Iudex affectuũ expers.* Cyrillus. Hieron. Theodor. *Idem creator, & reſtaurator.*

QVÆSTIO

Qvæstio XLIX.

Quare dixerit Angelus, Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?

146. Gregor. D.Thom. MVltæ ſunt hîc Patrum expoſitiones, quas breuiter adducam. Prima. D. Gregor. *lib.* 13. *moral. cap.* 12. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 32. *art.* 1. *ad* 1. Per virtutem Altiſſimi intelligunt filium Dei; & ſicut vmbra ex lumine, & corpore ei obiecto conficitur, ſic ex ipſa diuinitate, quæ lux eſt, & ex corpore humano Chriſti reſultauit in Beatiſſima Virgine quædam vmbra, vt ipſam diuinitatem in ſe ſuſtinere poſſet, præcipuè cùm Deus noſter ignis ſit. Bernard. Ita etiam D. Bernardus *homil.* 4. *ſuper Miſſus eſt*, & D. Dionyſius Carthuſianus, Carthuſ. *Obumbrabit tibi, id eſt*, ait, *ſuam omnipotentiam immenſam tuæ capacitati contemperabit, vt eius influentiam ferre queas.* Talis enim eſt Deus, vt aliquando potentiæ ſuæ vires reprimat, vt dilectos ſuos honoribus afficiat. Vnde ait Beda homil. de Annuntiatione: Beda. *Sol, id eſt, diuinitas Chriſti tegmine ſe humanæ naturæ, quaſi vmbraculo quodam obtexit, quo mediante Virginis eum viſcera ferre ſufficerent.* Athan. Secundò D. Athanaſius *ſerm. de S. Deipara*. *Diuinitas quamuis occultata cognoſcitur.* Quòd ſicut corpus hominis, vel arboris cognoſcitur per vmbram, tamquam per effectum, ita ipſum Incarnationis arcanum, ac ipſe Chriſtus Dominus, qui eſt Dei virtus, licèt in vtero Virginis occultaretur per nouem menſes, tamen per admirabiles effectus in Virgine operatos iam cognoſcebatur.

147. Tertia. Per virtutem Dei intelligitur Spiritus ſanctus, qui vmbra quadam Virginem circundabit, vt ipſa ſola ex creaturis hoc myſterium intelligat. Bernard. *Ex creaturis ſola Virgo intelligit Incarnationem.* D. Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt, *Obumbrabit tibi, hoc eſt*, ait, *ſicut obumbrando teget modum, quo de Spiritu ſancto concipies, & occultabit, quatenus ſibi tantùm notus habeatur, & tibi.* Athan. *B. Virgo quadam diuinitatis pictura.* Quarta. D. Athanaſius *ſerm. de S. Deipara*, ita legit, *Et virtus Altiſſimi adumbrabit tibi*, hoc eſt, efficiet in te vt ſis puritate, & ſanctitate, veluti quædam ſculptura, & pictura delineata diuinitatis, quantum, pura humana creatura particeps eſſe poteſt: & tamquam veluti quædam imago Patris, ſine vlla humana coniunctione Deum concipies, & paries. Deinde nota egregiam ponderationem ſancti Patris, non dixit Angelus, virtus Altiſſimi Adumbrabit tibi in conceptu, ſed abſolutè, & ſine addito, quia illa gratiarum abundantia, quam in filij conceptione habuit Beatiſſima Virgo, in toto vitæ tempore ſemper illi affuit. Athanaſ. *Gratiam, quam in concipiendo filiũ, in tota vita habuit.* Ita D. Athanaſius, *Quam virtutem*, ait, *per omnia tempora conceptus eam habuiſſe, confido, & poſt conceptum eam retinuiſſe: neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora ei datum fuiſſe.* Vbi loquitur de influxu gratiarum; nam efficacia concipiendi data ei fuit in conceptione tantùm.

148. Quintò. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, ideſt, virtus Altiſſimi ſupplebit vicem ſponſi; nam olim in nuptiis ſponſa velamine tegebatur à marito, & ideo nupta dicitur à nubendo. Vnde dixit Ruth ad Booz cap. 3. num. 9. Ruth 3. *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Id eſt, Duc me in matrimonium tibi, vt clariùs ibi explicat Chaldæus, Chaldæus. quod illo ſigno extenſionis pallij demonſtrabatur; de quo ibi Abulenſis *quæſt.* 19. Abulenſ. Dixit ergo ad Angelum Virgo: *Quoniam virum non cognoſco*; & ait Angelus: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Non timeas, quia virtus Spiritus ſancti obumbrando tibi, habebit veluti in ſponſam, & vices viri ſupplebit. Pro hac explicatione facit Ianſenius, & doctiſſimus Carthagena lib. 5. homilia 12. Ianſen. Carthag. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, id eſt, proteget, & defendet te, ſeruando illæſam virginitatem tuam quam tantopere optas. Ita Euthymius, Titus Boſtrenſis, Toletus, & alij. Euthym. Boſtrenſ. Tolet. Quæ expoſitio ſatis mihi placet. Et inde ſtabilitur: quia hoc verbum *obumbrare*, ſignificat defendere: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi*, Pſalm. 9. num. 4. Pſalm. 9. id eſt, defendet te. *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli*, Pſalm. 139. num. 8. Pſalm. 139. id eſt, defendiſti caput meum in prælio. Eccleſiaſt. 7. num. 13. Eccli. 7. vbi noſtra Vulgata habet: *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia.* In Hebræo habetur: *In vmbra ſapientiæ, in vmbra argenti*; & ſumitur in præſenti metaphora ex vmbra, quæ ab ardore Solis defendit, ac tuetur, & ita ait Angelus: O Virgo, Spiritus ſancti virtus tibi obumbrabit, vt nullum æſtum libidinis, aut concupiſcentiæ, in hac conceptione perſentias. Ita D. Auguſtinus *lib. de ijs, qui myſterijs initiantur, cap.* 3. *& in Pſalm.* 67. *& epiſt.* 57. *ad Dardanum*, Auguſt. Pſalm. 67. D. Hildephonſus *ſerm.* 2. *de natiuitate Virginis*, Hildeph. Paſchaſius *lib.* 4. *in lament.* Paſchaſ. Franconius Abbas *lib. de Gratia*, Francon. Brixian. qui omnes faciunt pro hac ſententia, Brixian. quam præclarè explicat D. Hilarius lib. 2. de Trinit. Hilar. *Ne quod*, inquit, *per humani corporis imbecillitatem decideret, virtus Altiſſimi Virginem obumbrat, infirmitatem eius, veluti per circumfuſam vmbram confirmans, vt ad ſementinam ineuntis ſpiritus efficaciam corporalem diuinæ virtutis obumbratio temperaret*; cùm Virgo tanto virginitatis amore flagraret, ait Angelus quòd nullam delectationem corporalem ſpiritu obumbrante, ſentiret ad ſementinam efficaciam corporalem.

149. Sed quid eſt, quòd dum diuina virtus in vterum Virginis venit, totus Deus ſuauis, & dulcis adeſt; quod explicat textus Hebraicus; nam vbi nos habemus, *Obumbrabit tibi*; legit, *Impluet, ſeu irrorabitur*; vbi ſub metaphora imbris cadentis in terram explicatur ſuauitas diuini Spiritus, dum in Mariam ſine ſtrepitu venit, & ideo ait Iſaias 45. Iſai. 45. *Rorate cæli deſuper*, & Pſalmiſta Pſalm. 71. Pſalm. 71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* At in Sina daturus legem totus terribilis, ſonantibus tonitruis, & fulgurantibus nubibus apparuit. In Maria, vbi erat lenitas, & ſuauitas maxima, ibi Deus placidus adeſt; at in Sina obdurato in ſaxo legem erat ſcripturus; ibi ergo furor omnis, & ſtrepitus, vt continuatur. D. Damaſcenus orat. 1. in Mariæ natiuitate. Damaſcen. *O Maria*, ait, *arx Sina ſanctior, quam non fumus, non caligo, non procella contegit: verùm illuminandi vim habens Spiritus ſancti ſplendor. Illic enim Dei verbum, tamquam Dei ſpiritu, legem ſaxeis tabulis inſcribebat: hîc autem ex Spiritu ſancto, ac Virginis ſanguine Verbum ipſum Incarnatum, ſeq; naturæ noſtræ conceſſit.* Vbi ſuauitas, ibi lenis, & mitis eſt Deus; vbi obduratio, ibi terribilis, & rigidus apparet omnium creator. *Deus ſuauis mitibus, rigidus aſperis.*

Qvæstio

Qvæstio L.

Quare prius dicatur de Chriſto eſſe ſanctum, quàm filium Dei?

150. DIxit Angelus de Chriſto Domino priùs, quòd erit ſanctus, & poſteriùs, quòd filius Dei nominabitur; *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.* *Sãctitas quid maximè excellens.* Reſpondetur, quòd ſanctitas adeò eſt præexcellens, vt etiam ab ipſa maximè Dei filius magnificetur; & ideo primùm dicitur ſanctus. Alternis vocibus clamant Seraphim apud Iſaiam 9. num. 2. Iſai. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Sed quid eſt, quòd dum Angeli Deum laudant, primò ſanctum appellant, & hoc non ſemel, ſed trina repetitione, cùm tamen vna tantùm vice Dominum Deum nominent? Prima enim Dei laus eſt, quòd ſanctus ſit, & dum maxima veneratione colitur, ter, ac vocibus alternis acclamatur ſanctus, tamquam ſi inde maximè glorificetur. D. Amproſius lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 18. Ambroſ. *Illam ſolam prædicant ſanctitatẽ, Cherubim, & Seraphim indefeſſis vocibus laudant, & dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; nos quoque nihi pretioſius inuenimus, quo Deum prædicare poſſimus, niſi vt ſanctum appellemus: quodlibet aliud inferius eſt Deo, inferius eſt Domino.* Cantat Eccleſia in ſuis precibus ad Primam, *Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte, & immortalis.* Nónne ſufficiebat dicere; Deus fortis, & immortalis? Ad quid in ſingulis additur *Sancte*? Ac ſi ipſa Dei eſſentia, ac attributa, quæ in fortitudine, & immortalitate exprimuntur, à ſanctitate maximè extollantur, ac fortificentur, tanquam hæc ſit prima Dei laus. Pſalm. 137. Ait Regius Vates. *Magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum*, Pſalm. 137. num. 2. Sed quare non dixit: Nomen tuum, Deus, nomen tuum, Omnipotens, nomen tuum, Miſericors, vel æternum; ſed nomen tuum ſanctum? D. Dionyſius Areopag. lib. de diuinis nominibus, cap. 13. Areopag. *Nomen ſanctum tuum, tamquam*, ait, *omnium nominum pretioſiſſimum.* Vide ſuprà *quæſt.* 46.

Nota hîc tamen, quòd quando dicitur, *Ex te naſcetur ſanctum*; quamquam aliqui codices habeant *Sanctus*, in maſculino, attamen multo meliùs noſtra vulgata retinet *ſanctum* in neutro: vt obſeruant D. Bernardus *homil.* 4. *ſuper Miſſus eſt.* Bernard. Rupert. Brixian. Rupertus *lib.* 1. *de Spiritu ſancto, cap.* 10. Brixianus, & alij. Nam ſi diceret *Sanctus*, eſſet locutio determinata, quòd eſſet ſanctus homo, vel infans; at dum dicitur *ſanctum*, in neutro, & ſubſtantiuè, denotatur, quòd ſit ipſa ſanctitas, *Chriſtus ſanctitas ipſa.* quòd quidquid in eo ſit, ſingulariter ſanctum ſubſiſtat.

Qvæstio LI.

Quare Angelus tòtus ſit in explicando Chriſti regno; non verò in eius paſſione?

151. ANgelvs Chriſti magnalia Virgini proponit, & nihil de eius paſſione, ac Cruce loquitur, vt poſtea prædixit Simeon *Luc.* 2. *n.* 34.

Sylueira in Euang. Tom. I.

Angelus, vt optimus legatus, plura dicere non debuit, quàm in mandatis habebat. Sed iterum redit quæſtio: quare diuina prouidentia diſpoſuit, vt de regno, & non de Cruce ſermo eſſet? Poterit aliquis reſpondere ex D. Chryſoſtomo *homil.* 4. *in Matth.* Chryſoſt. qui ait: *Facilè ſolicitamur ad proſpera, & promptius fidem accommodamus ſecundis.* Verùm licèt hæc de quauis alia pura creatura dici poſſint: non tamen de Beatiſſima Virgine, cuius fides, & obedientia in Deum erat eximia. Reſpondeo igitur primò, quòd Angelus interrogationi Virginis: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco; reſpondet, ac proinde totus eſt, vt oſtendat, filium concipiendum, non purum hominem, ſed Deum, & hominem, ac verum Meſſiam eſſe; vt ex hoc notum ſit Virgini, quòd totum illud opus ſine interuentu viri ſit peragendum, iuxta Iſaiam 7. n. 14. Iſai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Secundò, in eo, quòd Angelus eum Regem, & Ieſum, id eſt, Saluatorem dicit, eius Crucem, & paſſionem apertè ſignificat; tum, quia hæc ad Saluatoris munus pertinent; tum quia in Scriptura de Chriſto prophetata inueniebantur, quæ omnia Beatiſſimæ Virgini, vtpote repletæ Spiritus ſancti donis, ſcientiæ, ac Scripturarum intelligentiæ, manifeſta erant. Tertiò, vt ait D. Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt. Bernard. *Dies iſte Annuntiationis, dies extitit ſummæ lætitiæ, & gaudij, ac proinde nulla memoria doloris, & triſtitiæ debuit in eo miſceri.* Quartò. Angelus feſtiua, Simeon amara pronuntiat, quia ad Angelum iucunda, ad hominem triſtia dicere ſpectat. *In die ſolemni nullum triſtitiæ ſignum.* Vide *cap.* 1. *quæſt.* 43. *num.* 108.

Lucæ 1. *n.* 38. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis.

Versiones.

Theophylact. Sextus menſis eſt illi, quæ dicebatur ſterilis.

Cæſar. Virconcula dialog. 3. Elizabeth cognata tua, ipſa concepit, &c.

Arias. Ipſa concipiens fuit filium, & hic menſis ſextus eſt illi vocatæ ſterili.

Expositio.

152. COnnectit Angelus ſuam ſententiam cum ſuperiori, vt denotat particula illa, *Et ecce*; id eſt, res noua, & mirabilis. *Elizabeth*, adducit Angelus hoc exemplum, non quaſi quòd Virgo dubia eſſet, firmiſſimè enim Angelo fidem præſtitit, vt ſuprà dixi; ſed vt eam credentem magis confirmaret: de quo *quæſtione ſequenti. Et ipſa*, cùm eſſet annoſa, & ſterilis, *Concepit filium in ſenectute. Et ſextus menſis eſt illi*; quo iam vterus non poteſt occultari. *Cognata tua.* Longa quæſtio: Quo pacto Beatiſſima Virgo & Elizabeth eſſent cognatæ? De qua omnes recentiores in præſenti. Ideo

M eam

Epiphan. Theod.

eam omitto. Sententia D. Ephiphanij *hæreſi* 78. Theodoreti *lib. quæſtion. in Numer. quæſt. vltim.* affirmas, illas duas Tribus Iuda, & Aaron mutuis matrimoniis coniungi ſolitas, mihi videtur vera indéque factum, vt Beatiſſima Virgo, & Elizabeth eſſent cognatæ. Cuius rei rationem aſſignat Theodoretus. Quia Chriſtus Dominus futurus erat Rex, & Sacerdos; Lyra verò Numer. 36. n. 7. *Fuit conceſſum*, ait, *vt Sacerdos poſſet accipere vxorem de Tribu regia, vt & Rex, qui præeſſet in temporalibus, & ſummus Sacerdos, qui præeſſet ſpiritualibus, eſſent magis concordes. Quod ad bonum regimen populi faciebat.*

Lyra. *Rex, & Sacerdos concordes.*

QVÆSTIO LII.

Quare Angelus hîc factum Elizabeth Virgini commemoret.

153. Chryſoſt.

RESPONDET primò Chryſoſtomus *homilia* 49. *in Geneſ.* vbi affirmare videtur, Angelum adduxiſſe exemplum Elizabeth ad inducendam Beatiſſimam Virginem, vt eius dictis crederet: quibus verbis indicat, quòd Beatiſſima Virgo fidem non præbuerit Angelo annuntianti quoaduſque factum Elizabeth audierit. Sed iam ſuprà *quæſt.* 43. ſatis probatum eſt, quòd Beatiſſima Virgo à principio fidem angelicis dictis ſine vlla dubitatione, & firmiſſimè præbuerit. Ideò alias rationes proponamus. Secundò. D. Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt, *Ideo*, ait, *ſterilis cognatæ conceptus Virgini nuntiatur, vt dum miraculum miraculo addidit, gaudium gaudio cumuletur.* Vt gaudium Beatiſſimæ Virginis de ſua electione in matrem Dei perfectiſſimum, & vndique plenum eſſet aliorum bonum, ei manifeſtari debuit. Iuſti tunc bona ſua perfecta reputant, quando aliis communicata vident. De quo *quæſt. ſequenti in fine.* Tertiò idem D. Bernardus citato loco. *Quia decebat Verbum mox diuulgandum vbique, prius ſciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine; ne mater Dei à conſilijs filij videretur amota, ſi eorum, quæ interiùs tam propriè gererentur, remanſiſſet ignara.* Vt dicitur Amos 3. n. 7. *Non faciet Dominus Deus Verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.* Et ita illud ſecretum de Conceptione Ioannis Virgini reuelatur. Quartò Hugo. *Vt audiens*, ait, *cognatam vetulam grauidam, iuuencula cogitet de obſequio ei impendendo.* Bonum vnius debet alteri communicari, vt communiter gratias agant, & communiter gaudeant. Prouerb. 18. n. 19. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.*

Bernard. *Iuſtorum bona communicata.* Idem. *B. Virgo à conſilijs filij.* Amos 3. Hugo. Prouerb. 18.

154. Quintò. Hoc exemplum Angelus adducit, quia in Maria toto loquebatur mundo. Et ideo voluit Deus ſteriles olim fœcundare, vt homines facile crederent Chriſtum ex Virgine natum. Ita Diuus Chryſoſtomus *homilia* 49. *in Geneſ.* D. Ambroſius *lib. 6. in Lucam, cap.* 8. D. Baſilius Seleucus *homilia de Ioanne.* D. Gregorius Nyſſenus de ſancta Chriſti natiuitate. *Ne*, ait, *incredibile putarent homines ex Virgine partũ edi poſſe: minoribus miraculis ante exercendo fideles ad aſſentiendum, & credendum aſſuefecit: ſterilis, ac decrepita filium parit; id quaſi prælúdium eſt, & principium extitit miraculi, quod in Virgine ſubſecutum eſt.* In rebus magnis humana mẽs paulatim aſſuefieri debet. Et ideo ait Chryſoſtomus, quòd Angelus per ſenſibilia Virginem manu ducebat. Sextò. Angelus proponit factum Elizabeth, non quia Virgo dubitaret, ſed ad Maiorem confirmationem, & ſtabilitamentum eorum, quæ dicebat. Sic ſæpe in Scriptura, dum aliquibus fiunt promiſſiones, adiunguntur ſigna; non quia dubitent, ſed ad magis corroborandam dictam veritatem. 4. *Regum* 19. *num.* 29. *Iſai.* 37. *num.* 30. Iſaias pollicetur Ezechiæ Regi liberationem ab exercitu inimicorum; & tamen ipſi credenti, & non dubitanti datur ſignum 1. *Regum* 10. *num.* 2. Saul poſt vnctionem datur ſignum; cùm tamen ipſe non dubitauerit, *Luc.* 2. *num.* 12. Paſtoribus credentibus Chriſti natiuitatem additum eſt: *Et hoc vobis ſignum*; & ita fit ſæpe à magiſtris, vt quæ credimus, multis rationibus, & exemplis confirmemus. Ita Angelus ad magis roborandum id, quod dicebat, hoc exemplum Elizabeth proponit. Ita D. Ambroſius hîc: *Morale*, ait, *vt qui fidem exigunt, fidem aſtruant*, &c. Euthymius, Toletus *annot.* 107. & alij. Et hæc ratio videtur magis conformis literæ.

Chryſoſt. Ambroſ. Baſilius. Greg. Nyſ. *Paulatim aſſueſiat intellectus.* Chryſoſt. Luc. 2. Ambroſ. Euthym. Tolet.

QVÆSTIO LIII.

Quare Angelus à minori probet id, quod maius eſt?

MVLTO excellentius eſt, quòd Virgo pariat, quàm quòd ſterilis concipiat; & tamen Angelus ex hoc inferiori comprobat illud ſuperiùs. Reſpondetur, quòd ex vno opere rectè probatur aliud; quia, vt docet D. Auguſtinus *Epiſtol. 3. ad Voluſian.* In hoc myſterio tota ratio facti eſt potentia facientis. Et ſicut diuina potentia facere poteſt, vt anus ſterilis, cui materia ad generationem naturaliter deeſt, miraculosè illam valeat ſuppeditare; ita etiam ſupernaturaliter Virgo ſine ſemine concipere. Et valde frequens eſt in Scriptura in miraculis magis mirabile per minus demonſtrare. *Matthæi* 1. *num.* 5. Dum Paralyticus allatus eſſet ante Chriſtum, circunſtantibus dixit ipſe Saluator: *Quid eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula? Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge, & ambula.* Et non eſt dubium, quòd ſi factum rectè expendatur, multo maius eſt remittere peccatum, & iuſtificare peccatorem, quàm ſanare paralyticum, vel totum orbem creare. Diuus etiam Ambroſius *lib. de ijs, qui myſterijs initiantur, cap.* 9. Euchariſtiæ Sacramentum multis exemplis longè inferioribus demonſtrat. Ergo quamuis præſtantius ſit, quòd Virgo Maria pariat, quàm quòd ſterilis concipiat, bene vnum per aliud probatur, & ideo ſubdit: *Non eſt impoſſibile*, &c. Secundò. Si ad natiuitatem ſerui, & Præcurſoris duo operata ſunt miracula, vt anus, & ſterilis concipiat; igitur bene probat Angelus, quòd in natiuitate Domini, & ſupremi Regis plura ſunt facienda. Tertiò. Si Deus in ordine ad ſalutem populi ſui voluit, vt ſterilis concipiat, à fortiori excellentiùs perpetrabitur, vt Virgo concipiat; cùm ſemper Dei maieſtas, & bonitas, facto 155.

Auguſt. Matth. 9. Ambroſ.

vno opere, intendat maius edere in noſtram vtilitatem.

QVÆSTIO LIV.

Quare adducatur Elizabeth in exemplum, & non Sara?

156. ANGELVS non Saram, vel Rebeccam, Virgini proponit, ſed tantùm Elizabeth. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus hom. 49. in Geneſ. *Vide*, ait, *quanta Gabriel vtitur ſolertia. Non enim in memoriam reducit Saram, vel Rebeccam, vel Rachelem. Quare, & quam ob cauſam? Et hæ fuerunt ſteriles, & vetulæ, & magnum miraculum fuit: ſed quia erant antiquæ narrationes, adducit eam ad hoc, quod nuper contigerat.* Vtitur Gabriel hoc exemplo potius, quàm illarum veterum mulierum, quia erat domeſticum, & facilè oculis videri poterat, & fortius mouent præſentia, & domeſtica, quàm præterita ad fidem inducendam.

Chryſoſt. *Magis mouet nouum, quàm antiquũ, præſens, quàm præteritum.*

157. Bernard. Secundò D. Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus eſt, *Ideo*, ait, *ſterilis cognatæ conceptus Virgini nuntiatur: neceſſe erat non modico lætitiæ, & amoris præueniente inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus ſancti fuerat conceptura; neque enim niſi in deuotiſſimo corde, atque hilariſſimo, tanta ſe capere poterat dulcedinis, & alacritatis affluentia.* Deuotio cum hilaritate animi magna præparatio eſt ad Deum recipiendum. Et ita dicitur Pſalm. 99. *Introite in conſpectu eius in exultatione.* Dicitur Virgini conceptus conſanguineæ, vt ex gaudio inde recepto ſe aliquantulum cum deuotione diſponat, vt Deum in ſe inhabitantem habeat. Tertiò. Vt gaudium Virginis eſſet plenum, vt ſuperiori quæſtione dixi. Tanta enim erat charitas eius, quòd vt dignitatem maternitatis in ſe collatam in magna æſtimatione haberet, neceſſe fuerit, ei explicari, quòd beneficia diuina in ipſa non ſiſtebant, verùm aliis etiam communicabantur. Poſt explicationem ſomnij Nabuchodonoſoris, cùm Daniel maximis afficeretur honoribus: *Poſtulauit autem Daniel à Rege: & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, & Abdenago*, Daniel cap. 2. num. 49. Sed quare vbi primum Daniel promotus eſt ad dignitatem, antequam aliquid agat, ac de eius conſeruatione tractet, ſtatim vt ſocij magnis afficiantur honoribus, procurat? Theodoretus, *Oſtendit*, ait, *erga proximum dilectionem, & participes eorum, quæ acceperat, fecit tribules ſuos.* Ea enim erat charitas eius, vt quos habuit in orationibus ſocios, fecerit etiam in honoribus conſortes.

Deuotio, & hilaritas, vt Deum recipiat. Pſalm. 99. Daniel. 2. *Iuſti bona ſua eſſe volunt cõmunicata.* Theod.

158. Hæc eſt iuſtorum conditio; peccatores verò è contra, dona non eſtimant, niſi ſolùm ipſis data, imò cum aliorum pernicie, & damno. Conſideratione magna expende diuerſum modum vnctionis Dauidis, & Iehu. Vnxit Samuël Dauidem in Regem, 1. *Regum cap.* 16. *num.* 13. Et quamuis vnctionis verba ibi non reperiantur ſcripta, iuxta graues auctores ſunt illa, quæ habentur 2. Regum cap. 3. num. 18. *In manu ſerui mei Dauid ſaluabo populum meum Iſraël de manu Philiſthim.* At verò Iehu ita ait, quidam filius Prophetæ 4. Regum cap. 9. num. 7. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Vnxit te in Regem ſuper populum meum Iſraël, & percuties domum Achab Domini tui*, &c. Sed quare tam diuerſo modo iſti ſunt vnguento delibuti? Dauidi pronuntiatur libertas populi Iſraël; Iehu verò perditio domus Achab? Dauid iuſtus, & ſanctus, vt dignitatem regiam ei datam in multum haberet, neceſſum fuit, aliorum bonum, & libertatem populi ſcire: Iehu verò, vt impius, & ſceleratus, aliorum damnum, & ruinam agnoſcere.

1. Reg. 16. 2. Reg. 3. 4. Reg. 3. *Peccatores aliorũ damno delectantur.*

Lucæ 1. *n.* 37. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

VERSIONES.

Syriacus. Quoniam Deo nihil eſt difficile.

Textus Hebraicus. Quia non erit impoſſibilis apud Deum omnis res.

Vatablus. Quia non erit impoſſibilis apud Deum vlla res.

EXPOSITIO.

AD vtrumque opus annuntiatum, ſcilicet quòd Beatiſſima Virgo Maria concipiet, & quod ſterilis pariet, refert Angelus præſentem ſententiam: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, id eſt, omnia, quæ Deus dicit, ſiue promittendo, ſiue annuntiando, ei ſunt poſſibilia; non enim eſt Deus, ſicut homines, qui ſæpe promittunt, quæ facere non valent. 159.

QVÆSTIO LV.

Quare dicatur, omne verbum non eſſe impoſſibile?

ALIQVI codices habent: *Nulla res eſt impoſſibilis.* Et quamuis idem ſit ſenſus cum noſtra vulgata, ipſa tamen meliùs retinet: *Non erit impoſſibile omne verbum.* Dicit *verbum*, vt denotetur, quòd Deo tam facile eſt facere, quàm homini dicere. Ita D. Bernardus homilia 4. ſuper Miſſus eſt. *Non ait Angelus*, inquit ſanctiſſimus Pater, *omne factum, ſed omne verbum. An idcirco poſuit verbum, quia quàm facile poſſunt homines loqui, quod volunt, etiam quòd nullatenus poſſunt, tam facile, imò incomparabiliter facilius, valet Deus opere complere, quidquid illi valent verbo exprimere?* Caietanus aliter reſpondet. *Omne verbum, nihil excipitur*, ait, *niſi quòd implicat contradictoriè; quòd etiam non excipitur, ſed non includitur, quia non comprehenditur ſub verbo aliquo vtpote quod non poteſt intelligi.* Ac ſi dicat: Omne, quod verbo mentis concipi, & intelligi poteſt, non eſt impoſſibile Deo, ſed omne eſt ab eo factibile. Nota cum Maldonato, quòd non ait: *Non eſt impoſſibile, ſed non erit: quia eſt Hebræorum phraſis, apud quos futurum modus eſt potentialis; & idem valet: Non erit*, ac, Non poterit eſſe. Deinde Angelus præcipuè annuntiabat rem de futuro, *Concipies, & paries: Virtus Altiſſimi* 160.

Bernard. *Tam facile Deo facere, quàm homini dicere.* Caiet. Maldon.

obumbrabit tibi. Ideo de futuro dixit: Non erit impoſſibile, vt ordinata eſſet loquutio.

Lucæ 1.n.38. Dixit autem Maria ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

VERSIONES.

Syriacus. Ait Maria: Ecce ego ſum ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et abiit Angelus ab ea.

D. Ambroſ. hîc Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum, *&c.*

Perſicus. Sit mihi iuxta verbũ tuum.

EXPOSITIO.

161. BEATISSIMA Virgo Maria perfectiſſimè intelligens totum, quod Angelus annuntiauerat, ad ipſum dirigit ſermonem ſuum, & præbet conſenſum, plena fide, & humilitate, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi.* Illud *fiat* variè exponit. Nam Diuus Ambroſius ait, eſſe voti, & deſiderij. Et ita etiam explicant Euthymius, Diuus Bonauentura. Ac ſi diceret Virgo: Opto, vt fiat mihi, quod dicis. Secundò Diuus Bernardus *homil.4. ſuper Miſſus eſt*, & etiam D. Bonauentura, dicunt, eſſe verbum orantis, ac deprecantis. Ac ſi diceret Virgo: Peto, & oro, vt tale myſterium in me fiat. Sed vtraque expoſitio videtur parum conſona humilitati Beatiſſimæ Virginis, quæ ita de ſe humiliter ſentiebat, vt ei in animo non eſſet, deſiderare, & petere, vt tale in ea perageretur myſterium. Quapropter melior videtur expoſitio Diui Auguſtini *ſermone 7. de Sanctis*, Irenæi *lib.3. cap. 33.* Damaſceni *lib. 3. cap.2.* & aliorum, qui dicunt, illud *fiat* eſſe tantùm verbum expreſſiuum, & ſignificatiuum interni conſenſus. Quas verò virtutes Virgo hîc oſtenderit, explicabo *quæſt.57. Et diſceſſit Angelus ab ea*; peracto legationis officio, abiit Angelus, & vt bonus miniſter ampliùs non moratur.

Ambroſ. Euthym. Bernard. Bonauent. Auguſt. Irenæus. Damaſcen.

QVÆSTIO LVI.

Quare Deus decreuerit, hoc myſterium fieri, interueniente Virginis conſenſu?

162. RESPONDETVR primò, quòd in hoc myſterio Dei Patris cum natura humana, Chriſti cum Eccleſia, ſpiritualia ſunt celebrata ſponſalia. de quo Cantic.3. *In die deſponſationis illius.* In ſponſalibus enim conſenſus vtriuſque partis interuenit. Ita D. Auguſtinus *ſermone de natiuitate Domini.* D. Gregorius Magnus *homil.38. in Euangelia.* D. Thomas *3. part. quæſt. 30. artic. 1. in corpore.* D. Petrus Chryſologus *ſermon.* 140. Et hac de cauſa hîc exigitur conſenſus Virginis. Secundò. Vt ait idem Chryſologus ſermone 142. *Audiſtis*, ait, *agi, vt homo curſibus iiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam: agit cum maria Angelus, quia cum Eua Angelus egerat de ruina, vt noſtræ perditioni conueniens noſtræ reparationis principium reſponderet.* Sicut ergo per fœminæ conſenſum ruina intrauit in mundum; ita per alterius fœminæ aſſenſum ſalus oriatur. Tertiò. Quia Deus voluit ſanctiſſimam Virginem perfectiſſimè condecorare, vt mater Dei eſſet, & mater cum meritis, qualia eſt aſſecuta, dum Angelo conſenſum præbuit. Dignitas ſine meritis parum nobilitat. Pulchrè D. Bernardus homil.4. ſuper Miſſus eſt. *Sic pius Dominus*, ait, *dum nos præuenit tribuendo, quod tribuit gratis, agit, ne gratis tribuat.*

Cantic. 3. Auguſt. Gregor. D. Thom. Chryſol. Idem. *Dignitas cum meritis.* Bernard.

163. Quartò. Incarnatio radix, ac principium totius meriti: optimè ergo conueniebat, vt hoc meritum à matre Chriſti inciperet, dum huic operi ſuum præbet aſſenſum. Vnde ait hîc D. Ambroſius, alibi iam datus. *Nec mirum*, ait, *ſi Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoauit à matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore.* Beneficia, quæ aliis præparas, à tuis inchoare debes. Quintò. Decreuit Deus, Beatiſſima Virgine liberè conſentiente, homo fieri, vt huic Virgini Mariæ nos omnes maximè obligatos cognoſceremur, cuius arbitrio omnium noſtrûm ſalus commendata eſt. Ita Diuus Bernardus *homil.4. ſuper Miſſus eſt.* Vnde ait D. Petrus Damianus ſermone de natiuitat. *Per ipſam, & in ipſa, & de ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine illo nihil factum, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Sextò. Noluit Deus carnem ſumere ex Beatiſſima Virgine ſine eius conſenſu, ſicut Eua formata eſt ex coſta Adami ipſo dormiente, vt ſignificetur, quòd aliter ſe habet Deus in creatione, aliter in reſtauratione, ac ſalute noſtra. nam in creatione vtitur potentia ſua independenter à noſtra voluntate; at in ſalute noſtra, non vult ita effici, niſi cooperantibus nobis, & conſentientibus. Dum pater Eliſæus puerum emortuum reſuſcitare intenderet 4. Reg. cap.4. num.34. *Incubuit ſuper puerum, & poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* Sed ad quid Eliſæus componit membra ſua cum puero? Nónne reuocandus eſt ad vitam miraculosè? Ad quid ergo calor in carne pueri? Quando Deus hominem creauit: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Nulla præuia diſpoſitione temporanea in materia. Ad quid ergo hic modò calor in carne pueri? Abulenſis ibi. *Quia Deus infuſurus erat animam corpori, ad hoc vt reuiuiſceret, volebat calefacere carnem pueri.* In creatione interueniebat tantùm Dei potentia mirabiliter operans: at in reſtauratione, cuius puer typum gerebat, vt homo emortuus reuocetur ad vitam, neceſſe eſt, vt præcedat ex parte noſtra calor, & diſpoſitio, nec enim aliter Deus negotium noſtræ vult operare ſalutis.

Ambroſ. *Beneficia à tuis inchoanda.* Bernard. Damian. *Sine Virgine nihil fit ſalutis.* 4 Reg.4. *Salus noſtra ſine nobis non fit.* Geneſ.2. Abulenſ.

QVÆSTIO LVII.

Quæ virtutes ſe manifeſtauerint in conſenſu Beatiſſimæ Virginis?

164. QVARE Beatiſſima Virgo Maria Angelo ita reſponderit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum?* In quibus verbis multa hîc ſunt inquirenda, & explicanda. In illis enim, vt ait Diuus Bernardinus Senenſis *ſermone 15. de feſtiuitatibus Virginis.* Plus meruit Beatiſſima Virgo eo actu, quo Angelo annuntianti aſſenſit, quàm omnes Sancti omnibus, & meritis ſuis, ita vt dici poſſit: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu verò ſupergreſſa es vniuerſas*, Prouerb.31. Ex quibus omnibus nouem ſunt conſiderandæ virtutes.

Bernardin. *Quantũ meritum in Virgine.* Prouerb.31.

165. Primò enituit fides, vt ponderat hîc D. Ambroſius, & oſtendit illud additamentum, *ſecundùm verbum tuum*; ſi enim aſſenſum præbet, vt fiat ſecundùm verbum Angeli; ergo credidit omnia, quæ Angelus ei dixerat, quæ erant valde magna, myſterium Trinitatis, Incarnationem Verbi, Redemptionem generis humani. Et quamuis aliqua difficultatem facere poterant; quid ſi vir meus Ioſeph, conſanguinei, vel vicini viderint me grauidam, quid ſecum cogitabunt? Si dixero, opus eſſe Spiritus ſancti, non credent, & blaſphema iudicabor. Nihil tamen diſceptauit, ſed in omnibus credidit Deo, ac omnia ſua magna fiducia, & ſpe in eius manibus commendauit.

Ambroſ. *Virginis magna fides.*

166. Secundò. Reſplenduit charitas in Deum, & proximum. Beatiſſima Virgo Maria Spiritu ſancto illuſtrata optimè cognoſcebat, ſe in matrem Dei, ac Reginam cæli, & terræ eligi, ac etiam vt filio ſuo officium famulatus exhiberet, ipſum nutriendo, lactando, panniſque inuoluendo, vt notat D. Hieronymus, contra Eluidium. Vnde Beatiſſima Virgo Maria icta cuſpide charitatis, non de honore, ſed de obſequio cogitauit, & ideo ſe ancillam profitetur. Verus amor ſolum ſeruire affectat. Deinde hîc habes documentum magnum, quòd in dignitatibus ante oculos proponas, non tam honores, quàm onera, vt eis debita obligatione correſpondeas. Et ideo Virgo Maria non ſe Reginam, nec matrem dicit, ſed ancillam. Vide ſuprà *cap.2. n.18.* Expende etiam magnam in proximum charitatem, vt notat pulchrè D. Thomas à Villanoua *ſermon. 1. de Annuntiat.* dum conſiderat illa verba: *Ecce ancilla Domini. Grandi ergo myſterio*, ait, *altiſſimóque Deitatis inſtinctu, conceptura Deum, ſui meminit ancillatus, vt orientem à ſe filium mundi òbſequio manciparet.* Beatiſſima Virgo Maria in filio concipiendo agnoſcebat diuinitatem, qua erat æqualis Patri; agnoſcebat etiam humanitatem in forma ſerui. Ad Philippenſ. cap.2.num.7. *Formam ſerui accipiens*; vt mundum redimeret. Cùm autem Beatiſſima Virgo Maria optimè ſciret ex iure Gentium, quòd partus ſequitur ventrem, ſe ancillam dicit, & ſui meminit ancillatus, quia in filio non tam conſiderabat diuinitatem, qua Deus erat, quàm ſeruilem conditionem, qua mundum redimeret, & vt filium mundi obſequio manciparet, vt ait S.Pater.

Hieron. *In dignitatibus onera, non honores.* Th. à Vil. Philipp.2. *B Virgo redemptionem noſtram procurat.*

168. Tertiò. Radiauit hîc reuerentia, & cultus Dei, non enim dixit: *Ecce ancilla Dei*, ſed *Domini.* Nomen *Deus*, idem eſt in Hebræo, ac Iehouah, quod adeò erat venerabile, & ſanctiſſimum apud Hebræos, vt nullus auderet voce exprimere, vel pronuntiare, ſed loco illius dicebatur *Adonai*, id eſt, *Dominus.* Beatiſſima igitur Virgo Maria, vt magnam erga Deitatem reuerentiam exhiberet, Deum noluit nominare, & ideo dixit, *Ancilla Domini.*

Reuerentia in Deum.

169. Quartò. Apparuit gratitudo maxima; non enim dixit, *fiat in me*, ſed, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Si enim verbis proferret, *fiat in me*, hoc idem eſſet, fiat in meo ſanguine, in meo vtero, ac in meis viſceribus, vt Chriſtus ibi concipiatur; at dum ait, *fiat mihi*, hoc eſt, in meum bonum, commodum, & honorem; & vt animus gratus meminiſſe voluit de his quæ in vtilitatem, & augmentum accipiebat, non verò de illis, quæ in obſequium dabat; vt ait D. Petrus Chryſologus ſerm. 142. *Deuotus animus inſulis beneficiorum creſcit ad obſequium.* Vide *c.1.n.25. & 149.*

Gratus de his quæ accipit. non quæ dat recordatur. Chryſol.

170. Quintò. Profundiſſima humilitate tota Beatiſſima Virginis locutio plena eſt. Ait, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi*; vt inquit pulchrè D. Bernardus homil.4. ſuper Miſſus eſt. *Quæ eſt iſta*, ait, *ſublimis humilitas, quæ honori cedere neſcit, inſoleſcere gloria non nouit: Dei mater eligitur, & ancillam ſe nominat; non magnum eſt humilem eſſe in abiectione; magna verò prorſus, rara virtus humilitas honorata.* Et idem habet D. Bonauentura. Humilitas in abiectione poterit reperiri, at in honore rara, & extraordinaria virtus. Et quamuis Beatiſſima Virgo Maria ſemper humilis eſſet, in Incarnatione tamen humilior apparuit; vt notat D. Ambroſius *lib. 2. de Beatiſſima Virgine.* Ideo dixit: *Ecce ancilla Domini*; quamuis Syriacus habeat per primam perſonam: *Ecce ego ancilla Domini*; tamec noſtra vulgata habet per tertiam perſonam. Hic autem modus loquendi per tertiam perſonam magnæ eſt modeſtiæ, ac ſubmiſſionis. Chriſtus Dominus de ſe ait: *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem*, Lucæ cap.5. num.24. Paulus de ſe: *Scio hominem ante annos quatuordecim*, 2. Corinth.cap.12.n.2. Ioannes Euangeliſta paſſim, *Hic eſt diſcipulus, quem diligebat Ieſus.* Ita ſanctiſſima Virgo Maria modeſtiæ ergò de ſe per tertiam loquitur perſonam; adeò enim humilis erat, vt ſe indignam reputaret, quòd ancilla Dei diceretur. Deinde non ait: *Faciam*, ſed, *fiat mihi*, ſcilicet à Deo; quia verè humilis nihil ſibi attribuit; ſed omne à ſe factum, & faciendum bonum Deo adſcribit. Tandem ait, *ſecundùm verbum tuum*; non repetit, magnalia: *Fiat mihi filius Altiſſimi*; quia humilis de ſe magna dicere nequit, vt iam ſuprà notaui.

Bernard. *Humilitas in honore virtus rara.* Bonauent. Ambroſ. Syriacus. Luc.5. 2.Cor.12. *Humilitas totum Deo tribuit.*

171. Sextò. Magnam hîc oſtentauit obedientiam, qua ſe diuinæ committit voluntati, vt faciat id, quod magis ſibi placuerit. Sic aiunt Theophylactus, & Titus Boſtrenſis; *Ecce tabula ſum pictoria; pingat pictor, quod voluerit.* Verba expendamus. Ait *Ecce*; idem eſt, ac ſi diceret, promptiſſima, & parata ſum; non repugno iuſſioni diuinæ. Ancillam Domini ſe dicit, vt ſuam ſubiectionem, & illius poteſtatem, cui parata eſt obedire, verbis oſtendat. Tandem non dixit: Fiat mihi filius Altiſſimi diuina virtute obumbrante; ſed: *Fiat mihi ſecundùm verbũ tuũ*, vt ſignificaret,

Theophyl. Boſtren. *Obedientia magna.*

[Hugo. — *Vera obedientia aliorum ſequitur placitum.* — Chryſoſt. Auguſt.]

quòd, non promiſſionis magnitudine, ſed obedientia Dei imperantis attracta conſenſum præberet. Et ait, vt notat Hugo Cardinalis, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum, non meum, in quo multorum inobedientia reprehenditur, qui in his, quæ ſibi placent, obediunt: in alijs verò murmurant.* Non enim ſuum, ſed tantùm Dei placitum ſequebatur. Ex quo expende quantum meruerit Virginis obedientia; nam Deus, dum ait, *Fiat*, creauit cælum, & terram, & omnia, dixit Deus, *Fiat cælum, fiat lux*, &c. At Virgo Maria, dum ait: *Fiat*, Deus hominem, ac Incarnationis myſterium perfecit. Sed cur *Fiat* Mariæ plus quodammodo operatur, quàm *Fiat* Dei? Ea nunc eſt ratio, quia Dei *Fiat*, erat imperantis, vt tenent, D. Chryſoſtomus, Diuus Auguſtinus, *Geneſis cap.1. Fiat* verò Mariæ, obedientis; ideo Deus, in honorem obedientiæ, Mariæ *Fiat* ſuo quodammodo prætulit, & ſuperiùs permiſit, vt ita dicam.

172. [*Virginis magnanimitas:* — Ambroſ.] Septimò. In hoc actu magnanimitas maximè emicuit. Optimè nouerat ex Scripturis Beatiſſima Virgo Maria, Matrem Meſſiæ magnis doloribus, & tormentis eſſe exponendam; quia ſæpe legerat ex Prophetis Chriſtum flagellandum, conſpuendum, crucifigendum, & omnes filij iniurias in matrem aliquo modo detorquendas; & quemadmodum Meſſias futurus erat vir dolorum; ita eius mater futura erat mulier dolorum, ita vt de ea diceretur: *Magna eſt velut mare contritio tua.* His tamen omnibus præuiſis, prudentiſſima Virgo Maria conſtanti animo conſenſum præbet, ac omnibus ſe offerens ait: *Fiat mihi.* Expende etiam hanc magnanimitatem in ipſius humilitate. Non ſolùm ancillam ſe appellat, verùm & ancillam Domini. Vbi acutiſſimè Diuus Ambroſius, *Ecce ancilla Domini, apparatus officij eſt.* Ac ſi diceret. In appellatione ancillæ nullam vilitatem, vel abiectionem conſideres, ſed magnum, & præclarum apparatum, quod Maria charitate plena Deo accurrit, cùm ei ſeruire, regnaſſe ſit.

173. [Hildeph.] Octauò. Prudentia præclarè diſpoſuit omnia. Beatiſſima enim Virgo Maria aptè, breuiter, & compendioſè ad omnia, quæ Angelus annuntiauerat, ac promiſerat, reſpondit: fiat ſecundùm verbum tuum. In grauiſſimis negotiis cautè, & magna circunſpectione loquendum. Nonò. Splendet caſtitas, vt notant communiter Patres, ſcilicet in illo addito, *ſecundùm verbum tuum*; non enim generaliter dat conſenſum, ſed concipiendum iuxta modum præſcriptum ab Angelo ſine viri copula. Caſtitatis amor impulit, vt hæc diceret, quamuis ſciret, ſe ſine ope viri concepturam, vt ab Angelo annuntiabatur. Et ita ait D. Hildephonſus *ſerm.3. de Aſſumptione*; quòd *in ortu filij aucta eſt caſtitas: integritas roborata Mariæ.*

Qvæstio LVIII.

Quare D. Lucas hîc myſterium Incarnationis ſubſecutum non expreſſerit?

174. [Irenæus. Athan. Damaſcen. Auguſt. — Greg. Mag. Bernard. Rupert. — Euthym. Athan.] Svppono, vt certiſſimum, quòd immediatè poſt Virginis aſſenſum Verbum diuinum in eius vtero carnem ſuſceperit. Ita tenet communis traditio Eccleſiæ, & docent ſancti Patres, D. Irenæus *lib 3. cap. 33.* D. Athanaſius *ſermone de ſanctiſſima Deipara.* D. Damaſcenus *lib.3. de fide, cap. 2.* D. Auguſtinus *lib. de Symbolo ad Catechumen. cap.5. & ſermone 5. in Natali Domini, & ſermone 18. de Sanctis.* D. Gregorius Magnus *homil.38. in Euangeliſt. & lib.18. Moral. cap.27.* D. Bernardus *homil.4. in Miſſus eſt.* Rupertus *lib.1. de Spiritu ſancto.* An verò hoc myſterium fuerit celebratum, præſente Angelo? Affirmat Euthymius. Negat verò D. Athanaſius *citato loco.* Cuius auctoritas magni ponderis eſt. Deinde Angelus aduenit, vt nuntius, ad hoc vt Beatiſſima Virgo Maria aſſenſum daret, & hoc dato ſtatim receſſit.

175. [Auguſt. Damaſcen. — Luc.1. — Chryſol. *Promiſſio Dei cum opere.*] Vocamus ergo in quæſtionem, quare Euangeliſta non expreſſerit myſterium ſubſecutum? Reſpondemus primò, vt indicaret, tam admirabile myſterium ſilentio venerandum, & verbis eſſe ineffabile, vt communiter docent Theologi cum Diuo Auguſtino *Epiſtola contra voluſianum*, Diuo Damaſceno *lib.1. de fide Orthodoxa, cap.2.* Reſpondeo ſecundò. D. Lucas connectit ſtatim in hoc capite viſitationem Virginis ad Elizabeth, quæ Virginem Matrem Chriſti appellat: *Benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Opera enim Dei potius rebus, quàm verbis explicantur. Tertiò. Angelus venit ad ſanctiſſimam Virginem, ſi aſſenſum daret, promittens ex parte Dei conceptionem Verbi diuini, vt notat Diuus Chryſologus *ſerm.140.* Explicato igitur hoc conſenſu, infallibiliter ſequitur opus promiſſum, cùm nihil habeat maiorem connexionem, quàm cum executione promiſſio diuina.

CAP. VI.

Viſitat Virgo Maria Elizabeth.

Lucæ 1.n.39. Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda.

VERSIONES.

Syriacus, & Vatablus.	Surrexit autem Maria in diebus illis, & profecta eſt ſtudioſè in montem, in ciuitatem Ithoudææ.
Textus Græcus.	Profecta eſt in ſummitatem montium cum diligentia in ciuitatem Iuda.
Aliqui ex Græco ita legunt apud Tolet. annot.116.	Profecta eſt in ciuitatem Dauid.
Arias.	Abiit in montanam.

EXPO

EXPOSITIO.

1. [Pſalm.124. — Luc.1.] Postqvam Sanctiſſima Virgo Deum conceperat: *In illis diebus*; per quod denotatur, quòd non eodem die, ſed paucis pòſt. *Exurgens*, à loco ſuo, ſcilicet à Galilæa, *abijt in montana*, ſeu *montanam*; Iudæa enim regio mõtoſa eſt: *Montes in circuitu eius, Pſalm.124. Super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc*, Lucæ 1. num.65. *Cum feſtinatione*; properanter egit iter, ad viſitandam cognatam ſuam Eliſabeth, quæ morabatur in quadam ciuitate Iuda. Cætera in quæſtionibus require.

Qvæstio I.

Quare Virgo profecta fuerit ad viſitandum Elizabeth?

2. [Theoph. — Bernard.] In hac re reiicienda eſt ſententia Theophylacti exiſtimantis, quòd Beatiſſima Virgo abiret ad Elizabeth, vt maiori certitudine certior redderetur, an vera dixiſſet, qui apparuerat ei, vt ex hoc nec de ſuis dubitaret. Hæc, inquam, ſententia falſa eſt, vt omnes fatentur; nam Beatiſſima Virgo firmiſſimè credidit omnia, quæ ei Angelus dixit, in nulloque dubitauit, vt dixi *ſuperiori cap. quæſt.42.* Ideo alias rationes hîc apponamus. Et ſuppono, vt certiſſimum, quòd Beatiſſima Virgo ex peculiari inſtrinctu Spiritus ſancti, qui omnes eius actiones gubernabat, ac dirigebat, ducta eſt, vt viſitaret Elizabeth; quapropter ait D. Bernardus ſermone ad ſignum magnum: *Aſcendit Maria portans pretioſiſſimum illud depoſitum, portans onus leue, portans à quo portabatur.*

3. [Beda. — Carthuſ. — *Virgo ſuam gratiã communicat.* — Bernard. — *Virgo hauſerat filij ingenium vt miniſtraret.*] Prima cauſa. Vt congratularetur cognatæ de bono, quod præter communem ſpem in ſenectute à Deo acceperat. Beda homilia de Viſitatione. *Intrat Virgo domum Zachariæ, vt congratulatura de dono, quod conſeruam recepiſſe Elizabetham didicerat.* Dionyſius Carthuſianus. *Quia iam plena fuit Spiritu ſancto, ſpiritualique gaudio, charitatis feruore, & ſancte dulcedine deuotionis feſtinanter proceſſit, præſentim quia & cognata congaudere optauit, & obſequi.* Secundò. Vt de plenitudine gratiæ ſuæ nobis impertiret; & vt Regina totius vniuerſi, ac communis perſona effecta, bona ſua ſuis communicaret; & vt vera filij ſui imitatrix, qui venit miniſtrare, & non miniſtrari. D. Bernardus ſermone in natiuitate Virginis, *Aſcenſiones, ait, in corde ſuo diſpoſuit Virgo, conuerſatione pariter, & oratione aſcendens. Abijt in montana, & ſalutauit Elizabeth, vt iam tunc poſſet dicere matri mater, quod tanto poſt filio dixit filius: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Quid hac humilitate ſublimius? Veniſſe eam mirabatur Elizabeth: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Sed magis miretur, quòd inſtar vtique filij, & ipſa non miniſtrari venerit, ſed miniſtrare. Aſcendit planè ſupra omnem creaturam: nimirum ſupra Angelos, hauriat neceſſe eſt, quam refundat hominibus, aquam viuam.*

4. [*Sanctitas mouetur exemplo.* — Thaumat. — Origen. — Beda. — Ambroſ. — Beda. *Excellentior ſumiſſior opere.*] Tertiò. Angelus de cælo veniens Virginem ſalutauit, ac Incarnationis myſterium ei annuntiauit; virginitas, cùm eſſet Angelis cognata, Mariam iter agere compulit, & conſanguineam ſalutare, vt ei Incarnationis arcanum reueletur, ſemper enim ſanctitas aliorum exemplo in via virtutis, ac charitatis tangitur, & mouetur. D. Gregorius Thaumaturg. ſerm.2. *Cum feſtinatione ad Elizabeth cognatam ſuam contendebant. Et ingreſſa domum Zachariæ ſalutauit Elizabeth Angelum imitata.* Quartò. Vt omni neceſſitati illius domus Zachariȩ, tam ſpirituali, quàm temporali ſubueniret, omneque malum expelleret; ſpirituali neceſſitati Ioannem ſanctificando, vt notat Origenes *homil. 7. in Lucam.* Et hæc eſt prima ſanctificatio à Verbo Incarnato operata, tãquam illius primum ac valde peculiare opus. Neceſſitati temporali dedit etiam leuamen, vt quamuis Regina totius vniuerſi, cognatæ debita præſtaret obſequia. Beda homilia de viſitatione. *Intrauit Virgo domum Zachariæ, non vt verbum Angeli mulieris atteſtatione probaret, ſed vt mulieri prouectæ ætatis Virgo iuuencula miniſterium ſedula impenderet.* Quintò. Virgo conſtituta erat iam totius vniuerſi Regina; venit ergo ad inferiorem: hæc eſt enim veræ magnitudinis conditio, vt quo quis excellentior ſit, eo ſubmiſſiùs ſe gerat. D. Ambroſius hîc: *Contuendum eſt, quia ſuperior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur; Maria ad Elizabeth, Chriſtus ad Ioannem.* Beda homilia de Viſitatione. *Quanto magnus es, tanto te in omnibus humilia*, Eccleſ.3. *mox vt Angelus, qui loquebatur ei, ad ſuperna redijt, ſurgit, ac montana conſcendit, & ſeniorem viſitat.*

5. [*Virginis excellentia Angelis nota, & hominibus.* — Euthym. — Iſai.8. — Euſebius. *Officio potius quàm maieſtati correſpondendum.*] Sextiò. Proficiſcitur Beatiſſima Virgo, Spiritu ſancto ita ordinante, vt maximè extollatur, & quæ ſalutata erat ab Angelo honore matris, ſalutetur etiam à cognata, vt ſic eius dignitas non ſolùm nota ſit Angelis, ſed etiam hominibus. Euthymius. *Abijt, vt infante in vtero exultante, & illa prophetante, maiorem acciperet celſitudinem.* Septimò. Vt Chriſtus Dominus ſuo diuino Redemptoris munere fungeretur, Ioannis animam ſanctificando. Prænuntiatum erat ab Iſaia 8. num.3. *Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.* Feſtinanter tandit ad Ioannem, vt ſic nomini, ac muneri ſuo correſpondeat. Et quamuis ſit Dominus, quem vniuerſi adorant, non dedignatur, vt ait Euſebius Emiſſ. *homilia de Viſitatione*, ad ſeruum venire, vt ſeruum redimat: altius in mente videtur poſitum munus potius redemptoris, quàm dignitatis maieſtas.

6. [Apoc.5. — Primant. Ansbert. Prou.8. — Rupert.] *Vidit*, ait Ioannes Apocal.5. num.6. *Et ecce in medio throni, & quatuor animalium, & ſeniorum, agnum ſtantem, tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem; & venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librũ.* Ecce, cùm in manibus Dei Patris, in dextera ſit liber ille, in quo ſcripta eſt diſpoſitio redemptionis generis humani, & præceptum moriendi impoſitum Chriſto Domino, vt ibi explicant Primantius, & Ansbertus; & in ſiniſtra, vt dicitur Prouerb.3.n.16. *In ſiniſtra eius diuitiæ, & gloria.* Tamen Chriſtus Dominus feſtinat, non ad gloriam, ſed ad librum præcepti accipiendum. Rupertus lib.4. in Apocalypſ. *Cùm, ait, in dextera ſedentis lex ignea ſit, quæ eſt iſte liber, in ſiniſtra verò illius diuitiæ, & gloria valde notandum, quia veniens Chriſtus in hunc mundum, nihil diuitiarum, aut gloriæ de ſiniſtra, ſed tantummodo librum, ſiue igneam legm accepit de dextera.* Non ad diuitias, & gloriam, quam maieſtas dignitatis exoptabat, ſed ad præceptum, quod Redemptoris munus exquirebat, peruolat Chriſtus, vt ſic

 muniri

muneri ſibi commiſſo potius, quàm dignitati ſatisfaciat. Vide *cap.1. num.21.* Alias rationes huius ſacræ Viſitationis dabo *quæſt.ſeq.* Nam,vt ait D.Gregorius Magnus homil.in vigilia Viſitationis. *Myſteria,quæ in hac ſacra Viſitatione peracta ſunt,in tota æternitate celebrari ſatis,& exhauriri cogitatione, & ſapientia omnium creaturarum nequeunt.*

Gregor.

QVÆSTIO II.

Quare ſupremi Domini Chriſtus,& Maria ad ſeruos tendunt?

7. RESPONDEO primò. Vt cognoſcamus,quòd initium noſtræ iuſtificationis eſt à Domino, qui nos quærit, ſicut ouem, quæ perierat. Secundò,vt notat Beda *homil.de Viſitatione*, ſuperiori quæſtione datus. *Mox,vt Angelus, qui loquebatur ei, ad ſuperna rediit,ſurgit,ad montana conſcendit, & ſeniorem viſitat.* Expende *ſeniorem.* Voluit puriſſima Virgo honorem, ac venerationem ſenectuti deferre; vt tu diſcas ſenioribus humiliari, ac debita obſequia libenti animo præſtare; vt ſuperiori quæſt.etiam dixi ex Beda, Carthuſian. Tertiò.Ob ſui magnam humilitatem venit ad cognatam ſeruam.Et ita ait Euſebius Gallicanus *homil.de Viſitatione*,loquens in perſona Elizabeth. *Ego potiùs debui*,ait,*ire ad te, ſed tua, tuique filij humilitas te coëgit venire ad me.* Hoc eſt diſcrimen inter honores, ac fauores mundanos, & diuinos: vt mundani ſuperbiam, ac elationem; diuini verò humilitatem, & abiectionem pariant.

Beda. *Myſterium Incarnationis ineffabile.* Beda. Carthuſ. Gallican. *Senioribus habenda reuerentia.* *Honores mũdani ſuperbiam, diuini humilitatem pariunt.*

Cùm Dauid Rex eſſet conſtitutus,ita aliquando in oculis ſuis extitit humilis, vt diceret: *Ego*
8. *ſum vermis,& non homo*,Pſalm.21.num.7. Et iterum: *Poſt fœtantes accepit eum paſcere Iacob ſeruum ſuum*,Pſalm.77.num.71.Poſtea verò aliquando ita fuit elatus, vt populum numeraret; quod ſuperbiæ adſcribunt. D. Gregorius Magnus 25. *moralium cap.*14. Carthuſianus, & alij. Sed quomodo idem regnum eidem homini humilitatis, ac ſuperbiæ excitamentum fuit? quando enim ipſam regiam dignitatem à manu Dei acceptam conſiderabat,ad miram humilitatem, & abiectionem aduolabat: *Poſt fœtantes accepit eum*, vt inde in gratiarum actionem erumperet: at cùm eandem dignitatem ab hominum applauſu prouenientem cogitaret,in magnam ſuperbiam efferebatur, ita vt ſuper omnes Reges ſe ipſum exiſtimaret.

Pſalm.21. Pſalm.77. Greg. Magn. Carthuſ.

9. Quartò.Quia Beatiſſima Virgo vulnerata charitate,non potuit quieſcere, quin cognatam inuiſeret, ac præſentia, & gratia ſua adiuuaret, & vt Ioannes aduentu Verbi ſanctificaretur. Verus amor, & charitas moras neſcit. Lucifer appellatur ab Ezechiele Cherub, cap.28. num.14. *Tu Cherub extentus.* Et tamen quòd ipſe fuerit ex ordine Seraphinorum, eſt communis ſententia Patrum,vt teſtatur Suarius *tom.de Angelis, lib.7. cap.16.n.4.5.& 8.* Quo pacto ergo dicitur Cherub? Ipſe de ſe aſſeruit, *Sedebo in monte Teſtamenti*, Iſaiæ 14.n.13. Et qui ſedere,ac quieſcere intentauit, nomen Seraphim,id eſt,amantis,perdidit.Et ita D.Bernard.in prologo tract. *Ecce nos reliquimus omnia*, ait: *Operoſa dilectio opportunè inſtans fortaſſis, & importunè.* De ſua chariſſima Sponſa inquit diuinus Spiritus Cant.8.n.6. *Lampades eius, lampades ignis.* Symmach.legit, *Impetus eius, impetus ignis.* Septuaginta, *Alæ eius,alæ ignis.*Sed cur cum his comparatur amor? Impetus ignis, vel ala,ſeu lingua eius ſemper tremulo vibrantur motu, & numquam quieſcunt: ita proprium eſt amoris inceſſanter operari, & quietem neſcire. Vnde ait Gilbertus ſerm.26. in Cantic. *Innata eſt charitati ſolicitudo quædam.*

Amor moras neſcit. Ezech.28. Suarius. Iſaiæ 14. Bernard. Cant.8. Symmach. Septuag. Gilbert.

QVÆSTIO III.

Quare Virgo non aduocet ad ſe Elizabeth, ſed ipſa ad eam viſitandam pergit?

10. VALDE mirum videtur, quòd vbi primùm Virgo in vtero Verbum concepit, egrediatur ad Elizabeth. Mulier, quæ perdidit drachmam, dum inuenit,conuocat ad ſe amicas,& vicinas, *Luc.15.n.9.* Similiter & bonus paſtor,cùm portat ouem amiſſam, *ibid.n.6.*Cur ergo ſanctiſſima Virgo,inuenta pretioſiſſima margarita æterni Verbi in populo Iſraëlitico maximè exoptata, non conuocat ad ſe amicas,& cognatam ſuam Elizabeth? præcipuè cùm ipſa eſſet omnium Regina effecta. Sed Virgo foras exiit, ad montanam pergit, cognatam viſitat? Et huc veniunt omnes rationes datæ *quæſt.1.* Et quòd non vocauerit amicas,in promptu eſt ratio. Quia ſupremi Regis ſibi commiſſum ſecretum deuulgare noluit. Vide ſuprà *cap.4.q.32.* & infrà *cap.10. q.10.* Cur ergo Elizabeth non conuocatur? Relinquitur quæſtio.

11. D. Ambroſius *lib.3. in Lucam*, ad illa verba: Qui putabatur filius Ioſeph: *Simul quàm pulchrum*,ait,*vt cum Elizabeth prænuntium Chriſti, Chriſtum Maria genuerit, & altera de Spiritu ſancto conciperet, altera ſancto repleta Spiritu prophetauerit,ſecundùm carnem videantur quoque fuiſſe cognatæ, quæ ſecundùm Deum ſpiritualis cognationis conſortio non carebant.*Virgo ad domum Elizabeth velociſſimè penetrat; in Virgine enim duplex dabatur amor: vnus naturalis conſanguinitatis,alter ſpiritualis charitatis: maximè vnus fouetur altero in ſalutis augmentum: cùm verò Virgo tanto amore ſtimularetur, ad cognatam citiſſimè peruolat,noſter enim affectus dum amicos donis ſpiritualibus auctos vidimus, ad eos maximè rapitur. Secundò. Cùm Virgo agnoſceret ab Angelo, Elizabet conceptum, ad eius domum feſtinè penetrat, vt ei gratuletur pro miſericordia Dei cum illa facta; charitas enim in alienis bonis maximè exultat.

Ambroſ. *Spiritualis, & naturalis amor maximè connectuntur.*

12. Tertiò D. Bernardus homil.4.ſuper Miſſus eſt: *Ideo*,ait,*nuntiatur Mariæ conceptus Elizabeth,vt audiens, cognatam vetulam, & grauidam,cogitet iuuencula de eius obſequio.* Virgo ad domum ſe transfert Elizabeth,vt eius miniſterio vetulam,& ſenem alleuiaret cognatã. Quartò.Mulier Euangelij conuocat amicas ob drachmam inuentam, cùm ſine incommodo ad eam poſſent congregari. At Virgo cognatam grauidam ad ſe non aduocat, ne eam laboribus itineris moleſtaret; quæ enim noſtri ſunt, non debemus obire aliorum preſſuris. Quintò. Erat Virgo omnium Regina, tamen

Bernard. *Gaudium noſtrum, ne ſit cum aliorum moleſtia.*

tamen vrbanitatis non ignara; & ideo cognatam vetulam non aduocat ad ſe, ſed potiùs ſenectutem eius venerans ad illam tendit. Ex quo magnum habes documentum, quòd in quocumque culmine dignitatis ſit homo, viros graues, & ingenuos, quamuis aliàs ſibi inferiores, & ſubditos, omni reſpectu, ac reuerentia proſequatur. Cùm eſſet Abraham ad oſtium tabernaculi,& vidiſſet tres viros: *Cucurrit in occurſum eorum, & adorauit pronus in terram*,Geneſ.18.num.1.Valde mirum eſt, quòd Abrahamus vir potentiſſimus tanta erga peregrinos, ignotoſque viros ſubmiſſione ſe habuerit.Abulenſis: *Inclinauit ſe ad terram*,ait,*faciens magnam reuerentiam,erat enim vrbanus valde.* Quamuis tres illi viri peregrini eſſent, & multa egeſtate laborantes, facie tamen, ac corporis geſtu, eminentes viri videbantur, & graues: ideo Abrahamus, quamuis princeps fuiſſet; tamen vrbanitatis gratia eos omni eſt veneratione proſecutus. Solemnis apud Ægyptios, vt ſcribit Herodotus *lib.2.* erat conſuetudo, vt etiam nobiliſſimi, cùm maiores natu, atque magiſtros obuios haberent, eis via, locoque cederent, ac aduenientibus aſſurgerent, locumque darent.

In dignitate non eſt omittenda vrbanitas. Geneſ.18. Abulenſ. Herodot.

QVÆSTIO IV.

Quare Virgo non viſitet Elizabeth per nuntium, ſed per ſe ipſam?

13. POTERAT Sanctiſſima Virgo per aliquem fidelem nuntium Elizabeth de ſuo conceptu gratulari: immò vt ſuprema Regina ad illam poterat Gabrielem deſtinare; ſicut & Ioannes è carcere Chriſtum per ſuos diſcipulos viſitauit, *Matth.11.* Et Paulus abſens per ſuos ſpirituales filios Timotheum, Clementem, Lucam, Eccleſias conſolabatur omnes. *1. Corinth.4.14. & 16. num.3.& 2.Corinth.8.n.18. & 22.* Cur ergo Sanctiſſima Virgo domi clauſa, aliena ab hominum commercio, non per nuntium conſanguineam viſitat? Huic quæſtioni ſatisfieri poteſt omnibus datis rationibus *quæſt.1.*

14. Deinde reſpondetur primò, ex D. Bernardo hom.ſuper Miſſus eſt.*Vel ideo*,ait,*nuntiatur Mariæ conceptus Elizabeth,vt illa properante ad viſitandum, paruulo Prophetæ locus, & occaſio detur, quo minori adhuc domino ſui officij valeat exhibere primitias: & dum ad ſe inuicem occurrit matrum, infantiumque deuotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo.* Ad cognatam per ſe ipſam aduolat, vt præſentia Chriſti Ioannes mirabiliter ſanctificetur,dum infantes,matreſque miro ſe ſe exercent amoris affectu,inter ſe connectuntur,atque illum multis ſignis, ac vocibus manifeſtant. Ad alios mittantur nuntij; Angelus ad Petrum in carcere, *Actor.12. num.7.* Ad Ioannem *in Apocalypſ.22. numer.9.* At ad Baptiſtam verbum in virgineo thalamo deſcendit

Bernard. *Mirabiliter ſanctificatur Ioannes.*

15. Secundò. Agebatur hîc charitatis negotium; vt Virgo cognatam vetulam adiuuaret obſequio, & vt Ioannes à peccato mundaretur, & quod charitatis eſt, non per alienas, ſed per proprias debet manus miniſtrari. Iuxta meridiem prope tabernaculum Abrahæ tres viri apparuerunt. *Ipſe verò cucurrit in occurſum eorum, & dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum*,Geneſ.18.n.2. Sed cur Abrahamus, qui magna erat ſtipatus ſeruorum caterua, ita vt tercentos domus ſuæ vernaculos contra quinque reges armauerit, *Geneſ.14.num.14.*Qui pro vxore filio ſuo querenda ſeniorem domus ſuæ ſeruum in Meſopotamiam miſit. Cur aliquem ad hos tres vocandos viros non mandauit, ſed ipſe celeriter in eorum occurſum feſtinauit? Lyppoman.*Cucurrit,ne quis alius charitatis officium præriperet.* Quæ ad domus auctoritatem maieſtatemque ſpectabant, vni famulo committere non dubitat; quæ verò charitatis erant, per ſe ipſum exequitur.

Charitatis officia per nos miniſtrentur. Geneſ.18. Lyppom.

16. Tertiò.Virgo ad cognatam, non per nuntium fidelem, ſed per ſe ipſam venit, ſanctiſſima enim Deipara obligatione Elizabeth maximè erat adſtricta, tum ob ſanguinitatem, tum quia Angelus annuntiationem ſuam Virgini expoſitam, eius maximè corroborauit, ac ſtabiliuit exemplo,vt dixi *ſuperiori cap.5.quæſt.52.* Et quæ magni ponderis ſunt, melius à viro graui obligatione conſtricto, quàm à quolibet ſtrenuo, & fideli miniſtro expedienda ſunt ac peragenda. Cùm Moyſes defenſis Raguelis filiabus earum oues adaquaſſet, & ipſe ad Raguelem patrem ſuum reuertiſſent, pater ad eas dixit: *Cur velociùs veniſtis ſolito?* Reſponderunt: *Vir Ægyptius liberauit nos de manu paſtorum, inſuper & hauſit aquam nobiſcum,potumque dedit ouibus. At ille: Vbi eſt?inquit,quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum, vt comedat panem*, Exod.2. num.18. Sed cur Sacerdos Madian vir potens, non per famulum, ſed per filias ſuas adoleſcentulas vocat Moyſem? Cur prouidus pater Virgines ſuas totam ciuitatem circumire cogit? Raguel Sacerdos Moyſi eſſe filias ſuas ob beneficium acceptum maximè deuinctas, agnouerat, ideo per illas ipſum ad ſe adducere determinat: diligentius enim perficienda res erat à puellis obligatione obſtrictis, quàm à quolibet fideliſſimo, ſtrenuoque miniſtro.

Magna melius fiunt ab obligato,quã à fideli miniſtro. Exod.2.

QVÆSTIO V.

Quare dicatur Maria exurgens?

17. NONNE ſufficiebat dicere: Abiit in montana? Ad quid additur, *Exurgens?* Reſpondet primò Salmeron *lib.3.tract.10.* quòd locutio Hebraica eſt quæ tunc vſurpatur, cùm aliquid ſit agendum. *Surge,propera, amica mea*, Cantic.2. num.7. *Surge Domine in requiem tuam*, Pſalm.131. *Exurge Domine, ne confortetur homo*,Pſalm.6.num.20. De ſancto Ioſeph dicitur: *Qui conſurgens accepit puerum*, Matth. 2. Sic Beatiſſima Virgo ſurgere dicitur, vt aliis miniſtraret, & de ſua plenitudine nobis infunderet. Secundò. Toletus *in comment.* Dicitur ſurgere, inquit, ad ſignificandum ſitum loci, erat enim ciuitas Nazareth, à qua proficiſcebatur humilior, atque depreſſior montanis Iudææ; qua de cauſa, quando Chriſtus à Galilæa ibat in Iudæam, aſcendere dicebatur, *Matth.20.* Tertiò Lyranus, Carthuſianus. Dicitur exurgere à meditatione, ac contemplatione; at cum hac expoſitione obſtat, quòd Beatiſſima Virgo in tanta perfectione erat, vt nulla actio externa interiorem

Salmeron. Cantic.2. Pſalm.131. Pſalm.6. Matth.2. Tolet. Lyran. Carthuſ.

teriorem contemplationem excluderet, & nec contemplatio actionem. Quartò. Quamuis Beatiſſima Virgo in magna eſſet dignitate conſtituta, vbi primum tamen ſe ipſam humiliauit, ac ad inferiorem deſcendit, ſe quodammodo ſublimauit, ac exaltauit, & ideo exurgere dicitur.

18. Carthuſ. Quintò Dionyſius Carthuſianus. *Etiam exurgere dicitur à loco orationis, à quiete contemplationis, ab habitaculo manſionis.* Virgo domi erat clauſa, & ideo dicitur exurgere; ſed quare Virgo, quæ intra domus ſuæ parieres ſolita erat manere, vt ait S. Ambroſius (Ambroſ.). Quæ ante ſola in intimis penetralibus morabatur, Spiritus ſancti impulſu foras egreditur? Reſpondeo cum Caſſiodoro (Caſſiodor.), dum expendit illa verba Cantic. 2. num. 10. *Surge, propera, amica mea.* Ita ait ille. *Quid eſt, quod ſuperiùs filias Hieruſalem idem ſponſus adiurabat, ne ſuſcitarent, neuè euigilare facerent dilectam; hîc verò quòd ipſe eam ſuſcitet, & ſurgere hortatur?* Reſpondet citatus Caſſiodorus (Caſſiodor.): *Quia omnia tempus habent, tempus contemplationis, tempus actionis.* Et eandem quæſtionem latè tractat Diuus Bernardus (Bernard.) *ſerm. 58. in Cantic.* & ſic ſoluit. *Agnoſcite hîc commendari viciſſitudines ſanctæ quietis, ac neceſſaria actionis, & quia non ſit in hac vita copia contemplandi, nec diuturnitas otij, vbi officij, & operis cogentior viget, inſtantiorque vtilitas.* Quod confirmat exemplo Chriſti Domini (Matth. 26.), qui nocte paſſionis Diſcipulis dixit: *Dormite, & requieſcite*; & eadem hora: *Surgite, eamus, ecce appropinquat, qui me tradet,* Matth. 26. num. 46. In tantum enim tempori, & occaſioni eſt accomodamdum. Vide *cap. 7. num. 11. lib. 2. cap. 5. num. 42.*

Accommodādum tempori.

19. *Virgo perſimilis Chriſto.* Sextò. Notanter Euangeliſta ait: *Exurgens Maria*; vt nobis inſinuaret, Virginem cum filio ſuo eſſe maximè conglutinatam, de eiuſque ingenio, ac conditione quàm altiſſimè participem eſſe factam; nam ſicut æternum Verbum, thalamo ſuo exurgens in ſalutem hominum ad noſtram deſcendit naturam: ita ſanctiſſima Dei genitrix, è cubili ſuo exurgens, vt Ioannes à Chriſto ſanctificaretur, in domum Zachariæ aſcendit, vtque Elizabeth multa gratia impleretur. Haymon (Haymon.) Germaniæ Epiſcopus, inquit: Quòd cùm Beatiſſima Virgo per nouem menſes æternum Verbum in vtero ſuo continuerit, multas illius proprietates, ac conditiones ſuxit, ac attraxit. Ait Virgo Chriſto Domino, vt explicat Rupertus (Rupert. Cantic. 5.), *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Cui Chriſtus reſpondet. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, miſſui myrrham meam,* Cantic. 5. num. 1. Dubitat tamen animus, cur Virgo inuitat Chriſtum ad amœniſſimum pratum, ac ad guſtandum de fructibus illius: Chriſtus verò Virginem ſolùm vocat ad hortum, non tamen ei offert fructus illius, vt manducet? Cur Chriſtus Rex magnificus erga ſuam ſanctiſſimam matrem tam parcè ſe habet? D. Gregorius Nyſſenus (Greg Nyſſ.), D. Ambroſius (Ambroſ.) *lib. de bono mortis, cap. 5.* per hortum intelligit Eccleſiam, ſeu cœtum fidelium; per fructus verò ſalutem animarum. Et ita ait Chriſtus: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis,* Ioann. 4. num. 32. (Ioan. 4.) Iuſtus Orgelitan. (Orgelit.) per *fructus* accepit opera miſericordiæ, & charitatis. D. etiam Ambroſ. (Ambroſ.) per *fructus* item labores, ac dolores exponit, iuxta lectionem Septuaginta (Septuag.), quæ habet, *Comedat fructum nucum ſuarum.* Cortex enim nucis durus eſt, atque amarus. Chriſtus, & Virgo mutuò ſe inuitant ad cœtum fidelium, Virgo tamen pro hominum ſalute Chriſtum deprecatur: *Comedat fructum pomorum ſuorum.* Chriſtus verò hanc ſolicitudinem à Virgine non exquirit; tum quia vt mater miſericordiarum, hanc ex ſua bonitate ingenitam habebat propenſionem; tum quia ſat erat, vt noſtræ ſaluti Chriſtus intenderet, vt etiam illa eidem incumberet.

Virgo multas Chriſti conditiones participauit.

Qvæstio VI.

Quare cum feſtinatione ſuum confecerit iter Beatiſſima Virgo?

20. Qvamvis cum ſedulitate, grauiter tamen, ac modeſtè incedebat, vt tantam Reginam decebat. Reſpondent primò D. Ambroſius, Lyranus, Caietanus, Hugo, & D. Bonauentura (Ambr. Lyran. Caiet. Hugo. Bonauent.), quòd Virgo ob verecundiam feſtinauerit, ne extra domum diu in publico moraretur. Vnde ait D. Ambroſius, *Diſcite Virgines non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones.* Secundò. Poſt conceptionis initium, ſtatim feſtinat; quando fœtus eſt mollis, & facile diſſoluitur, vt notat Albertus Magnus (Alb. Mag.) in Lucam; vt oſtendat, ſe non ope viri concepiſſe. Deinde iter agit ſtatim poſt conceptam prolem, vt manifeſtum ſit, ſe prægnantium moleſtias non ſentire, ſed omnibus eſſe ſuperiorem. D. Bernardus (Bernard.) ſerm. in ſignum magnum. *In ipſo conceptionis initio, quando potiſſimum cæteræ mulieres miſerabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conſcendit, vt Elizabeth miniſtraret: ſed & aſcendit Bethleem, imminente iam partu, partu, portans pretioſiſſimum illud depoſitum, portans onus leue.* Tertiò. Feſtinabat celeriter Virgo ſanctiſſima, & quamuis ex hoc ſæpe ſæpiùs iter ſit laborioſius, tamen vt Ioanni ſubueniret, omnem commoditatem, ac itineris moleſtias contempſit.

21. Ambroſ. Quartò. Vt ait idem D. Ambroſius, *Feſtinat præ gaudio.* Gaudium enim, & lætitia maximam dant celeritatem. Quintò. Vt oſtendatur regalis animi magnanimitas, quæ nulla montium aſperitate, vt ab incepto deſiſteret, detineri potuerit, ſed feſtinanter omnes difficultates ſuperauit, vt ad deſtinatum locum perueniret. S. Ambroſ. (Idem.) *Non ab ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit.* Vide *cap. 2. num. 68.* Sextò. Origenes (Origenes.) homilia 7. in Lucam, *Ieſus verò,* ait, *qui in illius vtero erat, feſtinabat, adhuc in ventre matris poſitum, Ioannem ſanctificare.* Hæc autem feſtinatio etiam fuit ex parte Chriſti, qui Virginem ducebat, vt præelectum amicum à peccati miſeria liberaret. Verus amor non ſuſtinet amicum in labore, ac miſeria detineri.

22. Ambroſ. Septimò. Feſtinabat, vt ait D. Ambroſius. *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia,* vt te doceat opera charitatis promptè, & alacriter facienda. nam qui citò dat, bit dat. Deinde vt habeamus documentum, ea, quæ ſunt obſequij Dei, expeditè eſſe abſoluenda. D. Ambroſius lib. 1. de Cain cap. 5. *Non ſatis eſt rectè facere, niſi etiam maturare, quod facias; vberiores fructus habet accelerata deuotio.* Valde minutè explicat ſacer textus, *Exod. 28.* veſtes, ac ornamenta Summi Sacerdotis: & tamen pedes diſcalceatos relinquit, vt Summus Pontifex citiſſimè ac expeditè mandata Dei exequi poſſet. Vt eleganter ponderat D. Gregorius Nyſſen. (Greg Nyſſ.) lib. de vita Moyſis: *Ita,* ait, *induto Sacerdoti nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum ſit, aut vix mobilis pelles ſecum trahens animalium mortalium. Nam impedimento calceamenta fuerunt Moyſi, cùm ad ardentem rubum accederet.* Si calceamenta fuerunt Moyſi impedimentum, vt ad Deum accederet in rubo, ea detrahat Sacerdos, vt agilis viam mandatorum percurrat: nam vt à ſimilitudine, data ſuperiori quæſtione, inter Chriſtum, & Virginem, non diſcedamus. Nam cùm Deus in noſtrum bonum, & auxilium ſit velociſſimus, etiam eius filij, qui de eius ſpiritu guſtarunt, valde diligentes, ac expediti eſſe debent ad eius obeundam voluntatem. Philo (Philo.) lib. de Cain: *Faciunt igitur,* inquit, *ſuum munus obedientes filij, qui naturam patris Dei imitando, incunctanter cum omni feſtinatione, quod bonum eſt, agunt, qui nihil pulchrius facere poſſunt, quàm quòd honorent Deum ſine dilatione.* Quare verò eius feſtinatio deſcribitur, dum tendit ad Elizabeth; non verò quando reuertitur in domum ſuam? Vide infrà *cap. 7. quæſt. vlt.*

Qvæstio VII.

Quare Virgo tam feſtinanter tenderit ad Elizabeth, cùm cogitabunda ſteterit ante Angeli reſponſionem?

23. Virgo ſanctiſſima valde promptè, & expeditè exurgens ſuum conficit iter ad cognatam; quæ dum audiuit Angelum annuntiantem, antequam conſenſum præberet, meditabundam ſe præbuit: *Cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Et iterum quærit, *Quomodo fiet iſtud?* Vide diuinum ingenium, ad honores, dignitateſque acceptandas, cunctanter ſtetit; ac cum magna meditatione recogitauit: ad opera verò charitatis velociſſimè præuolat. Ait Iaboc benedicens filio ſuo Iudæ (Geneſ. 49.); *Ad prædam, fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?* Geneſ. 49. numer. 9. Vbi ſermo eſt, iuxta communem Patrum ſententiam de Chriſto Domino, qui aſcendit, ſeu cucurrit ad prædam, nempe vt homines eriperet à deuorantis ore Leonis. *Quis ſuſcitabit eum?* Niſi Deus Pater, vt explicant, D. Gregorius Magnus (Greg. Mag.) *lib. 15. Moralium cap. 28.* & Author Græcus (Græcus.) apud Lypomanum iuxta Paulum ad Galatas (Galat. 1.) 1. num. 1. *Quem Deus ſuſcitauit à mortuis.* Sed cur cùm Chriſtus Dominus verus Deus ſit tam potens ad ſalutem noſtram operandam, ac ad gloriam ſui corporis perpetrandam; tamen cùm ad generis humani redemptionem deueniret, dicitur, quòd ipſe aſcenderit, ac cucurrerit; ad gloriam autem corpotis, quòd Pater excitauerit eum? Quia ad ea, quæ charitatis, ac beneuolentiæ erant, Chriſtus Dominus maximè præuolabat: ad ea verò, quæ dignitatem, maieſtatemque præ ſe ferebant, ita erat humillimus, vt dicatur, quòd Pater ſuſcitauerit eum. Diuinus amor rapidiſſimo ad aliorum vtilitatem curſu, ad honores verò lentè, & moroſè tendit. Vnde eleganter D. Gregorius 1. *part. Paſtoral. cap. 3.* dum expendit, quòd Chriſtus Dominus, dum homines Regem eum facere volebant, in montem fugerit *Ioan. 6. num. 15.* (Ioan. 6.) ita ait Sanctus Pontifeex (Gregor.). *Rex fieri noluit Chriſtus: ad Crucis patibulum ſponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœna probroſæ mortis appetit. Vt membra eius diſcerent, fauores mundi fugere, terrores minimè timere.* Cùm Samuel Saulem ad eum in Regem eligendnm valde honorificè excepiſſet, Saul dixit: *Nunquid non filius Iemini, ego ſum de minima tribu Iſrael? Et cognatio mea nouiſſima inter omnes familias? Quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum?* 1. Reg. 9. n. 21. (1. Reg. 9.) Ita tamen reſpondet. Saul intelligebat deſignationem ſuam in Regem, vt tenent Hebræi, & ait Ioſephus (Ioſephus.), dum Saulem introduxit loquentem. *Minimus ſum, Domine mi, hac ſpe, & de vltima tribu, quæ Regibus apta non eſt.* Et poſtea cùm eſſet quæſitus ad Regem, clauumque regni obtinendum, abſconditus eſt domi, 1. *Regum* 10. *num.* 21. Quod ideo fecit, quia principatum ſuſcipere nolebat, vt docent Theodoretus *quæſt.* 25. Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus. Hugo, Caietanus, & alij (Theodor. Lyran. Abulenſ. Carthuſ. Hugo. Caiet.). Et tamen cùm poſtea Rex eſſet factus, populique audiſſet lamentum ob opprobria, atque mala, quæ in filios Iabes minabatur, Nahas Ammonites, continuò *inſiluit in eum ſpiritus Domini; iratus eſt furor eius nimis,* 1. Regum 11. n. 6. (1. Reg. 11.) Et graui obligatione vniuerſum Iſraël ad ſe conuocauit. Sed qui ad purpuram ſibi acquirendam tam tardus erat, imò ab ea fugiebat, quomodo pro aliorum honore tam velocem, ac celerem ſe exhibet? Erat enim Saul hoc tempore bonus, & rectus, vt notant Carthuſianus, Abulenſis, Hugo, & alij; & ideo ad dignitates valde tardus; imò quamtum in ſe erat, maximè reluctabat, ne purpura exornaretur. At ad aliorum mala depellenda, ad operaque charitatis exercenda, velox valde, agiliſque maximè. Et ita ait Carthuſianus (Carthuſ.), *Valde ad iram per zelum eſt concitatus.*

Iuſtus ad dignitates tardus, ad charitatem Velox.

Chriſtus ad noſtrã ſalutẽ currebat, à dignitatibus fugiebat.

Rex dignitatem fugiat, ad labores volet.

Qvæstio VIII.

Vtrùm Beatiſſima Virgo profecta fuerit cum ſponſo ſuo?

24. Tolet. Negat Tolet. *annot.* 115. Quia ſi Ioſeph viſitationi interfuiſſet, & audiſſet verba Elizabeth, matrem Domini ſui Mariam vocantis, poſtea minimè dubitaret de ſuæ ſponſæ fidelitate. Communis tamen ſententia eſt, quòd Beatiſſima Virgo ſola non abierit, ſed comitante eam ſponſo ſuo Ioſepho. Et hæc ſententia communis eſt inter antiquos, & Recentiores. Ita D. Bonauent. *lib. de vita Chriſti.* Oraſ. *declamat.* 5. & alij (Bonauent. Oroſius.). Nam ob eam potiſſimum cauſam cum eo deſponſata eſt, vt miniſterium, & conſolationem ab eo acciperet. Deinde, quamuis innumerabiles Angeli inuiſibiliter aſſiſterent; decens tamen non erat, vt Virgo viſibiliter ſola incederet, cùm aliunde, vt pauper, alium,

An Ioſeph comes in itinere.

alium,tamquam commitem, ac tam decenter habere non poſſet. Et ideo reſpondetur ad fundamentum Toleti,quòd ſanctus Ioſeph ob aliquam rationem,nobis ignotam, non affuerit colloquio inter Virginem,& Elizabet;vel ſi affuit,diuinitus impeditus eſt, ne tunc myſterium Incarnationis intelligeret, quod poſtea per Angelum agnouit, ob multiplices rationes infra explicandas.

25. *Cur de eo nulla mentio.* Sed quare, cùm beatus Ioſeph Virginem fuerit comitatus, nullam de eo hic mentionem facit Euangeliſta? Reſpondeo primò ex proximè dictis. Conueniens fuit, quòd beatus Ioſeh myſterium Incarnationis tunc non agnoſceret, vt ſic poſtea dubitaret de ſponſæ fidelitate, vt tali dubitatione Mariæ puritas, & Virginitas nobis eſſet manifeſta. *Magna dignitas Ioſeph.* Ne ergo de Ioſeph ſcriberetur, quòd ipſe tunc myſterium non intellexerit,ideo ab Euangeliſta,eius hîc tacetur præſentia, ne aliquis hoc legendo ſiniſtrum aliquid de eius ſanctitate conciperet. Secundò. Quia multoties Scriptura rem per ſe notam non enarrat: & ideo vt quid manifeſtum, non ponit Ioſephum ſponſum in hoc itenere affuiſſe. Tertiò. Vt denotet Euangeliſta,Virginem Mariam ſua puritate, ſanctitate, & modeſtia ſe ipſam cuſtodire, ita vt nihil aliud ei opus eſſet, quærit Clemens Alexandrinus *lib.5.Stromatum*, quare teſtamenti arcam, nulla ſera, ferreove inſtrumento claudebatur? (Alexand.) *Res ſua ſanctitate cuſtoditur.* Reſpondet. *Ipſa ſe religione cuſtodiebat*. Sic ſanè in præſenti de alia excellentiori arca, nempe Virgine Maria dicendum: & ideo nullus comes, tanquam cuſtos, Virgini affuiſſe dicitur.

QVÆSTIO IX.

Quænam eſſet hæc ciuitas Iuda, & vbi ſita?

26. DVo inquirimus. Primum, Quænam ciuitas eſſet hæc Iuda, in qua domus Zachariæ ſita conſiſtebat? Secundum, Quantum diſtabat à Nazareth: Quoad primum, Euthymius exiſtimat, ciuitatem illam appellari Montanam. At hæc opinio verbis Euangeliſtæ reiicitur, ait enim infra. *Super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc*. (Euthym.) Secundò. Aliqui dicunt, eſſe Bethleem, eo quòd in aliquo Græco exemplari ſe legiſſe teſtantur, *In ciuitate Dauid*. Sed lectio non eſt vera;& omnia exemplaria tam Græca,quàm Latina tenent, *In ciuitatem Iuda*. Tertiò. Beda, Albertus Magnus, D. Bonauentura, Hugo, & alij dicunt, hanc ciuitatem fuiſſe Hieruſalem, quæ per antonomaſiam ciuitas ab Euangeliſta vocatur. (Beda. Alb.Mag. Bonauent. Hugo.) Sed nomine ciuitatis Iuda, non ſolet venire Hieruſalem. Deinde Hieruſalem ad tribum Beniamin, & non ad tribum Iuda pertinebat. Quartò. Alij multo probabilius dicunt, hanc ciuitatem fuiſſe Hebron; erat enim ciuitas Hebron in montanis Iudææ ſita, & ad Sacerdotes pertinebat, *Ioſu.21*. Ita communiter Recentiores, noſter Beaulxam. Barradas, Carthagena *lib. 6. homil.1*. (Beaulxam. Barradas. Carthag.) Et ideo Euangeliſta eam non nominauit; quia cùm Zacharias eſſet Sacerdos, ſatis nota erat ciuitas in montanis Iudææ pro Sacerdotibus aſſignata; & ſatis manifeſtum, quòd tantus vir in ſua propria ſede commoraretur.

27. De diſtantia inter domum Virginis, & Zachariæ. Iſidorus de Inſulis *libro de vita S. Ioſeph*, ait; *Creduntur enim à Nazareth vſque ad oppidum Zachariæ eſſe ferè quadraginta miliaria*. (Iſidor. Brocard.) Brocardus, magnus indagator Terræ ſanctæ, in ſua deſcriptione, & Auctor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. (Auth. hiſtor. Eccleſ.) Septuaginta milliarium longitudinem ponunt. Salmeron *lib.3. tract.* 10.refert. (Salmeron.) *Tradunt quidam ex reuelatione, iter ſex dierum fuiſſe à Nazareth vſque ad ciuitatem Zachariæ,& vno die à Beatiſſima Virgine iuuantibus Angelis, fuiſſe emenſum: & propterea dictum eſſe cum feſtinatione*. Ita ille.

Lucæ 1.n.40. Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.

VERSIONES.

Syriacus. Et ingreſſa domum Zecario petiit pacem ipſius Eliſchebaa.

Textus Græc. Et ſalutauit amplexu, & oſculo.

Hebræus. Precata eſt pacem Elizabeth.

EXPOSITIO.

28. (Euſebius.) RELIGIOSAM domum,vt ait Euſebius Emiſſenus *homilia de viſitatione*, ingreditur Virgo. Domus autem dicitur *Zachariæ*, à principaliori,ſcilicet à viro. *Et ſalutauit Elizabeth.* quæ verba ſalutationis, licèt ſcripta non ſint, communiter tamen exiſtimantur illa; quæ Chriſtus præcipit, & quibus vſus eſt, *Pax vobis*; quæ enim poſtea Chriſtus præcepit, Virgo inſtinctu Spiritus ſancti iam exequebatur.

QVÆSTIO X.

Quare Virgo ſalutauerit Elizabeth.

29. (Carthuſ. Ambroſ.) CARTHVSIANVS ait, *Quia humillima fuit* Secundò ratione vrbanitatis; virtus enim inurbana non eſt. D.Ambroſius, *Venit propinqua ad proximam,iunior ad ſeniorem, nec ſolùm venit, ſed prior ſalutauit: decet enim, vt quanto caſtior Virgo,tanto humilior ſit,nouerit deferre ſenioribus, ſit magiſtra humiliatis, in qua eſt profeſſio caſtitatis*. Et ita prior ſalutauit ratione humilitatis, vrbanitatis, ætatis, & dignitatis, qui enim eſt in honore maior, debet eſſe in vrbanitate prior. *Virtus non eſt inurbana.* Salutauit etiam Elizabeth, vt Ioannem à peccato mundaret, vt infra dicam.

30. (Bonauent.) Nota,quòd *ſalutare*,idem eſt ac ſalutem optare. Eleganter D. Bonauentura, *Salutauit*, ait, *non ſolùm optando,ſed etiam ſalutem aſportando*.id eſt, non ſolùm ſalutem dedit verbis, ſed etiam operibus: verbis, dum ſalutando dixit, *Pax tibi*; operibus, dum Ioanni infanti in vtero gratiæ fontem attulit. Magnum ſanè magnatibus documentum, vt magna cum honorificis verbis opera connectant. *Verba & opera ſimul.* Dixerunt filij Heth ad Abraham: *Princeps Dei es apud nos: in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum*, Geneſ.23.n.6. (Geneſ.23.) Optima

Optima loquela. *Princeps Dei es*, magnum opus: *Sepeli mortuum tuum*. Expende etiam,quòd priùs fuerunt verba,ſalutauit, deinde opera. Exultauit infans; plus enim vna breuis oratio bona ſæpe æſtimatur,quàm multa facta.

31. Sed quomodo Virgo ſalutat Elizabeth, cùm Heliſæus præceperit Giezi, vt non ſalutaret aliquem in via,4. *Reg.4.num.29.* & Chriſtus Dominus ſic mandauit Diſcipulis ſuis, *Luc.* 10.*num.4.* *Obligatio officij nō omittenda.* Optimè reſpondet Beaulxam. Nolebant illi ſuos iam ad iter accinctos colloquiis occurrentibus ab officio auocari;omne impedimentum eſt amouendum, vt debitum munus perſoluamus: Beatiſſima autem Virgo ſalutauit intus in domo,iuxta Chriſti Domini præceptum, & vt ſalutem Ioanni communicaret, & vt ſuſceptum munus exequeretur. Sed quare Virgo ad oſtium non pulſauerit? (Stella.) Reſpondet Didacus Stella: Quia cor iuſtorum ſemper patens eſt Deo; peccatorum autem clauſum,iuxta illud Apoc.3. (Apoc 3.) *Ego ſto ad oſtium & pulſo*. Reſpondeo deinde,quòd Zacharias Pontificis officio functus eſt, iuxta aliquos, exinde eius oſtium apertum eſſe ſolitum erat, & nunquam clauſum, vt ſic facilis, & patens eſſet omnibus ingreſſus. *Oſtium prælati ſit patēs.* Sanciuit legem Aſſuetus, quòd *ſi quis non vocatus eius atrium intrauerit,ſine vlla cunctatione ſtatim interficiatur*, Eſther 4. num.11. (Eſther.4.) Nónne melius erat, oſtium claudere? Ad quid tale edictum? Erubuit Aſſuerus, cùm eſſet Rex, & perſona publica, quòd fores palatij obſeratæ apparerent.

QVÆSTIO XI.

Quare Virgo non ſalutauerit Zachariam.

32. RESPONDETVR primò. Quia fortè tunc abſens erat; vel quia Elizabeth prior ei occurrit, Deo ſic ordinante; vel quia pudor, ac honeſtas Virginis virorum congreſſum euitauerit. *Quæ vrbanitatis, omittēda propter officium.* Secundò. Salutatio ad Zachariam vrbanitatis erat; ad Elizabeth verò neceſſitatis, ac muneris Reginæ,vt Ioannem à peccato mundaſſet; & ſanctiſſima Virgo omiſit ea, quæ vrbanitatis erant,vt his,quæ ratio officij expoſtulabat,ac neceſſitati ſubueniret. (Ambroſ.) Sic ait D. Ambroſius, *Quæ propter officium venerat, inhærebat officio*. Tertiò Magnus Albertus ſuper *c.1.Lucæ*,exiſtimat,Virginem non ſalutaſſe Zachariam; (Alb. Mag.) quia erat mutus, & ſurdus propter incredulitarem; non ſalutat ergo eum, ne dolor ei duplicaretur, cùm ſe impeditum ad reſpondendum videret: afflicto enim non eſt danda afflictionis occaſio. *Moleſtia non eſt afflicto multiplicanda.* Quartò Zacharias erat multatus cū ſui manifeſta nota peccati incredulitatis; non ipſum ergo ſalutat Virgo, ſed prætergreditur; nam vbi defectus apparent, minimè videndi,ſed prætereundi ſunt. Valde mirum quòd Deus pietatis fons, qui leproſum tetigit, & ſanauit, *Matth.8.num.2.* præceperit leproſum eiicere extra caſtra, *Numer.5.num.2.* nec ſatisfacit ſolutio Abulenſ. (Abulenſ.) ideo factum eſſe, quia morbus contagioſus eſt. Ob hanc enim rationem etiam peſte, vel igne D. Lazari infectus eiiciendus erat de caſtris,quod lex non præcipiebat. Ideo ait Hugo. (Hugo.) Myſticè quæſtio eſt reſoluenda: *Leproſus eſt qui peccat in verbo doctrinæ,vt hæreticus*. Et Procopius. (Procop.) *Obſeruandum*,inquit, *quòd lepra mortificationem continet, vt author eſt Aaron*. Cùm ergo leproſus haberet notam peccati, ac mortificationis,extra caſta ponatur, vt à nemine videatur,ac omnium conuerſatione, & colloquio ſeparetur; & ideo mandabatur leproſo, *Leuit.13.n.5.* vt habeat os veſte contectum, quod explicat Gloſſa Interlin. (Interlin.) *Ne fœtorem peccati loquendo diffundat, ne docere præſumat*. *Cum eo qui habet notam peccati non eſt loquendū.*

Lucæ 1 n.41. Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu S.Elizabeth.

VERSIONES.

Radix Hebræa. Vt audiunt pacem Mariæ.

Syriacus. Vt exultaret fœtus in vtero eius,& repleta eſt Spiritu ſanctitatis.

Pagninus. Saliit infans in vtero eius.

Vatablus. Euenit,vt cùm audiſſet Elizabeth ſalutationem Mariæ, ſubſilierit infans in vtero eius.

D. Ambroſius hîc Simul autem vt audiuit ſalutationem, *&c.*

Tert.lib.2.de carne Chriſti. Adimpleta eſt Spiritu ſancto.

EXPOSITIO.

33. (Theophyl. Euthym.) VERBA Virginis, vt dicam ſequenti expoſitione ex Theophylacto, & Euthymio, verba erant Chriſti in eius vtero exiſtentis. Non dicitur ergo: Vt audiuit ſalutationem; ſed: *Factum eſt,vt audiuit*. Verba illa,vt Dei verba,non tantùm ſonum,ſed factum & opus aſportabant. *Audiuit*. D. Bonauent. (Bonauent.) *Salutationem namque Virginis*,ait, *Elizabet audierat,quæ eam amabat*. Cant.8. (Cantic.8.) *Quæ habitas in hortis,amici auſcultāt, fac me audire vocem tuam*. *Qui te diligit, te audit.* Solus enim amicus te beneuolè audit;quamuis multi aderant, ſola Elizabeth audiuit. *Exultauit infans*;gaudio præſentiæ Chriſti,& quod non potuit voce, geſtu corporis indicauit. Ex quo colligitur, quòd Ioannes non ſolùm in vtero fuerit ſanctificatus, vt prædictum erat an Angelo: *Replebitur Spiritu ſancto adhuc ex vtero*; ſed etiam in illo vſum rationis obtinuerit,non potuit Ioannes mereri,nec in vtero exultare in gaudio ex præſentia Chriſti, niſi ipſum vt Dominum agnouiſſet. *Deus plus dat quā promittit.* quod latè confirmant recentiores ex ſanctis Patribus. Sufficiat nunc authoritas Eccleſiæ in eius officio. *Dei dona irreuocabilia.*

Ventris obſtruſo recubans cubili,
Senſeras Regem thalamo manentem:
Hinc parens nati meritis vterque
Abdita pandit.

Imò exiſtimo, quòd hîc vſus rationis non ſolùm fuerit pro tēpore viſitationis,ſed ſemper deinceps in eo durauerit:tum quia dona Dei irreuocabilia, ac perpetua ſunt;tum quia,ait D.Ambr. (Ambroſ.) Virginem manſiſſe tribus mēſibus *ad profectum Ioannis*;ſine vſu autē rationis non potuit proficere. *Et repleta eſt Spiritu S.Elizabeth*;poſtquā enim repletus eſt

Caiet. *Multa neceſſaria ad Virginem laudandam.*

Ioannes, repleta eſt mater. Ordine quodam diſtribuitur Spiritus ſanctus, vt hîc ait Caietanus. Dicitur repleta Spiritu ſancto, vt Virginem laudaret; cùm de Simeone, vt Chriſtum magnificaret, dicat Euangeliſta, Spiritum ſanctum eſſe in illo. Tantum exigitur, vt Virgo laudetur, quòd Spiritus ſanctus eſſe dicatur in illa. Quanta autem gratia communicata fuerit Ioanni ex præſentia Mariæ, vide *cap.ſeq.quæſt.vltim.*

QVÆSTIO XII.

Quare Ioannes exultauerit in vtero?

34. QVÆSTIO eſt: Quænam fuerit ratio motiua, & finis lætitiæ, & exultationis iſtius? Reſpondeo primò, quòd ſaltus iſte, & exultatio, fuit quædam demonſtratio, & index interni gaudij Ioannis, quod profectum eſt, tum ex præſentia Chriſti, vt ſic eum reſalutaret, vt eo modo, quo poſſet, honoraret: tum quia ſe à peccato originali Chriſti beneficio liberatum agnouit. Quænam gaudendi ratio maior eſſe poteſt? In his enim Mariæ præſentia erudiuit Ioannem. D. Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap.6. *Præſentia*, ait, *Mariæ, cùm vtero grauis eſſet, erudiuit Ioannem in vtero conſtitutum; adeò, vt exiliret, & exultaret, Domini præſentiam recognoſcens*, Quis enim ex Dei præſentia omnem felicitatem, ac bonum ſibi non promittat? Et hanc internam lætitiam ſaltibus manifeſtauit. D. Bonauentura, *Ex quo datur*, ait, *ſpiritualiter intelligi, quòd propoſitum ſanctum non poteſt latere, quin ſe manifeſtet, & amor interior prorumpat in opus.* Vnde Gregorius: *Numquam amor Dei eſt otioſus.* Amor cordis in opere deprehenditur.

Virgo Ioannem docuit. Ambroſ.

Bonauent.

Amor interior in opere manifeſtatur.

35. Secundò. Hæc lætitia, & exultatio reſultauit ex voce, ac præſentia Beatiſſimæ Virginis, quæ ita ſuauis, ac odorifera eſt, vt omne profundat bonum, omneſque magnis repleat donis. Diuus Bernardus ſermone 1. de Aſſumptione. *Exultauit in gaudio. Paruuli, nec dum nati anima liquefacta eſt, vt Maria locuta eſt.* D. Gregorius Thaumaturgus ſermone 2. de Annuntiatione. *Vox igitur, ait, Mariæ efficax fuit, & Spiritu ſancto repleuit Elizabeth, ac veluti ex perenni quodam fonte, inſtrumento linguæ, flumen chariſmatum per Prophetam cognatæ ſuæ emiſit.* Virginis, imò ipſa etiam Mariæ præſentia illi cauſa fuit communicandi gratiam. Titus Boſtrenſis: *Quare non prius*, ait, *quoque repletus eſt Spiritu ſancto, quàm ea, quæ Chriſtum Dominum vtero geſtabat, illi ſe adiunxiſſet.* Et ideo Ioannes nondum natus, in vtero exultauit, vt Virginis præſentiam celebraret, eique ſolemniter feſtum ageret, atque eam tamquam totius felicitatis originem, ac radicem matri Elizabeth præſentem indicaret. S. Leo ſermone 10. de natiuitate: *Exultauit*, ait, *nondum editus puer vt genitricem Domini ſigno clauſæ exultationis oſtenderet.*

Bernard.

Thaumat. *Ex Virgine omne bonum.*

Boſtrenſis.

Virgo feſtiuè celebranda.

Leo.

36. Tertiò. Exultat, ac ſupra naturam animi gaudium, & lætitiam demonſtrat, dum ſe agnoſcit tantam ſupernaturalium rerum cognitionem aſſecutum. D. Chryſoſtomus apud Metaphraſtem inquit: *O res admirabiles, quæ ſuperant opinionem. Quæ in cælo ignorauerunt Angeli, cognouit Ioannes qui geſtatur in vtero: Thronos latuit, & eum, qui geſtabatur in vtero, minimè præterijt. Celauit Dominationes, & ei qui erat in ventre, reuelauit myſterium ſuſceptæ carnis.* Quartò. Exultat, vt eius erga creatorem ſuum appareat promptitudo, magnaque ſit manifeſta obedientia. D. Ambroſius lib. de Virginis inſtitut. *Ad vocem Mariæ*, ait, *exultauit infantulus obſecutus, antequam genitus.* Quintò. Vt Chriſti Domini oſtendatur magnitudo, cuius magnalia agnoſcere, & decantare, nullus anguſtus, tenebroſus, opertuſque locus valet impedire. Diuus Auguſtinus ſermon. 13. de tempore: *O omnipotentia naſcentis! ô magnificentia de cælo ad terram deſcendentis! Adhuc in vtero portabatur, & ex vtero matris à Ioanne ſalutabatur.* Sextò. Exultauit, vt ſe verum filium Abrahæ oſtenderet, cuius virtutes, ac deſideria ſectabatur; & ſicut ille diem Chriſti videndo exultauit, ita & eius filius Ioannes. D. Bonauentura hîc: *Exultauit, inquam, præ deſiderio, ſicut etiam Patres.* Ioannis cap.8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & grauiſus eſt.* Septimò. Ioannes, qui originali peccato detentus erat, vbi primùm *facta eſt vox ſalutationis tuæ*, nempe Virginis Mariæ, exultat, & lætatur iam repletus gratia diuina. Vox Mariæ valde efficax ad mœſtitiam peccati excludendam, omnemque lætitiam gratiæ communicandam, ac diffundendam. D. Hieronym. epiſtol. ad Lætam. *Ioannes Baptiſta*, ait, *ad introitum Mariæ exultauit, & luſit. Audiebat enim verba Domini per os Virginis perſonantis, & de vtero matris in occurſum eius geſtabat arumpere.* Expende illud, *Audiebat enim verba Domini per os Virginis.* Et Beda homil. 2. hîc. *In vno, eodemque momento cum voce ſalutantis Mariæ gaudium naſcitur infantis qua dum vox ad aures peruenit corporales, virtus ſpiritualis cor intrauit audientis.*

Chryſoſt. *Ioannes ſuperat in ſcientia Angelos.*

Ambroſ.

Præſentia Chriſti à nullo impeditur.

Auguſt.

Bonauent.

Mariæ vox efficax ad diffundendã gratiam.

Hieron.

Beda.

Octauò. Exultat Ioannes, veluti pedibus matris vterum conculcando. Quid ad hoc? Naſcebatur Ioannes, vt mundum abnegaret: incipit ergo propriam naturam conculcare, & contemnere ab vtero, vt ſic ad victoriam mundi perueniat. D. Auguſtinus *ſerm. 22. de Sanctis*, elegantiſſimè, *Suæ matris*, ait, *exultat in vtero, & in vtero Virginis veniſſe nuntiat Chriſtum. Impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad Regem, ante rapuit arma, quàm membra, & vt vinceret mũdum, vicit ante naturam.* Nota maximè vltima verba. Vis vincere mundum? Vince priùs naturam. Ad illius enim victoriam, atque abnegationem minimè deueniet, qui eius illecebris, ac delectationibus detinetur. Dixit Deus Abrahamo: *Exi de terra tua, & cognatione tua*, Geneſ. 12. n. 1. Quod eleganter explicans Caſſianus in collationibus Patrum ait: *Exi de terra tua, & cognatione tua, hoc eſt, à te ipſo, vt triumphator rerum ſæcularium exiſtas.* Cùm Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos vocaret, quidam dixit ei: *Permitte me primum ire, & ſepelie patrem meum; Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, Matth. 8. num. 22. Quos Dominus vocabat, vt eſſent mundi victores, ſtatim diſpoſuit, vt in ipſo limine proprium erga patrem naturæ affectum ſuperarent. 37.

Auguſt.

Vince naturam vt vincas mundum.

Geneſ. 12.

Caſſian.

Matth. 8.

Nota hîc, quòd Ioanni, qui nunc in vtero matris lætatur, & exultat, iam antea erant indicta, & intimata ieiunia, & abſtinentiæ: de illo ante conceptum prædixit Gabriel Zachariæ, Lucæ 1. *Vxor tua pariet tibi filium, vinũ, & ſicerã non bibet.* Nec enim aliter Chriſtiana venit lætitia, & exultatio; niſi priùs homo ieiuniis ſit dedicatus, 38.

Luc. 1.

ac

ac pœnitentiæ aſperitatibus conſecratus. Diuus Chryſoſtomus homil. 6. de Reſurrectione. *Exultemus*, ait, *Domino, ſed in tremore, non remiſſa ſecuritate: quia & Ioannes Præcurſor exultauit in vtero, ſed qui vinum non bibit præcepto Angeli Gabrielis.* Gaudia cœleſtis beatitudinis ſemper vigiliæ, & labores antecedunt, Anna prophetiſſa, quæ dignata eſt, Chriſtum in templo videre, ac tantum gaudium habere; de ea dicitur. *Quæ non decedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die*, Luc. 2. num. 37. De illo bono paſtore, qui perdidit ouem, dicitur: *Cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens*, Lucæ 15. n. 5. Priùs laborioſè quærit, poſtea oneri ſupponit humeros, ac tandem delectabiliter gaudet. Vt notat D. Baſilius Seleucus *orat. 26.*

Chryſoſt. *Exultationẽ antecedit abſtinentia.*

Luc. 2.

Luc. 15.

Baſilius.

QVÆSTIO XIII.

Quare Chriſtus Dominus Ioannem, & non alium viſitet?

39. VENIT Dominus hîc in vtero matris ſuæ ad Ioannem, & poſtquam natus eſt, venit ad ſenem Simeonem, qui magna lætitia perfuſus, canit, *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Magna Dei miſeratio, quæ nullum deſpicit, magnos & paruos viſitat, omnéſque amplectitur. Nec Ioannem infantulum prætermittit, nec ſenem grandæuum excludit, ſed Ioannem ſanctificat, & virum annoſum ad iuſtorum ſinum transfert. D. Amadæus homil. 1. de laudibus B. Virginis. *Vides ergo*, ait, *ſapientiam attingentem à fine vſque ad finem fortiter, & diſponentem omnia ſuauiter? à puero nondum nato vſque ad ſenem decrepitum, tã magna ſibi teſtimonia proferentem, & tam dulci concordia veritatis organa modulantem? Hinc per Prophetam dicitur: Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius, quem infans ſenſit in vtero? quo ſenex frigidus flagrauit in templo.*

Chriſtus omnes viſitat, & neminem deſpicit.

Amad.

40. Quærimus hîc quare Chriſtus Dominus non venit priùs ad Simeonem, qui erat iuſtus expectans regnum Dei, vel ad Annam Prophetiſſam Hieroſolymis, vel ad alium iuſtum, ſed tantummodo ad Ioannem in vtero accedit. Reſpondeo primò. Quia Ioannes erat in magna neceſſitate conſtitutus. Vide quæ dixi *quæſt. 7.* Secundò Ioannes futurus erat præcurſor Domini; & ita ait S. Leo Papa ſermone 10. de natiuitate. *Præcurſor Chriſti ſpiritum Prophetiæ intra viſcera matris accipit.* Et qui futurus erat prior in merito, conueniens fuit, vt in fauore, ac beneuolentia eſſet prior. Tertiò. Properat Ieſus in vtero Virginis ad Ioannem in ventre Elizabeth latitantem, vt ſic matres impleantur, ac vtraque Spiritu ſancto impinguata prophetaret; valde enim pium eſt, atque ſanctum in exercitio virtutis conſanguineos, & cognatos adimplere, & inſtruere. Diuus Ambroſius hîc: *Iſta*, ait, *gratiam loquuntur, filij intus operantur, pietatiſque myſterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres ſpiritu paruulorum.* Nota illa verba, *pietatiſque myſterium maternis adoriuntur profectibus.* Magnæ charitatis eſt ſuos iuuare, ac ſanctis operibus imbuere. Vide ſuprà cap. 2. num. 53. *Prophetãt matres ſpiritu paruulorum.* Valde mirum, quòd omnes hîc mirabiliter ſe gerunt; Chriſtus incipit ſe donis gratiæ manifeſtare: Ioannes ſanctificatus exultat: Virgo magnum intonat Canticum: Elizabeth Spiritu ſancto plena altis reſonat vocibus; quos charites, ac amor coniunxit in laudem Dei, multa mirabilia perpetrantur in eis. Vidit Iſaias *cap. 6. num. 2.* Dominum in alto ſolio. *Seraphim ſtabant ſuper illum, & clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituũm.* Vidit Ezechiel Dominum in curru maieſtatis. *Et in medio eius ſimilitudo quatuor animalium, ſed vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur*, Ezechiel. 1. n. 5. & 9. Iuxta multorum ſententiam hæc animalia erant Seraphim, quos vidit Iſaias, imò ex ipſomet Ezechiele *cap. 10. n. 15.* patet eſſe Cherubim, & hac de cauſa, vt bene notat Lyran. non dicuntur animalia, ſed ſpecies animalium; ſed iam inſurgit difficultas, cur illic in forma Seraphim apparent, hîc verò in ſpecie animalium ſe exhibent? In Iſaia omnes adunabantur ad dandam gloriam Deo: in Ezechiele verò vnumquodque per ſe ipſum intendebat obſequium præſtare, ac Dei magnalia publicare; & vbi charitate conglutinantur animi ad decantandas Dei laudes, ita ſublimantur, vt Seraphim videantur; cùm verò quodlibet Dei præconia, ac commendationes dicere affectet, ita deprimitur, vt animalis figuram æmuletur.

S. Leo.

Prior in merito, prior in præmio.

Ambroſ. *Quilibet ſuos virtute inſtruat.*

Qui vniuntur in laudẽ Dei, mirabilia operãtur.

Iſai. 6.

Ezech. 1.

Lyran.

QVÆSTIO XIV.

Quare gratia ex Ioanne redundat in matrem?

POTERAT diuina Prouidentia ordinare, vt gratia immediatè ſimul matri, ac filio communicaretur; tamen ex communi ſententia ſanctorum Patrum gratia ſanctificans infunditur Ioanni, & ex ipſo deriuatur in matrem, vt dixi in expoſitione, & ſuperiori quæſtione: pro quo faciunt ibi dicta. Grauiter tamen reſpondit Guerric. Abbas ſerm. 1. in natiuit. Ioannis, & ita ait: *Qui Propheta, & pluſquam Propheta futurus erat; imò ante prophetare, quàm profari; prius Deum, quàm ſe ipſum ſentire cœperat; parentes quoque ſuos Prophetas faciebat, & in eos, qui in ſe transfuderant carnis ſubſtantiam, ſpiritus ſui, & gratiæ ſuperabundantiam refundebat.* Nota vltima verba, & gratiæ ſuperabundantiam refundebat. Ioannes gratia exornabatur, vt eſſet magnus coram Domino; ideo ei communicatur gratia, vt inde tranſeat in parentes, quaſi ipſe prior ſit gratus, quàm natus; dum pro ſubſtantia corporea accepta, ſpirituale donum ac gratia ab eo in parentes redundat, ac transfunditur. 41.

Guerric. *Quæ dantur Ioanni magnam habent remunerationem.*

In creatione hominis decreuit Deus ipſum maximè nobilitare, & ideo dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* At cùm ad Euæ creationem deuentum eſt, *Immiſit Deus ſoporem in Adam, & tulit vnam de coſtis eius*, Geneſ. 2. num 21. ex qua formatur Eua. Dum Adam dormiret, magna, & alta myſteria ei ſunt reuelata, vt docet Diuus Auguſtinus *lib. 9. in Geneſ. ad literam, cap. 19.* & iam dixi *cap. 2. quæſt. 12.* Sed cur hæc myſteria non alibi, ſed hîc ei reuelantur? Vt in honorem Euæ Deus tamquam author naturæ, & gratiæ, magnis rebus reuelatis, recompenſaret Adamo exiguum eſſe, quod 42.

Geneſ. 2.

Auguſt.

Euæ

Rupert.

Euæ contulerat. Rupertus in Leuiticum ait: *Coſta alata, non minuitur, ſed creſcit Adamus, cùm ſociam mulierem accipit, in cuius formatione magnam cognitionem participat, vt dicat: Nunc os ex oſſibus meis.* At nota quòd pro eſſe collato Euæ Ab Adamo, Deus ei gratiam confert, ac magna myſteria aperit. At Ioanni aliquid excellentius datum

Ambroſ.

eſt, cùm de ipſo dicat D. Ambroſius hîc: *Cùm eſſet repletus Spiritu ſancto, repleuit & matrem.*

QVÆSTIO XV.

Qualis fuerit Ioannis exultatio?

43. QVODNAM genus reuerentiæ Ioannes in vtero Chriſto Domino exhibuerit? Quidam, vt refert Salmeron *tom.3. tract.10.* dicunt, quòd Beatiſſima Virgo viderit Ioannem genuflexum coram Chriſto Domino. Alij exiſtimant, quòd conuerterit faciem ad Chriſtum Dominum, & ei debitum reuerentiæ cultum exhiberet. Tertiò. Alij tenent, quendam eſſe corporis motum, ac tripudium. Ita Author Græcus *in Catena Diui Thomæ*, & fauet lectio Pagnini: *Salit infans.* Alij tandem, quòd præ gaudio exultauit, & in occurſum eius exiliens geſtiuit erumpere. Et hoc maximè confirmat id, quod grauiter dicit Chryſoſtomus apud Metaphraſtem, & refert Surius 24. Iunij. *Exultauit*, ait, Chryſoſtomus, *tamquam iniuſtam cuſtodiam quatiebat matricem. In clauſtra naturæ inſultabat calcibus, & clauſis labijs vociferabatur figuris, talia matri dicens: Iniquè facis, ô mater, quæ tardas Prophetam; geſtas in vtero præcurſorem Chriſti Regis; martyrem ſtringis.* Clamat Ioannes Contra matrem, quia ad ſuum præcurſoris munus ab illius ventre retardabatur; & quia ab appropinquantis Domini conſpectu, ac illius pedes oſculari impediebatur; ideo ſe martyrem appellat: *Martyrem ſtringis.*

Salmer. — Auth. Græc. — Pagnin. — Chryſoſt. — Surius. — *Officio correſpondendum.*

44. Hanc venerationem ita explicat Albert. Magnus. *Hic fuit pluſquam Propheta*, ait, *quia in matris vtero geſtiens, oſtendit & facto, & verbo præſentem redemptorem.* Facto, motu corporis; verbo, Elizabeth loquela: nam per eius linguam Ioannes eructauit; vel etiam in eo, quòd agnouerit, & exultauerit facto, ibi & verbo; nullum enim melius, verbum, quàm opus. Cùm Eleazar Abrahami ſeruus reuerſus eſſet è Meſopotamia cum Rebecca, ait textus: *Seruus autem cuncta, quæ geſſerat, narrauit Iſaac*, Geneſ. 24. num. 66. Scilicet quomodo Deus direxerit eius viam, eamque inuenerit ad fontes aquarum. Meritò ait Caietanus. *Mirum eſt, quòd nulla mentio fit Abrahæ in hoc aduentu Rebeccæ; & cùm debuiſſet ſubiungi, quòd ſeruus retulerit omnia Abrahæ, qui miſerat illum, ſubiectum eſt, quod retulit omnia Iſaac.* Optimè ſanè totius itineris, ac omnium rerum ordinẽ Abrahamo à quo miſſus eſt, verbis non exponit, qui factis rationem reddiderat; ſed tantùm Iſaac, vt in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis erumpat. Erat enim in agro meditationi intentus, vt communiter docent Patres.

Alb. Mag. — *Opus verbi eſt, vbi verba ſunt.* — Geneſ. 24. — Caiet.

Lucæ 1 n.42. Et exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

VERSIONES.

Syriacus. Exclamauit alta voce, & dixit ipſi Mariæ: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus eſt fructus, qui eſt in vtero tuo.

D. Auguſtin. epiſt. 57. ad Dardan. Beata tu inter mulieres, & beatus fructus ventris tui.

Euthymius, Arias. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vteri tui.

D. Hildeph. ſerm. 3. de Aſſumpt. Benedicta tu inter omnes mulieres.

Radix Græca Benedicta tu, quia benedictus.

EXPOSITIO.

ELIZABETH Spiritu ſancto plena ratione admirationis alta voce clamat, & ait: *Benedicta tu inter mulieres*; non enim deſiderantis, ac optantis, ſed aſſerentis, ac affirmantis verba ſunt hæc, *Benedicta inter mulieres*; quia magnis donis, ac benedictionibus affecta es à Deo ſuper omnes mulieres, vt explicat Hugo Cardinalis. *Et benedictus.* Coiunctio illa &, particula cauſalis eſt, vt notat Euthymius, & facit hunc ſenſum: Inde tu benedicta, quia filius tuus benedictus. 45.

Hugo. — Euthym.

QVÆSTIO XVI.

Quare Elizabeth exclamauerit voce magna?

PRÆSENTISSIMAM habebat ſanctiſſimam Virginem, & tamen alta voce profatur. Sed notat Caietanus, quòd *clamauerit, modeſtia ſeruata, quoniam Spiritus ſanctus nullius immoderaminis cauſa eſt.* Ad quæſtionem reſpondeo primò, cum D. Dionyſio Carthuſiano, & Gloſſa, quòd clamauerit ex plenitudine deuotionis, deuotio enim clamor eſt. Secundò Hugo Cardinalis. Repleta Spiritu ſancto tacere non potuit. Tertiò. Ratione admirationis. Quartò. D. Bonauentura. *Ideo autem*, ait, *voce magna clamabat, quia illum continebat in vtero, qui erat vox Verbi, ſecundùm quod de ipſo dicitur: Vox clamantis in deſerto*, Iſaiæ 40. Cùm Ioannes plenus iam eſſet Spiritu ſancto, data occaſione non potuit contineri, quin clamaret in matre. Quintò. Prærogatiuæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ magnam vocem requirunt, vt explicari aliquantulum valeant, & ita mulier exclamans dixit: *Beatus venter, qui te portauit*, Luc. 11. 46.

Caiet. — Carthuſ. — Gloſſa. — Hugo. — Bonauent. — *In occaſione non eſt ſilendum.* — Luc. 11.

Sextò. Quæ Elizabeth dicebat, magnæ veritatis, & ponderis erant, ideo non ſummiſsè, ſed clara, & alta voce dicenda, ac publicanda fuere. Apocal. 1. n. 10. ait Ioannes. *Audiui poſt me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis: Quod vides,* 47.

Vera clara voce dicenda. — Apocal. 1.

ſcribe in libro. Hæc autem vox erat fidei, & veritatis vox. Sed quare non leniter, & ſuauiter in auribus inſonat, ſed tam rigidè, ac validè, veluti tuba reſonat? Rupertus ibi: *Quia veritas fidei non in angulis, non in occulto, ſed palàm omni mundo loqui deſiderat: rectè non per qualemcumque vocem tubæ magnam, id, quod dictum eſt, ſignificari decebat.* De quo *lib. 3. cap. 1. quæſt. 20.*

Rupert.

QVÆSTIO XVII.

Quare Virgo dicatur Benedicta inter mulieres?

48. RESPONDEO primò, vt oſtenderetur, Elizabeth eſſe afflatam Spiritu ſancto, ſiquidem illa, quæ Angelus dixerat, eadem repetit. Ita D. Ambroſius, *Nouit*, ait, *ſermonem ſuum Spiritus ſanctus, nec vnquam obliuiſcitur.* Secundò Beda. *eadem voce Maria ab Angelo, & ab Elizabeth benedicitur, vt Angelis, & hominibus veneranda monſtretur, quia ſcilicet vtriſque benedictionem attulit.* Natura Angelica, & humana magnam benedictionem, mediante Beatiſſima Virgine, aſſecuta eſt, ideo vt vtraque ſe gratam exhibeat, eam benedicit. Tertiò Hugo. *Benedicta*, ait, *non ſolùm inter mulieres, quia parum videretur, ſed inter benedictas maiori benedictione inſignes.* Eccleſiaſt. 24. *In multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.* Quaſi non ſolùm eſſet benedicta inter mulieres, ſed etiam inter benedictas ſecundùm legem, vt ſtatim dicam, quia inter magnos habere ſummam laudem, valde mirabile.

Ambroſ. — Beda. — *Gratitudo oſtenditur.* — Hugo. — Eccleſ. 24. — *Inter magnos magnum eſſe valde mirabile.*

49. Quartò. Benedictio fœcunditatem, & multiplicationem filiorum includit, *Geneſ. 1. num. 28. & 22. num. 17. & 28. n. 15.* Quomodo ergo Beatiſſima Virgo, cùm vnicum tantùm habeat filium, dicitur benedicta inter mulieres, cùm aliæ eam ſuperent multitudine prolis? Dicimus tamen, quòd licèt vnum genuerit filium naturalem, omnibus tamen antecellit, cùm ſit verus Deus, & homo. Deinde ex eo, quòd talem filium produxerit omnium credentium mater effecta eſt. Ita Albertus Magnus de laudibus Beatiſſimæ Virginis. *Virgo mater eſt vnius hominis per generationẽ, omnium hominum mater per adoptionem; Virginũ per imitationem.* Ex quo ſanctiſſima Deipara mater æterni Verbi eſt conſtituta, humanum genus ſibi adoptauit in filium. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs*, Cant. 4. n. 5. Quod de Beatiſſima Virgine exponũt Rupertus, Richardus, & alij. Sed quomodo dicuntur vbera eius duo gemelli, cùm vnicum tantùm filium Ieſum Chriſtum lactauerit; Meritò ſanè; ex eo enim, quòd caput noſtrum Ieſum Chriſtum in filium habuit, nos vtpote eius membra, in filios adoptauit. Guillelmus Abbas apud Delrium ita ait. *Porrò eo ipſo, quòd ſibi magnum illum hinnulum, id eſt, Verbum Incarnatum corporaliter genuit, duos ſibi hinnulos, ſcilicet tenuiora eius mẽbra in vtroque ſexu ſpiritualiter adoptauit. Siquidem per hoc, quòd facta eſt Verbi mater corporalis, facta eſt membrorum eius mater ſpiritualis: per hoc, quod caput noſtrum ſecundùm carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda ſuſcepit.* Et dicitur. In liliis, vt ait Richardus, quia odore ſuæ virginitatis attraxit Chriſtum, & odore ſuæ pietatis nos paſcit.

Chriſtus omnes ſuperat. — Albert. — Cantic. 4. — Rupert. — Richard. — Guillielm. — *Virgo mater omnium credentium.* — Richard.

QVÆSTIO XVIII.

Quare dicatur fructus Virginis benedictus poſt ipſam benedictam?

SANCTA Elizabeth ait: *Benedicta tu, & benedictus fructus ventris tui.* Priùs encomiis extollit Beatiſſimam Virginem, & poſtea fructum ventris eius, ſcilicet Chriſtum Dominũ. Reſpondeo, quòd tanta æſtimatione appendit Deus laudes, & honores ſuæ ſanctiſſimæ matris, vt in præconiis, ac commendationibus illa primas obtineat. Vigintiquatuor illi ſeniores mittebant coronas ſuas ante thronum *Apoc. 4. n. 10.* Et quare non ante Agnum, ſed potiùs ante thronum? Hic Beatiſſimam Virginem præfigurabat, vt graues aſſerunt Authores; & ideo illi diadematum abiectione primò, ac peculiariter venerationem, & reuerentiam exhibent. Secundò. Nota hîc, quòd quamuis Elizabeth multa, & periucunda dona è manu Dei accepiſſet: ille enim eam filio fœcundauit, ac gratia repleuit; illa tamen totam gratiarum actionem in Beatiſſimam Virginem refert: *Benedicta tu inter mulieres: vnde hoc mihi, vt veniat?* Optimè enim intellexit, quòd Beatiſſima Virgine interueniente, illis omnibus eſſet cumulata bonis. Nota tertiò, quòd dicitur benedicta inter mulieres, & non inter homines; quia non ſuper omnes homines eſt benedicta, cùm ſit inferior Chriſto Domino. Deinde, quia comparatio debet fieri inter res eiuſdem ſpeciei. 50.

Deus laudes matris maximè æſtimat.

QVÆSTIO XIX.

Quare Chriſtus Dominus dicatur fructus benedictus?

DIXIT Elizabeth, *& benedictus fructus ventris tui*; quod Angelus Gabriel in Annuntiatione non dixerat; quia nondum Chriſtus erat conceptus in vtero virgineo, ſicut quando in viſitatione hæc geſta ſunt. Dicitur autem Chriſtus Dominus benedictus, tùm propter ſe, cùm in eo habitet omnis plenitudo diuinitatis; tum etiam propter nos. Ad Epheſ. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto.* Non enim Dominus meus Ieſus ſibi retinuit benedictionem, ſed etiam nobis communicauit, vt verus Rex, & Dominus. Et nota, quòd Chriſtus non dicitur Benedictus inter homines; ſicut Virgo dicitur Benedicta cum limitatione inter mulieres; ſed dicitur abſolutè, & in omni genere Benedictus. Deinde, quia de Virgine ad mulieres, de creatura ad creaturam poteſt dari aliqua comparatio; de creatore autem ad creaturam nulla. 51.

Epheſ. 1. — *Chriſtus nobis communicat ſuas benedictiones.*

Dicitur, *Fructus ventris tui*; quia ſine ope viri fructus iſte prodiit de vtero Mariæ; vt notat Boſtrenſis. Secundò. Nomine fructus appellatur, vt fiat alluſio ad promiſſionem Dauidi factam: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Tertiò. Vt expendit Toletus *annot. 119.* Elizabeth Chriſtum fructum vocat; hoc enim nomine confitetur in noſtram vtilitatem, ac commodum,

Pſalm 45. *Chriſtus in noſtram vtilitatem.*

carnem ſumpſiſſe; ſicut fructus eſt in vtilitatem, & nutrimentum comedentium. *Dominus virtutum nobiſcum ſuſceptor noſter Deus Iacob*, Pſal.45. num.5. Vbi eſt ſermo de aduentu Filij Dei, in noſtram carnem; tunc dicitur: *Deus virtutum*, quia ipſas virtutes nobis dedit, & communicauit. *Suſceptor noſter Deus Iacob*. Sed quare potius hîc dicitur Deus Iacob, quàm Deus Abraham, vel Iſaac? Deus Iacob eſt ille nominatus in benedictione

Geneſ 27.

eius: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*, Geneſ.27. num. 28. In aduentu ſuo Deus Iacob appellatur, quia in illo omnem rorem cæli, & fructum pinguedinis terræ nobis donauit. Guerricus Abbas

Guerric.

ſerm.2.de Annuntiat. ait: *Ab hoc ergo die* (ſcilicet aduentus eius) *Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob; quia hodie eſt Dominus aſſumptio noſtra, vt inhabitet gloria in terra noſtra. Prorſus hodie benedixiſti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus: hodie dediſti benignitatem Spiritus ſancti, vt terra noſtra daret benedictum fructum ventris tui.*

Lucæ 1.n.43. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?

VERSIONES.

Textus Græcus.	Vt veniat mater illius ſummi Domini ad me.
D.Cypr.lib.2. contra Iudæos, n.8.	Vnde hoc mihi contigit, vt veniat, *&c.*

EXPOSITIO.

52. Ambroſ.

ELIZABETH non quaſi ignorans, vt ait Ambroſius, ita loquitur: *Vnde hoc mihi*; ſciebat enim, hoc totum non humani eſſe meriti, ſed diuinæ gratiæ munus, ideo & humilis Elizabeth dicit: *Vnde hoc mihi*, veluti per admirationem, ac tanti beneficij indignam ſe iudicans. Matrem Domini appellat ante partum,

Theophyl.

vt ait Theophylactus, cùm aliæ mulieres non dicantur matres, niſi poſt partum, cùm in eis ſit periculum aborſus, quod nullum erat in Beatiſſima Virgine.

QVÆSTIO XX.

Quare Elizabeth tantum aduentum Virginis gratuletur.

53. CVM duæ hîc viſitationes ſint factæ, vna Virginis, altera Chriſti Domini in vtero exiſtentis; ſolum tamen Beatiſſimæ Virginis aduentum Elizabeth gratulatur, *Vnde hoc mihi*, &c.

Idem eſt Virgini, ac Chriſto famulari.

Reſpondeo primò, quòd tanta connexio eſt inter Chriſtum, & Virginem, vt idem ſit obſequium præſtare Beatiſſimæ Virgini, ac Chriſto Domino, vni enim ſine altero nequaquam placeri poteſt. Secundò, quòd Elizabeth ſe gratam exhibuit Virginis viſitationi, Chriſti autem Domini acceſſum gratulari, Ioanni commiſſum eſt; ſicut enim ille tanti myſterij, ác beneficij extitit præcurſor, ac primus prædicator; ita primus gratulator in Scriptura inuentus, ſaltibus ac geſtu ſe gratum manifeſtauit. Cautè dixi, *primus in Scriptura*; quia certum eſt inter Patres, quòd poſt celebratum Incarnationis myſterium Beatiſſima Virgo in magnam gratiarum actionem prorupit; tamen Euangeliſta hoc prætermiſit, & primò de ſaltibus Ioannis nobis mentionem facit, & poſtea de cantico Virginis.

Ioannes gratificat Incarnationis myſterium.

Tertiò. Ioannes non ſolùm ſaltibus, ſed etiam verbis gratulatur Chriſti, ac Virginis aduentui, dum per os matris ait: *Benicta tu inter mulieres, & benedictus fructus*, &c. S.Paulinus lib.1.Epiſtol.363. *Quoniam*, ait, *temporis immaturitas ijs, qui adhuc in materno vtero ſunt, hoc minimè dedit, vt loqui poſſint; idcirco Baptiſtæ Redemptorem prædicare, maturantis oris organum mater commodauit.* Qui enim vult famulari, & gratificari, nec lingua, nec modus deeſt.

Paulin. *Ad gratificandum nunquam deeſt modus.*

Quartò aduentum Virginis, & non Verbi gratulatur Elizabeth, quia quòd Deus hominem viſitet, eiuſque miſeriam ſubleuet, frequens eſt diuinæ bonitatis conſuetudo. At quòd creatura in tam ſublimi dignitate ad inferiorem veniret, valde mirum, & mirabile erat. Apparet vnus Angelus Ioanni magna myſteria reuelans, & ait Euangeliſta: *Cecidi ad pedes eius vt adorarem eum*, Apolog.19. num.10. Cur ſublimis aquila, dum Chriſtus ei ſe exhibet primo cap. ſublimia, & alta reſerans, vt referuntur *cap.2.& 3.* Cur dum vidit agnum quaſi occiſum *cap.4.& 5.* non dicitur quòd ceciderit ad pedes eius, vt adoraret eum, ſed hoc erga Angelum cum eo loquentem, factum legimus. Magna, & abdita myſteria à Chriſto audire Ioannes ſolitus erat; quòd autem Angelus hoc etiam ei præſtitiſſet, ſupra modum admiratione rapiebatur Ioannes. Veniunt tres viri ad Abrahamum, qui erant tres Angeli, vt docent D.Auguſt.*lib.16.de ciuit.cap.*19. Gloſſa, Abulenſis, Lyran. Lyppom. & alij, quos cùm vidiſſet Abrahamus, adorauit in terram, *Geneſ.18.num.2.* & profunda humilitate cum eis peragit, *Loquar ad Dominum meum cùm ſim puluis, & cinis*, n.27. Venit vir ad Iacob, de quo dicitur: *Ecce vir luctabatur cum eo*, Geneſ.32.n.24. Quòd autem hîc vir eſſet filius Dei, tenent Chryſoſt. Theodoret. Iuſtinus, Tertull. Hilar. Ambroſius, Cyrill. & alij, apud Pereiram *ibi*. Si rectè vtriuſque euentus circunſtantias conſideres, facile inuenies, quòd multo maiorem ſubmiſſionem Abrahamus habuit cum illis tribus Angelis, quàm Iacob cum ipſo filio Dei. Numquid tantus nepos, aui ſpiritum non ebibit? Vt minorem reuerentiam exhiberet filio Dei, quàm auus Angelis? Minimè; ſed Abrahamus ſtupore plenus erat, quòd Angeli ad ſuum hoſpitium, eumque viſitandum acceſſerint, ac aduenerint, & ita ait Caiet. *Magna veneratione honorauit illos ſigno præſtationis in terram.*

Diuina bonitas humiles viſitat, ac recreat, quòd creatura hoc præſtet multo mirandum.

Apoc.19.

Auguſt. Gloſſa. Abulenſ. Lyran. Lyppom. Geneſ.18. Geneſ.32.

Chryſoſt. Theod. Iuſtin. Tertull. Hilar. Ambroſ. Cyrill. Pereira.

Caiet.

QVÆSTIO XXI.

Quare ait Elizabeth: Vnde hoc mihi?

54. Boſtrenſis.

RESPONDEO, vt ſe indignam tantæ viſitationis oſtendat. Titus Boſtrenſ. *Cuiuſmodi verba*, ait, *ſuo poſtea tempore depromptur us erat Ioannes, eiuſmodi ferè hoc loco depromit mater illius Elizabeth; vt ille enim indignum ſe pronuntiat qui Chriſto proximè aſſiſteret, ita hæc quoque Deiparæ Virginis præſentia indignam ſe pronuntiat*, Vnde hoc mihi? *&c.* Vnuſquiſque ſuorum maiorum, ac parentum mores facilè ebibit. Alia ſimilia verba his Elizabeth poſtea protulit eius filius Ioannes cùm Chriſtum ad ſe venientem videret. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.

Vnuſquiſque ſuorum maiorum virtutes ſectatur.

Sed, quod eſt ad noſtrum intentum; Elizabeth, quamuis eſſet pura, & ſancta, vt de ea ait Lucas *cap.1. num.6.* tamen ſe indignam, & veluti immundam iudicat ad tantam præſentiam. Præce-

Num.19.

pit Deus Num.19.num.9. *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo*, &c. *Cùm lauerit, qui vaccæ aſportauerit cineres, viſtimenta ſua, immundus erit vſque ad veſperam.* Num.19.n.9.& 10. Sed quæro: Hic homo erat mundus, & cineres aſportabat ad locum puriſſimum, qui iuxta multorum ſententiam Sancta Sanctorum erat: quomodo ergo dicitur, quòd immundus erit? Tanta erat loci puritas, & religio, vt quamuis homo aliàs eſſet putificatus, ad eius tamen præſentiam immundus reputabatur. Huc reſpicit D. Auguſtinus relatus in Gloſſa ad citatum locum Numerorum, dum pro loco

Auguſt.

illo intelligit fidem catholicam; & ita ait: *Quomodo ex hoc erit immundus, qui mundus acceſſerat? Quia & hi, qui ſibi videntur mundi in fide Chriſtiana agnoſcunt, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, vt iuſtificati gratis per ſanguinẽ ipſius.*

55. *Mater*, ait, *Domini mei*; vt ſic apertè, ac manifeſtè ſe famulam, & ancillam prædicet, Dominus enim relatiuum eſt ad ſeruum.

Iuſti in alijs dignitates, in ſe humilitates vident.

Hæc eſt Sanctorum conſuetudo, vt in aliis excellentias, ac dignitates; in ſe verò abiectiones, & humilitates recognoſcant, & ideo in Beatiſſima Virgine principatum, in ſe verò famulatum conſiderat. Secundò. Numquam legitur, Elizabeth ſe ancillam nominare, niſi hîc modò: cùm enim ad Deum accedimus, nihil nos eſſe fatemur. Vide *cap.2. num.32.quæſt.17.* Tertiò. Matrem Domini appellat, non cognatam: imò nullius propinquitatis ac conſanguinitatis hîç mentio fit. In his, quæ ſunt proprij muneris, non affectus conſanguinitatis, ſed adſtrictio obligationis attendenda. Vide ſupra *cap.citato num.21.& 22.*

56. Caiet.

Mater Domini mei. Dixit Caietanus. Didicit Elizabeth ab Spiritu ſancto, quòd erat mater Dei, & hominis propter naturam enim humanam dixit, *fructus ventris tui*; propter diuinam, *Domini mei*; ſed quare priùs fit mentio Chriſti Domini ſub nomine fructus, in quo natura humana denotatur; & poſtea ſub Domini nomine, in quo natura diuina reſplendet? maximè enim gloriatur de natura humana, quæ eſt à matre. Secundò. Fructus dixit vtilitatem, quam nobis contulit, vt dixi *quæſt.17.* Et per hanc vt verus Rex maximè vult innoteſcere, plus enim gloriatur de commodo, ac vtilitate, quam ſuis communicat, quàm de maieſtate, ac gloria nominis ſui.

Chriſtus vult cognoſci per vtilitatẽ quam communicat.

QVÆSTIO XXII.

Vnde Elizabeth cognouerit Virginem eſſe matrem Dei, ac in vtero ſuo Verbum Incarnatum geſtare?

57. RATIO litteralis. Diuina gratia, qua illuminata eſt Elizabeth. Secundò. Virginis præſentia diuinum odorem exhalabat, ac in verbis eius vox diuini Verbi perſonabat, vt dixi ex D.Hieron.*q.22.* Tertiò D.Bernard.*ſerm.in Natiu. Ioannis*, ait: *Quis tibi indicat matrem Domini, mulier ſancta? Vt facta eſt, inquit, vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Virginis aduentu maximè lætatur mulier annoſa, magnamque gratiam participat; Ioannes etiam in vtero matris clauſus vſu rationis donatus, maximè exultat, ac magnis donorum gratiis cumulatur. Meritò ergo Elizabeth apud ſe vt certiſſimum ſtatuit, eam eſſe matrem Dei, quæ tam larga beneficia in omnes magnos, ac paruos diffundebat.

Bernard.

Omnibus benefacere ſignum diuinitatis.

58. De Dei donis, ait Dauid: *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in ora veſtimenti eius*, Pſalm.132. n.2. Per hoc vnguentum Chriſti gratiam ſignificari communis eſt Patrum explicatio; ſed vnde colligirur tanta excellentia, ac nobilitas huius pigmentarij, quod non ſit cuiuſcumque donum, ſed omnipotentis Dei præſtantiſſima gratia. Vide quid ait de illo Regius Vates, quòd *deſcendit in barbam Aaron*, per quam deſignantur Apoſtoli, ac principes Eccleſiæ; & ſiſtit ibi minimè, *ſed deſcendit in oram veſtimenti eius*, hoc eſt, in extremos, minimos, ac nouiſſimos. Et vnguentũ, quod nõ ſolùm impingueſcit, ac odore replet principes, ac magnos, ſed etiam redundat, ac ſtagnat ſuper humiles, & abiectos, nullius alterius eſſe donum niſi ſolius Dei. Franconius Abbas de gratia Dei, tom.12. *Nec ab hoc*, inquit, *inundatione olei ſacri ora veſtimenti immunis remanere poterat: quæ licèt extrema totius veſtimenti plenitudini firmamento erat. Barbam autem noſtri Pontificis ſuper Apoſtolis intelligimus, veſtem in reliquis credentibus, extremam veſtimenti oram, ſuper humilitate noſtra interpretari vtinam verè poſſemus. Lenitatem autem olei atque pinguedinem, gratiam interpretamur Spiritus ſancti.* Vide ſuprà *c.5.n.104.& lib.2.c.1.n.86.* & multis in locis de hac re.

Pſalm.132.

Dei beneficia ad magnos, & paruos.

Francon.

Lucæ 1.n.44. Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.

VERSIONES.

Syriacus.	Ecce enim quum incidit vox ſalutationis tuæ in aures meas, gaudio magno ſubſultauit fœtus in vtero meo.
Euthymius.	Ecce enim vt peruenit vox ſalutationis, *&c.*
S.Greg.Thau. ſerm. 2. de Annunt.	Exultauit infans præ iubilo in vtero, *&c.*
Fauſt.Prebyt. lib.1.contra Arrium.	Exultauit infans in ſpiritu.
Vatablus.	Ecce enim vt edita eſt vox ſalutationis tuæ ad aures meas, ſubſiliit prę gaudio infans in vtero meo.

EXPOSITIO.

ELIZABETH Spiritu ſancto plena reddit veluti rationem ab affe-ctu; hoc maximè indicat illa particula *enim.* Quare Beatiſſimam Virginem matrem Domini appellauerat. *Exultauit infans in vtero meo.* Ex præſentia Domini maximum gaudium, & lætitia redundat in ſuos. *Ecce* magnitudinem rei indicat. Et *vt facta eſt*, id eſt, vt peruenit vox tuæ ſalutationis magnitudine gaudij exultauit infans. *In gaudio*, ſeu, vt habet Syriacus, *gaudio magno*; ſoli enim iuſti lætantur verè, & gaudio magno.

QVÆSTIO XXIII.

Quomodo cognouerit Elizabeth, exultare infantem ſuum?

59. CVM pueri ſæpe ſæpiùs ex multis, variiſque cauſis moueantur in vtero, vnde cognouit Elizabeth, infantem ſuum in vtero exultaſſe ex præſentia Domini, ac Virginis Mariæ? Reſpondetur primò, cum D. Auguſtino *epiſtol.57. ad Dardanum*, Lyrano, Beda, & aliis.

Auguſt. Lyran. Beda.

Reuelante Spiritu ſancto, ait Beda, *quo impleta erat, intellexit, quid exultatio infantis ſignificet: ſcilicet veniſſe matrem illius, cuius præcurſor erat futurus.* Secundò. Cognouit ex multitudine, ſuauitate, ac plenitudine gaudij.

Bonauent.

D. Bonauentura, *Ex quo*, ait, *puer tam mirabiliter exultauit, certum eſt, iam conſummatum eſſe veraciter, quod in Iſaia dicitur 12. Exulta, & lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.*

Iſai. 12. *In ſolo Deo gaudium.*

Solum enim gaudium, quod ex Deo eſt, vndique perfectum, & plenum, eſt. Tertiò. Quia, diuina gratia operante, cognoſcebat, ſe ſpiritu filij adimpleri.

Ambroſ.

Ita D. Ambroſius lib. 4. de fide: *Denique*, ait, *Elizabet ſpiritu filij replebatur, prophetant matres ſpiritu paruulorum.*

Sed quare Elizabeth prophetat ante ortum Ioannis; Zacharias verò poſt ipſum? Reſpondeo, quòd Elizabeth Baptiſtam geſtabat in vtero, ac proinde etiam illius donis ante natiuitatem ditata eſt. Secundò, quòd illa ad dona cæleſtia ſe diſpoſuit, Viſitationem Virginis lætabunda accipiendo. Zacharias verò illi incredulitate ſua obſtitit. Et dona cæleſtia communicantur ſe præparanti, & non reſiſtenti. Quare verò illa, quæ conceptum occultabat, modò ſe manifeſtat? Vide ſuprà *cap. 4. quæſt. vlt.*

Dona cæleſtia communicantur ſe præparanti.

QVÆSTIO XXIV.

Quare Iacob luctetur in vtero matris, exultet verò Ioannes?

60. IACOB in vtero matris cum fratre luctatur, & triumphos præripit, *Geneſ. 25.* Phares, & Zaram in vtero Thamar de primatus honore præliantur; Ioannes verò in ventre matris lætus exultat, & gaudet. Reſpondeo. Illi agebant de primatu, ac dignitate temporali, hic verò de cæleſti, ac ſpirituali dono; & vbi res eſt de temporali lucro, ibi prælium, ac diſſidium viget; vbi autem de cæleſti munere, ibi vnitas, pax, & gaudium.

Temporalia pariunt bellum: cæleſtia pacem.

Fauet D. Chryſologus ſermone 69. in fine, *Ioannes*, ait, *exultat, & Iacob colluctatur in vtero, prudens æſtimet, quid poſſit natura diuina.* Chryſol.

Filios habuit Iacob, & Iob. Inter illos verò ſumma diſcordia, bellum, & odium: ita vt dicatur de eis circa fratrem ſuum Ioſeph, Geneſ. 37. num. 4. *Videntes autem fratres eius, quòd à patre filijs cunctis plus amaretur, oderant eum, & non poterant ei quicquam pacificè loqui.* Geneſ. 37.

At de filiis ſanctiſſimi Iob, quòd concordia, & amicitia ligati erant, dicitur Iob 1. num. 4. *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnuſquiſque in die ſuo. Et mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum eis.* Iob 1.

Sed cur in illis diſcordia tanta, in his verò tanta vnitas? Cur in illis tam triſtis contentio, vt nec verbum pacificum haberetur, in his verò tanta iucunditas, & lætitia, vt conuiuiis dies tranſirent? In filiis Iacob dominandi, ac præferendi regnabat appetitus, ideo ab eis omnis pax, & lætitia exulabat. In filius Iob nulla ambitio hæreditatis paternæ, ſed prompta erat Deo ſacrificandi, & obſequendi voluntas; & ideo ibi pax, & gaudium. Petrus Bleſenſis in Iob ait. *Cum pro diuiſione hereditariæ ſortis frequenter ſoleat eſſe zelus, & æmulatio inter fratres, patet prudentia Iob, qui ſic vitam inſtituerat filiorum, vt ſe mutua charitate diligerent, & ſe ſe ad amica conuiuia inuitarent. Bonum ſiquidem eſt, & iucundum, habitare fratres in vnum.* Bleſenſis.

QVÆSTIO XXV.

Quare de Ioanne, & non de Eliſabeth aſſeratur exultatio in gaudio?

DE ſolo Ioanne, & non de Elizabeth dicitur, quòd exultauerit gaudio magno. 61.

Reſpondetur primò, ex D. Ambroſio lib. 2. in Lucam: *Vocem prior Elizabeth audiuit, ſed Ioannes prior gratiam ſenſit. Illa naturæ ordine audiuit, iſte exultauit ratione myſterij. Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit aduentum.* Ambroſ. *Gaudiū iuxta menſuram gratiæ.*

Maria viſitauit Elizabeth, Chriſtus Ioannem; & ſicut Ioannes in tanto dono fuit prælatus, ſic etiam in cæleſtibus gratiæ benedictionibus excellentiorem locum gratiæ, prophetiæ, ac gaudij adeptus eſt. Secundò. Ioannes maxima neceſſitate huius ſanctæ viſitationis laborabat, vtpote in peccato originali detentus; Elizabeth verò iam in via, ac iuſtitia Domini incederat, *Luc. 1. num. 6.* Et ille, qui neceſſitate opprimitur, de remedio ſibi dato ſcit maximè gaudere, & exultare.

Qui neceſſitatur exultat de bono.

Poſt afflictionem, & laborem valde iucundum eſt gaudium, quod dicit D. Auguſtinus 8. Confeſſionum, cap. 3. *Plus gaudet homo de ſalute deſperatæ animæ, & de maiori periculo liberatæ, quàm ſi ſemper ei affuiſſet: quanto maius periculum fert in prælio, tanto maius eſt gaudium in triumpho: iactat tempeſtas nauigantes, omnes futurà morte palleſcunt; tranquilletur mare, exultant nimis, quoniam timuerunt nimis; vbique maius gaudium, moleſtia maior præcedit.* Auguſt.

Vbi maior moleſtia, ibi maius gaudium.

62. Cùm Deus vellet aperire Abrahamo ſucceſſum gentis ſuæ, *Cùm Sol occumberet, ſuperirruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum*, Geneſ. 15. num. 12. Oſtenditur ei captiuitas filiorum in Ægypto, regreſſus cum magna ſubſtantia, & multa alia bona ei promittuntur. Sed ad quid tribulatur, & anxiatur ſpiritus Prophetæ? Vt inde gaudium ſuperueniens eſſet maius; delectatio quæ ſuccedit triſtitiæ, maximè iucunda. Idiota lib. 2. de vera patientia. *Nequaquam igitur contemnenda eſt tribulatio, quæ cordis eſt ſanitas, & via recta ad vitam, tanquam ſi hoc felicitati ipſius ſtatus accreſcat.*

Geneſ. 15. Idiota.

Lucæ 1. n 45. Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.

VERSIONES.

Textus Græc. Beata, quæ credidit, &c

Syriacus. Et eo felix, quæ credidit; quia futurum eſt complementum earum rerum, quæ dictæ ſunt ei à Domino.

Arias. Et beata credens, quòd erit perfectio effatis ei à Domino.

EXPOSITIO.

63. LAVDAT Elizabeth Beatam Virginem à fide, quam præſtitit Angelo. Et ait: *Beata, quæ credidiſti*, ſeu, vt eſt in Græco: *Beata, quæ credidit*; & idem eſt ſenſus. *Quoniam perficientur in te*, &c. Inter mirabilia ab Angelo dicta, illud dumtaxat adimpletum erat: *Ecce concipies*; alia verò adimplenda erant; verbi gratia: *Paries filium, vocabis nomen eius, Ieſus; hic filius Altiſſimi vocabitur: regnabit in domo Iacob*, &c. Diuus Gregorius *homilia 5. in Ezechielem*, notat, prophetiam omne tempus, præteritum, præſens, & futurum ambire; nam Elizabeth Beatam Mariam promiſſionibus Angeli crediſſe, de præterito cognouit; dum matrem Domini appellat, occulta de præſenti pandit; & cùm omnia ab Angelo prædicta perficienda fore prænuntiat, de futuro prophetauit: Gregor.

QVÆSTIO XXVI.

Quare Elizabeth Virginem Beatam *appellauerit?*

64. RESPONDETVR primò. Quia credidit; Deo enim credere, & obedire, ſumma beatitudo eſt.

Deo obedire beatitudo.

Secundò. Toletus hîc in Comment. *Credidiſti, non vt vir meus Zacharias, qui eidem Angelo multo faciliora nuntianti non credidit, & incredulitatis pœnam adhuc mutus, & ſurdus ſuſtinet.* Ex eo enim laudat eius fidem, quia hoc in negotio ſe non habuit, vt vir ſuus Zacharias, cuius rei pœnam ſuſtinebat: & euitare illud malum, quo aliquid laborat, maximè ei magnum apparet.

Tolet. *Euitare malum allerius valde magnum.*

Tertiò. Diuina prouidentia ſic diſpoſitum eſt; nam, vt notant hîc communiter Expoſitores, multi futuri erant hæretici, dicentes, quòd Beatiſſima Virgo non crediderit Angelo in Annuntiatione, dum dixit; *Quomodo fiet iſtud?* Vt hæc impia ora obmuteſcant, ideo Elizabeth fidem Virginis laudat.

Sed quare, cùm Beata Virgo in Incarnatione viderit Verbi diuini eſſentiam, vt ex communi ſententia dixi ſuperiori capite; & in viſione diuinæ eſſentiæ conſiſtat formaliter beatitudo, iuxta D. Thomam, ac eius diſcipulos; quare ergo Elizabeth Virginem appellat Beatam, non quia viderit Eſſentiam diuinam, ſed quia crediderit? Reſpondeo, quòd Virgo viderit Eſſentiam diuinam, fuiſſe quid gratuitum ex mera beneuolentia diuina: quod verò crediderit, maximum meritum præſtitiſſe. Et magis laudabile, ac glorioſum eſt id, quod habetur ex meritis, quàm quod per beneuolentiam conſequimur. 65.

D. Thom. *Quod merito, non gratiâ acquiritur, decorat.*

Ex alto Dei conſilio præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis, ſui ſcilicet Ioſeph, *Geneſ. 40. num. 23.* & tamen ad explicanda ſomnia Pharaonis reminiſcitur pincernarum magiſter, illius, *Geneſ. 41. numer. 9.* Sed quare homo, à quo tot beneficia acceperat, è memorià excidit? Vt Ioſeph apud omnes eſſet maximè laudabilis, voluit Deus non ex fauore, ſed ex meritis è carcere educi, & ad tantam dignitatem ſubleuari. Chryſoſtomus ibi: *Oportebat*, ait, *expectari tempus opportunum, vt maiori cum gloria inde educeretur: ſequitur pincernarum magiſter, ſi ante ſomnia Pharaonis recordatus fuiſſet, fortaſſis anctoritate ſuaeum liberaſſet, & non tam perſpicua fuiſſet alijs eius virtus.* Chryſoſt.

In huius rei confirmationem, Nota quòd Elizabeth non ſolùm dicit Virginem Beatam, quia in matrem Dei electa erat, quod erat ex gratia, ſed enim quia credidit, *Beata quæ credidiſti*, quod ex meritis proueniebat. Vide *cap. 1. num. 117. & cap. 2. num. 27.*

QVÆSTIO XXVII.

Quare tam breuiter loquatur Elizabeth?

ZACHARIAS ad natalem filij ſui celebrandum egregium componit canticum magnis carminibus plenum, *Lucæ 1. à n. 68.* Elizabeth verò paucis verſiculis ſanctificationem filij decantat. 66.

D. Ambroſius *lib. 2. in Lucam*, ad illa verba, *Et tu puer Propheta*, eleganter rem expendit. *Aduerte*, inquit, *quàm paucis Elizabeth, quàm multis Zacharias prophetet: ſed diſciplina ſeruatur; vt mulier diſcere magis, quæ diuina ſunt, ſtudeat, quàm docere.* Ambroſ.

Laudes virginis in maternitate recapitulãtur.

Secundò Elizabeth egit de laudibus Virginis. *Benedicta tu inter mulieres: vnde hoc mihi?* Et vbi eſt ſermo de excellentiis Virginis, ibi pauca pro multis valent, cùm in illo (mater Domini mei) contineantur omnia.

Vide ſuprà *cap. 2. num. 107.*

* * *

CAP. VII.

Canticum Virginis.

*Lucæ 1.n.*40. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum.

VERSIONES.

*S.Athan. Si-nait.lib.*1. *Hexaëmer.* Magnificat anima mea eum, qui eſt mihi dominatus.

EXPOSITIO.

1. MAXIMAS laudes ſuas ab Elizabeth audierat Beatiſſima Virgo, quas tamen omnes eximia humilitate hoc cãtico ſuo in Deum tanquam in ſuum fontem refert; quod ponderans Lyranus, ait, *O Elizabeth, tu me magnificas : ſed ego totum Deo attribuens ipſum magnifico in hoc carmine* ; & D.Bernardus ſerm.in ſignum magnum: *Magna quidem*, ait, *præconia : ſed deuota humilia nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis vniuerſæ refudit, cuius in ſe beneficia laudabantur.* Notat enim D.Ambroſius hîc. *Quòd, ait, ante Ioannem Elizabeth prophetauit, & Maria ante Domini generationem, hoc eſt, natiuitatem; nam ſicut peccatum à mulieribus cœpit, ita etiam bonum à mulieiribus inchoatur.* Vltimò notat Hugo ad illa verba *Quomodo fiet iſtud? Quòd Beatiſſima Virgo hîc in ſuo cantito largius loquitur, quàm in quacumque alia actione; tota erat hic in reddendis gratiarum actionibus Deo pro beneficijs tam ſibi, quàm vniuerſo populo collatis, & ideo ait: Magnificat anima mea Dominum*, ideſt, Totus meus Spiritus ſit in Deum glorificando, ac eius bonitatem prædicando. Dixit autem non Deum, vel filium, vel Spoſum, ſed Dominum ob humilitatem, vt relatione ad Dominum ſe ancillam fateretur.

Lyran. Bernard. Ambroſ. Hugo.

In credendis gratijs multus ſit homo.

QVÆSTIO I.

Quare in principio ſui Cantici Beatiſſima Virgo intonet: Magnificat?

2. AD quod reſpondetur primò explanando ipſum verbum *Magnificat*, ideſt, anima mea Deum magnum prædicat. Ita Euſebius Emiſſenus *hom.6.* Theophylactus, D. Bonauentura, Euthymius, Beda *ſerm.6.Temporum Aduentus* Secundò, *Magnificat anima mea Dominum*, ideſt, anima mea tot, ac tam innumeris repleta donis Deum ipſius factorem magnum prædicat, ac demonſtrat: nam ſicut magnum opus, magnum ſui declarat opificem; ita anima mea tot gratiarum cumulata donis, magnum ſui conditorem manifeſtat, ac ſi ex nullo alio opere tantum ſibi gloriæ arrogauerit. Fauet D.Baſilius *in Pſalm.* 29, ad illa verba: *Exaltabo te, Domine.* Tertiò. Anima mea virginitate, ac puritate, & ſanctitate Deum glorificat, ac exaltat. Ita Franconius Abbas *tom.7.de gratia Dei.*

Euſebius. Theophyl. Bonauent. Euthym. Beda. Baſilius. Francon.

B. Virgo Deũ magnum declarat.

3. Quartò Origenes homil.8. in Lucam. *Si Dominus, ait, nec incrementum, nec decrementum recipere poteſt, qua ratione tunc Maria loquitur, Magnificat anima mea Dominum?* Et ſoluit dubium ſupponendo, quòd vnuſquiſque noſtrum imago Dei ſit, ac proinde ex eo quòd Beatiſſima Virgo facta ſit ſuperior gratia, & ſanctitate ſuper omnes puras creaturas, inde eſt, quòd faciendo grandem animam ſuam, quæ eſt imago Dei, fecerit grandem ipſum Deum. Et ideò pergit idem Origen. *Quando igitur grandem fecero imaginem, id eſt, animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, ſermone, tũc imago Dei grandis efficitur: & ipſe Dominus, cuius imago eſt, in noſtra anima magnificatur. Anima igitur Mariæ primũ magnificat Dominum.* Nota vltimò, quòd non dixit Beatiſſima Virgo per modum imperandi, *Magnifica*, vt Dauid dicebat : *Lauda anima mea Dominum*, Pſalm.145. *Benedic anima mea Dominum*, Pſalm. 102. Sed tantum ait in tertia perſona, *Magnificat anima mea*; quia Dauid ob humanas occupationes à diuinis laudibus diſtrahebatur, & ideo excitatione opus erat; at Beatiſſima Virgo ita cæleſtibus contemplationibus addicta, ac intenta erat, vt nec per momentum ſiue vigilans, ſiue dormiens ab illis abſtineret; quapropter omnis excitatio ſuperuacanea erat, ac proinde perpetuò, continuoque dicebat, *Magnificat anima mea.*

Origen.

Qui magis eſt obligatus, ſit magis in gratificatione.

Emergens dubium.

Pſal. 145. Pſal. 102.

Virgo Deì laudibus ſemper intenta.

QVÆSTIO II.

Quare ait: Anima mea?

4. RESPONDEO primò. Vt ſignificaret, ſe non ſolùm exterioribus verbis, vt ſæpe faciunt bomines, ſed etiam interioribus animæ cogitationibus, ac meditationibus Deum extollere, ita vt ore, corde, & opere Deum laudaret. Secundò. Hæc phraſis eſt ſatis vſitata in Scriptura, quòd diuinas laudes decantare, animæ tribuatur, *Pſalm.*33. *num.* 3. & *Pſalm.*34. *num.*9. *Pſalm.*102.*num.*1. *Pſalm.* 103. *numer.* 1. Beatiſſima autem Virgo, quamuis omnium doctrix, à communi loquendi modo noluit abſtinere. Tertiò. Nota, nullam puram creturam æqualiter, ac Beatiſſimam Virginem dicere potuiſſe, *Amima mea*; nam omnis alia pura creatura, cùm ſiue grauiter, ſiue leuiter, peccato ſit infecta, ei ſubdita eſt : ac Beatiſſima Virgo, cùm ab omni ordinato affectu, ac macula, etiam leui, eſſet immunis, integram ſuæ voluntatis habebat poteſtatem; & ideo veriſſimè dicebat, *Anima mea.* At dices : Beatiſſima Virgo iam Deo ſe tradiderat, & res per donationem tranſit in alterius poteſtatem; quomodo ergo ait : *Anima mea?* Tali afficiebatur gaudio, ac delectatione in eo, quòd ſe in laudem Dei dederit, ac ſi per quælibet inſtantia eiuſmodi oblatio eſſet recenter facta. Deinde, quia nihil melius poſſidetur, quàm id, quod Deo donamus.

B. Virgo delectabatur in eo, quod ſe Deo dedicauerit.

*Lucæ 1.n.*47. Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.

VERSIONES.

Syriacus.	Exultauit ſpiritus meus in Deo ſeruatore meo.
Textus Hebraicus.	Spiritus meus in Deo Ieſu meo.
Euthymius.	In Deo ſaluatore meo.
Ex Græco multi leg.	Vehementer lætatus eſt Spiritus meus.

EXPOSITIO.

5. INGENTI repleta gaudio Beatiſſima Virgo ſe non potuit continere, qui externas prorumperet in laudes; hoc enim innuit verbum illud, *exultauit*, id eſt, ex rigore Grammatico, *extrà ſaltare.* Et cùm dixiſſet, *Magnificat anima mea*, de præſenti; nunc ait : *Exultauit*, de præterito, ſignificans hîc gaudium illud, quo anima ſua affecta eſt, dum Chriſtum in vtero concepit; & hæc conceptio gaudij tanti cauſa extitit. *In Deo.* Antea Dominum appellauerat, *Magnificat anima mea Dominum. Dominus* nomen eſt potentiæ; *Deus* verò beneficentiæ, quod clariùs expreſſit dicendo Deum Saluatorem, vnde ait D.Auguſtinus in expoſitione huius Cantici : *Vtrumque profeſſa eſt, & Dominum, & Saluatorem, vt pro poteſtate, quæ omni creaturæ dominatur, iure metuendum oſtenderet : pro bonitate, qua miſericorditer quoſdam ſaluat, dignum dilectione demonſtraret.* Magnificat Dominum, qua ratione potentiæ omnia ei famulari debent. Exultatio affectus eſt voluntatis : *In Deo ſaluatore*, ratione beneficentiæ. Plus amoris conciliauit miſericordia, quàm potentia.

Auguſt.

Plus acquiritur miſericordia, quàm potentia.

6. Addidit, *ſalutari*; ſeu, vt eſt in Græco, *ſeruatore*, ſeu *Saluatore*, ſeu Hebraicè, *Ieſu*, idem eſt, ac, Exultauit in Deo, propter admirabile Incarnationis opus, quo Deus ſaluator ſuus conſtitutus erat, & inter omnia beneficia maximum, & præcipuum. Fortaſſe alludit hîc Virgo ad illud Abac.3. num.18. *Exultabo in Deo Ieſu meo*; quamuis multo maiori cum ratione hoc dicat Beatiſſima Virgo; quia non ſolùm de natione ſua, ſed de ſuis etiam viſceribus conceptus erat Chriſtus. Et appellat ipſum *ſaluatorem*, & *ſeruatorem*; quia ipſam à peccato actuali, & originali liberauit, & ſaluauit, ideo præteritum tempus appoſuit; redemptio enim Beatiſſimæ Virginis excellentiori modo, quàm noſtra, facta eſt, vt communiter dicunt Theologi, imò, vt ſuprà dixi *cap.*3. *quæſt.*2. *num.*31. in propria perſona non contraxit debitum originalis peccati. Tandem expende illud vltimum verbum, *meo*, *in Deo ſalutari meo*, id eſt, ſpecialiter dicitur *meus*, quia ex meis viſceribus formatus. Vel, vt eleganter notat Caietanus, *meo*, poſſeſſionem ſignificat Saluatoris, tamquam rem propriam. Verè ergo meus eſt, ait Virgo, quoniam totum corpus eius mediante quo ſaluat mundum, meum eſt, nullámque in eo habet partem alia pura creatura. Deinde meum appellat, vniuerſale beneficium ſibi proprium, & peculiare faciens. Gratus animus ob magnitudinem charitatis ſuæ ad gratias agendas commune beneficium peculiare ſibi reputat. Ita D. Paulus ad Galatas 2. num.20. *Qui dilexit me, tradidit ſemetipſum pro me.* Quod eleganter in hunc ſenſum expendit ibi D. Chryſoſtomus : *Quid facis Paule, dum communia propria tibi vendicas.* Et notandum, vt egregiè ponderauit Hugo Victorinus lib.4. Elucidator. cap.1. *Non tacitè prætereundum quòd cùm Dominum nominaret, nil addidit; cùm verò Saluatorem diceret, non ſimpliciter ſaluatorem, ſed ſuum ſaluatorem nominauit.* Dum Dominum nominat, abſolutè ſine vllo addito dixit, *Magnificat anima mea Dominum.* At cùm ſaluatorem appellat, ſtatim *meum* apponit, quia peculiariter vt ſuum ſaluatorem eum agnoſcebat; nam mirabili modo ſuper omnes homines, eam à peccato originali redemit, ac liberauit, vt dixi *cap.* 3. *quæſt.* 3. *in fine.*

Abac.3.

Virgo ab omni peccato immunis.

Caiet.

Gratus animus pro communibus beneficijs.

Galat.2. Chryſoſt. Hugo.

Virgo peculiariter redempta.

QVÆSTIO III.

Quod diſcrimen ſit inter animam, & ſpiritum?

7. ORITVR quæſtio ex eo, quòd hîc dicatur anima Deum magnificare : Spiritus verò exultare. Eſt igitur prima ſententia, quòd anima ſumitur pro parte inferiori, quæ reſpicit ipſum corpus, illique omnes cum cæteris animantibus, communes miniſtrat functiones, verbi gratia, vegetare, & ſentire; ſpiritus verò ſumitur pro ſuperiori portione, qua homo Angeli aſſimilatur. Fauent huic ſententiæ D.Gregorius Nyſſenus *in Epiſtol.* 1. *ad Theſſalon. cap.* 5. D.Thomas *in Epiſtol, ad Hebræos, cap.*4. D.Auguſtinus *lib.*22.*de Geneſ. ad litteram, cap.*7. Hugo, & graues Recentiores, vt Toletus, Barradas. Et habet pro fundamento illud Apoſtoli ad Hebræos 4. num. 12. *Sermo Dei pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus.* Secunda ſententia tenet, quòd *anima* hîc accipitur, prout denotat ipſam animam ſecundùm ſuas potentias; & ideo dicitur hæc Deum magnificare, quia omnes illius operationes Deum glorificant; ſpiritus verò hîc pro voluntate ponitur; & quia lætari, & gaudere ad hanc ſpectat, ideo ſcienter dixit Virgo : *Exultauit ſpiritus meus.* Ita Ioannes Carthagena *lib.6.homil.*12.

Greg Nyſſ. D.Thom. Auguſt. Hebr.4.

8. Tertia ſententia mihi probabilior eſt, quòd hîc ſpiritus, & anima pro eodem ſumuntur. Ita D.Auguſtinus *in expoſitione huius Cantici.* D.Bonauentura, Titus Boſtrenſis *hîc*, Ianſenius, Maldonatus, & alij. Eſt enim valde ſolemne apud Hebræos, vt eadem res valde diuerſis variata verbis repetatur. Pſalm.2. num.4. *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Et num.3. *Dirumpamus vincula eorum, & proyçiamus à nobis iugum ipſorum.* Et notat D.Auguſtinus *lib.de origine animæ*, innumerabiles huiuſmodi locutiones inueniri in diuinis eloquiis. Deinde in aliis ſententiis eſt ſemper grauis difficultas, cur anima dicatur hîc magnificare, & ſpiritus exultare? Cùm Regius Vates Pſalm.34. n.9. dicat : *Anima mea exultabit in Domino; & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.*

Pſalm.2. Pſalm.34.

* * *

QVÆSTIO IV.

An priùs fuerit magnificatio, quàm exultatio?

9. Bonauent.

QVÆSTIO eſt, An Beatiſſima Virgo priùs Deum magnificauerit, & poſtea in illo exultauerit; vel è contra? D.Bonauentura exiſtimat, prius fuiſſe exultare; & ita ait S.Pater: *Quia enim ſpiritus interiùs exultauerat, ideo anima in voce magnificabat, & ideo exultationem de præterito, & magnificationem de præſenti ponit, quia exultatio eſt natura prior.* Quod confirmat ex Pſalm.39.n.17. *Exultent, & lætentur in te omnes quærentes te, dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.* Vult ergo S.Pater, quòd Beatiſſima Virgo priùs exultauerit ex Conceptione Chriſti, & poſtea voce magnificauerit. Oppoſitum verò tenent alij, quod mihi eſt probabilius; quia hîc licèt *anima*, & *ſpiritus* ſint idem, tamen ad intellectum pertinet magnificare, & ad voluntatem exultare. Ianſenius: *Bene*, ait, *prius dixit: Magnificat; deinde, exultauit: cùm enim magnificare pertineat ad intellectiuam vim; exultare verò ad voluntatem, & affectus iſte ex illo naſcitur.* Et ita ipſa priùs magnificauit Deum, & poſtea exultauit de tantis beneficiis. Deinde Beatiſſima Virgo omnia protulit ordine ſuo: & priùs dixit magnificare, & poſtea exultare: ergo ita euenit. Quod verò dicat, *Magnificat*, de præſenti, ex eo eſt: quia eius ſpiritus ſemper, & continuò erat in gratiarum actione.

Pſalm.39. Ianſenius.

Lucæ 1.n.48. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

VERSIONES.

Textus Græc. apud Ianſenium.	Quia reſpexit paruitatem ancillæ ſuæ. Ecce enim ex hoc nunc Beatam.
Arias.	Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.
Aliqui ex Hebræo.	Reſpexit annihilationem ancillæ ſuæ.
Syriacus.	Ecce enim ex hoc tempore beatitudinem mihi tribuent omnes generationes.
D. Hieron. in c.8.Iſaiæ.	Ecce enim amodo beatam.
Euthymius.	Ecce enim poſt hæc beatã.
Arabicus.	Ex hoc dabunt mihi beatitudinem omnes.

EXPOSITIO.

10. ANNECTIT cauſam ſuæ exultationis in Deo; *Quia reſpexit humilitatem.* An hîc intelligat virtutem humilitatis? Quæſtione ſeq. *Reſpexit*, ait, quod variis ſumitur modis. Primò dicitur Deus reſpicere, prout omnia cognoſcit, & nihil eum latet. Pſalm.11. num.6. *Humilia reſpicit in cælo, & in terra.* Secundò. Reſpicit, aliquod acceptando opus, *Reſpexit Dominus ad Abel*, Geneſ.4.num.5. Tertiò. Reſpicit, laborem remunerando. Quartò. Reſpicit, ab hoſtibus protegendo. Exod.2.num.25. *Reſpexit Deus filios Iſrael, & liberauit eos.* Quintò. Reſpicit, gratiam largiendo, ac ſanctificando. Pſalm.85.n.16. *Reſpice in me, & miſerere mei.* Sextò. Dum approbat Deus, dicitur, reſpicere. Habac.1.n.13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Et in hac ſignificatione illud hîc accipit D. Auguſtinus ſerm. de Aſſumpt. *Quid enim eſt, dicere: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, niſi approbauit.* Sed omnibus ex his modis bene poſſe Deum Virginem Beatam reſpicere, manifeſtum valde eſt. *Humilitatem*, ait, quia, vt teſtatur D. Dionyſius Carthuſianus, *Pro humilitate præcipuè meruit exaltari, per eamque præſertim diſpoſita eſt ad concipiendum vnigenitum Dei.* Et ideo ad hanc magis exprimendam aliqui legunt, *annihilationem*; quia ita erat humilis, vt pro nihilo ſe reputaret.

Pſalm.112. Geneſ.4. Exod 2. Pſalm.83. Habac.1. Auguſt. Carthuſ.

Ecce enim ex hoc, id eſt, ex hoc tempore, quo Deus me reſpexit. Tacitè hîc reſpondet Elizabeth, quæ ipſam beatam prædicauerat, quia *credidit*: at Beatiſſima Virgo, vt verè humilis, totam ſuam refert beatitudinem, non in ſuam fidem, nec in aliquem ſuum actum, ſed in Deum, qui ipſam reſpexit. *Omnes generationes*, id eſt, tam homines, quàm Angeli, vt explicat Hugo. Sub nomine generationis etiam Angeli comprehenduntur, iuxta illud: *Iſtæ ſunt generationes cæli:* vt ait D.Auguſtinus 1.*de Gen.ad litteram.* Secundò. *Generationes*, id eſt, omnes ætates. Ita Vatablus per omnium tempora Beatiſſima Virgo eſt glorificata. Tertiò. Omnes generationes credentium, ſiue hominum, ſiue mulierum. Quartò. Omnes generationes tam fidelium, quàm infidelium, omnes enim Beatiſſimam Virginem ſummis laudibus extollunt. Pro quo aliquot teſtimonia adducunt Lyranus, & doctiſſimus Ioannes Carthag. *lib.6.homil.17.* Beatiſſimam Virginem his verbis vaticinatam eſſe, & prophetaſſe, communis eſt ſententia Patrum, D.Baſilij, D.Hieronymi, D.Cyrilli, *in cap.8.Iſaiæ*, ad illa verba, *Et acceſſi ad Prophetiſſam*, &c. D. Auguſtini *lib.17. de ciuitate Dei, cap.vltim.* D. Ambroſij, Lyrani, Gloſſæ, *in caput primum Lucæ*, & aliorum communiter. 11.

Hugo. Auguſt. Vatabl. Baſilius. Hieron. Cyrillus. Auguſt. Ambroſ. Lyran.

QVÆSTIO V.

Quid nomine humilitatis *hîc intelligatur?*

EVTHYMIVS, Iſidorus, Clarus, Vatablus, Cardin. Ianſenius, & Caietanus, Noſter Beaulxames, Maldonatus, Barradas, Stella, & alij Recentiores tenent Beatiſſimam Virginem hoc loco non locutam fuiſſe de propria virtute humilitatis; ſed de ſua abiectione, paruitate, ac humili conditione: ac ſi diceret, Deus reſpexit ad exiguitatem, ſeu, vt explicat Vatablus, ad nihilitatem ancillæ ſuæ: quia ſe in nihilum appendebat. Vnde ait eleganter Caietanus: *Aduerte: in his B. Virginis verbis virtus humilitatis non ſignificatur* 12.

Euthym. Clarus. Vatablus. Ianſenius. Beaulxam. Maldon. Barradas. Stella. Caiet.

ficatur

ficatur voce, ſed exercetur opere; nam hoc eſt intimæ humilitatis actus, æſtimare ſe infimam, exiguam, & paruam. Probatur hæc ſententia primò. Quia in textu Græco pro *humilitate* habetur ταπεινωσιν, quod paruitatem, ac exiguitatem propriè ſignificat, vt teſtatur Ianſenius. Secundò. Quia alienum eſt à vera humilitate, ſe ipſum non ſolùm humilem agnoſcere, ſed etiam profiteri; ſola enim inter virtutes humilitas ſe ipſam ignorat. Tertiò. Valde alienum videtur à Beatiſſima Virgine, vt diceret, ſuis meritis tantùm ſe beneficium conſecutam, vt mater eſſet Dei: ergo hîc ſe indignam tanto beneficio declarat.

Vera humilitas opere oſtēditur.

13. Communis tamen ſanctorum Patrum ſententia eſt, quòd de virtute humilitatis hîc ſermo ſit. Ita D.Auguſtinus *in expoſitione huius Cantici*, & *ſerm.2. de Aſſumptione*, Origenes *homil.* 8.*in Lucam*, D. Bernardus *ſermone* 42. & 45. *in Cantic.* S.Hildephonſus *ſerm.1.de Aſſumptione*, D.Thomas 2.2.*quæſt.*161.*art.*1. D.Bonauentura *in ſpeculo B.Virgin. cap.*8. D. Dionyſius Carthuſianus, Beda, Hugo de S.Victore *hîc.* Ansbertus *in Apocal. lib.*2. ad illa verba: *Et Angelo Smyrnæ ſcribe.* Rupertus *lib.1.in Cantic.* Probatur primò. Quia noſtra Vulgata habet *humilitatem*; quæ vox propriè, & germanè ipſam virtutem ſignificat. Secundò. Beatiſſima Virgo hîc loquebatur inſtinctu Spiritus ſancti magna myſteria declarando: ergo explicauit ſuæ dignitatis radicem, quæ fuit ipſa humilitas. Fundamenta contraria facilè ſoluuntur. Nomẽ illud Græcum ταπείνωσις, non ſolùm ſignificat paruitatem, ſed etiam veram virtutem humilitatis. Et ita *Matth.11.n.29.* habetur in Græco, pro eo, quòd Chriſtus de ſe teſtatur: *Mitis ſum, & humilis corde.* & 1.Petri cap.5.n.5. & Iacobi c.4.n.6. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Nec ſecundùm, & tertium fundamentum obſtat; quia Beatiſſima Virgo hîc non loquebatur ex ſe, ſed vt mota ab Spiritu ſancto; ac proinde optimè ſtat cum humilitate eius, quòd ſuas virtutes, & magnalia publicaret; ſicut etiam ipſa de ſe teſtatur, eſſe prædicandum Beatam: *Quia fecit mihi magna*; & hoc pacto ſæpe iuſti ſuas teſtantur virtutes. Dauid 1. Reg.6.n.22. *Ero humilis in oculis meis.* Et Spõſa Cant.1.n.11. *Nardus mea*, id eſt, humilitas, *dedit odorem ſuum.*

Auguſt. Origenes. Bernard. Hildeph. D.Thom. Bonauent. Carthuſ. Beda. Hugo. Ansbert. Rupert. Matth.11. 1.Petri 5. Iacobi 4. 2.Reg.6. Cantic.1.

QVÆSTIO VI.

Quare B. Virgo hîc loquatur per tertiam perſonam?

14. QVÆSTIO eſt: Cur Beatiſſima Virgo, dum de ſua agit humilitate, de ſe per tertiam perſonam loquatur, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, dum verò de ſua beatitudine tractat, in propria perſona loquatur: *Beatam me dicent?* Reſpondeo, quòd modus agendi, ac loquẽdi debet eſſe ſtatui accommodatus, & proportionatus; dum ergo de ſua humilitate eſt ſermo, ancillam ſe vocat; at verò dum de ſua beatitudine agit, in propria perſona, tanquam vera Domina, ac mater Dei fatur; ſicut enim eſt proprium humilium ſe inter ſeruos computare, propter maximam humilitatem, ita eſt proprium dominorum, ſuæ excellentiam dignitatis pro viribus tueri, ac cuſtodire. Chriſtus dicebat de ſe Pſal.21.n.7. *Ego ſum vermis.* & Pſalm.2.n.6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Modò vermis, modò Rex: Quomodo hæc cohærent? Pro ratione temporis: in morte, ac paſſione ſe agnoſcit vermem; in dominandi poteſtate, ac beatitudine, Regem.

Accommodandum ſtatui. Pſalm.21. Pſalm.2.

Lucæ 1.n.49. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

VERSIONES.

Syriacus.	Quia egit apud me magnifica ille, qui potens eſt.
Alia exemplaria Græca apud Ianſenium.	Quia fecit apud me magnalia ille, qui potens eſt, cuius nomen ſanctum eſt.
Textus Hebraicus.	Quia fecit apud me mirabilia, ſeu miracula.
Vatablus.	Quia præſtitit mihi magnifica, qui potens eſt, & cuius nomen ſanctum eſt.
S.Paulin. epiſtola 3. ad Delphin.	Fecit nobis magna, qui potens eſt.
Aliqui ex Græco.	Et immaculatum nomen eius.

EXPOSITIO.

EXPLICAT cauſam, ob quam illam Beatam dicent omnes generationes: hoc enim indicat illa particula *quia*; vbi ex magna humilitate ſua, vt ait Theophylactus *in Catena aurea D.Thomæ*, demonſtrat Virgo, non per ſuam virtutem ſe beatam prædicandam: ſed cauſam aſſignat, dicens: *Quia fecit mihi magna.* Per *magna* autem hîc Patres cum D. Auguſtino in expoſitione iſtius Cantici intelligunt celebratum Incarnationis myſterium, quod ipſa, illibata virginitate, ex Spiritu ſancto Deum conciperet, & ideo magnum appellat; quia myſterium hoc ſuper omnia ineffabile eſt. Vel per *magna*, ſeu *magnalia*, ſeu *mirabilia* intelligit omnia dona gratiæ in ſe collocata. *Et hæc*, vt ait Caietanus, *tanquam inexplicabilia ſingillatim hoc vnico nomine cuncta comprehendit; Qui potens eſt.* Totum reuocat in Dei potentiam, vt ait Titus Boſtrenſis, vt magnalia tanta in ſe facta fide credantur; nam qui hæc operatus eſt, Omnipotens eſt. Et non expendit, vt ait D.Auguſtinus *in expoſitione huius Cantici*, quanta, aut qualis ſit hæc potentia, *Confeſſa eſt potentiam, diſcutere non præſumpſit, quia ſciri non conuenit, quanta eſt, quia infinita eſt.* Et dum Virgo de ſuis agit magnalibus, ſtatim recurrit ad potentiam Dei, quia hæc maximè in illis reſplendet, vt teſtatur D.Bernardus *ſermon. ſuper Salue Regina.* Vnde elegantiſſimè, & piè, ait Petrus Damianus ſerm.1. de natiuit. Mariæ. *Fecit*, inquit, *tibi magna, qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: & nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis releuare*; dum pro ſe Beatiſſima Virgo laudat Deum, ac ei grãtias agit, ad diuinam potentiam confugit, cui maximè erat obligata, 15.

Theoph. Auguſt. Caiet. *Magnalia Virgini inexplicabilia.* Boſtrenſis. Auguſt. Bernard. Damian. *Magna potentia Mariæ dum intercedit.*

O dum

dum eius precibus aliquali modo, vt ita dicam, communicabatur, vt pro quibus ipſa intercederet, ad portum ſalutis perduceret.

16. August. *Fecit mihi*, non in me, nec per me, vt ait Auguſtinus citatus; ſed *mihi*; *quod enim ad omnium ſalutem in ea factum eſt, hoc, priuilegio dilectionis, ad eius gloriam ſingulariter eſt ordinatum.* Sicut enim omnia, quæ Deus dixit, & fecit, ad eius gloriam referuntur; ſic omnia, quæ in noſtra reparatione lucent, in laudem Virginis cedunt. *Fecit mihi*, non nobis; nam illa lectio D. Paulini non habet fundamentum in aliquo textu, ſed fortaſſe dictum eſt per accommodationem, dum loqueretur ad fratres: *mihi*, ait, dum etiam de fructu Incarnationis, ac Redemptionis, loquitur.

Gratus animus beneficia communia reputat particularia. Cratus animus communia beneficia peculiaria reputat, vt ſe magis obligatum agnoſcat. *Et ſanctum nomen eius.* Verbum incarnatum vel Spiritum ſanctum innuit, vt iam dico *quæſtione ſeq.* Dur verò hîc non exprimat nomen Dei; vide infrà *num. 24. & ſeqq.*

Qvæstio VII.

Quid B. Virgo hîc intelligat per nomen ſanctum eius?

17. Ianſen. Variæ ſunt ſententiæ. Prima eſt Ianſenij diſiungentis hoc ab antecedenti ſententia: *Qui potens eſt*; & referentis hoc ad conſequentem, *& miſericordia eius.* Quaſi incipiat Virgo laudare Dei ſanctitatem, & miſericordiam. Hæc non videtur multum accommodata contextui. Virgo multa accepit à potente, & ſancto Deo, ſeu à Deo prout potens, & ſanctus eſt. Secundò. Alij per *nomen* accipiunt virtutem, ſeu facultatem ad aliquid efficiendum. Et ita locutus eſt Chriſtus Dominus Marci 9. num 37. (Marc. 9.) *In nomine meo dæmonia eijcient.* Dicúntque ſenſum eſſe, quòd virtus diuinæ Omnipotentiæ magna fecerit Beatiſſimæ Virgini. Tertiò. D. Auguſtinus, Hugo de S. Victore (August. Hugo.) per *nomen* intelligunt famam, & cognitionem Dei; ita vt ſenſus ſit; quia Deus fecerit magna Virgini, ideo eius fama, & cognitio eſt ſancta, & ab omnibus Sanctis veneratur. Quartò. Toletus, Barradas, (Tolet. Barrad.) & alij per *nomen ſanctum* intelligunt Spiritum ſanctum, qui nomine ſuo Sanctus dicitur: tanquam ſi referat Virgo ſermonem ad id, quod Angelus dixerat: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Qui potens eſt*, id eſt, virtus, ſeu potentia Altiſſimi obumbrauit mihi. Et ſanctum nomen eius, id eſt, Spiritus ſanctus in me ſuperuenit.

18. Bonauent. Verratus. Beaulx. Quintò. Mihi probabilior videtur expoſitio, quam tradunt D. Bonauentura, noſtri Verratus *lib. de Incarnatione, tom. 2. cap. 4.* & Beaulxames *hîc.* quòd per *nomen ſanctum* intelligitur Verbum Incarnatum; expreſsè enim vocatur nomen ab Iſaia 30. num. 27. (Iſai. 30.) *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Ac ſi dicat Virgo: Pater mihi fecit magna per filium, per quem fecit omnia. Et meritò hoc Verbum Incarnatum, ſeu nomen appellat ſanctum; nam, vt ait Beda, Sanctus idem eſt, ac ſeparatus, ſeu ſegregatus ab omni immunditia; Chriſtus autem Dominus dicitur à D. Paulo ſegregatus à peccatoribus. Euthymius, *Sanctum*, id eſt, magnum. Theophylactus, id eſt, impollutum, & incontaminatum. Auguſtinus, id eſt, venerabile, dici putant: (Euthym. Theophyl. Auguſt.) quia in Incarnatione maximè reſplenduit Verbi magnitudo, puritas, ac veneratio exhibita ab Angelis. Et ideo Beatiſſima Virgo priùs poſuit potentem, & poſteriùs ſanctum; (*Potētia cum ſanctitate.*) quia Pater eſt prior origine Filio. Et obiter nota, quòd meritò coniunxit potentiam cum ſanctitate, poteſtas enim ſine ſanctitate inutilis eſt, & vtraque difficiliter in hominibus reperitur, vt probat D. Ambroſius in Apologia Dauid, cap. 3. (Ambroſ.) *Lubricus locus eſt regnum, adeò, vt in eo collocatus ſanctus Dauid in adulterium lapſus ſit.* Ita ille.

Lucæ 1. n. 50. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

VERSIONES.

Syriacus.	Et miſericordia eius in ætates, & generationes ſuper omnes, qui timent ipſum.
Textus Hebraicus.	Et miſericordia eius in perpetuo, ſeu in æternum religiosè colentibus eum.
Vatablus.	Et miſericordia eius in progeniem, & progeniem.
Orig. hom. 8. in Lucam.	Timentibus eum fecit victoriam.

EXPOSITIO.

19. Hæc eſt ſecunda pars Cantici, in qua pro beneficiis populo collatis gratias exhibet Virgo: nam, vt ait Bernonius Abbas. (Bernonius.) *Non ſoli mihi, inquit Virgò, fecit magna, qui potens eſt: ſed etiam in omni gente, & progenie: qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Textus. *Et miſericordia eius*; per quam aliqui hîc intelligunt beneficia, quæ Deus liberali manu omni populo Iudæorum ac eorum parentibus contulit, à quibus Beatiſſima Virgo incipit gratias referre, & poſtea deuenit ad myſterium Incarnationis; *Fecit potentiam.* Tamen D. Auguſtinus in expoſitione Cantici. Titus Boſtrenſis, D. Bonauentura, Lyranus, Hugo (Auguſt. Boſtrenſis. Bonauent. Lyran. Hugo. Pſalm. 84.) *hîc* per *miſericordiam* intelligunt Verbum Incarnatum; hoc enim dicitur miſericordia, Pſalm. 84. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* Et hoc inde probabilius, quia de ipſo myſterio Incarnationis hîc tractabat Virgo: *A progenie in progenies.* Cardinalis Hugo (Hugo.) ita explicat, quòd hæc miſericordia Incarnationis ſe communicauit à progenie Iudæorum in progenies Gentium. Theophylactus, (Theophi.) *Conſequuntur miſericordiam in generationem, & generationem, id eſt, in præſenti ſæculo, & in æterno, nam hîc centuplum accipiunt, & illic longè ampliùs.* Tamen Origenes *homilia 8. in Lucam* Caietanus, (Origenes. Caiet.) & alij longè probabilius intelligunt hîc, quòd iſta miſericordia Incarnationis extendatur ad omnem ſucceſſionem generationum, ſiue præteritam, ſiue futuram, ſiue præſentem, ſiue Iudæorum, ſiue Gentilium; nam hæc miſericordia eſt veluti fluuius inundans, qui ad omnes

ſe extendit. *Timentibus eum*; non vni ſingulariter, ait hîc D. Auguſtinus, (Auguſt.) ſed omnibus timentibus eum. De hoc vide ſequentes quæſtiones.

Qvæstio VIII.

De quo timore hîc ſit ſermo:

20. D. Thom. *Quotuplex ſit timor.* Pro quo notandum ex D. Thom. 2. 2. *q. 19. in corpore*, quòd timor, vel eſt humanus, vel ſeruilis, vel initialis, vel filialis. Humanus, ſeu mundanus eſt propter mala temporalia. Seruilis, quando aliquis timet peccata ob pœnam eis annexam. Initialis, de quo dicitur: *Initium ſapientiæ timor Domini*, eſt, quando aliquis eſt in ſtatu incipientium; & ſimul timet culpam, & pœnam. Timor verò filialis, ſeu caſtus, eſt, quo aliquis timet culpam; quia eſt offenſa Dei. Hic autem timor filialis, eſt etiam reuerentialis, quo Beatus in omnibus ſe cognoſcit inferiorem diuinæ maieſtati, & non audet accedere. De quo vide Suarium (Suar.) *tom. 1. ad 3. part. diſput. 20. ſect. 2. §. Quocirca.* Hic autem timor, cùm ſit donum Spiritus ſancti, ſimul cum aliis illius donis infunditur iuſtis ſimultaneè cum gratia, & cæteris virtutum habitibus. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt. 67. per totam.* Richardus, & D. Bonauentura *in 3. diſt. 24.* Henriquius *quodlibet 64. quæſt. 23.* (D. Thom. Richard. Bonauent. Henriq.)

21. Ad noſtram quæſtionem. Dum Virgo ait, *Timentibus eum*, ſermonẽ eſſe de timore ſeruili exiſtimauit Hugo de S. Victore *in expoſitione huius Cantici.* (Hug de S. Victor. Carthuſ. Lyran. Caiet. Beaulxam.) At probabilius dicendum eſt cum Dionyſio Carthuſiano, Lyrano, Caietano, Noſtro Beaulxame, locum eſſe explicandum de timore filiali, qui eſt ex perfecta charitate; quia licèt miſericordia Dei, quoad ſufficientiam in omnes ſe diffundat; tamen quoad efficaciam, & conſummatam, ac finalem ſanctificationem, ad iuſtos ſe extendit, qui ipſum timore filiali timent. Et hac de cauſa Beatiſſima Virgo non dixit, *Miſericordia eius à progenie, in progeniem ſolùm*; cùm ſæpe omnes homines, & etiam non timentes Deum multos effectus diuinæ miſericordiæ ſentiant. Tamen limitauit quoad timentes, ſubintelligendo timorem filialem; hi enim non ſolùm quoad ſufficientiam, vt alij; ſed etiã quoad efficaciã fructũ miſericordiæ Incarnationis conſequũtur. Et hoc pacto etiã loquitur Regius Propheta Pſal. 102. n. 11. (Pſalm. 102.) *Miſericordia Domini ab æterno vſq; in æternum ſuper timentes eum.* Et Malach. cap. 4. n. 2. (Malach. 4.) *Orietur ſol iuſtitiæ vobis timẽtibus nomen meũ.*

Qvæstio IX.

Quare miſericordia hîc promittatur timentibus, & non credentibus, ſeu diligentibus?

22. Ianſen. Respondet primò Ianſenius: *Aptè dicit potius timentibus, quàm obedientibus ei, aut diligentibus eum: quia prius de Dei potentia, & ſanctitate cecinit, quibus reſpondet in nobis timor, & reuerentia Dei.* Secundò reſpondeo, quòd, cùm ex miſericordia Dei ſæpe aſſueſcant praui homines arripere anſam licentioſiùs viuendi; ideo ait Virgo, quòd miſericordia deriuabitur in timentes eum, illos nempe, qui ex ipſa benignitate ſumunt occaſionem non contemnendi, ſeu non offendendi, ſed potiùs timendi Deum, & hi fructus huius miſericordiæ Incarnationis percipient. (*Miſericordiæ non contemnentibus.*) Tertiò. Timor filialis, ac reuerentialis dicit, ac importat reuerentiam, ac venerationem erga Deum: (*Beneficia in venerantes.*) illi ergo, non qui inſoleſcunt, ſed qui tamquam grati filij diuina beneficia honorant, cultu, ac magna obſeruantia proſequuntur, hi illorum fructibus ditantur.

Qvæstio X.

Quare hîc dirigatur ſermo ad Dei potentiam, & ſanctitatem?

23. Cur, dum in hoc cantico de ſe loquitur Beatiſſima Virgo, ſermonem ſuum ad Dei potentiam, & ſanctitatem dirigit: *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius*; dum verò de nobis agit, ad miſericordiam recurrit; *& miſericordia eius*, &c. Reſpondeo quòd opera, quæ Deus in nobis exercuit, fuerunt ex ſumma miſericordia ſua, vt à noſtra nos ſubleuaret miſeria; hic eſt enim effectus miſericordiæ, vt ait D. Thomas (D. Thom.) *5 part. quæſt. 21. art. 3.* & vt nos Deo reconciliaret: at quæ in Virgine facta ſunt, à manu totius Omnipotentis Dei venerunt, vt quod ipſa, vt ait Titus (Titus.) Epiſcopus *in Catena D. Thomæ*, nutu Dei ſupra naturam, manens illibata Deum conciperet, & pareret. Et quòd ipſa ſuperans in gratia, ſanctitate, ac gloria omnem puram creaturam, ſiue humanam, ſiue Angelicam proximè ad Deum accederet, ſolùm infinita Dei ſanctitas valuit efficere. Vnde eleganter ait Diuus Cyprianus, (Cyprian.) quòd extitit Beatiſſimæ Virginis Mariæ partus, cumulus gratiæ omnium miraculorum, quæ vnquam omnipotentia diuina edidit, aut in omnem æternitatem edet, maximúmque, auguſtiſſimum, & ſacratiſſimum prodigium. (*In partu Virginis cumulus omnium miraculorũ.*) Quod argumentũ aliis ſanctorum Patrum teſtimoniis ſatis doctè proſequitur Benedictus Fernandes (Benedict.) *in Geneſ. c. 3. ſect. 36. n. 3.*

Lucæ 1. n. 51. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

VERSIONES.

Syriacus.	Fecit victoriam brachio ſuo: & diſſipauit ſuperbos mente cordis ipſorum.
Vatablus.	Exercuit potentiam brachio ſuo: diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum.
Pagninus & Arias.	Fecit robur in brachio ſuo
Textus Hebr. & Euth.	Præſtitit robur per brachium ſuum.
Aliqua Græca exemplaria	Fecit imperium brachio ſuo.
Arabicus.	Fecit virtutem in brachio ſuo.

EXPOSITIO.

24. Tolet. Maldon. Ambroſ. Euthym. Euſeb.

ALIQVI Recentiores, vt Toletus, & Maldonatus cum Euthymio, & Euſebio Emiſſeno, præſentem locum cum duobus ſequẽtibus carminibus intelligunt de mirabilib. factis populo Iſraëlitico, ac de egreſſu ab Ægypto; *brachium* enim Hebræorum idiomate potentiam ſignificat, *Pſal.* 10. *n.* 15. *&* 36. *n.* 17. *&* 43. *n.* 4. & reddit hunc ſenſum: Potenter manu ſua rem geſſit. Communis, & vera expoſitio per *brachium* intelligit Verbum Dei Incarnatum. Ita Gloſſa Interlinealis. D. Auguſtinus in expoſitione huius Cantici. *Ibidem* Bernonius Abbas, S. Paulinus *Epiſtola* 1. *ad Aprum*, S. Fulgentius *lib.* 3. *Thym.* D. Cyrillus *lib.* 8. *in Ioan. cap.* 6. Theophylactus, D. Bonauentura, Hugo, Caietanus, & alij multi *hîc*. Et valde frequenter in ſacris literis per *brachium* Dei, Verbum diuinum Incarnatum intelligitur. Pſalm. 70. num. 28. *Donec annuntiem brachium generationi omni, quæ ventura eſt.* Iſai. 40. n. 10. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur.* Ioannes Euangeliſta *cap.* 12. *n.* 38. in hoc ſenſu intelligit verba Iſaiæ, *Et brachium Domini, cui reuelatum eſt.* Et metaphora ſtat in multis; nam ſicut brachium procedit à corpore, ita Filius à Patre; & ſicut corpus per brachium operatur, ita Pater omnia per filium fecit. Deinde alia dicuntur opera manuum, digitorum, ſeu vnius digiti Dei. *Opera manuum tuarum ſunt cæli*, Pſalm. 101. num. 26. *Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum*, Pſalm. 8. n. 4. & de mirabilibus factis in Ægypto dicitur, *digitus Dei eſt hic*, Exod. 8. num. 19. At incarnatio cùm opus fuerit maioris negotij, integro Dei brachio opus fuit; & quòd de Incarnatione loquatur Virgo, inde fit manifeſtum, quia ipſa in hoc cantico tota huic myſterio erat intenta.

(Interlin. Auguſt. Bernonius. Paulin. Fulgent. Cyrillus. Theoph. Bonauent. Hugo. Caiet. Pſalm. 70. Iſai. 40. Pſalm. 101. Pſalm. 8. Exod. 8.)

25. Auth. Græc. Lyran. Anſelm. Caiet. D. Thom.

Fecit, ait. Author Græcus legit, *Faciet*, de futuro, more prophetico, qui de re futura tanta certitudine loquebantur, ac ſi res iam eſſet præterita. Ita Lyranus, D. Anſelmus apud Sixtum Senen. *lib.* 4. Vel *fecit*, legit Græcus de præterito, per ordinem ad ipſum myſterium iam factum in vtero Virginis; & iam radicaliter, vt ait Caietanus in ordine ad cætera facienda. *Potentiam*, quæ in multis reſplendet in Incarnatione; vt duæ naturæ diſtantiſſimæ; humana, & diuina, eſſent coniunctæ in eodem ſuppoſito. Quod fuit opus ſummæ potentiæ Dei; vt latè explicat D. Thomas *opuſcul.* 50. *artic.* 1. Et tandem in natura aſſumpta fecit potentiam, ſeu robur fortitudinis, & operis, & ſermonis, ac vniuerſalis dominij, & totius iuſtitiæ & gratiæ.

26. Auguſt. Bonauent. Hug. Vict. Auguſt. Theoph. Carthag. Bonauent. Carthuſ. Auth. Græc. Caiet. *Incarnatio opus omnipotentia.*

Diſperſit ſuperbos, ſeu *diſſipauit ſuperbos*; id eſt, dæmones. Ita D. Auguſtinus *in expoſitione huius Cantic.* D. Bonauentura, Hugo Victorinus. Vel intelligit Iudæos. Ita idem Auguſtinus, Theophylactus. Tamen Ioannes Carthagena *lib.* 6. *homil.* 22. de hæreticis eſſe ſermonem opinatur. Tandem per *ſuperbos* intelligunt peccatores huius ſæculi, D. Bonauentura, Carthuſianus, & Author Græcus *in Catena*. Hos enim omnes virtus, ac potentia Chriſti diſſipauit, ac de eis omnibus reportauit victoriam. *Superbos* ait, quia, vt inquit Caietanus, *cùm cætera vitia fugiant, ſola ſuperbia ſe opponit Deo, & propterea actio Ieſu Chriſti in totum genus perſeuerantium in iniquitate deſcribitur à capitibus eorum ſuperbis.* Textus, *Mente cordis ſui.* D. Auguſtin. in expoſitione Cantici Illud reciprocum *ſui* ad Deum refert, id eſt, alto conſilio ſuo illos diſſipauit. Sed obſtat lectio Græca, quæ habet *cordis ipſorum*. Communis ſenſus eſt, quòd iſtos peccatores tumentes diſſipauit à cogitationibus ſuis, dum diuerſum exitum habuerunt ab eo, quem ipſi putabant.

(Auguſt. *Superbia Deo reſtitit.*)

QVÆSTIO XI.

Quare Deus ſemel tantùm nominetur in hoc Cantico?

27. QVÆSTIO eſt: Cur Beatiſſima Virgo ſolùm in principio huius Cantici Deum nominauit, *In Deo ſalutari meo*; & in toto progreſſu vſque ad finem illum ſubticuit, & in vnoquoque carmine ſemper illum ſubintellexit; ſemel, & iterum. *Fecit mihi magna: Fecit potentiam in brachio ſuo*, id eſt, Deus fecit mihi magna, Deus fecit potentiam; cur ergo nomen Dei non exprimit ſacratiſſima Virgo? Reſpondetur primò, quòd in principio Deum nominauit, vt eſſet euidenter notum, quòd de illo loquebatur; in cæteris verò illum nominauit quadam figura oratoria, quæ maiorem habet gratiam, & ideò variis, & honorificis titulis eum deſcripſit. Secundò. In principio nominauit ob rationem datam; in reliquis omnibus nomen Dei non expreſſit, ſed ſubintellexit ob ſuam profundam humilitatem, & magnã erga nomen illud reuerentiam: quia ſe reputabat indignam, vt ipſum Dei nomen frequenter ore tractaret. Conſidera ex hoc, quanta puritas tibi ſit neceſſaria, qui ad Euchariſtiam accedis, vbi non Dei nomen, ſed ipſum realiter ore ſumis. Notat Genebrardus ad initium explanationis, *cap.* 1. *Cantic.* & Ludouicus Sotomaior *in præfatis pag.* 19. & Sherlogus *tom.* 1. *in Cantica, Antiloq.* 7. *ſect.* 6. *num.* 57. quòd in toto Canticorum libro nomen Dei non ponitur, & relicta eorum ſolutione, quod nomen Dei ibi veluti ſub hieroglyphico, v. g. ab nomine Regis, ſponſi, dilecti continetur, ſicut & Eccleſia ſub nomine columbæ, ac ſponſæ; dico tamen ad rem noſtram, quòd dilecta anima tantam puritatem, ac reuerentiam agnoſcebat in ſanctiſſimo Dei nomine, vt nec ore illud aſſumere, ac pronuntiare auderet; tu autem qui accedis non ſolùm ad nomen Dei dicendum, ſed etiam ad eius ſacratiſſimam carnem guſtandam, conſidera quanta præparatione, ac puritate, debes accedere.

(*Quanta reuerentia ad Euchariſtiã.* Genebr. Sotomaior. Sherlog. *Cur in Canticorum libro non ponitur nomen Dei.* *Quanta puritate accedendum eſt ad Euchariſtiam.*)

QVÆSTIO XII.

Quare in ſupplicio peccatorum fiat hîc mentio de potentia?

28. QVÆRITVR: Quare, dum eſt ſermo de miſericordia erga timentes Deum, ſuperiori verſu nulla fit mentio potentiæ, vel roboris; maximè verò, dum agitur de ſupplicio peccatorum in hoc carmine? Reſpondetur, quòd vt Chriſtus Dominus ſui timentibus diffundat diuitias miſericordiæ ſponte, ac naturali propenſione volat; ad peccatores autem diſpergendos, ac ſupplicio multandos, quodammodo inuitus pertrahit, itaut opus fuerit, vt æternus Pater brachio ſuo, id eſt, Filio ſuo potentiam, robur, ac vim inferret. Et ad hunc ſenſum videtur loqui Theophylactus. *Fecit igitur*, ait, *robur, & virtutem, ac potentiam contra naturam Deus in Filio ſuo, & diſperdit Dominus ſuperbos.* Expende illud, *contra naturam*; id eſt, opus contra ſuam inclinationem, ac voluntatem. Vt ſic ſupplicium inferendum appellatur ab Iſaia c. 28. n. 21. *Opus alienum ab eo, peregrinum opus ab eo.* D. Hieronymus in Gloſſa. *Opus proprium Dei eſt miſereri, parcere, condonare; non ſuum, ſed alienum eſt iraſci, punire.*

(*Deus propenſus ad miſericordiam, difficilis ad ſupplicium.* Theoph. Iſai. 28. Hieron.)

Lucæ 1. *n.* 52. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

VERSIONES.

Syriacus.	Deturbauit potentes de cathedris, & exaltauit humiles.
Vatablus.	Detraxit potentes de ſoliis, & euexit humiles.
Arias.	Detraxit potentes de thronis.
Beaulxam. ex Græco.	Depoſuit primores, ſeu magiſtratus de ſede.
Ianſenius ex Græco.	Et exaltauit viles.

EXPOSITIO.

29. ALIQVI, vt iam dixi ſuperiori expoſitione, intelligunt hoc de populo Iudaico, quem Deus eduxit de ergaſtulo Ægyptiorum. Alij hoc referunt ad Saulem, quem Deus detraxit de ſolio, & exaltauit humilem Dauidem Euthymius, & Beda exiſtimant, nullum hîc denotari tempus, ſiue præteritum, ſiue futurum, ſed tantùm ſignificari id, quod Deus facere poſſit, ac ſoleat. Et hoc modo loquitur Anna in Cantico ſuo 1. Reg. 2. n. 8. *Suſcitat de puluere egenum.* Sed, vt iam ſæpe dixi, Beatiſſima Virgo in hoc Cantico tota erat intenta myſterio incarnationis. Et ideo *Depoſuit* pro *deponet*, vt ait Interlinealis. Vel vide ſuperiorem expoſitionem. Per *potentes* D. Auguſtinus, Theophylactus, Author Græcus *in Catena* intelligunt Dæmones, qui ante Chriſti aduentum in mundo regnabant: durìſſimum ſupplicium erat, vt dæmones aſſueti imperio, à ſede deponerentur, & humiles ad illam ſubleuarentur. Vel etiam intelligunt Iudæos, & Phariſæos, qui lege, & Prophetis erant potentes, & ſedebant ſuper Cathedram Moyſis: vel etiam intelliguntur tyranni, qui opprimunt iuſtos. Per *humiles*, Apoſtolos, tamquam Principes orbis terrarum: vel Gentiles, quos per confeſſionem fidei ad dona gratiæ, & gloriæ ſublimauit.

(Euthym. Beda. 1. Reg. 2. Interlin. Auguſt. Theoph. Græcus. *Durum in ſedem, à qua cecidiſti, eligi inimicum.*)

Lucæ 1. *n.* 58. Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.

VERSIONES.

Græcus.	Famelicos ſaturauit.
Syriacus.	Eſurientes ſaturauit bonis.
Vatablus.	Et diuites ablegauit inanes.

EXPOSITIO.

30. EPISCOPVS Chriſtopolitanus per *diuites* Angelos ſubintelligit qui è cælo ceciderunt. Per *Eſurientes* Iuſtos, qui ad eorum ſedes ſubleuati ſunt. Toletus per *Eſurientes* intelligit Iudæos, dum per deſertum ambulabant, vt ait Regius Vates Pſal. 106. n. 5. *Eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit.* Per *diuites* verò idololatras, terrę pinguedine fluẽtes, à qua ſunt expulſi. Theophyl. per *Eſurientes* accipit Gentiles diuinæ legis, ac Scripturarum fame tabeſcentes, quos tamen Dominus repleuit bonis. Et per *diuites* Iudæos intelligit, diuina illuſtratione valde locupletes, quos tamen Dominus dimiſit vacuos. D. Dionyſ. Carthuſ. Titus Boſtrenſis, Hugo, per *Eſurientes* intelligunt Iuſtos, qui ſemper eſuriunt repleri ſpirituali dulcedine, ac diuinis bonis; imò per *Eſurientes* ſunt aliqui, qui intelligunt Iuſtos, dum norunt ſpiritualia bona in Euchariſtia incluſa eſurire. Vtraque expoſitio probabilis, ſed vnde famelici tanta pinguedine bonorum replebuntur? D. Greg. Thaumat. ſerm. 2. de Annuntiat *Humiles*, inquit, *qui ex gentium populis iuſtitiam exercebant, exaltati ſunt, & diuinæ cognitionis famẽ, qua detinebantur, oſtẽdentes, diuinum verbum, ſicut Chananæa micas, deprecabantur, & propterea diuinorum myſteriorum repleti ſunt diuitijs.* Quamuis gentes maxima fame laborarent, quia tamen ex humilitate, veluti mulier Chananæa, *Matth.* 15. *n.* 27. diuinæ cognitionis micas appetebant, ideo ex Dei præſentia in Incarnatione, magna pinguedine cæleſtium donorum imbutæ, ac repletæ ſunt.

(Chriſtop. Tolet. Pſalm. 116. Theoph. Carthuſ. Boſtrenſis. Hugo. Thaumat. *Humiles replentur bonis.*)

31. Per *diuites* verò ſuperbos intelligunt, qui cùm ſe exiſtiment locupletatos his bonis terrenis, neſciunt, ac non poſſunt deſiderare, & eſurire cæleſtia bona, & ideo repleri nequeũt. Ita ait D. Auguſt. in expoſitione huius Cantici, intelligendo per eſurientes humiles, per diuites verò ſuperbos. Et in Pſalm. 21. ita inquit, *Diuites non ſaturabuntur, quia non eſurient.* D. Paul. *epiſt.* 10. *ad Seuerum*, intelligit per *Eſurientes* pauperes voluntarios, qui ſponte relinquunt bona temporalia; per *diuites* verò, qui rebus tẽporalibus abundãt. Et hæc mihi videtur probabilior expoſitio. Maldon. verò per *Eſuriẽtes* intelligit quoſcumq; pauperes. Sed Beatiſſima Virgo loquebatur tantùm in ordine ſpirituali. *Repleuit bonis. Non dicitur*, ait Hugo, *quibus, vt intelligatur omnib. gratiæ, & gloriæ, ac ſpiritualis intelligentiæ.* Et diuites ablegauit inanes, quos vacuos dimittebat, à ſe exules, atq; diſtãtes expulſit.

(Auguſt. Paulin. Maldon. Hugo. *Bona cæleſtia inexplicabilia.*)

Lucæ 1. *n.* 54. Suſcepit Iſraël puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

VERSIONES.

Syriacus.	Adiuuit Iſraël ſeruũ ſuum.
Euthymius.	Auxiliatus eſt Iſraël puero ſuo, vt memor eſſet miſericordiæ.
Beaulxam. ex Græco.	Extenſa manu ſuſtinuit cadẽtem Iſraël puerũ ſuum.
Textus Hebraicus.	Vt oſtenderet ſe memorem promiſſionis ſuæ.

Caietan. Ian-ſen. Arias. Recordari miſericordiæ ſuæ.

Vatablus. Recordatione miſericordiæ ſuæ.

EXPOSITIO.

32. POSTQVAM ſanctiſſima Virgo
declarauit opera gratiæ, miſeri-
cordiæ, ac iuſtitiæ noui Teſta-
menti; veteris adimpletionem
ſubiungit conſummatam in hoc
Incarnationis myſterio. *Suſcepit Iſraël*, id eſt, au-
xiliatus eſt Deus, ſeu protexit; hanc enim vim
habet in ſua radice. Aliqui hîc per *Iſraël* intelli-
Theoph. gunt Gentiles, quibus fauet Theophylact. Iſraël
enim, id eſt, videns Deum; & in hoc ſenſu po-
pulus Chriſtianus dicitur Iſraëliticus, quia ocu-
lo fidei Deum videt. Sed cum hoc obſtant ſe-
quentia verba: *Sicut locutus eſt ad patres noſtros*;
vbi expreſsè ſermo dirigitur ad populum Iudai-
cum, vt tenent communiter Patres. Hugo ita ex-
Hugo. plicat hæc verba: *Suſcepit Iſraël*, id eſt, populus
Iudaicus ſuſcepit puerum ſuum Ieſum ſibi pro-
miſſum. Sed hoc obſtat cum communi expoſi-
tione, & cum germana radice, quæ Iſraël con-
iungit cum puero ſuo.

33. Communis ergo ſententia eſt, quòd Deus in-
duendo carnem humanam, de hoc enim myſte-
rio loquebatur Virgo, auxiliatus eſt ſeruo ſuo
Populus Iudaicus debilis in fide. Iſraël? Dicitur puer; quia erat valde debilis in
fide, vel rudis in myſteriis ſupernaturalibus. *Re-
cordatus miſericordiæ ſuæ*. Et quamuis in Deo pro-
priè nec ſit obliuio, nec recordatio; Scriptura
tamen loquitur more humano; quia dum homo
alimplet id, quod multo antea promiſerat, dici-
Bonauent. tur recordari. Et nota cum Diuo Bonauentura
hîc, quòd primò præmittitur promiſſionis im-
pletio quæ facta eſt, dum Deus incarnando ſuſ-
cepit Iſraël; & poſtea ſequenti carmine de pro-
Adimpletio antecedit promiſſionem Dei. miſſione eſt ſermo: *Sicut locutus eſt*, &c. Quia ex
diuina veritate tam coniunctum eſt vnum cum
altero, vt adimpletio operis antecedat quodam-
modo illius promiſſionem.

Lucæ 1.n.55. Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, & ſemini eius in ſæcula.

VERSIONES.

Syriacus. Sicut locutus eſt cum patribus noſtris cum Abrahamo, & ſemine eius in ſæculum.

Textus Hebraicus. Sicut promiſit patribus noſtris Abrahæ, & ſemini eius ad perpetuitatem.

Vatablus. Locutus eſt patribus noſtris Abrahæ, & ſemini eius in æuum.

EXPOSITIO.

34. DECLARAT recordationem miſericor-
diæ in eo, quòd adimpleuit de aduentu
Meſſiæ id quod multo antea locutus erat,
ſeu promiſerat Iudæorum parentibus Abraham,
Iſaac, Iacob, Dauid. Expreſſit autem Abraham,
quia ei primum Chriſtus promiſſus fuerat. *Et
ſemini eius*; loquitur de poſteritate non carnali,
ſed ſpirituali ſecundùm fidem Rom.9. n.8. *Non* Rom.9.
*qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſ-
ſionis, æſtimantur in ſemine*. Et hoc in ſæculum, ſeu
in perpetuum promiſit.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo hîc textus conſtruendus ſit?

CIRCA conſtructionem huius textus eſt 35.
tota difficultas, cùm dicat: *Sicut locutus eſt
ad patres noſtros*, & comutato caſu, addat: *Abra-* Salmer.
ham, & ſemini eius. Ideo Salmeron, & alij recen-
tiores connectunt hanc vltimam ſententiam cum
ſuperiori, & legunt: Recordatus miſericordiæ
ſuæ Abrahæ, & ſemini eius in ſæcula. Vt ait Sal-
meron, omnia verba tam Græca, quàm Latina, &
Hebraica præter conſuetum caſum permittunt
datiuum ad ſignificandam gloriam, vel vtilita-
tem. Pſalm. 97. n.3. *Recordatus miſericordiæ ſuæ,* Pſalm.97.
& veritatis ſuæ domui Iſraël. Ita hîc dicitur: Re-
cordatus miſericordiæ ſuæ ipſi Abrahamo, & eius
ſemini. Cùm hac expoſitione pugnat quòd om-
nia exemplaria Græca, Hebraica, Syriaca habent
in eodem caſu concordatos patres cum Abra-
ham, & ſemine eius.

Vnde dicendum puto, quòd ſæpe in Scriptu- 36.
ra ea, quæ pertinent ad eundem caſum, non po-
nuntur in illo, vt notant Hugo, & P. Franciſcus Hugo.
de Mendoça 1. *Reg. cap.9. verſ.20.* in expoſitione Mendoça.
num.3. vbi ait Samuël ad Saul: *Et cuius erunt opti-* 1. Reg.9.
*mà quæque Iſraël? nónne tibi, & omni domui patris
tui?* Vbi interrogatio, & reſponſio non cohærent
in eodem caſu; nam interrogatio fit per caſum
gignendi, *Cuius erunt*; & reſponſio per caſum
dandi, *nónne tibi*; quod præcipuè fit per caſum
dandi ratione vtilitatis; ac ſi dicat: Locutus eſt,
ſeu promiſit ad patres noſtros in commodum
Abrahæ, ac ſeminis eius.

Lucæ 1.n.56. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.

VERSIO.

Vatablus. Manſit autem Maria cum illa circiter menſes tres.

EXPOSITIO.

EXPLICATVR tempus, quo Bea- 37.
tiſſima Virgo cum Elizabeth com-
morata eſt. Ex quo liquet, quòd
partui Ioannis interfuit, vt docent
Origenes *hom.10.* D. Ambr. Gloſſa Origenes.
Interlin. & ordinaria ex Beda, Euthym. D. Bona- Ambroſ.
uent. *hîc*; nec enim ob aliam rationem tribus mē- Beda. Gloſſa.
ſibus manſit, niſi vt partus tempus expectaret: vt Euthym.
hoc pacto Ioannes eſſet exercitatus, conſecratus, Bonauent.
& inſignitus laurea totius ſanctitatis, & doctrinæ.
Ita loquitur Petr. Dam. ſer.23. *Tanto tempore*, ait, Damian.
*manet cum Elizabeth virginalis integritas, & nunc
dulciore*

*dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Ioannem
Ioannes edoctus à Virgine.* *puerum conſecrat, & inſignit*. Quod autem geſtum
ſit his tribus menſibus inter Mariam, & Eliza-
beth, tacent Euangeliſtæ. Ex quo Origen. *homil.9.*
Origenes. ſic ait: *Si enim eo quòd tantùm venit Maria ad
Elizabeth, & ſalutauit eam, exultauit infans in
gaudio, & Spiritu ſancto plena, prophetauit Eliza-
beth ea, quæ in Euangelio ſcripta ſunt, & vna hora
tantos profectus habuit: noſtræ coniecturæ relinqui-
tur, quid in tribus menſibus Ioannes profecit, aſſi-
Magnalia Ioannis inexplicabilia. ſtente Maria Elizabeth.* Et multa alia eleganter
proſequitur; quaſi ea, quæ ipſe puer per ſpatium
trium menſium comparauerit ex præſentia Bea-
tiſſimæ Virginis Mariæ, potius coniectura, quàm
verbis conſequenda, & explicanda.

QVÆSTIO XIV.

Quare celeritas huius itineris non explicetur?

38. DVM Beatiſſima Virgo tendit ad Elizabeth,
eius feſtinatio exprimitur: *abijt in montana
cum feſtinatione*; tacetur verò dum in domum
ſuam reuertitur; huius rei cauſa exquiritur. Re-
ſpondeo, quòd Beatiſſima Virgo tendit ad Eli-
zabeth, vt Ioannem ſanctificaret, ac cognatæ de-
bita præſtaret obſequia, reuertitur in domum
ſuam, vt quieti, ac ſolitæ contemplationi inſiſte-
ret: & iuſti, ac ſancti velociùs volant ad laborem,
ac vt aliis opem ferant, quàm ad quietem, ac vt
Pſalm.17. ſibi conſulant. Pſalm.17. num.11. *Inclinauit cælos,
& deſcendit, & aſcendit ſuper Cherubim.* Vbi eſt
ſermo de Incarnatione Verbi, & Aſcenſione
Chriſti Domini. Remigius, Bernonius Abbas,
Incognitus, *Inclinauit cælos*, id eſt, naturam An-
gelicam ſubiecit humanæ in Chriſto, & deſcen-
Chriſtus velocior ad noſtram ſalutē quàm ad ſuā requiem. dit. Sed quare, dum deſcendit, per ſe ipſum ſine
aliquo famulatu deſcendit; cùm verò aſcendit,
ſuper Cherubim aſcendit? Venit, vt in forma ſer-
ui nos redimeret ab omni peccato; aſcendit verò
in cælum, vt triumpharet, & ad dexteram Patris
ſederet. Dum ergo venit, vt nos à tanta miſeria
eximeret, nullius creaturæ moras ſuſtinet, ſed ve-
locitate ſua infinita fertur. Et ita ait D. Baſilius
Baſilius. in præſenti Pſalmo, *Manifeſtationem velocitatem
dixit*. Cùm verò aſcendit ad cæleſtem ſedem, mo-
roſiùs aſcendit, ac finitam Cherubim celeritatem
patitur.

CAP. VIII.

Naſcitur Præcurſor.

Lucæ 1.n.57. Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.

VERSIONES.

Syriacus, & Euthymius. Ipſi autem Elizabeth impletum eſt tempus.

Arias, & Chryſ. hom. de S. Ioan. Elizabeth impletum eſt tempus parere ipſam, & genuit filium.

EXPOSITIO.

AIT hîc D. Bonauentura, poſt gratia- 1.
rum actionem de conceptu Salua- Bonauent.
toris, deſcribitur hîc ortus Præcur-
ſoris; gratiarum actio de vno be-
neficio aliud parturire ſolet. Virgo
nomine totius naturæ humanæ Deo gratias ex-
hibuit pro Incarnationis myſterio, ideo Deus
hoc magnum donum, ſcilicet Baptiſtam naturæ
humanæ conceſſit, vt illuminaret his, qui in te-
nebris, & vmbra mortis ſedent. Et agitur hîc, vt
notat etiam idem D. Bonauentura, de ortu Præ- Idem.
curſoris, non verò de conceptione; hæc enim
non exprimitur in Scriptura, quonammodo, &
qualiter fuerit; quia conceptio in peccatis, ortus
in gratia. Vide ſuprà cap.5. quæſt.34. num.87. *Eli-
zabeth autem impletum eſt tempus*, nouem men-
ſium. Notat hîc Hugo Cardinalis, quòd *Eliza-* Hugo.
beth, idem eſt ac ſaturitas, ſeu abundantia; & eſt
in datiuo, quod clariùs habet Euthymius: *Ipſi* Euthym.
Elizabeth impletum eſt; quia cùm fuit tempus, vt
communicaretur abundantia Dei, natus eſt Ioan-
nes, vt pararet Domino plebem perfectam. *Pe-
peperit filium* maſculum, vt habet Caietanus: ſeu Caiet.
veronilem, vt alij explicant; quia *Conſummatus* Sap 4.
in breui expleuit tempora multa, Sapient.4.n.13.
Et vt videretur excellentia tanti pueri, qui na-
ſcebatur, enixa eſt illum Elizabeth minimo ferè
cum dolore, vt tradunt aliqui cum Salmeron Salmeron.
lib.3. tract.5.

QVÆSTIO I.

Quare dicatur: Impletum eſt tempus pariendi?

ALIQVI, vt refert Origen. *homil.9.* exiſti- 2.
marunt, hoc ſuperfluè dici: quæ enim Origenes.
mulier poteſt parere, niſi tempus pa-
riendi compleuerit? Senſus tamen litteralis eſt; *In Ioanne maxima miracula.*
quia Elizabeth, cùm eſſet anus, & infœcunda, mi-
raculosè conceperat, ne aliquis putaret, quòd pa-
riendi tempus miraculosè fuerit abbreuiatum:
ideo ait, *Impletum eſt tempus*, naturale, & ordina-
rium nouem menſium. Et meritò ſanè: nam adeò
frequenter, & vſitatè miracula in Ioanne appa-
rent, quòd, vt aliquid naturale in eo intelligatur,
neceſſarium ſit, Scripturam illud exprimere, &
declarare. Et hac de cauſa de natiuitate Chriſti,
hoc idem nobis enarrat Euangeliſta, *cap.2. num.7.* Luc 2.
Ideo diligenter nota, in tota Scriptura, tam in *Mirabilia Ioannis explicantur ad inſtar Chriſti.*
veteri, quàm in nouo Teſtamento, ſimilem mo-
dum loquendi non reperiri, niſi in ortu Chriſti,
& Ioannis, vt aliquo modo dicamus, quia Ioan-
nis magnalia non poſſunt explicari, ac declarari,
niſi per vmbram ac ſimilitudinem mirabilium
Chriſti. Fortaſſe hac de cauſa Textus Græcus non
habet, *Peperit filium*, ſed *Genuit*, qui modus lo-
quendi eſt proprius de Verbo diuino, quod di- Origenes.
citur genitum, non factum. Vide ſuprà, *cap.1.* Theophyl.
vide infrà *quæſt. 6.* de hac re latiùs Origenes ci- Beda.
tato loco, Theophylactus, Beda, & Boſtrenſis no- Boſtrenſis.

tant, quod de peccatoribus non dicitur in Scriptura, *Impletum eſt tempus*, quia illorum dies vacui ſunt, *Habui menſes vacuos*, Iob.7.num.3. Sed tantùm de Iuſtis, quorum dies pleni ſunt. Tandem dicitur, adimpletum eſt tempus pariendi, nam Ioannes ardenter, ac magno impetu conabatur exire ex ergaſtulo ventris, vt Chriſtum prædicaret, ac vt ſuum officium præcurſoris obiret, ita vt fuerit maximè memorandum, quòd Elizabeth ſpatium nouem menſium attigerit; & ita ait D.Chryſoſt.homil.3.de Præcurſore, apud Metaphraſt. infrà dandus: *Saliebat ſimul chorum ducens, & ægrè ferens, quòd teneretur in vtero: exclamabat aduersùs menſium conuerſionem, tanquam iniuſtam cuſtodiam, concutiebat matricem*, &c.

Iob 7. — Chryſoſt.

Qvæstio II.

Quare Ioannes non dicatur filius primogenitus?

3. NON dicitur: Elizabeth peperit filium ſuum primogenitum; ſicut de Beatiſſima Virgine narratur, dum Chriſtum edidit *Luc.2.num.8*. Cùm re vera Ioannes fuerit primogenitus, & vnigenitus Elizabeth. Reſpondeo primò, quòd ratio diſcriminis in eo eſt, quòd Virgo peperit Chriſtum eo modo, quo, illum concepit; concepit in gratia, peperit in gratia; ac proinde meritò eius filius nuncupatur. At Elizabeth non edidit Ioannem eo modo, quo illum concepit, concepit in peccatis, emiſit ex vtero in gratia; & ideo potiùs eſt filius gratiæ, cùm hæc ſit principua filiatio. Quod clarius nobis exprimit Textus Græcus, dum ita habet: *Genuit filium*; quia in gignendo habuit præcipuas vices matris. Chryſoſtomus *homil.2.de natiuit.Ioannis*, ita ait: *Cur autem Elizabeth peperit, & genuit? Quòd illud quidem eſt opus naturæ; hoc verò ſupra naturam, quandoquidem peperit quidem vt mulier, ſed ſuperuenit gratia ſancti Spiritus, & genuit ſupra naturam; erat quidem miraculum, quod fiebat in Ioanne, & non tantum habebat paterni generis, quantum Dei Verbi*. Vbi expende vltima verba, *non tantum habebat paterni generis, quantum Dei Verbi*; cùm denominatio, vt dicunt Philoſophi, ſumatur à principaliori; & cùm Ioannes plus habeat à gratia Dei, quam à paterno genere, ideo non primogenitus Elizabeth dicitur, cùm potius talis videatur dicendus à gratia Chriſti: nam primus homo, quem Chriſtus Dominus ad nos veniens, ac adhuc in vtero virginali exiſtens, ſanctificauit, atque à peccato mundauit, Ioannes, extitit (loquor poſt factam Incarnationem; nam antea omnis gratia Patribus, & Virgini data ex meritis Chriſti præuiſis proceſſit.) In hoc ergo ſenſu, ſcilicet poſt Incarnationem Ioannes dici poteſt filius primogenitus gratiæ Chriſti.

Luc.2. — *Ioannes filius gratiæ.*

4. Ad filium maiorem, ſeu primogenitum pertinet, quòd ſit primus in dicendo. Ideo Elizab, cùm eſſet frater maior inter cæteros, locutus eſt ad Dauid: *Quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto?* 1. Reg.17. num.28. Ioannes inter conſeruos eſt prima vox cæli. Apocal.4.num.1. *Poſt hæc vidi: Et ecce oſtium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri poſt hæc.* Petrus Damianus exiſtimat, quòd illa prima vox, eſt illa, quæ primò clamauit in deſerto pœnitentiam: & ita etiam in cælo primò auditur, & loquitur. Ita ait ſermon.1.de Baptiſta: *Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis: pœnitentiam agite, dicebat, appropinquauit enim regnum cælorum. Verbum pœnitentia dulce, & glorioſum: verbum regni cælorum lætum, & adorandum illi ſoli primario conueniens, qui primus noui Teſtamenti poſuit fundamenta. Hæc eſt illa vox de qua maximus contemplator cæleſtium viſionum ait. Et vox prima, quam audiui, tamquam citharædorum citharizantium in citharis ſuis.* Sicut Ioannes in terris fuit prima vox, & primarius inſtruens homines in pœnitentia, & in regno cælorum; ita & in cæleſtis patria primus auditur, & tanquam maior inter fratres adhuc ſuum retinet officium. Deinde ad maiorem fratrem pertinet alios ſuſtentare, & alere. *l. ſiquis à liberis, §. item reſcriptum. ff. de liberis agnoſcendis, & Authent. Licet, C. de naturalibus liberis*; hoc enim præſtitit Ioannes hominibus pabulo cæleſtis doctrinæ, & ita eleganter ait Andreas Hieroſolymitan. Orat. de decollat. Ioan. Baptiſtæ: *Habuit*, ait, *itaque actiones conuenientes ijs appellationibus Ioannes ille; quo non ſurrexerit maior inter natos mulierum*. Suo maioratui Ioannes habuit actiones conuenientes. Chryſologus *ſerm*.88. aliam aſſignat rationem. *Non eſt vnigenitus, qui eſt cunctorum creatus ad gaudium*. Non dicitur vnigenitus Elizabeth, quia non tantùm illi, ſed omnibus erat natus, ac pro omnium ſalute datus.

1.Reg.17. — Apoc 4. — Damian. *Ioannes prima vox in cælo.* — Andreas. *Vt maior Ioannes habuit actiones* Chryſol.

Lucæ 1.n 58. Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.

VERSIONES.

Syriacus.	Et audierunt vicini, filiíque cognationis eius Deum magnificaſſe gratiam ſuã erga eam.
Vatablus.	Magnificè declaraſſe Dominum miſericordiam ſuam erga illam.
Theophylact.	Quòd magnificè Dominus miſericordia ſua vſus eſſet erga illam.
Textus Græc.	Miſericordiam ſuam cum illa, & congaudebant ei.

EXPOSITIO.

AVDIERVNT *vicini, & cognati*, quòd Elizabeth talem, ac tantum partum ſuum in lucem ediderit, in quo Deus magna, ac magnifica miſericordia ergo illam vſus eſt. *Et congratulabantur ei*; non quando audierunt de conceptu, ſed quando agnoſcunt partum in lucem datum; quia tunc perfectum, ac conſummatum erat beneficium. Nullus inuidet, ſed lætantur omnes: quia tam nota, ac perſpicua erant eorum merita, vt omnes approbarent, ac laudarent. Eleganter hîc innuit aliam rationem 5.

Carthuſianus. *Et dilectione*, inquit, *qua eam, eiuſque maritum amabant, quia ſine querela inter illos conuerſabantur Zacharias, & Elizabeth; vnde ex ſua conuerſatione vniuerſis ſe exhibuerunt amabiles, propter quod eorum proſperitati congratulati ſunt vniuerſi*. Qui omnibus eſt amabilis, & nulli iniurioſus, omnes de eius bono, ac augmento gaudent.

Carthuſ. — *Qui nemini eſt iniurioſus, omnes de eius bono gaudent.*

Qvæstio III.

Quare dicatur: Audierunt vicini; *&* *non* viderunt?

6. RESPONDEO, quòd agebatur de Ioanne, cuius magnalia audiri poſſunt, non tamen videri: ſicut de rebus fidei ob ſui celſitudinem valde frequenter dicitur. Reuolue totum librum Apocalypſis Ioannis, & paſſim inuenies, quod ipſa diuina Aquila de ſe teſtatur. *Vidi quatuor animalia dicentia; Sanctus*, &c. Apocal.4.n.7. *Vidi virgintiquatuor ſeniores*, ibi n. 10. *Vidi quatuor Angelos*, c.7.n.1. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, & clamauit voce magna*, ibi.n.2. *Vidi turbam magnam*, ibi.n.9. *Vidi cælum apertum & exercitus, qui ſunt in cælo*, c.19. num.11. At vbi ſermo eſt de Ioanne Baptiſta iuxta Petrum Damianum datum ſuperiori quæſtione. *Vox prima, quam audiui, tanquam tubæ*, cap.4. num.1. Sed quare in aliis non ſolùm audiuntur, quæ voce proferuntur, ſed etiam eorum perſonæ, ac ſubiecta videntur Seniores, Angeli, animalia? Voluit diuina prouidentia his nobis ſignificare, in aliis eorum præclara facta, beatitudinem, coronas, ſedes, plenitudinem oculorum, locum in ortu Solis poſſe oculis percipi. At in Ioanne Baptiſta adeò ſupereminent hæc omnia, vt non videri, ſed ad plurimum ſecundùm efficaciam eius vocis, tanquam tubæ loquentis, valeant audiri.

Ioannis magnalia audiri, non videri poſſunt. — Apoc.4 & 7. & 19. — Apoc.4.

7. Dum Ioannes interrogatur à Phariſæis. *Quis es tu?* Ioann.1.num.21. De ſe nec affirmat, quòd ſit Propheta, nec quòd ſit Elias in officio, nec filius Zachariæ; ſed tantùm ait: *Ego vox clamantis*. Cætera vtpote perſonæ, viſu perceptibilia erant; vox tantùm auditu, & quæ ad Ioannem ſpectant audiri valent, videri verò minimè. Venit Regina Sabba, & videns ſapientiam Salomonis mitata eſt. 3. *Reg. cap.* 10. *num*.4. & 7 De Ioanne Baptiſta, dum prædicaret pœnitentiam in deſerto, dicitur Matthæi cap. 3. num.5. *Tunc exibant ad eum Hieroſolyma & omnis Iudæa*. Quod, vt explicant Diuus Pſachaſius, & alij Patres: *Vt audirent eum*. Sed cur de ſapientia, gubernatione, & excellentia Salomonis dicitur quòd inſpexerit eas Regina Sabba; de pœnitentia, auſteritate, & doctrina Ioannis aſſeritur, quòd ſit audita? In aliis magnalia videri poſſunt; in Ioanne verò ſolùm audiri.

Ioan.1. — Matth 3. — Paſchaſ.

Qvæstio IV.

Quare natiuitas Ioannis, miſericordia *appelletur?*

8. ORTVS Ioannis dicitur miſericordia, ſeu gratia: *Magnificauit Dominus miſericordiam*, ſeu *gratiam*, vt habet Syriacus, *cum illa*. Si ratione ſterilitatis parentum velis ſolutionem dare, non ſtat firma ratio; quia etiam Abrahamus erat ſenex & Sara iam infœcunda, *Geneſ.*18.*n*.11. & tamen de ortu Iſaac ſimile non reperitur ſcriptum. Reſpondeo igitur, quòd natiuitas Iſaac non dicitur gratia, vel miſericordia Abrahamo facta; quia propriis meritis illam conſecutus eſt, vt tradunt communiter Patres. D. Auguſtinus, Chryſoſtomus *citato cap*.17.& 18. At ortus Ioannis appellatur gratia, & miſericordia ſuis parentibus conceſſa; quia licèt eſſent iuſti, & incedentes in omnibus mandatis Domini, *Lucæ.c.*1. *num.* 6. tamen tantus, ac talis puer eorum meritorum ambitum maximè tranſcendit. Et ita ait D. Auguſtinus *in Appendice ſerm*.84. de decollatione Baptiſtæ. *Ioannes ſupra humanorum fuit menſuram meritorum*. De aduentu Chriſti Domini ait Apoſtolus ad Titum 2. num. 11. *Apparuit gratia Salutatoris noſtri Dei*. Et ea ratione dicitur gratia; quia ſub nullo merito potuit cadere Incarnatio, vt docent Theologi cum D. Thoma 3.*p.q.*2.*art*.11. Ioannis etiam natiuitas dicitur gratia; quia ſub nullo merito continebatur de facto.

Syriac. — Auguſt. Chryſoſt. *Ortus Ioannis ſub nullo merito.* — Luc.1. — Ad Tit.2. — D.Thom.

Sed quid mirum, quòd ortus Ioannis tanta reſplendeat excellentia cùm ordinaretur, vt teſtimonium perhiberet de lumine, & vt nobis eſſet lucerna ad Verbi Incarnationem credendam. Poſtquam Euangeliſta de generatione æterna tractauit, antequam deueniret ad Incarnationem Verbi, de Baptiſta intermittit ſermonem, *Fuit homo miſſus à Deo*, vt ait Origenes *tom*.5.*in Ioannem*. Vt abundans eſſet via ad credendum; quia ſi, propoſito myſterio Incarnationis, intellectus humanus dubitaret, cùm tamen cognoſceret, quòd Ioannes tanta gratia, ac ſanctitate inſignis, & tantis donis ſublimatus eſſet homo, inde aliquali coniectura poterat ſuſpicari, non eſſe impoſſibile Deum hominem fieri. 9.

Per Ioannem facilitatur Incarnationis myſteriũ. — Ioan 1. Origenes.

Qvæstio V.

Quare gratulatio fiebat Elizabeth, & non Zachariæ?

ET *congratulabantur ei*, ſcilicet Elizabeth, ait textus. Reſpondeo primò. Quia Zacharias erat mutus, gratulatio autem fit verbis. Sed quia ſignis etiam exhiberi potuit, ideo aliam rationem aſſignat. Toletus *annot*.136 Quia maior erat cauſa gratulandi Elizabeth, quæ præterquam quòd ſine filiis erat, quod malum commune erat cum Zacharia, ipſa ſola ſterilitatis opprobrium patiebatur; ob idque dictum eſt priùs, Dominum magnificaſſe miſericordiam ſuam cum illa. Tertiò reſpondeo Zacharias pœna multatus erat ob incredulitatem, ideo nulla ei fiebat gratulatio; tales enim nulliùs momenti reputantur apud homines huius ſæculi. Quartò. Merito Spiritu ſancto diſponente, tota gratulatio fiebat Elizabeth; ipſa enim non ſolum receperat filium, ſed etiam ex Ioannis exultatione iam gratia repleta erat. Vera exultatio non capitur ex bonis temporalibus, ſed præcipuè ex ſpiritualibus. Quintò. In Elizabeth diuina gratia radiabat, in Zacharia ſignum peccati taciturnitate ſeſe prodebat. Gratulatio ergo de natiuitate Ioannis 10.

Tolet. — *Pœna multatus à mundo contemnitur.* — *In Ioanne gratia apparet.*

nis fiat Elizabeth, tamquam parenti; nam non videtur ille partem aliquam in præcurſore habere, in quo nota peccati apparebat, ſed tantùm illa, in qua gratia eximio fulgore reſplendebar. August. D.Auguſtin.*in Appendice, de diuerſis ſerm.84.de decollatione Baptiſtæ*,ait. *Ioannes formam venturi Domini natiuitate, & conuerſatione ſignauit.* Chriſtus vt Deus in natiuitate, ac conuerſatione extitit alienus omnino ab omni inquinamento peccati; cùm autem Ioannes illius figuram in natiuitate adumbrauerit, conueniens erat, vt in ea eſſet alienus à peccato, quantum fas erat puro homini.

Lucæ 1.n.59. Et factum eſt in die octauo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.

VERSIONES.

Syriacus. Et venerunt circunciſuri puerulum.

Vatablus. Venerunt ad circuncidendum puellum.

EXPOSITIO.

11. TRANSACTIS ſeptem diebus, magno gaudio, & gratulatione, adueniente octaua die, venerunt miniſtri circunciſionis, & quia ratione propinquitatis debebant aſſiſtere. Circunciſio autem fiebat die octauo, *Geneſ.17. num.12. Leuitic.12.num.3.* (Geneſ.17. Leuit.12.) Cuius rei rationes reddunt hîc, & citatis locis interpretes. Nota tamen, quòd quamuis omnes eſſent tanto gaudio repleti ob Ioannis natiuitatem, non obliuiſcuntur tamen Domini præceptum. Et hoc loco conſtat, quòd circunciſio non fiebat in templo, ſed domi, cùm Elizabeth illi interfuerit ad imponendum nomen. *Et vocabant eum nomine patris ſui.* Tunc enim celebris erat conſuetudo apud Iudæos, vt filius nomine patris appellaretur: & nomen imponebatur die octauo, peracta circunciſione, vt deducitur ex textu; *Vt circunciderctur puer; & vocabant eum*, &c. vt notat Theophylactus. (Theoph. *Prius Dei ſignaculum, quàm temporale.*) Cuius rei hanc reddit rationem. Quia prius ſignaculum Domini ſuſcipiendum, quàm quidquid aliud temporale agendum. Et latè proſequitur Chryſoſtomus *homilia de laudibus Pauli.* (Chryſoſt.)

QVÆSTIO VI.

Quare circuncidatur Ioannes.

12. CIRCVNCISIO erat remedium contra peccatum originale, & Ioannes iam in vtero ſanctificatus erat, & ab originali purgatus. Ad quid ergo circunciditur? Reſpondet primò D.Dionyſius Carthuſianus, (Carthuſ.) quòd *circunciſus fuerit; non ob indigentiam remedij, ſed propter obſeruantiam præcepti. Item ne alij ſcandalizentur cauſa ſingularitatis; & quia fortaſſe per circunciſionem illam ita pœnalem ad gratiam diſponebatur maiorem.* (*Singularitas vitanda.*) Euſebius Gallicanus ſermone in natali S.Ioan.Baptiſtæ: (Gallican.) *Hac circunciſione, neque Chriſtus, neque Ioannes indigebat: circunciſi tamen ſunt, ne ſcandalum fieret, & vt legem adimplerent; Lex enim, & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Chriſtus, & Ioannes, quamuis non indigerent, circunciſi tamen ſunt ob rationes datas. Chriſtus non indiguit, vt ait D. Bernardus *ſermone de circunciſione*, (Bernard.) quia filius Dei, in quo peccatum non cadit. Ioannes verò, qui tanta gratia præuentus eſt, vt concutiens terminos naturæ (vt loquitur D. Maximus *ſermone de Sancto Baptiſta*) (Maxim.) ad ea, quæ ſunt Dei, proportionaretur. Ideo ait D.Ambroſius ſermon.1.de S.Baptiſta. (Ambroſ.) *Debuit præcurſor, & præuius Chriſti aliquid ſimile habere natiuitati Domini Saluatoris.* Et nulla maior gloria, ac magnificentia creaturæ concedi poteſt, quam quòd ſit conformis imagni filij Dei, vt notat idem Ambroſius explicans illud Pauli ad Roman.8.num.29. (Rom.8.) *Quos præſciuit, & prædiſtinauit conformes fieri imagini filij ſui.* Circunciditur ergo Ioannes, vt aſſimilaretur filio Dei, qui quamuis non indigeret circunciſione, circunciſus eſt, vt legem adimpleret.

13. (*Ioãnes Chriſto ſimilis.*) Debuit præcurſor Domini aliquid ſimile habere natiuitati Saluatoris; & ideo in vtriuſque natiuitate gaudium magnum in mundo, & celebritas in Eccleſia: imò, vt teſtatur Amalarius Fortunatus Epiſcopus *lib.3.de Eccleſ.offic.cap.38.* (Amalar.) in feſtiuitate Sancti Ioannis tres Miſſas celebrari in Eccleſia ſuo tempore. Imò debuit præcurſor in ſolemnitate, ac feſtiuitate aliquid ſimile habere Saluatoris, vt ait D. Auguſtinus *ſerm.10, de Sanctis*; (Auguſt.) ita enim Dominus ſeruos ſuos honorat, ac nobilitat. (*Ioannes dicitur iuſtitia.*) De Deo optimo maximo dicitur, non ſolùm in concreto, ſed etiam in abſtracto, quòd ſit veritas, miſericordia, & iuſtitia, vt iam notaui *cap.3.num.18.* De Ioanne etiam dicitur, quòd ſit iuſtitia, licet diuerſimodè ac de Deo dicatur. Ait Regius Vates Pſalm. 84. n. 14. (Pſalm 84.) *Iuſtitia ante eum ambulabit*; vbi ſub nomine iuſtitiæ Ioannem Baptiſtam intelligunt Agellius, Diodorus, Arnobius, Hugo, Lyranus Euthymius, Titelmanus. (Agell. Diodor. Arnob. Hugo. Lyran. Euthym. Titelm. Lorin.) Vnde ait Lorinus: *Tanta fuit Ioannis ſanctitas, vt abſtracta voce dici potuerit iuſtitia.*

14. (Hieron. *Ioannes primus prædicat regnum cælorum.*) Primus, qui prædicauit remiſſionem peccatorum, *Luc. 3. num. 3.* Et appropinquare regnum cælorum *Matth.3.num.2.* extitit Ioannes, vt notat D. Hieronymus in cap.3. Matth. *Primus*, ait, *Baptiſta Ioannes regnum cælorum prædicat, vt præcurſor Domini hoc priuilegio honoretur.* Similiter D.Bernardus ſermone de S.Baptiſta. (Bernard.) Voluit Deus ſuum Baptiſtam ita ſublimare, vt aliquo modo fieret particeps eorum, quæ ad ipſum Deum pertinent, licèt diuerſo modo. Hoc, quod eſt, apecire regnum cælorum, & remittere peccata peculiare eſt Dei. Conceditur hoc Chriſto, vt authori, & principali cauſæ: Ioanni verò, cùm non eſſet Deus, ſed homo, conceditur hoc, vt primo denuntianti, & promulgatori. Vide *lib.3. cap.2. num. 57.* Inſtituere Sacramenta, quæ conferant gratiam, ad ſolum Deum pertinet, vt docent Theologi cum D.Thoma *3. part quæſt. 64.art.1.* (S. Thom.) Et Chriſtus Dominus inſtituit omnia Sacramenta nouæ legis, vt definitum eſt in Tridentino *ſeſſ. 7. can. 1.* (Trid.ſeſſ.7.) Sacramentum autem Baptiſmi inſtitutum fuit quando Chriſtus in Iordane baptizatus eſt à Ioanne, vt docet idem D. Thomas *3. part.quæſt.66.ar.2.* Bellarminus *tom.3. lib. de Baptiſmo cap.5.* Caietanus, Capreolus apud Henriq. *lib.1.* (Bellarm. Caietan. Capreol.)

lib.1.cap.2.n.2. Suarius *tom.3.ad 3.p.diſp.19.ſect.2.* Vaſq. *3.part. diſp.140.cap.6.n.38.* (Vaſquius.) & communiter Theologi. Sed ſic eſt, quòd inſtituere Sacramenta ad ipſum Deum ſpectat; quomodo in hoc, quod eſt omnium Sacramentorum ianua interuenit Baptiſta? Ita Deus diſpoſuit, vt ipſum maximè extolleret, & magnificaret, vt Chriſtus eſſet primus inſtitutor, & auctor Sacramenti, Ioannes verò primus aſſiſtens, & coadiutor. (*Ioannes coadiutor in Sacramentis inſtituendis.*)

15. Penetrare cogitationes cordis hominum ſolius eſt Dei, 3. Regum 8. num.39. (3.Reg 8.) *Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum.* Hierem. 17. num. 9. (Hierem.17.) *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor.* Et de Chriſto Domino Matth.9.n.1. (Matth. 9. & 12.) *Cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum.* & cap.12.num.25. *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum.* Ex quibus locis ſic argumentatur D.Hieron.Hierem.17. (Hieron.) *Ieſus videt cogitationes, & nullus poteſt internas cogitationes videre, niſi ſolus Deus: ergo Chriſtus eſt Deus.* Atque etiam Ioanni, licèt non naturaliter, ſed ex diuina gratia conceſſum eſt inſpicere cogitationes cordium, (*Ioannes cognouit cogitationes cordium.*) vt docent D.Chryſoſt. *homil.11.in Matth.* Euthymius, Beda, ad cap.5.Luc.n.15. (Chryſoſt. Euthym. Beda.) *Exiſtimante autem populo, & cogitationibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Ioannes dicens omnibus*, &c. Ex quo conſtat, quòd ipſe ex Dei dono cognouiſſet cordium cogitationes, cùm ad illas reſpondiſſet. In tantum gratia Dei illum ſublimauit, vt in his, quæ ſunt propria Dei, aliquam participationem haberet, quantum fas eſt puræ creaturæ communicari.

Tertiò & vltimò. Circunciditur Chriſtus, vt contra aliquos hæreticos, vt dicam *lib.2.c.3.q.2.* demonſtraretur verus homo, & quòd vera humanitas ei inerat; circunciditur Ioannes, vt cunctis pateſiat, quòd non Deus, ſed homo ſit, (*Circunciditur Ioannes, vt non Deus, ſed homo credatur.*) *Vir erat in terra Hus nomine Iob*, cap.1.n.1. (Iob 1.) Cur ante omnia de Iob dicitur quòd erat vir? magnas, ac admirabiles virtutes de eo narraturus erat Spiritus ſanctus; ne ergo Iob crederetur Deus, præmonuit Spiritus ſanctus, vt vir, ſeu homo antea diceretur. Quod eleganter notauit D.Chryſoſt.homil.8.de Iob: (Chryſoſt.) *Quoniam*, ait, *vitam narraturus erat, noſtram vim ſupra modum vincentem, ne quis agonis ſublimitatem reſpiciens putaret, non humanam, ſed peregrinam eſſe naturam, deſcribit naturam, vt propoſitionem mireris, quòd homo exiſtens ſupra hominem viuendo conuerſatus ſit.* Ita infans Ioannes circunciditur, vt agnoſcamus naturam, & virtutem ſuper naturam admiremur.

Lucæ 1.n 60. Et reſpondens mater eius dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes.

VERSIONES.

Syriacus. Et reſpondit mater eius, ac dixit: Non ita, ſed.

Arabicus. Vocate eum Ioannem.

EXPOSITIO.

16. RESPONDET Elizabeth, vel quia interrogata fuit, vt eſt valde probabile; vel quia voces conſultantium audiuit: vel more Hebraico reſpondere dicitur, quamuis non eſſet interrogata: *Ioannes vocabitur:* hoc dicebat edocta ab Spiritu ſancto, vt ait D.Bonauentura: (Bonauent.) *Qui enim non virtute naturæ conceptus fuerat, ſed virtute gratiæ, non debebat vocari Zacharias à patre, ſed Ioannes à dono gratiæ, vt nouo modo natus, nouo nomine nuncuparetur.* In nomine paterno Zachariæ præfigurabatur natura; in nomine verò Ioannis, gratia; & quia in iſto puero præualuerat gratia; ideo Ioannes, & non Zacharias, vocandus eſt.

QVÆSTIO VII.

Vnde edocta fuerit Elizabeth de filij nomine?

17. CVM Zacharias eſſet mutus, nomen filij, quod ab Angelo in templo acceperat, nequiuit indicare vxori. Vnde ergo Elizabeth nomen filij conſecuta eſt? D.Dionyſius Carthuſianus (Carthuſ.) aſſerit, quòd Zacharias ſcripto indicare potuit vxori omnia, quæ cum illo geſta fuerant in templo. Aliqui apud Salmeron lib.3.tract.16. (Salmeron. *Virgo prophetizat Ioannis nomen.*) exiſtimant, quòd Virgo Maria in amplexu Elizabeth, filium illi naſciturum Ioannem vocandum declarauerit. Communiter tamen Patres, Origenes *homil.9.* D.Ambroſius, D.Bonauentura, Titus Boſtrenſis, Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij affirmant, (Origenes. Ambroſ. Bonauent. Boſtrenſis. Theoph. Euthym. Beda.) quòd ſicut Elizabeth Spiritu ſancto repleta cognouerit myſterium Incarnationis, ita etiam prophetica intelligentia agnouerit nomen filij, ac cætera omnia quæ in templo cum marito geſta erant.

18. Sed quare, dum de Ioannis nomine imponendo agitur, vicini, & cognati contendentes Zachariam appellandum, aberrant: Elizabeth, & Zacharias Ioannem affirmantes punctum veritatis attingunt? Illi ratione naturali ducebantur; iſti verò lumine Spiritus ſancti, & in rebus Ioannis, (*In rebus Ioãnis non naturaliter loquendum.*) vt articulus veritatis apprehendatur, non ratione naturali, ſed lumine ſupernaturali loquendum. Vnde ait D.Bernardus ſermone de priuilegiis Baptiſtæ: (Bernard.) *Quanta fuerit ſublimitas Ioannis, non eſt currentis linguæ volubilitate diſſerendum, ſed euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio.* Id eſt, diuinæ dignitatis eloquio. Qui enim de Ioanne voluerunt ſentire, non diuinam gratiam, ſed rationem naturalem ſequentes, à veritate deflexere. Ideo populus exiſtimauit, Ioannem eſſe Chriſtum, *Luc.cap.3.num.15.* (Luc.3.) Et Herodes Chriſtum eſſe Ioannem. *Marc.6.num.1.* (Marc.8.) Et hac de cauſa diſcipulos ſuos miſit Ioannes ad Chriſtum, vt interrogarent; *Tu quis es?* Matth.11. num.2. (Matth.11.) Vt affectum, ac rationem naturalem deponentes, diuina gratia illuſtrati verum de ipſo Ioanne ſentirent. D. Paſchaſius: (Paſchaſ.) *Interrogationem mittens Ioannes per eoſdem, quos obcæcauerat liuor inuidiæ, vt amplior intelligentia, & efficacia maior ſentiretur in eodem facto expreſſa, quatenus ipſe Propheta in hoc conditionis ſuæ genere prophetaret, & diſcipulorum ſuorum, ac ſi prouidus magiſter, ſanaret vecordiam.*

* * *

QVÆSTIO

Qvæstio VIII.

Quare diuerſitas tanta in imponendo nomine puero?

19. Qvidam affirmabant, Zachariam appellandum. Thriplex fuit Zacharias, vnus filius Ioiadæ Sacerdotis, qui martyrio vitam finiuit: alter Propheta, cuius ſcripta commẽdãtur, alter Sacerdos, de quo hîc eſt ſermo: fortaſſe has omnes excellentias iſti in hoc puero intuebantur. E contra verò parentes Ioannem nominandum aſſerebant. Quare tanta diuerſitas? Quia licèt puer vnus, inſtar tamen multorum erat; cur Deum præmiſit ante faciem ſuam Ioannem, vt Angelum. Malach. 3. num. 1. Reſpondet D. Chryſologus ſermone 89. *Cum Chriſtus*, ait, *Deus naſceretur in carne, Ioannes Angelus eſt generatus in terris, vt in terra Deo Angelus, Domino cæleſtis ordo obſequij non deeſſet.* Præceſſit Ioannes vt Angelus, vt Chriſto in terris miniſterium exhibeatur, quod Angeli dant in cælo. Sed in cælo ſubminiſtrant millia millium Angelorum in nouem choros diſtributa: quomodo ergo vnus ſolus Ioannes ad tantum obſequium in terris deſtinatur? Meritò ſanè, quia id, quod millia millium cæleſtium ſpirituum præſtant, vnus ſolus Ioannes adimplere valet, & ita ait D. Bernardus ſermone de priuilegiis Baptiſtæ: *Ioannes nouem ordinibus Angelorum inſertus eſt, vt etiam ad Seraphim apicem tranferatur.* Ad magnum excellentiarum cacumen peruolauit Ioannes, ita vt Angelus dixerit de eo, *Erit magnus coram Domino*, Lucæ 1. n. 13. Seu, vt legit Varablus ex Hebræo in ſcholis, *Erit maximus*; vt dixit cap. 4.

Malach. 3.
Chryſolog.
Ioannes inſtar millia millinm Angelorum.
Bernard.
Luc. 1.
Vatablus.

20. Venit Ioannes Baptiſta, vt teſtimoninm perhibere de Chriſto Domino; &, vt ait Guerricus Abbas, ſermone. 1. de Baptiſta: *Primus vniuerſam Eccleſiam catechizat* Moritur Ioannes, eliguntur duodecim Apoſtoli, & ſeptuaginta duo Diſcipuli, vt de Chriſto Domino teſtificarent: modò vnus ſufficiebat, & iam tot requiruntur? Vnus erat Baptiſta, & ipſe pro multis: vt ergo eius locum teneant, non vnus, ſed multi requiruntur. Ex quo infert ipſe Guerricus Abbas, quàm ſolemniter ipſa Eccleſia illum venerari debet. nam Apoſtoli miſſi ſunt ad varias Orbis partes; vnus ad Indiam, alius ad Aſiam, alius ad Africam, alius ad Romam, alius ad Hiſpaniam: at Ioannes venit, *vt omnes crederent per illum*, ac vt vniuerſam Eccleſiam catechizaret. In huius rei confirmationem accipe præclara verba Diui Chryſoſt, apud Photium *pag. 1523. fragmentis homiliarum Baptiſtæ decollatione*, ſic ait. *Ioannem prædicabo, & eius ſapientiam omnibus vobis notam faciam: Ioannem qui diuiſit cum Patre prædicationem vnigeniti; etenim ille: Hic eſt filius meus dilectus, deſuper è cælo teſtatus eſt; hîc verò infrà in terra: Ecce agnus Dei, qui tollis peccata mundi: & Pater per columbam dilectum filium ſuum oſtendit; ille digito oſtendit mundi redemptorem.* Pondera illa verba, *Ioannem, qui diuiſit cum Patre prædicationem.* Varia munera diuiduntur inter homines, & vnus homo comparem habet alium in ſuo officio; Petrus creatur Apoſtolus, alij etiam Andreas, Philippus Apoſtoli nuncupantur. Matthæus electus eſt Euangeliſta, alij etiam in hoc conſortes ſunt; at Ioannes tam ſublimis eſt, vt in ſuo munere Chriſtum in mundo degentem annuntiandi, ac prædicandi, cum nullo alio habeat diuiniſionem, niſi cum æterno Parente. Et preme verba ſancti Doctoris, *Ipſe diuiſit cum Patre.*

Guerricus.
Eccleſia maximè Ioanni adſtricta.
Chryſoſt.
Ioannes munus prædicãdi diuiſit eſt æterno Parente.

Lucæ 1. n. 61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine

Versiones.

Syriacus. Et dicunt ei: Nemo eſt in proſapia tua, qui vocetur hoc nomine.

Expoſitio.

21. Nova declinantes perſiſtunt in antiquo more, vt puer nomine patris nuncupetur. Et ad hoc dicunt, quòd *nullus eſt in cognatione ſua, qui vocetur nomine Ioannis*; ſed meritò ob hanc rationem Ioannes eſt dicendus: nam, vt ait hîc Simon Caſſianus, *Hic puer adoptione gratiæ totus a carnalibus expeditus, & in carnalibuus exiſtens, nomen à cæleſtibus accipit: Ioannes, vt ait Ambroſius, nomen eſt vatis, non naturæ.* Pater Didacus Stella teſtatur hîc quòd quamuis in eius proſapia nullus eſſet qui vocaretur nomine Ioannis; tamen multi eius cognati, vt parentes D. Ioannis Euangeliſtæ, tantam miraculorum magnitudinem venerantes, filium ſuum Ioannem appellarunt ob deuotionem, quam erga Baptiſtam habebant.

Caſſian.
Stella.
Euangeliſta dictus Ioannes ob Baptiſtam.

Qvæstio IX.

Quónam modo dicatur, quòd nullus ſit in cognatione eius dictus Ioannes?

22. Dicvnt, quòd non ſit in cognatione eius, ſeu proſapia, *qui vocetur nomine Ioannis*; cùm inter eius maiores plures extiterint, qui hoc nomine Ioannis ſint appellati, vt illi qui erant ex Sacerdotali tribu, vt pater ex libris Machab. 1. *c. 2. num. 1. & 2. cap. 16. num. 1. 2. & 9.* Quomodo ergo ſtat, quòd nullns ſit dictus Ioannes? Reſpondet noſter Beaulxames, hoc eſſe intelligendum de præſentibus, & ſuperſtitibus; & ideo dixerunt: Nemo eſt, qui vocetur; non autem, qui vocatus ſit. Secundò reſpondeo. Quia tot mirabilia apparebant in puero nato, vt ad illius præſentiam omnia maiorum facta, ac nomina obliuioni traderentur; & ſolùm ante oculos obuerſaretur Zacharias, ideſt, memoria Dei, ſeu mirabilium eius. Ad præſentiam Ioannis omnia vetera obliuiſcuntur; & ſolùm ad potentiam Dei recurrendum. Et meritò. In Ioannis præſentia omnia alia obliuiſcuntur, & ſolum mirabilia Dei ſunt ante oculos, nam in ipſo ita gratia Dei reſplenduit, vt inter natos mulierum *non ſurrexerit maior Ioanne Baptiſta.* Matth. 11. num. 11. & ſi non eſt maior illo, profectò ipſe omnibus hominibus maior eſt, excepto Chriſto, qui vnigenitus eſt Dei filius; quòd idem dicendum eſt de Sanctiſſima eius matre. Quod eleganter notauit Chryſoſtomus *in Imperfecto homil. 26.* ponderans illa verba, *Inter natos mulierum*, ſic ait. *Ex quo intelligimus, quoniam qui maiorem non ſe habet, omnibus maior eſt; hoc denique ſequens ſermo demonſtrat, dicens: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. Quis autem eſt minor, & maior? Chriſtus videlicet minor in corpore, maior in ſpiritu. Vide ergo, quia omnibus ſanctis eſt maior, cui ſolus Chriſtus eſt prior.* Vide infrà *quæſt. 20. num. 27.* hîc conuenientem quæſtionem.

Beaulxam.
Ad præſentiam Ioannis, omnia obliuiſcuntur.
Matth. 11.

Solus Deus maior Ioanne.
Chryſoſt.

Lucæ 1. n. 62. Innuebant patri eius, quem vellet vocari eum.

Versiones.

Syriacus. Patri eius, quomodo vellet ei nomen imponi.

Vatablus. Quo nomine vocari eum.

Expoſitio.

23. Interrogabant eum nutibus, & ſignis. Ex quo bene colligunt, D. Dionyſius Carthuſianus, Hugo, & alij, quòd Zacharias non ſolùm mutus erat, ſed etiam ſurdus: nam ſi audiſſet, eum verbis interrogaſſent, & ita communiter legitur Luc. 1. num. 20. *Eris mutus, & ſurdus.*

Carthuſ.
Hugo.

Lucæ 1. n. 63. Et poſtulãs pugillarem, ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt vniuerſi.

Versiones.

Syriacus. Petiitque codicillos, & ſcripſit, inquiens: Iouchanon eſt nomen eius, & miratus eſt vnuſquiſque.

Theophylact. Euthymius. Iſque poſtulatis tabellis ſcripſit, dicens.

Arias, & Vatablus. Poſtulata tabella ſcripſit.

D. Ambroſius hîc. Et accepit pugillarem, & ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius: & mirati ſunt omnes.

Expoſitio.

24. Nvtibvs etiam, vt ait Euthymius poſtulauit pugillarem, id eſt, tabulas ligneas, vel cereas, quæ pugno tenebantur ad ſcribendum, & literis exarauit; non Ioannes vocandus eſt, ſed Ioannes eſt nomen eius, ſignificans, iam ei nomen eſſe impoſitum. Vnde D. Ambroſius. *Hoc eſt*, ait, *non nos ei nomen imponimus, qui iam à Deo nomen accepit.* Ex quo nota, quòd non amicorum conſilia, ſed Dei mandata exequenda ſunt. *Admirati ſunt vniuerſi.* Primò propter nominis nouitatem; quia nemo erat in cognatione eius. Secundò propter conuenientiam, quam Zacharias habebat cum Elizabeth; cùm tamen ipſe, vt ſurdus, non poſſet audire. Tertiò. Quia in modo ſcribendi ſignificauit, ei nomen eſſe impoſitum à Deo, vt notat Euthymius. Pro explicatione huius loci, vide ſuprà *cap. 4. quæſt. 29. num. 68.* notatu digna.

Euthym.
Ambroſ.
Euthym.

Qvæstio X.

Quare Zacharias ſcripſit: Ioannes eſt nomen eius?

25. Respondeo primò. Vt nomen pueri indicaret, ſicut ei intimatum fuerat ab Angelo, verè obediens omnia impedimenta vincit, vt Dei mandatum exequatur. Seu cùm in voluntate hominis datur efficax reſolutio, omnia rumpuntur obſtacula. Tertull. lib. de Idololatria, c. 23. *Zacharias*, ait, *temporali vocis orbatione multatus cum animo collocutus linguam irritam tranſit, manibus ſuis à corde dictat, & nomen filij ſine ore pronuntiat, loquitur in ſtylo, auditur in cera, manus omni ſono clarior, litera omni ore vocalior.*

Obediens, vel efficax voluntas omnia vincit.
Tertull.

26. Secundò. D. Bonauentura hîc: *Rectè*, ait, *dicitur ſcriptum Ioannis nomen, propter firmitatem indelebilem, vt oſtendatur nomen eius ſcriptum in libro vitæ.* Alij multi vocati ſunt hoc nomine Ioannis, quod ſignificat gratiam: quia in illis non perſeuerauit, ſed amiſſa eſt. At in noſtro puero rectè Ioannis nomen ſcribitur; quia in illo gratia habuit firmitatem, & ſtabilitatem: quod enim ſcribitur, valde durans, & indelebile eſt. Oſtendit Deus Nabuchodonoſori in viſione, & in ſomniis ſupplicium quod per ſeptem annos ei erat inferendum. Daniel. 4. Manifeſtauit Baltaſſari ſupplicium etiam, quo erat multandus, tunc ait textus Daniel. 5. n. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum*, &c. Sed quare pœna Nabuchodonoſoris manifeſtatur in viſione; Baltaſſaris verò in Scriptura; Gloſſa ad cit. c. 5. Danielis. *Fertur ſententia contra peccatores in Scripturis, vt firmior oſtendatur.* Suppliciũ Nabuchodonoſoris erat perſonale, & ad certum tempus, nempe ad ſeptennium, & ideo in viſione apparet; ſupplicium autem Baltaſſaris perpetuum, & firmum per omne tempus; in illo enim terminabatur regnum, vita, & progenies, & ideo Scripturæ traditur: quod enim ſcribitur, firmum, & ſtabile eſt. Ait Regius Vates: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, Pſ. 44. n. D. Auguſt. ibi: *Quæro*, inquit, *quare linguam ſuam, dixit, calamũ eſſe ſcribæ? Quia, quod lingua dicitur, ſonat, & tranſit; quod ſcribitur, manet. Cùm ergo dicat Deus verbum, & verbum, quod dicitur non ſonet, & tranſeat; ſed dicatur, & maneat: ſcriptis hoc maluit Deus comparare, quàm ſonis.* Vt oſtenderet ſtabilitatem ſuæ prophetiæ, inquit, quod eius lingua efformabat, non tam vocem, quàm ſcripturam.

Bonauent.
In Ioanne gratia ſtabilis.
Daniel. 5.
Gloſſa.
Quod ſcribitur valde firmum.
Pſalm. 44.
Auguſt.

27. Tertiò. Nomen Ioannis non pronuntiatur lingua Zachariæ, ſed ſcribitur eius manu; lingua adhuc erat immunda ob incredulitatem, qua fidem Angelo non dedit, *Luc. 1. n. 18.* (licèt poſtea purificata ſit, dum Deum benedixit, vt infrà dicam:) at verò manus erat purificata, & ſine ſorde, qua incenſum offerebat; & nomen Ioannis adeò ſanctum, & excellens eſt, vt non lingua inquinata, ſed manu pura poſſit capi. Huc reſpicit

Tertull. Tertullianus lib.de Idololatria,cap.23. *Temporali vocis orbatione multatus.* ſcilicet Zacharias, *cum animo collocutus linguam irritam tranſit: manibus ſuis à corde dictat,& nomen filij ſine ore pronuntiat.* Non ore mundo, ſed manibus puris, corde dictante tantùm nomen profertur. Conſidera, quis nomen Ioannis ore pronuntiat. Angelus in templo, dum Zachariæ apparet *Luc.* 1. *num.* 13. Et Elizabeth repleta Spiritu ſancto, dum de nomine puero imponendo agitur: *Nequaquam, ſed Ioannes vocabitur.* Et dum vicini, & cognati replicant, ne ita puer appelletur, dicunt: *Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Quare non dicunt: Nemo eſt, qui vocetur Ioannes, ſed illud ſubtacent? Meritò ſanè; nam Ioannis nomen ſolum ab ore incontaminato, vt Angeli, & Elizabeth, non verò à lingua fœdata, vt vicinorum, poterat pronuntiari, Sanctiſſimum IESVS nomen diuina diſpoſitione non pronuntiat ore Pilatus, ſed manu ſcribit, *Ioann.* 19. *num.* 19. Nam quamuis ipſe totus ſortibus, & nequitia putridus; manus tamen lota erat, quo iuxta Romanorum morem manus pura oſtendebatur, vt notant D. Hieronymus, D. Paſchaſius *ad cap.* 27. *Matth.* non ergo lingua immunda, ſed manu lota tantum nomen profert.

Manu ſolum & ore puro Ioannis nomen profertur.

Hieron. Paſchaſ.

QVÆSTIO XI.

Quare hic puer Ioannes appellatus ſit?

28. Beda. RESPONDEO primò. Quia, vt ait Beda hîc, *Ioannis celebrata natiuitas gratia noui Teſtamenti inchoata eſt.* Ipſe extitit principium legis gratiæ, quia *à diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur*, Matth. 11. num. 12. Ideo ipſe nouo nomine fuit nuncupandus, quia in illo noua lex, noua gratia, nouus viuendi modus incipiebat in mundo. Pro quo videndus hîc D. Bonauentura. Secundò. Ioannes, id eſt, gratia Dei, quæ tanta illi facta eſt, vt dicat D. Proſper lib. 2. de vocatione Gentium: *Ioannes prius ſentit initia gratiæ quàm naturæ.* Similiter loquitur D. Ambroſius *in Pſalm.* 76. *num.* 23. Imò Guerricus Abbas *ſermon.* 3. *de Ioann. natiuitate*, ait, *Quod Ioannes prius Deum, quàm ſe ipſum ſentire cœperit.* Fuit etiam gratia parentibus ſuis, vt ſatis oſtenſum eſt *cap.* 4. Extitit quoque gratia Dei vniuerſo mundo, vt loquitur Guerricus Abbas *ſermone* 1. *de Baptiſta.* Inter varios effectus, quos gratia ſanctificans producit, vnus eſt, hominem exultatione, ac iubilo replere. Ita explicat D. Auguſtinus Pſalm. 42. n. 2. *Quare triſtis? Cauſa*, inquit, *triſtitiæ tuæ peccatum eſt, cauſa lætitiæ tuæ iuſtitia ſit.* Et iterum Regius Vates. *Vox lætitiæ, & exultationis in tabernaculis iuſtorum.* Pſalm. 117. n. 15. At verò iſte puer quantam exultationem Eccleſiæ attulerit, prædixit Angelus Zachariæ: *Multi in natiuitate eius gaudebunt.* Vnde ait D. Chryſologus relatus cap. 4. *Non eſt vnigenitus, qui cunctorum creatus eſt ad gaudium.*

Matth. 11. Bonauent. Proſper. Ambroſ. Pſalm. 76. Guerr.

Ioannes multipliciter gratia.

Auguſt. Pſalm. 42. Pſalm. 117. Chryſol.

29. Bernard. Alium effectum gratia importat, vt faciat magnum coram Deo. Vnde ait D. Bernardus: *Peccatum facit hominem exiguum, gratia eminentem præſtat.* Ante Ioannis natiuitatem de Eccleſia dici poteſt: *Soror noſtra paruula eſt, & vbera non habet*, Cantic. 8. num. 8. Per *vbera* Ioannem Baptiſtam intelligit Aponius *lib.* 1. *Cantic.* At Eccleſia, quæ paruula erat, dum non haberet Baptiſtam, poſtquam tamen ipſe apparuit, ita ingens, & excellens facta eſt, vt dicat D. Chryſologus ſermone 88. *Præmiſit Deus lucernam, vt ipſam Deitatis caperent claritatem.* Ita extulit, & ſublimauit orbem, vt ipſum Deum capere, hoc eſt, cognoſcere poſſet. Terra ante Ioannis aduentum erat infructifera in ſalſugine à malitia inhabitantium in ea; at adueniente Ioanne, fructifera, & fœcunda facta eſt: *Flores apparuerunt in terra noſtra*, Cant. 2. num. 12. Quod de Chriſto, & Ioanne intelligit ibi Ghiſlerius *in expoſitione quarta*, ibi.

Cantic. 8. Aponius. Chryſol. Cantic. 2. Ghiſler.

30. Sanctus Ioannes etiam *gratia* appellatur, qui habuit aliqualem ſimilitudinem, & vmbram quantum fas eſt puræ creaturæ, cum gratia habituali, quæ fuit in Chriſto Domino; quæ non ſolùm eius ſanctiſſimam animam repleuit, ſed etiam quandam in alios obtinuit influentiam. De quo vide D. Thomam 3. *part*, *quæſt.* 8. *artic.* 1. Ita Ioannis gratia non ſolùm eius animam ſanctam effecit, verùm etiam, vt aliquo modo dicamus, in alios deriuata eſt. Ita ait Euthymius *ad cap.* 1. *Luc.* ad illa verba Angeli: *Vocabis nomen eius Ioannem: Ioannes*, inquit, *gratia ab vtero matris, vel tanquam cauſa gratiæ parentibus, multiſque alijs.* Et D. Ambroſius *ad cap.* 1. *Luc.* ad illa verba, *Elizabeth exclamauit voce magna*, ait S. Doctor: *Duplici miraculo prophetant matres ſpiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta eſt mater. Non prius mater repleta eſt, quàm filius: ſed cùm filius eſſet repletus Spiritu ſancto, repleuit & matrem.* Igitur Ioannis gratia redundauit in matrem; & quodammodo ex ipſo deriuata eſt in alios.

D. Thom. Euthym. Ambroſ.

Lucæ 1. *n.* 64. Apertum eſt autem illico os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

VERSIONES.

D. Ambroſius hîc.	Continuò autem reſoluta eſt lingua eius, & apertum eſt os eius.
Euthymius.	Apertum eſt autem repentè os eius.
Arias.	Et lingua eius efformata eſt.
Textus Hebraicus	Et loquebatur laudans Deũ.

EXPOSITIO.

41. STATIM ac nomen ſcripſit, os eius & lingua à ſilentio, & ſimul auditus à ſurditate, vt notat Euthymius, ſoluta ſunt. Author *libri* 3. *de mirabilibus ſacræ Scripturæ*, *cap.* 1. qui falsò ab aliquibus tribuitur D. Auguſtino, & Iuuencus in ſuis carminibus exiſtimant, Zachariam non ſcripſiſſe nomen Ioannis; ſed cùm ſcribere tentaſſet, voce dixiſſe: *Ioannes eſt nomen eius*; ſed hoc apertè repugnat Euangelio dicenti: *Scripſit, dicens, Ioannes eſt nomen eius; & illico apertum eſt.* Vbi obedientiæ ſigna protulit, ſtatim miraculosè vocem recuperauit.

Euthym. Iuuencus.

Obedientiæ miracula operatur.

QVÆST

QVÆSTIO XII.

Quare dicatur, illico apertum eſt os eius?

32. RESPONDEO primò. Vt intelligatur, quòd virtute nominis Ioannis illi reſtituta eſt vox. Ita D. Maximus *homilia* 2. *de S. Ioanne.* & Ambroſius ſermone 2. de Baptiſta, *Si enim*, ait, *Pater Zacharias, cùm eum nominauit, vocem recepit, quanto magis cùm laudamus illum, eloquium promeremur?* Secundò. Reſpondet idem D. Ambroſius lib. 2. in Lucam hîc. *Meritò continuò reſoluta eſt lingua eius, quia quam vinxerat incredulitas, ſoluit fides.* Quod peccatum ligauerat, dum dubitauit, fides dum credidit, aperuit. Tertiò. Idem D. Ambroſius, & Hugo Cardinalis: *Nouit Dominus mutare pœnam, ſi tu noueris mutare delictum.* Quartò. Idem Ambroſius ſermon. 2. de S. Baptiſta. *Videte*, inquit, *meritum; os, quod Angelus alligauerat, Ioannes ſoluit: quod Gabriel obſtruxerat, paruulus reſerauit; quamquam & ipſe ſit, Angelus, ſicut ſcriptum eſt de eo: Ecce ego mitto Angelum meum.* Pœnam impoſitam auferre, ſolùm ſuperior, vel æqualis præſtare poteſt. Supplicium, quòd Gabriel intulit, ſolus alius Angelus ſoluere potuit. Quintò. Theophylactus: *Ioannes iuxta interpretationẽ eſt Dei gratia, proinde & pater illius ſtatim aſſecutus eſt gratiam.* Ioannes, qui eſt gratia, & donum, incipit à ſuis maioribus. Vide *c.* 5. *n.* 28. *&* 48. Tandem ſexto Dionyſius Carthuſianus hîc: *Mox*, ait, *cùm fidem ſuam ſcripto indicaſſet, reſtitutus eſt ori, & linguæ Zachariæ priſtinus vſus loquendi; nec interim dubium eſt, quòd os eius aperiebatur ad cibum ſumendum, ſed non ad loquendum benedicens Deum*, Vt fides in exterioribus operibus apparuit, ſtatim omne impedimentum ſolutum eſt.

Maxim. Ambroſ. Idem. Hugo. Ambroſ.

Ioannes Angelus.

Theoph. Carthuſ.

QVÆSTIO XIII.

Quare Zacharias non loquatur in natiuitate, ſed in circuncisione?

33. OS Zachariæ aperitur, non in die natiuitatis, ſed circuncisionis Præcurſoris. Communis ſolutio eſt; quia in illo die adimpleta ſunt omnia, quæ Angelus de eius natiuitate prædixexerat: *Vocabis nomen eius Ioannem.* Ita Euthymius. Secundò. Reſpondet Beda: *Pulchrè*, ait, *Zacharias octauo die prolis editæ loquitur; quia per domini reſurrectionem, quæ octaua die, hoc eſt, poſt ſeptimum ſabbati, facta eſt, occulta legalis Sacerdotis arcana patuerunt.* Tertiò. Simon Caſſianus lib. de natiuitate Præcurſoris: *Non fuit*, ait, *apertum os in ortu, ſed in die octaua, quia naſcendo noſcebatur, quia filius: in nomine verò eius myſterium pandebatur, cuius nati dignitas attollebatur ex myſterio plus, quàm quòd natus eſſet homo. Et ex hoc non credimus, Zachariam mutitate punitum, eo quòd incredulus eſſet de filio, ſed quòd ad tantum pararetur myſterium hæſitauit. Proinde filio naſcente, lingua non ſoluitur, ſed declarato Ioannis nomine.* Incredulitas non tantum fuit de filio, quantum de eius excellentia; & ideo à pœna non eximitur quouſque Ioannis nomen imponatur, in quo tota eius dignitas declaratur.

Euthym. Beda. Caſſian.

34. Toler. Quartò. Toletus *annotat.* 140. has adhibet rationes. Vt impoſitio nominis Ioannis hoc miraculo celebraretur. Deinde, vt eius circuncisio eſſet inſignis hoc miraculo; ſicut eius natiuitas extitit, dum ſterilis peperit filium. Tandem, quia Zacharias prolaturus erat magna myſteria; & ad hoc debuit expectari dies, in quo copioſior ſit hominum multitudo. Quintò addo. Vt eſſet manifeſtum, quòd parentes non conueniebant ad impoſitionem nominis Ioannis per humanum eloquium, ſed per reuelationem Spiritus ſancti; ideo lingua non ſoluitur, niſi poſt nomen datum. Sextò. Non loquitur, niſi pronuntiato Ioannis nomine, quando prophetiæ ſpiritus ei eſt communicandus; vt inde videatur, quomodo cum nomine Ioannis omnia in melius reformantur; mutus loquitur, incredulus prophetizat, abſconditus domi ſacerdotali munere fungitur. D. Ambroſius ſermone 2. de Baptiſta. *Vbi*, ait, *Ioannes naſcitur, fit repentè pater Propheta, vel Pontifex, loquelæ vſum recipit, prolem affectio ſuſcipit, ſacerdotem functio recognoſcit.*

Cum Ioanne omnia reformantur.

Ambroſ.

QVÆSTIO XIV.

Quare totus erat Zacharias benedicens Deum?

35. Origenes. ELEGANTER reſpondet Origenes homilia 9. in Lucam: *Statim*, ait, *vt ſtylus impreſſus eſt ceræ, lingua, quæ priùs fuerat vincta, laxata eſt, recepit eloquium non humanum, quoniam ligata fuit lingua eius. Humana tamen fuit, vinxerat eam incredulitas, ſtatim vt ſoluta eſt, humana eſſe deſiit, & loquebatur benedicens Deum.* Vbi duo maximè pondera. Primùm. Recepit eloquium non humanum, quoniam ligata fuit lingua eius. Os clauſum, & lingua ſilentio refrænata, dum ſoluitur, fundit eloquia non humana, ſed diuinitatis odorem exhalantia. Vnde ait D. Gregorius ſerm. 30. in Iob c. 11. *Ille ſcit rectè dicere, qui & ordinatè nouit tacere.* Secundò. Expende, ſtatim vt ſoluta eſt, humana eſſe deſiit, & loquebatur benedicẽs Deũ. Tunc lingua deſiit eſſe humana, cùm benedictiones ſonat, & Deum, laudat. Tertiò. Sanctus ſenex, cùm ſe videret tantis Dei beneficiis cumulatum, in gratiarum actionem prorumpit, vt ingenitum eſt animo ſancto, & grato. In prima mundi creatione. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem*, Gen. 2. n. 7. Si homo à Deo conditus eſt, & ab ipſo accepit ſpiritum vitæ, ad quid additur, *Factus eſt in animam viuentem.* Vbi noſtra Vulgata habet; *factus eſt in animã viuentem*, legit Chald. *in ſpiritum loquentem.* Nã cùm homo manibus Dei formatus eſſet magna perfectione, vt multa diceret in gratiarũ actionẽ, ac laudem Dei, à quo, tantis donis exornatus eſt, vt ſimul cum ipſa anima ei eſſet ingenita gratitudo, ac gratificatio erga ſuum creatorem, ac benefactorem D. Chryſoſt. ibi. *Ea propter, & animam inſpirauit, & linguam dedit, vt ſua in nos beneficia animis percipientes Dominum agnoſcamus, & nos gratos exhibeamus, & pro viribus gratiam agnoſcamus.*

Os clauſum, dum loquitur, diuina ſonat.

Gregor.

Lingua Deũ laudans deſinit eſſe humana.

Homini iuſtò ingenita eſt gratitudo.

Geneſ. 2. Chald. Chryſoſt.

 QVÆSTIO

QVÆSTIO XV.

Quomodo dicatur, quòd Zacharias benedixerit Deum?

36.
Deus cum Ioanne laudatur.

DICITVR, quòd Zacharias aperuerit os ſuum, benedicens Deum, cùm non ſolùm Deum laudauerit, ſed etiam filium ſuum Ioannem, vt patet ex eius Cantico: *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis.* Reſpondetur primò, quòd dũ Deus laudibus extollitur, etiam ſerui eius præconiis commendantur. Secundò. Quia tanta vnio, & connexio eſt inter Deum, & Ioannem, vt minimè videatur, poſſe Deum voce humana gratificari, quin etiam Ioannes noſtris commendationibus efferatur. Guerricus Abbas ſer. 3. de Baptiſta. *Propterea*, ait, *Marcus, Lucas, & Ioannes initia librorum præconiis Baptiſtæ dedicarunt, vt videlicet auctoritas tanti nominis, totum deinceps commẽdabilius redderet Euangelium: Matthæus verò, quia eum natiuitas Domini initiis occupatum tenuit, mox vt puerum nutriendum Nazareth commendauit: ad præcurſorem, & Baptiſtam eius ſtylum conuertit, arbitrans imperfectum fore, quidquid de ſpõſo diceret, ſi de indiuiduo amico ſponſi reticeret.* Et hanc cauſam dat D. Odilonius Abbas *ſer.* 10. ob quam non ſolùm omnes Euãgeliſtæ, ſed etiã Prophethæ de ipſo tractant. Dauid Pſal. 131. n. 17. *Paraui lucernam Chriſto meo.* Iſai. 40. n. 3. *Vox clamantis in deſerto.* Hier. 1. n. 3. *Ex vtero vocaui te*, &c. Deinde tanta connexio eſt inter Chriſtum, & Ioannem, vt non dedignetur Chriſtus nomine Ioannis vocari. Marc. 6. ait Herodes. *Ioannes, quem ego decollaui, ipſe eſt.* Chryſol. *ſer.* 173. ita fatur: *Maleuolè quidẽ, ſed veraci ſenſu teſtis ipſe criminis ſui extitit. Ioãnes*, inquit, *quem ego decollaui, ipſe eſt: verum dicit.* Verum dicis, impie Herodes, non enim dedecus eſt, ſed gloria, quòd ipſe vnigenitus Dei filius nomine amici ſui, ac præcurſoris vocetur, vt inde magna ſimilitudo inter vtrumque appareat. De hoc vide ſuprà *q. 6.*

Guerr. Odilonius. Pſalm. 131. Iſai. 40. Hierem. 1. Marc. 6. Chryſol. *Chriſtus valde ſimilis Ioanni.*

Lucæ 1. n. 65. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum: & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.

VERSIONES.

Syriacus. Et extitit pauor ſuper omnes vicinos eorum: & in vniuerſo monte Ithoudææ iſta prolata ſunt.

Vatablus. Et ingruit metus in omnes vicinos eorum, & in tota montana Iudeæ diuulgabantur omnia facta hæc.

EXPOSITIO.

37. Bonauent.

VISIS tot mirabilibus, & ſignis, *factus eſt timor*, id eſt, reuerẽtialis, ſeu quædam religioſa reuerentia, vt explicat D. Bonauentura, quæ omnium animos impleuerat ſibi perſuadentium, aliquid magnum in illo puero à Deo demonſtrari. Et non timent in natiuitate, ſed in circuncisione, quia tunc Dei mirabilia magis manifeſtabantur, & nomen Ioannis puero iam impoſitum erat. *Factus eſt ſuper omnes vicinos eorum*, qui vt propinquiores, & maximè indigni à ſe ipſis exiſtimati timent. Pro quo videndi Carthuſianus, & Simon Caſſianus ſermone de Baptiſta. *Diuulgabãtur omnia verba hæc*, ſeu facta; nempe, ſterilis peperit, voce priuatus loquitur, & prophetat, nomen puero mirabiliter datur. Theophyl. ait: *Facta autem ſunt hæc omnia ſingulari quadam diſpoſitione, vt qui de Chriſto prophetizaturus eſſet, fide dignus haberetur, & omnes ex ipſa natiuitate Ioannis certiores redderentur, quòd multis maior eſſet.* Et nota, quòd non in amiſſione vocis Zachariæ, ſed in recuperatione dicitur, diuulgatum eſſe: quia illi, vt viri boni, pœnam, & ignominiam tacebant, gratiam, & gloriam pablicabant.

Carthuſ. Caſſian. Theoph. *Iuſti tacent malum.*

QVÆSTIO XVI.

Quare in Ioannis natiuitate timor, Chriſti vero gaudium?

38.

IN Ioannis natiuitate timor ſuper omnes vicinos; in ortu verò Saluatoris gaudium interceſſit: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnũ.* Luc. 2. n. 10. Reſpondet Toletus, quòd Ioannes venerat ad arguenda peccata, & inducendos homines in pœnitentiam, ac timorem iræ Dei. Lucæ 3. n. 7. *Quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* & ibid. n. 9. *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* Saluator verò naſcebatur ad dandam remiſſionẽ, & reconciliandos homines, Luc. 19. n. 10. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.* Reſpondeo ſecundò, quòd in vtriuſque ortu timor, & gaudium extitit, & in primis in natali Saluatoris paſtores, dum claritas Dei circunfulſit eos, timuerunt timore magno, *Lucæ 2. n. 9.* Et Magi procidentes adorauerunt Chriſtum natum, *Matth. 2. n. 11.* Qui actus ad timorem reuerentialem pertinuit, vt ſuo loco dicam. Gaudium magnum etiam omni populo ſuperuenit, vt Angelus prædixit. Ita etiam in ortu Ioannis timor euenit, vt præſens probat textus. Et gaudium, vt Gabriel Zachariæ annuntiauit: *Multi in natiuitate eius gaudebunt.* Et meritò, vt vtriuſque in ortu dona Spiritus ſancti reſplendeſcerent. In Ioannis natiuitate (de Saluatore ſuo loco dicemus) emicuit gratia miraculorum in vtroque parente, ſterilis peperit, mutus loquitur. Deinde in patre prohetia, in matre fortitudo perſiſtendo in nomine Ioannis: in vicinis timor, vt cæleſtia myſteria venerentur; & ſcientia, ſeu illuſtratio Spiritus ſancti, dum de puero magna concipiunt, dicentes: *Manus Domini erat cum illo.*

Luc. 2. Tolet. Luc. 3. Luc. 19.

QVÆSTIO XVII.

Quare magnalia Baptiſtæ diuulgabantur per omnia montana Iudææ?

39.

IVDÆA tota diuiſa erat in loca plena, quæ campeſtria dicebantur; & in loca montibus eminentia, quæ appellabantur montana.

Si Regio illa ambiebat hæc omnia, quare verba de puero ſolùm in omni monte, & non in aliqua valle dicebantur? Reſpondet Simon Caſſianus lib. 3. de Baptiſta. *Et fit timor ſuper omnia montana Iudææ, quoniam omne, quod altum in mundo creditur, virtus diuina deterret, & timere facit, dum clangit.* Reſpondeò ſecundò, quòd magnitudinem ſignorum, ac mirabilium Baptiſtæ, non loca deiecta, ac humilia, ſed alta, & eminentia capere poſſunt. Sæpe inuenies, Eccleſiam comparari montibus, Pſalm. 67. n. 16. *Mons Dei, mons pinguis.* Iſai. 25. n. 6. *Faciet Dominus in monte hoc*, Iſai. 2. n. 2. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Sed quare ſæpe montibus, & non campeſtribus comparatur? D. Cyrillus Alexandrinus ibi lib. 1. orat. 2. *Eccleſia*, ait, *monti comparatur; etenim verè eſt excelſa, & illuſtris, & omnibus vbique notiſſima. Aliter etiam excelſa eſt, quoniam terreni nihil ſapit: at ſupra res terrenas eſt, & gloriam Dei, quatenus licet, animi oculis intuetur, & ſublimibus admodum de Deo opinionibus gloriatur.* Ita ſanè excellentiæ Ioannis non in vallibus, ſed in collibus diuulgantur; quia in eis, quidquid lucet, maximè excelſum & notiſſimum omnibus eſt, ita vt à nullo inficiari poſſit. Deinde in eis nihil terrenum ſapit, ſed totum ſupra res mundanas, & in maximam Dei gloriam cedens.

Caſſian. Pſalm. 67. Iſai. 25. & 2. Cyrillus. *Magnalia Ioãnis ſolùm excelſa ſapiunt.*

40.

Vide, quæſo, quomodo præclara Ioannis opera in eminentiſſimo loco tractentur. Angelus in templo iuxta altare, *Luc. 1. num. 11.* Pater in ſolemniſſimo die, nempe circumciſionis, in quo magna erat hominum frequentia. Chriſtus, dum multis reſplendet miraculis, *Matth. 11. n. 5.* Imò à ſuis inimicis de Ioanne agitur, non in quolibet vulgari die, ſed in valde celebri, ac notiſſimo, nempe natali ipſius Herodis, *Marc. 6. num. 23.* vbi impudica puella poſtulat: *Da mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Sed quare iuxta tuam leoninam rabiem non poſtulas caput inimici fune aliquo raptatum, vel ſpiculo infixum, ſeu è manibus ſatellitis dependens, vt Dauid tulit caput Philiſtæi 1. *Reg. 17. num. 58.* Diuina prouidentia coacta petiit in pretioſiſſimo diſco; quidquid enim Ioannis, etiam inimicorum manibus apparet, in ſublimi ponitur. D. Chryſologus ſermone 174. *Cur in diſco*, ait, *cur pretioſè geſtas quem viliter occidis? Hoc ipſum, quod non vis, agis, quia agit te ſuperna ratio aliter, quàm vis: ferculum crudelitatis ſuæ toto ore, totis faucibus contendit, & conatur abſorbere; ſed Ioannes venit in ſublimi poſitus, vt lucerna ſuper candelabrum.* de quo in proprio loco iterum erit ſermo.

Marc. 6. Chryſol.

Lucæ 1. n. 66. Et poſuerunt omnes, qui audierant, in corde ſuo, dicentes: Quis putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

VERSIONES.

Syriacus. Omnes autem, qui audierunt, cogitabant in corde ſuo, ac dicebant: Quiſnam futurus eſt puerulus iſte? Et manus Domini erat cum illo.

Vatablus. Et aduerterunt omnes, qui audierunt, animũ ſuum, dicentes: Quiſnam puellus hic erit? Et manus Domini aderat illi.

Text. Hebraicus apud Vatablum in ſchol. Cogitauerunt apud ſe omnes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim in ortu ſuo potentiam ſuam declarabat Deus

Mariana ex Græco. Quid, putas, puer iſte erit.

EXPOSITIO.

41.

PONERE in corde, Hebraiſmus eſt, duo ſignificans. Primum, cogitare ſecum, *Luc. 9. num. 44. & cap. 21. num. 14. Daniel. 6. num. 14. Aggæi 2. num. 19.* Et audientes vicini tot mirabilia in ortu Ioannis, ſecum reputabant: quis puer ille futurus eſſet? Et certè eximiæ prudentiæ eſt, noua, magna animi meditatione, ponderare. Secundò ſignificat, memoriæ mandare. *Deuteron. 32. num. 46. 1. Reg. 25. num. 25. Pſalm. 47. num. 14.* & ita explicat Carthuſianus. Alta mente retinebant, qualis, ac quantus ille puer futurus erat, & redditur ratio. *Etenim manus Domini erat cum illo*, id eſt, ait D. Bonauentura: *Manus dextera.* Per *manum* autem intelligitur potentia, & virtus diuina, quæ in ortu illius ſe manifeſtabat, multa prodigia, ac miracula operans.

Carthuſ. Bonauent.

QVÆSTIO XVIII.

Quare hîc ſit ſermo de potentia Dei?

42.
Baptiſtæ magnalia ſolùm omnipotentia explicari poſſunt.

DVM de Meritis Baptiſtæ quæritur: *Quis, putas, puer iſte erit?* Statim recurritur ad Dei omnipotentiam: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Reſpondetur, quòd merita aliorum Sanctorum variis modis, & comparationibus explicari poſſunt; at egregia facta Baptiſtæ, nullo alio modo aperiri valent, quàm ad Dei omnipotentiam ſubterfugiendo. *Threnor. 4. num. 7.* dicitur, *Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* Vbi ſermo eſt de ſanctis Apoſtolis, vt explicat D. Paſchaſius *ibi.* At dum de Baptiſta eſt ſermo *Hieremiæ 1. num. 9.* dicitur: *Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum.* Vbi D. Hieronymus, *Hîc autem ipſius Dei manus mittitur, per quam cuncta operatus eſt.* Sed quæro, Cur, vt Apoſtolorum virtutes intelligibiles reddantur, vtitur variis comparationibus, niuis, lactis, eboris, & ſapphiri; Baptiſtæ verò ad potentiam Dei tantùm dirigitur ſermo? Hîc venit ſolutio noſtræ quæſtionis. Aliorum illuſtria facta illis ſimilitudinibus valent explanari; huius verò ſola manu Omnipotentis Dei, per quam cuncta operatus eſt.

Thrẽn. 4. Paſchaſ. Hierem. 1. Hieron.

***

Qværstio XIV.

Quare de Ioanne ſe mutuò interrogent: Quis erit.

43. Marc.4. Bonauent.

DE Ioanne dicitur: *Quis,putas, erit iſte?* Et de Chriſto Marci 4.num.40. *Quis,putas,eſt iſte?* Reſpondet primò D. Bonauentura, *Rectè, ait,de Chriſto dicebant, Quis eſt iſte,tanquam de creatore,cuius eſt manere; de Ioanne verò dicebant: Erit,tanquam de præcurſore,cuius erat pertranſire.* De ſolo Deo poteſt dici permanentia,iſte eſt;cætera verò in fluxu, ac motu ſunt. Secundò reſpondetur, quòd Chriſtus, vt Deus, omnia in ſe habebat; ideo de præſenti de illo dicitur, *eſt*; Ioannes verò, vt creatura, maiori augmento gratiæ, & meritorum perficiendus erat. Et in tantum excreuit Ioannes, vt de eo diuulgaretur opinio in populo, quòd eſſet Meſſias. Conqueritur Chriſtus Dominus de reprobis, *In carcere eram,& non veniſtis ad me*, Matth. 25. n.43. Et Ioannem carcere detentum non viſitat, nec pro eius negotio verba facit. Sed quare amiciſſimum tuum Ioannem non eripis de vinculis, ſicut eripuiſti Petrum è manu Herodis? Theophylactus *in cap.3. Ioann.* ita ait: *Opinor autem, permiſſam Ioannis maturari mortem, vt omnis populus paratus ad Chriſtum tranſiret,& non diuiderentur ſententiæ de Chriſto, & Ioanne.* Tanta erat Ioannis auctoritas, qua à populo Chriſtus putabatur, vt ne inde graue dubium emergeret, & homines ſuam ſalutem ponerent in diſcrimine; conueniens fuerit, vt antequam Chriſtus ex hoc mundo abiret ad Patrem, hanc dubitationem reſolutam relinqueret, & mortem chariſſimi amici maturaret.

Matth.25. Theoph. *Quanta Ioannis opinio in populo.*

Qværstio XX.

Quomodo dicatur: Manus Domini erat cum illo?

44. QVæstio eſt: Quomodo dicitur hîc: *Manus Domini erat cum illo*; & Luc.3.num.2. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem filium Zachariæ in deſerto?* Reſpondet R. P. Didacus de Baëça *tom.2. lib.6. in hiſtoriam Euangeliſt.c.1. §.25.* Quare non dicitur vtrobique manus Domini, vel verbum Domini; ſed illic *manus Domini*; hîc *verbum Domini*? Equidem vbi res agebatur in deſerto, ſufficiebat verbum Dei Ioannem implere; at in ciuitate inter homines, qui trahendi erant ad diuinas laudes, non verbum, ſed manus Deus ibi patet, quæ certiùs homines capiat. Reſpondeo ſecundò, quòd Ioannes venit in deſertum ad conuertendos peccatores ad ſalutares pœnitentiæ fructus; in noſtro verò textu in ſua natiuitate, vt eius virtus, ſanctitas, ac mirabilia manifeſtarentur. Et dum agitur de conuerſione peccatorum, quamuis ſit maius miraculum Dei, quàm reſurrectio mortuorum, vt docet Diuus Chryſoſtomus *homilia 3. in Epiſt.ad Epheſ.* & Cellenſis Abbas *lib.de Panib. cap.17.* Tamen ad hoc abundans eſt Dei ſermo, ac Verbum factum in Ioanne. At vt præclara magnitudo illius gratiæ, ac ſanctimoniæ palàm fiat, tota Dei manus interuenit, per quam cuncta ex nihilo creauit.

Baëça. *Maius eſt virtutes Ioãnis declarare quàm conuertere peccatores.* Chryſoſt. Cellenſis.

45. Vt Dominus peccatorem deducat ad viam ſalutis, ſufficit vnum Dei Verbum. Sic Saulum vocauit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act.9. n.5. Sic Matthæum vocauit: *Sequere me*, Matth.9. num.9. At vt Dominus Ioannem laudaret, multis, & multiplicatis verbis, variis vtitur in locis, *Matth.11.num.7. & cap.17. num.12.* & alibi. Ad quid tot verba, qui vno verbo mortuos, & peccatores vocat ad vitam, & cuncta operatus eſt? De laudibus Ioannis erat ſermo, vt ait Albertus Magnus *in cap.11. Matthæi*, quæ, vt omnibus innoteſcerent, tot, & tanta Saluatoris verba conuenienter requirebantur.

Actor.9. Matth. 9. & 11.& 17. Alb. Mag.

46. Manus Domini, non alicuius Seraphim, ſicut miſſus eſt ad Iſaiam. Diuus Hieronymus *in cap.1. Hieremiæ num.9.* ad illa verba: *Miſit Dominus manum ſuam. Notandum*, ait Sanctus Doctor, *quòd hîc manus mittatur Dei, quæ tangat os Prophetæ, & dicatur ei: Ecce dedi verba mea in ore tuo. In Iſaia autem ſcriptum ſit: Et miſſus eſt ad me vnus de Seraphim, & in manu habebat carbonem, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*, Res, quæ ad alios Prophetas, ac Sanctos pertinent, Seraphim, ac Angelis ſpiritibus committuntur; quæ verò ad Ioannem, de quo Hieremias hîc loquebatur, ſolummodo Dei manibus creduntur.

Hieron.

47. Nota, quòd non dicitur: Manus Dei *eſt* cum illo, ſed *erat*, quod eſt imperfecti modi, vt notaui *cap.1. quæſt.4. num.12.* Quia omnis notitia, quæ obtinetur in hac vita, de excellentiis, quibus Dei manus Ioannem exornauit, eſt imperfecta, & valde diminuta. Solus enim Dominus, qui ſuum præcurſorem exornauit, illius excellentias agnoſcit.

CAP. IX.

Canticum Zachariæ.

Lucæ 1.n.67. Et Zacharias pater eius repletus eſt Sipiritu ſancto, & prophetauit, dicens.

VERSIONES.

Euthym.Carthuſianus.	Et pater eius impletus eſt Spiritu ſancto.
D.Ambroſius hîc.	Impletus eſt Spiritu ſancto, & prophetabat, dicens.
Syriacus.	Vaticinatus eſt.

EXPOSITIO.

1. MVtitate depulſa in gratiarum actionem prorupit Zacharias; & non componit diuinas laudes pro filio accepto, vel voce recuperata; ſed tantùm celebrat Dei Incarnationem, ac redemptionem Iſraël: quia tanti beneficij magnitudine raptus eſt, ad cuius præſentiam

tiam veluti ad conſpectum Solis, cætera, vt præſtantiſſimæ ſtellæ, non micant. Et priùs dicitur repletur Spiritu ſancto, & poſtea prophetat; quia prophetare opus Dei eſt. Et nota cum Origene tom.5.in Ioann. *Amittit vocem*, ait, *Zacharias, ſumens eam naſcente voce*, ſcilicet Ioanne. Similiter cum D.Auguſtino *lib.50. Homiliarum hom.44.* Imò diligenter aduerte, quòd in domo Ioannis, vtpote domo vocis, omnes loquuntur repleti Spiritu ſancto. Elizabeth in laudem Virginis; Virgo, vt omnium doctrix, gratias agit de Incarnatione, & exinde Zacharias componit Canticum. Tanem, vt rectè ait Hugo, *Elizabeth repleta eſt Spiritu ſancto, & paucis prophetauit; Zacharias multis verbis vſus eſt prophetando, ſeu prædicando, quia ordo diſciplinæ poſtulat, vt mulier pauca loquatur, & magis velit diſcere, quàm docere*, 1.Corinth.14.num.34.& 1.ad Timoth.2.n.11. Tandem ait hîc D. Ambroſius. *Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non ſolùm ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit. Ille dudum mutus prophetat.*

Origenes. Auguſt. *Ioannes vox.* Hugo. *Mulier loquatur pauca.* 2.Cor.14. 2.ad Tim.2. Ambroſ.

Qværstio I.

Quare Zacharias dicatur repletus Spiritu ſancto?

2. SEcundvm omnium ferè Patrum, ac Doctorum ſententiam, ante natiuitatem filij Zachariam pœnituit ſuæ infidelitatis, ac præſentia Virginis, & agnitione myſterium multum in gratia Spiritus ſancti ipſe profecit; nec enim Deus virum tantum in peccato tanto tempore ſineret eſſe. Quomodo ergo dicitur repletus Spiritu ſancto? Reſpondet primò Dionyſius Carthuſianus, *Denique, ait, iam ante hanc horam impletus fuuit Zacharias Spiritu ſancto, ſed nunc impletus aſſeritur, quia in donis gratia gratificantis, ac gratis data iam eminenter profecit.* Quamuis iam antea eſſet gratia illuſtratus, nunc verò dicitur repletus: quia dono gratiæ prophetandi emicuit, & illam gratiam quam interiùs habebat, exteriùs in opere, & ſermone manifeſtauit; nec enim reputatur ſciens, vel Propheta, niſi dum exteriùs ſuum donum palam facit. Secundò. Diuus Irenæus lib. 3. cap.2. *Zacharias*, ait, *deſinens mutus eſſe, quòd propter infidelitatem paſſus fuerat, nouello ſpiritu adimpletus nouè benedicebat.* Zacharias, qui antea mutus erat, nouo ſpiritu indutus, nouas benedicttiones ſonabat, & ad nouitatem animi diuinæ, & inauditæ benedictiones in ore reſonabant. Vt noua verba ore proferantur, neceſſe eſt, vt animus iuueneſcat in gratia, & ſpiritu, & tunc in opere, & ſermone virtus refloreſcet. Tertiò. Guerricus ſermone 3. in Ioannis natiuitate, *Qui enim*, ait, *Propheta, & pluſquam Propheta futurus erat, imò ante prophetare, quàm profari; prius Deum, quàm ſeipſum ſentire cœperat: parentes quoque ſuos Prophetas faciebat, & eos, qui in ſe transfuderant carnis ſubſtantiam, ſpiritus ſui, & gratiæ ſuperabundantiam refundebat.* In excellentiſſimo dono gratiæ ſibi communicato Ioannes ſolus eſſe nolebat, ſed illud etiam ſuis parentibus communicabat.

Carthuſ. *Illa ſcientia vera quæ externis apparet.* Irenæus. *Noua verba animum requirunt nouum.* Guerric. *Iuſtus communicat ſua bona.*

Lucæ 1.n.68. Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebi ſuæ.

VERSIONES.

D.Cyprianus lib 2. contra Iudæos.	Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia proſpexit redemptionem populo ſuo.
Vatablus.	Laudandus Dominus Deus Iſraëlis, quia viſitauit, & perfecit redemptionem populo ſuo.
Syriacus.	Benedictus Dominus Deus Iſrael, quippe viſitauerit populum ſuum, feceritque redemptionem eius.

EXPOSITIO.

3. HOc Zachariæ Canticum, vt ait Origines *homil. 10.* duas prophetias nuntiat; primam de Chriſto, alteram de Ioanne. Primò loquitur de Saluatore, dicens, *Benedictus Dominus Deus Iſraël. Benedictus*, id eſt, laudabilis ſit. Et quamquam omnes tres diuinæ Perſonæ Trinitatis aptè dici poſſint hîc laudari; ſecundam tamen intelligi à Zacharia, communis eſt expoſitio. Cum Carthuſiano, Hugone, Caſſiano, & aliis. Quia hæc perſona, ſcilicet Flius viſitauerit, & fecerit redemptiomem. *Dominus Deus.* Quia, vt ait D. Dionyſius Carthuſianus, *Dominus ratione poſſeſſionis, gubernationis, ac præſidentiæ omnium rerum* Geneſ. 14. num. 22. *Deus autem; quia omnium Deus eſt, iure creationis.* Dicitur, *Deus Iſraël*, id eſt, verus Deus ad diſtinctionem Deorum Gentilium; ſeu quia ſpecialiter ab illo populo colebatur, & agnoſcebatur, ac ſpecialia beneficia, & promiſſiones de Incarnatione illi dedit. *Quia viſitauit.* Ecce primum motiuum huius Cantici. Viſitauit ſumendo carnem, & viſitauit per ſe ipſum, & non per Prophetas, vt ait Caſſianus, ſicut olim fecerat; & inde hæc viſitatio multo maior cæteris. Beda, *Viſitauit*, inquit, *Dominus plebem ſuam, quaſi longa infirmitate tabeſcentem.* Et quamquam verbum *viſitandi* in bonam, & in malam partem accipiatur in Scriptura, vt latè notant hîc Expoſitores; tamen ex adiunctis verbis pro gratia, & miſericordia hîc ſumitur. *Et fecit redemptionem plebi ſuæ*; hîc dirigit ſermonem ſuum ad mortem, & paſſionem Chriſti, quia redempti ſumus. Et dicitur in præterito, *fecit redemptionem*; cùm tunc non eſſet adhuc facta; vel more prophetico, quo futura in præterito ponuntur ob certitudinem promiſſionis, vel quia Incarnatio inchoata redemptio fuit.

Origenes. Carthuſ. Hugo. Caſſian. Carthuſ. Geneſ.14. Caſſian. Beda.

Qværstio II.

Quare dicatur hîc Dominus Deus Iſraël, *& non* Iacob?

4. REſpondet primò D.Bonauentura. *Ideò autem hîc Iſraël potius nominatur, quàm Iacob;*

Bonauent.

cob; quia nomen electionis eſt, & gratia. Cùm tunc inciperet præſtantiſſimus ordo gratiæ, non dicitur Deus Iacob, quod erat nomen à natura; ſed Iſraël, quod à gratia dictum erat; tunc enim noua gratia, noua electio incipiebat. Secundò. Ponebantur hîc prima fundamenta legis gratiæ, ac fidei Chriſtianæ; meritò ergo dicitur Deus Iſraël, & non Iacob. Iacob, ideſt, ſupplantator. *Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me en altera vice*, Geneſis cap. 27. num. 36. Vt ibi notant D. Hieronymus *in quæſtionibus Hebraicis*. Chryſoſtomus, & alij. Iſraël autem, ideſt, *videns Deum*. Geneſ. 32. num. 28. Et in fide Chriſtiana nulla eſt Dei notitia in dolo, & falſitate, ſed in ſumma, & infallibili veritate, ita vt poſſit dici homo videns Deum: tam certò ipſum cognoſcit. Quod argumentum latè proſequitur D. Bernard. ſerm. 28. in Cant. *Fides* ait, *neſcia falli, fides inuiſibilia comprehendens, ſenſus penuriam non ſentit.*

Geneſ. 27.
Hieron.
Chryſoſt.
Geneſ. 32.
In fide nulla falſitas, ſed ſumma veritas.
Bernard.

5. Quare non dicitur Deus Iudæorum, ſed Iſraël? Iudæa, & Iudæi dicti ſunt ab vno filio Iacob, tamquam à principaliori parte, vt notat D. Hieronymus *in cap. 2. Matthæi*, D. Auguſtinus *lib. 4. de ciuitate Dei c. 10. & 15.* Ioſephus *lib. 11. Antiquitatum, cap. 5.* Iſraël autem nomen parentis totius populi. Et Dominus, qui venerat, tamquam omnium Rex, ac redemptor, noluit nominari ab vno particulari, ſed à communi omnium capite, tamquam qui omnibus adueniebat.

Hieron.
Auguſt.
Ioſeph.
Vertes Rex omnibus cõmunis.

QVÆSTIO III.

Quare tantùm fiat mentio de redemptione plebis ſuæ?

6. CECINIT Zacharias: *Fecit redemptionem plebis ſuæ*; cùm tamen in ſalutem omnium hominum venerit. *Ioann. cap. 1. num. 9. 1. Ioann. 2. num. 2. Roman. 3. num. 29. 2. Corinth 5. n. 14. & 15.* Reſpondeo primò cùm Theophylacto, quòd Deus venit primò, vt redimeret populum ſuum Iſraël, illique ſe præſentem exhiberet: nam alias gentes ad ſui fidem adduxit, non per ſe, ſed per ſuos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores. Secundò Maldonatus, *Dicitur*, ait, *redemiſſe plebem ſuam, quia Iſraël quodammodo ex debito redemit, quia ſuum illi promiſerat aduentum; alias verò Gentes ex ſola liberalitate.* Vbi interuenit promiſſio, ibi ſtrictior obligatio. Vide *c. 4. num. 3.* D. Chryſoſtomus *in catena*. Reſpondeo tertiò. *Zacharias viſitationem dicit eſſe factam ab eo erga populum ſuum, ſiue materiales Iſraëlitas quis velit accipere, venit enim ad oues, quæ perierant domus Iſraël, ſiue ſpirituales, ideſt, fideles qui digni fuerunt hac viſitatione.* Vbi per plebem ſuam non ſolùm intelligit Iudæos, ſed etiam Gentiles, qui fidem ſuſceperunt, quæ ſolutio mihi aptior videtur. Cuius rei rationem reddit. D. Remigius in Epiſt. ad Rom. c. 1. *Non enim*, ait, *inuenit illam eſſe plebem ſuam ſed viſitando, & redimendo fecit plebem ſuam.* Operibus redemptionis exhibitis, ſe manifeſtauit Dominus, & populum Gentilicum fecit ſuum.

Theophyl.
Maldonat.
Chryſoſt.
Remig.

Lucæ 1. n. 69. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.

VERSIONES.

D. Cypr. lib. 2. contra Iudæos, n. 7. Theophyl. Et excitauit cornu ſalutis.

Caietanus ex Græco. Erexit cornu ſalutationis.

Syriacus, Vatablus. In domo Dauid ſerui ſui.

D. Hieron. in Pſalm. 17. verſ. 9. Erexit cornu nobis ſalutis noſtræ.

EXPOSITIO.

7. TERTIVM motiuum ſuæ laudationis apponit Zacharias, *Et erexit cornu ſalutis*; ſatis vulgari phraſis Hebraïca eſt, *cornu* in Scriptura ſignificare robur, fortitudinem, ſeu potentiam; quia animalia cornuta in cornibus totam ferè vim habent, *Deuteron. 33. num. 17. Pſalm. 43. num. 6. & 74. num. 11. Et cornu ſalutis*, ideſt, robur ad ſaluandum, 2. Reg. 22. num. 3. *Scutum meum, & cornu ſalutis meæ*, & Pſalm. 17. num. 3. Significat etiam *cornu* regnum, ſeu Regem, Pſalm. 131. num. 17. *Illuc producam cornu Dauid.* Seu, quod verius eſt, quia in Rege eſt tota potentia, & robur regni, ſeu, vt exiſtimant Theophylactus, Euthymus, Beda; quia Reges cornu olei inungebantur. Appellat autem Propheta regnum Chriſti cornu ſalutis, & ait: *Erexit*, ſeu *excitauit cornu ſalutis*; quia dum ſuis auxiliatus eſt, eius regnum, quod quodammodo deiectum videbatur, dum ſuis opem non ferebat per ſui aduentum; nunc verò quaſi erectum, & in ſublime poſitum fulget. Ita explicant D. Gregorius *lib. 1. Expoſit. lib. Reg. cap. 2.* Theophylactus hîc ait, *Hoc regnum nobis erexit, & excitauit, dum contriuit omnes, qui oderunt nos Dæmones.* Secundò. Carthuſianus. Erexit, dum nobis annuntiauit beatitudinem regni cæleſtis. Tertiò. Alij, Erexit, dum pro nobis in cruce paſſus eſt, iuxta illud Habac. 3. n. 24. *Cornua in manibus eius.* Quartò. D. Bonauentura, Hugo exiſtimant, Prophetam hîc loqui de Reſurrectione; ac ſi dicat. Viſitauit Incarnatione, redemptionem fecit paſſione, erexit reſurrectione. *Erexit nobis*, ideſt, ad vtilitatem noſtram, vel nobis credentibus, & non aliis. 1. Petri 2. n. 7. *Vobis igitur honor credentibus.* Aliqui hæc verba connectunt cum illis, *Salutem ex inimicis noſtris.* De quo ibi ſermo erit. *In domo Dauid*; quia Chriſtus ex familia Dauid ortus eſt, & ei ſpecialiter facta eſt promiſſio de Chriſto.

2. Reg. 22.
Pſalm. 17. & 131.
Theoph.
Euthym.
Beda.
Dum Rex ſuis ſubuenit, erigitur eius poteſtas.
Gregor.
Theoph.
Beda.
Habac. 3.
Bonauent.
Hugo.
1. Petri 2.

QVÆSTIO IV.

Quare Chriſti regnum per cornu ſignificetur?

8. RESPONDET primò D. Hieron. *in Pſalm. 17. num. 9.* Quia regnum Chriſti, regnum fortè, & ita vt omnes inimicos vincat, & proſternat, & numquam ab eis ſuperari poſſit.

Hieron.

Secundò D. Bonauentura, & Hugo. Cornu inter omnes partes animalis valde durabile, regnum Chriſti æternum, & durabile innuit; & in huius rei figuram Dauid, & Salomon vncti cornu, 1. *Reg. 16. num. 13. & 3. Reg. 1. num. 39.* Ipſa ſoliditate vaſis exprimebatur æternitas regni Chriſti, *Daniel. 2. num. 44.* Saul verò 1. *Regum 10. num. 1.* Vnctus eſt lenticula olei, quod vas fragile, ac vitretum eſt. Ita ex D. Bonauentura, quia hæreticorum regnum facile rumpitur, & confringitur.

Bonauent.
Hugo.
Chriſti regnũ æternum.

9. Tertiò Hugo. *Cornu, nec caro, nec os, ſed medium: ſic Chriſtus, nec homo tantùm, nec Deus tantùm, ſed mediator Dei, & hominum*, 1. Tim. 2. num. 5. *&c.* Quartò. Toletus annot. 142. *Regnum Chriſti meritò per cornu ſignificatur; nam cornu percutit animal, ſicque percutit, vt procul obyciat inimicum: Chriſtus autem percuſſit Diabolum, & peccata noſtra procul abiecit.* Quintò. Cornu non in manibus, ſed in capite inter oculos apparet; quia regnum Chriſti ſecundùm prudentiam, & rationem, per oculos ſignificatam; non verò ſecundùm vim & potentiam, per manus deſignatam, gubernandum erat. Sextò. Quia cæteræ partes animalis, vt oſſa, cor, iecur, carne, & ſanguine velantur; cornu verò carnem excedit: ſic regnum Chriſti alienum ab omni affectu propinquitatis, carnis & ſanguinis futurum erat. Et ad hoc reſpiciunt Beda *hîc*, & Angelom. lib. 1. Regum, cap. 2. *Cornu excedit carnem: & ideo cornu ſalutis regnum Chriſti vocatur, quo mundus, & carnis gaudia ſuperantur.*

Hugo.
1. ad Tim. 2.
Toler.
Regnũ Chriſti non vi, ſed prudẽtia gubernatur.
Ab omni affectu carnis, alienum
Beda.
Angelom.

Lucæ 1. n. 70. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius.

VERSIONES.

Vatablus. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui ab æuo fuerunt, Prophetarum ſuorum.

Textus Græc. Sicut pollicitus eſt per os Sanctorum.

EXPOSITIO.

10. QVARTA cauſa Deum benedicendi, quod nobis erexit regnum ſalutis in Chriſto; ſicut antea locutus fuerat, ſeu promiſerat, per ſuos antiquos Prophetas: & implere promiſſa, magna cauſa Deum laudandi. *Sicut locutus eſt.* Oſtendit, eundem eſſe authorem noui, & veteris Teſtamenti; & quod in veteri pollicitus eſt, in nouo adimpleuit. *Per os*, non verò per ora, quia quamuis diuerſæ perſonæ, & diuerſis temporibus fuerint Prophetæ; omnes tamen eodem concordi animo & eodem ore, ac intentione de filio Dei locuti ſunt, vt docet D. Auguſtinus *in Epiſt. Manich. cap. 4.* Et non adducit aliquem in teſtem nominatim, ſed omnes citat; quia omnes de filio Dei locuti ſunt. Et appellat eos Sanctos, vt exinde eorum doctrina ex probitate morum, & vitæ; omni exceptione maior appareat. *A ſæculo.* Aliqui hoc referunt peculiariter ad Prophetas, qui fuerunt in populo Iudaico. Probabilius mihi videtur intelligendum cum D. Dionyſio Carthuſiano de omnibus Prophetis, qui fuerunt ab exordio mundi; nam Adamus *Geneſ. 2. n. 23.* iuxta D. Paulum *ad Epheſ. 5. num. 31.* multa de Chriſto, & Eccleſia prophetauit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Textus, *Prophetarum eius*; vt notat Simon Caſſian. *lib. 3. de Baptiſta*, id eſt, Prophetæ, qui non à ſe ipſis miſſi, ſed à Deo directi; quoniam multi prophetarunt, qui non miſſi erant, & non vera, ſed falſa prædicentes.

Propheta vno ore locuti ſunt.
Auguſt.
Authoritas doctrina ex probitate morum.
Carthuſ.
Caſſian.

Lucæ 1. n. 71. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

VERSIONES.

Syriacus. Se nos liberaturum ab hoſtibus noſtris, & è manu.

Vatablus. Vindicationem ab inimicis noſtris, & è manu omnium.

Arias. De manu omnium odio habentium nos.

EXPOSITIO.

11. ALIQVI Recentiores connectunt cum verbo, *locutus eſt*, vt ſit ſenſus: Erexit cornu ſalutis, ſicut locutus eſt, ſeu promiſit per Prophetas ſalutem ab inimicis noſtris; & ſic multa, quæ ſequuntur, cùm hoc verbo coniungunt. Probabilior tamen eſt expoſitio antiquorum. Origenis *homil. 10.* Euthymij, Theophylacti, Bedæ, Carthuſiani, Bonauenturæ. Qui coniungunt cum verbo *erexit*, ſeu *excitauit cornu ſalutis*, & appoſitiuè magis explicando id, quod obſcurè dixerat *cornu ſalutis*, nunc addidit; *Salutem ex inimicis noſtris*; id eſt, dedit ſalutem liberando nos ab inimicis noſtris. *Salutem*, ſcilicet cauſam ſalutis, Chriſtum Dominum: ſæpe enim ſalus pro cauſa illius ponitur in Scriptura, Pſalm. 26. num. 1. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea.* Pſalm. 34. num. 3. *Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Et de manu omnium*, id eſt, de potentia. Ita Hugo, & Caietanus. Et quamquam hæc duo de *inimicis*, & *de manu omnium, qui oderunt nos*, aliqui dicunt, quòd ſit repetitio, Matth. cap. 5. num. 44. *Diligite inimicos veſtros, benefacite ÿs, qui oderunt vos*; tamen D. Bonauent. D. Dionyſius Carthuſianus per *inimicos*, intelligunt hoſtes ſpirituales, carnem, mundum, & Dæmones; & per *eos, qui nos odio habent*, homines peſſimos, & iniquos.

Origenes.
Euthym.
Theoph.
Beda.
Carthuſ.
Bonauent.
Pſalm 26.
Pſalm. 24.
Hugo.
Caiet.
Matth. 5.
Bonauent.
Carthuſ.

12. Ex quo pondera, quòd dum agit de aduerſariis ſpiritualibus, ac Dæmonibus, appellat eos inimicos tantùm, *Ex inimicis noſtris*; at verò dum eſt ſermo de hominibus iniquis, non ſolùm illos exprimit per eos qui nos odio habent, ſed etiam eis adiungit poteſtatem: *de manu omnium*: manus namque poteſtatem ſignificat; plus enim ſtudent homines iniqui, quàm Dæmones ad nos perdendos: ait Regius Vates, Pſalm. 139. num. 1. *Eripe me Domine, ab homine malo.* Cur poſtulat, eripi ab homine malo, non verò à Dæmone? Maiores inſidiæ, & earum occaſiones nobis aptantur

Plus ſtudent homines iniqui ad perdẽdum, quàm Dæmones.
Pſalm. 139.

Hilar. tur per homines iniquos, quàm per Dæmones. Ita explicat D.Hilarius *in prædicto Pſalmo.*

Lucæ 1.*n*.72. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.

VERSIONES.

Syriacus. Ac miſericordia vſurũ cum patribus noſtris, ſeq; memorem futurum teſtamenti ſui ſancti.

Vatablus. Vt faciat miſericordiã cum patribus noſtris, ac memor ſit teſtamenti ſui ſancti.

Arias. Facere miſericordiam cum, *&c.*

*D.Iren. lib.*3. *cap.*11. Reminiſci teſtamenti ſui ſancti.

EXPOSITIO.

13. LIBERATIONEM, quam ſuprà dixerat, ab inimicis, nunc magis explicat, appellando eam miſericordiam, quam Deus per Incarnationem nobiſcum fecit. Dicit autem aduentum Filij Dei *miſericordiam:* quia, vt ait Apoſtolus ad Titum 3.num.5. *Qui non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Tum ratione exaltationis naturæ humanæ, quæ hypoſtaticè vnita eſt Deo; tum, quia bonitas Dei ſe dimiſit, & accommodauit ad noſtram miſeriam; tandem ratione temporis, quo facta eſt Incarnatio, in quo mundus Idolorum errore detinebatur, à quo per Filium Dei liberatus eſt. *Cum patribus noſtris*, id eſt, non ſolùm nobiſcum, ſed etiam cum Patriarchis, ac iuſtis, qui nos præceſſerunt; vt ait Origen. hom.10. *Neque enim credibile eſt, vt qui priùs viderunt diem illius, & lætati ſunt, poſtea in aduentu ipſius nihil vtilitatis acceperint.* Sequitur text. *Memorari.* Deus metaphoricè dicitur recordari, quando præmio afficit, vel promiſſa olim præſtat. *Teſtamenti ſui ſancti*; promiſſionem, quam Deus fecit antiquis Patribus de aduentu filij ſui; non appellat pactum, ſeu fœdus, ſed teſtamentum; quia hoc morte filij confirmatum eſt, *ad Hebr.* 9. *n*.17. & ideo appellat ſuum, *Teſtamenti ſui*; quia ipſo filio nos liberauit, quod maximè ſuum reputat, Zachar.9.n.11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Et addit, *ſancti.* D. Bonau. *Vetus teſtamentum fuit ſanctum per figurationem; nouum verò per continentiam, & impletionem; vnde ſanctum vocat teſtamentum nouum, quod ſanctificauit ſanguine ſuo.*

Ad Tit. 3.

Origenes.

Chriſtus in quo nos liberat ſuum reputat.

Zach. 9.

Bonaue nt.

QVÆSTIO V.

Quomodo facta ſit miſericordia antiquis Patribus?

14. QVO pacto dicitur, quòd fecerit Deus miſericordiam cum antiquis Patribus, cùm ipſi iam defuncti eſſent? Reſpondeo primò, quòd facta eſt miſericordia cum Patribus antiquis, dum ex meritis Chriſti præuiſis data eſt illis omnis iuſtificatio, omnis gratia, omnis remiſſio peccati, & omnis bona diſpoſitio ad finem ſupernaturalem, tamquam ex pretio ſoluendo; adueniente autem Chriſto, pretium ſolutum eſt, & Deo creditori integrè, ac perfectè ſatisfactum. Ad Rom.3. num.25. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* De quo latè Suarius *tom.*1.*ad* 3.*p.diſp.*41.*ſect.* 1.§.*Sed inſtabit*, Vaſquius 3.*p.tom.*1. *diſp.*77.*c.*6. *num.*25. vbi multos Patres adducit.

Rom 3.

Suar.

Vaſq.

15. Secundò. Fecit miſericordiam cum antiquis Patribus per Chriſtum. D. Dionyſius Carthuſianus. Dando illis felicitatem conſummatam, ſeu beatitudinem. Tertiò Hugo. Eos à Limbo liberando, dum Chriſtus ſecum in gloriam eos tranſtulit. Quartò. Eis adimplendo promiſſum datum, dum ſcilicet operatur redemptionem totius generis humani, quæ etiam dum ad alios ordinabatur, peculiare beneficium ipſi iuſti ſibi factum reputabant. Et nota, quòd exprimitur hîc miſericordia facta, non nobiſcum, ſed cum Patriarchis. *Fecit miſericordiam cum patribus noſtris*; & meritò ſanè; quia illi, qui fuerunt primi in merito, conueniens erat, vt eſſent primi in præmio & felicitate conſequenda. Deinde iuſti antiqui, qui præceſſerunt, Chriſto Domino hoc obſequium præſtiterunt, vt meruerint accelerationem, & aliquas circunſtantias Incarnationis, vt docet D.Thomas *in* 3.*diſt.*4.*q.*3. *art.*1. & eſſe communem ſententiam teſtatur Cabreira 3.*part. q.*2.*art.*11.*diſp.*4.*n.*11. Ergo voluit Chriſtus Dominus, vt qui peculiares extiterunt in obſequio, peculiares eſſent in gratia, & miſericordia, dum ſecum aliquos cum corporibus ſuis in gloriam tranſtulit.

Carthuſ.

Hugo.

Primi in merito, primi in præmio.

D. Thom.

Cabreira.

Lucæ 1.*n*.7. Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

VERSIONES.

Syriacus. Necnon iuſiurandi, quod iurauit Abraham patri noſtro ſe daturum nobis.

Vatablus. Quod iurauit Abrahæ patri noſtro, vt daret nobis.

Arias. Ad Abraham patrem noſtrum dare nobis.

*D.Iren. lib.*3. *cap.*11. Ad Abraham patrem noſtrum vti det nobis, *&c.*

Aliqui ex ex Græco. Secundùm iuſiurandum.

EXPOSITIO.

16. MAGNA varietas eſt, vnde ille accuſatiuus *iuſiurandum* regatur. Et ideo aliqui appoſuerunt illam particulam, *ſecundum*; ad quod non apparet fundamentum in textu Græco. Breuiter tamen dico, dupliciter aptandum, Primò, cum Euthymio, Beda, Theophylacto, Caietano. In genitiuo, connectendo cum ſuperiori verbo: *Memorari teſtamenti ſui ſancti iuſiurandi quod iurauit*; præcipuè cùm ita habeat lectio Syriaca. Et facit hunc ſenſum, *Memorari teſtamenti ſui*, & explicat, quale ſit hoc teſtamentum: *iuſiurandi.* Euthymius legit etiam *iuſiurandum*, in accuſatiuo; quia dicit, valde frequens eſſe apud Græcos variare caſum. Secundò. Referendum eſſe, vt ait Hugo, ad illam ſuperiorem ſententiam. *Erexit, ſeu excitauit cornu ſalutis*; id eſt, Saluatorem noſtrum inſiurandum quod iurauit. Ac ſi dicat: Qui Saluator pollicitus eſt cum iuramento Abrahamo Geneſ.22.num.16. *Daturum ſe nobis*; ſcilicet, vt explicant Hugo, & Dionyſius Carthuſianus, daturum ſe per fidem, per carnem, dum factus eſt homo; per cibum; caro mea verè eſt cibus: per medicinam ægrotis: per redemptionem captiuis; per præmium iuſtis. Nota, quòd quamuis textus Græcus iuxta Vatablum, Arias, non habeat illam particulam *ſe*, ſed tantùm, *dare nobis:* tamen ſemper eſt ſubintelligenda.

Euthym.

Beda.

Theophyl.

Caiet.

Hugo.

Geneſ. 22.

Carthuſ.

QVÆSTIO VI.

Quare hîc fiat mentio tantùm iuramenti Abrahamo exhibiti?

17. DEVS eandem promiſſionem ſub iuramento præſtitit Dauid Pſalm. 131.num.15. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum*, &c. Quomodo ergo ſolùm de Abrahamo fit mentio? Reſpondeo primò, quòd Abrahamus fuit caput, & parens totius populi, & ideo beneficium ei datum videbatur magis commune omnibus populis, & tribubus. Secundò. Promiſſio Abrahamo facta eſt ob inſigne illud factum, quo voluit filium ſuum in ſacrificium Deo offerre; & in domo Dei, quò maius eſt meritum, eò glorioſius, & vulgarius in ore omnium præmium verſatur. Nota contra aliquos Recentiores, quòd promiſſio de Incarnatione cum iuramento facta eſt tantùm Abrahamo, & Dauid, nam illa, quæ facta eſt cum iuramento Iſaac, & Iacob, *Pſalm.*104.*num.*9. *Exod.*32.*num.*13. *Deuteron.*9. *num.*5. eſt tantùm de ingreſſu in terram promiſſionis, ac multiplicationis naturalis, vt legenti erit manifeſtum.

Pſalm. 131.

Ex merito præmium glorioſius.

Lucæ 1.*n*.74. Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi.

VERSIONES.

Syriacus. Vt liberaremur de manu inimicorum noſtrorum, & abſque timore ſeruiremus coram eo.

Pagninus. Sine timore de manu inimicorum noſtrorum liberatos ſeruire illi.

Arias. Impauidè ex manu inimicorum.

*D.Iren. lib.*3. *cap.*11. Sine timore ex manu inimicorum ereptis ſeruire ipſi.

EXPOSITIO.

18. MVLTAS conditiones pergit Propheta annumerando in aduentu Filij Dei, quas commodiùs ſequenti verſu apponemus. *Sine timore.* Origenes homil.10. *Crebro*, ait, *de manu inimicorum aliqui liberantur, ſed non ſine timore: & ita de manu inimicorum quis fuerit erutus, liberatur quidem, ſed non ſine timore: porrò aduentus Domini Ieſu de manu inimicorum abſque timore nos eruit: non enim ſentimus inimicos noſtros, nec eos vidimus repugnantes; ſed neſcimus, quomodo nos repentè de faucibis eorum, & inſidijs erepti ſumus.* Quæ ſententia in bono ſenſu eſt explicanda; quia licèt quandiu ſumus in hoc mundo, timendi ſint noſtri ſpirituales aduerſarij, 2. *Corinth.*12.*n.*7. *Ad Rom.*7.*n.*23. Tamen per ſanguinem Chriſti ita ſumus in tuto poſiti, vt interueniente Dei gratia ſit in noſtra poteſtate contemnere inimicum. *De manu inimicorum noſtrorum*; vbi eſt ſermo tam de hoſtibus, inuiſibilibus, quàm viſibilibus. *Seruiamus.* Sed quomodo iubet, nos deponere timorem, cùm alibi præcipiatur nobis ſeruire in timore, & tremore? Facilis eſt ſolutio. Vt ſine timore ſeruili ſeruiamus cum timore caſto, & filiali. Et nota, quòd priùs dixerat, *Daturum ſe nobis*; & poſtea ſuddit: *vt ſeruiamus illi*; quia non poſſumus Deo præſtare aliquod obſequium, nec opus bonum, niſi ipſe priùs det nobis, à quo eſt omne bonum; vt docet Paulus ad Philippenſes 1. & 2. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiat.* De quo latè D. Auguſtinus *de prædeſtinat.ſanct.c.*4. *&* 5. & multis aliis in locis. Deinde quòd ad ſeruiendum Deo requiritur animus tranquillus *ſine timore.* Vt præſentem textum facile intelligas, ita accipe. Vt liberati de manu inimicorum noſtrorum ſine timore ſeruiamus illi. D.Irenæus connectit cum antecedenti, & ſubſequenti, quòd iurauit ad Abraham patrem noſtrum, vt det nobis ſine timore ex manu inimicorum noſtrorum ereptis ſeruire ſibi in ſanctitate, & iuſtitia. Nam, vt ait Titus Boſtrenſis hîc: *Chriſti aduentus effecit, vt formidine vacui, ex inimicorum poteſtate eripiamur, neque enim vllum hoſtilium inſidiarum ſenſum cepimus.*

Origenes.

Bene operari à Deo venit.

Ad Philip. 1. & 2.

Auguſt.

Irenæus.

Boſtrenſis.

Lucæ 1.*n*.75. In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

VERSIONES.

Theophylact. & Arias. In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo cunctis diebus vitæ noſtræ.

Ianſenius ex Græco. In pietate, & iuſtitia coram ipſo.

EXPOSITIO.

19. NOTAT Caietanus, quòd Propheta ſeptem hîc apponit conditiones. Primò, libertas: *Liberati de manu inimicorum.* Secundò, diuina ſeruitus: *Seruiamus illi.* Tertiò. Excluſio timoris ſeruilis: *Sine timore.* Quartò. Munditia, *in ſanctitate.* Quintò. *Iuſtitia* fidei, dando vnicuique, quod ſuum eſt. Sextò. Veracitas *coram ipſo*;

Caiet.

ipſo, vt excludatur omnis fictio, & ſimul ſignificetur reuerentia, tamquam præſente Deo. Septimò. Perennitas, ſeu magis continuatio; *omnibus diebus*. Sed ad præſentem textum propiùs accedamus: *In ſanctitate, & iuſtitia.* Euthymius, & Theophylactus per ſanctitatem cultum Dei, ſeu reuerentiam erga diuina interpretantur; per iuſtitiam, eam, quæ eſt ad proximum, vt ait Theophylactus. Iuſtitia, hoc eſt, laudata in rebus humanis vita. D. Bonauentura. Sanctitate quoad ipſum Deum: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, Leuit. 12. num. 44. Iuſtitia verò quoad proximum. D. Dionyſius Carthuſianus, Hugo. Et hæc mihi probabilior videtur. *In ſanctitate*, id eſt, puritate mentali, omni terrena, & carnali affectione excluſa. *Iuſtitia* verò tam pro diſtributiua, & commutatiua, quam pro omni perfectione virtutum; quæ pietatem tam in Deum, quàm in proximum comprehendat.

Euthym. Theoph. Bonauent. Leuit. 12. Carthuſ. Hugo.

20\. *Coram ipſo.* Vt hæc ſanctitas, & iuſtitia non ſit ſimulata, & ficta coram hominibus, ſed vera, & propria coram Deo, ſcilicet, vt ait Vatablus in ſchol. *Coram ipſo iudice, qui omnia nouit.* Rectè Maldonatus, & Toletus, *Coram Deo.* Opponit Euangelium legi, in qua homines non Deum, ſed Moyſem, vel alium Prophetam, ſeu Sacerdotem videntes, ambulantes per fidem Deo ſeruiebant. At in lege gratiæ ſumus coram ipſo Deo, quia homo factus, & quia ipſe nobiſcum eſt quotidie in Sacramento Euchariſtiæ. Matth. 28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Et ait texrus, *Omnibus diebus.* In plurali, ait, quia in hoc ſæculo ſunt dies; at in Patria vna eſt tantùm dies, cui nox, vel dies alterna non ſuccedit. *Omnibus diebus*; ad differentiam legis veteris, quæ cum terminum reſpiceret, in aduentu Chriſti, in quo euacuata fuit, nullo modo poterat dici permanens omnibus diebus: quod propriiſſimè aſſeueratur de lege gratiæ, quæ eſt vſque ad finem mundi. *Omnibus diebus noſtris*; quia tempus huius vitæ nobis conceditur, vt noſtrum ſit, vt in eo poſſimus bene operari, *Ioan.* 9.

Vatablus. Maldon. Tolet. *Excellentia legis gratiæ.* Matth 28. *Tempus huius vitæ noſtrum.*

Lucæ 1. *n* 76. Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

VERSIONES.

Syriacus.	Tuque puerule, Propheta Altiſſimi vocaberis. quandoquidem ambulabis ante faciem Domini, vt pares viam eius.
Vatablus.	Et tu puelle, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini ad parãdum vias eius.
Beaulxames ex Græco.	Et tu puelle omni publico teſtimonio Propheta Altiſſimi vocaberis.

EXPOSITIO.

21\. ECce Cantici ſecunda pars: & ad filium conuertit ſermonem; & eſt ſatis elegans apoſtrophe; & non ſibi gratulatur Zacharias de tali filio, quod munere diuino ſibi ſit datus in ſenectute, ad illius leuamen, tamquam baculus, & vt ſit hæres bonorum, ac ad ſuſcitandum ſemen in Iſraël, ſed omnium priuatorum vtilitatum oblitus ad communem libertatem populi attollit oculos. *Et tu puer*, ſeu *puelle*. Nota illam coniunctionem *&*, ac ſi dicat: Tu puer non ſolùm in ſanctitate, & iuſtitia eris coram ipſo, ſed etiam eris Propheta Altiſſimi: quia excellentiori modo extitit Propheta, vt Chriſtum digito oſtenderet, ac populos ad ipſum adduceret. *Altiſſimi* nomine ſatis accommodatè Chriſtum Dominum intelligunt. D. Hieronymus *in cap.* 2. *Iſaiæ, n.* 22. *ad finem*, D. Ambroſius *l.* 3. *de fide cap.* 2. D. Chryſoſtomus *homil.* 2. *in Matth.* D. Proſper *de prædictionibus Dei part.* 2. *cap.* 14. Beda *hic*. Aliqui verò Recentiores aptè etiam per Altiſſimum æternum Patrem interpretantur, & videtur conuenientior cum ſequentibus verbis: *Præibis parare vias Domini*; & cum Malachiæ 3. *num.* 1. vbi Pater Filio loquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Vocaberis*, ideſt, eris, iuxta phraſim Hebræorum; nam ſuppoſito, quòd aliquid in ſe ita eſt, rectè taliter vocutur. *Parare vias eius*; per *vias*, animæ interpretantur à Theophylacto, in quibus habitat Dominus. Communiter tamen per vias intelliguntur viruates, fides, ſpes, charitas, quia per illas excluditur peccatum, & anima tendit ad Dominum; & ideo ait *parare vias* in plurali, non domum: nam hæc erit tantùm in Patria, quandiu autem ſumus in hoc ſæculo, tanquam viatores peregrinamur.

Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. Proſper. Beda. Malach. 3. Theoph.

QVÆSTIO VII.

Quare octo dierum infantem alloquatur Zacharias?

22\. RESPONDEO primò cum Origene *homil.* 10. *in Lucam*, D. Ambroſio, Theophylacto, Beda, Carthuſiano, D. Bonauentura, vſum rationis datum fuiſſe Ioanni in vtero matris, *Potuit enim*, vt ait D. Ambroſius, *vocem patris natus audire, qui Mariæ ſalutationem antequam naſceretur, audiuit.* Secundò. Reſpondent aliqui, eſſe valde vſitatum in ſacra Scriptura, loqui ad res carentes ratione, & inanimatas. 2. Reg. 1. num. 21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos.* Ioſue 10. n. 12. *Sol ne mouearis.* Tertiò. Beda, Zacharias Epiſcopus, Brononius in Commentar. huius Cantici. *Niſi fortè*, ait Beda, *putandus eſt Zacharias propter eos, qui aderant, potius inſtruendo futura ſui filij munera, quæ dudum per Angelum didicerat, mox vt loqui potuit, prædicare voluiſſe.* Zacharias, qui Angelo non credendo mutus factus eſt, mox vt habuit loquẽdi poteſtatem, non potuit ſe cohibere, quin prædicaret, quæ ab Angelo audierat, vt magnalia filij ſui omnibus eſſent nota. Quartò. Origen. hom. 10. in Luc. *Ideo*, ait, *reor, Zachariam feſtinaſſe, vt loqueretur ad paruulum, quia ſciebat, eum poſt paululum in eremo moraturum, nec ſe eius poſſe præſentiam habere.* Tam recenter natus Ioannes iam ſuſpirabat deſertum, & magno affectu ad ipſum ferebatur, vt delicias mundi fugeret, & tamquam vox clamaret; ideo patri fuit feſtinandum, ne totaliter eius colloquio priuaretur. Similia habet hîc Theophylactus *in præſenti*.

Origenes. Ambroſ. Theophyl. Beda. Carthuſ. Bonauent. Ambroſ. 2. Reg. 1. Ioſue 10. Beda. Bronon. *Ioannis magnalia publicanda.* Origenes. *Ioannes citò feſtinauit ad deſertum.* Theoph.

QVÆSTIO VIII.

Quare dicatur in Ioanne, præire ante faciem Domini?

23\. DIVVS Gregor. lib. 2. in lib. 2. Reg. c. 8. *Ante faciem Domini*, ait, *præire deſcribitur qui in miniſterio ſuo non erat ſecuturus arbitrium ſuperioris hominis, ſed inſpirationem diuinitatis.* Et Simon Caſſian. lib. 3. de Baptiſta. *Laudatur omnino*, ait, *præire ad honorem, & præparationem Domini ſubſequentis. Vituperatur autem, qui propria directione præambulat.* Iuxta quos, præire ante faciem Domini, eſt, eius voluntaaem facere. Secundò Idẽ D. Greg. Magn. *lib.* 5. *in libros Reg. c.* 2. exiſtimat de ſolis iuſtis dici, eſſe ante Dominum, ſeu in conſpectu Domini: de peccatoribus verò, poſt tergũ. *De iuſti laude promittitur*, ait, *præibis ante faciem Domini.* Hinc Elias ait: *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto*, 3. Reg. 17. n. 1. hinc Pſalmiſta dicit: *Exultent iuſti in conſpectu Dei*, Pſalm. 64. n. 4. *In conſpectu quidem Domini, vel ante Dominum ſtare, eſt, teſtimonio bonæ conſcientiæ de amore conditoris præſumere. Stant quidem in conſpectu eius, qui ex merito magnæ actionis de ſuperna ſui cõditoris gratia ſecuri ſunt. Peccatores autem, cùm mala cõmittant, à facie Domini fugiunt, ſed cùm redire pœnitendo deliberant, quaſi poſt tergũ Domini ſunt: quia & diſcedere longiùs nolunt, & tamen præſumere de Deo, quaſi amici non poſſunt. Hinc eſt, quòd peccatrix mulier retro ſtetiſſe dicitur*, Luc. 7. n. 38. *Retro etiam illa ſtetit, quæ fimbrias eius tetigit*, Matth. 9. n. 20. *Retro quidem ſtat pro verecundia peccati.*

Gregor. Caſſian. Gregor. 3. Reg. 17. Pſalm. 67. *Iuſti in conſpectu Domini, peccatores retro.* Luc. 7. Matth 9.

24\. Valde diuerſimodè loquitur Regius Vates de populo Dei, Pſal. 43. n. 5. *Dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam cõplacuiſti in eis: Tu ex ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mãdas ſalutes Iacob.* At *n.* 11. ita fatur Propheta: *Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros.* Seu, vt legit Chryſoſt. *Auertiſti nos retro.* Quid ſignificant hęc tam diuerſa? Modò dicuntur eſſe in illuminatione vultus Dei, modò retro ponuntur? Expende myſterium. Dum iuſti apparent, & apti ad Dei beneficia accipienda: *Tu es, qui mandas ſalutes Iacob*; dicũtur eſſe in lumine vultus Dei. Dum verò peccatis opprimuntur. *Tota die verecundia mea cõtra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me*, n. 16. tũc collocantur retrorſum, ac in inferiori loco poſt inimicos, vt ſic poſſint reuerti, ac pœnitentiam agere D. Ambr. *Domine*, ait, *retrorſum nos eſſe voluiſti, vt extendamus nos ad ſuperiora, & ſemper ante nos attendamus.* Vide ſuprà *c.* 1. *q.* 30.

Pſalm. 43. Chryſoſt. Ambroſ.

Lucæ 1. *n.* 77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum.

VERSIONES.

Syriacus.	Vt des cognitionem vitæ populo ſuo.
Vatablus.	Ad dandam cognitionem ſalutis populo eius per remiſſionem peccatorum ipſorum.

EXPOSITIO.

25\. ECce finis prædicationis Ioannis, *Ad dandam ſcientiã ſalutis.* Et hoc magis explicat quomodo præparabit vias Domini, nempe cognitione Chriſti, quam ipſe dabit. *Ad dandam ſcientiam ſalutis.* Non ſalutem dat Ioannes, vt ait D. Bernard. *ſer. de prærogatiuis Baptiſtæ*; ſed ſcientiam ſalutis. Nomine *ſalutis* Chriſtum optimè interpretantur, Euthymius, Theophylact. Beda, Carthuſianus, quia ipſe eſt ſalus noſtra. Aliqui verò Recentiores cum Ianſenio, Toleto, per ſcientiam ſalutis intelligunt non ipſum Chriſtum, ſed ſcientiam ſalutarem, quam ipſe Chriſtus in nobis per fidem operatur. Vnde ait D. Bonauent. *Sine ſcientia non eſt ſalus.* Iſaiæ c. 5. n. 13. *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Et ne aliquis putaret, ait Beda, quòd ſalus temporalis hîc promittebatur, propterea ſubdit: *In remiſſionem peccatorum.* Et conſidera cum Simone Caſſiano *lib.* 3. *de Baptiſta.* Hoc eſſe proprium officium prædicatoris miſſi à Deo, oſtendere viam ad remiſſionem peccatorum, & non de aliis tractare, quæ poſſunt delectare. *Plebi eius.* Communiter Patres, & Expoſitores per *plebem* intelligunt populum Iudaicum, ad quem Chriſtus miſſus eſt. Tamen D. Ambroſius *lib.* 1. *de vocatione Gent. cap.* 6. D. Dionyſius Carthuſianus, Vniuerſum populum credentium intelligunt; in omnium enim ſalutem venit Chriſtus Dominus. Et ideo hæc expoſitio accommodatior.

Bernard. Euthym. Theoph. Beda. Carthuſ. Ianſen. Tolet. Bonauent. Iſai 5. Beda. Caſſian. Ambroſ. Carthuſ.

Lucæ 1. *n.* 78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

VERSIONES.

Vatablus.	Per intimam miſericordiam Dei noſtri, qua viſitauit nos oriens ex alto.
Syriacus.	Quibus inuiſit nos oriens ex alto.
D. Ambroſius lib. 1. de voc. Gent. c. 6.	Propter viſcera miſericordiæ Domini, quibus viſitauit nos oriens ex alto.
Tert. lib. aduerſ. Iudæos.	Fulgente lumine ex alto viſitauit nos.
Ianſenius ex Græco.	Viſitauit nos germen ex alto.
Aliqui Recentiores ex Græco.	Viſitauit nos oriens ex ſublimitate.

EXPOSITIO.

26\. EVTHYMIVS, Theophylactus, Ianſenius connectunt antecedentia verba cum his, *Præibis ad dandam ſcientiam ſalutis in remiſſionẽ peccatorum*, quæ peccatorum remiſſio per viſcera miſericordiæ Dei ad nos venit. Et hic modus commẽtandi ſatis aptus eſt. Aptior mihi videtur, ſi ad omnia ſuperiora memorata referatur. Ac ſi dicat Zacharias: Cuncta, quæ dixi, per viſcera miſericordiæ Dei, id eſt, per nimiam ſui charitatem nobis obuenerunt. Et nota cum

Euthym. Theoph. Ianſen.

Barrad.

Barradas, quòd poſtquam Zacharias fecit mentionem de filio ſuo: *Et tu puer Propheta Altiſſimi*; ac nomen ei impoſitum venit in mentem, ſtatim recurrit ad viſcera miſericordiæ Dei, quæ in hoc puero maximè effuſa ſunt. *Per viſcera miſericordiæ*, ſeu, vt legit D. Ambroſius, *Propter*, & Græcum nomen hoc aliquando ſignificat, *Viſcera miſericordiæ*, id eſt, vt ait Theophylactus, non propter opera noſtra, ſed propter nimiam, intimam, ac infinitam miſericordiam ſuam. *Dei noſtri*, ſub nomine *Dei*, Patrem Titus Boſtrenſis, Filium Hugo interpretatur. Et hic ſecundus aptior ad ſequentia. *Viſitauit nos*, factus homo, tripliciter, vt ait D. Bonauentura, conſolando homines, illuminando, ac docendo intellectum, *illuminare his*. tertiò dirigendo, ac rectificando affectum, *ad dirigendos pedes noſtros*,

In Baptiſta maximè patent viſcera miſericordiæ Dei. Ambroſ. Theoph. Boſtrenſis. Hugo. Bonauent.

27. *Oriens ex alto*. Ianſenius legit, *Germen ex alto*, quod propriè de Meſſia dicebatur; & idem verbum Græcum eſt hîc, & Iſai. 4. num. 2. *In illa die erit germen Domini*. Hieremiæ 33. n. 15. *In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtum*. *Germinare*, eſt, ex terra naſci. Pſalm. 84. num. 12. *Veritas de terra orta eſt*. Ex Græco, id eſt, germinauit. ita ex Ianſenio. Quæ expoſitio, ſi vera eſt, germen oriens ex alto, cùm propriè dicatur germen ex terra prodire, eſt Chriſtus Dominus natus ex beatiſſima Virgine, quæ eſt mons valde ſublimis; & altus in ſanctitate. Vt explicat D. Bernardus ſerm. de beatiſſima Virgine. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*. Tamen verè, & propriè legendum eſt non *germen*, ſed *oriens*; nam nomen Græcum hîc poſitum, verè & propriè ſignificat locum ſyderum, vnde Sol oritur, vt communiter hîc notant recentiores. Et ſolùm per quandam ſimilitudinem poteſt traduci ad herbas, & arbores. Et hæc metaphora orientis Solis cohæret cum conſequentibus: *Illuminare ijs qui in tenebris ſedent*. Dicitur Chriſtus Dominus Sol oriens, quia ſicut hic materialis paulatim conſurgit, & effudit radios ſuos; ſicut Chriſtus lumine ſuæ doctrinæ paulatim mundo ſe manifeſtauit. Dicitur *oriens*, ſicut etiam *Malach. 4. n. 2. Zachar. 3. n. 9. & 6. n. 12.* Non ortus, vel oriundus, ſed oriens, quia ſemper oritur à Patre, & ſemper eſt ortus ex alto, id eſt, ex Diuinitate Patris.

Ianſen. Iſai. 4. Hierem. 33. Pſalm. 84. Ianſen. Bernard. *Chriſtus paulatim ſe manifeſtauit.*

QVÆSTIO IX.

Quare ait Zacharias: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri?

28. HÆC ſimilitudo dupliciter explicanda eſt. Primò. Vt eſt communis ſententia Patrum. & Doctorum, phraſis eſt Hebraica, quæ ſignificat magnum, & intimum commiſerationis affectum, & Hebræi tenerrimum matris affectum viſceribus inhærentem, qui ex qualibet minima occaſione, vel vmbra periculi excitatur, hac voce exprimebant, quia viſcera membra ſunt blandidiſſima, quæ ſpiritibus vitalibus maximè abundant; vnde qualibet occaſione amoris vel triſtitiæ vehementiſſimè commoueri dicuntur, 3. *Reg. 3. n. 26.* De quadam matre ſic loquitur Scriptura: *Commota sũt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo*. Gen. 43. n. 30. *Commota ſunt viſcera Ioſeph ſuper fratres ſuos*. Pagnin. legit, *Incaluerunt miſerationes eius*. Vnde, vt Zacharias ſignificaret eximiam Dei charitatem erga nos, non dixit, per miſericordiam Dei, ſed per viſcera miſericordiæ, quaſi cõſiderõs, vel in æterno parente, vel in filio iam homine facto tenerrima membra, quæ ad noſtri commiſerationem commota ſunt. Vnde ſimili modo loquendi vtitur Paulus *ad Philippenſ. c. 1. num. 18. & ad Philem. num. 12.*

3. Reg. 3. Geneſ. 43. Pagninus. Ad Philip. 1. Ad Philem.

29. Vnde nota, quòd antequam Deus fieret homo, in toto veteri Teſtamento non inuenies dici viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quia quamuis Deus ſit valde propenſus ad miſericordiam, aliquando ſe continebat, ne humanæ miſeriæ ſubueniret. Vnde ait Iſ. 63. n. 15. *Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, & multitudo viſcerum tuorum, & miſerationũ tuarum? Super me cõtinuerunt ſe*. At Vbi Deus noſtram aſſumpſit naturã, & noſtri ſimilis effectus, tenera dilectione eius cor, & viſcera ad miſerendum commouentur. Vnde in perſona Chriſti ait Regius Vates, Pſal. 21. n. 15. *Factum eſt cor meum tanquã cera liqueſcens in medio ventris mei*, ſeu vt legit Nibienſis: *In medio viſcerum meorũ*; quia vt ait Didymus, *Viſcera Chriſti, quæ ante paſſionem erant clauſa erga hominem, per paſſionem maximè ſe oſtenderunt*. Et hîc primus explicandi modus eſt veriſſimus, & maximè literalis huic textui.

Iſai 63. *Deus factus homo multo propenſior ad miſerandum.* Pſalm. 21. Nibienſis. Didimus.

30. Secundam explicationem horum verborum, *per viſcera miſericordiæ*, nobis inculcat Abb. Cellenſ. lib. de Panibus, c. 19. *Viſceribus*, ait, *miſericordiæ ſuæ charitas Ieſu ab effuſione, imò à profuſione lateris ſibi non pepercit, vt te ſemel in ipſis cauernis pedum, manuum, & lateris, quaſi columbam, per hãc aperturam receptum, ad omne conſilium admitteret, gaudijs admiſceret, hæc miſericordiæ Dei viſcera, in quibus viſitauit nos, qui pinguedine, & adipe benedictionum ſuarum pauit, ſeu reparauit nos*. Voluit Chriſtus Dominus aperturas in ſuo corpore, per quas in ſuis viſceribus nos reciperet, vt ipſa tanquam muri: *Ego ero ei murus ignis in circuitu*, Zachar. 2. n. 5. ab omni imminenti periculo nos liberarent. Matres ex blãdidiſſimo amoris affectu, dum vident ſuos natos in aliqua occaſione mortis, vel periculi, commouentur earũ viſcera, vt eos in ſe recipiant ad vẽdicandũ illos ab omni malo. Sed id, quod matres præſtant in affectu, Chriſtus habuit in effectu, vt ipſe ait per Iſai. 46. n. 3. *Audite domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua*. Seu, vt explicat D. Thomas, *Qui geſtamini à meis viſceribus*. Cuius eximiæ indulgentiæ aliquale veſtigium videri poteſt in cete, de quib. refert Cœl. Rhod. lib. 11. c. 21. *Partu edito, ſi quid interim ſeſe oſtenderit formidoloſius, aut quid inſidiarum moliantur prægrandes belluæ, quo catulos tueantur ſecuriùs, affectu materno exſuperante omnia, aperire amplius ora memorantur, ac dente innoxio partus percipere, & intra vterũ recipere denuo, vt periculi facie diſcuſſa, velut ruminantia reuomant rurſum*.

Cellenſ. Zachar. 2. *Chriſtus tãquam murus ſuos tuetur.* Iſai. 46. D. Thom. Cœl. Rhod.

QVÆSTIO X.

Quare dicitur, per viſcera miſericordię *non verò* dilectionis?

31. RESPONDEO, quòd miſericordia magis explicat magnitudinem indulgentiæ, ac benignitatis Dei erga nos; miſericordia, vt do-

cent D. Auguſtinus *lib. 9. de ciuitate cap. 5.* & D. Thomas 2. 2. *quæſt. 30. artic. 1.* Semper tendit in hominem ærumnis ac calamitatibus affectum; amor verò non ſolùm in hunc, ſed etiam in eum, qui magno honore, & dignitate eſt inſignitus, aliquando fertur. Deinde miſericordia ex ſua natura magis excludit meritum, quia cùm ſit ex intima compaſſione, ſolùm conſiderat alienam miſeriam; at verò dilectio benemeritum ſæpe reſpicit: Amo, quia amor; cùm autem aduentus Filij Dei fuiſſet ex nullo præcedente merito, accommodatius explicatur per miſericordiam, quàm per dilectionem.

Auguſt. D. Thom. *Aduentus Dei filij ex ſumma miſericordia.*

Lucæ 1. n. 79. Illuminare iis, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

VERSIONES.

Syriacus.	Vt luceat iis, qui ſunt in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, vt dirigat pedes.
Arias.	Apparere iis in tenebris, & vmbra mortis ſedẽtibus, dirigere pedes noſtros.
Euthymius	Vt appareat iis, qui in tenebris.
Theophylact.	Vt illuſceſcat iis.
Caietanus	Illuceſce iis, qui in tenebris.
Tertullianus lib. aduerſ. Iudæos.	Illuminare iis, qui ſedebamus in tenebris, & in vmbra mortis detinebamur.
Aliqui ex Græco.	Ad dirigẽdos pedes noſtros in viam proſperam.

EXPOSITIO.

32. PROSEQVITVR Zacharias metaphoram, quam incepit, dicens, Chriſtum ortum eſſe ex alto, tanquam Solem, cuius natura, & munus eſt, eos illuminare, qui in tenebris ſunt, quaſi hoc veluti probans Chriſtum Dominum verum Deum; quia ſolus ille, qui erat oriens ex altitudine diuinitatis; poterat reſpicere, & illuminare miſerrimos ſedentes in tenebris. Deinde oſtendens Chriſti, qui in natura erat veluti Sol, munus eſſe, non deſpicere, vt illuminaret infimos, & abiectos. *Illuminare ijs*, variè legitur; à quibuſdam in imperatiuo, tanquam ſit oratio deprecatiua: O Sol oriens illuceſce, ſed ad hoc non eſt fundamentum in Græco. Alij in coniunctiuo, *vt illuceſcat*, vel *appareat* Propriè tamen in Græco eſt: *Illuminare*; & ita noſter interpres ſecutus. Et ideo dixit: *Illuminare*, non eos, ſed *ijs*; caſum dictionis Græcæ ſecutus. *In tenebris*, id eſt, in ignorantia lucis rerum diuinarum.

33. *Et vmbra mortis*. D. Gregorius *lib. 4. moral. cap. 17.* D. Bernardus *in decl. ad Gul. Abb.* intelligunt de miſerabili ſtatu peccati, cùm quis latet ab amoris diuini notitia. Hugo, *Vmbra mortis*, id eſt, obliuio. Iob. 3. num. 1. *Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis*. Gloſſa, id eſt, obliuio, quæ delet memoriam, vt mors peccatum. Theophylactus, *Peccatum*, ait, *eſt vmbra mortis: ideo autem vmbra mortis dici opinor peccatum, quòd ſicut vmbra ſequitur corpus; ita vbi mors, illic & peccatum: & ita meritò peccatum dicitur vmbra mortis, quia ſemper comitatur ipſum mors*. Sicut vmbra reſultat ex corpore, ita mors ex peccato. Poſſunt etiam per *vmbram mortis* accipi occaſiones peccati, quia ipſas immediatè concomitatur peccatum. D. Chryſoſtomus *homilia 87. in Matth.* D. Auguſtinus Epiſtol. 108. Sedentes; per quos aliqui apud D. Dionyſium Carthuſianum intelligunt Patres in Limbo aſpectu Dei carentes; ſed tunc non poſſunt eis accommodari, quæ ſequuntur: *Ad dirigendos pedes noſtros*. Per *ſedentes* ergo tam Iudæi, quàm Gentiles ſunt interpretandi, quia, licèt notitiam veri Dei haberent, multis tamen erroribus erant implicati, nec intelligentiam legis obtinebant, nec Prophetas de aduentu Chriſti penetrabant: Gentiles verò, quia omnino erant deſtituti notitia veri Dei & ſalutis. *Ad dirigendos pedes noſtros*, id eſt, noſtros affectus. Pſalm. 79. n. 3. *Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos*. In viam pacis; in viam ſalutis, & beatitudinis, *Pſalm. 13. n. 3. Iſai. 59. n. 8.* Dicitur *via*, quia communis eſt omnibus volentibus per illam ambulare; *& pacis*, quia ibi eſt vera pax, & vnitas.

Gregor. Bernard. Hugo. Iob 3. Gloſſa. Theophyl. Chryſoſt. Auguſt. Carthuſ. Pſalm. 79.

Lucæ 1. n. 80. Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

VERSIONES.

Syriacus.	Puerulus autem creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, & in deſerto fuit ad hunc vſque diem, quo ſe oſtenderet apud Iſraël.
Vatablus.	Et corroborabatur ſpiritu: erátque in deſertis.
Salmer. tom 3. tract. 24. ex Græco.	Puer autem creſcebat, & ſe ipſo validior, ac robuſtior fiebat ſpiritu.
Euthymius.	Vſque in diem, quo demonſtrandus eſſet Iſraël.

EXPOSITIO.

34. AD hiſtoriam Ioannis reuertitur Euangeliſta. Et quia vſque ad eius prædicationem nihil ſcribere decreuerat, ideo vno verbo ait: *Creſcebat corpore, & confortabatur*, ſcilicet, *ſpiritu*; ſeu, vt legit Salmeron, *ſe ipſo validior fiebat ſpiritu*; quia Ioannis virtutes cum nullo alio poſſunt comparari, niſi cum ſe ipſo. *Et erat in deſertis*, non *in deſerto*; quia ſpiritus Ioãnis omne deſertum impleuerat. Abiit Ioannes in deſertũ, vt ait D. Bonauentura, vt ibi religioſam duceret vitam in conuẽtibus, ſeu ſpeluncis Prophetarũ Eliæ, ac veterũ Carmelitarum, vt infrà dicemus. Abiit in deſertũ, vt ait Beda: *Ibi purior aer eſt*;

Ioannis virtus ex ipſo ſolum poteſt explicari. Bonauent. Beda.

cælum apertius,& familiarior Deus. Spiritus enim purus ab aëre, ac flatu mundi veluti coinquinatur. Euthymius. *Oportebat enim eum à teneris, quod aiunt vnguibus ad virtutem exerceri, & vt liberè argueret, & Chriſti, qui à ſe annuntiaretur, teſtis fide dignus eſſet.* Similiter Theophylactus, Boſtrenſis, & alij. Excellentia vitæ teſtimonio maximè probatur.

Puritas ab aëre coinquinatur. — Theoph. Boſtrenſis.

35\. Indicat hîc Euangeliſta Ioannem à primis annis in deſertum ſeceſſiſſe; quo verò ætatis anno? Origenes *homilia 9.& 11.* exiſtimat tempore infantiæ in ſolitudinem abiiſſe. Nicephorus *lib.1. cap.4.* ait, quòd Ioannes alterum cum dimidio annum agebat, quandò vnà cum matre Elizabeth, Angelo duce, ſeceſſit in deſertum. Cedrenus in compendio hiſtoriæ, anno tertio ætatis. Franciſcus de Maironis *ſerm. de Baptiſta* quinto ætatis abiiſſe in eremum. Mihi perſuado, quòd Elizabet crudelem manum Herodis fugiens, quando de cæde Innocentium agebatur, vnà cum filio ſuo petiuit deſertum. De anno, quo contigit mors puerorum, infrà commodiùs dicetur.

Quo ætatis anno Ioannes fuit in deſerto. — Origenes. Nicephor. Cedrenus. Mairon.

CAP. X.

De reuelatione facta Ioſeph in ſomnis.

Matth.1.n.18. Chriſti autem generatio ſic erat.

VERSIONES.

Euthymius. Ieſu Chriſti natiuitas ita fuit.

Vatablus. Ieſu verò Chriſti natiuitas talis erat.

EXPOSITIO.

1\. POST natum Ioannem, poſt reditum Virginis in domum ſuam, tumeſcentis vteri indicio ſanctiſſimus fœtus cœpit ſe manifeſtare: ex quo turbatur Ioſeph. *Chriſti autem generatio ſic erat.* Quare hoc addidit hîc Euangeliſta? Imperfect. *homilia 1. in Matth.* Poſtquam Euangeliſta narrauit aliorum generationes, ne aliquis exiſtimaret, Chriſtum eodem modo, ac alios gentium fuiſſe; ideo diſiungens ab aliis explicat, *Sic erat*; id eſt, longè aliter erat, nempe eius mater inuenta eſt de Spiritu Sancto. Et quamuis aliqui legant: *Ieſu Chriſti natiuitas*; accommodatiùs tamen noſter interpres legit, *Chriſti generatio*; hoc enim magis explicat id, quod Euangeliſta intendebat. Quare Chriſti, & non Ieſu Chriſti generatio dicitur? D. Paſchaſ. lib.1. in Matth. *Chriſti nomen ſolum ſine additamento* Ieſu *hîc poſuiſſe creditur, vt nomen Ieſu, quod ſubſtantialiter illi inerat, Angelo dicendum reſeruaret.* Euangeliſta tantùm nomen ob ſuam humilitatem Angelo pronuntiandum relinquit. *Generatio erat*; non *fuit*, vel *facta eſt.* D. Chryſolog. *ſermone 146.* D. Hildephonſus lib. de Virgine Maria. *Non ait Euãgeliſta, inquiunt, generatio Chriſti ſic facta eſt, ſed erat; quia Chriſti generatio erat apud Patrem, quando generabatur ex matre; vnde quod erat, ſemper erat, & vtique ex æternitate erat.*

Imperfect. — Paſchaſ. — *Quanta ſit excellentia nominis Ieſu.* — Chryſol. Hildeph.

Matt.1.n.18. Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.

VERSIONES.

Euthymius. Cùm eſſet deſponſata Mater eius Maria ipſi Ioſeph, priuſquam cõuenirent, reperta eſt prægnãs eſſe è Spiritu ſancto.

Syriacus. Priuſquam ſocietatem inirent, inuenta eſt habens de Spiritu ſanctitatis.

Vatablus. Inuenta eſt grauida è Spiritu ſancto.

Ioan. Mariana ex Syriaco. Cùm eſſet vendita.

EXPOSITIO.

2\. CVM *eſſet deſponſata.* Quamuis Beatiſſima Virgo Ioſeph eſſet in matrimonium tradita, & Virgo vxor, & Ioſeph maritus dici poſſint; verecundiùs tamen, & honeſtiùs ſponſa, & ſponſus vocantur; quia nulla interceſſit copula coniugalis. Eximia puritas non ſolùm luxuriæ turpitudinem reſpuit, ſed etiam nomen illam olfaciens. Impudica mulier Putipharis dicebat adoleſcenti Ioſeph, *Dormi mecum*, Geneſ.39. num.7. Ipſe verò reſpondebat, *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Caſtus adoleſcens non ſolùm luxuriam declinat, ſed etiam nomen mutat, vt *ibi* notat Chryſoſtomus, *Mater Ieſu Maria.* Idem Chryſoſt. homilia 4. in Matt. *Non dixit,* ait, *Virgo Maria, ſed ſimpliciter mater, vt ſermo in primis nihil noui afferens abſque difficultate caperetur. Propter quod prius præparans auditorem, quaſi ad aliquid eorum, quæ ex more veniunt, audiendum, & hac interim ſibi expectatione deuincens, tunc demum infert, quòd iure omnes queant, & de nouitate rei, & de maieſtate mirari, dicens: Inuenta eſt ab Spiritu ſancto.* Res magna nõ ſubitò proponenda, ſed quaſi ab vſitatis incipiendo, ad maiora deueniendum eſt. Cur autem deſponſatæ dicerentur venditæ, vide cap.5. num.27. *Maria Mater Ieſu.* D. Petrus Chryſologus ſermone 146. *Maria mater, & quando non Maria mater?* Vbicumque nomen Mariæ reperis, ſtatim matrem eſſe intelligis. Virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. *Vocatus eſt Ieſus, & Mater eius,* Ioann. cap.2. num.1. Ipſa enim mater eſt Ieſu, & omnium peccatorum. *Ioſeph*, explicat nomen ſponſi. de quo multa in quæſtionibus.

Puritas non ſolùm luxuria, ſed nomine tantùm offenditur. — Geneſ.39. — Chryſoſt. Idem. — *Res magna paulatim perſuadenda.* — Chryſol. *Maria ſemper mater.* — Ioann.2.

3\. *Antequam conuenirent*, ſicut etiam infrà: *Non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum.* Impius Heluidius dicebat, quòd poſt partum conuenerunt. Sed iſte hæreticus non ſapit modum loquendi vſitatum Scripturæ, vt notant ſancti Patres, Hieronymus, Chryſoſt. S. Thomas

Hieron. Chryſoſt. D. Thom.

& alij; nam quoties dicimus, aliquid non factum eſſe, non ſignificatur, factum eſſe poſtea. Ait Propheta Regius: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos meos, ſcabellum pedum tuorum*, Pſalm.109. num.1. & Dominus Matth. vlt. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Non eſt ſenſus, quòd vbi poſuerit inimicos ſub pedibus, non debeat ampliùs ſedere ad dexteram: vel quòd poſt ſæculi conſummationem non ſit futurus Chriſtus nobiſcum. Similiter Deuteron. vlt. n.9. dicitur: *Non cognouit homo ſepulchrum Moyſis vſque in præſentem diem.* Non autem ſignificatur, poſt illum diem notum eſſe ſepulchrum Moyſis. Ita nec quòd poſtea Maria, & Ioſeph conuenerint. *Inuenta eſt*, vt ait Imperfect. homilia 1. in Matth. *Sine dubio à ſponſo ſuo Ioſeph, qui zelotypo amore ſemper ſe admonente, vitam circumſpiciebat Mariæ.* Vbi eſt vehemens amor, vel maxima ſolicitudo, nunquam res amata à conſpectu oculorum recedit. *Inuenta eſt in vtero*, non in corde, quia naturali modo ferebatur Chriſtus in vtero. Et non ait: inuenta eſt prægnans, ſed *inuenta eſt in vtero*, vt alludere videatur Euangeliſta ad promiſſionem Dei factam Dauid. Pſalm.131. n.11. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Tam verax eſt Deus in ſuis promiſſionibus, vt eodem modo, & eiſdem verbis, quibus promiſit, eiſdem adimpleat. *E Spiritu ſancto*; nempe illius virtute; non tamen explicat, quomodo Chriſtus ſit conceptus; vnde ait Euthymius: *Tu verò ne quæras, quomodo conceperit; hoc enim Euangeliſta non docuit, eo quòd incomprehenſibile ſit, ſoliq; Trinitati cognitum.* Quare Chriſtus dicatur conceptus de Spiritu ſancto: vide *cap.5. quæſt.47.*

Pſal.109. — Matth. vlt. — Deut. vlt. — Imperfect. — *Deus verax in ſuis promiſſionibus.* — Pſalm 131. — Euthym. — *Incarnatio incomprehenſibilis.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm quando Angelus hîc apparuerit, Virgo, & Ioſeph eſſent iam in eadem domo?

4\. MVLTA hîc latè diſputant Authores. Breuiter ſuppono ex communi ſanctorum Patrum ſententia, beatiſſimam Virginem votum emiſiſſe perpetuæ virginitatis, quo non obſtante, verum matrimonium extitit inter ipſam, & Ioſeph, vt docent D. Auguſtinus *lib.1. de nupt. & concupiſc. cap.21.* S. Hieronymus *contra Heluid.* S. Baſilius *homilia 125. de humana Chriſti generatione*, S. Ambroſius *de inſtitut. Virgin. cap.6.* S. Thomas *3. part. quæſt.29. art.2.* Et hoc manifeſtè conſtat ex verbis Angeli infrà referendis: *Ioſeph fili Dauid, noli timere, accipere Mariam coniugem tuam.* Et hoc etiam conſtat ex communi traditione Eccleſiæ, ac ſanctorum Patrum. Nec enim copula coniugalis eſt de eſſentia matrimonij, vt rectè probat VValdenſ. *tom.2. de Sacram. cap.130.* & docet Concilium Florentinum *in decreto Eugenij*, & Tridentinum *ſeſſ.24.* vbi facit diſtinctionem inter matrimonium ratum, & conſummatum. Nec obſtat votum emiſſum à beatiſſima Virgine de ſua perpetua virginitate: quia diuina inſpiratione, & reuelatione conſenſum præſtitit matrimonio, certa exiſtens ſuam ſemper virginitatem à Deo conſeruandam.

De voto beatiſſimæ Virginis. — Auguſt. Hieron. Baſilius. Ambroſ. — D. Thom. — VValdenſ. Florentin. Trident.

5\. Sed dubium eſt: An beatiſſima Virgo Maria, & Ioſeph tempore Conceptionis Verbi in eadem domo iam habitauerint? Negant Beda *hîc*, Petr. Damian. *lib.5. Epiſt.11.* Caietanus *in commentar. ad 3. part. quæſt.29. art.2.* Baronius *tom.1. annalium in apparatu.* Quia hîc dicitur beatiſſima Virgo deſponſata: ergo adhuc non erat data in vxorem. Secundò. Quia hîc dicitur, *antequam conuenirent*; adhuc ergo in eadem domo non habitabant.

Beda. Damian. Caiet. Baron.

6\. Communis & vera ſententia ſanctorum Patrum tenet, Virginem tempore conceptionis Verbi iam in eadem domo cum Ioſeph habitaſſe. D. Chryſoſtomus *homilia 4. in Matth.* Imperfectus *homilia 1.* D. Epiphanius *hæreſi 78.* D. Gregorius Nyſſenus *de Chriſti natiuit.* D. Fulgentius *de gratia Chriſti, cap.3.* D. Bernardus *homilia 2. ſuper Miſſus eſt*, D. Thomas *3. part. quæſt.29. art.2. ad 3.* Communiter Recentiores, Suarius *2. tom. 3. part. diſp.7. ſect.2.* Maldonatus, Ianſenius, Barradas, & alij *hîc.* Et ratio D. Thomæ hoc manifeſtè probat. Nam aliàs non eſſet ſatis prouiſum famæ beatiſſimæ Virginis Mariæ; nam ſi non eſſet in domo, conceptio non reputaretur vt maritalis. Deinde Angelus ait: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Fundamenta contraria minimè probant, vt iam patet ex noſtra expoſitione.

Chryſoſt. Imperfect. Epiphan. Gregor. Fulgent. Bernard. S. Thom. Suar. Maldon. Ianſen. Barradas.

QVÆSTIO II.

Quare ex Virgine deſponſata naſcatur Christus?

7\. LATE hanc quæſtionem tractaui *cap.5. q.18.* Nunc verò addo primò. Ex Imperfecto homil.1. in Matth. *Quoniam futurum erat,* ait, *vt omnes Sancti de Virgine naſcerentur, Eccleſia deſponſata Chriſto, ideo Chriſtus naſcitur de Virgine deſponſata, ne dignius naſcerentur ſerui, quàm Dominus.* Non eſt ſeruus maior domino ſuo, ſerui naſcituri erant de Eccleſia Virgine deſponſata Chriſto: ergo à fortiori Chriſtus debuit naſci de Virgine deſponſata. Sed inſtat difficultas. Quia ſerui naſcuntur ex Virgine deſponſata Chriſto; Chriſtus verò ex Virgine deſponſata homini. Sed verum eſt, quòd Ioſeph ſit homo, at homo puriſſimus, in terra æterni Parentis figuram gerens, vt ait D. Petr. Chryſolog. *ſerm.48.* D. Epiphan. hæreſi 5. *Ioſeph faber in terris pater putabatur Domini Saluatoris, nec ab hoc opere Deus, qui verè eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, excluditur; nam ipſe eſt faber, qui mundi machinam mirabili potentia fabricauit.* Imò, vt ait D. Damaſcenus *orat.3.* Deus voluit, vt Ioſeph habeat vicem patris per reſpectum ad Chriſtum Dominum. Pater in æterna generatione Eſſentiam, & omnia attributa communicat Filio, & Spiritui ſancto; at nomen *Patris*, vt incommunicabile, ſibi retinet; hoc tamen eminentiſſima quadam participatione communicauit Ioſeph, vt pater Chriſti putatiuus diceretur; & ita Virgo Maria, quæ deſponſata erat Deo, deſponſaretur Ioſeph, tanquam Dei perſonam delineanti, ac adumbranti, de quo infrà.

Imperfect. — *Non eſt ſeruus ſupra dominum.* — Chryſol. Epiphan. — Damaſcen. — *Ioſeph figuram æterni Parentis agit.*

8\. Secundò. Naſcitur Chriſtus ex Virgine deſpõſata, vt denotetur, quòd ſolùm illa, quæ data erat Ioſeph in matrimonium, aptiſſima æſtimabatur,

Ioſeph conuenientiſſimus ſponſus Virginis.

vt in matrem Ieſu eligeretur, vt *quæſt.*17. dicam ex Euthymio. Quia conuenientiſſimum fuit, vt Chriſtus naſceretur de Virgine deſponſata, vt eſt de fide certum: ergo nullus dabatur de facto tam conueniens ſponſus, ſicut puriſſimus Ioſeph, qui, extincto fomite, in eadem domo cum pulcherrima Virgine permaneret. Gerſon Cancel. Pariſ. ſer. de natiuit. Virginis. *Sicut decuit*, ait, *vt Virgo ſumma puritate niteret, ſic decuit, vt haberet ſuo modo parem ſponſum puriſſimum, qui cum perpetua virgine Virgo permaneret; vterque regali progenie illuſtris, vterque ſanctificationem in vtero recipiẽs, cum Maria plena gratia fomitem reprimente manſit Ioſeph repletus gratia, peccatum mortale quodlibet ſuperante.* Sanctificationem Ioſeph latè probat Ioannes Carthagena *tom.* 1. *lib.*4. *homil.*5. Fomitem extinctum fuiſſe, tenent Ekius *ſermone de ſancto Ioſeph.* Iacobus Epiſcopus Chryſopolitanus *in Canticum Virginis.* Deinde, quia perfectum matrimonium, vt ſic cum ſumma pace, requirit magnam inter coniuges ſimilitudinem. Quæ inter Beatiſſimam Virginem, & Ioſeph excellentiſſima extitit: Deus enim ſuaui modo omnia diſponit. D. Bernardus tom. 3. de S. Ioſeph. *Quomodo cogitare poteſt mens diſcreta, quòd Spiritus ſanctus tanta vnione (coniugij ſcilicet) vniret menti tantæ Virginis aliquam animam; niſi & virtutem operatione ſimillimam? Vnde crede, Ioſeph fuiſſe mundiſſimum in virginitate, profundiſſimum in humilitate, ardentiſſimum in charitate, altiſſimum in contemplatione, vt eſſet adiutorium ſimile Virgini.* Hanc etiam ſimilitudinem, quæ inter ſanctiſſimam Virginẽ, & Sponſum ſuum Ioſeph dabatur; optimè explicat Rupertus *in c.* 1. *Matthæi*, commentans illa verba, *Ioſeph virum Mariæ*, ita ait Venerabilis Abbas. *Quomodo enim, vel in quo coniugati fuerunt? Nimirum in eo, quòd vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis*; & poſt pauca ait, *Spiritus ſanctus amborum coniugalis amor.* Ita Ioſeph, & Maria erant ſimiles, ac coniuncti inter ſe, vt in eis eſſet vnus ſpiritus, & vna fides; & hoc non tantum ratione matrimonij, quantum ratione virtutum, & gratiæ, & ideo ait Doctor, *Spiritus ſanctus amborum coniugalis amor.* vnde Virgo maximè eum dilexit. Adeſt Mariæ Angelus annuntians Incarnationem diuini Verbi, & ait, *Ecce concipies, & paries.* Virgo conſenſum præbens inquit, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Hoc, vt ex Patribus ac Toleto dixi *ſuo loco*: Fiat mihi virtute Spiritus ſancti, ſine ope viri, abſque læſione meæ virginalis puritatis, vt tu dicis; ita enim amore afficiebatur ad caſtitatem, vt quantum erat ex ſe, etiam ob ſupremam dignitatem, nollet ſuam virginitatem in re ipſa in diſcrimen ponere; voluit tamen habere Ioſeph in ſponſum, ex qua deſponſatione ſecundùm falſam hominum opinionem, qui ignorantes myſterium, cùm vidiſſent eam grauidam, poterant aliquid ſine fundamento contra ſuum eximium pudorem ſuſpicari, ita enim ſuum dilexit Ioſeph, vt ob illum habendum in ſponſum, vanas, ac commentitas hominum opiniones, ac præſumptiones neglexerit.

In Ioſeph peccati fomes extinctus. Gerſon. — Carthag. Ekius. Iac Chryſ. — *Magna ſimilitudo inter Ioſeph, & Virginem.* — Bernard. — *Virtus Ioſeph.* — Rupert. — Tolet. — *Virgo maximè æſtimauit deſponſationem Ioſeph.*

9\. D. Matthæus *cap.* 1. *num.* 16. ait: *Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus.* Sed quare genealogiam Saluatoris ſcribens inter Chriſti parentes apponit Ioſephum, qui ſecundùm naturam Chriſti pater minimè extitit? Agnouit ſacer Hiſtoriographus genealogias Chriſtianas, non tantum interſeri ex propagatione carnis, quantum ex ordine gratiæ, ac commodatione virtutis; vidit enim Ioſephi virtutes propinquiſſimas Saluatori, tanquam patris filio; & ideo non dubitauit inter IESV parentes Ioſephum annumerare. Rupertus lib. 1. de Trinitate in Euangeliſt. c. 4. *Quæ ratio eſt*, ait, *vt generationis linea contingat Ioſephum, qui Ieſum Chriſtum non genuit? Euangeliſta diuinitus generationem carnis Chriſti minus curauit, quæ paucorum erat, nec eiſdem ad ſalutem ſola ſufficiebat, ſed ad generationem gratiæ intendit, quæ ad ſalutem ſola ſufficere valet.* Narrat D. Matt. 2. n. 16. quomodo Angelus apparet Ioſeph, & eum monet de fuga in Ægyptum cum Puero & Matre; & ſubdit de Ioſeph; *qui conſurgens accepit Puerum, & Matrem eius, & ſeceſſit in Ægyptum.* Cur ſingulariter ait Euangeliſta, quòd Ioſeph ſeceſſit; Cur non, inquit, quòd Ieſus, Maria, & Ioſeph ſeceſſerunt, adeò enim coniungebantur, ac vniebantur inter ſe Ieſus, Maria, & Ioſeph, quod dum ſcribitur ſeceſſus Ioſeph in Ægyptum, ibi etiam denotatur aduentus Ieſus, & Mariæ, ob mutuam enim charitatem diuidi, & ſeparari non poterant.

Matth. 1. — *Ioſeph virtute Chriſto ſimilis.* — Rupert. — Matth. 2. — *Intima coniunctio inter Ieſum, Mariam, & Ioſeph.*

QVÆSTIO III.

Quare Virginis ſponſus Ioſeph appelletur.

10\. COMMVNIS eſt ſolutio. *Ioſeph* interpretatur incrementum: nam in tantum creuit eius dignitas, vt eſſet Virginis ſponſus, & pater legalis Chriſti. Ex quo ait Albert. Magnus hîc: *Laus Ioſeph exprimitur in quatuor. In Dei, ac Angelorum familiaritate, in clarorum virorum æquiuocatione, in propoſiti ſanctitate, & in virtutis commendatione.* Quod latè proſequitur. In Dei familiaritate; conceſſum eſt enim Ioſepho, cum Deo habitare, & conuerſari, ac vt primus omnium mortalium eum natum videret. Moyſes maximè expoſtulabat à Deo: *Oſtende mihi faciam tuam*, & tantùm ei datum eſt poſteriora videre, Exod. 33. num. 23 At Ioſepho datum eſt, non ſolùm faciem eius videre, ſed etiam in oſculis, & amplexu habere. In familiaritate Angelorum, ſæpe cum Angelis alloquitur. Dum eſſet in Ægypto, ei Angelus apparet, & ait: *Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſraël*, Matth. c. 2. num. 20. Et poſtea admonitus ab Angelo: *Seceſſit in partes Galilææ*, ibid. num. 22. Cur quando Angelus ei apparet primò, non ſtatim determinat, vt vadat in Galilæam? Gloſſa, *Vade in terram Iſraël. Non determinat in quã partem, vt dubitãte Ioſeph Angelus reuertatur.* Adeò cum Ioſeph Angeli delectabantur, vt occaſiones quærerent, vt frequenti eius allocutione fruerentur. Poſtquam Magi Chriſtum adorauerunt, *Accepto reſponſo in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam*, Matth. 2. n. 14. vbi ponderat D. Paſchaſ. lib. 2. in Matth. *Non per Angelum vti ad Ioſeph, hæc reſponſio facta dicitur, ſed ſanctorum Patrum traditio eſt, ab ipſo Domino diuinitus fuiſſe imbutos.* Non ab Angelo, ſed ab ipſo Domino edocti fuerunt Magi, vt aliud acciperent iter; & tamen Ioſeph cùm eſſet in præſentia Domini, vt fugiat in Ægyptum, & vt poſtea redeat in Nazareth, ab Angelo admonetur; cur etiam

Alb. Magn. — Exod. 33. — Matth. 2. — Gloſſa. — *Angeli in Ioſeph colloquio delectabantur.* — Matth. 2. — Paſchaſ.

ipſe Dominus Ioſeph non inſtruit de itinere? Chriſtus ſemper conuerſabatur cum Ioſeph, voluit ſanctis Angelis hanc indulgentiam concedere, vt colloquiis Ioſeph frui, ac gaudere poſſent.

11\. In clarorum virorum æquiuocatione ait Albertus Magnus, ſcilicet *Ioſeph Patriarchæ præcedentis, & Ioſeph Arimathia ſequentis. Quorum vnus typum gerit Saluatoris; in venditione enim ferè ſimilia patitur cum Ieſu. Alter autem in ſepeliendi obſequio Virginem matrem exemplariter imitatur: ſepelit enim in ſepulchro, in quo nondum quis poſitus fuerat, vnde clauſis ſignaculis exiuit; ſicut & in vtero ſolus carnem induit, & clauſtris pudoris intactis exiuit.* Non ab aliis præfiguratur noſter ſanctiſſimus Patriarcha, niſi ab illo Ioſeph in Ægyptum vendito, qui Chriſtum repræſentauit, & ab illo alio ab Arimathia, qui exemplariter Virginem figurauit; ſolùm enim illi, qui Ieſum, & Mariam figuraliter exprimebant, noſtrum poterant adumbrare Ioſephum.

Alb. Mag.

12\. In propoſiti ſanctitate Albertus Magnus de hoc ait, *iam in parte dictum eſt*; quia propoſitum habebat perpetuæ caſtitatis; aliter enim pollutus temerarie tractaret corpus Redemptoris, & ſpeculum munditiæ corpus ſanctiſſimæ matris. Præcipiebat Dominus Iſaiæ cap. 52. n. 11. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Et Moyſes, *Exod.* 19. *num.* 14. præcepit filiis Iſraël, quòd lauent veſtimenta ſua, & non appropinquent vxoribus viſuri ignem, & fumum circa Deum: multo magis manibus tractant caſtitatis florem, perpetuæ caſtitatis creditur habere propoſitum. Vnde ad rem præſentem bene ait Petrus Damianus Epiſtol. 6. *Si igitur Redemptor noſter tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modò de virgineo vtero naſceretur, ſed etiam à virgineo nutritio tractaretur.* Deus mirificus caſtitatis amator elegit in matrem ſacratiſſimam Mariam quæ eſt ſumma virginitatis integritas; ita etiam in nutritium ac patrem putatiuum, vt ab illo tractaretur, ac manibus haberetur, non aſſumpſit, niſi eum, qui inſigniter virginitatis flore inter omnes alios niteret. De virtutis autem commendatione ſtatim habetur, cùm dicitur: *Ioſeph vir eius, cùm eſſet iuſtus.* Ita Albertus Magn. de qua re vide *quæſt.*4.

Iſai. 52. — *Quanta eſſet puritas Ioſeph.* — Damian. — *Mira virginitas Ioſeph.*

Matthæi 1. *num.* 19. Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

VERSIONES.

Syriacus.	Ioſeph autem maritus eius, quum iuſtus eſſet, noluit eam traducere, ſed cogitabat clam eam derelinquere,
Pagninus.	Ioſeph autem vir eius iuſtus exiſtens, & nolens eam vituperare, voluit clam.
Arias.	Ioſeph autem vir eius iuſtus exiſtens, & non volens eam exemplum facere, voluit occultè repudiare eam.
Vatablus.	Ioſeph autem maritus eius, &c. Voluit occultè repudiare.
D. Auguſtinus Epiſt. 5. ad Maced. & ſerm. 19. de verbis Domini.	Et nollet eam diuulgare.
Idem Ep. 59. ad Paulin.	Et nollet eam exemplare.
D. Chryſ. homil. 4. in Matth.	Conatus eſt occultè dimittere eam.
D. Athanaſ. lib. 11. ad Theophyl.	Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet homo iuſtus, & nollet eam detegere.

EXPOSITIO.

13\. VT oſtendat Euangeliſta, Chriſtum, non de homine, ſed de Spiritu ſancto eſſe conceptum, ponit hîc dubitationem Ioſeph, vt ipſe de hac re, ac puritate Virginis ſit teſtis fideliſſimus, vt notat D. Fulgentius de gratia Chriſti cap. 3. *Ioſeph autem vir eius*, ſeu, vt alij vertunt, maritus eius, vel vir, quia non adoleſcentulus, nec ſeniculus, ſed in media ætate ad hoc, vt eſſet idoneus ad miniſterium Chriſto, Virginique præſtandum. *Eſſet iuſtus.* ideſt, omni virtute ornatus. *Et nollet eam traducere*, ſeu vituperare, ſeu exemplare, ſeu diuulgare; hoc eſt, in publicum ſermonem vulgi efferre, ad diffamandum eam. Voluit ergo iuſtus hoc euitare, eam relinquendo, & à ſe dimittendo. Cætera in quæſtionibus.

Fulgent.

QVÆSTIO IV.

Quare dicatur hîc Ioſeph iuſtus?

14\. IN eo, quòd non vult traducere Virginem, potius miſericordia, quàm iuſtitia vſus eſt; & tamen hîc dicitur *iuſtus*. Reſpondet D. Chryſoſtomus homil. 4. in Matthæum. *Iuſtus hîc*, ait, *in omni virtute, dicit, eſſe perfectum.* Non ſumitur ergo hîc *Iuſtus* pro ſpeciali virtute iuſtitiæ, ſed pro omni perfectione virtutum, quia omnis hæc perfectio reperta eſt in D. Ioſeph. In primis pietas, & iuſtitia, vt ait D. Paſchaſius hîc. *Pietas, cùm non vult traducere eam ad ſupplicium, & infamiam; Iuſtitia, dum cogitat dimittere eam, quia iuſtitia ſine pietate crudelitas eſt.* Quod eleganter in præſenti ait D. Chryſologus ſermone 145. *Virtutes, ſi ſeparatæ fuerint, dolabantur, æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas. Ioſeph ergo iuſtus, quia pius: & pius, quia iuſtus.* Enituit in eo maxima puritas, & virginitas, vt iam ex Cancellario Pariſienſi retulimus *q.* 2. De illo ait Regius Vates, vt explicat Inſulanus lib. de S. Ioſeph: *Omnia ſubiciſti ſub pedibus eius*, Pſal. 8. num. 8. Per *omnia* autem intelligio omnem fomitem peccati, omnes appetitus, & motus inordinatos, quæ omnia ſubiecit Deus noſtro ſanctiſſimo Ioſeph, vt iam dixi citata *quæſt.* 2.

Chryſoſt. — *Omnes virtutes in Ioſeph.* — Paſchaſ. — Chryſol. — Inſulanus. Pſalm. 8.

perfectionem verò aliarum virtutum conſideremus.

15. *Prudentia Ioſeph.* Matth.2.

Fuit ſingulari prudentia prædîtus, quæ tanto miniſterio neceſſaria erat prudenter fugit Herodem, & Archelaum, qui necem Chriſti meditabantur. Ait Angelus Ioſeph. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum*, Matth.2. num.13. Et iterum defuncto Herode, ait ei Angelus: *Accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſraël*, ibidem num.19. Et iterum: *Admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ.* Sed quare cùm Angelus explicet Ioſeph, vt de vno loco in alium tranſeat, nunquam tamen determinat modum fugæ, nec terram, vel partem Ægypti, Iſraël vel Galilææ, in qua eſt habitaturus? Abulenſis c.2. Matth. q.77. *Angelus*, ait, *noluit cogere Ioſeph ad manendum in aliquo loco determinato, vt poſſet manere in terra Iſraël, vbicumque bene ſibi videretur.* Quod Ioſeph vnà cùm puero, & matre fugiat, Angelus indixit, ſignificans, ac declarans Dei voluntatem; prudentiæ verò eius relinquitur, vt eligatur modus fugæ, terra, in qua cum Virgine, ac puero Ieſu debeat commorari. Valde minutim præſcribitur à Deo Moyſi locus, in quo Arca ſit ponenda, ac modus cum apparatu Sacerdotum, ac tubarum; qualiter de vno loco ad alium ſit mouenda, *Exod.*25. & 26. Similiter valde ſpecialiter mandatur Ioſue, qualiter Arca ſit circunferenda à Sacerdotibus, maximè populo diſtante, *Ioſue cap.3. num.6.* Quo pacto Templum, ac Sancta Sanctorum, vbi Arca eſt collocanda, ſit extruendum, manu Dei ſcribitur exemplariter Dauid, 1. *Paralipomenon cap.28. n.19.* Et obſeruat, *ibi* Abulenſ. *quæſt.7.* Et per ipſum Dauidem ad Salomonem deducitur exemplar, vt notat Pineda *de rebus Salomonis, lib.5. cap.4. num.30.* Sed cur Arca, quæ Chriſtum, & Virginem exprimebat, quomodo ſit mouenda, & vbi locanda, valde peculiariter deſignatur Moyſi, Ioſue, Dauid, Salomoni; & tamen qualiter Virgo cum puero fugiat, & vbi ſeſe recipiat, hoc totum Ioſeph committitur? Plus ſanè ſapientiæ, & prudentiæ huius creditur, quàm omnibus illis, cùm non figura, ſed ipſum figuratum curæ Beati Ioſeph iniungatur.

Abulenſis. Pineda.

Plus creditur ſapientiæ Ioſeph, quàm aliorum.

16. Matth.2.

Magna, & generoſa fides in Ioſeph inuenta eſt; nam cùm Angelus ei dixiſſet, *Surge, accipe puerum, & matrem, & fuge in Ægyptum*, Matthæi c. 2. n.39. nullum ſcandalum, vel ambiguitatem paſſus eſt, vt notat D. Chryſoſtomus homil.8. in Matthæum. *Non dixit: Tu Angele paulo antè dicebas, quia ſaluabit populum ſuum; & nunc ſe ipſum non poteſt de periculis liberare, ſed fuga quidem nobis neceſſaria eſt? Contraria omnino ſunt facta promiſſis. Sed nihil prorſus opponit.* Præclara fides, magnam ſuperat contrarieratem, nihil mali ſuſpicatus eſt, dum puerum, quem ab Angelo verum eſſe mundi Saluatorem audierat; nunc animaduertat fugam requirere, vt à periculo liberetur. Non dixit: Si Saluator eſt mundi, quomodo ſe ipſum non ſaluat? Abrahamus dicitur pater credentium, pater fidei noſtræ, *ad Rom.4. num.11.* Quare Noë, vel Enoch, vel Iſaac, non dicitur quilibet pater fidei, vel credentium? Quia iſti crediderunt in illis, quæ ſibi erant conuenientia, alius quòd in arca diluuium euaderet; alius, quod in Paradiſum eſſet transferendus. At Abrahamus, vt notant D. Chryſoſtomus, S. Thomas, credidit in ſpem contra ſpem, nempe ex filio, quem in holocauſtum occidebat, generationem ſe habiturum. Excellentia fidei in magna vincenda repugnantia innoteſcit. Meritò Ioſeph pater fidei noſtræ dici poteſt; credidit enim Chriſtum eſſe mundi Saluatorem, cui, vt ſaluaretur è manu Herodis, ne eum perderet, longa, ac periculoſa fuga neceſſaria fuit. Humilitas in ſancto Patriacha maximè ſe oſtentauit, ita vt Chriſtum natum non auderet attingere. D. Chryſoſtomus *homil de natiuitate*, ſic ait. *Declinauit eum mater in præſepio, Ioſeph autem meditabatur, gaudebat natum, & natum non audebat attingere.*

Chryſoſt.

Fides Ioſeph.

Chryſoſt. D. Thom.

Pater fidei noſtra Ioſeph.

Humilitas Ioſeph. Chryſoſt.

17.

Reſplenduit in eo maxima fortitudo in ſupportandis incommodis paupertatis, in labore manuum, in peregrinatione periculoſa ad gentem hoſtilem. Erat Deo, Angelis, & hominibus maximè obediens. Aſcendebat ad ſtatuta feſta ex præcepto legis: vnde contigit, vt puerum perderet. Angelorum monitis alacriter obtemperabat vera, & cæca obedientia, non reſpondens, nec ſe excuſans: & ita ſemper inueniens in Euangelio, eum audiſſe Angelorum dicta, numquam verò reſpondiſſe. Erat tandem in charitate, & amore Dei feruentiſſimus. Poſtquam Ieſu in medio Doctorum inuentus eſt, dixit illi mater: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, Lucæ 2. n.48. Concors eſt omnium ſententia, quòd ex amore, & dilectione oritur triſtitia, & mœſtitia rei amiſſæ. Virgo ſanctiſſima de dolore ſuo, ac Ioſeph æqualiter pronuntiat; ergo licèt Beatiſſimæ Virginis amor in filium ſuum Ieſum Chriſtum omnium creaturarum amorem in Deum maximè excederet, Ioſeph tamen dilectio in puerum Ieſum aliquam cum amore Beatiſſimæ Virginis habuit ſimilitudinem, ita vt aliqualiter cum illo poſſit comparari. Vnde ait Rupertus Abbas lib.1. de gloria, & honore filij hominis in Matthæum. *Spiritus ſanctus de carne Virginis hominem formans paternum viro huic, ſcilicet Ioſeph, qui naſcebatur infantis amorem penitus infuderit.* Et D. Cyrillus, Hieroſolymitanus Catech. *Sicut Maria, ait, mater Ieſu dicitur propter generationem, ita Ioſeph pater Ieſu propter curam, vel dilectionem vocatus eſt, & non propter generationem.* Communiter Ioſeph pater Chriſti reputabatur ob eximium amorem, quem erga illum habebat.

Magna Ioſeph obedientia.

Luc.2.

Ioſeph charitas, ac amor in Chriſtum.

Rupert.

Cyrillus.

18.

Ad calcem huius quæſtionis notandum eſt, eleganter aduertiſſe D. Ambroſium *lib.2. in Luc.* ad illa verba, *Deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph*, ſic ait, *Vbique in Ioſeph iuſti gratia, & perſona ſeruatur, vt teſtis ornetur: os enim iuſti mendacium neſcit, & lingna eius loquitur iudicium.* Cùm Ioſeph ex diuina diſpoſitione ordinaretur ad hoc, vt eſſet teſtis fideliſſimus diuinitatis Chriſti, ac integritatis Virginis, ideo totus eſt Euangeliſta in eius iuſtitia, ac virtute deſcribenda, vt ex authoritate tanti viri, eius teſtimonium corroboretur, ac fide digniſſimum appareat. Vide ſuprà hoc lib. *cap.4. quæſt.16. in fine.*

Ambroſ.

Teſtimonium ex probitate teſtis corroboratur.

QVÆSTIO V.

Quare dicatur Ioſeph iuſtus, cùm eſſet in eadem domo cum Virgine, & Verbo Incarnato?

19. CORAM Deo nullus poteſt reputari iuſtus. *Nō iuſtificabitur in cōſpectu tuo omnis viuēs*, Pſalm.142.

Pſalm.142. Vatablus.

Pſalm.142. num.2. Seu, vt vertit Vatablus, *Nullus enim viuens coram te iuſtus eſt.* Quomodo ergo Ioſeph cum Verbo Incarnato, & Virgine Maria ſub eodem tecto habitans iuſtus deſcribitur, & nominatur? Tanta erat virtutum eius excellentia, & præclaritas, vt etiam ante Deum, & beatiſſimam Virginem iuſtus appareret, & iuſtitia in eo radiaret. D. Auguſtinus *tom.9. ſerm.81.* ait, quòd Beatus Ioſeph velut Sol, & Apoſtoli tamquam ſtellæ adorauerunt Dominum Ieſum Chriſtum. Sed quare Ioſeph Soli, Apoſtoli ſtellis comparantur? Mitto, quòd ſtellæ lucem accipiunt à Sole; Apoſtoli verò magnum virtutis documentum à Ioſeph ſanctitate perceperunt. Sed ad rem noſtram: Stellæ ad præſentiam maioris lucis diſparent, Sol verò ſemper fulget, & irradiat. In præſentia Chriſti, qui eſt verum lumen, & vera lux, Apoſtoli, tamquem ſtellæ parum, vel minimè ſcintillant; at noſter Ioſeph, veluti alter Sol ſemper fulgens, & reſplendens apparet.

Auguſt.

Ante Deum virtus Ioſeph reſplendet.

19.

In decantatiſſima Chriſti natiuitatis nocte, in claritate Dei, paſtoribus in ſua regione vigilias noctis cuſtodientibus Angeli ſe manifeſtant, *Lucæ 2. num.8.* Et dum veniunt ad præſepe feſtinantes: *Inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem*, Luc.2. num.16. Et tamen, cùm ibi eſſent Angeli, vt ex communi ſententia ſanctorum Patrum tradunt Caietanus, Suarius *ad 3. part.* Salmeron, Beaulxames, & alij, à paſtoribus minimè videntur. Sed quare paſtoribus in regione eorum Angeli fulgentes ſe exhibent, in ſtabulo verò minimè? In caulis, in montibus ab infante nato diſtantibus cæleſtes illi Spiritus in fulgente luce poterant videri: at in præſentia Chriſti nullo modo, nec ibi valent reſplendentes apparere, ſed ſolùm Maria, & Ioſeph inueniuntur, & videntur: in conſpectu enim tantæ lucis ſolùm hæc duo lumina non obſcurabantur.

Luc.2.

Caiet. Suarius. Salmeron. Beaulxam.

20.

Sed quid mirum, quòd Ioſeph tanta ſit ſanctitate conſpicuus, cùm ad hoc natus, & creatus ſit, vt filium Dei in ſuis vlnis aſportaret. In opificio mundi terra creatur *inanis & vacua*, ſine plantis, & arboribus; cælum rude ſine ſtellis, & planetis, & abſque Sole, & Luna? lux etiam imperfecta, quarto enim die creatus eſt Sol; ſola verò aqua producitur cum tota ſua perfectione. Tertullianus lib. de Baptiſmo cap.3. *Solus liquor*, ait, *ſemper materia perfecta, læta, ſimplex, de ſuo pura dignum vectaculum Deo ſubyciebat.* Aqua ſola cum tota ſua excellentia, & bonitate creatur, vtpote futura ſedes diuini Spiritus. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Geneſ. c.1. n.2. Multi ſunt cæli cælorum, nempe Sancti in Eccleſia, quos Deus magis virtutibus exornauit, ſuas tamen per aliquod tempus habuerunt imperfectiones. At noſter ſanctiſſimus Ioſeph, cùm futurus eſſet in terris Dei vectaculum, quamuis à communi lege Adami non ſit abſolutus, vbi tamen genitus, ſtatim ſanctificatus, ac omni decore gratiæ, & virtutum maximè expolitus. In tanto apice perfectionis extitit virtus Ioſeph, vt videretur ſuam perfectionem noſtræ fidei æmulari. Excellentia fidei noſtræ in eo maximè nitet & reſplendet, dum in ſacro myſterio Euchariſtiæ ſenſus iudicant de accidentibus ſibi notis, per colorem, ſaporem, odorem, exiſtimantes ſibi adeſſe panem, & vinum. At tunc noſtra fides firmiſſimo aſſenſu credit, nullam ibi eſſe ſubſtantiam panis, & vini, ſed ſolùm corporis, & ſanguinis Chriſti Ieſu. De noſtro Ioſeph ait Euangeliſta, quòd *cùm eſſet iuſtus, nollet eam traducere.* Et cur non vult eam traducere, cùm manifeſtè quodammodo facinoris vmbra tumeſcentis vteri oculis appareret. Bellè Imperfectus *homil.1. in Matth.* ſic ait: *Conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat.* Vterus ſuccreſcens apertè prolem conceptam oculis indicabat, cuius participatione ſponſus Ioſeph omnino alienus erat; tanta autem erat virtus Ioſeph, vt viſu etiam adduci non poſſet, vt quid mali de Virgine ſuſpicaretur, ac proinde quamuis oculis videret conceptionem, tamen mente nullum crimen in vxore credebat. Optima quadam ſimilitudine dicam. Ab Apoſt. *Roman.4. n.18.* magnis laudibus celebratur Abrahæ fides: *Qui contra ſpem, in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium.* Sed vnde tanta excellentia, vt pater fidei dicatur Abrahamus. Dum procedit ad iugulandum filium, contra omnem naturalem rationem, ac ſpem, credidit ſe poſſe affecta iam ætate, liberos ſuſcipere, ex Sara iam propè confecta, ac proinde cùm crederet contra ſenſuum experientiam, pater gentium per fidem eſt dictus. D. Thom. *Proponit*, inquit, *magnitudinem fidei Abrahæ, qui contra ſpem cauſæ naturalis, vel humanæ credidit in ſpem diuinæ promiſſionis.* Magna virtus Ioſeph, qui ſupra omnem naturalem obedientiam credidit in virtutem ſuæ ſponſæ prægnantis.

Inter omnes Sanctos Ioſeph in magna virtute.

Tertull.

Geneſ. 1.

Imperfect.

Virtus Ioſeph fidei perfectionem imitatur.

Rom.4.

D. Thom.

QVÆSTIO VI.

Quare Ioſeph noluit traducere Virginem?

21. QVÆSTIO eſt: Quare noluit Virginem vituperare? vt alij legunt; ſeu quare noluit diuulgare id, quod videbatur crimen? Seu quare noluit probare, an eſſet polluta ab aliquo extraneo viro per potionem aquæ amariſſimæ, vt præcipiebatur in lege *Num. 5. n. 19.* dum mulier, de qua erat ſuſpicio, coram Sacerdote deferebatur. Tamen Ioſeph non vult eam traducere. Primò. Ne inde pateretur via ad aliquam infamiam, vel ſupplicium. D. Ambroſius ſerm.7. in Pſalm.118. n.5. *Non ſolùm, ait, ab vltionis atrocitate, ſed etiam ab accuſationis ſeueritate iuſti aliena perſona eſt: potiuſque ducit ſuam remiſſionem accuſari, quod non indicauerit, quàm alienum crimen arguere.* Tale fuit ingenium ſanctiſſimi viri, quòd potius voluerit inuri nota miſericordiæ, & remiſſionis in dimittendo, quàm ſeueritatis, & rigoroſæ iuſtitiæ in accuſando. Secundò. Aderat Ieſus in vtero Virginis, de cuius halitu proueniebat, vt Ioſeph hanc hauriret doctrinam, vt non ſolùm iniurias remitteret, ſed etiam iniurianti parceret. D. Chryſoſtomus homil.4. *Vt enim, ait, Sol, nondum radijs oſtenſis, eminus tamen ſplendore ſuo maximam partem orbis illuminat; ita & Chriſtus ex vtero Virginis iamiamque progrediens, vniuerſo orbi, etiam priuſquam oriretur, illuxit: propterea igitur Ioſeph tantam philoſophiam mentis oſtendit; neque enim aut in iudicium trahit ſponſam, aut ipſe ſaltem ei manifeſtum vteri exprob[illegible] uit tumorem.* Oriente iam Sole Ioſeph tra[illegible]batur in Chriſtianam philoſophiam remi[illegible]ndi iniurias, quæ apparenter videbantur.

Ambroſ.

Chryſoſt.

Ex Chriſti præſentia remittuntur iniuriæ.

22. Tertiò. Noluit traducere [illegible] ſed voluit occultè dimittere,

Dandus eſt locus rebus.

dimittere, dum ſanctus Patriarcha per ſui abſentiam, vel fugam intendit diſſimulare id, quod crimen videbatur; & noluit inducias rebus dare ab omni ſuſpicione, & vxoris infamia meruit liber euadere. D. Chryſologus ſerm. 145. *Ioſeph*, ait, *dum cauſam temperat, iudicium cuſtodiuit, dum vindictam differt, crimen euaſit.* In eo ſæpe ſæpiùs ſtat, multa euadere, quòd ſciat homo aliquando differre, ac cunctare, & non accelerare res grauiſſimas aggredi. Quartò. Ioſeph, vt iuſtus; cùm dubitaret, de quo *q.7.&8.* noluit traducere: voluit tamen occultè dimittere: ne cùm videret vxorem prægnantem, cuius ipſe eſſet ignarus, in aliquam malam ſuſpicionem declinaret. D. Paſchaſ. lib. 2. in Matth. *Et nos fratres*, ait, *quoties turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum ſpecies, facit ſuperficies cauſarum interdum interiora veritatis neſcire, declinemus ad præſens iudicium, ſubtrahamus ſententiam, fugiamus diſcrimen, dicamus totum Deo, ne dum temerè geſtimus definire ſententiam, paremus ex diſcrimine alieno ſententiam.* Fugiendum eſt ne ex dubitanti ſuſpicione feramus iudicium contra proximum, vt inde in aliorum iudicium incidamus.

Chryſol.

Fugiendum eſt ab omni ſuſpicione.

Paſchaſ.

23\. Auguſt.

Quintò D. Auguſtinus ſerm. 16. de verb. Dom. *Attendit*, inquit, *quemadmodum vir iuſtus Ioſeph, tanto flagitio quod de vxore fuerat ſuſpicatus, tanta benignitate pepercit, antequam ſciret vnde illa conceperat, quia grauidam ſenſerat, & ſe ad illam non acceſſiſſe nouerat. Reſtabat itaque certa adulterij ſuſpicio; & tamen quia ipſe ſolus ſenſerat, ipſe ſolus ſciebat, quid de illo ait Euangelium? Ioſeph autem cùm eſſet vir eius iuſtus, & nollet eam diuulgare. Mariti dolor non vindictam quæſiuit: voluit prodeſſe peccanti, non punire peccantem. Cùm, inquit, nollet eam diuulgare, voluit eam occultè dimittere.* Quamuis in Virgine aliqualis criminis vmbra appareret Ioſeph, qui ſolus nouerat; nam ſecum tacitè conſiderat, cum nullo loquitur, ne defectus alterius propaletur; & non cogitat quomodo ipſe vlciſcatur, & Virgo puniatur, ſed tantùm cogitat quomodo ei poterit prodeſſe, & ideo ei venit in mentem, vt ſponſa dimittatur, vt ita omnẽ honoris iacturam effugiat.

Proximi defectus occultandi.

Non de vindicta, ſed de remedio curandum.

Prudentia eſt cauſas non definire.

Sextò. Prudentiſſimus Ioſeph noluit traducere, nec crimen diſcutere, nec culpam definire, hoc enim ſæpe expoſitum eſt, vt accuſans reus euadat ignominia iniuriatus, & verecundia affectus. Abulenſis cap. 2. Matth. q. 37. *Si Ioſeph*, ait, *accuſaret eam adulterio, ſiue conquereretur, erubeſceret, ſcilicet quòd vxor eius fornicata eſſet, & ideo, vt non cogeretur pati iſtam verecundiam, voluit eam occultè dimittere.* Ad iudicium cauſam vocare, culpam ventilare, inde ſæpe ſæpiùs magna originatur verecundia. Cùm adiuraſſet Saul populum: *Maledictus vir, qui comederit panem, donec vlciſcar me de inimicis meis*, 1. Reg. 14. num. 24. Et cùm Ionathas hoc non audiſſet, guſtauit fauum mellis. Poſtea Saul conſuluit Dominum, an perſequeretur Philiſthiim? Ad quod Dominus minimè reſpondit. Ex quo cognouerunt omnes peccatum eſſe in Iſraël. Saul nimis inſtanter per ſortes voluit perſcrutari, quis tanti facinoris reus eſſet. *Et captus eſt Ionathas, cit. loc. n. 42.* Saul, vt ait Abulenſis *quæſt.* 40. confidens de ſua innocentia, in[illegible] fecit; ſed qui rigoroſè inquirebat crimen, maxi[illegible] pœna ipſum comprehẽdit, dum dilectiſſimus fi[illegible] ſuus inuentus eſt reus. Septimò. Veræ iuſtitiæ mu[illegible] eſt, ſeueritatem legis in effectu temperare, ac rigorem ſupplicij remittere; hic Ioſeph iuſtus, qui aliquid de ſeueritate legis voluit emollire. D. Auguſt. Epiſt. 54. ita ait: *Cùm eam comperiſſet prægnantem, & ob hoc nil aliud, quàm adulteram credidiſſet, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit; nam hæc voluntas etiam iuſtitiæ deputatur, ita quippe de illo ſcriptum eſt: Et nollet eam traducere.* Quod confirmat exemplo adulteræ *Ioan.* 8. Nec enim iuſtitiæ eſt, ad vltimum rigorem deuenire, ſed aliquid de eo cum benignitate temperare. Et tamen hæc voluntas iuſtitiæ deputatur.

Abulenſ.

1. Reg. 14.

Abulenſ.

Auguſt.

Ioan. 8.

Iuſtitia eſt aliquid de rigore legis remittere.

24\.

Octauò. Iuſtiſſimus, ac prudentiſſimus Ioſeph, quamuis inſpiceret in Virgine vteri tumorem, non ibi tamen ſiſtebat, ſed contemplabatur virtutes, quas in illa fuerat expertus, ſub quarum radiis ita temperabatur, vt nullum malum de ea poſſet ſuſpicari. Imperfectus *homil.* 1. *in Matth.* poſtquam introducit Ioſeph aſſerentem nullum in ea vitium vmquam apparuiſſe, non commeſſatricem, non vinolentam, &c. ſed omnia laudabilia, & admiranda in ea inuenire. Sic concludit: *O inæſtimabilis laus Mariæ! magis credebat caſtitati eius, quàm vtero eius: & plus gratiæ, quàm naturæ. Poſſibilius eſſe credebat, mulierem ſine viro poſſe concipere, quàm Mariam poſſe peccare.* Ioſeph magna rationis diſcuſſione præpenſis virtutibus Mariæ tumeſcentis vteri indicio nil mali ſuſpicari de ea valet. Efficacius enim debent mouere multa virtutum documenta viſa, & experientia cognita, vt bonum perſuadeant, quàm aliquod ſignum, ſeu ſuſpicio peccati, vt in malum de proximo inducant; magnis Domini virtutibus, ac miraculis commotus Simon Chriſtum in domum ſuam excepit ad conuiuium, cùm autem ſuperueniret mulier peccatrix, & ipſum tangeret, Phariſæus inter ſe dicebat: *Hic ſi eſſet Propheta ſciret, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum*, Luc. 7. n. 39. Ait ei Chriſtus: *Simon habeo tibi aliquid dicere*, quod reprehendendo dictum eſt ei, teſte D. Gregorio *homil.* 33. D. Bonauent. Euthym. & aliis; ſed cur ſtatim in conuiuio obiurgatur iſte à Domino? Meritò ſanè, quia cùm tot Domini virtutes, ac ſigna videret, ex eo quòd ab illa muliere tangebatur, iam opinionem, quam de eo conceperat, deponebat. Caietan. *Hinc minorem*, ait, *concepit de Ieſu opinionem, non arbitrans eum etiam eſſe Prophetam.*

Imperfect.

Nullum malum poterat de Virgine ſuſpicari.

Plus moueãt virtutes cognitæ, quàm ſuſpicio peccati.

Luc. 7.

Gregor. Bonauent. Euthym.

25\.

Homo non poteſt diuelli à prima opinione.

Nonò, ad eadem verba Imperfecti; Tantum Ioſeph de virtute Virginis conceperat, vt nulla euidentia poſſet in oppoſitum inclinari; tam efficax eſt prima opinio, & apprehenſio de re aliqua, vt nullo modo valeat homo ab ea diuelli, & in contrarium flecti. Cùm Aſſuerus imperaſſet, vt Vaſthi coram eo introduceretur, *Eſter* 1. *num.* 11. ea obedire renuens à faſtigio regni deturbatur. Eſther autem abſque Regis mandato ad eum ingreſſa eſt, & petitionem, quam optabat, impetrauit, *ibid.* 5. *num.* 2. æquale tamen erat crimen ſine iuſſione intrare, ac vocatam non aduenire; at Vaſthi ignominia afficitur, Eſther verò honore inſignitur. Illa vt ſuperbia elata præſumebatur, vt notat Gloſſa, Lyranus. Hæc autem, vt expendit Rupertus *lib.* 8. *de Victoria Verbi Dei, cap.* 15. *&* 19. coram Rege ſemper humilem & prudentem ſe exhibebat, & ideo non indicauit patriam, & genus, *Eſther* 2. *num.* 30. & omne abominabatur ſignum ſuperbiæ, & gloriæ, *cap.* 12. *num.* 16. Et Vaſthi factum ideo tamquam ex contemptu Regis ſupplicio multatur; Eſther verò ingreſſus ex humilitate adiudicatur, & inde venia honoratur. Dum omnes fratres contra vnum Ioſeph adunantur, intenduntque ipſum interficere. *Ruben verò nitebatur liberare eum de manibus eorum.* Geneſ. 37. num. 21. Sed quare Ruben inter omnes fratres ſuos tam vehementer inſtat pro puero liberando? D. Thomas in Geneſ. *Videtur, quòd Ruben, tamquam patri pro incuſatione Balæ iam obnoxius, timebat ſingulariter de morte Ioſeph accuſari à patre.* Ruben propter coitum, quem habuit cum Bala patris concubina, ab ipſo tamquam audax, & inobediens appretiatus erat, & quia timebat totum crimen de morte Ioſeph in ipſum coniiciendum, ideo nitebatur eum liberare, vt ita ab omni mala ſuſpicione ſeſe purgaret. Huic quæſtioni aliam rationem iam communem apponamus.

Gloſſa. Lyran. Rupert. Eſth. 2. & 12.

Gen. 37.

D. Thom.

De crimino ſo ſuſpicatur malum.

QVÆSTIO VII.

An ex aliqua ſuſpicione Ioſeph voluerit dimittere Virginem?

26\. 1. *Sentent.*

IN hac vulgari, & communi quæſtione reſoluenda, triplex eſt ſententia, Prima aſſerit, Ioſephum de Virginis caſtitate dubitaſſe, atque iudicaſſe ream eſſe adulterij, quia videbat prægnantem, quam ſciebat ſe non tetigiſſe. Ita D Auguſtinus *tom.* 2. *Epiſtol.* 54. vbi ait: *Ioſeph nouerat ſe virgini non eſſe commixtum, ob hoc nihil aliud, quàm adulteram credidiſſet. & tom.* 10. *ſerm.* 4. *de natali Domini, & hom.* 16. *de Verbis Domini.* Idem ſentiunt, Iuſtinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone*, D. Hilarius *in Matth.* D. Chryſoſtomus *hom.* 4. D. Ambroſius *de Inſtitut. Virgin. cap.* 5. Euthymius, Chryſippus Hieroſolymitanus *ſerm. de Deipara*, & alij. Hoc enim prima facie Euangelij textus videtur ſonare, *Cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere.* Ex Græco verò eſt, *vituperare*, ſeu *exemplare*; ergo Ioſeph ob compaſſionem in illam, noluit eam accuſare.

Auguſt.

Iuſt. Mart. Hilar. Chryſoſt. Ambroſ. Euthym. Chryſipp.

27\. 2. *Sentent.*

Secunda ſententia eſt eorum, qui ſentiunt Ioſephum ſanctum ſanctiſſimum agnouiſſe myſterium Incarnationis, ſed præ modeſtia tanto honore, tantæque Virginis conſortio indignum ſe exiſtimaſſe, & ideo præ humilitate ſtatuiſſe in animo eam dimittere, memor illius, quod Moyſi præceptum eſt: *Non appropies huc: ſalue calceamentum de pedibus tuis*, Exod. 3. num. 5. Et ſimili ſpiritu dixit Petrus. *Exi à me, quia homo peccator ſum*, Luc. 5. num. 48. Hanc ſententiam tenent Origenes *hom.* 1. *in Matth.* D. Baſilius *tom.* 1. *homil.* 25. D. Hieronymus, Theophylactus, D. Thomas, Epiſcopus Zacharias, Cardinalis Hugo, Salmeron, & alij in comment. huius loci. Et hoc clarè habetur in quadam reuelatione facta S. Brigitæ *lib.* 7. *cap.* 25. Et prima ratio eſt, quia videtur, Ioſephum non ignoraſſe myſterium Incarnationis; nam Virgo ab ipſo quæſita, probabile eſt, quòd totam rem patefaceret. Secunda, Quia Ioſeph interfuit viſitationi ad Elizabeth, vt eſt probabile: ergo intellexit ſalutationem ab ea factam. Tertia. Deus noluit Iudæos de Virginis caſtitate malam opinionem concipere, & ideo diſpoſuit, vt eſſet deſponſata: ergo etiam noluit Ioſephum de eius pudicitia aliquid ſiniſtrum cogitare.

Exod. 3.

Luc. 5.

Origenes. Baſilius. Hieron. Theoph. D. Thom. Zachar. Hugo. Salmeron.

28\. 3. *Sentent.*

Tertia ſententia, & vera, meo iudicio, affirmat, Beatum Ioſephum nihil mali de Beatiſſima Virgine fuiſſe ſuſpicatum, & illum latuiſſe Incarnationis myſterium, ac proinde nec bonum, nec malum exiſtimaſſe, ſed maxima dubietate iudicium ſuſpendiſſe. Ita Imperfectus *hom.* 1. *in Matth.* cuius verba retuli ſuperiori quæſtione. D. Hieronymus, *Sed hoc teſtimonium Mariæ*, ait, *quòd Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod viderat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat.* Aymon *in Vigilia Natiuit. Domini*, D. Petrus Chryſologus *ſerm.* 145. Gloſſa ordinaria *in* 1. *cap. Matth, ibi*, Albertus Magn. Simon Caſſian. *lib.* 2. *cap.* 16. D. Thomas explicans illud: *Exurgens Ioſeph à ſomno*, ſcilicet dubietatis, & alij.

Imperfect.

Hieron.

Aymon. Chryſol. Gloſſa. Alb. Magn. Caſſian. D. Thom.

29\.

Probatur; quia Ioſeph erat vir iuſtus, & prudentiſſimus: ergo nullum habuit iudicium temerarium, aut malam ſuſpicionem de Beatiſſima Virgine; præcipuè, quia excellentia illius virtutum, ac morum integritas, in quibus nec vmbra maculæ venialis, notæ erant Ioſeph. Et confirmatur: quia miraculoſa natiuitas ex parentibus ſeneſcentibus, admirabilis in templo præſentatio; fama integritatis vitæ; votum, quo ſuam Deo dedicauerat virginitatem: miraculoſa cum illa deſponſatio, germinante virga, & Spiritu ſancto ſuper illam in forma columbæ apparente; vt teſtatur D. Hieronymus *lib. de ortu Virginis*, eius puritatem euidentiſſimè demonſtrabant: ergo non poterat D. Ioſeph de illa ſibi perſuadere peccatum, & adulterium. Nec paruus ventris tumor inſtabat in contrarium; quia ex variis cauſis poterat prouenire; vel ex aliquo morbo, vel quia Virgo attractione virilis ſeminis abſque clauſtri violatione poteſt concipere, vt teſtantur Auerroës 2. *de cælo.* D. Thomas *quodlib.* 6. *art.* 18. Nauarrus, & alij cum Sanchez *l.* 7. *de matrimon. diſp.* 113. *num.* 10. Et ideo Ioſeph prudenter volebat dimittere Virginem, vel per ſui abſentiam, vel fugam, per aliquod tempus, vt videret exitum rei.

Hieron.

Auerroës. D Thom. Nauarr. Sanchez.

30\.

Quòd verò pro tunc ante Angeli apparitionem Ioſeph non agnouiſſet myſterium Incarnationis, mihi manifeſtè oſtendit dictum Angeli totam rem reuelantis: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, paries filium, & vocabis nomen eius*, &c. Ad quid Angelus hæc diceret, ſi ei iam reuelata erant? Nec eſt probabile, quòd Virgo ſecretum tanti Regis aperuiſſet Ioſeph abſque reuelatione ei facta, ad quod aſſerendum non eſt fundamentum. Deinde ſi manifeſtauit Ioſeph ipſum myſterium, manifeſtauit etiam congruentias; ob quas conueniens erat, vt Deus de deſponſata naſceretur; ſed has non aperuit; ergo nec myſterium. Ad rationes in contrarium dicimus, quòd Ioſeph numquam Virginem interrogauit, vt dicemus infrà *quæſt.* 9. Ad ſecundam, quòd quamuis Ioſeph comitatus fuiſſet Virginem in ſua viſitatione; colloquiis tamen inter ipſam, & Elizabeth non interfuit; vel ſi adfuit, diuinitus impeditus fuit, ne myſterium agnoſceret; & poſtea vt dubitando teſtis fideliſſimus virginitatis Mariæ eſſet. Ad tertiam, quòd Ioſeph numquam ſuſpicatus eſt malum de Beatiſſima Virgine, vt diximus.

* * *

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An teneretur Ioſeph traducere, ſeu manifeſtare Virginem?

31\. Hieron. Alb.Magn. Abulenſ. Theoph.

ALIQVI affirmarunt ducti auctoritate D.Hieronymi: *Non ſolùm reos, ſed etiam conſcios criminum obnoxios eſſe peccato*; vt præcipitur *Leuitic.5.num.1.* Sed hoc, vt patet ex textu, procedit illis, qui vocati à Iudice, vt teſtimonium dicant rei, cuius ſunt conſcij, indicare tamen noluerint. Sed Ioſeph nullius criminis conſcius erat, vt dixi ſuperiori quæſt. ergo non tenebatur; imò non poterat traducere, ſeu accuſare Virginem, vt adulteram; quia vt ait Albertus Magnus, Iuſtus in dubiis non ſtatim prodit; & ideo de quo dubitabat, non poterat, vt certum dicere, ſed cogitabat de dimittenda Virgine per fugam, vel ſui abſentiam, donec res magis clareſceret. Vnde non conuenio cum Salmerone, & aliis, qui dicunt, quòd poterat eam dimittere per libellum repudij, *Deuteron.c.24.n.1.* Nec etiam cum Abulenſe *quæſt.* 37. qui exiſtimat, hanc legem procedere in matrimonio conſummato: cùm in ea nulla fiat mentio de matrimonio conſummato; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. *l.2. §. conuenire, ff. de iudic.* Deinde ſi vxori infideli poſt matrimonium conſummatum licitum erat dare libellum repudij; quare etiam cum ſponſa infideli non eſſet eadem diſpoſitio? Dico, libellum repudij non potuiſſe dari priuata, ſed tantùm publica Iudicis authoritate, vt ſic multis inconuenientibus obuiaretur; ac proinde non poterat traducere Virginem priuata authoritate, ſed ſi cogitabat de dimittenda, hoc erat exequendum per ſui abſentiam. Vltimò nota hîc cum Theophylacto, quòd Beatus Ioſeph oſtendens ſe ſuperiorem legi, & iam ſupra legalia mandata viuentem, vtpote iam in proximo erat lex gratiæ, à iugo legis veteris iam incipiebat abſolui.

Matthæi 1. *num.* 20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens.

VERSIONES.

Syriacus. Quum autem hæc illi veniſſent in mentem, apparuit ei Angelus Domini in ſomno, & ait illi.

Vatablus. Hæc autem ipſo in animo habente: ecce Angelus.

D. Anſelm. in Matth. Hæc autem illo cogitante, meruit diuinum reſponſum.

Aliqui ex ex Græco. Hæc autem eo ſtudioſè, ac ſolicitè curante.

D. Athanaſ. lib. 11. ad Theophyl. Ecce Angelus Domini in ſomnis viſus eſt à Ioſeph.

EXPOSITIO.

32\. Paſchaſ. S.Thom. Prouerb.4. Pſalm. 9. Anſelm. Auguſt. Cyprian. Gallican. Alb. Magn. Paſchaſ. Zachar.

CVM animus Ioſeph his cogitationibus æſtuaret, &, vt ait D. Paſchaſius *lib.3.in Matth.* ſecum deliberare cœpiſſet, vt Virginem occultè dimitteret. In quo, vt ait D. Thomas, notatur ſapientia Patriarchæ, vt nihil facere decreuiſſet ſine iudicio, & deliberatione rationis. Prouerb.4.num.25. *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos* Text. *Ecce Angelus.* Manifeſtatur prouidentia Dei, quæ iuſtos ſuos non deſerit in tribulatione: *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, Pſalm.9.num.10. Immò ipſi merentur, vt ab afflictionibus liberentur; & ideo legit D. Anſelmus: Hæc cogitante meruit diuinum reſponſum. *Ecce.* Notatur ſubita apparitio. *Angelus*, & erat Gabriel iuxta D. Auguſtinum *ſermone 14. de tempore, poſt medium.* D. Cyprian. *lib.2. contra Iudæos*, Euſebium Gallicanum *in Vigilia natiuitatis.* qui etiam extitit paranymphus Virginis in myſterio Incarnationis. *Domini*; dicitur talis ad diſtinctionem Dæmonis, vt notat Albertus Magnus. Et re vera, cùm reuelaret ea, quæ Ioſeph intra ſe cogitauerat, ſe declarabat miſſum à Deo, cuius ſolius eſt cordis ſecreta ſcire. *Apparuit in ſomnis.* Et notandum, ait D. Paſchaſius lib.2.in Matth. quòd *non in ſomno, ſed in ſomnis illi Angelus apparuiſſe dicitur, quia plurimis viſionibus vſque ad ſufficientiam fidei monſtratur oſtenſus.* Sed in ſomnis, quia fortaſſe magno ſomno dormiebat. Et quamuis ipſe dormiret, Angelus dormiẽtis animæ imaginem ſuam per ſpecies impreſſit. Zacharias Epiſcopus exiſtimat, quòd Angelus vigilanti apparuit in corpore viſibili; dormienti verò per imaginationem: ſed re vera dormiebat, vt clarè conſtat ex textu.

QVÆSTIO IX.

Quare non exquiſiuit Ioſeph à Virgine, quomodo conceperat?

33\. Abulenſ.

De re euidenti non eſt inquirendũ.

DIXERANT aliqui, quòd ex eo Ioſeph non quæſierit à Virgine de modo conceptionis, quia ei cogitanti ſtatim Angelus apparuit. Sed hoc facilè reiicitur, quia vbi primum eam vidit prægnantem, & cœpit ſecum deliberare, quid ageret, poterat ab ea inquirere, præcipuè cùm ipſe, ſecundùm ſanctos Patres, vtriuſque partis rationes maximè ponderauit. Reſpondet primò Abulenſis quæſt.41. in 1. cap. Matth. *Non quæſiuit, quia fruſtra erat quærere, eo quòd non crediſſet Mariæ reſpondenti pro ſe, & volenti excuſare crimen ſuum.* Si enim dictis alicuius non eſt credendum, fruſtrà eſt ab eo aliquid inquirere. Secundò ait ipſe, quia euidens erat, quòd ipſa erat prægnans; ſuperuacaneum autem eſt, de re euidenti quæſtionem facere. Tertiò ait: fortè non quæſiuit, quia noluit obiurgari eam. nam ſi de re tali ſibi loqueretur, erat materia adeò ſcandaloſa, vt forſitam iram continere non poſſet. Hæc reſpondet Abulenſis in ſua ſententia, exiſtimans, Ioſeph malam opinionem concepiſſe de Beatiſſima Virgine, quod iam *quæſt.* 7. excluſum eſt.

34\. Et ideò dicimus, quòd Ioſeph cùm eſſet modeſtiſſimus,

Ioſeph ſilentij amantiſſimus.

& magnam in Beatiſſima Virgine puritatem inſpiceret, noluit inquirere, nec proferre verbum ſuæ modeſtiæ parum conſonum, & aliquale dubiolum de puritate Virginis habens, & ideo potiùs elegit clam dimittere eam. Et conſidera, quòd de Ioſeph tantùm dicitur, quòd cogitauerit, ſeu quòd hæc in mentem ei venerint, non verò quòd locutus fuerit, nec ſecum, nec cum aliquo; imò in toto Euangelio nunquam eum inuenies loquentem, adeò ſilentij erat amator.

QVÆSTIO X.

Quare Virgo non reuelauerit Ioſeph cauſam conceptus ſui?

35\. Abulenſ. Chryſoſt. D.Thom. Lyran. Luc.1.

ANNVNTIATIONEM ſcilicet Angelicam, & myſteria in ipſa facta? Reſpondet Abulenſis *in cap.1. Matth. quæſt.*40. quòd, cùm Virgo adhuc non eſſet in domo Ioſeph, non ſciuit, ipſum turbatum. Sed iam *quæſt.*1. hoc reiecimus. Secundò. Reſpondet ipſe Abulenſis, myſterio diuino factum eſſe, vt per Angelum magis certificaretur Ioſeph. Tertiò. D. Chryſoſtomus *homil.4.in Matthæum*, D. Thomas *hîc*, quòd ſi Maria Virgo hæc diceret Ioſeph, ipſe non crediſſet; quia tot mirabilia videbantur excedere teſtimonium vnius puellæ. Quartò Lyranus. Talia ſecreta non erant reuelanda, niſi in quantum ſe extendebat voluntas diuina; & ideo Virgo bene tacuit tenens firmiter, quòd ſicut hoc ſecretum ſanctæ Elizabeth fuerat reuelatum, *Luc.1.* cùm dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Sic etiam reuelaretur aliis, quibus eſſet opportunum tempore competenti, iuxta diuinum beneplacitum. Ita ille.

36\. D.Thom. Geneſ. 31. Chryſoſt.

Qui conſtituit in periculo, debet ab eo liberare.

Quintò. Et magis explicando hanc proximam rationem. Sanctiſſima Virgo totum negotium ſubiecit diuinæ prouidentiæ, vt Deus diſponeret id quod ſibi eſſet magis beneplacitum, certiſſima fiducia tenens, quòd Deus à præſenti afflictione eum eſſet liberaturus; eſt enim diuinæ bonitatis conditio, vt eos in tuto ponat, quos in periculo conſtituit. Angelus Gabriel hîc apparet Ioſeph, qui legationem Incarnationis ad Virginem attulit. Et quare non alius Angelus? Diuus Thomas hîc, *Idem Angelus, qui miſſus eſt ad Mariam, vt etiam ipſam liberaret ab infamia, & Ioſeph in perturbatione non dimitteret.* Videbatur idem Angelus quodammodo teneri eximere Virginem à ſuſpicione; quæ ratione ſuæ legationis illi obuenerat, & ab afflictione, quæ exinde occaſionata eſt Ioſeph. Cùm fugientem Iacob perſequeretur Laban, apparuit ei Dominus, & dixit illi: *Caue, ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob*, Geneſ. 31. n.24. Sed quare Deus homini idololatræ manifeſtatur? Nónne ſufficiebat mittere Angelum, ſicut miſerat ad Abraham, Danielem, & alios; ſed ipſe Dominus præſentialiter ſe exhibet? D.Chryſoſtomus homilia 57. *Deus, qui dixerat*, ait, *Reuertere in terram tuam, & ero tecum; ille etiam nunc ſuam declarat curam, quia vidit Laban cum multa ira perſequi iuſtum.* Ex eo, quòd Deo præcipienti Iacob obedierat, inde in diſcrimen incidit, vt à Laban obiurgaretur, ac proinde ad reprimendam huius iram Deus quodammodo tenebatur.

QVÆSTIO XI.

Quare Ioſeph dormienti appareat Angelus?

37\. Chryſol. D.Thom. Euthym. Chryſol.

Iuſto ſi humana deſint, diuina adſunt.

Eximia Virginis puritas.

ELEGANTER ait D. Chryſologus ſerm.175. *Mens iuſta, & ſanctus animus ancipiti cogitatione torquetur: ſentit, ſed tantum non poteſt penetrare ſacramentum.* Et ſubdit: *Meritò mox occurrit Angelus: meritò reſponſum ſubuenit mox diuinum, cùm humano deficiente conſilio, iuſtitia non deficit.* Vbi eſt integritas animi, ſi iuſtitia humana violatur, tunc diuina adeſt, ac opitulatur; & ideo cogitabundo Ioſeph Angelus ſe exhibet, & in ſomnis; cuius rei rationem hîc inquirimus. Reſpondet primò, D. Thomas, Euthymius, & ait. *Quam ob cauſam in ſomnis ipſi Ioſeph apparuit Angelus, & non manifeſtè ſicut Virgini? Quia Virgini quidem opus erat manifeſta viſione, propter rei quæ ſignificabatur, nouitatem: Ioſeph autem videns quidem vteri tumorem, cognitam tamen habens vitæ Virginis puritatem, ac innocentiam, aliquoque modo facilius erat crediturus, tanquam qui ſomnia probè nouerat dijudicare.* Adueniat Angelus Virgini vigilanti propter magnam nouitatem myſterij. At Ioſeph, qui optimè agnouerat eximiam Virginis puritatem, & inſpexerat eius aluum intumeſcere, ſat eſt quælibet leuis inſinuatio, vt credat Virginem Deum concepiſſe, ac eius vterum Spiritu ſancto eſſe repletum, & ideo ait Chryſolog. ſuprà datus. *Sentit, ſed tantum non poteſt penetrare Sacramentum*, ac proinde veniat Angelus vt in ſomnis eum edoceat.

38\. Chryſoſt. D. Thom. 1.Cor.13. Paſchaſ. Carthuſ.

Infidelis viſione indignus.

Animus percipit, quandò mundo clauditur.

Secundò reſpondet idem Chryſoſtomus, apud Cardinalem Hugonem. *Sic dormienti Adam creauit mulierem: ſic iſti dormienti diuinitus cõſignauit vxorem.* Tertiò etiam D. Thomas *hîc* Apoſtolus ait 1. Corint 13. *Prophetia data eſt fidelibus, ſigna autem infidelibus*; propriè autem reuelatio, quæ dicitur prophetia, fit in ſomnis. Si quis fuerit inter vos Propheta, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. Et ideo, quia Ioſeph iuſtus erat, & fidelis, ipſi tanquam fideli debuit fieri apparitio, quæ competit fidelibus. Quia verò apparitio corporalis eſt miraculoſa, talis apparitio ſibi non competebat, cùm eſſet fidelis. Ita ille. Miracula enim ad infideles pertinent. Quartò D. Paſchaſius lib.3.in Matthæum. *Quòd autem*, ait, *Angelus Domini in ſomnis, & non in alia manifeſtiùs reuelatione illi apparuit, dubietas animi deſignatur; qui dum inter anguſtias anxietate dubius, velut infidelitatis ſomno opprimitur, Angelum conſpicua viſione videre non potuit.* Angelus apparet in ſomnis, non propter ipſum Ioſeph, ſed quia in ſomno præfigurabatur infidelitas, & ideo Angelum non valuit intueri. Quintò. D. Dionyſ. Carthuſ. *Apparuit autem ei apparitione viſionis imaginariæ, & hoc, tempori ſomni; in quo reuelationes diuinæ, atque propheticæ fieri ſolent, quia tunc anima aptior eſt ad talium receptionem propter exteriorem ſenſuum clauſuram, & à ſenſibilium perceptione vacantium, & præſertim propter imaginationis ampliorem quietem.* Angelus dormienti ſe exhibet; quando oculi mundo clauduntur, tunc mens Deo faciliùs aperitur.

39\. Chryſoſt.

Sextò. D.Chryſoſtomus homilia 4. in Matth. *Cur*, ait, *in ſomnis, nõ potius apertè, ſicut paſtoribus,*

& Zachariæ apparuerat, & Virgini? Quia ſcilicet erat vir prorſus fidelis, & manifeſtiori viſione non indigens. Nam Virgo quidem, quippe cui tam & noua nuntiarentur, & magna, multóque maiora, quàm Zachariæ fuerant nuntiata, & ante rem ipsã doceri debuit per apertiſſimam reuelationem. Ac ſi dicat ſanctus Pater, quòd Angelus aduenerit ad Virginem, Zachariam, & paſtores, cùm eſſent in vigilia; ad Virginem, ob altitudinem myſteriorum, quæ cum ipſa erant tractanda: ad Zachariam, ob tenuem fidem: ad paſtores, vt ait citatus D. Chryſoſtomus, quia ob agreſtem vitam ab eruditione cæleſtium myſteriorum erant remo-

Ioſeph fideliſſimus, ac valde eruditus.

ti. Cùm autem Ioſeph eſſet vir fideliſſimus, & maximè peritus in cognitione cæleſtium arcanorum, valde abundans fuit, vt ei in ſomnis Angelus appareret.

40. Chryſoſt. Septimò. Idem D. Chryſoſtomus *citato loco* eleganter: *Conſidera certè*, ait, *modeſtiam, ac maturitatem viri, non cuiquam mœroris ſui cauſam retexit, nec illi quidem ipſi, de qua eum ſuſpicio mordebat: ſed ſecum ipſe cogitationum ſuarum fluctibus æſtuando, ab ipſa etiam Virgine ſtuduit abſcondere tanti cauſam doloris.* Et paulo pòſt. *Cùm enim quod nulli fuerat ipſe confeſſus, ſed incluſum tantummodo mente voluebat, id etiam loquente ſibi Angelo recognoſcit.* Quamuis aliis in vigilia Angeli apparuerint, Ioſeph tamen in ſomnis, quia de depellenda dubietate orta ex ſiniſtra puritatis Mariæ opinione agebatur. Meritò ergo Angelus in ſomnis ſe oſtendit, vt cum imaginatione, ac intellectu Ioſeph loquatur ſolùm, dum alij ſenſus ſunt ligati. Nam de anxietate iſta aliæ potentiæ omnes præter intellectum in Patriarcha nihil nouerant; de hoc enim negotio cum aliquo non eſt ore locutus; nec ſuper hoc aures eius aliquid audierunt, cùm à nullo conſilium petiuerit; oculi de hoc lachrymati ſunt nunquam: manus nullum mœſtitiæ ſignum dederunt: greſſus, vt actiones Virginis obſeruaret, pedes non mouerunt. Veniat ergo Angelus in ſomnis, vt cum intellectu ſolùm, & imaginatione verba habeat. Pri-

Vbi morbus, ibi remedium.

mò, vt illic applicetur remedium, vbi morbus latebat; & quia ſuſpicio in mente tantùm erat, ibi facta eſt reuelatio. Secundò. Ne defectus de proximi honore fictitiè ſuſpectus ſenſibus neſcientibus aperiatur, vt inde documentum habeamus,

Proximorum defectus non ſunt aperiendi.

quàm cautè de illo ſit agendum. Tertiò. Ioſeph ob ſuam prudentiam, charitatémque eximiam extitit maximè cautus, ne imaginatam puriſſimæ Virginis culpam ſuis ſenſibus declararet, ac faceret manifeſtum. Ideo etiam Angelus præcauet eius timorem, atque anxietatem ignorantibus

Sicut alterius res agitur, ita mea.

ſenſibus notificare, & aperire. Ad menſuram enim qua alterius res agimus, noſtra etiam, diuina ordinante Prouidentia, diſponuntur.

41. Caiet. Octauò. Caietanus, *Si quæritur*, ait, *quare beatiſſimæ Virgini Angelus apparuit in vigilia, Ioſeph autem in ſomnis?* In promptu ratio differentiæ eſt ex differenti perfectione eorum: iſte enim iuſtus,

Apparitio facta à Ioſeph excellentiſſima.

illa deſcribitur plena gratiæ. Verùm hæc apparitio in ſomnis præſtare videtur, aut æquiualere omnibus apparitionibus in veteri Teſtamento; quoniam hæc fuit cum tanta mentis claritate, quòd nulla interuenerit hæſitatio. In apparitionibus enim factis Abrahæ ad ilicem Mambre; Iacob, Ioſue & cæteris; immo etiam in apparitione facta Zachariæ Ioannis Baptiſtæ parenti, ignoratio, aut hæſitatio interceſſit. Nonò Rupertus *lib. 2. de gloria, & honore filij hominis*, ſic ait

Rupert. *Ante minorationem talis filij manifeſtè viſos eſſe Angelos hominibus ſeruis, & ancillis huius Domini, interim autem dum minor eſt, non manifeſtè, ſed in ſomnis, vbi deſcenderat in vterum Virginis, Angelus Domini in ſomnis apparuit Ioſeph.* Olim ſæpe Angeli apparuerunt Abrahamo, Agar, & aliis manifeſtè, ac apertè. Nunc verò Angelus in ſomnis ſe exhibet Ioſeph; abſcondebatur Dominus ſub latibulo vteri Mariæ, tunc etiam Angeli deliteſcere, ac ſe occultare amant, vt ſub ſomnis inuolucris hominibus ſe repræſentent; boni enim ſerui, ac miniſtri domini ſui conditionem, ac habitum imitantur, renuunt enim palam prodire, dum ſuus dominus ſub vteri velamine occultatur.

Seruus habitum, ac conditionem domini ſui ſequitur.

Decimò. Palatius *in cap. 1. Matthæi.* Virgini in vigilia, Ioſeph in ſomnis Angelus manifeſtatur; 42. Palat.
Conceptio Chriſti, non niſi in vigilia eſt: non naſcitur Chriſtus homini ſomnianti, & deſidi, ſed homini expauefacto terroribus inferni, & abominanti ſordes peccati. Et vt breuiter rem intelligas; vbi conſenſus voluntatis poſtulatur, tunc reuelatio in vigilia fieri debet; at vbi nihil aliud quæritur, quàm illuminatio intellectus, quæ paſſio eſt, non proinde actio, ibi reuelatio in ſomnis fieri ſolet. Deinde, quia per annuntiationem Virginis cœpit gloria eſſe in terra noſtra; at gloria nihil habet de ſomno, ſed tota in vigilia eſt. At per annuntiationem Ioſeph cura Ieſu, & matris eius illi mandatur; hæc verò cura temporaria eſt, velut ſomnus. Hæc ſunt Authorum placita.

Abominanti peccata apparent cæleſtia.

Dicam iam, quod ſentio. Ratio à priori huius 43. *Mens Auth.*
rei diuina voluntas. Congruentiæ verò multæ eſſe poſſunt, & ideo tot Authorum ſententias retuli. Virgini apparet Angelus vigilanti, Ioſeph verò dormienti: à Virgine liber expoſtulatur conſenſus, qui perfectè, non niſi in vigilia datur, ſaltem ordinariè loquendo; & Deus quoad fieri poteſt, iuxta conſuetum ordinem, res diſponit: à Ioſeph verò prompta obedientia exquirebatur, vt diuinis ſe ſubmitteret mandatis, & in obſequio Dei faceret imperata. Obedientia, & charitas in Deum maximè reſplendet, dum homo perficit ea ad quæ, non ſolùm in vigilia, verum etiam in ſomnis mouetur, & quando non ſolùm expreſſo præcepto, ſed leuiſſima inſinuatione imperata exequitur. De Paulo cum ſocio ſuo Timotheo dicitur Actorum 16. n. 6. *Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verba Dei in Aſia. Cùm autem pertranſiſſent Myſiam, viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: vir Macedo quidam erat ſtans; & deprecans eum dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos.* Actor. 16.
Sed cur vigilanti Paulo prohibetur prædicatio in Aſia, à dormiente verò expoſtulatur in Macedonia? Vt obedientia Pauli, & charitas in proximos, munus ſibi datum non obiret, graue, & vrgens præceptum neceſſe erat, & ideo ei vigilanti mandatur, vt verò hominum ſaluti conſuleret, & perficeret quæ ad illam pertinebant, ſat erat leuis inſinuatio, & ideo dormienti mandatur. D. Chryſoſtomus homilia 34. in Acta Apoſtolorum. *Vide*, ait, *quòd non per Angelum monetur, ſicut Philippus, & Cornelius. Sed quomodo? Per viſionem in ſomnis. Nam vbi ſolùm, vt prædicaret, feſtinauit, ad hoc ſomnium apparet ei.*

Vbi charitas magna, & obedientia, ſat eſt leuis inſinuatio.

Chryſoſt.

Vide alias rationes de hac re *cap. 5. quæſt. 12.*

* * *

QVÆSTIO XII.

Quare Angelus non venerit ad Ioſeph ante Virginis conceptum?

44. Idem. Imperfect. AD quod reſpondent primo D. Chryſoſtomus *homil. 4. in Matth.* Inperfectus *homil. 1.* Si Angelus veniſſet antequam Ioſeph Virginem prægnantem animaduertiſſet, forſitan Ioſeph Angelo, ſicut Zacharias, fidem non dediſſet. Secundò. Idem D. Chryſoſtomus, S. Thomas hîc. *Quòd miſſus eſt Angelus, dum Ioſeph cogitaret de Virgine dimittenda, vt teſtimonium eius de illius puritate eſſet credibilius: ſicut Dominus permiſit Apoſtolum Thomam dubitare de ſua reſurrectione, vt ſcilicet dubitans palparet, & credendo in nobis vulnus amoueret.* Deus ſæpe vnum hominem labi permittit, vt ex huius lapſu multis medicamen præparet. Tertiò Caietanus. Tempus congruum, & neceſſarium diuinæ inſtructionis tangitur. Ante illud ſiquidem tempus non oportuit Ioſeph inſtrui: nec ante illud tempus diſpoſita erat mens eius ad percipiendam angelicam inſtructionem, quando nihil de vtero coniugis cogitabat: ſed tunc imminebat periculum dimiſſionis; & animi iuſti talibus cogitationibus fluctuans præparabatur ad diuinum lumen ſuſcipiendum: ſicut animus Nabuchodonoſor cogitans, quid poſt ſe futurum eſſet, præparatus eſt ad ſuſcipiendum ſomnium futurorum preſagium, vt dicitur *Daniel. 2. num. 29.*

Chryſoſt. S. Thom.

Deus ex vnius lapſu multis medicamen præparat.

Caiet. *Ad diuina percipienda opportuna occaſio.*

45. Quartò. Exiſtimo, quòd conceptio Verbi Beatiſſimæ Virgini, & Conceptio Ioannis Zachariæ antequam fierent, reuelatæ ſunt; quia futuri erant veri parentes. Deinde conueniens fuit, vt ſcirent, quid ex eis concipiebatur, vt cum maiori veneratione ſuſciperent; & aliàs maximè turbaretur Virgo, ſi videret ſe grauidam, & cauſam neſciret; Ioſeph autem conceptio reuelata eſt, non quia verus pater erat, ſed ex quadam occaſione, ne prolem ex adulterio genitam exiſtimaret.
Rupert. Quintò. Rupertus Abbas in cap. 1. Matth. *Quare*, ait, *Angelum non miſit antea, videlicet, vt tentaretur Ioſeph, vt manifeſtum fieret tã Angelis ſanctis, quàm hominibus de ipſo quòd eſſet iuſtus, & talis, qui dignè ſic deberet appellari; Ioſeph fili Dauid.* Voluit Deus ſanctum Ioſeph hanc grauiſſimam tentationem ſuſtinere, & cor eius hoc vehementiſſimo doloris vulnere exulcerari, vt eius virtus probaretur, & omnibus eſſet manifeſta.

Virtus Ioſeph Angelis, & hominibus manifeſtatur.

46. Hoc pacto Ioſeph grauiſſimum ſubiit martyrium, vt omnes fatentur. Martyres patiebantur in corpore, & vita; Ioſeph verò in anima, & honore; quod eo pretioſius, quo dolor vehementior. Poſtquam Laban inſecutus eſt Iacob, & ſcrutatus omnem eius ſupellectilem, ait textus Geneſ. 31. num. 36. *Tumenſque Iacob cum iurgio ait: Quam ob culpam meam exarſiſti poſt me.* Quando Laban dedit Liam pro Rachel, quando decem vicibus immutauit mercedem Iacob, & obſtinato eum inſequitur animo, numquam iratus eſt Iacob, ſed modò? Abulenſis: *Tumens præ iræ magnitudine, quia ſcrutatus fuerat omnem facultatem eius, quod magna iniuria eſt, quia quod de aliquo ſuſpicio mali habetur, maximè de furto, valde infamatorium reputatur.* In aliis actionibus vita, & res Iacob periclitabatur; hîc verò fama, & honor, dum de furto arguebatur; & ideo maximè indoluit, & iratus eſt. Vt ſenior Tobias filium ſuum traderet Raphaëli ad eum in itinere ducendum, & reducendum, maximè quæſiuit ab eo, quis eſſet? Ex qua domo, & ex qua tribu, Tobias 5. num. 16. Cùm verò puer ex mandato Angeli de felle piſcis ſumens liniret oculos patris ſui, *Tobiæ 11. num. 13.* nec verbum dixit, nec quæſiuit de medicamenti vtilitate. Quare modò ſenex tam remiſſus, qui antea tam ſolicitus erat? In duce, & comite periclitatur honor; in medicamine autem vita, & ſalus, & ideo de illo maximè curabat.

Ioſeph præſtantiſſimus martyr.

Geneſ. 31.

Abulenſ.

Plus æſtimãdus honor, quàm vita.

Matthæi 1. *num.* 21.	Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.

VERSIONES.

Vatablus.	Ioſeph fili Dauid, ne metuas adiungere tibi Mariam vxorem tuam.
Syriacus., & *Vatabl.* & *Arias.*	Quod enim genitum eſt in ea, ex Spiritu ſancto eſt.
Euthymius.	Ne timueris accipere.
D. Athanaſ. lib. 11. ad Theophyl.	Ne timeas recipere Mariam.

EXPOSITIO.

VOCAT eum Angelus nomine ſuo *Ioſeph* vt eum magis attentum reddat, *Geneſ. cap. 22. num. 11.* Et etiam ſe oſtendit, vt ait Hugo, notum, & familiarem, cùm genus, & nomen dicit. *Noui te ex nomine*, Exod. 33. num. 12. Timor iſte erat dubietatis, vt explicat Albertus Magnus; & dum hoc dicit, manifeſtat ſe ſcire eius timorem, ac ſecreta cordis, vt ait Imperfectus homil. 1. *Accipere Mariam*, id eſt, beneuolo animo habere; iam enim in mente ab ea diuiſus erat, vt ait Euthymius. Seu, vt explicat Chryſoſtomus *hom. 4.* S. Thomas: quia iam in animo erat eam dimittere. *Mariam* nominat; quia hoc nomen ad expellendum timorem peculiarem habet vim; vt iam notaui cap. 5. *Coniugem tuam.* Diuus Hieronymus contra Heluidium, D. Chryſoſtomus *hom. 4. in Matthæum.* Conſuetudo eſt Scripturæ ſponſas vocare coniuges, & coniuges ſponſas. *Quod in ea natum eſt*, ideſt, conceptum ex Spiritu ſancto; quod iam ſuprà explicatum eſt: Spiritus autem dicitur ſanctus, regulariter loquendo, in nouo Teſtamento, vt iam notaui *c. 5. q. 44.* 47.

Hugo. Exod. 33. Alb. Magn. Imperfect. Euthym. Chryſoſt. S. Thom. Hieron. Chryſoſt.

QVÆSTIO XIII.

Quare Angelus Ioſeph filium Dauidis appellet?

RESPONDETVR primò. Vt ſignificaretur conceptum ex Virgine eſſe eiuſdem familiæ, ac proinde Meſſiam eſſe: ſiquidem Dauidis 48.

Chryſoſt. Hieron. Theoph. Paſchaſ.

filius promittebatur. Ita Chryſoſtomus *homil.4. in Matth.* Diuus Hieronymus, Theophylactus, & alij *hîc.* Secundò D. Paſchaſius *lib.2.in Matth.* ait. *Ioſeph, inquit Angelus, fili Dauid; ac ſi patenter dicat, recognoſce, quod dictum ſit Domui Dauid, quia quod ibi promiſſum eſt ex prophetia, iã in ſene adimpletum eſt.* Ac ſi apertè dicat, Recognoſce veritatem diuinæ promiſſionis, nam Deus promiſit Meſſiam ex ſemine Dauid, ita adimpleuit quod illis in prophetia datum eſt in ſpe; tibi in executione conceſſum eſt poſſideri, vt ita Ioſeph ſe magis obligatum agnoſceret. Deinde vt manifeſta fieret eximia dignitas Ioſeph, quia illud, quod eius parens Dauid tam vehementer optauit videre, ei datum eſt intimè frui, ac poſſidere. Tertiò. Dicitur Dauidis filius, quia, vt natus, & ab illo genitus, omnem Dauidis parentis virtutem referebat, vt ait D. Bernardinus *tom.3. de S. Ioſeph.* Quartò. Quia Chriſtus Dominus pro peculiari honore dicebatur à populo filius Dauidis; hanc appellationem voluit ipſe Dominus, vt D. Ioſeph haberet ab Angelis.

Bernard.

49. Sed quare non ait, fili Dauid Regis? Primò Quia virtus Ioſeph per ſe nobilitata erat, nullo regio ſtemmate ad ſui honorem indigens. Secundò. Non dicitur hic filius Dauidis Regis, ſicut & Salomon dictus eſt: Dauid autem genuit Salomonem; ſed Euangeliſta tacet hoc loco Regis titulum, ne ipſius Dauidis peccatum publicaret, in hoc puritatem ac ſanctitatem Ioſeph maxima reuerentia afficiens. Tertiò, vt Ioſeph maximè Chriſto Domino aſſimilaretur, qui ſæpe dictus eſt filius Dauid ſine regalis nominis additamento, *Matth.1.num.1.& 9.num.27.& 15. num.22.& 22.num.42.* & alibi ſæpè. Ioſeph aliqualem vmbram, ac ſimilitudinem habuit cum filio Dei; nulla enim eſt maior ſimilitudo, quàm inter patrem & filium: noſter autem Patriarcha Chriſti parens reputatus eſt. Chriſtus Dominus dictus eſt Sol, qui omnes illuminat, Malach.4. num.2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ.* Habac.3. num.11. *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Noſter etiam Ioſeph dictus eſt Sol, prout virtute ſua omnes illuſtrat, & illuminat. D. Auguſtinus tom. 10. ſerm.81. de tempore. *Sol, ait, & Luna, & vndecim ſtellæ Chriſtum adorauerunt, quando poſt Reſurrectionem ſancta Maria quaſi Luna, & beatus Ioſeph, velut Sol, cum vndecim ſtellis, id eſt, beatis Apoſtolis, incuruati, & proſtrati ſunt ante eum, & impleta eſt prophetia, quæ dixerat: Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen,* Pſalm.148.num.3. Beatiſſimam Virginem dicit Lunam, quia licèt in virtute, gratia, & dignitate ſit omnibus ſuperior, tamen prout ſponſa, inferior erat Ioſeph. *Caput mulieris vir,* 1. Corinth.11.num.3. A ſancto Doctore comparatur Ioſeph cum ſole, qui typus erat Chriſti Saluatoris, vt magna ſimilitudo inter vtrumque appareat.

Inter Chriſtum, & Ioſeph ſimilitudo. Malach.4. Habac.3. Auguſt. Pſalm.148. 1.Cor.11.

50. In Ioſeph Iacobi filio figuratus eſt Chriſtus, & noſter Patriarcha, vt ait idem Auguſtinus *citato loco.* Chriſtus in venditione; Ioſeph in cuſtodia panis. Chriſtus flos eſt egreſſus de virga Ieſſe, *Iſai.11.num.1.* Floris locus vertex, & apex virgæ; eundem etiam noſter Patriarcha occupat locum, iuxta Septuaginta. Moribundus Iacob *Adorauit ſummitatem virgæ,* Geneſ.47.n.31. Euſebius per ſummitatem virgæ intelligit Ioſeph Patriarcham. Quomodo ergo hic, cùm ſit homo adoratur? Et eſt vltimum faſtigium generationis Iacob? Quis dubitabit eſſe Chriſtum Dominum? Nullus ſanè. Attamen ob magnam ſimilitudinem, & intimam coniunctionem, quàm Ioſeph habet cum Domino Ieſu, proximè ad eundem locum accedit, & inter omnes ab omnibus meritò adoratur, & veneratur. Imò ita Deus gloriatur eſſe cum Ioſeph, vt quamuis Deo nihil addi poſſit, de eo tamen tunc ait Euangeliſta, quòd proficiebat ſapientia, & ætate noſtro intelligendi modo, cùm de eo dicitur, *Erat ſubditus illis,* Luc.c.2. n.51. Ex conſortio Ioſeph apud homines videbatur puer multum proficere, cùm tanti, taliſque parentis filius reputaretur à populo.

Geneſ.47. Euſeb. *Ioſeph valde proximus Chriſto.* Luc.2.

QVÆSTIO XIV.

Quomodo dixerit Angelus: Noli timere?

51. TIMOR eſt quædam animæ paſſio, quæ naturaliter reſultat ex phantaſia futuri mali, vt tradit Ariſtoteles 2. *Rhetor. cap.5.* Diuus Thomas 1.2. *quæſt.42.art.2.* Paſſionem autem naturalem ſæpè non eſt in manu noſtra vincere, & ſuperare. Quomodo ergo dicitur: *Ioſeph noli timere?* Reſpondeo primò, quòd hic loquendi modus eſt ſatis vſitata phraſis Scripturæ, *Deuteron. cap.31.num.6.& 8.& Ioſue 1.num.9.2. Reg.cap.13. num.28. Tobias 4. num.23.* Nam multoties datur timor rationalis, qui oritur ex prudentiali iudicio humano; de quo etiam Diuus Thomas citata *quæſt.42. art.3. & 4.* Et talis erat timor Ioſeph, vt iam explicauimus. Secundò. Licèt timor ſit paſſio naturalis voluntatis, tamen noſter Patriarcha ob donorum Dei magnitudinem, ac ſuarum virtutum omnes animæ ſuæ potentias, & affectus ſibi ſubiectos habebat, & ſubordinatos, ita vt ſub eius eſſet poteſtate illos refrænare, ac reprimere: meritò ergo ei dicitur, *Noli timere.*

Ariſtot. D. Thom. D. Thom. *Ioſeph omnes paſſiones vincebat.*

52. Sed quare Angelus non præcepit Ioſeph, vt acciperet Virginem, eámque non dimitteret; ſed abſque vllo mandato hoc ei proponit, tanquam quid conueniens: *Noli timere accipere coniugem tuam?* Imperauit Deus Abraham, vt exiret de terra ſua, *Geneſ.cap.12.num.1.* Apoſtolis, vt prædicarent per totum orbem, *Matthæi cap.28.num.19.* Et quare Ioſeph in re tanti ponderis, quæ ad honorem Virginis, & Chriſti ſpectabat, nullum ei intimatur præceptum, ſed tantùm, quod congruentius erat, declaratur; Tantum prudentiæ Ioſeph committebatur, vt in re grauiſſima nullum iudicaretur neceſſarium mandatum, ſed ei tantùm rem ipſam aperire. Dum Chriſtus Dominus oraret in horto. *Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me, veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eũ,* Lucæ c.22.n.42. Quam confortationem præſtitit Angelus, non præceptum impoſitum à Patre obiiciendo, ſed rationes conuenientiæ proponendo; ob exaltationem nominis, gloriam corporis, & libertatem generis humani, quam ipſe, vt redemptor, tenebatur exhibere. Ita D. Hieronymus *dialogo 2. contra Pelagianos,* D. Hilarius *lib.10. de Trinitate,* D. Cyrillus *Epiſt.9.* D. Damaſcenus *lib.3. de fide, cap.20.* Sed cur Angelus non recurrit ad præceptum Patris, ſed tantùm ad congruentias? Eximiæ

Magna Ioſeph prudentia. Luc 22. Hieron. Hilar. Cyrillus. Damaſcen.

Eximiæ prudentiæ, ac charitati Chriſti Domini, vt pro nobis vitam daret ſufficientiſſimum erat, rationes conuenientiæ proponere; non quia eas ignoraſſet Chriſtus Dominus, vel per ſe illas conſiderare non poſſet, ſed vt magis conſtaret veritas paſſionis eius, voluit miniſterio angelico illas rationes proponi, vt cum Diuo Thoma 3. *part.quæſt.12. artic.4* explicat Suarius, & alij, & nos latè diximus in noſtris commentariis.

D. Thom. Suarius.

QVÆSTIO XV.

Quare Angelus ait Ioſeph, quòd accipiat Mariam?

53. RESPONDEO primò, vt dixi in expoſitione; quia iam mente ab ea diuiſus erat, vt in animo haberet, dimittere eam. Secundò. Origenes *homilia 1.* ex variis introducit Angelum loquentem cum Ioſeph: *Accipe, ait, illam, ſicut cæleſtem theſaurum, ſicut Diuinitatis diuitias.* Ac ſi diceret: Hucuſque habebas, vt ſponſam, modò accipe, vt ſacrarium totius Trinitatis. Tertiò Diuus Thomas. *Angelus, ait, ipſius Ioſeph futurum prænuntiat obſequium.* Quodnam obſequium? Primò. Vt ex ſuo labore, & ſudore puerum Ieſum, & matrem aleret, ac ſuſtentaret. Optimè notum fuit Deo, quòd Virginis, ac Ioſeph virtutes, & opera promerebantur, vt ad eſſe naturale Chriſti concurrerent, & ideo Virgo electa eſt in matrem; Ioſeph verò Chriſti pater naturalis eſſe non potuit, cùm eſſet verus Deus; conſeruatio tamen vitæ naturalis ei commiſſa eſt, quæ altera eſt generatio, vt communiter dicunt Philoſophi.

Origenes. *Virgo Maria theſaurus diuinitatis.* D. Thom. *Conſeruatio Chriſti pertinuit ad Ioſeph.*

54. Secundò. Mandatur accipere, vt det obſequium, cuſtodiendo puerum à crudelitate Herodis. Quando Chriſtus Dominus traditus eſt in manus inimicorum ſuorum, dixit Petro: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum; an putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum,* Matthæi cap.26. n.53. Vt à manu impij Herodis Chriſtus eximeretur, poterat Pater mittere duodecim legiones Angelorum, & vt à ſæuitia alterius Herodis cuſtodiatur, vnus tantùm eligitur Ioſeph? Meritò ſanè. Hic, licèt vnus, pro illis omnibus erat. Nónne vides, quomodo in cælo millia millium miniſtrabant ei? Pro illis omnibus in terris vnus eſt Ioſeph. Numquam legitur in Euangelio, quòd Angeli acceſſerint, & miniſtrauerint Chriſto Domino, niſi poſt peractum ieiunium in deſerto, *Matthæi cap. 4. num. 11.* Quando iam mortuus erat Ioſeph: nam D. Bernardus *ſermone ſancti Ioſeph.* Cedrinus grauiſſimus hiſtoriographus in commendat. tradunt, mortuum fuiſſe poſt Chriſti baptiſmum ante finitum ieiunium.

Matth 26. *Ioſeph pro multis Angelis.* Barrâd. Cedrinus.

55. Tertiò. accipe ipſam vt ſponſam tuam, ac matrem Verbi Incarnati, vt in ſinu tuo, & ipſius Virginis eius Filius Ieſus paſcatur, ac requieſcat: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia,* Cantic.2.num.16. Per *lilia,* Rupertus Abbas *lib. 2. in Cantic.* ſanctiſſimam Virginem, & eius ſponſum Ioſeph intelligit. *Quænam ſunt, ait, lilia, niſi amicus dilecti Ioſeph, & ego dilecta: Verè ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptijs, & cohabitatione caſtiſſima; inter huiuſmodi lilia paſcitur dilectus.* Virgo, & Ioſeph duo caſtitatis, ac virtutis lilia, in quibus paſcebatur, ac delectabatur Ieſus; imò Ioſeph non ſolùm per ſe ipſum Domino cibos miniſtrabat, ſed etiam per Virginem, quæ eius ſponſa erat. Et ſi præbenti calicem aquæ frigidæ promittitur regnum cælorum, *Matth.10.num.42.* quale erit præmium beati Ioſeph, cùm non modicum vas aquæ, ſed perennem fontem, ſcilicet beatiſſimam Virginem, quæ dicitur fons hortorum *Cant.4.num.12. & 15.* Deo dederit.

Cantic.2. Rupert. *Ioſeph virginitatis lilium.* *Magnum præmium Ioſeph.*

QVÆSTIO XVI.

Quare Angelus hîc non increpet Ioſeph?

56. GRAVITER Deus reprehendit Abimelech; imò morte minatus eſt, eo quòd, licet cum ignorantia matrimonij Saræ, ipſam accepiſſet in ſuam, *Geneſ. 20. num.3.* Quare ergò eiam Angelus hîc grauiter non reprehendit Ioſeph, quamuis interueniente ignorantia, Virginem vellet dimittere; æqualis enim videtur defectus, alienam admittere, ac innocentem propriam dimittere? Dubium tangit, & ſoluit eleganter Chryſoſtomus homilia 4. *Et certè, ait, alicubi Deus non idem fecit, ſed Rege quodam, de muliere ſecus, quàm oportuerat, cogitante, caſtigatorio ſermone vtitur, & comminationis pleniſſimo; cùm tamen ibi quoque ignorantia excuſaſſet admiſſum. Neque enim ſciens ille Saram alij copulatam in vſum vxoris acceperat; & tamen acrius eum increpauit: hîc verò multo mitiùs agitur, ac leniùs, quippe hîc, & maximarum rerum diſpenſatio continetur, & ingens inter virum vtrumque diſcrimen eſt.* Blandiſſimè, & magna cum reuerentia hîc ſe habet Angelus, tum ob præſentiam tanti Sacramenti, quod aderat: tum ob diſcrimen inter vtrumque virum. Ioſeph vir erat præſtantiſſimus; Abimelech verò idololatra; & leue defectus veſtigium minori ſigno notandum in viro probo, quàm in oppreſſo multis criminibus. Deinde Rex Abimelech ob nimiam concupiſcentiam volebat admittere; Ioſeph verò ob iuſtitiam ſeruandam dimittere; & vbi tam diſpar ratio, ibi & diſpar euentus. Pulchrè notat etiam Chryſoſtomus loco citato. *Quòd Angelus, ait, inuolucro verbum tegens; de maligna quidem ſuſpicione tacuit: honeſtius autem, multóque dignius cauſa partus expoſita; ſuſpicionem quoque prorſus reſtinxit, oſtendens, quòd propter quod ſolùm ſponſam, & ſecum habere metuebat, ob hoc ipſum magis illum accipere debeat, ſecúmque retinere, ſi incepta velit permanere iuſtitia.* Non fecit Angelus expreſsè mentionem ſuſpicionis, verebatur aliquid notare in tanto viro, quod crimen redoleret. Nam Ioſeph in magna reuerentia erat Angelis, eorum defectum ipſe ſuppleuit, ceciderunt Angeli, quia Chriſti humanitatem contempſerunt, ac adorare noluerunt. At D. Ioſeph, vt de ipſo ait D. Bernardus, Primus mortalium, ſcil. hominum, meruit Deum adorare in præſepio.

Chryſoſt. *Culpa in viro probo releuanda.* Chryſoſt. *In Ioſeph nulla notà.*

QVÆSTIO XVII.

Quare hîc Angelus appellet Virginem Ioſeph coniugem?

57. NON ſolùm dixit Angelus: Accipe Mariam; ſed addidit, coniugem tuam. Reſpondet primò Euthym *Vxorem quoque tuam dixit, vt inde certiorem eum faceret, quod à nullo cognita eſſet viro.* Ac ſi dicat. Dicitur coniux Ioſeph, vt ex tanto viro puritas, ac integritas Virginis demonſtraretur. Secundò. D. Paſchaſ lib. 2. in Matth. *Coniugem autem quare dixerit etiam inter reliqua, quod nihil defuerit operis coniugij, niſi ſola cõmixtio libidinis: in tantum vt ad Ioſeph iuxta carnẽ pertineat ortus Chriſti, ſi quo modo dici poſſit idẽ pe hoc pater Saluatoris.* Vt hoc modo ſignificaret Angelus, quòd ipſe pater putatiuus Chriſti dicendus erat, & hoc cum magna quadam excellentia Salm. *to. 3. tract.* 30. ait. *Abraham fuit pater Meſſiæ, ſed hominis, Dauid verò Regis; ita ipſe ſcilicet Ioſeph, Saluatoris de Spiritu ſancto concepti, nempe Dei.* Tertiò. D. Aug. tom. 7. lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 11. *Accipe Mariam coniugem tuam, coniux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu non cognouerat, nec erat cogniturus. Erat quippe illa Virgo, ideo ſanctius & mirabilius iucunda ſuo viro, quia etiam fœcunda ſine viro, prole diſpar, fide compar.* Dicitur Virgo coniux Ioſeph fœdere coniunctionis, ac amoris, quo ſeſe diligebant. Quartò. Andreas Hieroſolymitanus *ſerm. de ſalutatione.* In perſona Virginis, ait, *Ioſephus tutor meus non maritus mihi cognitus.* Similiter D. Ambroſius *lib. 2. in Lucam,* Ioſephum Virginis defenſorem appellat; Virgo coniux Ioſeph erat non ob humanum commercium, ſed quia tanquam ſponſus eius tutor, ac defenſor erat, & ita Domina illa, quæ omnes ſuo patrocinio tuetur & protegit, ſub tutela, ac defenſione Ioſeph voluit obumbrari.

Euthym. — Quanta puritas Ioſeph. — Paſchaſ. — Ioſeph pater Chriſti cum magna excellentia. — Salmer. — Auguſt. — Andreas. — Ambroſ. — Ioſeph Virginis defenſor.

58. Sanctiſſimã Virginem Angelus appellat ſponſam Ioſeph *coniugem tuam,* in reuerentiam, & honorem ipſius Virginis; nam ſancti Angeli ſemper maximè venerati ſunt ſanctam Deiparam, ac magna decentia de ea locuti ſunt, vt notat Euſebius Emiſſen. *ſerm. ſuper Miſſus eſt.* Sed ſi rectè ſacram hiſtoriam Euangelicam expendamus, facile inueniemus, quòd Angeli non appellarunt Virginem Dominam ſuam, Reginam cæli, imperatricem mundi, ſed tantùm matrem Chriſti, *Matt. 2. n. 13. & 19. Accipe puerum, & matrem eius,* & hîc ſponſã Ioſeph. Sed quare hoc; Notat D. Thom *citato loco Matth.* quòd denominatio ſumitur à principaliori parte, vt eſt cõmune axioma Philoſophorum, & ſuprema dignitas Virginis in eo ſtat, quòd dicatur mater Chriſti, & ſecundã huic, vt ſit ſpõſa Ioſeph: & ideo multis aliis glorioſis omiſſis nominibus, hoc duplici vocabulo ab Angelis appellatur, quo inter cætera præcipuè ſupereminet omnibus.

Magnus decor Virginis quòd ſit Ioſeph ſponſa. — Euſeb. — Matth. 2. — D. Thom.

QVÆSTIO XVIII.

Quare ait Angelus: Quod in ea natum eſt?

59. NON dixit conceptum in ea, ſed *natum.* Reſpondet primò Carthuſ. *Productio eſt acquiſitio ſubſtantialis eſſe, res verò tunc primò naſcitur, cùm formam ſubſtantialem ſortitur, & quia Virgo totum eſſe naturale dedit Chriſto, ideo dicitur in ea.* Secundò reſpondet. *Non ait conceptum, ſed* natum, *ad inſinuandum, quòd conceptio Chriſti non fuit ſucceſſiua, ac naturalis, procedens ab imperfecto ad perfectum, ſed inſtantanea, & ſupernaturalis, itaque in eodem inſtanti completa eſt Chriſti generatio.* Et hoc ſecundo modo reſpondet D. Baſilius *homilia 25.* D. Ambroſius *lib. 2. de Spiritu ſancto*; non enim ſicut in aliis per quadraginta dies fœtus concipitur, ſed in primo inſtanti Chriſtus Dominus perfectus extitit infans. Tertiò. D. Paſchaſius lib. 2. in Matth. *Sed cùm noſtræ conſuetudinis non ſit natum dicere, priuſquam in lucem huius mundi quiſque veniat, quòd omnino natiuitas illa nondum expleta ſit, ſed fortè dictum putamus iuxta ſacrarum Scripturarum loquendi conſuetudinem, vbi ſæpe præteritum iam narratur, quod nouit eſſe futurum.* Cùm iam adeſſet tempus, vt promiſſio de aduentu Meſſiæ impleretur, antequam eſſet in lucem editus, dicitur natus, quia in his ſæpe ponitur præſens pro futuro.

Carthuſ. — Chriſti generatio inſtantanea. — Baſilius. — Ambroſ. — Paſchaſ.

60. Et addidit, *de Spiritu ſancto*; vt Ioſeph reuelaretur myſterium Incarnationis, & Trinitatis. Huiuſmodi Triadis arcanum tunc reuelatur Ioanni, quando recubuit ſupra pectus Chriſti. Paulo, quando raptus eſt in cælum, Ioſeph verò, dum in ſuo lecto dormiebat, ipſe enim ita viuebat purus in terra, ac ſi regnaret in cælo. Cùm in Annunciatione Angelus in ſpecie viri ingrederetur ad Virginem, ipſa ob ſuam magnam puritatem timuit: ſed quare non timore percutitur, dum in eadem domo habitat cum Ioſeph? Minimè ſanè; nam ipſe ſua modeſtia videbatur Angelis purior.

Ioſeph reuelantur myſteria. — Ioſeph Angelis purior.

Matt. 1. n. 22. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

VERSIONES.

Syriacus. Nomen eius Ieſchua, quippe qui ſeruaturus ſit populũ ſuum à peccatis ipſorum.

Vatablus. Saluabit populum ſuum à peccatis ſuis.

EXPOSITIO.

61. NON dixit, *Pariet tibi,* ſicut Angelus dixit Zachariæ; ſed tantùm abſolutè loquitur, *Pariet filium.* Chryſoſt. *hom.* 4. Theophylact. *Non dixit,* ait, *pariet tibi, ſed ſimpliciter pariet; nõ enim peperit illi, ſed toti orbi: neque illi ſoli gratia facta eſt, ſed in omnes effuſa eſt.* Deinde ne cogitaret, quòd ratione affinitatis magis ſuus erat, cùm in omnium ſalutem eſſet natus: *Vocabis nomen eius*; proprium eſt enim patris nomen filio dare, vt obſeruant *hîc* Albertus Magnus, Abulenſ. *q. 59.* Voluit ergo Angelum ſanctum Ioſeph parentis munere honorare. *Saluum faciet*; per hoc oſtendit eſſe verum Deum, qui ſolus poteſt à peccatis liberare, vt notant S. Dionyſius Alexandrinus ſtatim *in principio*, D. Cyrillus Alexandrinus *de Incarnatione Vnigeniti, c. 3.* & alij Patres. Non ait, ſaluabit à preſecutionibus, à captiuitate, ſed *à peccatis*, quæ vtpote mors animæ, pro maximo detrimento à iuſtis reputantur. *Populum ſuum,* per quem aliqui intellexerunt populum Iſraëliticum: & ideo dixit Angelus, *Regnabit in domo Iacob.* Et Virgo in Cantico, *ſuſcepit Iſraël puerum ſuum.* Et populus clamauit: *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitauit plebem ſuam,* Lucæ cap. 7. num. 16. Sed multo melior mihi videtur expoſitio D. Thomæ, qui hîc intelligit populum Electorum. Pſalm. 17. num. 28. *Quoniam tu populum humilem ſaluum facies.* Et hac de cauſa non dixit, ait Albertus Magnus; ſaluabit omnes gentes, loquitur de effectu ſalutis, & ait: *populum ſuum*; non enim in alienam meſſem intrauit.

Chryſoſt. — Theophyl. — Chriſtus in omnium ſalutem. — Alb. Mag. — Abulenſ. — Dion. Alex. — Cyr. Alex. — Luc. 7. — D. Thom. — Pſalm. 17. — Alb. Magn. — Quilibet in ſua ſegete ſe exerceat.

QVÆSTIO XIX.

Quare vnioni hypoſtaticæ conuenientior fuerit ſexus maſculinus?

62. DIXIT Angelus; *Pariet filiũ.* Poterat Deus, ſi vellet, vnire ſibi ſexum fœmineum; ſed multo conuenientior fuit viri natura. Ad quod multas rationes adducit Albertus Magn. Prima. Fœmina non eſt principium hominis, ſed maſculus; ex quo tota natura humana producta eſt; & ideo conueniens fuit, vt eius antidorum non fuiſſet fœmina, ſed maſculus. Secundò. Si aſſumpta idem eſſet in perſona cum Filio Dei, idem eſſet Dei Filius, & Filia Dei; quod eſſet abſurdum. Tertiò. Hoc conuenit officio noſtræ redemptionis, & illuminationis per doctrinam; fœmina autem non debet prædicare, nec honeſtè diſcurrere de villa in villam, de loco ad locum. Toletus *in cap. 1. Lucæ annot. 83.* ſimilem ponit quæſtionem; & addit, quòd Chriſtus Dominus futurus erat Sacerdos, & ſummus Pontifex, quod munus mulieri non conuenit.

Alb Magn. — Tolet.

QVÆSTIO XX.

Quare Angelus exponat nomen Ieſu Ioſeph, non verò Virgini?

63. HOC dubium tangit D. Bernardus *ſerm. 3. de Epiphania.* Reſpondeo primò, quòd Angelus non dixit Virgini: *Saluum faciet populum ſuum à peccatis*; ne coram ſancta, puráque Virgine peccatum nominaret. Secundò, quòd Angelus etiam expoſuit nomen Ieſu Virgini, ſecundùm ſuum principale ſignificatum; dixit enim: *Vocabis nomen eius Ieſum: Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* Et in eo, quod dixerat, eſſe filium Dei, explicauit: *Saluum faciet populum ſuum*; non enim credit poſſet, quòd filius Dei inter nos eſſet factus homo, & noſtram miſeriam videret, quin opportunum ei remedium afferret. Tertiò. Vt charitas Ioſeph magis alliceretur, & obligaretur ad Virginem ſuſcipiendam, ac non dimittendam, cùm agnoſceret, ex ea totius populi pendere remedium; & per hoc magis traheretur ad beneuolè retinendam Virginem, & ad ſuſcipiendum cum veneratione Chriſtum Dominum.

Bernard. — Chriſtus dum noſtram videt miſeriam ſubleuat. — Charitas Ioſeph.

Matthæi 1. num. 22. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Propheram, dicentem.

VERSIONES.

Syriacus. Id autem omme factum eſt, vt adimpleretur.

Euthymius. Hoc aurem totum factum eſt, vt compleretur.

EXPOSITIO.

64. HÆC verba duplicem habent ſenſum. Primò, vt ſint dicta ab Angelo. Et ita exponunt D. Irenæus *lib. 4. aduerſus Hæreſes, cap.* 40. D. Chryſoſtomus *homil. 5.* Theophylactus, Euthymius, & alij. Ac ſi hæc dicat Angelus ad perſuadendum Ioſeph myſterium Incarnationis, ſeque nihil noui dicere in eo, quòd Virgo conciperet; hoc enim dictum eſt iam in Scriptura. Secunda, & communior expoſitio, quòd hæc verba ſint Euangeliſtæ. Ita D. Thom. Paſchaſius *lib. 2. in Matth.* & alij. *Hoc autem hîc ponit Euangeliſta,* ait D. Thom. *propter conformitatem noui, & veteris Teſtamenti.* Deinde, quia Matthæus ſolitus eſt confirmare myſteria Chriſti ex veteri Teſtamento, propter Iudæos, ad quos ſcribebat. Dixerat Euangeliſta: *Generatio Chriſti ſic erat,* & hanc, ex Verbis Angeli explicauit eſſe ex Spiritu ſancto; hoc autem ipſe teſtimonio Iſaiæ confirmat. *Hoc totum,* ſcilicet, vt Virgo eſſet deponſata viro propinquo ex domo Dauid, ac ex Spiritu ſancto conciperet, & hæc in ſomnis reuelaretur, *vt adimpleretur prophetia.* Et quamuis in illa ſit; *Virgo concipiet, & pariet*; & hoc ſecundum tunc non eſſet factum; ſæpe in Prophetis ponitur futurum pro præſenti, præcipuè cùm iam partus eſſet in propinquo, & in via. Et licèt dicatur: *Hoc factum eſt, vt adimpleretur*; Incarnatio non eſt facta propter prophetiam, ſed hæc propter illam, vt obſeruant D. Paſchaſius *citatus*, Abulenſis, & alij. Eſt ergo ſenſus. Ita factum eſt, vt prædictum erat in prophetia. Et non dicitur, dictum eſt à Propheta, ſed à Domino per Prophetam: Deus enim eſt, qui in ſuis loquitur Prophetis.

Irenæus. — Chryſoſt. — Theoph. — Euthym. — D. Thom. — Paſchaſ. — In Prophetis ponitur futurum pro præſenti. — Paſchaſ. — Abulenſ.

Matthæi 1. num. 23. Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcũ Deus.

VERSIONES.

Syriacus. Ecce Virgo vterum feret.

Vatablus. Ecce Virgo prægnans erit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel: quod ſi quis interpretetur, eſt, nobiſcum Deus.

Euthymius. Ecce Virgo grauida erit.

*D.Hier. lib.*1. *contra Iou. & in c.* 7. *Iſaiæ, ex Hebræo* Ecce Virgo abſcondita concipiet.

*Idem D.Hieron. D.Paſchaſ.lib.*2. *in Matth. ex lingua Punica.* Ecce alma, ſeu Virgo ſecretiſſima, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, concipiet; & pariet.

D. Chryſolog. ſerm. 145. Ecce Virgo, in vtero accipiet, & pariet.

EXPOSITIO.

65. IN præſenti prophetia tria dicit Euangeliſta. Primum, Conceptum, & partum Virginis. Secundum, Nominis impoſitionem. Tertium, Interpretationem. Circa primum. Hæc prophetia manifeſtè intelligitur de Virgine Maria pariente Chriſtum Dominum. Et falsò dicunt Hebræi, quòd nomen Hebraicum non ſignificat Virginem, ſed puellam; ſignificat enim Virginem ſecretiſſimam, & maximè abſconditam, vt notant D. Hieronymus. D. Paſchaſius citati, & de hoc teſtimonio latè tractant D. Irenæus *lib.*3.*contra Hæreſ.cap.*9. D. Epiphan. *hæreſi* 30. S. Auguſtinus *ſerm.*2.*&* 4.*de Natiuitat.* Galatius *lib.*7.*cap.*15. Et prædictum locum Iſaiæ doctiſſimè explicat R.P.Fr. Ludouicus de Merola *in ſua Demonſtratione Euangelica, lib.*5.*cap.*20. In cuius rei figuram, vt explicat hîc Albertus Magnus, dicitur Eccleſiaſtic.24.n.21. *Ego quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus.* Libanus, ait ille, candidatio interpretatur; & ideo bene Deiparæ deſignatur illibata Virginitas. Balſamum autem non mixtum, eſt ſanguis eius virili ſemini impermixtus. Talis eſt odor eius, talis euaporatio habitationis, quam filio Dei exhibuit. Secundum. Nomen, quod eſt Emmanuel; de quo quæſtione ſequenti. Tertium, Interpretationem, *Nobiſcum Deus.* D. Thomas, Albertus Magnus, & alij dicunt, quòd hæc interpretatio, cùm non ſit in Iſaia, vel poſita eſt ab eo, qui primò tranſtulit de Hebræo; vel quòd Euangeliſta hanc poſuit interpretationem, quamuis ſcriberet Hebraicè. Et hæc ſecunda ſolutio mihi videtur veriſſima. Nec obſtat, quòd nomen ſit Hebraicum; & Euangeliſta ſcriberet in Hebræo; ſæpe enim in eodem idiomate vnum nomen obſcurum per alia faciliora explicatur.

Hieron. Paſchaſ. Irenæus. Epiphan. Auguſt. Galatin. L. de Merol. Alb. Magn. Eccleſ.24. D.Thom. Alb. Magn.

QVÆSTIO XXI.

Quomodo prophetia concordet cum hiſtoria?

66. CIRCA veritatem hiſtoriæ Euangelicæ inquirendum, quòd non videtur Euangeliſta concordare cùm prophetia; nam *Iſaiæ* 7.*n.*14. iuxta Septuaginta dicitur: *Vocabis nomen eius Emmanuel.* Euangeliſta verò, *Vocabunt nomen eius.* Reſpondet primò D. Hieronymus, quòd ſæpe Euangeliſtæ intendunt ad ſenſum, & non ad verba. Secundò, quod verum eſt, Septuaginta ita legere, *Vocabis*; tamen noſtra Vulgata, iuxta veram radicem Hebraicam, habet in paſſiua, *Vocabitur nomen eius*; & idem eſt ſenſus. Deinde in illa lectione Septuaginta; Propheta loquebatur cum familia Dauid, ac ſi diceret: Tu domus Dauid, *Vocabis nomen eius*; Euangeliſta verò citat prophetiam, referendo illam ad omnes populos; ac ſi dicat: Omnes populi vocabunt. Et quare populi vocabunt? Reſpondet Theophylactus: *Opera eius demonſtrabunt eum Deum eſſe, & nobiſcum conuerſari.*

Iſai.7. Hieron. Theoph.

Matthæi 1. *num.*24. Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuã.

VERSIONES.

Vatablus. Excitatus autem à ſomno Ioſeph, fecit, vt iniunxerat ipſi Angelus Domini, & adiunxit ſibi vxorem ſuam.

Pagninus. Excitatus autem Ioſeph: aſſumpſit vxorem ſuam.

Euthymius Experrectus autẽ à ſomno.

EXPOSITIO.

67. DESCRIBITVR hîc obedientia Ioſeph, tam in faciendo id, quòd præceptum eſt: *Accepit coniugem ſuam*; quàm ſequendo modum, quo ei mandatum eſt; *Sicut præcepit ei Angelus.* Vera obedientia non ſolùm rem adimplet, ſed etiam modum præcepti. Egreſſus eſt Abraham, ſicut præceperat ei Angelus, *Geneſ.*12. Vatablus, Pagninus, Arias legunt, *Excitatus à ſomno.* Excitari à ſomno denotat expergefieri ab aliquo: à quo ergo in vigilia vocatus eſt Ioſeph? Sine dubio ab ipſa obedientia, quæ eum dormire non ſinebat. *Et accepit coniugem ſuam.* Reſpondet D. Thomas ex Chryſoſtomo, quia eam non eiecerat à domo, ſed à corde.

Magna Ioſeph obedientia. Vatablus. Pagnin. Arias. D.Thom. Chryſoſt.

Matthæi 1. *num.*25. Et non cognoſcebat eam, donec peperit filiũ ſuum primogenitum: & vocauit nomen eius Ieſum.

VERSIONES.

Theophylact. Et non cognouit eam, donec peperiſſet.

Textus Græc. Donec peperit filium ſuum, illum primogenitum.

EXPOSITIO.

EXPLICAT Euangeliſta virginitatem Mariæ, dum ait, quòd Ioſeph eam non cognoſcebat; & quomod ipſe cum Dei-

para hanc excellentiam habuerit, vt puerum natum Ieſum vocauerit.

QVÆSTIO XXII.

Quomodo illud verbum, non cognoſcebat eam, donec peperit, *ſit explicandum?*

68. VERBVM illud, *non cognoſcebat*, variè interpretati ſunt Patres. D. Hilarius citat. à D. Thoma *in Catena*, ait, *Propter ſanctiſſimæ Mariæ glorificationem à Ioſeph cognoſci non potuit, donec peperit. Dominum enim gloriæ habens in vtero quomodo cognoſceret? Si Moyſis cum Deo colloquentis glorificata eſt facies, vt non poſſent intendere in eum filij Iſraël: quanto magis Maria cognoſci, vel intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ in vtero habebat. Poſt partum autem à Ioſeph agnita inuenitur ſpecie faciei, non tactu libidinis.* Et ita aſſerit S. Pater, quòd dum verbum claudebatur in vtero Virginis, eius facies reſplendebat fulgore, ac proinde agnoſci non poterat, poſtea verò agnita eſt. Cuius etiam opinionis meminit D. Thomas 3. *p. quæſt.* 28.*art.*3.*ad*3. & illam probat Carthuſianus, & Gloſſa ordinaria. Hæc ſententia videtur difficilis: quia ille faciei fulgor, non ſolùm à Ioſeph, ſed etiam ab aliis fuiſſet viſus, & ab ignaris myſterij magico operi, vel aliæ indebitæ cauſæ attribueretur.

Hilar. *Virginis facies ob reſplendorem non poterat intueri.* D.Thom. Gloſſa ord. Carthuſ.

69. Author Imperfectus *hom.* 1. verbum *cognoſcere*, refert ad intellectum, ante partum non cognouit Ioſeph Virginem, cuius eſſet dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat mater; ſed poſtquam peperit, nunc cognouit eam D. Epiphanius hæreſi 38. *Non nouerat*, ait, *quòd tali gloria honorandus eſſet aliquis in terra, maximè mulier; non igitur cognouit ipſam, donec vidit miraculum, nec cognouit miraculum ipſius, donec vidit genitum ex ipſa.* Quamuis enim Ioſeph magnam de Virgine æſtimationem haberet, eius tamen ſanctitatis apicem non cognouit, niſi cùm vidit Deum ex ipſa natum; ſolum enim maternitas Dei præclaram Virginis virtutem poterat declarare, Licèt hæc ſententia in magnam cedat Virginis gloriam, verbis tamen Euangeliſtæ loquentis de cognitione in ordine ad partum, quadrare non videtur. Deinde, quia Ioſeph nouerat iam Virginem ex Spiritu ſancto concepiſſe, ex quo eius ſanctitatem concipere poterat.

Imperfect. Epiphan. *Sola Dei maternitas Virginis declarat ſanctitatem,*

70. Verbum ergo *cognoſcere*, accipitur hîc in ſenſu Scripturæ vſitato, pro familiari congreſſu, quo vir vxorem ſuam cognoſcere ſolet, *Gen.*4.*num.*1. *&* 1.*Reg.*1.*num.*19.*&* 3.*Reg.*1.*num.*4.*&. Luc.*1. ait Virgo, *Virum non cognoſco.* Et quamuis Euangeliſta dicat, quòd Ioſeph non cognouerit eam, donec peperit, non ſequitur, quòd poſt partum ipſam cognouerit, vt iam multis exemplis oſtendi ſuprà *num.*3. & docent D. Hieronymus *contra Heluidium*, D. Chryſoſtomus *hom.*5. D. Ambroſius *lib. de Noë, & Arca, cap.*17. *& de inſt. Virgin. cap.*15. D. Bernardus *ſermon.*72.*in Cantic.* & omnes Patres cum vniuerſa Eccleſia Catholica. Pſalm. 122.n.2. *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Ergo, ait D. Bernardus, poſtquam cœperit miſereri, auertentur oculi eius? Abſit. Cantic.2.num.16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aſpiret dies.* Ergo, vbi aſpirauerit dies, ait D. Bernardus, ceſſabit ſponſus intendere ſponſæ; aut ipſa illi? Abſit: in æternum perſeuerabunt ſibi mutuo. Pſalm. 111. num. 8. *Paratum cor eius, non commouebitur in æternum, donec deſpiciat inimicos ſuos.* Ergo deſpectis inimicis iuſtus commouebitur? Minimè. Et alia multa loca ſimilia. Dixit ergo Euangeliſta id, quod non erat factum, & ad ſuum inſeruiebat intentum, ad oſtendendum Chriſtum non eſſe ex virili ſemine conceptum, deſcripſerat enim Chriſti genealogiam: *Generatio Chriſti ſic erat.* Deinde hoc probat teſtimonio ſuo: *Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Poſtea teſtimonio Angeli; *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Tertiò. Teſtimonio Iſaiæ: *Ecce Virgo concipiet.* Quartò. Manifeſta experientia: *Non cognouit eam, donec peperit.* Quòd verò nec poſt partum ipſam cognouerit, docent Patres citati, & alij cum Eccleſia Catholica, & ait D. Chryſoſt. D. Paſchaſib.l.2. *Quod conſequens erat, ac manifeſtum tuo intellectui Euangeliſta reliquit, quoniam nec poſtea quidem eam, quæ tali modo mater effecta eſt, ille iuſtus auſus fuerit attingere.*

Luc.1. Hieron. Chryſoſt. Ambroſ. Bernard. Pſalm.122. Cantic.2. Pſalm.111. Chryſoſt. Paſchaſ.

QVÆSTIO XXIII.

Quomodo Chriſtus Dominus dicatur filius primogenitus Virginis?

71. DIFFICVLTAS eſt, quia primogenitus dicit reſpectum ad alios filios, & ideo hanc quæſtionem tripliciter exponit D. Anſelmus: *Filium ſuum primogenitum.* Primò Chriſtus dicitur primogenitus, id eſt, natus à Patre ante omnia ſæcula. Et in hoc conuenit D. Epiphanius *hæreſi* 78. Secundò dicitur primogenitus ille, qui primò eſt natus, ſecundùm vſum Scripturæ, ſiue poſt eum alij naſcantur, ſiue non. Et ita etiam D. Hieronymus *contra Heluidium*, D. Paſchaſius, & alij. Et patet multis exemplis. *Exod.cap.*4.*n.*22. Deus vocat Iſraël primogenitum ſuum, cùm alium non haberet. *Exod.cap.*12.*num.*29. dicitur, interfectos fuiſſe omnes primogenitos Ægyptiorum, in quibus ſine dubio multi erant vnigeniti, *& c.*12.*num.*12. *&* 22.*num.*29. præcipit, omne primogenitum ſibi ſanctificari, & vſque ad octauum diem non poterat diſcerni, an alij eſſent orituri, vel non. Tertiò dicitur primogenitus reſpectu omnium fidelium, vt ait Apoſtolus, vt ſit ipſe primogenitus inter multos fratres: licèt enim Pater homines iuſtos adoptauerit in filios, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, tamen Chriſtus Dominus, vt filius naturalis, eſt primogenitus. Et ita rectè ait Albertus Magnus: Primogenitus, ideſt, princeps omnium filiorum Dei.

Anſelm. Epiphan. Hieron. Paſchaſ. Exod. 4. 12. & 22. Alib.Magn.

LIBER

LIBER SECVNDVS

De Infantia, & Pueritia Domini noſtri IESV CHRISTI.

CAPVT PRIMVM.

NASCITVR CHRISTVS DOMINVS,

Lucæ 2. n. 1. Factum eſt autem in diebus illis exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.

VERSIONES.

Vatablus. Euenit autem, vt exiret decretum à Cæſare Auguſto, vt cenſeretur totus orbis.

Syriacus. Vt deſcriberetur vniuerſus populus poſſeſſionis eius.

Arias. Decretum deſcribi omnem habitatam.

D. Ambroſius hîc, & ſerm. de Natiuit. Exiit edictum, vt cenſum profiteretur vniuerſus orbis.

Textus Græcus. Exiit placitum à Cæſare, vt numeraretur vniuerſus orbis,

EXPOSITIO.

1. FACTVM *eſt*, non caſu, ſed diuina prouidentia, quæ per res humanas altiſſima præparat. *In illis diebus*; poſt natiuitatem Ioannis Baptiſtæ, de quo egit Euangeliſta cap. 1. *Exijt edictum*; modus loquendi Scripturæ, dum decretum Regis publicatur, *Eſter* 1.*n*.19. *Dan.*6. *n*.7. Dicitur exire, quia à ſecreto Regis corde, quod in manu Dei eſt, *Prou.*21.*n*.1. in quo vſque ad illud tempus deliteſcebat, voce, vel ſcripto prodiit. *A Cæſare Auguſto*, hic eſt ſecundus Imperator Romanorum; imò primus qui iuſtè obtinuit principatum; Iulius enim Cæſar tyrannicè occupauit. Et etiam hic primus dictus eſt *Angelus*, qui Romanam maximè auxit Rempublicam; & omnes ab illo dicti ſunt *Auguſti*; anno 42. eius imperij natus eſt Chriſtus. *Vt deſcriberetur vniuerſus orbis*, ſeu, vt clariùs habet Syriacus, *Populus poſſeſſionis eius*; hæc enim deſcriptio facta non eſt in vniuerſo mundo, ſed in illa tantùm parte, quæ ſub Romanis erat. Dicitur autem vniuerſa terra, ratione illius partis, in qua res fit, vt notat D. Hieronymus *cap.*13. *Iſaiæ*; & patet *Matth.*27.*n*.45. & *Actor.*11.*n*.28. *ad Rom.*1.*n*.8. Vel dicitur *vniuerſus orbis*, vt ait Caietanus, *Auguſtus ad gloriam ſui imperij ſcripſit abſolutè vniuerſum orbem, tanquam eſſet dominus vniuerſi, cuius tamen nullus vnquam fuit Imperator.* Hæc autem deſcriptio fiebat per capita generationum, ſeu per familias ſimul à viro, & fœmina, more Romanorum, vt teſtatur Dionyſ. Halicarn. *lib.*4. aliàs, vt ait Lyranus, honeſtiſſima Virgo non aſcenderet. Quamuis aliquæ deſcriptiones in peculiaribus prouinciis iam eſſent factæ, vt tempore Dauid 2.*Reg. vlt.* Hæc tamen Auguſti fuit prima vniuerſalis in orbe, vt notat Oroſius *lib.*6.*cap.*22. & Beda *hîc*, qui ait: *Nullum vnquam fuit tantum pacis indicium, vt vna deſcriptione totus orbis concluderetur.* Tributum autem, quod ſoluebatur à Iudæis, aliqui exiſtimant, eſſe duas drachmas, quas ipſi Dei templo ſoluebant.

Syriacus. Hieron. Caiet. Dionyſ. Lyran. Oroſius. Beda.

QVÆSTIO I.

Ex quo motiuo hæc deſcriptio facta fuit ab Auguſto?

2. HÆc deſcriptio facta eſt, non ſolùm, vt ſciret Imperator, quot homines ſub eius eſſent poteſtate, ſed etiam, vt teſtantur D. Ambroſius, Euthymius, ab vnoquoque ad belli, ac pacis expenſas certum ſoluebatur tributum. Imò referunt Liuius *lib.*1. Florus *lib.*1.*cap.*6. quòd populus Romanus deſcriptiones facere ſolebat, dum populus iuramento adſtrictus æſtimationem ſuarum facultatum apud Cenſorem profitebatur; & ex hac æſtimatione populus pro maiori facultate ſuarum rerum in claſſes, & centurias diſtinguebatur. Ioſeph. *lib.*18. *Antiq. cap.*1. refert, huiuſmodi deſcriptionem factam fuiſſe à Cyrino Conſule in Galilæa; & ob hanc rationem etiam refert Iudam Gaulanitem populum commouiſſe, de quo fit mentio *Actor.*5.*n*.37. Quaſi Iudæis non liceret prophanis Regibus tributa ſoluere.

Ambroſ. Euthym. Liuius. Florus. Ioſeph.

ſoluere. Certum tamen eſt, quòd hæc deſcriptio certo tributo fiebat, & dicebatur profeſſio, vt legit D. Ambroſius; & vt aduertunt omnes Expoſitores ad id, quod Euangeliſta infrà ait: *Ibant omnes, vt profiterentur*; & ſtatim de Ioſeph, *vt profiteretur cum Maria.* Nominabatur ergo profeſſio, quia ore, & opere profitebatur quilibet ſe ſubditum Imperio Romano. Vera ſubiectio, ac ſeruitus, non ſolùm verbis, ſed etiam operibus demonſtratur. Nabal Carmelus, & Semei vterque grauibus, & iniurioſis nominibus Dauidem Regem affecit, 1.*Regum* 25.*num.*10. 2.*Regum* 16. *num.*7. In itinere pro Nabali, & tota domo occurrit Abigail Dauidi, ſe ſeruam profitendo; poſt tranſitum Iordanis Semei ſe Regis ſeruum nominando, 2.*Reg.*19.*num.*2. tamen Nabali, & toti eius familiæ veniam dedit abſolutè; Semei verò limitatè pro vitæ ſuæ tempore, 3.*Reg.*2.*n*.38. Quare ergo Rex in facto tam ſimili, tam diſpari modo ſe habet? Cùm pro delenda Nabalis domo iuramentum præſtitiſſet? nec enim paruum munus, ſcilicet ducenti panes pro quadringentis ſociis, tanti potuit Regis iracundiam lenire. Quare ergo Abigail verè, & ex animo ſe ſeruam profitetur, vt ait Abulenſis, & Rabbanus, & ideo non ſolùm voce, ſed etiam paruo munuſculo fidem ſuam proteſtatur; Semei verò fictè, erat enim vir ſeditioſus, vt ait Lyranus, & ideo quamuis potentiſſimus, ſolùm verbis, non tamen factis, ac donis ſe ſeruum exhibet.

Ambroſ. *Vera ſeruitus operibus demonſtratur.* Abulenſ. Rabban. Lyran.

QVÆSTIO II.

Quare Chriſtus Dominus naſcatur, dum orbis vniuerſus numeratur?

3. HÆc ratio ex capite multiplici inueſtiganda eſt; ratione temporis, Imperij Romani, tributi, ac etiam Beatiſſimæ Virginis, & Chriſti Domini. Et primò ratione temporis. Diuina Sapientia diſponente, naſcitur Chriſtus eo tempore, quo Romani principabantur; & ideo Euangeliſta non deſcribit natiuitatem Chriſti memoratis Regibus Iudææ, ſicut mos extitit Prophetarum, ſed, his omiſſis, de Romano Imperatore, qui clauem totius orbis tenebat, mentionem facit. Quod notat Ioannes Geometra in Catena Græca D. Lucæ: *In prophetico ſermone*, ait, *ſolis Iudæis prædicatio, regnum ſolum Iudæorum deſcribitur. Viſio enim*, inquit, *quam vidit Iſaac in diebus Oziæ, & Ioathan, & Achaz: qui regnauerunt in Iudæa. In myſterio autem Euangelij per totum orbem prædicandi, deſcribitur imperium Cæſaris, qui vniuerſo orbe imperare videbatur.* Non memorantur hîc Reges Iudææ, ſed Imperator orbis, quia iam prædicatio, & notitia veritatis, non in vno populo, vt olim in Iudaico, coarctanda erat, ſed in omnium Gentium nationes diffundenda, ac promulganda. Deinde fortaſſe; quia illi tantùm Reges, & domini reputabantur, quibus notitia veritatis dabatur; cùm autem hæc prædicatio iam ſit dilatanda per orbem; ideo hîc dicitur Rex, & Imperator.

Ioan. Geom. *Prædicatio Euangelij in omnes Gentes diffunditur.*

4. Secundò. Ait Toletus *annot.*1. vt tempus promiſſum aduentus Chriſti manifeſtaretur, quando iam Iudæi ſub alieno principe erant, qui etiam ipſis, & Gentibus imperaret; tunc enim venturus promiſſus eſt, *Geneſ.*49. quando ſceptrum Iudæorum deficeret. Ita ille. Tertiò. Vt denotaretur ſumma pax, quæ ſub Auguſto in mundo florebat, ita vt ipſa Iani templi ianuas clauſiſſet, in eo, quaſi pacem includens, quam pro ſigno aduentus Chriſti Prophetæ prædixere. *Erit pax in diebus eius*, de qua pace mentionem facit Oroſius *lib.*6. *cap.*20. ex Suetonio, & aliis. Vnde ait Zacharias Epiſcopus hîc: *Iuxta fidem hiſtoriarum tanta pace regnauit Auguſtus annis duodecim, circa tempus dominicæ natiuitatis, vt tam forinſecis, quam ciuilibus bellis toto orbe ſopitis, etiam ad literam videatur completum illud propheticum: Conflabunt gladios ſuos in vomeres*, Iſai.2.n.4. *Pacatiſſimo autem tempore congruè naſcitur Chriſtus, quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, 2. Corinth.6.num.16. Ex pacis ſigno præſentia Chriſti bene colligebatur: nec enim aliter conueniens erat vt mundum ſibi attraheret, quàm pace, hac enim plus deuincitur, quàm contentione, & pugna.

Tolet. *Denotatur tempus Meſſiæ.* Oroſius. Zachar. Iſai.2. 2. Cor.5. *Plus acquiritur pace, quàm bello.*

5. Quartò. Et ex parte Imperij. Vt ſignificaretur Imperium Romanum, vt notat D. Bonauentura, quo durante Chriſti aduentus prænuntiatus erat. Daniel.2.n.44. *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Chriſtus lapis ille ſine manibus de vtero virginali veniens, qui omnia mundi ſubiecit imperia. Sed quare, dum Imperium Romanum concutiendum eſt, tanta proponitur poteſtate, vt totus orbis eius mandatis obediens tributum ſoluat; & Chriſtus, à quo eſt ſubiiciendus, tam pauper, & humilis oſtenditur, vt non ſit ei locus in diuerſorio, ſed in præſepio à Virgine matre reclinetur? Hugo Victorinus lib. 4. de vanit. mundi: *Cùm Roma*, ait, *victrix ſuper Regna omnia ſuperbo faſtu caput extuliſſet; tunc ergo dominante ſuperbia, humilis venit, vt de ſua humilitate celſitudinem mundi ſterneret, manifeſtè demonſtrans, quantus in ſua maieſtate foret, qui in noſtra infirmitate poſitus vniuerſa ſubiecit.* Dum Romana poteſtas ſuper totum orbem imperabat, finis illius adeſt, & à Chriſto puero, paupere, & humili ſubiuganda, & vt glorioſiſſima ſit victoria, quando cum Cæſaris magnitudine congreditur, non exercitu Angelorum, ſed humana infirmitate, ipſa mundana celſitudo eſt expellenda, & confundenda. Cùm Dauid exiret in pugnam cum Goliath diuina prouidentia Saulis arma ei non aptantur, vt notat D. Chryſoſtomus homil. de Dauid, & Goliath: *Tam iſta arma*, ait, *puer geſtare non potuit, quàm Goliath his armis non meruit interire.* Vt valde honorabilis eſſet victoria, dum non nobili enſis inſtrumento, ſed vili fundæ caput amputatur. Vide *lib.*1, *cap.*5.*num.*6.

Bonauent. Dan.2. Hug. Vict. *Humilitate deuincitur ſuperbia.* Chryſoſt. *Glorioſa victoria vili inſtrumento.*

6. Quintò. Et ex parte tributi. Non naſcitur Chriſtus antea, ſed quando omnes ſub vnius poteſtate numerabantur, quod notat Paulus Oroſius lib.6. cap.17. *Longè aliud viuendi genus homines ſubeunt, vt omnes humiliter placere ſtudeant, non inſolenter offendere, ſed ad tam ſalubrem humilitatis doctrinam magiſtro opus eſt; itaque opportunè Auguſti Cæſaris temporibus natus eſt Dominus Ieſus Chriſtus.* Quãdo omnes vni Cæſari tamquam Domino ſoluebant tributa, naſcitur Chriſtus, vt etiam cum eis ſcribatur, quia tam durum iugum eſt, vt omnes vni obediant, & ſeruiant, quòd ad hoc mitigandum conueniens fuerit, vt ipſe Chriſtus Dominus veniret, & ſui exemplo homines inſtrueret,

Oroſius. *Valde dura vt omnes vni obediant.*

inſtrueret, vni taliter imperanti ſe ipſos ſubdere, & obtemperare. Sextò. Quia res magna ſine Chriſti halitu non fit. D. Nazianzenus *orat.9.* ita ait. *Cùm Chriſto deſcribis, cum Chriſto tributum expendis, cum capite cenſuram facis, cum verbo rationem ſubducis: quid autem ſibi vult hæc oratio? Sanè, niſi me ſententia fallit, eos, quibus huiuſmodi munera commiſſa ſunt, admonet, Deum ſemper maximis rerum adminiſtrationibus intereſſe.* Magna rerum adminiſtratio adeò difficilis eſt, vt non poſſit perfectè adimpleri, niſi ſpeciali interuentu Dei, ac præſentia Chriſti. Vel quia adeò eſt aſperum, vt homines tributa reddant inuſitata, quale erat hoc Cæſaris, vt ad eius facilitatem, eis dicat S. Pater, *Cum Chriſto deſcribis, cum Chriſto tributum expendis.*

Nazianz.

7. Septimò. Et ex parte Virginis. Vt ipſa haberet iuſtam cauſam veniendi in Bethleem, & ibi pareret. Ita Theophylactus. *Propterea fit deſcriptio, vt quum omnes in ſuas patrias irent, aſcenderet & Virgo in Bethleem, ac impleretur prophetia.* Quæ ratio eſt valde communis, & litteralis.

Theoph.

8. Octauò. Et ex parte Chriſti Domini, S. Gregorius Papa homil. 8. in Euangel. *Quid eſt*, ait, *quòd naſcituro Domino mundus deſcribitur, niſi hoc, quod apertè monſtratur, quòd ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate.* Ac proinde hac deſcriptione illa figurabatur, quam Deus ſuorum electorum faciebat. Nonò. Deus per Auguſtum Cæſarem, tamquam per miniſtrum, vicem eius tenentem, ab omnibus hominibus exigebat, vt ſoluerent tributum puero nato, quamuis ipſe Cæſar, veluti Caiphas, non intelligeret myſterium. D. Thomas lib. 3. de regimine principis opuſcul.20.cap.3. *In hac deſcriptione*, ait, *ſoluebatur cenſus, ſeu tributum in recognitionem debitæ ſeruitutis, non ſine myſterio, quia ille natus erat mundi Dominus, & Monarcha, cuius vices gerebat Angelus, licèt non intelligens, ſed nutu Dei ſicut Caiphas prophetauit.* Similiter D. Ambroſius *hîc*; vbi ait, quòd *Auguſtus exquirebat tributum vice Chriſti, cùm ipſe tantum ſit Dominus totius terræ; & cenſus non eſt auri, & argenti, ſed animi, quem ſibi Chriſtus expoſtulat.* Decimò. Tributum exquirebatur nomine ipſius Cæſaris; & tamen Chriſtus voluit illud dare, dum prima Eccleſiæ ſuæ, ac fidei iaciebat fundamenta, vt per hoc manifeſtum appareat, quòd Chriſtiana pietas principibus, eorumque bonis non aduerſatur; imò potiùs eis obſequium præſtat. D. Iſidorus Peluſ. lib.1. Epiſtol.48. *Deſcriptus eſt Dominus, cùm vtero geſtaretur, & cenſum Cæſari pependit: hinc videlicet, velut lata lege, nobis indicens, vt ei, qui imperium tenet, obediamus: modo nihil ad pietatē detrimēti afferat, nec pauperū obtentu tributū pendere detractemus.*

Greg. Magn.

D. Thom.

Soluebatur tributum Chriſto, vt Regi.

Ambroſ.

Eccleſia non aduerſatur principibus.

Peluſ.

9. Vndecimò. Naſcitur Chriſtus, quando inter Romanos ciues poſſet computari, vt ſic gloriam illius Reipublicæ maximè extolleret: numquam Deus alicui adeſt ſine magno rerum incremento. Paulus Oroſius lib.5.cap.vlt. *Dominus Ieſus Chriſtus*, ait, *hanc vrbem nutu ſuo auctam, defenſamque, in hunc rerum apicem prouexit, cuius potiſſimè voluit eſſe, cùm venit dicendus vtique ciuis Romanus, cenſus profeſſione Romani.* Vide lib.1.cap.1.n.113. Vel, vt ait Procopius in c.12. Iſaiæ, *Rerum ſumma ad Romanos delata, vnicam Reipublicæ formam, & Manarchiam, vt & Eccleſiam vnam, vnamque fidem fore demonſtraret.* Nato Chriſto totus orbis in vnam Rempublicam Romanam coadunabatur, veluti præſagium, Eccleſiam Romanam vnam in orbe, & ſuper totum orbem futuram.

Oroſius.

Chriſtus ciuis Romanus.

Procop.

Eccleſia Romana vna.

Duodecimò. Origenes homil.11. in Lucam. *In totius orbis*, ait, *profeſſione deſcribi oportuit, & Chriſtum; vt cum omnibus ſcriptus ſanctificaret omnes, & cum orbe relatus in cenſum communionem ſui praberet orbi, vt per hanc deſcriptionem deſcriberet quoque ex orbe ſecum in libro viuentium, vt quicumque crederent in eum, poſtea cum Sanctis ſcriberentur in cælis.* Vbi primùm Chriſtus ad nos acceſſit, ſtatim in Imperatoris libellis nobiſcum ponitur, vt ſic magis hominibus ſeſe communicet, & cæleſtia dona tribuat, ac ſui humilitate, qua cenſum Cæſari pependit, nos ab omni onere, ac cenſu Diaboli que tyrannide liberaret, ac cum ſuis Sanctis in cælis collocaret.

Origenes.

Chriſtus ſe nobis communicat.

Sui humilitate nos liberat.

Decimotertiò. Notat Paulus Oroſius lib.6. c.vlt. *Eodem quoque anno*, ait, *idem Cæſar, quem his tantis myſterijs prædeſtinauerat Deus, cenſum agi ſingularum vbique prouinciarum, & cenſeri omnes homines iuſſit, quando & Deus homo videri, & eſſe dignatus eſt. Tunc igitur natus eſt Chriſtus Romano cenſui ſtatim adſcriptus, vt natus eſt.* Ecce vbi primùm Chriſtus Dominus mundo apparet, ſtatim redigitur in catalogum, in quo ſubditi, qui Imperio Romano tributa exoluebant, inſcribebantur. Sed quare Chriſtus, qui omnium Dominus naſcebatur, tam citò feſtinat ſeruitutem profiteri? Cùm eſſet omnium Rex diſpoſuit, in primo ingreſſu iugum ſubiecti, & onus inferioris ſupportare, vt per experientiam haberet omnium miſeriis condolere, & compati. 10.

Oroſius.

Qui miſeriam ſuſtinuit, facilè miſeretur.

Magnis tributis Salomon, & Roboam rempublicam oppreſſerunt, 3.*Reg.*12.*à num.*4. Dauid verò, cùm factus eſſet Rex, nullum impoſuit, nec vllam rem ab aliquo exquiſiuit. Cur Salomon & Roboam tam propenſi ad imponendum iugum in populo; Dauid autem tam repugnans, & contrarius? Præclarè ſoluitur dubium verbis S. Odonis Abbatis Clun. lib.2. Collation. *A Saule*, ait, *Dauid inſectabatur, & ſuper contritionem eorum, qui amaro erant animo, compatiebatur, quæ commiſeratio Roboamum in delicis natum non cupiebat.* Reges illi, vtpote in magna educati opulentia, facillimo negotio populum multis pecuniis ſoluendis vexabant; at Dauid penuria enutritus, multis calamitatibus, ac onere probatus ſuos milites in deſerto ſuſtentando, dum eſſet profugus à facie Saul, abſque eo quòd haberet, vnde alimenta eis poſſet præſtare, factus Rex noluit tali miſeria ſuos opprimere, vt cogerentur ſoluere id, quod non haberent, vt eleganter dixit Tullius. *Multis expertus maximè refugit, vt ſui penuria afficiatur.* Poſt adoratum vitulum à populo Iſraëlitico, magnam cædem, ac vindictam in idololatris exequi iuſſit Moyſes *Exod.* 32. *num.* 26. Cùm tamen iam Dominus eſſet placatus voce illius; at verò cùm populus eſſet in Setim, & fornicatus eſſet cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificicia ſua, & adorauerunt Deos earum; & initiatus eſt Iſraël Beelphegor; & iratus eſt Dominus; ait ad Moyſem: *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis*, Num. 25. num.1. Sed quare in Sinai Moyſis ſpiritus Aaronem ad interfectionem excitauit; hîc verò in Setim neceſſe fuit, vt Deus Imperaret? Ea nunc mihi eſt ratio. In Sinai Moyſes in magna ſublimitate conſtitutus cum Deo loquens, à labe peccati alienus (nam, vt vult D. Ambroſius *lib.*1. *officio, cap.*36. D. Thomas 2.2. *quæſt.*60.*art.*6.*ad* 2. Euſebius, Lyppomanus, & alij, ipſe in cæde Ægyptij non peccauit,) & ideo tam grauiter inſurgit in delinquētes: at in Setim, iam miſerias, ac infirmitates peccati erat expertus in Cades, *Num.*20. *n.*10. & hac de cauſa tam compatiens extitit in peccatores, vt ad ſupplicium in eos exequendum diuino mandato ſit impulſus. 11.

Tullius.

Num 25.

Ambroſ.

D. Thom.
Euſeb.
Lyppom.

QVÆSTIO III.

Quare ob populi enumerationem Dauid puniatur, Auguſtus verò minimè?

12. Ob populi computationem graui pœna mulctatur Dauid 2.*Reg.vlt.n.*11.1. *Paralip.*21. *num.*13. Auguſtus verò non ſic pœnas dedit; imò ad tantam deſtinatus eſt gloriam, vt tempore ſuo Chriſtus naſceretur. Reſpondet primò Simon Caſſianus *lib.*1. *cap.*2. quòd Auguſtus nutu Dei, ac vice Chriſti, vt agnoſceretur ſupremus omnium Dominus, vbi primum natus eſt, orbem deſcripſit, Dauid verò ſui ſpiritus ductu; & ſæpe Deo inſpirante, multa fiunt, quæ noſtræ menti prohibita ſunt, vt patet in morte Sanſon. Secundò. Communis ſolutio. Caſtigatur Dauid Dei amicus, & familiaris; quia *Quos amo, arguo, & caſtigo*, Apocalypſ.3. num.19. peccatores autem ſæpe in hac vita non puniuntur, quia ſuppliciis deputantur æternis. Tertiò. Refert Ioſephus ex traditione Hebræorum *lib.*7. *cap.*10. quòd ex eo Dauid caſtigatus, quia diuinum ab eo neglectum fuit præceptum, *Exod.*30.*num.*12. A ſingulis numeratis capitibus exigendum erat dimidium ſicli in vſum Sanctuarij. Et eſto hoc exquireret Dauid, adhuc peccaret, vt notat Abulenſis *in lib.*2. *Reg. cap. vlt. quæſt.*17. quia cogebat populum ad computationem, & conſequenter ad tributum ſine cauſa. Quartò, quòd tangit etiam Abulenſis *citatus*, Dauid ex ſuperbia, & iactantia numerationem fecit; Auguſtus verò ex iuſta cauſa, vt vnuſquiſque Romano Imperio ſe ſubditum profiteretur: & eadem res, dum ex iactantia, reprobatur, dum verò ex neceſſitate laudatur maximè. Ait Paulus 2. Corinth.1. num. 12. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Vnde Paulus prohibet aliorum de noſtra virtute teſtimonium adducere, vt inquit D. Chryſoſtomus homil.72. in Matth. *Ipſi*, ait, *quos ad teſtimonium tuæ virtutis citas, latrones abs te conſtituuntur, qui te regno cælorum ſpolient.* Et tamen Chriſtus Dominus in paſſione ſua, dum aſtaret coram Præſide, de ſua ait doctrina: *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt.* vbi teſtes vocat. Aliorum teſtificatio ex iactantia damnabilis; ex neceſſitate verò maximè laudabilis. Quintò. Dauid admonitus fuit à Ioab, vt à ſententia ſua denumerando populo deſiſteret, 2.*Reg. vlt. num.* 3. Auguſto verò nullus obſtitit: ergo multo grauiùs Dauidis peccatum, dum contempſit eum, à quo ſalubriter dirigebatur. Sextò. Numerante Dauide populum, magna clades facta eſt. Numerante Cæſare, benignitas Dei in terris apparuit. Vide Dei clementiam, quòd ſi ex vna numeratione populi malum pullulauit. Ex altera ſumma omnium ſalus exorta eſt. Scribens Moyſes vniuerſale diluuium *Geneſ.6. num.6.* ait. *Videns Deus, quòd multa hominum malitia eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum; quòd hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus. Delebo, inquit, hominem, quem feci.* Et tamen infrà *cap.* 8. *num.* 21. ait Deus. *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines, ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Ecce hominis cogitatio intenta ad malum extitit occaſio vt diuina ira ſæuiret in genus humanum. *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum, delebo hominem*; & ipſamet cogitatio miſerandi etiam fuit occaſio. *Senſus, & cogitatio hominis in malum prona ſunt, nequaquam vltrà maledicam terræ.* Alta Dei ſapientia, eadem occaſio ſumitur ad miſericordiam, quæ extitit etiam ad ſupplicium. Fauet Carthuſianus ibi: *Deus*, ait, *interdum oſtendit rigorem ſuæ iuſtitiæ, interdum verò dulcedinem ſuæ clementiæ, ſecundùm beneplacitum, & ordinem inperſcrutabilis, atque immenſæ ſapientiæ ſuæ; omnia etenim facit, vt ſua perfectio in rebus reſplendeat.*

Caſſian.

Apoc.3.

Ioſephus.

Abulenſ.

Res ex iuſta cauſa laudabilis.

2. Cor. 1.

Chryſoſt.

Contemnere admonitionem, damnabile.

Vnde occaſio ſupplicij, inde Deus ſumit occaſionem miſerandi.

Geneſ. 6.

Geneſ. 8.

Carthuſ.

Lucæ 2.*n.*2.	Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino.

VERSIONES.

Syriacus.	Hæc deſcriptio prima facta eſt ſub præfectura Kyreni in Syria.
D. Ambroſius hîc.	Hæc profeſſio prima facta eſt, Præſide Syriæ Cyrino.
Vatablus, Theophyl.	Facta eſt, Præſide Cyrino.

EXPOSITIO.

13. In lectione nominis Cyrini variant Authores. Quidam Cyrenum, alij Cyrinum legendum putant. Et ſiue hoc, ſiue illo modo vocetur, parum intereſt ad præſentis textus expoſitionem. Tamen aliqui ex hoc fortaſſe aſſumpſerunt occaſionem aſſerendi duas fuiſſe deſcriptiones; vnam quam hîc refert Lucas, quæ incidit anno 42. Auguſti; aliam, cuius mentionem facit Ioſephus *lib.*18. *Antiquit. cap.* 1. & eam collocat anno 51. Auguſti. Sed, vt bene notant Expoſitores, deſcriptio vna, & eadem fuit; & Ioſephus errat in annorum computatione. Dicitur autem hæc deſcriptio *prima* ab Euangeliſta; & miſſis aliquibus interpretationibus minus propriis. Quia fuit prima generalis totius Orbis, vt ait Paulus Oroſius lib.6. cap. 22. *Hæc eſt prima illa profeſſio, quæ Cæſarem omnium principem ſignificauit.* Similiter Beda. Secunda expoſitio. Quia Syriæ Præſes primus omnium cœpit deſcriptionem; eſt enim Syria in medio Zonæ habitabilis, & inde cæpit deſcribere. Ita Magiſter *Hiſtor. Eccleſ. c.*4. Meritò tributum, & onus in medio, & vmbilico terræ ponitur, vt inde æqualiter diffundatur in omnes. *Præſide Syriæ Cyrino.* Textus Græcus legit

Ioſeph.

Oroſius.

Beda.

Mag. Hiſt.

Tributum debet eſſe in omnes.

legit ſine illa propoſitione *à*, id eſt, illius tempore, ſeu illius præfectura deſcriptio facta eſt. Meliùs noſtra Vulgata, *A præſide Syriæ*; quaſi ipſe authoritate Cæſaris exigeret, & exquireret tributum; & ideo non ab Herode, qui erat Rex Iudææ, & iuxta Romanorum diſpoſitionem gubernabat, ſed à Cyrino tributum accipiebatur, quia ad hoc negotium à Romanis deſtinatus erat in Syria, cuius vna pars erat Iudæa.

Lucæ 2.n.3. Et ibant omnes, vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatem.

VERSIONES.

Syriacus. Et proficiſcebatur vnuſquiſque, vt deſcriberetur, in ſuam ciuitatem.

Vatablus. Vt cenſerentur in ſuam quiſque ciuitatem.

Arias. Et ibant omnes deſcribi, vnuſquiſque in propriam ciuitatem.

EXPOSITIO.

14\. DVBITATIO eſt hîc, in quam ciuitatem vnuſquiſque iret? Primò dicunt aliqui, quòd in illam ibant, in qua vnuſquiſque haberet aliquam domum, etſi pauperem. Et confirmant ex D. Cypriano *ſermone de natiuitate*. Sed hoc reiicitur, quia ſi Virgo habebat domum in Bethleem, quomodo non erat ei locus in diuerſorio?

Cyprian.

Nec Diuus Cyprianus oppoſitum dicit; ſolùm enim appellat domum paruam, in qua Chriſtus natus eſt. Secundò. Dicunt alij vnumquemque proficiſci in eam ciuitatem, in qua natus erat. At hoc non videtur ſtare: quia beatiſſima Virgo, & Ioſeph videntur nati in Nazareth, *Marc.6.num.3.*

Euthym.

Euthymius aſſerit, quòd ad illam tendebat quilibet, in qua natus erat. Hoc tamen facilè refellitur ex verbis Euangeliſtæ, dicentis, quòd Ioſeph aſcenderit, eo quòd eſſet de domo, & familia Dauid. Ex quo dicendum eſt, quòd in illud oppidum ſinguli deueniebant, in quo erat caput familiæ, Bethleem autem patria erat Iſai patris Dauidis, 1.*Reg.*16.*num.*1. Et ibi natus, ac procreatus eſt Dauid. Deſcriptiones autem in populo Iudaico fiebant per capita vniuſcuiuſque familiæ, vt ſic diſtinctio in eis maximè ſeruaretur, *Ioſue 7. num.14. & 1. Reg.10.num.19. & 2. Reg. 24. num.2.* Et ideo Auguſtus voluit ſimili modo hanc deſcriptionem facere, vt antiquam populi ſeruaret conſuetudinem: & fortaſſe, quia tributum, quod quilibet ſoluebat, ad expenſas propriæ ciuitatis, non verò alienæ, pertinebat.

Pax, & vnitas à Chriſto venit.

Et ibant omnes, ſumma pace, ac vnitate, vt ſub vno Imperatoris mandato ſoluerent tributum: tanta autem pax, & vnitas non à Cæſare, ſed à Chriſto, cui tributum dabatur, proueniebat.

Ambroſ.

Diuus Ambroſius hîc. *Denique, vt ſcias cenſum non Auguſti eſſe, ſed Chriſti, totus orbis iubetur profiteri.*

Lucæ 2.n.4. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem: eò quòd eſſet de domo, & familia Dauid.

VERSIONES.

Syriacus. Quandoquidem erat ex domo, & proſapia ipſius Dauid.

Arias. Bethleem propter ipſum eſſe ex domo Dauid.

D. Thaumaturg. ſer.1. de Annunt. Cum Maria ſibi vxore prægnante, eo quòd eſſent ipſi è domo, & familia Dauid.

EXPOSITIO.

FREQVENS loquendi modus Hebraicus, *aſcendere* pro, *ire*: vel quia euntibus à Nazareth in Bethleem aſcendendum erat, cùm eſſet poſita in altiori loco: vel moraliter, cùm ad Chriſti natiuitatem deuentum eſt, ſtatim natura humana in ſublimiori loco collocata eſt, & aſcendere dicitur, *In ciuitatem Dauid*; ne aliquis cogitaret, eſſe Sion; quòd ciuitas enim Dauid dicebatur, ſtatim explicatur; *quæ vocatur Bethleem.* 15.

Chriſti aduentu natura eleuata,

Vnde notandum, quòd Magi veniunt in Bethleem permoniti per ſtellam, & tamen, vt Virgo ad illum locum accedat, ſufficit vnius hominis edictum, adeò erat prompta in obedientia, vt cuiuſcunque mandatum abundans eſſet, vt imparata exequeretur.

Virgo ad cuiuſcunque mandatum obedientiſſima.

Chryſoſt.

D. Chryſoſt. homil. de Natiuit. *Vide prouidentiam Dei, miniſtrationem per infideles, atque fideles, ea, quæ ad ſe pertinent, diſpenſantis. Et ſtella quidem Magos ab oriente produxit: at lex Mariam in patriam à Prophetis prædictam traxit.*

QVÆSTIO IV.

Quare Bethleem eligatur ad Chriſti natiuitatem?

NOTANDVM ex D. Bonauentura *hîc*, quòd Chriſtus Dominus *alibi eſt natus, alibi conceptus, alibi educatus, alibi paſſus.* 16.

Bonauent.

Et eleganter ponderat Diuus Leo ſermone 1. de Epiphania, *Bethleem praelegit natiuitati, Hieroſolymam paſſioni.*

Leo.

Locus anguſtus deputatur natiuitati, vbi gloria erat decantanda. Hieruſalem ciuitas magna paſſioni conſecratur, vbi ignominiæ manifeſtandæ. Et hæc ſit prima quæſtionis ratio. Secunda, & communis. Ad oſtendendum ſe eſſe de genere Dauidis. Ita Diuus Nazianzenus *ſermone de natiuitate.* Diuus Paſchaſius, Diuus Thomas, Albertus Magnus *in cap. 2. Matthæi numer.5.*

Nazianz. Paſchaſ. D. Thom. Alb. Magn.

Tertia. Quia in Bethleem natus eſt Dauid. Ita Hugo, & alij multi.

Hugo.

Sed ſi propter Regium Vatem, quare non exoritur Sol iuſtitiæ in Sion, quæ illius ciuitas dicebatur? In Sion ſibi conſtituit Dauid manſionem, ſeu palatium, vt notat D. Carthuſianus.

Carthuſ.

In Bethleem pauper prodiit in lucem, Chriſtus autem Dominus ſemper amplectitur ea, quæ paupertatem, & humilitatem redolent. Quarta. D. Thomas *in c.2. Matth.n.5.* ita ait.

D. Thom.

Ad confirmationem ſuæ doctrinæ, & oſtenſionem ſuæ veritatis. Si enim natus fuiſſet in aliqua magna ciuitate, virtus ſuæ doctrinæ potuiſſet adſcribi humanæ virtuti. Quamuis humanæ opiniones, & ſententiæ, quòd Chriſti ſcientia eſſet acquiſita, ei obeſſe non poſſent; has tamen Chriſtus voluit declinare; huiuſmodi enim maximè ſunt fugiendæ.

Opiniones euitandæ.

Deinde naſcitur in Bethleem ratione ſuæ veritatis, quia ita dictum erat pet Michæam *cap.5.num.2.*

17\. Quinta. In Bethleem Iuda naſcitur Chriſtus, Bethleem idem valet ac domus panis, Iuda eſt confeſſio vbi enim cum peccatorum confeſſione adiungitur cæleſtis panis, ſtatim in anima naſcitur vera ſalus Chriſtus Dominus.

Bernard.

S. Bernardus *ſermone 1. in vigilia Natiuitatis*, inquit: *Solicitus eſto, quomodo Bethleem Iudæ inueniaris, & iam non in te Dominus ſuſcipi dedignatur. Bethleem quippe domum panis, Iuda ſonat confeſſionem. Tu ergo ſi quanta potes deuotione, ſuſcipias panem illum, qui de cælo deſcendit, Bethleem factus es dignus planè ſuſceptione dominica, ſi tamen confeſſio non defuerit.*

Vbi confeſſio cum Euchariſtia, ibi ſalus.

Sexta in Bethleem ſepulta eſt Rachel, quæ figuraliter Eccleſiam exprimit; vt denotetur, quòd ibi eſt ſecura requies Eccleſiæ, vbi adeſt cæleſtis panis.

Paſchaſ.

Paſchaſius *lib.2. in Matth. cap.2.n.5.* ita ait: *Rachel figuram gerens Eccleſiæ, ibidem* (ſcilicet Bethleem) *ſepulta legitur, vt in eodem loco plena requies eius ſignetur, vbi Chriſtus panis viuus de cælo deſcēdit quotidie exortu nouo ſine defectu verſatur.*

Vbi Euchariſtia, ibi requies Eccleſiæ,

Vbi adeſt Euchariſticus panis, ibi fidelium Eccleſia ſecura requieſcit.

18\. Septima. In Bethleem Ephrata, *Michææ 5.n.2.* vbi ſepulta eſt Rachel, naſcitur Chriſtus. Rachel Eccleſiam, Bethleem domum panis, Ephrata fructum ferentem ſignificant; quia Eccleſia ad præſentiam cæleſtis panis in vberes fructus productura erat.

Paſchaſ.

D. Paſchaſius citato loco. *Siquidem hic frugifera, vt ibi, cùm manifeſta fuerit gloria Chriſti, ſatietur ex adipe frumenti, & repleatur omni felicitate perpetua.*

Ezech.27.

Latè deſcribit *Ezechiel c.27.* mercatores vndique aduenientes, & varias merces ferentes, de negotiatoribus Iſraël citato loco num.17. *Iuda, & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis.* Quomodo in vno frumento tot inueniuntur, balſamum, mel, oleum, & reſina?

Carthuſ.

Dionyſius Carthuſianus per hoc frumentum intelligit ſacratum Euchariſtiæ panem in nundinis Eccleſiæ Catholicæ, in quo ipſa habet omnes fructus mira dulcedine compoſitos, vt filios ſuos ſatiet, & in hoc vno frumento poſſidet odorem balſami, dulcedinem mellis, abundantiam olei, & perſeuerantiam cum Chriſto in reſina.

Omnis fructus Eccleſiæ ab Euchariſtia.

Lucæ 2.n.5. Vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.

VERSIONES.

Pagninus. Vt deſcriberetur cum Maria.

Vatablus. Vt cenſeretur cum Maria deſponſata ſibi vxore.

Syriacus. Sponſa ſua vterum ferente.

Arias. Deſponſata ſibi vxore exiſtente prægnante.

Chryſoſt. ſer. de laudibus Virginis. Deſponſata, & grauida.

EXPOSITIO.

ASCENDIT Ioſeph, vt ſe Imperio Romano ſubditum profiteretur, ſimul cum vxore ſua ſanctiſſima, quæ etiam deſcribebatur, vt iam ſuprà dixi; quæ & prægnans erat, non ante deſponſationem; ſed pòſt, vt latè iam explicuimus *cap. vlt. ſuperioris libri.* Et quamuis, vt ait Diuus Bonauentura, Virgo Regem cæli, & terræ concepiſſet, imperiali tamen edicto etiam prægnans voluit obedire, vt poſſet cum filio dicere: *Sic nos docet implere omnem iuſtitiam*, Matth.3. 19.

Bonauent. Matth.3.

Lucæ 2.n.6. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, completi ſunt dies, vt pareret.

VERSIONES.

Theophylact. Accidit autem, cùm eſſent ibi, completi ſunt dies pariendi.

Vatablus. Euenit autem, cùm eſſent ibi, completi ſunt dies partus ipſius.

Arias. Factum eſt autem, eſſe eos ibi.

EXPOSITIO.

FACTVM *eſt*; non caſu, ſed diuina prouidentia, cùm eſſent beatiſſima Virgo, & Ioſeph in Bethleem, ad quam de Nazareth iter erat ferè quatuor dierum. Multi probabiliùs dicunt, quòd Beatiſſima Virgo in vili animali vecta fuerit: alij tamen contendunt, quòd pedibus ſuis iter confecerit; hoc enim videtur cum paupertate, & humilitate ſua magis cohærens: & à filio concepto minimè grauabatur, imò potiùs ab illo ferebatur, vt inquiunt D. Auguſtinus *ſermone 11. de natali Domini.* D. Fulgentius de laudibus Mariæ. *Cum eſſent ibi.* Maldonatus, Toletus exiſtimant, quòd poſtquam ibi eſſent per aliquos dies, Virgo peperit. 20.

Auguſt. Fulgent. Maldon. Tolet.

Tamen communis, & pia populi Chriſtiani traditio, quòd in illa nocte, in qua peruenit, peperit, præferenda eſt. Et ita B. Brigitæ reuelatum lib. 7. cap. 21.

Brigita.

Impleti ſunt dies, id eſt, nouem menſes, vt ſuprà de Elizabeth diximus. Et ait, *impleti ſunt dies*, vt notat D. Bonauentura; quia Chriſtus Dominus in plenitudine temporum natus eſt; & non dixit: Impletum eſt tempus, vt ſcribit de Elizabeth, Lucæ cap.1.num.57. *Sed impleti ſunt dies*; tempus includit noctem peccati, & dies gratiæ; dies vero claritatem, & lucem illius. in ſuprema natiuitate omnia fuerunt in claritate, ac luce.

Bonauent. Luc.1.

Lucæ 2.n.7. Et peperit filium primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in preſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio.

VERSIONES.

D.Thaumaturg.ſer.1. de Annuntiatione. Et peperit filium ſuum primogenitum omnis creaturæ.

Vatabl. Pagn. Theophyl. Ac faſciis eum inuoluit, & reclinauit eum.

Caietanus, Arias. Et pannis eum infaſciauit.

D.Epiphan hær.51.ante medium. Et faſciis eum inuoluit, & iacuit eum in præſepi, & ſpelunca, & quod, *&c.*

Syriacus. Quia non erat eis locus, vbi habitarent.

D.Ambroſius. Poſuit eum in præſepio.

EXPOSITIO.

21. BREVIBVS, & humilibus verbis Euangeliſta tantum explicat myſterium. Sanctiſſimus hic puer ſemper humilia appetit. Et non ſolùm ait Euangeliſta, quòd Virgo peperit filium, vt dictum eſt de Elizabeth *cap.5.num.57.* Sed ait, *peperit filium ſuum.* Excellentiori modo Chriſtus inter omnes homines dicitur filius Virginis, ipſa enim ſine ope viri præſtitit totum concurſum ex parte humanæ naturæ. *Primogenitum*; de quo in fine ſuperioris libri *num.69.* Et quamuis ipſe vnigenitus Patris, & matris ſit, vt notat D. Bonauentura; tamen vult dici primogenitus in multis fratribus factus homo, vt ait Beda *homilia 1. in Lucam.* Ac proinde, licèt Virgo vnum tantùm pepererit filium, ſcilicet Chriſtum Dominum, tamen dicitur primogenitus eius, quia ipſa ſanctiſſima Virgo omnes homines adoptauit in filios, in quibus primogenitus, & naturalis eſt tantùm Chriſtus Dominus; & hoc modo Deum patrem, & matrem ipſam Dei genitricem, & fratrem Ieſum retinemus, qui comparticipes nos fecit ſuæ hæreditatis. Vide *lib.1.cap.1.quæſt.45.n.112.*

Chriſtus excellentiſſimè dicitur filius Virginis. — Bonauent. — Beda. *Virgo omnium mater.*

22. *Et pannis eum inuoluit.* Non vna veſte, ſed multis, vt notat D. Bonauentura, vt pannoſus pauper poſſet dici. Vnde ait Author Græcus *in Catena*, non ſolùm homo, ſed homo pauper voluit eſſe. *Reclinauit eum.* D. Chryſoſtomus *homilia de natiuitate Domini*, ſuprà datus. Reclinauit eum mater; Ioſeph autem mirabatur. *Gaudebat natum, & natum non audebat attingere.* Et proh dolor! tot peccatores, non ſolùm attingere, ſed ſumere audent. Et ita explicat Interlinealis. Reclinauit eum in præſepio. *Hoc eſt corpus Chriſti ſuper altare.* Textus, *Non erat ei locus in diuerſorio.* Diuerſorium erat locus hoſpitis, qui ita dicebatur, eo quòd, vt notat Diuus Iſidorus, diuerſi in eo conuenerant ad habitandum.

Bonauent. Auth.Græc. — Chryſoſt. — Interl. — Iſidor.

QVÆSTIO V.

Qualiſnam fuerit auguſtiſſimus Virginis partus?

23. CVM clariſſima nox diei vigeſimæ quintæ Decembris illuceſceret orbi, proceſſit de thalamo ſuo verus Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Et quòd eſſet noctis tempore, notat Euangeliſta. *Et paſtores erant vigilantes ſuper vigilias noctis.* Quod expendit Tertullianus lib.5. aduerſùs Marcionem. *Myſticè*, ait, *factum eſt, vt Chriſtus nocte naſceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris.* Nocte apparet in orbe, quia ipſe vt vera lux naſcebatur, vt omnes errorum tenebras, ac caligines diſſiparet, ac excluderet. Et media nocte naſcitur Saluator, prima ſcilicet hora diei, quia vbi primum hic dies conſtitutus à patre aduenit, & ſtatim ob vehemens deſiderium prodiit è virgineo vtero.

Tertull. — *Chriſtus errores depellit.* — *Vehemens Chriſti amor.*

24. Cùm hoc tempus feliciſſimum adeſſet, ſanctiſſima Virgo cum ſponſo ſuo Ioſeph ſe recepit in quadam ſpelunca, de qua dicendum eſt *quæſt.8.* & ibi, vt reuelatum eſt B. Brigitæ lib.7. cap.21. *Tunc Virgo*, vt ibi refertur, *genuflexa eſt cum magna reuerentia, ponens ſe ad orientem, tenebat vero faciem ad cælum eleuatam. Erectis igitur manibus, & oculis in cælum intentis, ſtabat quaſi in ecſtaſi contemplationis ſuſpenſa, inebriata diuina dulcedine: & ea ſic in oratione ſtante, vidit tunc moueri iacentem in vtero eius, & illico in momento, & ictu oculi peperit filium.* Et valde conuenienter anima Virginis transfixa erat in oratione, vt quæ orando conceperat orando pareret; & cùm Virgo videret puerum natum, eum adorauit, ac ei dixit, vt reuelatum eſt S. Brigitæ, ac habetur eodem cap.21. *Bene veneris, Deus meus Dominus meus, & filius meus.* In ipſo autem partu Virgo habuit concurſum actiuum, ſuauiſſimo quodam impulſu, abſque vlla moleſtia, veluti quando flatus exiit ab ore; hunc enim concurſum actiuum indicat proprietas verbi pariendi, & ita canit Eccleſia. *Enixa eſt puerpera Regem.* Vt notant Suarius *tom.2.ad 3.part.diſp.13.ſect.1.§.Secundò colligitur*, & Ioannes Baptiſta Nouatus *de eminentia Deiparæ, cap.10. quæſt.6.* Alias circunſtantias huius ſanctiſſimi partus conſideremus.

Brigita. — *Virgo orando cõcepit, orando peperit.* — *Virgo in partu habuit concurſum actiuum.* — Suarius. — Nouatus.

25. Primò. Emiſit Virgo ſuum ſanctiſſimum fœtum non per latus, vt aliqui hæretici fabularunt apud Diuum Damaſcenum, ſed per communem, & naturalem viam, & canit Eccleſia,

Cuius per aluum fuſus eſt.

Et docent Diuus Damaſcenus *lib.4. cap.15.* Toletus *cap.2.* Luc. *annotat.7.* Ratio eſt, quia Deus voluit fieri homo, & verus filius hominis; ergo voluit habere veram rationem partus, & natiuitatis humanæ, quæ eſt ab vtero. Et ita ait D. Nazianzenus orat.16. *Voluiſſe Deum, non tantùm naturam, ſed etiam natiuitatem humanam honorare, & ideo vtramque aſſumpſiſſe, cum omni proprietate, abſque macula tamen, vel indecentia, prout Deum decebat.*

Tolet. Damaſcen. — Nazianz.

26. Secundò. Integritas virginitatis in partu Mariæ non eſt læſa, ſed maximè aucta. Quòd Virgo Chriſtum Dominum pepererit ſine vlla iactura ſuæ virginitatis, eſt de fide Catholica certum, habetur expreſsè in Scriptura. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Iſai.7. Ezechiel.44. num.2. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa principi.* Et hanc concluſionem tenent omnes Patres per omnes ętates, & firmiter docet Eccleſia Catholica, quod latè probat Suarius *tom.2.ad 3.part. diſpoſ.5.ſect.2.* Eleganter rem explicat D. Amedeus homilia 3. de Mariæ virginitate. *Vt claritas*, inquit, *Solis vitrum abſque læſione penetrat, & vt radius oculorum tanquillo, & claro liquori ſine diſciſſione, & diuiſione immergitur, vt vſque ad fundum vniuerſa rimetur: ſic Dei Verbum adijt virgineum habitaculum, & inde prodijt, clauſo Virginis vtero; quippe qui facilè poſſet extra Virginem corpus creare de nihilo, facilè potuit corpus acceptum de Virgine extrà ſine carnis ſciſſione traijcere: neque enim legi naturæ ſe ſubdit, ſed legem naturæ ſubdit ſibi.*

Virginis integritas in partu. — Iſai.7. — Ezech.44. — Suarius. — Amed. — *Quomodo Chriſtus egreſſus ſit de vtero.*

26. Quòd verò in virgineo partu virginitas adaucta ſit, eleganter docent D. Auguſtinus tom.10. ſerm.22. in Natali Domini. *Audiat*, ait, *omnis ætas, quod numquam audiuit; Virgo partu nupſit, virginitatem, dum pareret, duplicauit.* Et idem ferè habet *ſerm.15.de tempore.* D. Chryſologus ſerm.142. *In tuo*, inquit, *partu creuit pudor, aucta eſt caſtitas, integritas roborata.* Similiter docet Hildephonſus *ſerm.2.de Aſſumptione.* Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus bonum, & excellens, quod in nobis inuenit, non minuit, ſed maximè amplificat, & cumulat: ergo præexcellens virginitatis donum, quod erat in matre, tactu ſuo virgineo non læſit, ſed potiùs duplicauit, & corroborauit.

Virginitas in partu aucta. August. — Chryſol. — Hildeph.

27. Tertiò. Virgo Chriſtum peperit ſine vllo dolore, & cum magno, ac intenſiſſimo gaudio. Quòd ſine dolore, patet ex Iſai.66.n.7. *Antequam parturiret, peperit, & antequam proueniret partus eius, peperit maſculum.* Septuaginta legunt: *Antequam veniat dolor parturientium, peperit maſculum.* D. Damaſcenus lib.4. de fide, c.15. *Quia voluptas non anteiuit, nec dolor quidem in partu ſubſequutus eſt.* Et hoc apertè denotat Euangeliſta, dum ait, quòd Virgo puerum pannis inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quòd aliæ matres dolore poſt partum fatigatæ facere non poſſunt. Arnoldus de laudibus Mariæ. *Vbi Virgo, & obſtetrix, & genitrix ſibi ipſi in illa celebritate exhibuit clientelam: nihil quippe doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ſibi vſuram pœnarum pro voluptate vltio repetebat.* Et ita Chriſtus exiuit clauſo vtero, ſicut & à ſepulchro.

Partus ſine dolore. Iſai.66. — Damaſcen. — Arnoldus.

28. Quòd verò Virgo cum magno gaudio Chriſtum ediderit, nobis prædixit Iſai.35.n.2. *Germinans germinabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda, & gaudens.* Nam ſi, audito nuntio natiuitatis Chriſti, paſtores exultant, viſa ſtella Magi gaudent, cognito Chriſto, Simeo repletur lætitia, quali nam eſſet gaudio Virgo perfuſa, dum ex ſe tantum videbat natum; nam, ſine dubio, Dei omnipotentia eius cor dilatauit ad tantam lætitiam ſupra humanas vires capiendam. D. Amed. hom.4. de laudibus Virginis. *Si autem illo naſcente*, inquit, *cuncta lætata ſunt, mater eius qualiter lætabatur: quæ erat in genitrice lætitia, ſi ita gaudebant omnia? Lingua balbutit, cor refugit, ſenſus expaueſcit ad pondus tanti gaudij. Quomodo enim vas adhuc fragile, adhuc luteũ, & mortale poterat perdurare? quia ille obumbrabat ei in ortu Chriſti, qui in conceptu obumbrauerat. Ille dabat ſufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præſtabat.*

Partus cum magno gaudio. Iſai.35. — Amed.

29. Quartò, Chriſtus natus eſt abſque illuuie puerperij ſordium, & ſecundinarum. Pro intelligentia huius rei notandum, quòd fœtus in vtero inuoluitur quibuſdam membranis, quæ *ſecundinæ* appellantur; & tempore partus rumpuntur, & ſimul cum fœtu cum multis ſanguineis ſordibus exeũt. Certiſſimum eſt Chriſtum Dominum à Virgine editum fuiſſe ſine vllis ſordibus, & ſine vlla ſanguinis emiſſione. Definitum eſt expreſsè in VI. Synodo *Act.11.* & docent D. Cyprianus *ſerm.de natiuitate.* D. Epiphan. *lib.3.contra Hæreſ.* D. Aug. *lib.29.contra Fauſtum, c.3. & 4.* S. Thom. *quæſt.35. artic. 6.* totam rem luculenter explicat D. Zeno ſerm.2. de natiuit. *Non mater eius*, ait, *tanti partus pondere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſceribus: non filius matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus: neque enim reuera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, maculas venerat mundaturus.*

Partus ſine ſordibus. — Cyprian. Epiphan. Auguſt. D.Thom. Zeno.

30. Quòd verò Virgo in partu non emiſerit ſecundinas, docent Patres congregati in Trullo *Can. 79.* quod confirmatum eſt à VII. Synodo *Act.7.* An verò Chriſtus Dominus in vtero membraneis, ſeu ſecundinis fuerit inuolutus, ſunt duæ ſententiæ, quæ videri poſſunt apud Suarium *to.2. ad 3.part.diſp.13.ſect.2.à §.dupliciter autem.*

Patres in Trullo. — Suarius.

31. Quæres, quiſnam fuerit primus locus, quem Chriſtus natus immediatè tetigerit. Caiet. *citato loco D. Thomæ* exiſtimat veriſimile Angelorum miniſterio fuiſſe ſuſceptum, & in manibus Virginis poſitum. Alij tamen dicunt, vt Salmeron *tom.3. tract.33. §. Amplius*, quòd Virgo pallium ſuum album, quod aſportabat, vt reuelatum eſt S. Brigitæ, extendit; & ibi primò ſuſceptus eſt Chriſtus, maiori decentia, quæ fieri potuit, nec humilitatis magiſter vllum alium voluit habere primum locum, niſi terram, & humum.

Quem locum Chriſtus primò attigit. — Caiet. Salmer.

QVÆSTIO VI.

Quare Chriſtus pannis inuoluatur?

32. SVPPONO ex reuelationibus B. Brigitæ *lib.7.c.21. num.22. & 23.* quòd beatiſſima Virgo bene conſcia futuri partus, & vt prouida, attulerit ſecum panniculos laneos & lineos mundiſſimos ad ſanctiſſimum puerum natum inuoluendum. Sed quare his; & non auro, purpura, vel byſſo, vt potuit diuina potentia ſuppeditare; Communis eſt Patrum reſponſio; ob amorem paupertatis; hanc enim voluit eſſe ſui argumentum, & ſignum, vt dixit Angelus paſtoribus. *Hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutũ.* Secundò. D. Maximus homil.2. in Natali Domini. *Statim*, inquit, *vt vterus maternus Chriſtum effudit, viliſſimis circundatur pannis. Pannis ſiquidem induitur ille pro nobis, qui cùm crearet omnia, terras luce perfudit, cælum ſyderibus adornauit, & ignea ſolem claritate veſtiuit. Obuoluitur quidem pannis, ſed hi panni noua ſtella radiante munerantur à Magis, & exultantibus Angelis honorantur.* Chriſtus Dominus homines gloria, & honore, cælum ſyderibus, terram luce, & fulgoribus exornauit; ſe verò humilibus pannis induit; vt verus Rex, & Dominus aliis pretioſa donauit, ſibi verò abiecta retinuit: ſed ipſa humilitate totum orbem deuincit, ac à paſtoribus, Magis; & Angelis adoratur, vt eius glorioſior ſit triumphus.

Brigita. — *Chriſtus paupertas.* — Maxim. — *Chriſtus alijs pretioſa, ſibi humilia retinuit.*

33\. Zeno. Tertiò. S.Zeno ſerm.3.de natiuitate, *Patitur Deus*, inquit, *ſe pannis alligari, qui totius mundi venerat debita ſoluturus.* Similiter D.Ambroſius hìc, *Ille*, ait, *inuolutus eſt pannis, vt tu mortis ſaccis ſis abſolutus.* Prætulit Chriſtus in ſe pœnam, vt nos ab illa eximeret; pannis ligatur, vt nos mortis, ac peccati debitis obſtricti ſoluamur. Quartò. D.Bernardus ſerm.4.de natiuitate, *Neque enim*, inquit, *ſine certi ratione myſterij pannis Saluator inuoluitur, & ponitur in præſepio, quando id manifeſtè in ſignum nobis commendatur ab Angelo: Hoc, inquam, vobis ſignum, inuenietis infantem: in ſignum poſiti ſunt panni tui, Domine Ieſu, ſed in ſignum, cui à multis vſque hodie contradicitur; multi quippe vocati, ſed non multi electi, ideo nec ſignati.* Ita induitur Ieſus, quia multorum oculi inuoluendi erant pannis, vt myſterium non intelligentes, veſtis illa eſſet eis in ſignum contradictionis, in quorum cordibus velamen eſt poſitum, vt ait Apoſtolus. Euſebius Gallicanus *ſerm. in nocte natalis Domini*, ait, quòd panni iſti ſignificant velamen literæ, ſub quo Chriſtus multis occultus eſt, inuenitur tamen à paſtoribus, hoc eſt, ſimplicibus quærentibus eum.

Ambroſ. *Chriſtus in ſe prætulit pœnam, vt nos eximeret.* Bernard. *Hæretici myſteria non intelligunt.* Euſeb.

34\. Carthag. Quintò. Ioannes Carthagena *lib.4. homilia 9.* myſticè exponit locum quòd Chriſtus Dominus, vbi primum eſt natus, ſtatim pannis tegitur, vt denotetur, quòd in anima, in qua ſit recenter natus, eſt abſcondendus, ne ob vanam gloriam deperdatur. Sextò. Ita explico. Veſtimentum nota, & ſignum pœnæ peccati. D.Chryſoſt.homil.18. in Geneſ. *Veſtitum amictus*, inquit, *continuum nobis ſit monumentum, quo memores ſimus, quantis bonis exciderimus, & diſcamus quanto ſupplicio humanum genus ob in obedientiam ſit affectũ.* Ergo cùm Chriſtus Dominus veniret in remediũ peccati, & vt nos ab illius ſupplicio liberaret, voluit illius ſignum, ac infirmitatem induere; vt moraliter diſcamus, quòd promptiſſimè ſubuenitur miſeriæ ab eo, qui illius pœnam, & afflictionem patitur. Vide ſuprà *num.* 10.

Chriſtus abſcondendus in anima. Chryſoſt. *Bene occurritur miſeriæ, quàm quis eſt expertus.*

35\. Septimò. Beatiſſima Virgo Chriſtum natum pannis inuoluit, ſeu, vt alij legunt, *pannis infaſciauit.* Vt nobis inſinuatum eſſet, quòd in poteſtate Virginis eſſet, diuinæ iuſtitiæ manus cohibere, ne debitum ſupplicium peccatoribus inferant. *Sicut vitta coccinea labia tua: eloquium tuum dulce*, Cant.4.n.4. Septuaginta: *Sicut funiculus coccineus labia tua: & eloquium tuum decorum*, ſeu gratioſum, quem locum de beatiſſima Virgine explicat Rupertus Abbas: verba enim Virginis ita ſunt ardentiſſima, ac efficaciſſima erga filium; hoc enim exprimit funiculus coccineus, vt diuinam iram videatur quodammodo reprimere, ac conſtringere, ne in noſtram pœnam, ac caſtigationem procedat. Richard.ibi. *Sicut vitta*, inquit, *conſtringit crines, ne diſſolutè defluant: ita ſancta anima ligat mala ne in perniciem propriam, vel aliorum defluant, & diſſoluantur.*

Virgo reprimit diuinam iram. Cant.4. Rupert. Richard.

Qvæstio VII.

Quare pannis, & non pellibus inuoluatur puer natus?

36\. Bernard. Geneſ.3. HANC quæſtionem nobis excitauit D. Bernardus ſerm.3.de natiuit. *Primus Adam*, inquit, *pelliceis veſtitur tunicis*, Geneſ.3.n.21. *Pannis verò ſecundus obuoluitur.* S.Pater obiter proponit quæſtionem, & non ſoluit; videbatur enim Adami veſtitu vtendum fuiſſe, cùm Chriſtus in remedium illius peccati adueniret. Primus Adamus pellibus veſtitur, qui tanquam Diaboli miniſter intentauit furtim ſibi arripere diuinitatem, vt ait D.Bernardus *ſerm.1.de Aduentu.* Chriſtus verò tanquam Rex, & hæres vniuerſorum conſtitutus à Deo pannis inuoluitur. Pelles dantur, præcedente morte, ac iugulatione animalis, dum ipſum à carnifice deglubitur; panni verò ex ouium tonſione, ac velleribus ſumuntur. Qui enim agit, tanquam Diaboli miniſter, ac rempublicam furtis opprimere affectat, hic deglubere, ac exenterare anhelat. Ille autem, qui vt Rex à Deo conſtitutus extitit, leui tonſione contentus eſt. Gedeonem cùm eſſet agricola, & paſtor, elegit Deus in ducem populi ſui, qui pro electionis ſuæ certitudine ſignum in lanæ vellere petiuit: *Ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël*, Iudic.6. num.27. Sed quare paſtor petit ſignum in vellere, & non in pellibus? Pellis extrahitur ab animali, ſeu per deglubitionem, lana verò per leuem tonſionem: & Dei fauores, ac ſigna, non in his, quæ crudeliter, ſed ſuauiter acquiruntur, inueniuntur, ac deſignantur in principibus ab ipſo electis.

Bernard. *Rex non deglubere, ſed tondere debet.* Iudic.6.

37\. Secundò. Deus alto conſilio res ita diſponit, vt talis vnuſquiſque exteriùs appareat, qualis & interiùs ſubſiſtit. Adamus per peccatum mortuus erat, & in belluinam naturam degenerauerat; ita & in veſte voluit Deus repræſentari. D.Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis, *Vt foris*, ait, *pelle belluina vterentur, qui intus belluina cupiditate animum deformauerant.* Chriſtus Dominus verò induitur pannis, & non quibuſcumque, ſed lineis, vt iam notaui ex reuelationibus S. Brigitæ; linum enim puritatem, & candorem mentis ſignificat, *Exod.28.num.42. Ezech.9.num.2.& 10.n.2. Leuit.6.n.10.* vt ponderant Iſidor. *ibi*, & D.Gregorius 1.*Reg.2.* Vt eximia mundities, quæ erat in anima pueri nati, abſque vlla labe etiam in veſte reluceret, & ſic exteriora interioribus conuenirent. Tertiò. Pelles coniunctionem habent cum carne, & meritò ob carnales affectus eis cingitur Adamus; at meus Ieſus, cùm ab his ſit omnino alienus, talibus non poteſt operimentis inuolui, ſed lineis pannis, qui ſunt à carnis commercio omnino ſegregati. Et ita Ioannes videt Chriſtum Dominum *veſtitum podere*, Apocal.1. num.13. hoc eſt, veſte ſacerdotali linea, vt explicant Beda, Rupertus, Viegas: nam *Ezechiel.9.n.3.* vbi dicitur, quòd Chriſtus apparuit veſtitus lineis, Septuaginta tranſtulerunt, *veſtitum podere*, non veſte pellicea, ſed linea, ad eius munditiam indicandam, vt expendit Ansbertus *lib.1.in Apocalypſ.* Mandauit Deus Moyſi, vt faceret pontificalia indumenta Aaroni, quibus exornatus ingrederetur, & egrederetur è Sanctuario. Et ait Deus, *Facient*, ſcilicet ſapientes, *tunicam lineam ſtrictam, cidarim, & balteum*, Exod.28.num.4.& iterum n.39. *Stringeſq; tunicam byſſo, & tiaram byſſinam facies, & balteum opere plumarij.* Et ſimiliter dicitur de filiis Aaronis, *n.*40. Cur omnia hæc indumenta, & etiam cinctorium, ac balteus fiunt ex lino, byſſo, & ſerico intexta, vt *ibidem*, cum aliis notat Beda; cur autem ſaltem balteus non

Greg. Nyſſ. Iſidor. Gregor. Apocal.1. Beda. Rupert. Viegas. Ansbertus. Exod.28. *Vt ad Deum accedas, omnis affectus carnalis deponendus.*

Beda. non conficitur ex corio, ſcilicet pelle, vt communiter fit? ſed totum ex lino? Pellis affectum ad temporalia adumbrat; linum verò munditiam, ac puritatem ſignificat, vt *ibidem* teſtantur D. Cyrillus, Rupertus, & Beda, per hanc denotabat Deus, quòd Sacerdos Sanctuarium ingrediens omni carnali propenſione eſſet exemptus, & omni iuſtitia vndique circundatus, ita explicat locum D. Hieronymus *epiſtol.* 128. *ad Fabiolam.* & concludit: *Cùm parati ad indumentum Chriſti tunicas pelliceas diſpoſuerimus, tunc induemur veſte linea nihil in ſe mortis habente, ſed tota candida, vt cingamus lumbos in veritate, & tota priſtinorum peccatorum turpitudo celetur.*

Cyrill. Rupert. Hieron.

Qvæstio VIII.

Quare meus Ieſus non ponatur nudus in præſepio?

38\. SI puer natus tantùm dilexit paupertatem, quare non extremam amplectitur, vt eſſet vel omnino nudus, vel in ſordidis panniculis inuolutus? Ad quod reſpondeo primò, cum D Bernardo, qui eleganter dixit: *Paupertatem ſemper dilexi, ſordes numquam.* Secundò. Adamus non eſt damnatus ad inopiam tantam, ſed pellibus induitur, & bona terræ ei conceduntur; Chriſtus ergo, qui, vt pro eo ſatisfaceret, aduenerat, ſtatim in primo ingreſſu grauiorem pœnam ſubire noluit; ad crucem enim hos ſibi exceſſus reſeruauit, vbi nudus, & ſub aëre in ligno pendens mortuus eſt. Tertiò. Albertus Magnus homilia de natiuitate. *Fuit hîc habitus*, ait, *humilis, ſed non extremæ vilitatis; mediocriter quidem temperatus, ita vt non fuerit nec ornatus, nec ſordibus abominatus*, Verus Magiſter ſuo nos docuit exemplo extrema fugere, & moderatum tenere modum. Ait Apoſtolus ad Timoth.1.cap.2.n.9. *Similiter mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa.* Sed cur Paulus Euangelicam in eis non requirit paupertatem, omnem ornatum abiiciendo? D.Chryſoſt. homil.8. *Ornatum*, ait, *non exquiſitum intelligis, ſed moderatum. Hic enim ornatus habitus eſt, ille autem etiam fœdus. Quod dicis? Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circunfers, & flauos crines auro compoſitos. An verò ſaltatura ad Eccleſiam pergis?* Mediocritas ſemper in omnibus eſt amplectenda. nam, vt ait D. Hieronymus in cap. 10. Eccleſiaſtic. *Virtutes in medio ſunt, & nimietas in vitio eſt.* Vide *lib.3.cap.4.quæſt.24.num.*111.

Bernard. *Non ſtatim ad extrema euolandum.* Alb. Magn. *Mediocritas tenenda.* 1.Tim.2. Chryſoſt. Hieron.

Qvæstio IX.

Quare Chriſtus naſcatur in præſepio?

39\. PRÆSEPIVM, ſeu ſtabulum locus eſt beſtiarum, in quem Beatiſſima Virgo, & Ioſeph expulſi à diuerſorio ſe receperunt. De quo ſupponendum eſt primò, fuiſſe quandam ſpeluncam, vt eſt communis Patrum ſententia. D.Iuſtini *in dialogo cum Thryphone*, D. Epiphanij *hæreſi* 51. D.Hieronymi *Epiſtol.*17 1.18.& 27. D. Auguſtini *ſerm.2.de Epiphania*, D.Gregorij Nyſſeni *oratione de natiuitate*, Origenis *contra Celſum.* Secundò. Hoc ſtabulum fuiſſe in vrbe, ſeu eius muro; hoc indicat proprietas prophetiæ, quòd in Bethleem naſceretur. Et erat locus iſte in muro ex parte exteriori, quod indicat communis Eccleſiæ traditio, & pictura. Tertiò. Locum ſtabuli, in quo Chriſtus reclinatus eſt, Chryſoſtomus *homilia de natiuitate*, exiſtimat fuiſſe luteum; communis tamen Eccleſiæ Romanæ traditio tenet fuiſſe ligneum, tale enim magna cum reuerentia ſeruatur Romæ in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris vſque in præſentem diem. Quare ergo Chriſtus Dominus ad ſui natiuitatem hunc elegerit locum, in hoc enim Dei magna latent conſilia, ac magnæ diuini amoris diuitiæ, vnde eleganter dixit. D.Auguſtinus ſerm.3. *Natiuitas iſta potentiam diuinitatis honorauit.* Non enim vt notat D.Athanaſius *in illud Matth.*21. Ite in Caſtellum. *Ioſeph Dauid filius appellatus ad illum locum ſe recepit, eo quòd alibi non potuiſſet habere manſionẽ, ſed ex diuina diſpẽſatione, qua tunc agebatur.*

Iuſtinus. Epiphan. Hieron. Auguſt. Nyſſen. Origenes. *Præſepe erat in muro.* Chryſoſt. Auguſt. Athan.

40\. Bernard. Reſpondet [illegible]mò D. Bernardus ſerm.3.de natiuitate. *Quid ergo ſtabulum elegit? Planè vt reprobet gloriam mundi, & damnet ſæculi vanitatem.* Secundò. Vt naſceretur inter duo animalia, vt prædictum erat à Propheta Habac. 3. quorum vnum populum Iudaicum iugo legis grauatum figurabat: alterum Gentilium nationem onere errorum detentam exprimebat, vt ab his liberata ambo in vnam Eccleſiam, & vnum in populum à Chriſto congregarentur. D. Gregorius Nyſſenus oratione de natiuitate. *In animalium domicilio Verbum naſcitur, vt bos cognoſceret poſſeſſorem ſuum. & aſinus præſepe Domini ſui: medius igitur inter bouem, & aſinum in præſepio vtriuſque Dominus eſt, vt ſoluto interſtitio ſepis ambos in ſe ſe creet vnum nouum hominem, & ab hoc graue legis iugum auferat & illum à ſimulacrorum cultus onere leuet.* Tertiò. Per Prophetam dicitur: *Omnis caro fœnum.* Deus factus homo tamquam fœnum ponitur in præſepio, vt infirmitate illa in ſe aſſumpta nos ab illa liberaret. D. Gregorius Magnus lib.7. Moral.cap.4. *Per Prophetam dicitur* ait, *Omnis caro fœnum, vniuerſitatis conditor ex noſtra ſubſtantia carnem ſumens, fœnum fieri voluit, ne noſtra in perpetuum caro fœnum remaneret.*

Nyſſen. *Chriſtus ſuſcipit noſtras infirmitates vt nos liberet.* Greg. Magn.

41\. Quartò. Ponitur in præſepio verbum, & intellectio, vt ſancta quadam aſtutia nos illuminaret; erant enim homines per peccatum, veluti bruta animalia; dum ergo accedunt ad pabulum exiſtimantes ſumere alimenta, inueniunt rationem, quia ſpiritualiter illuſtrantur. Chryſippus Hieroſolym. ſermone de S.Maria. *In præſepi animalium irrationalium proponebatur Verbum, & ratio, vt pro inſtituto accurrentes homines irrationales, ſenſus rationalis participes efficeret; in menſa beſtiarum proponebatur panis cæleſtis, vt ex hominum genere his, qui beſtiales erant, communicationem eſcæ myſticæ exhiberet.* Quintò. Vt denotaretur, quòd ipſe vt verus paſtor, non alio cibo, niſi proprio corpore vellet ſuos ſuſtentare, & alere. D.Zeno ſerm.3.de natiuitate. *In ſtabuli*, ait, *præſepe deponitur ſcilicet, Chriſtus populorum paſtorem, pabulumque ſe eſſe conteſtans.* Sextò. Ponitur in loco tã humili, & immundo, vt homo ſubleuaretur, ac à miſeria peccati eximeretur. D. Zeno citatus, *Totum*, ait, *contra conſcientiam ſuam, vt homo infirmus*

Chryſipp. *Deus mira nos aſtutia ſaluat.* Zeno. *Deus gloriatur, quòd nos ſuo corpore ſuſtentet.* Zeno.

mus patitur, vt homini mortis lege conſumpto immortalitas tribuatur.

42\. Septimò. Vbi primum noſter primogenitus omnis creaturæ communem aërem guſtat, in vili, ac humili loco ponitur; cùm tamen de hoc mundo diſcedere vult, cœnaculum eleganter ornatum quærit. Sed quare hoc? Prima res erat cum iis, qui ob peccata belluinam induerant naturam, & ideo inter fœnum in præſepio ſe manifeſtat: ſecunda res erat cum diſcipulis, & amicis, qui ex conuerſatione Dei iam principes, & amici erant. Theodoretus ſerm. 10. de prouidentia. *Cùm homo*, ait, *in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis irrationalibus, & ſimilis factus eſt eis: præſepe diuinum illum, & ſpiritualem cibum ſuſcepit; quum verò in ſe ipſam tranſiit natura, & imaginem diuinam circumiacere manifeſtè cognouit, tunc ſuper rationalem menſam cibus ille tranſiit.* Cùm Abraham Angelos hoſpitio reciperet, inſtanter petit, *Requieſcite ſub arbore*, Geneſ. 18. n. 5. & eis ſub arbore parat conuiuium, *ibid. n.* 8. Arbor autem erat ilex, ſeu quercus, vt tradunt D. Auguſtinus *ſerm. 70 de tempore.* Abulenſis & alij. Vitulus verò appoſitus in menſa Chriſtum in Euchariſtia præfigurabat, vt tenent D. Iſidorus, D. Ambroſius, & alij apud Lyppoman. Sed quare ſub ilice, cuius fructus in porcorum alimoniam cadere ſolet, Angelis paratur cæleſte conuiuium? Anaſtaſius Sinaita in libro qui dicitur, Viæ dux. *Vt iam*, ait, *ſub quercu non bruta animalia, ſed in cæleſti menſa Angeli ſedeant.* Homines, vt immunda animantia in humo paſcebantur, at vbi ad cæleſtem menſam deuentum eſt, ſublimantur, vt iam Angeli inueniantur.

Peccator bellua, iuſtus Princeps. Theodor. Geneſ. 18. Auguſt. Abulenſ. Iſidor. Ambroſ. Anaſtaſ. Sin. *Vbi homo ad Euchariſtiã accedit, Angelus fit.*

43\. Octauò. Petrus Damianus ſerm. 11. *Chriſtus* ait, *præſepio reclinatus legem martyrij præfigebat.* Meus Ieſus frigori expoſitus, ſuper dirum lignum accumbens, inter bruta animantia lachrymans, martyrij paſſiones, ac dolores iam ferre incipiebat, cum ſua puritate, & innocentia martyrij dolores, ac pœnalitates coniungens. De Chriſto Domino dicitur Apocal. 1. n. 14. *Caput eius, & capilli erant candidi, tamquam lana alba, & tamquam nix*, Cantic. 5. n. 11. *Caput eius aurum optimum, comæ eius, ſicut elatæ palmarum, nigræ, quaſi coruus.* Sed quomodo hæc poſſunt ſtare, cùm nulla ſit maior diſtantia, quàm inter albedinem, & nigredinem? Simon Caſſianus lib. 1. c. 3. *Quod cum inter cætera*, ait, *conueniant, tamen inter albedinem, & nigredinem diſtare videtur; ſed in myſterio congruit eo quòd albedo ad munditiam, & puritatem, nigredo ad pœnitentiam, & miſeriam noſtri incolatus pertineat.* Quamuis ipſe ob ſuam ſanctitatem ſit ſuper omnem albedinem candidus, tamen ob noſtram miſeriam frigore, ac dolore eſt denigratus. Sæpe Chriſtus Dominus lilio comparatur, *Lilium conuallium*, Cantic. 2. num. 1. & 2. &. 16. Sed quare? D. Bernardus. Lilium vel eſt candidum, vel violaceum: candidum deſignat puritatem; violaceum pœnitentiam; & in his duobus tota vitæ perfectio concluditur. Vel in eo leges martyrij præfigebat, quòd cùm Deus eſſet ſapientiſſimus per eſſentiam, brutis animanibus aſſocietur: & quæ rigidior pœna viro prudenti eſſe poteſt, quàm cùm inſipienti coniungi.

Damian. *Chriſtus in præſepio veluti martyr.* Apoc. 1. Cant. 5. Caſſian. Cant. 6. Bernard. *Grauis pœna prudenti eſſe cum ignorante.*

44\. Nonò. In præſepio apparet, quia erat locus manifeſtus, ad quem vnuſquiſque poterat declinare, teſte D. Bonauentura, vt facile ipſe Saluator inueniretur; & ideo naſcitur in via, vt viator ad eum poſſit adire. Quod eleganter dixit Theodorus homilia de natiuitate tom. 6. Concil. Epheſin. cap. 2. in appendice. *In præſepio ideo poſitus eſt, quia nuntiabat quod etiam irrationabilibus notus fieret; Dei namque Verbum, & filius ad ſemetipſum trahit & diuites, & pauperes; eloquentes, & tardiloquos, cum paupertate veniens, & in præſepio iacens.* In ea paupertate, & in eo loco ponitur ad quem vile iumentum ſine vllo impedimento accedere poteſt. Quæ ergo eſt difficultas, vt poſſit hominem retardare, ne illam pertingat ſpeluncam? Solum mouet obſtacula noſtra voluntas; nam ſi hæc interuenit, ipſe promptiſſimè adeſt; ſaliens in montibus, tranſiliens colles, Cantic. 8. *Vidit*, Ioannes, *agnum ſtantem, tamquam occiſum, habentem oculos ſeptem, & cornua ſeptem: & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*, Apoc. 5. n. 6. & 8. Sed cùm hîc decantetur gloria Chriſto, vt Leoni, ibid. n. 5 *Vicit leo*; quare hîc apparet potius vt agnus, quàm vt leo? Petitiones, & orationes Sanctorum erant offerendæ, ne ergo aliquis formidaret obſecrans accedere, ſed vt magnam ſpem, ac fiduciam conciperet, ideo vt agnum occiſum ſe præbet, habentem oculos ſeptem, vt petentium neceſſitates videat; & cornua ſeptem, ad omnia iſtius acceſſus impedimenta, & obſtacula remouenda; & non tamquam ſedentem, ſed vt ſtantem ſe manifeſtat, quod notauit Anſbertus lib. 3. in Apocalypſ. *Sedere enim regnantis, & iudicantis eſt, ſtare autem conſolantis & adiuuantis.*

Bonauent. Theodor. *Chriſtus deſiderat vt homines ad eũ accedant.* Apoc. 5. Anſbert.

Qvæstio X.

Quare infans natus reclinatur in præſepio.

45\. Respondeo primò cum D. Athanaſio in illud *Matth.* 21. Ite in Caſtellum. *Fortaſſe*, ait, *ob iſtum pullum Ieſus in præſepio reclinatus eſt.* Et D. Auguſtino in quodam ſermone de natiuitate. *Reclinauit ſe in terra, vt iacentem Adamum erigeret.* Erat homo per peccatum deiectus, ac proſtratus in terra, vt noſter medicus ipſum ſubleuaret, voluit ſe vſque ad terram dimittere, vt ſe ad noſtram infirmitatem accommodando, & adaptando, hominem ſanare. Vt parens Eliſæus filium viduæ è morte reuocaret ad vitam. *Incuruauit ſe ſuper eum, & caleſacta eſt caro pueri*, 4. Reg. 4. num. 34. Ad quid Propheta ita expanditur ſuper puerum, eique proportionatur? Caietanus. *Hac commenſuratione corporis vtitur ad reſuſcitandum puerum, vt inſtrumento ſenſibili diuinitus ſibi inſpirato.* Nec enim aliter vita, ſalus, ac bonum poteſt communicari, niſi dum ſuperior inferiori, maior minori adaptatur. Et ita ait D. Auguſtinus lib. 1. de Symbolo cap. 3. *exaltauit ſe homo, & cecidit: humiliauit ſe Deus, & erexit.*

Athan. Auguſt. 4. Reg. 4. Caiet. *Vt detur ſalus ſuperior accommodetur inferiori.*

46\. Secundò. D. Chryſoſtomus homilia de natiuitate. *Propterea in ſtercore*, ait, *naſcitur, vt eos, qui ſunt de ſtercore, ſubleuet. Leuans de ſtercore inopem. In ſtercore naſcitur, vbi & Iob ſedebat, & poſtea coronatus eſt.* Quando Diabolus omnium malorum in Iobum conglomerauit tempeſtatem, ad hoc deuentum eſt, vt ipſe ſederet in ſterquilinio; at meus Ieſus reclinatus eſt: maiorem deiectionem, & humilitatem pro nobis ipſe voluit ſuſtinere, quàm quilibet alius homo potuit inuenire, aut Diabolus machinari. Tertiò. Olim aderat Deus in templo, ac tabernaculo ex pretioſiſſimis lignis, ex puriſſimo auro, ac magno opificio conſtructo. 3. Regum 6. num. 21. *Operuit illud, atque veſtiuit auro puriſſimo, nihilque erat in templo, quod auro non veſtiretur.* Et apparebat etiam Deus in ſolio excelſo, & eleuato, *Iſai. 6. num.* 1. Nunc verò naſcens in humili ſtabulo reclinatur; nam ita Deus ſibi complacuit, ac æſtimauit habitare in vtero virgineo Mariæ, ac in illis ſacratiſſimis viſceribus, vt inde exiens omnia alia creata, magni pretij ligna, aurea ornamenta, ſolium excelſum, ita Deo viluerunt, tamquam vile fœnum, humiles paleæ, ac abiectum ſtabulum, ita vt omnis creata elegantia non plus apud Deum habeat; quàm contemptibilis terra, vt ibi ſedeat, & reclinetur. Heſychius homil. 2. de Aſſumpt. *Verùm, quia munda es a concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni ſorde liberum conſeruaſti: & Pater hoſpitatur apud te, & Spiritus ſanctus obumbrat, & aſſumpta carne vnigenitus ex te naſcitur, eam ob rem, ne ſis anxia, ſi parias in ſtabulo; ne hæſites, ſi ſedere facias in præſepio eum, qui ſedet in dorſo Cherubim.* Preme illa verba; *eam ob rem, ne ſis anxia ſi parias in ſtabulo.* Nam in magno pretio ſunt viſcera tua apud Deũ, ô Virgo, vt omnia alia creata in humile ſtabulum reputentur.

Chryſoſt. *Chriſti humilitas, maxima pro nobis.* 3. Reg. 6. *Ita Deus delectatur in vtero Virginis, vt illius comparatione omnia alia creata ei vileſcant.* Heſych.

47\. Quartò. D. Leo Papa ſerm. 3 de natiuitate, *Exinanitio*, ait, *illa qua ſe inuiſibilis viſibilem præbuit, inclinatio fuit miſerationis, non defectio poteſtatis.* Reclinatur Ieſus in præſepio amoris vi, & efficacia. Ait D. Auguſtinus: *Amor meus, pondus meum*; adeò excreuit, aque grauauit in puero nato hoc pondus amoris, vt Dominus ille, qui totius mundi machinam ſuſtentat, reclinatus ſit. Dum cæleſtis ille pater deperditum filium excepit, ait D. Lucas 15. num. 20. *Cecidit ſuper collum eius*; quod eleganter explicat D. Chryſologus ſerm. 3. de prodigo. *Cecidit onere amoris.* Diuinus pater intimè diligebat abſentem filium, vt verò ſubitò ipſum aſpexit, adeò auctus, ac multiplicatus eſt amor in corde eius, vt onere amoris ſuper collum filij ceciderit. De ſe ait Ioannes Apoſtolus, dum eſſet in Cœna cum Chriſto Domino: *Cùm recubuiſſet ſuper pectus Ieſu*, Ioan. 13. num. 25. Syriacus habet: *Cùm cecidiſſet.* Sed vnde hæc imbecillitas in ſtrenuiſſimo milite, vt ceciderit, qui virili animo ſtetit iuxta crucem? Intimo ad Chriſtum Dominum afficiebatur amore, & mutuæ ſeparationis aderat tempus, ideo tunc adeò cumulatus eſt amor, vt eius pondus ferre non ſuſtinens ceciderit.

Leo. Auguſt. Luc. 11. Chryſol. Ioan. 13. Syriacus. *Chriſti amor in præſepio.*

Qvæstio XI.

Quare non retineatur inter Virginis brachia, ſed iaceat in præſepio?

48\. Graves Doctores exiſtimant id neceſſitate quadam factum eſſe; quia non ſemper poterat brachiis Virginis, aut Ioſephi ſuſtineri, neque commodior ibi inueniebatur locus. Sed in primis eximius Virginis amor non poterat fatigari dum infantem Ieſu ſinu, & brachiis tenebat: nam vt ſapienter ait D. Auguſt. *Qui amat, non laborat; & ſi laborat, labor ille amatur.* Deinde quamuis illud dici poſſit de toto tempore, quo Beatiſſima Virgo cum filio ſuo ſanctiſſimo commorata eſt in illo loco; non tamen de tempore, quo primùm ipſum peperit: ac de illo, quando paſtores aduenerunt ad Infantem natum adorandum; & ideo magna hîc latent myſteria, de quibus aliqua dicta ſunt *quæſtione ſuperiori.* Nunc ea mihi prima occurrit ratio. Chriſtus Dominus, quamuis filius naturalis Virginis, ac putatiuus Ioſeph; tamen cùm naſceretur, vt verus Dominus, & Rex, non ſolùm ſuis conſanguineis, ſed omnibus, ideo communi omnium loco exponitur.

Auguſt. *Chriſtus naſcitur omnibus.*

49\. Secundò. Puer natus non amplexu tenetur inter brachia Virginis, & Ioſeph, ſed reclinatur in præſepio, ſanctitatis montes ingenium infantis agnouerant, quòd in omnium ſalutem naſcebatur, & ideo fugerunt puerum peculiariter inter brachia retinere, valde alienum eſt à ſanctitate communia bona ad ſe, ſuoſque coarctare. Vide *cap. 1. num. 118. & 148. & cap. 5. num. 106.* Tertiò Antequam Deus noſtram ſibi vniret naturam, maximè abſcondebatur, de eoque dicebatur, *Verè tu es Deus abſconditus*, Iſai. 45. num. 15. Et tunc per vmbras, ac figuras loquebatur. At vbi noſtri ſimilis factus eſt, ita gloriatur de noſtra aſſumpta natura, vt maximè affectet apparere, ac ab omnibus intueri, ita vt ne inter vlnas, dulciſſimoſque ſanctiſſimæ matris amplexus ſinat occultari; & ideo in præſepio reclinatur, vt omnium oculis ſit præuius, ac ſine vllo impedimento totus poſſit ab omnibus inſpici, ac conſiderari. Vide hoc *lib. 2. cap. 3. quæſt. 5. in fine.*

Communia bona non ſunt coarctanda. Iſai. 45. *Deus factus homo maximè vult videri.*

50\. Quartò. Præſepe illud erat luteum, vt tenet D. Chryſoſtomus *homilia de Natiuitate.* Deus autem ſemper vehementiſſimo tenebatur deſiderio, quòd homo factus nobiſcum eſſet in terra, vbi primum natus eſt, declinauit eum mater in præſepio, intendens potius Dei appetitui, ac inclinationi correſpondere, ac ſatisfacere, quàm amori, maternoque affectui puerum in amplexu tenenti: nam tantus erat hîc affectus ad noſtram terram ob carnem aſſumendam, vt hac de cauſa eam cælo prætulerit. In exordio mundi tertia die dixit Deus, *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, lignumque faciens fructum iuxta genus ſuum, & protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum lignumque faciens fructum*, Geneſ. 1. n. 11. & 12. Quarta autem die fecit Deus duo luminaria magna, ac ſtellas in cælo, *ibid. num. 15. & 16.* Iam inſurgit difficultas, cur Deus priùs aggreditur, ſcilicet tertia die, vt terra floribus depingatur, herbis veſtiatur, ac arboribus ſpecioſior fiat; & poſtea, quarta ſcilicet die, manum admouet, vt cælum luminaribus, ſyderibus, ac planetis exornetur? Nonne cælum multo nobilius terra? Nonne cælum Dei ſedes, terra autem hominum habitaculum? In cælo regnabat Deus diuinitate ſuæ infinitæ eſſentiæ, in terra noſtra carne indutus videndus erat. D. Athanaſius Sinaita lib. 1. in Hexaëmer. *Propterea*, ait, *ante cælum terra à Deo ornatur: quoniam ante Angelos terra, & terra geniti homines Deum per carnem vidimus: & ante ſuperna, inferna exornans: ea lætificauit, & illuminauit.* Præparabatur terra, vt Deum hominum factum ſuſciperet,

Chryſoſt. *Deus olim maximè deſiderabat Incarnationem.* Geneſ. 1. Athan.

ret,ac videret; & ideo prius quàm cælum condecoratur,ac ei anteponitur; maximè enim appendebat Deus maieſtatem,ac gloriam humanæ carnis aſſumendam: loquitur Deus cum Moyſe, & ait illi, vt dicat filiis Iſraël: *Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham & Deus Iſaac, & Deus Iacob*, Exod.3.num.19. mirabiliter tranſtulit Aquila, *& viſus ſum ab Abraham, & ab Iſaac, & à Iacob in Deo ſatis multo.* Hic modus loquendi innuit, quòd Deus apparuerit non ſe ipſo, ſed in alio præexcellenti, & magnifico, & quidnam eſt hoc multum in quo Deus apparebat? cùm comparatione eius omnia ſint parua, & nihilum; nunquid erat alia diuinitas præter ſuam? Hæc eſt impoſſibilis, & eam deteſtatur fides Catholica. Apparebat Deus humana figura circundatus Abrahamo, Iſaac, & Iacob, vt tradit D.Irenæus apud Lyppomanum, *in cap.28. Geneſ. in princip.* cum aliis, & ita Deus ob ſuam infinitam bonitatem, ac propenſionem in naturam humanam, noſtra forma indutus ſibi glorioſus, ac magnus videbatur, vt non ſolùm Deus vt antea voluerit ab hominibus appellari, ſed multus ſatis Deus decreuerit ab hominibus nominari. Euſebius Cæſar. *lib.5. Euang.demonſtrat. cap.13.* ſic inquit: *Aquila quidem ſic ait: Et viſus ſum ab Abraham, & Iſaac, & Iacob in Deo ſatis multo: quibus vobis planiſſimè indicat, non ipſum illum, qui Pater eſt, per ſe ipſum apparuiſſe.* & poſt pauca ſubdit: *Sed cùm hominibus ſalutaris appareret, tunc per filij humanam formam videbatur à Dei amicis, atque inter homines futuram ipſius ſalutem, omnibus præſentem, ex illo quaſi arrham, & pignus exhibebat.*

Exod.3. Aquila. — Irenæus. *Deus gloriatur de natura aſſumpta.* — Euſeb.

QVÆSTIO XII.

Quare non erat ei locus in diuerſorio?

51\. PRIMA, & communis ratio. Non inuenerunt locum in hoſpitio, tum ob multitudinem eorum, qui aduenerant ad ciuitatem, tum ob paupertatem Virginis, ac Chriſti humilitatem, qui ita voluit naſci. Ita D. Bonauentura. Quod eleganter proſequitur D. Ambroſius lib. 2. in Luc. hîc: *Ille in terris, vt tu ſis in cælis. Ille locum in diuerſorio non habebat, vt tu plures haberes in cæleſtibus manſiones. Qui cùm diues eſſet, propter vos pauper factus eſt, vt illius inopiâ vos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimonium eſt, & infirmitas Domini mea eſt virtus. Maluit ſibi egere, vt omnibus abundaret. Plus igitur, Domine Ieſu, iniurijs tuis debeo, quòd redemptus ſum, quàm operibus, quòd creatus ſum: non prodeſſet naſci, niſi redimi profuiſſet.* Expende illud, *maluit ſibi egere, vt omnibus abundaret*; vt verus Dominus, & Rex voluit carere hoſpitio, ac ſibi miſeriam retinere, vt hominibus cæleſtia dona communicaret.

Bonauent. Ambroſ. — *Chriſti miſeriam ſibi voluit, nobis opes.*

52\. Secundò. D.Maxim.homil.2.de Natiuit, *Nunquid tantæ illius erant anguſtiæ manſiones, vt ſub hora paruuli membra non caperet? Sed idcirco myſtico refertur ſermone non inueniri locum in diuerſorio, quia ingreſſus mundum Chriſtus, fidem, in qua poſſit requieſcere, non inuenit. Vt ipſe ait in Euangelio: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet*, Matth.8. *Vnde aduertimus, quia veniens Dei Filius, non in ſpatioſis domibus, auratis laquearibus, ſed in fide credentium requieſcit.* Diuerſorium, id eſt, populus Iudaicus, in quo Chriſtus per fidem locum non inuenit. Et ideo ait Ioan.1. *Et ſui eum non receperunt.* Tertiò. D.Bonauentura. Non habebant domum, in qua poſſent hoſpitari, ſiue quia pauperes erant, ſiue quia tardè venerant; & quia arctus erat locus, vel etiam aliis repletus, non habebant locum in diuerſorio. Quartò. D.Auguſtinus citatus ab ipſomet D.Bonauentura, *Non erat illi*, inquit, *niſi anguſtia in terris, vt tu ei locum cordis tui ſibi proprium dilatares. Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet, & tu ampla palatia, & ingentes porticus metiris.* Deſcendit ad nos Filius Dei, vt contemneret terrena, & ſolum locum in humano corde perquireret, ideo non eſt ei locus in diuerſorio.

Maxim. — *Chriſtus ſolum in fideli requieſcit.* — Ioan 1. Bonauent. — *Chriſtus requieſcit in noſtro corde.* Auguſt.

53\. Quintò. Ex alto Dei conſilio locus ei datus non eſt in hoſpitio; & tamen hoc occaſioni, ac neceſſitati tribuitur, ſunt enim amoris diſſimulationes; & quæ tunc ſæpe ex indulgentia fiunt, tempori, ac aliis cauſis adſcribuntur. Sextò. In hoſpitio loca pecunia, ac pretio comparantur, & Chriſtus Dominus totius iuſtitiæ, ac æquitatis norma ſemper reprobauit, ac contempſit loca pretio comparata. Septimò. Vnumquodque hoſpitium multorum peccatorum plenum erat, & ideo Chriſtus in eo locum non inuenit; Deus enim & peccator ſub eodem tecto, & in eadem domo ſimul commorari non poſſunt. Vocauit Dominus Petrum, & Andream ambulans iuxta mare Galilææ, *Matth.4.n.18.* Cùm verò ad Apoſtolatum Matthæum vellet adducere, ait ipſe c.9. n.9. *Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio.* Sed cur illi vocantur deambulando, iſte verò pertranſeundo? Matthæus peccator; illi duo fratres benemorigerati, ac bonæ indolis erant, & idem locus Deum, & probatos valet ſuſtinere; minimè verò Deum, & peccatorem. Quod notat D.Chryſologus ſerm.28. *Non dixit: Cùm ſtaret ibi, tranſiuit, & pertranſiuit inde Ieſus.*

Amantis diſſimulationes. — *Loca nō ſunt pretio comparanda.* — Matth.9. — *Deus, & peccator ſimul eſſe non poſſunt.* — Chryſol.

54\. Sed quare Beatiſſima Virgo, & Ioſeph ad alicuius conſanguinei, aut amici domos non adierunt? Fortaſſe, quia aliis erant occupatæ; aut quia præ modeſtia hoc non intentarunt, alicui eſſe graues, & moleſti noluerunt. Ratio tamen litteralis eſt; quia Chriſtus Dominus, vt nouiſſimus virorum, voluit in tam humili loco naſci, ob rationes ſuperiùs datas. Eleganter Simon Caſſianus *lib.1.cap.6.* ita ait: *Cœpit ab ea hora, qua mundo apparere voluit, prius facere, quàm docere altiſſimam paupertatem, rerum omnium abdicationem, vt ei non eſſent panni, niſi viles, non ſua, ſed aliena ædes, non amicorum, non conſanguineorum, non conducti ſtabuli determinati hoſpitis, ſed loci vagi, atque communis: vt non crederetur natus alicui prius, ſed communis omnibus factus, & totum diceretur eſſe diuinum, vbi nihil apparebat humanum.*

Caſſian. *Chriſtus voluit prius facere, quàm docere.*

Lucæ 2. n.8. Et Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.

VERSIONES.

Vatablus.	Et paſtores erant in eadem regione excubantes in agro, & agentes cuſtodias nocte,
Euthymius.	Et paſtores erant in illa regione, in agro tibia, ſeu fiſtula canentes.
Multi ex Græco.	In agro ſtabulantes, ſeu ruſticantes, ſeu ſub dio pernoctantes.
Syriacus.	Et cuſtodiebant cuſtodias noctis ſuper greges ſuos.
Arias.	In agro agentes, & cuſtodientes cuſtodias noctis.

EXPOSITIO.

56\. STATIM ac natus eſt Saluator, Angeli feliciſſima nuntia aduentus eius paſtoribus deferunt, vt eos tanti gaudij participes efficiant. *Et paſtores erant*; ſcilicet tres paſtores erant, ſicut & Magi tres, vt colligitur ex Beda lib.de locis ſanctis cap.8. de quibus D. Bernardus *ſermone in vigilia natiuitatis*, intelligit Pſalm.79. num.2. vt explicabo quæſt. 12. *In eadem regione.* Hi paſtores greges ſuos paſcebant in quadam planicie fœcunda, quæ à Bethleem mille paſſus diſtabat, & ſita erat iuxta turrim gregis, *Geneſ. 35. num.21.* vbi Iacob rediens à Meſopotamia commoratus eſt cum ouibus ſuis, vbi & Racehel mortua, & ſepulta eſt. Ita D. Hieronymus lib.de locis Hebraicis, & in Epitaphio Paulæ. De hac turri multi exponunt illud Mich. 4. num.8. *Turris gregis nebuloſa. Et vigilantes, & cuſtodientes.* Hugo. *Vigilantes ſuper gregem, & cuſtodientes ſe ipſos.* Bonus paſtor prius habet curā de ouibus, & poſtea de ſeipſo. *Vigilias noctis.* D.Bonauentura. *Nocte enim potiſſimè vigilandum eſt propter hoſtilem incurſum repellendum, luporum ſcilicet, & latronum.* Quando adeſt occaſio periculi, ibi & maior requiritur circunſpectio. Ad Hebæos 13.num.14. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Ex maiori diligentia Prælati, conſurgit erga eum maior reuerentia. Vel, *Vigilias noctis*; quia teſte D. Bonauentura, tempus eſt ad contemplationem accommodatiſſimum ob magnam rerum quietem. *Et nox illuminatio mea in delicijs meis*, Pſalm.138.n.11. *Anima mea deſiderauit te in nocte*, Iſai.26. num.9. Et ideo tale tempus conueniebat Chriſti natiuitati. *Super gregem ſuum*: non ſuper gregem alienum, Multi Prælati vigilant in aulis principium, ſuo ouili neglecto: qui arguuntur Prou.27.n.23. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Hieremiæ 13.num.20. *Vbi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum.* Paſtores autem iſti Epiſcopos, ac Prælatos Eccleſiaſticos adumbrnat, qui onus ſuſcipiunt, non vt lana, ac lacte fruantur, ſed vt gregem cura, ac officio paſcant, ac ſub protectionis alis colligant, ac peramanter foueant. In cuius officij ſignum baculum paſtorale dari Epiſcopis manifeſtum eſt *cap. vnico, in fine, de ſacra vnctione*, vt ſua communi, ac aſſolita eruditione multis elegantiſſimè explicat Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus Rodericus à Cuña *1.part comment. decreti, diſp.83. cap.6.num.2.*

Beda. Bernard. — Hieron. — Mich.4. — Hugo. *Bonus paſtor de grege prius, quàm de ſe tractat.* — Hebr.13. *Maior vigilia quando eſt periculi occaſio.* Bonauent. — Pſalm.138. Iſai.26. — Prou.27. Hierem.13.

QVÆSTIO XIII.

Quare Chriſti natiuitas nuncietur Paſtoribus, & non Principibus Iudæorum?

57\. CHRISTI natiuitas aliquibus fuit manifeſtanda, vt illius eſſent teſtes fideliſſimi: hi ex diuina prouidemtia eliguntur paſtores; & vt eſſent probatiſſimi, fuerunt, non vnus, ſed plures in eadem regione, & vigilantes. Sed quare ad tantum miniſterium, non proceres, vel regio ſanguine nati, ſed viles, & abiecti homines aſſumuntur? Reſpondeo primò. Quia paſtores ſunt homines ſimplices ſine dolo, quique veritatem fucare non ſolent, & ideo valde apti ad eis fidem dandam, Prouerb.3. num.33. *Abominatio Domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* D.Ambroſius *ſerm.13.* ita ait: *Non mirandum eſt, ſi Chriſti gratiam ante ſcire meruerit innocentia, quàm poteſtas, & priùs cognoſcere veritatem ſimplex ruſticatio, quàm ſuperba dominatio.* Similiter D.Cyprianus *ſerm.de natiuitate*, D.Auguſtinus *ſerm.2.de Epiphania*, Euthymius, Theophylactus, Bonauentura. Secundò. Quia, vt paſtores tenebant illum veterum Patriacharum viuendi modum, qui Deo fuerunt maximè dilecti. Titus Boſtrenſis. *Sectabantur enim adhuc veterum conſuetudinem; nam vt Patriarchæ, & ipſe etiam Moyſes paſcendis gregibus quondam intenti erant, ita nunc ipſi quoque.* Et eodem modo Theophylactus, & alij. Et inde iſti paſtores maximè Deo grati, quòd communem, & approbatam virtutis viam in amicis Dei, ſequebantur. Deinde Incarnatio primò promiſſa eſt paſtoribus Abraham, Iſaac, & Iacob: ergo primò debuit paſtoribus reuelari, vt ille ſtatus eſſet honoratus. Ita D. Cyprianus *oratione de natiuitate.*

Prou.3. — Ambroſ. *Simplices apti ad credendum.* — Cyprian. Auguſt. Euthym. Theoph. Bonauent. — Boſtrenſis. — Theophyl. *Sequi communem virtutis viam.* — Cyprian.

58\. Tertiò. Quia Chriſtus pauper voluit ſe pauperibus paſtoribus primò manifeſtari. Et hæc eſt prima ratio D.Bonauenturæ, D.Cypriani oratione de natiuitate. *Vt poneretur regula*, ait, *quòd non niſi pauperibus Spiritu Chriſti pateret humanitas, nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſit admittere veritas.* Quartò, vt diuinitas, ac potentia Chriſti eſſet nota, qui per humiles paſtores, ac piſcatores fortia mundi confundebat. D. Cyprianus citata oratione. *Paſtorum*, ait, *innocentia, ac ſimplicitas eligitur, vt laus Chriſti perficeretur, qui piſcatores, & paſtores ſequentibus ſpiritibus confunderent oratores, & à pauperibus, & humilibus prædicatio paupertatis haberet initium.* Similiter Theophylactus, D Ambroſius, *ſerm.13.* Quintò. Vt inde Diuinitas Chriſti patefieret; dum Angeli, ſpretis magnatibus mundi, ad pauperes, ac viles euolabant. D. Hippolytus Martyr, apud Gelaſium Papam, lib.aduersùs Eurychen. *Diuinitatem eius*, ait, *rurſus videre clarum eſt. Quando laudatur ab Angelo, & hoc à paſtoribus inſpicitur.* Sextò. Vt nobis daretur documentum, quòd Dei myſteria primò reuelantur Eccleſiæ paſtoribus, ac Prælatis; & deinde deriuantur ad alios. D Leo ſerm.19. de natiuit. *Quod enim*, ait, *paſtoribus pro gregum ſuorum cuſtodia vigilantibus nunciauit Angelus, etiam noſtrum impleuit auditum: & ideò dominicis ouibus præſumus, quia verba diuinitus edita, cordis aure ſeruamus.* Similiter Origenes *homil.12.* Arcana enim

Pauperes eliguntur, Bonauent. Cyprian. — Idem. *Deus per vilia confundit fortia* — Theoph. Ambroſ. *Pauperes eligere diuinitatis eſt.* Hippol. — D.Leo. — Origenes.

enim Dei principibus Eccleſiaſticis ſunt aperienda,& non ſolùm auditu aurium percipienda, ſed etiam corde retinenda. Septimò. D.Bernard.ſerm. 3.de natiu.Domini: *Quàm multi*,ait,*nobiles ſecundùm carnem, quàm multi potentes, quàm multi ſapientes huius ſæculi hora illa in ſtratis mollibus quieſcebant, & nemo eorum dignus habitus eſt nouam videre lucem, ſcire magnum gaudium Angelorum, Angelos audire cantantes: Gloria in excelſis Deo. Agnoſcant igitur homines, quia qui in labore hominum non ſunt, viſitari ab Angelis non merentur.* Et ſubdit, *Nimirum humanam in eis agnoſcunt ordinationem, qua conſtituit Deus, vt in ſudore vultus ſui veſcatur Adam pane ſuo.* Non principes, & dynaſtas, ſed paſtores ruſticantes vigilia, frigore,ac labore oppreſſos vocant Angeli ad tam magnum miraculum numquam in orbe viſum: nam illi omni lautitia in aureis ſtratis byſſo, purpura, ac ſerico delitiabantur. Hi verò indictum ordinem à Deo primo parenti maximè obſeruabant. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, Gen.3. n.19. Et nihil magis Deo gratum, quàm vnumquemque ordinem ſibi datum cuſtodire,& ab eo non tranſilire, & cùm tales eſſent paſtores, ideo ad eos veniũt Angeli. Expende verba, *In eis agnoſcunt ordinationem, qua conſtituit Deus.* Octauò. D.Ambroſ.*lib.2.in Lucam*, ad illa verba: *Venerunt feſtinantes*, ſic ait: *Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, quòd vilis ſit perſona paſtorum. Certè quo vilior ad prudentiam, eo pretioſior ad fidem. Non gymnaſia choris referta ſapientum, ſed plebẽ Dominus ſimplicem requiſiuit, quæ phalerare audita, & fucare neſciret.* In his Paſtoribus deſignabantur Præſules, & prædicatores Eccleſiæ; ideo homines ſimplices vocãtur, quia in eis requirit Dominus ſimplicem,& non fucatã veritatem.

Bernard. — *Placet Deo quemlibet ordinem ſibi datum cuſtodire.* — Geneſ.3. — Ambroſ. — *In prædicatore non ſit fucata veritas.*

59. Nonò. Paſtores ſoliti erant diuertere ad ſtabulum illud, ac ſpeluncam; ne ergo de more, ac ſine reuerentia intrarent, & ad illum accederent locum; ideo eis Chriſti natiuitas denuntiatur. Eucher.homil. de natiuit. *Ea cauſa eſſe videtur, vt priùs paſtoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quaſi incauti ſtabulum intrarent, & in præſepe adire tentarent, in quo puer poſitus erat.* Locus, in quo Deus adeſt, ac eius præſentia honoratus eſt, maximè reuerenter attingi debet. Decimò. Author *lib. de mirab. S.Scripturæ*, qui D.Auguſtino tribuitur *lib.1.cap.3.* ait, *Chriſtus agnus, & ideo conuenienter paſtoribus natus agnus denuntiatur.* Vndecimò Chriſtus verus paſtor, Ioan.10. num.11. & 14. & 1.Petri 2. num.25. *Ei ideò rectè paſtor paſtoribus primò apparet.* Ita Euthymius. Vnde Sedulius ita canit: *Tunc priùs ignaris paſtoribus ille creato emicuit, quia paſtor erat.* Duodecimò, quia erant vigilantes. D. Chryſoſtomus homil.de natiuit. *Non inueniunt Chriſtum, niſi vigilantes.* Decimotertiò. Paſtores dediti toti, & occupati erant in his, quæ officium ſibi commiſſum expoſtulabat, exquirebat, & ideo tam alta reuelatione digni fiunt. Ita fatur Hildebertus Turonenſis Epiſtol. 37. *Hinc eſt etiam, quòd, nato Domino paſtores ſuper gregem vigilantes, Angelos aſpiciunt, quia his, qui piè, ac ſolicitè conſeruandis gregibus inuigilant, ſublimia, ac diuina innoteſcunt.* In nulla alia re homo magis proficit,& augeſcit, quàm dum in proprio munere ſe exercet.

Eucher. — *Locus, in quo Deus adeſt, venerandus.* — Auguſt. — Ioan 10. — 1.Petri 2. — Euthym. — Sedulius. — Chryſoſt. — Hildebert. — *Qui in ſuo ſe officio exercet, proficit.*

60. Cùm Petrus Apoſtolus ingrederetur templum. *Hominem claudum ab vtero matris ſuæ, apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus conſolid ıtæ ſunt baſes eius, & plantæ: & exiliens ſtetit, & ambulabat.* Act.3.num.7. Hoc extitit primum miraculum Apoſtoli. Sed cur primum facinus à planta pedis exoritur? Apoſtolus erat fundamentum Eccleſiæ, & vt in mirabile, ac diuinum ædificium exurgeret, voluit in hominis fundamento ſe exercere. Id eleganter meditatur D. Ambroſius ſerm.69. *Si ergo Petrus*, ait, *petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, rectè priùs pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita in homine membrorum fundamentum confirmet.* Vt proportionetur opus officio, fundamentum Eccleſiæ ad fundamentum hominis primò fertur, & ita erigitur, ac ſublimatur, vt ſit iam caput totius Eccleſiæ. Vt Deus declararet Moyſi, eum eſſe electum in ducem totius populi, dedit ſignum in *Virga, quam tenebat in manu, quæ verſa eſt in colubrum*, Exod.4. num.3. Et vt Deus ſignificaret omni populo, & Aaroni ipſum eſſe cooptatum in ſummum Sacerdotem, eius virga floruit, *Num.17.num.8.* Sed cur eis hæc dantur mirabilia in baculis, & non in cælo, aëre, terra,& aquis, ſicut Deus edidit tot portenta in Ægypto, vt Pharaoni, & eius magnatibus intimaret voluntatem ſuam de populo ab eorum ſeruitute eximendo, ſed in nullo eorum datur ſignum? Rectè Abulenſis *in cap.4.Exod.* & D.Carthuſianus nobis innuunt rationem. *Hæc enim*, ait Abulenſis, *erat virga paſtoralis, quam tenebat Moyſes ad minandum oues per paſcua.* In inſtrumento paſtoralis vitæ primum tam ſupremæ dignitatis datur indicium, quia ipſi, dum inter proprij officij terminos negotia tractant, & ad peregrina, atque ignota non diuertuntur, ad apicem ſupremæ dignitatis vehi promerentur.

Actor.3. — Ambroſ. — Exod.4. — Abulenſ. — Carthuſ.

Qvæstio XIV.

Quare hi paſtores præ omnibus alijs eligantur?

61. Iam habemus ex ſuperiori quæſtione, quòd paſtores ad tantùm myſterium venerandum digni fuere. Sed quare potius hi tres paſtores, quàm alij? Reſpondet primò Titus Boſtrenſis: *Ob id*, ait, *quoque præ cæteris paſtoribus beneficium hoc obtigit his paſtoribus, quia præ cæteris ſimplices dolique exortes erant.* Ob ſimplicitatem electi ſunt, vt ſuperiori quæſtione dixi ex ſanctis Patribus. Cùm ergo eſſent iſti ſimpliciores, digniores fuerunt. Secundò D.Chryſoſt. exiſtimat, quòd hi paſtores erant orantes, ac obſecrantes Chriſti aduentum. Ita ait homil.de natiu. *Multum vigilabant paſtores, quia inſidiæ beſtiarum ſatis imminebant. Vigilabant quaſi ſuper gregem, ſed non poterant conſeruare: propterea deprecabantur, vt Dominus veniat, & ſeruet gregem.* Cùm humiliter ſuam agnoſcerent imbecillitatem, orationique eſſent inſtantes, meritò digni habiti ſunt, qui Dominum Ieſum natum aſpicerent,& viderent.

Boſtrenſis. — *Simplicitas ad beneficia dignior.* — Chryſoſt. — *Oratio meretur magna.*

62. Tertiò. D.Bernard.*ſerm.in vigil.natiu.* hos tres paſtores, ait vocari propter ſignificationem. De illis intelligit Pſalm. 79. num. 2. *Manifeſtare*, ſeu, vt legit D. Auguſtinus, Caſſiodorus ex Hebræo, *Splende, fulge coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe.* Significant enim Manaſſe obliuionem rerum temporalium; Benjamin pœnitentiam,

Bernard. — Pſalm.79. — *Qui Chriſtũ natũ vident.*

nitentiam, & dolorem: Ephraim augmentum, & accretionem; ſolum enim illi, qui ſæcularium rerum memoriam amittunt, ac de peccatis lachrymantur,& in virtute proficiunt, hi tantum Chriſtum natum valent inſpicere. Quartò. De his paſtoribus dicitur infrà, dum Angelus eis apparuerit, *Timuerunt timore magno.* Viſo Angelo, non imperterriti ſteterunt vt Agar, *Geneſ.16.num.7.* Sed timent, & qui magna cum tremore reſpiciunt, aptiſſimi ſunt vt ad omnem ſublimitatem, ac dignitatem eligantur, timore enim Dei iuſti ad magna præparantur. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ*, Malach.4. n.2. *Initium ſapientiæ timor Domini*, Pſalm.110.num.7. Quintò. Hi præ cæteris vocantur, qui vigilantes erant, muneri ſuo inſtantes, vt in promptu eſſent parati ad ouibus ſubueniendum. Ac proinde deſignabantur ibi Eccleſiaſtici Præſules, & ideo vt implentes munera ſua, digni habiti ſunt, vt ad Chriſti incunabula conuocarentur. Hildebertus Cænomanenſis Epiſt. 37. *Hinc eſt etiam quòd nato Domino paſtores ſuper gregem vigilantes, Angelos adſpiciunt; quia his, qui piè, ac ſollicitè conſeruandis gregibus inuigilant, ſublimia, ac diuina innoteſcunt.* Vide *cap.2.num.3.*

Timore præparatur homo ad omne bonum. — Malach.4. — Pſalm.110. — *Muneri ſuo incumbens nobilitatur.* — Hildebert.

63. Sextò. Vocantur hi paſtores, quia fortaſſe ſolebant frequenter ad illud ſtabulum accedere. de quo ſuperiori quæſtione in octaua ratione. Septimò. Iſti ſimplices homines iuxta turrim gregis paſcebant oues ſuas, vbi ſepulta eſt Rachel,& Iacob habitauit, ac Deo obtulit holocauſtum; & valde frequens eſt, quòd multa accipiamus bona à loco, in quo Sanctorum reliquiæ iacent, ac Deus ab amicis ſuis eſt obſequiis honoratus. Cùm Iacob in Meſopotamiam pergeret, & ad quendam veniſſet locum, requieſcens vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, & Dominum innixum ſcalæ, *Geneſ.28. n.13.* Sed cur hac tantorum myſteriorum viſione dignatur potius in hoc loco, quam in quocumque alio, nec enim hoc caret alta Dei diſpoſitione? Lyppoman. *Ibi*, ait, *ſecundùm aliquos primum Abraham ſacrificauerat, & promiſſiones Dei acceperat, & pro filio immolando indicatum eidem fuerat, ibi nunc ſcalam videt Iacob.* In illa Abraham magna Deo præſtitit obſequia, & ideo eius nepotem magna indulgentia proſequitur Dominus, ac vſque ad ſui viſionem eleuat. Ita ferè ſimiliter cùm in Dei memoria eſſent ſacrificia, quæ Iacob illo in loco obtulit, inde voluit Dominus eius ſucceſſores ibi commorantes excitare, vt primò Deum natum viderent, ac tanti gaudij eſſent participes.

Bonum propter Sanctorum reliquias. — Lyppoman.

64. Duæ quæſtiones hîc erant diſputandæ. Prima: Quare Paſtores per Angelum, Magi per ſtellam ducuntur ad præſepium? Secunda: Cur ex Iudæis paſtores, ex Gentibus Reges ad Chriſtum veniunt? Sed hæ tractandæ ſunt cap.4.

Lucæ 2 n.9. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulſit illos, & timuerũt timore magno.

VERSIONES.

Syriacus. Et ecce Angelus Domini venit ad eos, gloriáque Domini illuxit eis.

Vatablus. Et ecce Angelus Domini aſtitit illis, & gloria Domini circunfulſit illos, & correpti ſunt timore magno.

D. Ambroſius hîc. Angelus Domini ſtetit ante illos.

Ianſenius. Angelus ſupereminebat, ſeu ſuperaſtitit illis.

EXPOSITIO.

56. Ecce, rem ſubitam, & inopinatam demonſtrat. Tertullianus *lib.de carne Chriſti*, ita fatur. *Odit moras, qui Chriſtum de cælo deferebat.* Textus. *Angelus.* Iſte erat Gabriel, qui ante conceptum annuntiationem detulit ad Virginem; poſt conceptionem ad Ioſeph, poſt natiuitatem ad paſtores. Huic Angelo miniſterij Incarnationis cura commiſſa erat. Quòd eſſet Gabriel, opinantur Tertullianus *citatus*, D. Cyprianus *oratione de natiuitate*, Beda, & alij. Et bene dicitur, *Angelus Domini*; tum ob differentiam nefarij ſpiritus; tum, quia cùm eſſet ſuperior in natura, non reſpuit officium miniſtri, & nuntij erga inferiores paſtores. Et hoc ſolùm ex halitu Dei venire poteſt. *Stetit iuxta illos.* Aliqui legunt, *ſuperaſtitit*; & quamuis nomen Græcum hanc etiam habeat ſignificationem; tamen noſtra lectio eſt accommodatior, tum quia, vt pulchrè ait D. Bonauentura. *In hoc, quòd iuxtà ſtetit, oſtendit familiaritatem, & humilitatem, qua Angelus condeſcendit homini, & aſtat illi, vt adiutor.* Et ſolùm in nouo Teſtamento Angelus prohibet Ioannem ne ipſum adoret, *Apocalypſ.22.num.9.* Tum, quia, cùm Deus eſſet natus, & reclinatus in terra, maximè gloriabuntur Angeli, non in aëre, ſed in terra exiſtere, & ambulare. Pro quo facit Diuus Bernardus ſermone 5. de dedicatione Eccleſiæ. *Et claritas Dei*; multi legunt, *& gloria Dei.* Ex verbo Græco vtroque modo verti poteſt; ſatis accommodatè ad ſenſum, ac ad manifeſtationem angelicam noſter interpres poſuit claritatem, ſeu ſplendorem. *Circunfulſit illos.* Fulgor ille angelicus vndique circundedit paſtores, tam corpore, quàm anima, iuxta Cardinalis Hugonis mentem. Nota; quòd Angelus iuxta eos ex vno latere adfuit, at Dei claritas ex omni parte illuſtrauit; illa præſentia, vt creaturæ, limitata, & non poterat ex omni circumferentia ſe communicare; claritas verò, vt Dei, vndique abundans, & replens: hoc indicat verbum *circunfulſit*. *Et timuerunt timore magno.* Noua,& inſolita valde timenda ſunt.

Tertull. — Idem. — Cyprian. — Beda. — Bonauent. — Bernard. — Hugo. — *Quod ex creatura limitatũ, quod ex Deo abundant.*

Qvæstio XV.

Quare in tanta luce Angeli ſe manifeſtent?

66. Rectè obſeruarunt Beda, & Zacharias Epiſcopus, numquam in veteri Teſtamento legi Angelos reſplendentes luce apparuiſſe,

Beda. — Zachar.

hoc tantùm legi gratiæ reſeruandum eſt. Et hîc primum fulgentes lumine videntur, poſtea verò in lumine aſtitit Angelus Petro in habitaculo *Actor.* 12. *num.* 7. Sed tantum hîc in natiuitate per excellentiam ob magnitudinem ſplendoris dicitur, Claritas Dei, ſeu quia Pater in peculiare gaudium natiuitatis voluit, quòd illa claritas ſua videretur. Sed quare Augeli in tanta luce? Communis ſolutio. Quia natus erat Chriſtus Dominus, verus Sol iuſtitiæ, à quo eſt omne lumen, per participationem. Ideo ait

Pſalm.117.

Dauid Pſalm.117. *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus illuxit nobis.* Immo omnis alia lux comparata cum iſtius Diei ſplendore, nox, & tenebræ ſunt. *Habitantibus in regione*

Iſai 9.

vmbræ mortis lux orta eſt eis, Iſai.9. num.2. quod de Sanctis, ac Patribus in limbo detentis intelligit Lyranus. Sed hi erant in gratia, & amicitia Dei; & nullus eſt maior ſplendor, quàm vera iuſtitia, & ſanctitas, *Pſalm.4.num.7. & 35.n.10. & 98.n.16.* & latè probat D. Auguſtinus *lib.13. Confeſſ. cap.12.* Quomodo ergo illi iuſti dicuntur habitare in vmbram mortis? Hugo. *Lux orta eſt eis, quia patres in limbo à Chriſto illuminati ſunt.* Quamuis ratione gratiæ eſſent in luce, tamen ſi cum ea comparetur, quam à Chriſto acceperunt, illa antiqua eſt quaſi nox, vmbraque mortis.

Auguſt.

Hugo.

Magna lux in Chriſto.

67\. Secundò. Beda, hoc exiſtimat factum, quia hi paſtores ſignificabant Prælatos vigilantes. *Bene autem*, ait, *vigilantibus paſtoribus Angelus apparet, eoſque Dei claritas circunfulget. Quia illi præ cæteris videre ſublimia merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſollicitè ſciunt, dúmque ipſi piè ſuper gregem vigilant, diuina ſuper eos gratia coruſcat.* Boni Prælati, qui maximè pro ſuarum ouium commoditate inuigilant, magno à Deo exornantur præmio. Apoſtulus ait 1. ad Timoth.5. n.17. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur.* Quia in his paſtoribus vigilantes Prælati repræſentabantur, ideo præ cæteris hoc beneficio donantur, vt primi omnium fulgentes Angelos videant.

Beda.

Boni Prælati honorantur à Chriſto.

1\. Timot.5.

68\. Tertiò. Maldonatus, *In luce*, ait, *apparent, vt paſtores intelligerent eſſe Angelos lucis, qui à Deo mittebantur, illiſque fidem haberent.* Quartò Simon Caſſianus lib.1. cap.7. *Claritas Angeli*, ait, *perſtrinxit ex omni parte paſtores, in corpore ſimiliter, & in corde irradians, vt non parui penderent factum, quod tam inſolitum videbatur, nec crederetur fuiſſe otioſum, quod tanto declarabatur lumine claritatis.* In tanta maieſtate gloriæ apparet Angelus, vt paſtores agnoſcerent magnum eſſe id, quod manifeſtabatur, ac maxima reuerentia ad ipſum myſterium accederent.

Maldon.

Caſſian.

Natiuitas maximè veneranda.

Matth.2.

Nato Domino, ſtella, quæ ducebat Magos, perueniens ad locum præſepis, *ſtetit ſupra vbi erat puer*, Matth. cap. 2. Stetit ne in cælo è regione pueri? Minimè: ſed vbi aſpexit Dominum, relinquens cæli faſtigium, ac humiliter ipſum quærens deſcendit ad terram. Theodotus *homilia 3. de Chriſti natiuitate*, quæ habetur *tom.6. Concilio Epheſin. in appendice 5. cap.3.* ita ait: *Stetit ſtella ſuprà vbi erat puer; ergo relinquens altitudinem ſtellæ, quæ apparebat, humilior facta eſt.* Viſo Domino in humilitate tanta, nullus eſt, qui ſe valeat continere, quin cum omni ſubmiſſione, ac reuerentia ad ipſum adorandum accedat.

Theod.

QVÆSTIO XVI.

Quare Angelus appareat in tanta gloria, cùm Chriſtus ſit in tanta humilitate?

69\. RESPONDET primò D. Leo ſerm. 5. de Epiphania. *Cùm ortum Domini, Angelo nuntiante, paſtores cæleſtis exercitus ſunt claritate circundati, vt non ambigerent de maieſtate pueri, quem erant in præſepio viſuri, nec putarent, quòd in ſola natura hominis eſſet editus, cui ſupernæ militiæ famularetur occurſus:* & hoc modo ex gloria miniſtri maieſtas pueri latens agnoſcebatur.

Leo.

Secundò. Angeli (vt moraliter dicamus) ratione beatitudinis ſuæ, in luce, ac claritate erant: ergo quamuis eſſent miniſtri Chriſti humiliter iacentis in præſepio, noluit, vt in viſione, atque apparitione aliquid de eorum maieſtate, ac ſplendore minueretur. Vera amicitia non patitur alterum ratione ſui imminui, & obſcurari in aliqua circunſtantia, nec in diſcrimen adduci, vt eleganter docet D. Iſidorus *lib. 3. de ſummo bono.* Sufficit nunc nobis Dauid ſuo exemplo. Cùm ipſe, & Ionatas amore eſſent maximè coniuncti, atque ob completam Saulis malitiam ad Dauid interficiendum, hic, & Ionathas conſpiraſſent firmato iuramento, & promiſſione: *Dominus ſit inter me, & te, & inter ſemen meum, & ſemen tuum vſque in ſempiternum*, 1.Reg.20.n.43. Sed quare Dauid non poſtulauit à tam fideli amico, vt cùm haberet opportunum tempus, pro ipſo loqueretur ad patrem, ne tam crudeliter, & iniuſtè eum perſequeretur? Sed de hoc nec verbum. Meritò ſanè. Dauid optimè nouerat, quòd cùm Ionathas ſemel pro ipſo ad patrem verba proferret, ignominiosè ab eo repulſus fuerit, vt patet ex eodem *cap.20. num.30.* & notarunt Abulenſis, Caietanus. Rectè ergo Dauid amicitiæ leges obſeruans, ſuum noluit dilectum contriſtare, atque in diſcrimen adducere, vt aliquid de bono nomine ac regia authoritate ratione ſui deperderet.

Ratione amici non eſt aliquid deperdendum.

Iſidor.

1.Reg.20.

Abulenſ.

Caiet.

Lucæ 2.n 10. Et ait illis Angelus: Nolite timere; ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

VERSIONES.

Syriacus. Ne timeatis. ecce enim annuntio vobis gaudium magnum, quod futurum eſt toti mundo.

Arias. Dixit Angelus: Ne pauete.

Seuerian. ſer. de pace, & refertur inter opera D. Chryſoſt. & Arnob. Carnotenſis Pſal.131. Ecce annuntiamus vobis.

Vatablus. Gaudium magnum, quod obtinget vniuerſo populo.

EXPO

EXPOSITIO.

71\. EXPELLIT Angelus timorem à paſtoribus, vt quieto animo diuina myſteria annuntianda percipiant; nec enim animus perturbatus valet cæleſtia apprehendere. Et ideo ait; *Nolite timere.* Notat D Bonauentura. *Hæc eſt differentia inter bonum, & malum Angelum. Bonus aſſecurat, malus finaliter terret.* Immò aduertit Hugo, *Mos eſt mali Angeli territos magis terrere.* Textus. *Ecce enim*; ac ſi præſentialiter dicat, *Euangelizo.* Bonus Angelus, vt ait D. Hieronymus *in Pſalm.* 101. ſemper Bona, & gaudia profert; alij legunt, *annunciamus*; tamquam ſi hic cæleſtis paranymphus, nomine totius cæleſtis curiæ loquatur. *Vobis*, ſcilicet paſtoribus, ob rationes datas *quæſt.11.* Origenes *homil.12. in Lucam* per hos vigilantes ſupra gregem, non ſolùm intelligit hos homines viles, verùm etiam Angelos cuſtodes prouinciarum, qui ex natiuitate Chriſti ingentem perceperunt lætitiam, ob magnum incrementum, quod in ſuos populos reſultauit, antea enim pauciſſimi erant, qui Deum agnoſcerent; poſt verò Chriſti aduentum integra regna, & prouinciæ Deum adorant. Ita ait Origenes. *Verè gaudium magnum erat his, quibus hominum fuerat, & prouinciarum cura commiſſa; Chriſtum veniſſe in mundum. Multum vtilitatis accepit Angelus, qui diſpenſabat Ægyptias res, poſtquam Dominus deſcendit de cælo, vt Ægyptij Chriſtiani fierent.* Cæleſtes illi ſpiritus noſtro bono maximè lætantur. *Quod erit omni populo.* Ac ſi dicat Angelus: *vobis annuntio*; ſed non erit vobis ô paſtores, proprium, ſed commune omni populo. Per *populum*, Toletus intelligit *populum Iudaicum*, qui Chriſtum ſpectabat. Tamen D. Ambroſius *ſermone 1. de natiuitate*, S.Leo *ſermone 9. de natiuitate*, Theophylactus, Beda, Hugo, de omni populo credenti hoc explicant, qui audita Chriſti natiuitate magno gaudio perfuſus eſt. Et ideo Angelus dixit, *Erit omni populo.* Gaudium autem appellat magnum, ideſt, præbens materiam magni gaudij. Et ita legit Syriacus, *toti mundo.*

Bonauent.

Hugo.

Hieron.

Origenes.

Idem.

Tolet.
Ambroſ.
Leo.
Theoph.
Beda.
Hugo.

QVÆSTIO XVII.

Quare hîc dicatur gaudium magnum.

72\. RESPONDEO primò. Quæ maior poteſt eſſe lætitia, quàm vbi adeſt natalis Domini? Eleganter ponderat D. Auguſtinus *ſerm.13. de tempore.* S.Leo *ſermone de natiuitate*, D. Amadæus *hom.4. de partu Virgin.* D. Ephræm. *oratione de Abraham*, ad hunc diem refert riſum Saræ, Geneſ.18. num.10. *Non propter Iſaac*, ait, *riſit Sara, ſed propter natum ex Maria Virgine. Et ſicut Ioannes exultauit in vtero, ita ſuo riſu Sara gaudium ſignificauit.* In ſignum lætitiæ dominicæ natiuitatis Sara ridet, Ioannes, & figuram agens totius naturæ, ſaltibus exultat. Vnde meritò ait D. Chryſoſt. *in oratione pro Philogone*, de hac die. *Feſtum eſt omnium feſtorum maximè venerandum, quòd ſi quis appellet omnium feſtorum Metropolim, haudquaquam aberret.* Et Sophon.3.n.17. ait. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua, exultabit ſuper te in laude*, Septuaginta, *Exultabit ſuper te, vt in die ſolemni.* Talis eſt enim dies Natalis Domini, non ſolùm hominibus, & Angelis feſtiuus, ſed etiam ipſi Deo.

Auguſt.
Leo.
Amad.
Ephræm.

Geneſ.18.

Quanta ſit natiuitatis feſtiuitas.

Chryſoſt.

Sophon.3.

Secundò. Ex eo hoc gaudium dicitur magnum; quia tanta exultationis materia præſens erat; hoc enim indicat illa partieula, *Ecce*; & illa magnum gaudium ingerunt, in quibus præſentialiter ipſa bona videntur. Dum Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos inſtruit de præmio vniuſcuiuſque beatitudinis, dicebat: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Beati, qui eſuriunt, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi Deum videbunt. Et tandem concludit: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*, Matthæi cap.5. num.12. Sed quare in aliis palma, ac corona in futuro apponitur, conſolabuntur, ſaturabuntur; hîc verò de præſenti dicitur: *Merces veſtra copioſa eſt*? Caietanus. *In hac ſola beatitudine*, ait, *appoſitum eſt præceptum gaudendi: nec ſola magnitudo, ſed præſentanea, & exhibenda felicitas eſt ratio ſingularis in hac beatitudine præcepti.* In hac vltima cæleſti excellentia mandatum eſt, gaudere, & exultare; hoc autem, completum, perfectumque eſſe non poteſt, ſi in ſpe tantùm, & non in executione bonum, ac lætandi cauſa exhibeatur. Tertiò. Inde hoc gaudium magnum, quia, non particulare, ſed commune erat omni populo, de quo infrà.

delectat.

Matth. 5.

Caiet.

74\. Quartò. *Gaudium magnum*; quia æternum, & in perpetuum duraturum erat. Multæ in Scriptura mulieres ſteriles memorantur. Rachel, Anna Samuëlis mater, Sara; ſed ſola Sara poſt editum partum, ait: *Riſum fecit mihi Deus*, Geneſ.cap.21. num.6. Sed cur ex omnibus hæc ſola ridet? Acacius in Catena Græca. *Huius lætitiæ firmitatem oſtendens; mihi, inquit, fecit Deus; quidquid enim eſt à Deo, perpetuum eſt.* Aliæ matronæ filios parturiebant, quorum generationes finiendæ, ac limitandæ; Sara verò in lucem dabat filium, cuius progenies ratione Chriſti naſcituri, in æternum erat habitura firmamentum: meritò ergo inter omnes hæc ſola de perpetuitate prolis exultat, & lætatur.

Geneſ.21.

Acacius.

Bonum perpetuum maximè delectat.

75\. Quintò. Simon Caſſian. lib.1.c.7. *Dicitur gaudium magnum, quia illam primam manſionem, omnibus bonis fultam, quam homo tenuit in Eden, & pro voluntaria culpa amiſit, ratione cuius verſum eſt in luctum gaudium eius; nunc in gaudium redit ipſa corrupta, & multata natura in natiuitate Saluatoris.* Sed quæro: Quare in illo primo ſtatu feliciſſimo non legitur de communibus parentibus, quòd lætati eſſent; nec hoc vmquam eis eſt mandatum, ſicut in Chriſti natiuitate omnibus eſt impoſitum præceptum: *Euangelizo vobis gaudium:* Meritò ſanè, tum ob multitudinem gratiarum, quæ ex aduentu Chriſti nobis aduenere; tùm, quia primi parentes inexperti malorum, illam bonorum ſuauitatem poſſidebant; nunc verò in Chriſti natiuitate natura liberatur humana à Diaboli tyrannide, & à peccatorum miſeriis, quibus opprimebatur. Et felicitas poſt perpeſſos labores adueniens multo iucundior, ac gratior. Quærit D. Auguſtinus: Quare Ioſeph tam durè, & aſperè tractauerit fratres ſuos antequam eis ſe manifeſtaret, ait illis. *Exploratores eſtis*, Gen.cap.42.n.15. Simeonem ablegauit in carcerem, *num.25.* Beniamin furto arguit, *Geneſ.cap.44. n.12.* Reſpondet

Caſſian.

Felicitas poſt calamitatem iucundior.

Geneſ.42.

S.Pater

Auguſt.

S. Pater in quæſtionibus ſuper Geneſim apud Lyppoman. *Non autem negligenter conſiderandum puto tantam miſeriam in hac perturbatione fratrũ ſuorum, quos Ioſeph, quamdiu voluit, tenuit, non eos vtique faciens calamitoſos, quãdo tantæ etiam ipſorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat, & totum hoc, quod agebat, vt eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, vt eadem dilatione cumularetur.* Quæ enim maior poterat eſſe lætitia, quàm quòd Chriſti natiuitate natura humana à tantis calamitatibus liberaretur. Vnde ait Simon Caſſianus citatus, *Ecce gaudium dicitur vnde cauſetur: quia natus eſt vobis Saluator. Nulla gaudij materiæ potior, quàm de magna periclitatione ſaluatio:* Vide *lib.* 1. *cap.*6. *num.*60. & 61.

Caſſian.

Lucæ 2. *n.* 11. Quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.

VERSIONES.

Syriacus. Natus eſt vobis hodie Redemptor.

Vatablus. Natus eſt vobis hodie Seruator.

D. Anaſtaſ. Sinaita lib. 7. *in Hexaëm. & aliqui apud D. Carthuſian.* Natus eſt nobis hodie Chriſtus.

EXPOSITIO.

76. GAVDII motiua apponit Angelus: *Quia natus eſt Saluator*; ad diſtinctionem, quia qui ab æterno genitus eſt Deus Creator, hodie natus eſt homo Saluator. *Vobis*, id eſt, vt explicat D. Bonauentura, ad vtilitatem veſtram; ſeu, vt ait Ianſenius, vobis hominibus, ſeu naturæ humanæ. Aliqui ita legunt, quòd dixerit Angelus: *Natus eſt nobis.* quod explanans D. Dionyſius Carthuſianus, ait: *Fatetur Angelus Chriſtum natum non ſolùm ob hominum ſalutem, ſed etiam ob angelicæ quoque reparationem ruinæ.* Textus. *Hodie*; non ait, hac nocte: nox pro luctu, & tribulatione accipitur, dies pro lætitia, vt aduertunt Beda, Aymon. Vel ait, *hodie*; ad maius gaudium, quia bonum, ſeu natiuitas nuntiata, non erat antiqua, ſed præſentanea; & nouitas rei magnam lætitiam parit. *Saluator*, ſeu Redemptor, Quid maius dici potuit ab Angelo, & iucundius audiri ab homine? præcipuè cùm natura humana, tot, tantiſque miſeriis opprimeretur. Et dicitur Saluator abſolutè, quia ab omni malo erat liberaturus. Et explicans, quis ſit iſte Saluator, ait: *Qui eſt Chriſtus Dominus.* Chriſtus, id eſt, vnctam habens ſuam humanitatem diuinitate: & per hoc, quod dicitur vnctus, notatur eius dignitas; quia ſolùm Reges, & Sacerdotes vngebantur, vt aduertit Hugo. *Dominus*, nomen eſt diuinitatem ſignificans *Actor.*10.*n.*30. *Hierem.*32.*n.*2. *Iudic.* 6.*n.*13. *ad Epheſ.*4.*n.*5. & aduertunt D. Auguſtinus *lib.*3. *contra Maximinum*, *c.*23. & *lib.*2. *de Trinitate*, *c.*10. D. Ambroſius *lib.*1. *de fide c.*1. & *lib. de Noë*, *cap.*13. Et nota, quòd hîc infans natus, priùs dicitur Saluator, quod eſt nomen meriti, & officij; poſteà verò Chriſtus Dominus, quod eius exprimit dignitatem; quia ſemper meritum præcedere debet dignitatem, & quæ ſunt muneris, ante oculos priora eſſe debent omni excellentia. Vide *lib.*1. *cap.*1. *num.*21. & *cap.*6. *num.*5. *In ciuitate Dauid.* Facilius erat dicere: In Bethleem, ſed vt probet, verum eſſe Meſſiam ex genere Dauid natum, ideo tali modo ciuitatem nominauit. Vide *lib.*1. *cap.*2. *num.*20. & 21.

Bonauent. Iauſen. Carthuſ. Beda. Aymon. *Nouitas lætitiam parit.* Hugo. Auguſt. Ambroſ. *Meritum ante dignitatem.*

QVÆSTIO XVIII.

Quare non dixerit Angelus, natus eſt omni populo?

QVANDO Angelus gaudium dominicæ natiuitatis annuntiauit, dixit: *Quod erit omni populo.* Cur etiam modò non dixit; natus eſt omni populo Saluator, ſed tantùm ait, *natus eſt vobis*? Reſpondeo, quòd populus erat ſomno, & deliciis deditus; Paſtores verò vigilantes noctis incommoda ſuſtinentes? Gaudium dominicæ natiuitatis commune erit vobis, & omni populo, nempe prædeſtinatis, & reprobis; at verò natiuitas iſta, quo ad vtilitatem, vt notaui ex D. Bonauentura, ſecundùm efficaciam erit vobis vigilantibus, ac labori inſtantibus, nec enim aliter percipitur fructus iſtius ſanctiſſimi aduentus, Pſalm. 16. num. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Aliqui ex Hebræo legunt, *Satiabor, cùm euigilauerit ſimilitudo tua.* Ac ſi dicat, dum dormiero, non ſatiabor ex bonis tuis, ſed dum vigilauero. Quod magis explicans Pintus *in cap.*17. *Daniel.* ait: *Satiabor, cùm afflictus fuero ad ſimilitudinem tuam.* Et quomodo fieri poteſt, quòd Chriſtus Dominus ſit lachrimans in præſepio reclinatus, rigore frigoris tremens, & homines delicatiſſimis linteis, ac delitiis indulgentes cum eo habeant hæreditatem? *Pſalm.*5. cuius titulus eſt: *Pro ea, quæ hæreditatem conſequitur*; ſeu vt alij legunt, *Pro hæreditatibus*, *verſ.*5. inquit Regius Vates: *Manè*, ſeu, vt eſt in Hebræo, *diluculo, aſtabo tibi, & videbo.* Nec enim aliter hæreditas filij Dei conſequitur, nec eius gloria videtur, niſi dum maximè vigilatur, córque à terrenis ſeparatur. D. Auguſtinus ibi: *Adſtabo, quid eſt, niſi non iacebo? Quid eſt autem aliud, iacere, niſi in terra quieſcere, quod eſt in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere? Aſtabo, inquit, & videbo. Non eſt ergo inhærendum terrenis, ſi volumus Deum videre, qui mundo corde conſpicitur.* 77.

Fructus natiuitatis vigilantibus. Pſalm.16. Pintus. Pſalm.5. Auguſt. *Vt Deo fruaris, à terra ſeparandum.*

QVÆSTIO XIX.

Quare Angelus infantem natum Chriſtum vocet?

MERITÒ hîc Simon Caſſian. hanc quæſtionem mouet lib.1.c.7. *Ille idem Angelus, ſcilicet Gabriel*, ait, *qui Mariæ dixit, vt vocaret eum Ieſum, nunc paſtoribus declarat eum eſſe Chriſtum, ne ipſi, & cæteri alium Meſſiam expectando, fallantur. Ieſus dicitur Hebraicè, Latinè Saluator qui pro omnibus natus eſt.* Vbi ſatis doctè duas ponit 78.

Caſſian.

rationes. Vnam ex etymologia nominis Hebraici quæ eſt idem ac Saluator; alteram, quod beatiſſimæ Virgini, quæ huius ſanctiſſimi infantis excellentias optimè nouerat, vocandum dicit Ieſum; paſtoribus verò loquens, eum appellat Chriſtum, quod apud omnes Meſſiæ commune, & vulgare nomen erat, vt amputaretur anſa, ne hi ruſtici homines aliquam errandi occaſionem haberent ex mutatione nominis. Valde obſeruata apud probatos viros conſuetudo eſt, ſuorum auditorum viribus proportionari; fortioribus maiora, debilioribus minora proponendo. *Bibi vinum meum cum lacte meo*, Cant.5.n.1. Sed quomodo vnà cum vino lac potatum eſt? Conſtat enim experientia hæc duo ſimul mixta valde inſipidam efficere potionem, & iuxta Medicorum dogma, intra ſtomachum habere repugnantiam; &, quod maius eſt, lac potus infantium, vinum virorum, & puerulis valde noxium, vt docet Ariſtoteles *lib. de ſomno, & vigilia.* Quomodo ergo hæc coniunguntur; Caſſiodorus, Beda hîc intelligunt magiſtrum, ac Prædicatorem qui ex Dei illuminatione accipit, quæ ſuis auditoribus eructat; & hoc non eſt idem omnibus, ſed vinum, & lac; adultis in via virtutis, tanquam viris, fortiora, id eſt, vinum; inſipientibus verò, vt pueris, lac. Et ideo ait Caſſiod. *Cùm horum vita diuerſis ſtudijs agatur, & horum omnium bona intentione ſponſus paſcitur, & delectatur, & ideo ait: Bibi vinum cum lacte meo.* Nec enim eadem doctrina omnibus danda eſt, nam quæ aliquibus ſalutaris, aliis eſt noxia Ait Regius Vates Pſal.181.n.11. *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Vbi eleganter B. Brunonus Epiſcop. *Nam ſicut decet*, ait, *fidelibus præcepta Dei prædicare: ſic non credentibus oportet abſcondi, ſicut in Euangelio*, Matt.7. *Ne dederis ſanctum canibus, nec margaritas porcis, eſt enim peccati genus obſtinatis eloquia Domini prædicare.* Magna ſapientia, doctrina ſancta credentibus danda eſt, infidelibus verò occultanda.

Accommodandum vniuſcuiuſque viribus. Cant.5. Ariſtot. Caſſiodor. Pſalm.181. Brunonus.

Lucæ 2. *n.* 12. Et hoc vobis ſignum; inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

VERSIO.

Euthymius. Inuenietis infantem faſciis inuolutum, iacentem in præſepio.

EXPOSITIO.

79. VT Angelus comprobet vera eſſe, quæ nuntiauerat, in fidei argumentum ſigna profert, vt eſt in Scriptura valde frequens. Ita idem Gabriel Zachariæ *Luc.* 1. *num.* 20. & Beatiſſimæ Virgini *num.* 36. Angelus Gedeoni *Iudic.*6. *num.*36. & 37. Samuel Sauli 1. *Reg.*10. *num.*2. Ex eo, quòd pro ſigno dat paſtoribus puerum poſitum in præſepio, colligunt Ianſenius, Caietanus, Barradas illud fuiſſe vnicum, ac omnibus commune; & valde notum paſtoribus, ac per antonomaſiam præſepe appellatum; aliter ſi illud peculiare eſſet, & multa ibi darentur præſepia, alio ſigno indicari ipſum oportebat. At hæc coniectura multis viris doctis, & mihi, non probatur; immo eſt oppoſitum: quia locus, in quo natus eſt Chriſtus Dominus, erat valde anguſtus; & in tanta hominum frequentia præſepe valde celebre eſſet animalibus multum occupatum, & ibi commodè beatiſſima Virgo eſſe non poterat. Dicendum eſt ergo cum D. Cypriano *ſer. de Chriſti natiuitate*, quòd paſtores deuenerunt ad illum ſanctiſſimum locum ab Angelo inuiſibili lumine edocti. Et nota, quòd Angelus paſtoribus ait, *Inuenietis.* In domo Dei inueniuntur bona, in ſuorum ſalutem.

Ianſen. Caiet. Barrad. Cyprian.

QVÆSTIO XX.

Quare pro ſigno nati Domini detur eius humilitas?

CVR Angelus pro natalitio ipſius Dei in illius demonſtrationem non dederit aliquod magnum prodigium in cælo, vel in terra? ſicut facta creduntur in manu Moyſi, Aaron, Eliæ, & Eliſæi, ac aliorum Prophetarum. Quare pro ſigno dantur viles panni, reclinatio in ſtabulo. Quæ maieſtatem potius occultabant, quàm manifeſtam oſtendebant; potius contemptum, quàm reuerentiam ſuadebant? Pro reſolutione. Nota, duplex eſſe ſignum; vnum probationis, alterum cognitionis, & diſtinctionis. Primum fit in probationem alicuius rei, vt Chriſtus Dominus dixit: *vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge*, Matth.9.n.9. Alterum ſignum eſt ad cognoſcendam rem aliquam; eámque ab aliis diſcernendam. Vt Chriſtus Dominus dixit Diſcipulis ſuis, dum de Antichriſto loqueretur, *Cùm videritis hæc omnia, ſcitote, quia propè eſt in ianuis*, Matthæi cap.24. num.33. 80.

Matth.9. Matth.24.

81. Primò. Maldonatus exiſtimat, quòd ſignum fuiſſet datum paſtoribus ab Angelo in probationem eorum, quæ dicebat, quòd in eo conſiſtit Angelum ſcilicet futura prædicere, vt cùm paſtores venerint ad eum locum, infantem præſepi poſitum inueniant; nam quamuis de præſenti puer eſſet reclinatus in ſtabulo, tamen illud, quod erat futurum, quando paſtores erant venturi, non poterat Angelus diuinare, niſi eſſet à Deo miſſus; poterat enim à matre inter vlnas accipi. Ita Maldonatus, & adducit pro ſe Euthymium, & D. Cyprianum. Hæc ſententia eſt probabilis, mihi tamen multum non placet. Primò. Quia Angelus totus erat in eo, vt paſtores Chriſtum agnoſcerent. Secunda. Quia ad probationem eorum, quæ dicebat, ſufficiens erat ipſa Dei claritas, in qua Angelus apparuit, ac militiæ cæleſtis multitudo, quæ cum eo facta eſt. Nec Euthymius fauet huic ſententiæ; nam tantùm ait, quòd Angelus dixerit: *Hoc vobis ſignum*; in argumentum eorum, quæ dicebat, vera eſſe, & illud non explicat D. Cyprianus, nil facit pro hac parte, eius verba poſtea referam.

Maldon. Idem.

Secunda ſententia eſt, quòd hoc ſignum in paupertate, & humilitate datum fuit ad cognoſcendum puerum Ieſum, vt Saluatorem, & verum Deum. Ita Beda, qui ait: *Notandum ſolertius, quòd ſignum nati Saluatoris datur infans: non Tyrio.*

Beda.

Bernard. Carthuſ. Bonauent. Hugo.

exceptus oſtro, ſed pannis ſquallentibus inuolutus, non in ornatis auro ſtratorijs, ſed in præſepibus inueniendus. Similiter D. Bernard. *ſermon.4. de natiuitate*, D. Dionyſius Carthuſianus, D. Bonauent. Hugo, & alij. Sed hîc adhuc eſt explicandum, Ex quo motiuo Deus paupertatem ſibi elegit in ſignum? Reſpondeo primò. Vt denotaretur, quàm pretioſa erat illi paupertas. Vnuſquiſque aſſumit ſibi pro ſigno illud, quod magis eſt cordi, ac in quo maior illius gloria reſplendet. Secundò. Vt veritas correſponderet prophetiæ. *Zachar.9.num.9.* dictum eſt: *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ipſe Saluator: ipſe pauper.* Tertiò. Vt reprobaret falſam Iudæorum opinionem, qui venturum in maieſtate, ac regio cultu Meſſiam expectabant. Quartò. D. Bonauent. *Paſtores erant pauperes, ſimplices, & contemptibiles. Ideo ne timerent accedere, datum eſt eis in Chriſto infante ſignum paupertatis, & humilitatis.* Quintò. Caietan. *Verè omnia*, ait, *diſponit ſuauiter diuina Sapientia: ruralibus ſiquidem hominibus ſignũ dedit ſenſibile, quod in promptu comperirent, quod dicebatur*, veluti volens eorum tenuitati condeſcendere. Sextò. Hugo. *Signum Domini humilitas, ſignum Diaboli ſuperbia. Leuauit ſignum in nationibus procul*, Iſai.11.n.15. Septimò. Ad confundendam hominis ſuperbiam, D. Bernardus ſermone 1. de natiuitate. *Quid enim magis indignum*, ait, *quid grauius puniendum, quam, vt videns Deum cæli paruulum factum, vltrà apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis impudentiæ eſt, vt vbi ſe exinaniuit maieſtas, vermiculus intumeſcat.*

Quare paupertas eligitur in aduẽtu Chriſti. — Zach.9. — Bonauent. — Caiet. — Hugo. Iſai.11. — Bernard.

82\. Tertiò dico, quòd infantis paupertas datur pro ſigno diuinitatis, ſed hoc non quibuſcumque, ſed vobis, *Hoc ſignum vobis*; vobis credentibus, & non incredulis. In Chriſti humilitate fideles agnoſcunt eius diuinitatem, & ſuæ ſapientiæ, potentiæ, & amoris infinitum theſaurum; infideles verò, vt cæci, ſcandalum, vt ait Paulus 1. Corinth.1.num.23. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, vocauit verò Chriſtum Dei virtutem, & ſapientiam.* Exinanitio Chriſti incredulis videtur ſtultitia, nobis credentibus Dei virtus. Quartò. Paupertas Chriſti datur pro ſigno illius diuinitatis ab Angelo, qui in claritate Dei apparebat. Huc ſpectant verba D. Cypriani ſermone de natiuitate. *Hunc*, ait, *in cunabulis adorauerunt paſtores, & paruulum confitentes, Deum ſimpliciter agumento, ſi in ſpiritu, & veritate, quem adorauerunt, nouerunt, fuerat quidem miraculum, quòd apertis cælis lux fulgoris inſolita nocte ſuper eos fulſerat, quòd auditi Angeli, & conſpecti, quòd ab ipſis fuerant edocti, & inſtructi paſtores.* Optimo ſanè argumento. Ille, cuius miniſtri in claritate Dei apparebãt, & ipſe in tanta humilitate oſtendebatur, non homo, ſed Deus erat. Agnouit bonus latro Chriſtum pendentem in Cruce, *Luc.23.n.42.* Sed vnde cognouit? D. Gaudentius *ad Neophytos: Agnouit Crucifixum Deum. Dum Iudæi clamantes dicebant: Alios ſaluos fecit, ſe ipſum ſaluum faciat.* Seu, vt legit Theophylactus: *Alios ſeruauit, ſeruet ſeipſum.* Ex improperiis Iudæorum introſpexit latro diuinitatem in Chriſto latentem. Dicebant Iudæi, *Alios ſaluos fecit*; & tamen intuebatur Chriſtum ſeipſum morti tradere. Diuinus Philoſophus noua Dei ſapientia inſtructus agnouit myſterium, quòd ille, qui ſibi mortem, crucem, ac opprobria amplectebatur, & aliis vitam, ac ſalutem dabat, non homo, ſed Deus erat; hæc eſt ingenita natura Chriſti Saluatoris noſtri in documentum optimi Regis, vt ſe ipſum morti ſubiiciat, vt nobis vitam largiatur. Vidit Ioannes Dei filium ſub figura agni, & accepit de dextera Dei Patris librum, hoc eſt, ſacram Scripturam, ſeu regiam poteſtatem, vt aliqui volunt, & ſtatim cantabant ſeniores, & animalia. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum*, Apocalypſ. 5.n.9. Et ſub qua forma erat ipſe agnus? *Vidi agnum tamquam occiſum*, ibid.num.6. Sed, vt notant Auguſtinus, ſeu Tychonius, pro voce *occiſum*, iuxta vim nominis Græci haberi *ſignatum*, quaſi quod idem valeret, quòd Chriſtus Dominus eſſet à Patre ſignatus in Regem totius vniuerſi, ac quòd eſſet occiſus, ita enim hæ voces inter ſe copulantur, ac ſi eandem ſignificationem obtinerent. Transferamus huc præclara verba Othonis Imperatoris dum pro ſuorum vita propriis manibus mortem ſubiit, ita ait apud Cornel. Tacitum. *Faciam, vt omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro ſe, ſed ſe pro vobis dedit.*

1.Cor.1. — Cyprian. — *Dei eſt, alijs vitam dare, ſibi mortem eligere.* — Gaudent. — Theoph. — *Bonus Rex ſuam vitam pro ſuis det.* — Apocal.5. — Auguſt. Tychon. — Cornel.

Qvæstio XXI.

Quare pro ſigno Chriſti infantis datur paupertas: aduenientis verò in iudicio maieſtas?

83\. Signvm paupertatis Chriſti naſcentis ſatis demonſtrat præſens textus: Thronum, atque apparatum venientis ad iudicium, *Matth. 24.num.30.* ex Chriſto Domino dicente: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate.* Hanc quæſtionem nobis excitauit Diuus Ioannes Chryſoſtomus *in Pſaml.49.* ad illa verba: *Deus manifeſtè veniet.* Reſpondeo primò, quòd Chriſtus Dominus infans naſcitur in præſepio, vt mundanam contunderet, ac condemnaret ſuperbiam, & vanitatem; ideóque vt pauper, ac contemptibilis apparuit: in extremo autem iudicio adueniet vt iudex, & hac de cauſa in magna reuerentia, ac veneratione vult ab omnibus haberi, talis enim futurus eſt iudex erga ſuos; & in huius rei argumentum, multarum erat nationum conſuetudo, magno reſpectu, ac ceremonia alloqui ad iudicem, vt teſtantur Philo Hebræus *in legatione ad Caium*, Ariſtoteles *in OEconomicis* Plutarchus *de mulierum virtutibus.* Explicat Daniel Nabuchodonoſori ſomnium, in ſublime extollitur, magna veneratione afficitur, *Daniel.2.num.48.* Mittitur in lacum leonum, ex quo intactus educitur, nullo tamen honore inſignitur, *Daniel.6.num.24.* Vnde hoc? Daniel inter leones erat, veluti calcans mundi, ac Diaboli ſuperbiam, & ideo in lacu inferiori repoſitus fuerat: à Nabuchodonoſore autem tanto apparatu proſequebatur, vt notat Lyranus: *Conſtituebat eum principem ad iuſtitiam exercendam.* Et ideo in tanta veneratione erat, hanc enim maximè exquirit rectum iudicis munus vt illius dicta, & imperia exequantur.

Matth.24. — Chryſoſt. — *Iudex in magna reuerentia, vt timeatur.* — Phil.Hebr. Ariſtot. Plutarch. — Lyran.

84\. Secundò. Infans oſtenditur in forma ſerui, quia ad noſtram venerat redimendam ſeruitutem, & vt verus medicus ægroto ſe voluit proportionari, vt iam ſupra dixi; at in fine mundi in maieſtate tamquam ſupremus dominus, ac vt rectus iudex independens ab omnibus intuebitur. De primis parentibus dicitur: *Cùm audiſſent vocem Domini Dei*, Geneſ.3. num.8. Caietanus legit: *Audierunt vocem Elohim Iehoua.* Cur hîc ponitur duplex Dei nomen, nóane ſufficiebat vnum? *Iehoua* nomen eſt Dei, & ſignificat eius eſſe independens; *Elohim*, id eſt, Deus iudex; meritò ergo hæc coniunguntur, vbi ventum eſt ad iudicium, vt inde eius rectitudo innoteſcat, quæ tunc maximè apparet, quando iudex eſt independens.

Geneſ.3. — Caiet. — *Iudex vt rectus ſit independens.*

Qvæstio XXII.

Quare tantùm puer poſitus in præſepio datur pro ſigno?

85\. Ratio difficultatis eſt; quia vbi primum paſtores ad ſtabulum acceſſerunt, plures viderunt. *Et inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.* Cur hos omnes non dedit pro ſigno, ſed tantùm de puero mentionem facit? D. Bernardus hanc quæſtionem excitat, & dupliciter ſoluit *ſerm.4. de natiuit.* Et primò ſic ait: *Quid eſt, quod ſola ab Angelo commendari videtur humilitas; nec tamen ſola à paſtoribus inueniri? Fortè ſpecialiùs cõmendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per ſuperbiam, ipſe in humilitate ſtetiſſet.* Mali Angeli per ſuperbiam à ſua ſede, ac felicitate deiecti ſunt; boni verò per humilitatem, qua ſe inferiores Deo agnoſcebant, in ſuo ſtatu perſtiterunt, atque Dei gloria donati ſunt. Inter omnes virtutes, quæ in Chriſti natiuitate radiabant, præcipuè Angeli annuntiant humilitatem, atque pro eius nota, eam ſignant; maximè enim vnuſquiſque afficitur ad eam virtutem, in qua ipſe reſplenduit, ac eius ductu ad magna ſublimatus eſt. Secundò. Idem D. Bernardus cit. *Aut propterea certè*, ait, *cœlitus annuntiatur humilitas, quòd hæc quaſi propria virtus diuinæ exhibenda ſit maieſtati.* Infinita bonitas Chriſti Domini omni virtute, ac dono maximè abundabat, tamen eius humilitatem Angeli prædicant, quia de ea peculiariter gloriatur Chriſtus, tamquam propria virtus, quæ exhibenda ſit diuinæ maieſtati. Tertiò. D. Anaſtaſius Sinaita lib.4. Hexaëmeron: *Quomodo enim*, ait, *non plus placebit humiliata ſublimitas, exinanita immenſitas, & diuinitas incarnata? Iſta varietate quid pulchrius?* Quid mirum, quòd puer reclinatus in præſepio pannis inuolutus detur pro ſigno, quando in hoc multa, & alta myſteria mira varietate nitebant? Apparebat diuinitas Incarnata, ſublimitas Dei, quæ ambulat ſuper pennas ventorum, & ſedet ſuper Cherubim reclinata, & immenſitas Dei, quæ nullo capitur loco, paruis panniculis faſciata, ac conſtricta.

Bernard. — Idem. — *Chriſtus de humilitate gloriatur.* — Anaſtaſ. — *Varietas attrahit.*

86\. Quartò. Datur Ieſus pro ſigno, vt dum ad ipſum dirigunt mentem, illuminentur, vt eum agnoſcant, ac videant; ipſe enim eſt dux, & lux noſtra. Quintò. D. Auguſtinus ſerm.9 de tempore: *O gratiſſimi, delectabileſque vagitus, per quos ſtridores dentium æterno ſque ploratus euaſimus! ô felices panni, quibus peccatorum ſordes exterſimus.* Chriſtus pannis inuolutus datur pro ſigno, quia illis diuinis pannis mundati, ac purificati ſumus ab omni peccatorum inquinamento, & nulla maior Regis demonſtratio, quàm ſaluti, vitæ ac ſuorum commoditati incumbere, ac de ea pertractare. Vt Samuel comprobaret Sauli illum eſſe electum in Regem, dixit ei: *Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in Principem. Cùm abieris hodie a me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel in finibus Beniamin, & dicent tibi: Pater tuus ſolicitus eſt pro vobis*, 1. Regum 10. num.2. Sed cur pro Regis ſigno datur ſepulchrum Rachel, & ſolicitudo parentis? Rachel, vt filium pareret, ac vt eum daret in lucem, mortua eſt, *Geneſ.35.num.17.* Meritò hæc dantur pro regni indicio, quia ibi principatus auſpicatur, vbi eximia beneficentia, ac ſolicitudo erga populum adumbratur. Vnde eleganter ait D. Hildebertus Cænomanenſis Epiſcopus Epiſt.3. de ſuo Rege: *Nouit ille regiam manũ meliùs donatiuo ſplendere, quàm ſceptro.* Nullum maius indicium regiæ maieſtatis, quàm beneficentia.

Chriſtus nos illuminat. — Auguſt. — *Beneficentia ſignum Regis Chriſti.* — 1.Reg.10. — Hildeb.

Lucæ 2.n.13. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantiũ Deũ, & dicentium.

Versiones.

Syriacus. Et repentè apparuerũt cum Angelo multi exercitus cæleſtes glorificantes Deum, ac dicentes.

Vatablus. Et ſubitò adiunxit ſe Angelo multitudo exercitus cæleſtis.

Expositio.

87\. Ex improuiſo cum Angelo, qui natum Chriſtum annuntiauerat, ingens Angelorum multitudo paſtoribus apparuit; & hanc nomine multitudinis, & exercitus exaggerat Euangeliſta, & clariùs Syriacus; *multi exercitus.* quaſi per varia agmina Angeli in cælo volabant. S. Leo *ſerm.9. de natiuit.* exiſtimat, quòd erat innumerabilis multitudo. Salmeron *tom.3. tract.35.* ſubſcribit illorum ſententiæ, qui aſſerunt, omnes Angelos de cælo deſcendiſſe, iuxta Pſalm.96.num.8. *Adorate eum omnes Angeli eius.* Et ad hoc referunt verba Pauli ad Hebr.1.num.6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* Manifeſtarunt ſe Angeli non ad confirmandum dictum Gabrielis cum paſtoribus loquentis, vt ait D. Bonauentura, & Interlinealis; tum quia, nato Domino, Angeli in cælo ſe ſe non poterant continere, ſed ſemetipſos conuocant, vt ad terram deſcendant. Origenes homil.1. in Ezech. *Obſequuntur, ſaluti noſtræ*, ait, *Angeli, confeſſi ſunt ad miniſterium filij Dei, & dicunt inter ſe, ſi ille deſcendit, & deſcendit in corpus, ſi mortali indutus eſt carne, quid nos quieſcimus? Quid parcimus nobis? Eho omnes Angeli deſcendamus de cælo.*

Leo. — Salmer. — Pſalm.96. — Hebr.1. — Bonauent. Interlin. — Origenes.

Ideo & multitudo militiæ cæleſtis erat laudantium Deum, quando Chriſtus natus eſt. De tempore quo hæc multitudo Angelorum de cælo deſcendit, Maldonatus exiſtimat, ſimul aduolaſſe cum Angelo, qui paſtoribus loquebatur, tamen ab eis non eſt viſa, niſi poſt acceptum nuntium. Euthymius, Beda, Carthuſianus putant, hanc multitudinem aduenifſe immediatè poſt locutionem Angeli, & hoc probabilius, & clarè patet ex lectione Vatabli, *Adiunxit ſe Angelo multitudo.* Et quòd hæc multitudo non ſolùm audita fuerit à paſtoribus, vt aliqui dixerunt, ſed etiam ab eis viſa, manifeſtè nobis explicat Syriacus, *Et repentè apparuerunt exercitus Angelorum.* Et nota, quòd antè vnus, vel alter mittebatur Angelus, nunc verò exercitus Angelorum.

Maldon. Euthym. Beda. Carthuſ.

QVÆSTIO XXIII.

Quare hîc deſcribantur Angeli ſub nomine militiæ?

87. AD decantandas Deo Opt. Max. laudes Angeli aduolarunt, quibus tunc opportunè nomen *chorus*, valde conueniebat. Cur, hoc omiſſo, ſub exercitu, & militia explicantur? Reſpondeo primò. Ad maieſtatem, & potentiam nati pueri indicandam. Et dicebatur ideo, *Dominus Deus exercituum*, Iſai, 6. num. 3. In exercitu enim maximè apparet potentia, ordo, & fortitudo, vt explicatur Cant. 6. num. 3. *Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Et quo magis Ieſus ſe humiliauit, eo magis valde ordinata ſe manifeſtauit potentia; ac fortitudo eius. Secundò. Dominus contra Diabolum ad bellum venerat ingerendum; vt ſub Domino ſuo militent tamquam milites in exercitu Angeli apparent; pulchrè D. Ambroſius hic: *Bene Angelorum nominatur exercitus, qui ducem cæleſtis militiæ ſequebantur.* Huic accommodat D. Bonauent. illud Apocal. 19. num. 11. *Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax.* Et poſtea: *Exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebātur eum.* Tertiò. Ianſenius, *Bene dicitur*, ait, *Angelo coniuncta eſt multitudo cæleſtis militiæ, nimirum, vt ſignificaretur, natum puerum Dominum illum Sabbaoth, vel virtutum fortem in bello, qui aduersùs huius mundi principes expugnare venerat.* Quartò. Caſſian. lib. 1. cap. 8. *Idcirco militia cæleſtis dicitur, quia infatigabiliter pro hominibus terrenis militant, vt poſſint eſſe cæleſtes, ſimulque conciues.* Deſiderant maximè ſancti Angeli alios in ſua ſimiles habere felicitate, & ideo vt pro noſtra ſalute decertent, ſub forma militiæ ſe exhibent. Vnde ait Beda: *Nam ſicut Imperatores optimi prouiſione, cuncta manu militari loca aduersùs hoſtium muniuntur aduentum: ita Deus quoniam immundi ſpiritus ad pacis euerſionem vbique verſantur: ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum, quorum præſentia dæmonum tonfringatur audacia.* Apparent Angeli ſub forma militiæ, quia pro nobis pugnant, & militant. Quintò. Idem Beda hîc, *Ne parua vnius Angeli videretur Authoritas, poſtquam vnus Sacramentum nouæ natiuitatis edocuit, ſtatim multitudo cæleſtium agminum affuit. Bene chorus aduenientium Angelorum militiæ cæleſtis vocabulum accepit.* Cùm teſtimonium à multitudine teſtium habeat maiorem vim: cùm autem vnus Angelus teſtificatam faceret Chriſti naituitatē, *Ne parua vnius Angeli videretur authoritas*; ideo ad dictum fortiùs corroborandum apparet multitudo cæleſtium Angelorum. Moraliter rem explicemus. Attulit Angelus paſtoribus nouam annuntiationem nouæ doctrinæ: *Natus eſt vobis Saluator*; declarauit Angelus laudes noui hominis, qui apparebat in terris, *Qui eſt Chriſtus Dominus*; cùm autem aduersùs nouam doctrinam, aduersùs laudes noui hominis multæ contradictiones eſſent excitandæ, ad quas veluti ſuperandas, vt noſtro dicendi modo loquamur, pluſquam vnus Angelus requiri videbatur, ideo cæleſtis multitudo ſub forma militiæ apparet, tamquam ad pugnam ſe præparantis. Aliam huius quæſtionis rationem vide *lib. 1. cap. 2. q. 15. n. 30.*

Iſai. 6. Cant. 6. Ambroſ. Bonauent. Apoc. 19. Ianſen. Caſſian. *Angeli non nobis decertant.* Beda. Idem. *Grauitas teſtimonij à multitudine teſtium.* *Contra nouã doctrinam, ac nouas laudes contrarietates.*

88. Sextò, Quamuis Angeli ad dandam aduenirent hominibus pacem, non dicuntur chori, ſed exercitus, & militia. Angelis qui ex antiquo illo bello, contra Diabolū, eiuſque miniſtros pro Dei honore ſteterunt, præcipua prouenit nobilitas. Ad feſtiuum igitur Domini natalitium maximè celebrandum in militari ordine ſe diſponunt, quaſi illud, vnde reſultauit meritum, eorum eſſet principale, valdéque pulchrum ſignum, quo in tanta volunt ſolemnitate apparere. Vidit Ioannes diem valde feſtiuum in cælo, Apoc. 19. num. 7. *Et audiui Angelos dicentes: Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido.* In die tam ſolemni eximij gaudij, & nuptiarum, quomodo ſponſa, quæ eſt Eccleſia, exiit ornata byſſino candido? Quare non potiùs purpura, auro, & lapidibus pretioſis? *Byſſinum*, vt ibi dicitur n. 8. *Iuſtificationes, ſeu merita ſunt Sanctorum.* Meritò ergo in die tam celebri iis induitur ſponſa, tamquam amictu omnium præſtantiſſimo, vt notant Primaſius, Anſbertus, & alij commentatores, ex quibus accipe Ribeiram, qui ita ait: *Proditura Eccleſia ad viri ſui amplexus ornat ſe, vt ſolent nuptæ, & amictu pulcherrimo ſe ſe operit, hoc eſt, iuſtificationibus Sanctorum, bonorum meritis membrorum ſuorum.* Et ſimiliter Chriſtus Dominus in die deſponſationis ſuæ ſanguine aſperſa exiuit veſtitus veſte: *ibid. num.* 13. Sanguis ille, vt *ibi* explicat Rupertus, Chriſti eſt pœnalitas, & paſſio, ex quibus infinita illius merita prouenerunt, in tanta ergo celebritate his noſter exornatur Redemptor.

Meritũ præcipua nobilitas. Apoc. 19. Primaſius. Anſbertus. Ribeira. Rupert.

Lucæ 2. n. 14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

VERSIONES.

Syriacus.	Gloria Deo in excelſis, & ſuper terram pax, & voluntas bona hominibus.
Euthymius, Arias.	In terra pax, in hominibus beneplacitum.
Marian. ex Syriaco.	Et in terra bona ſpes, ſeu bonus nuntius hominibus.

EXPO-

EXPOSITIO.

89. DVAS, iuxta noſtram Vulgatam, hîc hymnus angelicus cõtinet partes; tres verò iuxta Græcum, vt ſtatim parebit; & eſſe per modum precatiuum ab Angelis decantatum, tamquam ſi hi optent hæc fieri, exiſtimant Theophylactus & Bonauentura. Communis ſententia contraria eſt, verba eſſe annunciantium, & laudantium Deum. Ita expreſsè ait textus ſuperiori verſu, laudantium, & dicentium: atqui *laudare* non dicit modum optatiuum, ſed de præſenti, aliquem glorificare, ſeu verbis extollere, ob rem iam factam, vel ob id, quod in eo eſt. Deinde, quia Angeli hîc faciunt vnam integram orationem: atqui ſequentia verba, *& in terra pax hominibus* non ſunt dicta per modum optatiui, ſed annuntiantis; ergo etiam hæc priora. Et dicunt, *Gloria*; hoc eſt, prædicatio, ac continua Deo laudatio tribuatur. *In altiſſimis*, vt habet noſtra Vulgata; vel, *In excelſis*, vt legit Syriacus; & vtroque modo graues Patres tenent; idem eſt ſenſus. Per *altiſſimos*, graues Authores, vt Hugo, intelligunt Angelos, vt ſit ſenſus. Gloria eſt Deo in ſuis Angeli, & in terra pax hominibus. Hæc interpretatio non eſt multum germana, nec enim nomine *Altiſſimi* vſitato in Scriptura veniunt Angeli, vera ergo expoſitio eſt, per *altiſſimos*, ſeu *excelſos* accipi cælos, ità D. Irenæus *lib. 3. cap. 2.* D. Ambroſius *ſerm.* 13. Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Domini in monte. c.* 10. D. Gregorius Nazianzenus, D. Carthuſianus, & alij. Et reddit hunc ſenſum præſens oratio. Nato Chriſto in cælo eſt gloria Deo; ſeu ob tantum Sacramentum Angeli in cælo glorificant Dei bonitatem, ſapientiam, veritatem, miſericordiam, ac iuſtitiam, quæ omnia relucent in hoc opere. Vt accommodata ſit diſtributio, ſicut in ſequenti parte Cantici dictio, *In terra*, eſt in primo loco, ita etiam dictio, *In excelſis*, debet eſſe in primo loco in hac, vt notat Auguſtinus citatus, & ita eſt ſenſus, in excelſis gloria Deo, in terra pax hominibus.

Theoph. Bonauent. Hugo. Irenæus. Ambroſ. Auguſt. Nazianz. Carthuſ. *Per altiſſimos cæli intelliguntur.*

90. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ita legunt Patres. Origen. *homil.* 13. *in Lucam.* Chryſoſtomus *homil de natiuitate*. D. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 12. D. Gaudentius Brixien. *ſermon.* 19. *de Villico iniquitatis*, S. Leo *ſermone de natiuitate*, S. Remigius *in Epiſtol. ad Rom. cap.* 5. Sanctus Etherius *lib.* 1. & ita habet noſtra Vulgata; & ex hoc lectio præferenda; nec enim erat in terra, cui pax dari poſſet, niſi hominibus. Nomine *pacis*, Theophylactus, S. Eligius *homil.* 1. *in Natali Domini*, S. Sophronius *oratione in natali*, Chriſtum Dominum intelligunt, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 2. num. 14. *Ipſe eſt pax noſtra*; & idem eſt, ac ſi dicant: In excelſis ſit gloria Deo, & in terra Chriſtus Rex pacis hominibus, Illud verò, *bonæ voluntatis*, ad pacem referunt aliqui; communiter tamen Patres citati, ad homines, ita vt pax non omnibus annuntietur hominibus, ſed illis, qui ſunt rectæ voluntatis.

Origenes. Chryſoſt. Cyr. Hier. Gaudent. D. Leo. Remigius. Etherius. Theoph. Eligius. Sophron. Epheſ. 2.

91. Syriacus, Arias, & multi Patres. D. Methodius *ſermone de Simone & Anna*, D. Baſilius *homilia de humana Chriſti generatione.* D. Epiphanius *hæreſ.* 30. D. Gregorius Nyſſenus *oratione de Chriſti natiuitate*, Theophylactus legunt, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, & in hominibus bona voluntas.* Et quamquam ſuperior lectio ob noſtram Vulgatam magis ſit approbanda; hæc etiam eſt explicanda. Et tres continet partes, ſub quibus, ait Caietanus, omnes Incarnationis comprehenduntur effectus. Ordinatur enim Incarnatio ad Dei gloriam in ſuperioribus, ſecundò ad pacem, & tranquillitatem in terra, hoc eſt, inferioribus. Tertiò ad rectam, ac bonam voluntatem charitate formatam in hominibus. In hac tamen lectione, & explicatione ſemper ingerit difficultatem illud, quòd pax videtur referri ad aliud, quàm ad homines. Sed poteſt reſponderi ex D. Gregorio Nyſſeno, qui ait, *Terra, quæ priùs erat maledicta, pacem recepit: per peccatum terra conſecuta eſt maledictionem, per Incarnationem verò habuit pacem, & benedictionem. Benedixiſti Domine terram tuam, & quia ob Adami peccatum priùs terra maledicta eſt.* Geneſ. 3. n. 17. *Ideo in natiuitate, ac reconciliatione prius ipſa reſpicit pacem.* Euthymius, Arias legunt. *Beneplacitum in hominibus*, quòd ipſe Euthymius explicans ait, nunc completū eſt, quod olim beneplacuit Patri, vt filius incarnaretur, ac ita ſaluaretur homo perditus.

Syriacus. Arias. Method. Baſilius. Epiphan. Nyſſen. Theoph. Caiet. Nyſſen. Geneſ. 3. Euthym. Arias.

QVÆSTIO XXIV.

Quare Angeli decantent gloriam Deo.

92. VBI primum vnus Angelus Dei laudes intonuit, alios etiam ad eas concinendas prouocauit: *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo*, &c. Quod eleganter notat D. Ambroſius ſerm. 7. *In quo facto*, inquit, *moraliter monemur, vt vno fratre legente, vel docente, vel quodlibet opus bonum agente, multitudo fidelium in laudem Dei prorumpat, & ad imitandum bonum, quod cernit, aſſurgat.* Maximè enim aliorum bonum exemplum mouet. In Chriſti paſſione, abſque vllo mœſtitiæ ſigno, ſtabant elementa admirabunda, vt vbi ſol obſcuratus eſt, ſtatim terra, lapides, & ſaxa commota ſunt, *Matth. cap. 27. num.* 45. Quæſtio præſens eſt. Quare Angeli in cælis, nato Chriſto, cantant gloriam Deo?

Ambroſ. *Aliorum exemplum mouet.*

93. Reſpondeo primò, quòd cùm totus hîc hymnus ſit compoſitus in Chriſti laudem, ipſo nato Angeli dant gloriam Deo, ne in eius ortu humilitas paſtoribus occultaret diuinitatem, ideo Angeli dicunt gloriam Deo, vt ita innoteſceret. quòd ille qui humilis apparebat in terris, verus Deus regnabat in cælis. D. Maximus homil. 2. de natiuitate. *Et quàm congruè*, ait, *euangelicus intonat ſermo, cùm dicitur: Gloria in excelſis Deo, & pax in terra hominibus, quòd ipſe idem Dei filius, & apud Angelos glorioſus eſt in excelſis & bonæ voluntatis hominibus pacem præſtat in terris.* Subtiliter Angeli voluerunt hoc cantico diſponere, ac excitare paſtores ad Chriſtum glorificandum, ac adorandum, nam ſi Angeli præſtantiſſimi ſpiritus eum verum eſſe Deum recognoſcunt, ac ita eum in cælis laudant, quanto magis homines, in cuius forma apparet, ipſum debent adorare, ac venerari.

Publicatur Chriſti diuinitas. Maxim.

94. Secundò. D. Sophronius de Natali Domini *Quid illuſtrius*, inquit, *dicere poſſunt, qui natum Deum celebrare, laudibuſque euehere cupiunt, quàm dicere gloriam in Altiſſimis Deo, & in terra pacem hominibus.* Hoc cantico Angeli Chriſtũ natũ laudant, & celebrãt, nulla ſpecioſior laus Chriſto Domino, nec ei poteſt eſſe in maiori æſtimatione,

Sophron. *Chriſtus gloriam patris maximè æſtimabat.*

tione,quàm vt ex eius natiuitate,ac factis tribuatur gloria Deo patri, non quæro gloriam meam, ſed eius,qui miſit me,patris, *Ioann.8.num.50.* Nec poteſt quid gratius decantari Chriſto, quàm vt detur pax hominibus, ipſe enim eſt pax noſtra, & princeps pacis.

Method. Tertiò. D. Methodius *homilia in feſto Purificationis*, inquit, *Gloria in excelſis Deo,& in terra pax,hominibus bona voluntas: triplici mimirum cantici varietate, triplicem ſanctitatis rationem indicantes.* Alludit ſanctus Pater ad viſionem,quia Seraphim,ter Sanctus, clamabant.

D.Thom. Ter Sanctus intonant,vt explicat D.Thomas.Primò ob celſitudinem diuinæ naturæ in tribus perſonis,ſecundò ob earum vnitatem,tertiò ob diffuſionem ſuæ bonitatis, & ideo dicunt, *Plena eſt omnis terra.* Antiquum Seraphinorum canticum hodie ſancti Angeli etiam imitantur, & tria dicunt.Gloriam Deo ob eminentiam illius naturæ; pacem hominibus ob reconciliationem, ac concordiam,quam cum eis fecit:bonam voluntatem, ob gratiam, & ſanctitatem, quam nobis dedit.

96.
Irenæus. Quartò. D. Irenæus lib.3. cap. 2. *Glorificauerunt*, ait, ſcilicet ſancti Angeli, de eis loquitur, *Deum,qui eſt factor ſupercæleſtium,& eorum, quæ ſupra terram ſunt,& qui ſuo plaſmati,id eſt,hominibus ſalutem de cælis miſit.* Ob opus redemptionis factum Angeli laudant Deum,quod eleganter

Bonauent. explicat D. Bonauentura. Quia in hoc opere demonſtratur ſublimis bonitas, ſapientia, potentia, & iuſtitia Dei.

Laudant Angeli Dei attributa.
Galat.1. Gloria in excelſis pro bonitate, quia non deſpexit humani generis infirmitatem. *Dedit ſemetipſum pro noſtris peccatis, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum*,ad Galat.1.n.4.Pro ſapientia, quia inuenit difficillimæ rei ſolutionem decentiſſimam, & de illa à Pharaone laudatur Ioſeph *Geneſ.41.num.38.*

Epheſ.3. Pro potentia, quid potentius, quàm Deum fieri hominem. *Ei autem, qui potens eſt,omnia facere ſuperabundantes,quam petimus,aut intelligimus,ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu*, ad Epheſi.3.num.20. Pro iuſtitia verò, quia ſimile ſimili ſaluauit; de Chriſto ait Apoſtolus. *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo,& iuſtitia,& ſanctificatio,& redemptio*,1.Corinh.1.

1.Cor.1. num.30.

97.
Ambroſ. Quintò.D.Ambroſius ſerm.9. *Digna planè*,inquit,*& iuſta ſententia,quæ in natiuitate Chriſti,& Deo honorem repræſentat in cælis,& hominibus pacem præſentat in terris. Ante Saluatoris enim ortum nec cæleſtia reuerentiam deferebant,nec terrena requiem poſſidebant.* In hoc cantico Gloria in excelſis Deo,datur laus Deo in cælo,& denuntiatur pax hominibus in terra.Illa tamen verba ſancti Patris ſunt expendenda. *Ante Saluatoris ortum, nec cæleſtia reuerentiam deferebant.* Non ne ab initio omnes Spiritus Angeli in laudem Dei reſonant? *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina,*

Iob38. *& iubilarent omnes filij Dei*,Iob c.38.n.7. Tamen tam minis, & ſuperexcellentibus canticis illi diuini Spiritus ob Chriſti natiuitatem laudant

Maximè laudatur Dei bonitas in Chriſti natiuitate. Deum Patrem,vt comparatione huius laudis,quodammodo videatur,quòd antea cæleſtia reuerentiam non deferebant, cùm ab exordio nunquam habuerint requiem in eius operibus decantandis.

98.
Hieron. Sextò.D.Hieronymus in cap. 57. Iſaiæ, *Deus humilibus*,inquit,*dat gratiam,vt eos eleuet,& habitat in excelſis;excelſus enim Dominus, & humilia proſpicit. Et in Euangelio Angeli clamitant, Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax.* Ac ſi dicat. Datur gloria Deo in excelſis, quia cùm in cælis habitet,non diſpexit,ſed reſpexit humiles,vt eis vitam, ac ſalutem daret; nulla enim maior celſitudo, ac eminentia, quàm quòd in gloria de humilium ac miſerabilium remedio peragatur.

Maximè reſplendet quòd in gloria de humilibus agatur.
Iſai.57. Ait Iſaias citato cap.57.num.15. *Hæc dicit excelſus, & ſublimis habitator æternitatis, & ſanctum nomen eius: in excelſo, & in ſancto habitant, cum contrito,& humili ſpiritu,vt viuificet ſpiritum humulium,& viuificet cor contritorum.* Valde mirum eſt,quòd tam multipliciter appellet Propheta Deũ hîc ſublimen,& excelſum;cur eum non vocat inuiſibilem, immortalem, incomprehenſibilem, Omnipotentem? Sed in eo totus eſt vt cùm dicat ſublimen, & excelſum, & hoc non ſemel & iterum,ſed tripliciter.Sermo erat Prophetæ de Deo, prout in gloria ſua intentus eſt, vt humilium, ac contritorum ſpiritum ſubleuet, & dum huiuſmodi cogitatio in excellentia maieſtatis apparet, nil magis ei conuenit, quàm celſitudo, & ſublimitas.

Hugo. Cardinalis Hugo. *Dominus habitat in excelſis,viuificat ſpiritum humilium conſolando in ſpe de indulgentia peccatorum, de reſtauratione perditorum,de recuperatione fidelium.* Talis enim cura, & cogitatio non poteſt eſſe niſi in excelſis.

QVÆSTIO XXV.

Quare cùm Angeli appareant in terra, dicant gloriam in excelſis?

99. ANTEQVAM ad quæſtionem deueniamus, obiter notandum, quòd cùm hæc gloria decantaretur Deo in excelſis à ſanctis Angelis, vt cum communi ſententia dixi in expoſitione;tamen hîc militia cæleſtis ait,*Gloria in excelſis Deo*, & non intonat, Gloria in excelſis ab Angelis,ſeu Angeli in cælo dant gloriam Deo, ſed prætermiſſo Angelorum nomine, gloriam dicunt Deo tantùm.

Animus gratus agnoſcit beneficium, ignorat obſequium. Magnum documentum nobis præbet hæc ſacra militia. Dum enim ait, *Gloria in excelſis Deo*,obligationem, quæ ſanctis Angelis incumbebat ob pręclarum natiuitatis beneficium,declarat, vt Deum ſemper laudarent, & glorificarent: at cùm de Angelis ſui conſortibus nil commemorat,eorum obſequium tacet,& ſupprimit;*animus enim gratus*, vt dicit Tullius de beneficiis, *agnoſcit beneficium, ignorant obſequium.* Vide *lib.1.cap.5.num.169.*

100. Quæſtio præſens eſt, Quare hæc multitudo cæleſtis militiæ dicit,*Gloria in Altiſſimis Deo*,hoc eſt, Angeli in cælo dant gloriam Deo, nam Angeli laudabant Deo in cælis, laudabant etiam in terra,cùm hæc multitudo cæleſtis militiæ in terris apparuerit?

De eo quod videtur tacendum. Reſpondeo primò, quòd militia cæleſtis dicit gloriam, quæ dabatur Deo in Altiſſimis, vt ita magis paſtores prouocarentur, ac excitarentur,ad Chriſtum laudandum,cùm agnoſcerent, quòd ſuper cæleſtia ipſum laudabant. Secundò. Paſtores optimè videbant, & audiebant;gloriam, quæ ab Angelis dabatur ſuper terram;quæ verò decantabantur in cælis,ignorabant, ideo hanc explicant Angeli. Tertiò. Angeli apparentes ſuper terram, ſolùm faciunt mentionem de illa gloria, quæ à ſuis conſortibus deferebatur Deo in cælo, quia ipſi hîc apparentes ſe reputabant indignos ad tantum myſterium celebrandum.

brandum. In tanta ſolemnitate nullus ſermo inuenitur idoneus, vt proſequuntur

Zeno.
Maxim. D. Zeno *ſermon.2.*de hac feſtiuitate, S. Maximus homilia 1. *Si enim*,inquit, *Deus eſt mirabilis in Sanctis ſuis, quanto magis mirabilis in ſe ipſo;ait ſanctus Abacuc Propheta:Domine audiui auditionem tuam,& timui,conſideraui opera tua,& expaui.Quis non & paueſcat, & metuat tanti profunditatem myſterij, quandoquidem vnus idem qui ſine conceptione natus eſt Deus,& ſine creante factus eſt homo.*

101.
Sublime ingenium non in ſe, ſed in alijs videt merita. Quartò. Angeli laudabant Deum in altiſſimis, cæleſtis verò multitudo laudabat in terris, & tamen hæc tantùm commemorat gloriam,& laudem, quam Angeli deferebant in cælo, non verò quæ ab illa decantabatur ſuper terram; ſublime, & excelſum ingenium, vt in aliis, & non in ſe videat merita, & obſequia vt ea publicet, & manifeſtet. Cùm deuaſtatis Madianitis Gedeon triumphator veniret, occurrunt ei filij Ephaim, conquerentes eo quòd non fuerint vocati ab eo

Iudic.8. ad prælium.Quibus ipſe dixit:*Quid enim tale facere potui,quale vos feciſtis? Nonne melior eſt racemus Ephraim vindimijs?*Iudic.8.n.2. In quibus verbis maximè ponderandũ, quòd facta Ephraim vocat racemum, ſuam verò victoriam vindemiam,quæ cum illo racemo nullam habeat comparationem; & dixit vindemiam *Eliezer*, ex hac enim familia erant milites, qui cum eo perrexerunt ad bellum, quæ etiam familia dicebatur domus *Abiezer,Iudic.6.num.34.* Sed quomodo tantus dux victoriam à ſe partam tribuit ſuis militibus, ſeu domui Eliezer? Nonne ei dictum eſt à

Iudic.6. Domino,*In fortitudine tua liberabis Iſraël de manu Madian?*Iudic.6.num.14. Nónne Gedeon di-

Iudic.7. xit ſuis militibus, *Quod me facere videritis, hoc facite*,Iudic.7.n.18.ad eius enim exemplum milites proceſſerunt in bellum,imò aduerſarij cùm ſe deuaſtatos viderent,dixerunt,*Gladius Domini, & Gedeonis eſt*, ibidem num.21. Quomodo ergo victoriam à ſe partam non ſibi, ſed ſuis militibus tribuit?Bonus dux, non videbat in ſe, ſed in aliis ſua facinora, vt ea decantaret, ac publicaret.

Lyran. Lyranus. *Madianitarum multitudo occiſa eſt ab exercitu, qui erat cum Gedeone, quem vocat Eliezer, cuius domum vocauerant ad prælium:vt ſic ex humilitate etiam non adſcribat ſibi victoriam tantæ multitudinis,ſed alteri.* Cùm mei parentes Eliàs, & Eliſæus pergerent iuxta ripam Iordanis, Elias per turbinem aſcendit in cælum,quod videns Eliſæus tulit pallium Eliæ, & percuſſit aquas, quæ

4.Reg.2. non ſunt diuiſæ,& ait,*Vbi eſt Deus Eliæ?*4.Reg.2. n.14. Eliſæus iam ditatus erat duplici Eliæ ſpiritu, ſiquidem vidit eum cùm ſublatus eſſet in cælum,ipſe patrem,& omnia reliquit, & ſecutus eſt Eliam; cur ergo non dicit, Vbi es Deus meus? ſed tantùm Deum Eliæ vocat. Sanctus Propheta non in ſe, ſed in Elia conſiderabat merita, & ideo dicebat Deum Eliæ,vt ob ipſius meritum eo fieret propitius.

Carthuſ. Carthuſianus. *Quaſi dicat, non meis meritis, ſed pietate, & gratia Dei, meritiſque Eliæ precor hanc Iordanis impetrare diuiſionem.*

* * *

QVÆSTIO XXVI.

Quare in Chriſti natiuitate decantetur pax, & non iuſtitia, vel miſericordia, ſeu redemptio generis humani?

102. SECVNDA pars Cantici ita habet, *Et in terra pax hominibus*; valde mirum cùm in Chriſti natiuitate tam magnifica dona communicarentur naturæ humanæ, vt miſericordia Dei, reconciliatio generis humani, gratia & ſanctitas;tamen Angeli ſolum pacem diuulgant, ac decantant.

Chriſtus dicitur pax. Reſpondent primò Sancti Patres citati in expoſitione quòd nomine *Pacis*, intelligitur Chriſtus Dominus.

Epheſ.2.
Mich 5.
Pſalm.147. Ad Epheſios 2. num. 14. *Ipſe enim eſt pax noſtra.*Michææ 5.num.5.*Et erit iſte pax.* Pſalm.147. num.14. *Poſuit fines tuos pacem.* Et tunc eſt ſenſus, *Et in terra pax hominibus*, hoc eſt, iam Chriſtus natus eſt hominibus; nil felicius,nil auguſtius dici potuit.

103.
Gregor. Secundò D. Gregorius Nazianzenus Apologia 1.ante medium, *Angeli*, inquit, *primùm cæleſtem,deinde terrenam laudibus celebrarunt.* Dum dicunt Angeli,*Gloria in excelſis Deo*, Deum glorificant; dum verò intonant, *Pax in terra*, Chriſtum magnificant, tum quia ipſe eſt pax noſtra, tum quia ipſe aſportabat pacem, & nulla maior laus de principe, ac Rege, quàm quòd ſuis det pacem,& eos in pace gubernet.

1.Reg.11.
Gubernatiò in pace laus Regis. 1. Reg.11.num.7. *Quæſiuit Dauid quàm rectè ageret Ioab, & populus,& quomodo adminiſtraretur bellum.* Hebraici, *Rogauit de pace Ioab,& de pace populi, & de pace belli.*Cognita pace populi,explorata erat recta adminiſtratio. Vel ex eo maximè Angeli celebrant pacem in aduentu Chriſti Domini, qui cùm adueniret magna poteſtate,*Omnia dedit ei Pater in manus*, non bellum, ſed pacem ferebat.

Si poteſtàtem habes, & das pacem, magna laus.
Pſalm.106. *Qui deſcendunt mare in nauibus,facientes operationem in aquis multis.Ipſi viderunt opera Dei,& mirabilia eius in profundo*, Pſalm.106. num.23. Quem locum de Patribus congregatis in capitulo explicat

Bernard.
Lorin. D.Bernardus *ſerm. de tribus ordinibus Eccleſiæ*, & refert Lorinus *hîc*. Patres qui tenentes Religionis gubernacula, veniunt in multis contradictionibus, & faciunt operationem Dei, nempe pacem, ipſi aſſequuntur, & intelligunt mirabilia

Iſidor. Dei. Huc tendit D.Iſidorus Peluſiota lib.1. Epiſtol.183.*Qui hoc*, inquit, *mundi mare tranquillum reddiderunt,in aquis multis operationem feciſſe dicti ſunt.*

104.
Bernard. Tertiò. In Chriſti ortu, non ab Angelis iuſtitia, vel miſericordia, ſed tantùm pax decantatur. D. Bernardus ſerm. 1. de Annuntiatione. *Venturum Regem*,inquit,*miſericordia, & veritas praeuenerunt,ſicut ſcriptum eſt: Miſericordia,& veritas præcedent faciem tuam,iuſtitia thronum præparat, ſecundùm illud:Iuſtitia,& iudicium præparatio ſedis tuæ.Pax cum Rege venit,vt Propheta fidelis inueniatur qui dixerat:Pax erit in terra noſtra cùm venerit.*Pax laudibus extollitur,tum propter veritatem Prophetæ: tum quia licèt aliæ virtutes, vt

Pax iuncta cum Deo.
Pſalm.118. miſericordia,iuſtitia, & veritas in terra tamquam à Deo miſſæ dari poſſint;pax tamen ab eo ſeparari non pòtuit, ſed cum eo coniuncta venit. *Pax multa diligentibus legem tuã,& non eſt illis ſcandalum.*

lum. Expectabam ſalutare tuum, Domine, Pſalm.
118.n.165. Cùm aduentum pacis celebret,ſtatim
mente,ac deſiderio fertur in ſalutare Dei,hoc eſt,
Hilar. in Chriſtum Ieſum, abſque enim eius halitu nec
pax eſſe,nec conſeruari poteſt.D.Hilarius ibi.*Sa-
lutaris Ieſus eſt. Hæc enuntiatio ex Hebræo nomi-
ne.Hoc ad Ioſeph Angelus eſt locutus: hoc Simeon
exinde in pace remittendus agnouit.hoc reddita no-
bis per eum ſalus edocet.*
105. Quartò. Nato Chriſto in hac cantilena non
redemptio,ſeu ſalutatio generis humani publica-
tur,ſed tantùm pax. D.Bernardus ſerm. de S.Be-
Bernard. nedicto.*Filius* , ait , *à Patre proceſſit* , *& venit in*
Filius corre- *mundum, & qui prius erat cogitatio pacis in corde*
ſpondet patri. *Patris,fieret & ipſe pax noſtra in vtero matris*.To-
ta diuini parentis interna cogitatio in hoc erat
defixa , vt mundum pacificaret. Chriſtus Domi-
nus,vt ab eo procedens,ac vt eius naturalis filius
pecem oſtentauit,vt ex opere externo menti æter-
ni Parentis correſpondente , filius naturalis pro-
baretur.Vide *lib.1.c.4.n.7.* Quintò.Nomine *pacis*
intelligitur reconciliatio inter Deum , & genus
Cyrillus. humanum.D.Cyrillus in Catena,*Hæc autem pax*,
inquit, *per Chriſtum facta eſt. Reconciliauit enim
nos Deo, & Patri, culpam hoſtilem de medio aufe-
rens,& duos populos in vnum hominem pacificauit.*
106. Sextò,& mihi probabilius,nomine *pacis* intel-
Pax ſignifi- ligitur omne bonum, ac proinde *pax hominibus*,
cat omne bo- hoc eſt,omnis felicitas,omne bonum hominibus;
num. frequenter hæc omnia nomine *pacis* in Scriptura
Pſalm.124. intelliguntur.Pſalm.124.num.5.*Pax ſuper Iſraël.*
Geneſ.38. Gloſſa,*Omnia bona ſuper Iſraël.*Gene.38.num.14.
*Vade , & viſita,ſi cuncta proſpera ſint erga fratres
tuos.*Hebraica,& Chaldaica lectio.*Vide pacem fra-*
Geneſ 41. *trum tuorum.*Geneſ.41.num.16. *Abſque me Deus
proſpera reſpondebit Pharaoni.*Hebraici, *Reſponde-*
1.Reg.25. *bit pacem.*1.Reg.cap.25.num.6.*Sit fratribus meis,
& tibi pax.*Septuag.*Tu ſaluus,& domus tua ſalua,*
Tertull. *& omnia tua ſalua,* Vnde aduertit Tertull *lib.5.
contra Marcion.c.5.* quòd ſalutatio apud Iudæos
erat *Scalon Lachem*,ideſt,pax vobis; iuxta tamen
radicem Hebraicam , omnia proſpera , & fauſta
ſint vobis,pax enim ſeminarium omnium bono-
Iacob. 3. rum eſt.*Fructus iuſtitiæ in pace ſeminatur facienti-*
A pace omne *bus bonum*,Iacob.cap.3.num.18.A pace omnia bo-
bonum venit. na veniunt , ſicut omnes functiones hominis ab
anima, ſeu ſpiritu. D. Auguſtinus ſerm.2. ad fra-
Auguſt. tres in eremo:*Spiritus enim humanus*,inquit, *ſicut
nunquam viuificabit membra,niſi fuerint vnita,ſic
Spiritus ſanctus nunquam nos viuificabit , niſi in
pace vniti fuerimus.*

QVÆSTIO XXVII.

Quare hîc decantatur pax , in die verò Aſcenſionis victoria?

107. IN hac ſolemni die valde feſtiuè Angeli
modulantur pacem , poſtea verò in die Aſ-
cenſionis victoriam acclamant,Pſalm.23.num.8.
Pſalm.23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis,& potens,
Dominus potens, in prælio, Dominus virtutum ipſe
eſt Rex gloriæ.*Sunt enim acclamationes in trium-
Remig. pho Chriſti Domini,vt notat Remigius Antiſio-
dorenſis *in commentario Pſalm.* Cur ergo primò
decantatur pax,& poſtea victoria, cùm pax illius
effectus fuerit , ac proinde ſecundus ei debebat
contingere locus? Reſpondeo,Dæmonem debel-
lare,ac ſubiicere,extitit quid peculiare valde glo- *Quæ ad vti-*
rioſum Chriſto Domino ; Pax verò & reconci- *litatem ho-*
liatio in omnium noſtrum facta eſt vtilitatem,& *minis ſunt,*
ideo hæc primò decantatur,quæ enim noſtri ſunt *priora vult*
commodi,eximius Chriſti amor,priora eſſe, ma- *Chriſtus.*
ximè affectat. Ait Ioannes Apocalypſ.5. num.11.
Et vidi,& audiui vocem Angelorum multorum in Apoc.5.
*circuitu throni,& animalium , & ſeniorum: dicen-
tium, Dignus eſt Agnus,qui occiſus eſt,accipere vir-
tutem , & diuinitatem.* Loquitur Euangeliſta de
Chriſto Domino prout homo eſt,vt rectè notat
Andreas Cæſareæ Epiſcopus. Quo ſenſu dicitur Andreas.
Chriſtus à Paulo Rom.1.n.2.*Prædeſtinatus Filius*
Dei. Et quamquam Chriſtus formaliter , ac in- Rom.1.
trinſecè includat diuinitatem; tamen dicitur eam
accipere metaphoricè , vt bene explicat Ribeira Ribeira.
in c.4.Apocal.n.52. & Alcacer *hîc*, prout eam ex- Alcacer.
terius oſtentat,ac manifeſtat,vt ita glorificetur ab
omnibus ; & dicunt, *Accipere virtutem*, hoc eſt,
vt explicat Hugo,*Contra noſtrum vitium,& debi-* Hugo.
litatem. Vt nos ab omni peccato redimeret , &
mundaret:ſed quomodo ſancti Angeli , ac ſenio-
res decantant , ac laudibus extollunt in Chriſto
Domino prius virtutem contra noſtrum pecca-
tum , quàm diuinitatem illius. nam in illa ſan- *Noſtra ſalus*
ctiſſima humanitate priùs vnio hypoſtatica con- *gratiſſima*
ſideranda eſt , à qua omni eius excellentia reſul- *Chriſto.*
tauit, diuinitas eſt quid valde glorioſum, ac ma-
gnificentiſſimum Chriſto Domino, hoc eſt, eius
humanitati ; virtus verò ad deſtruendum pecca-
tum , & ideo hæc primò celebratur , tamquam
quid valde gratum,& iucundum Chriſto Domi-
no.Vnde eleganter dixit Imperfectus homil. 53.
in Matthæum,*Vis ſcire quantum diligat Ieſus fide-* Imperfect.
*les ſuos;conſidera , quid paſſus eſt pro eis. Si enim
magis quàm gloriam ſuam illos amauit, quaſi homo
moriens propter nos;quid mirum,ſi maiore dilectio-
ne tenebatur Sanctorum,quos relinquebat in terris,
quàm dilectione gloriæ, habebat in cælis.*

QVÆSTIO XXVIII.

Quare detur pax hominibus bonæ voluntatis?

QVAMQVAM aliqui Authores ita expli- 108.
cent , vt bonam voluntatem cum pace co-
pulent;quaſi ipſa pax, non ex hominum meritis,
ſed ex Dei beneplacito,ac bona voluntate ſit pro-
fecta.Secundùm tamen communem Patrum ſen-
tentiam cum hominibus coniungitur. Quare er-
go dicuntur homines bonæ voluntatis. Reſpon-
deo primò. Vt denotentur homines in charitate,
& merito perfecti. Voluntas enim totius meriti
principium, & radix eſt.D. Ambroſius ſerm.3.de
natiuit. *Pax*, ait, *non in quibuſcunque hominibus,* Ambroſ.
*ſed bonæ voluntatis hominibus:vt intelligas pacem
Chriſti non debiti eſſe, ſed meriti; non enim eã me-
retur cõditio, ſed voluntas.*Et D. Auguſtin. lib.50. Auguſt.
hom.8. *Audi*,ait,*clamantes Angelos:In terra pax
hominibus bonæ voluntatis. An fortè non bene dixi-* *Bona volun-*
mus viliorẽ bonam voluntatem? Imò ipſa eſt omnibus *tas magnum*
charior,& totum habet,qui bonam voluntatem ha- *obſequium*
*bet.*Secũdò Decantatur ab Angelis in hominibus *Deo.*
bona voluntas , quia hanc pro magno obſequio
Deus habet. D.Cæſarius Arelaten.hom.19.*Quis* Cæſar.
poteſt

*poteſt omnibus hominibus bene facere? Poteſt tamen
omnibus hominibus bene velle. Poteſt dicere aliquis:
Facultatem non habeo; nunquid dicere poteſt , Bo-
nam voluntatem habere non poſſum?* Tanquam ſi
reſpondeat,minimè ; ergo hanc,quæ ab omnibus
dari poteſt,exquirit Deus.
109. Tertiò.Angeli in hominibus decantant bonam
voluntatem , in bona autem voluntate Angelo-
rum,extitit eorum meritum, qua in obſequio Dei
Quilibet pro- perſeuerarunt. Et vnuſquiſque ad illam , in qua
pendet in profecit virtutem maximè afficitur.Quartò.Deus
virtutem in præmium ac ſuam protectionem , & coronas no-
qua profecit. bis confert,ex beneplacito,ac bona voluntate ſua,
Pſalm.5. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*, Pſ.5.n.13.
Bonam voluntatem in nobis remanerat,ac donis
afficit,vt meritum proportionetur præmio.

CAP. II.

Paſtores Chriſtum natum adorant.

Lucæ 2.n.15. Et factum eſt,vt diſceſſerunt
ab eis Angeli in cælum,
paſtores loquebantur ad
inuicem:Tranſeamus vſ-
que Bethleem, & videa-
mus hoc Verbum , quod
factum eſt , quod Domi-
nus oſtendit nobis.

VERSIONES.

Syriacus. Vt locuti ſunt paſtores vnus
ad alium,dixerintque:Pro-
ficiſcamur vſque in Beth-
leem , & videamus ſermo-
nem iſtum , qui factus eſt,
prout Deus patefecit nobis.
Vatablus, Homines illi paſtores allo-
Pagninus. quebantur ſe inuicem? Per-
gamus iam Bethleem vſ-
que,& videamus hanc rem,
quæ accidit , quam Domi-
nus indicauit nobis.
Arias. Et videamus hoc Verbum fa-
ctum , quòd Dominus
oſtendit.
Beda,Hugo. Videamus hoc Verbum,quod
Dominus fecit,& oſtendit.
D.Ambroſ. Quod factum eſt,ſicut Domi-
nus oſtendit nobis.

EXPOSITIO.

1. POST ea , quæ facta ſunt in ſupe-
rioris capitis fine, excitatiſque pa-
ſtoribus , ad cælum rurſus Angeli
redeunt , vt notat D. Auguſtinus
Auguſt. *lib.3.de mirabilibus ſacræ Scripturæ
cap. 3.* Paſtores ſine mora celeres , in occaſione
cautos,in charitate feruidos , erga Deum gratos,
& verè obedientes ſe habuerunt. Celeres ſine
mora,vt indicat illa particula, *vt diſceſſerunt An-
geli*;& infrà dicitur , *Venerunt feſtinantes.* Cautè
in occaſione: *Loquebãtur ad inuicem: Tranſeamus.*
Oratio Angeli non fuit otioſa , ſed eos ſtatim ad
videndum Chriſtum impulit : ſanctæ inſpiratio-
ni citò obediendum ; nec data copia Chriſtum
videndi, eſt immorandum, ne ſancta deſideria re-
frigeſcant præſepe. Per milliare diſtabat à lo-
co , in quo iſta viderunt paſtores , vt notat Car- Carthuſ.
thuſianus , & ductu Angeli ad illud venere. Fer-
uidi in charitate , non impediuntur à grege , nec
de eo cogitant , ſed omnia relinquunt , vt ad
Chriſtum accedant. Grati erga Deum , dum
ipſum venerari ac de tanti myſterij cognitio-
ne beneficium collatum non contemnere , vo-
lunt. Tandem Angelo obedientes non reſpon-
dent , ſe ſe adhortantes viam capiunt. *Videamus
hoc Verbum.* De Verbo Incarnato eſſe ſermo-
nem, tenent Diuus Ambroſius , Beda , D. Bona- Ambroſ.
uentura *hîc*, Diuus Bernardus *ſermone 22. in can-* Beda.
tica, Diuus Hieronymus *in Epitaph.Paulæ.* Ac ſi Bonauent.
dicerent : *Videamus Verbum caro factum.* Verior Bernard.
eſt expoſitio Euthymij , Vatabli , Carthuſiani, Hieron.
quòd Verbum idem eſt hîc , ac res , ſeu opus fa- Euthym.
ctum. Ita communiter Expoſitores, & eſt He- Vatablus.
braiſmus valde frequens , 1. *Reg.3. n.11.2.Reg.1.* Carthuſ.
num.4.3.Reg.3.num.11.

QVÆSTIO I.

Quare Paſtores ſe excitent ad tranſitum in Bethleem?

CVR Angelus non præcepit paſtoribus , vt 2.
irent in Bethleem , ſed ipſi ſe mutuò pro-
uocant ? Reſpondetur primò. Quia quos Deus
illuminat , in manu relinquit conſilij ſui , vt pro
ſuo operentur arbitrio. Secundò. Quia tanti my-
ſterij deuotione moti , vt puerum viſitent , inter
ſe deliberant , non quia dubitent , ſed vt fidem
operibus teſtentur. Tertiò. Diuus Bernardus ſer-
mone 22.in Cantica. *Ante* , ait , *non ſe mouebant* Bernard.
*homines,dum Verbum erat tantùm apud Deum. At
vbi Verbum,quod erat,factum eſt,vbi hoc Dominus
fecit,& oſtendit , tunc venerunt feſtinantes , tunc
cucurrerunt.* Dum antea in ſinu Patris erat Ver-
bum , homines immobiles erant ; ad illud verò
euolant , vbi factum eſt homo , tum ratione my-
ſterij, tum quia ex facto , & opere Dei filius ma- *Ex facto, &*
ximè commendatur. Quartò. Euſebius Gallicanus *opere cõmen-*
homil.in Aurora. *Factum tamen*,inquit, *quodam-* *datur Dei*
modo eſt; quia Verbum caro factum eſt , quod Do- *filius.*
minus oſtendit nobis,videamus corporaliter,& quod Gallicanus.
*mente concepimus,& fide tenemus, reſtat,vt oculis
intueamur.* Adeò ſunt certa , quæ fide creduntur,
vt nihil aliud reſtet, quàm vt oculis in beatitudi-
ne videantur. *Audi filia,& vide* , Pſalm.44.n.12. Pſalm.44.
Si audis per fidem , ſtatim dicetur tibi , vide per
intellectum. D.Bernardus ſer.41.in Cantica.*Audi* Bernard.
filia , & videre deſidera ; ſed audi prius , gradus *Auditus gra-*
eſt auditus ad viſum. *dus ad fidem.*
Sed quare Paſtores vident Verbum caro fa- 3.
ctum, & vt ad hanc euolaret cognitionem Euan-
geliſta Ioannes , primò ad Apoſtolicæ dignitatis
apicem euectus, deinde in ſinu Chriſti recumbẽs,

Hieron. ac multis aliis fauoribus eſt diſpoſitus? D.Hieronym.in Epitaphio Paulæ. *Paſtores nocte venientes. vt viderent Verbum, quod factum erat; iam tunc Euangeliſtæ Ioannis principiũ didicerunt: In principio erat Verbum, & Verbũ caro factum eſt.* Quod longo tempore inſignitus tot gratiis, ac priuilegiis Ioannes aſſecutus eſt, hoc ſimplices homines vigilantes, deditique obligationi ſuæ impetrare valuerunt. Vide ſuprà *cap.1.num.36.*

Occupatus in ſuo officio multa impetrat.

Lucæ 2.n.16. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.

VERSIO.

Vatablus. Et venerunt feſtinatò, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph vnà cum Infante iacente in præſepio.

EXPOSITIO.

4. TRIA his indicat verbis, multaque alia innuit Euangeliſta. Indicat diligentiam paſtorum; id, quod ab eis eſt inuentum, & veritatem in verbis Angelicis. Diligentiam, *Venerunt feſtinantes*; ſine mora, amoréque magno; neſcit enim amor tarda molimina. *Et feſtinantia exterior*, vt ait D.Bonauentura, *Signum erat promptitudinis interioris, qua diuino conſpectui volebant præſentari.* Secundum de eo, quod inuentum eſt: *Inuenerunt Mariam, Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.* Ideo Inuenerunt, quia ſolicitè, & abſq; fictione quæſierunt, Sap.1.n.1. *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum.* Et nota, quòd, licèt Chriſtum paſtores adorauerint, hoc tamen non exprimit Euangeliſta, ſed viuam tantùm illorum fidem demonſtrat; *& cognouerunt de Verbo*; eorúmque deſcribit prædicationem, *& omnes, qui audierunt, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à paſtoribus.* Nullo alio melius, quàm fide, & opere adoratio, ac reuerentia explicatur. Per *præſepe*, in quo Chriſtus inuenitur, D.Gregorius *lib. moral.cap.2.* ſacram intelligit Scripturam, in qua Chriſtus à quærentibus reperitur, quia verbi pabulo animalia tua habitabunt in ea. Veritatem in verbis angelicis indicat: *Inuenerunt infantem poſitum in præſepio.* Et quamuis Euangeliſta hîc illud prætermiſerit, *Pannis inuolutum*, quod Angelus expreſſerat; apertè colligitur ex his, quæ ſuprà dixerat: *Pannis inuoluit, reclinauit in præſepio.* Ob breuitatem non ſunt repetenda manifeſta.

Bonauent. Sapient.1. *Adoratio opere demonſtratur.* Gregor.

5. D. Bonauentura hic tria alia ponderat. Nota, ait, quòd volenti ſpiritualiter Chriſtum inuenire, tria hîc ſunt neceſſaria. Primò, Colloquium per meditationem Scripturarum, quod paſtores cum Angelis habuerunt. Eccleſ.9. num.22. *Cum ſapientibus, & prudentibus tracta.* Secundò. Tranſire per contemplationem creaturarum, vt paſtores tranſierunt ad Bethleem. Cantic. 3. num.4. *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Tertiò. Feſtinare per gratiarum actionem, vt iſti vigilantes acceſſerunt ad præſæpe. Multæ hîc occurrebant quæſtiones. Prima. Cur Paſtores ſolùm adorant, Magi verò procidentes adorauerunt? Secunda. Cur Euangeliſta hîc taceat paſtorum munera, cùm Regum exprimat? Tertia. Cur Paſtores primò Mariam, deinde infantem inuenerunt? Magi verò è contra. Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria? de quibus omnibus *cap.4. verſ. Intrantes domum.*

Bonauent. Eccleſ.9. Cantic.3.

QVÆSTIO II.

Quare Paſtores inuenerint primò Mariam, Ioſeph; deinde Infantem?

6. PRo ſigno nati Regis dedit Angelus: *Inuenietis infantem*; ipſi verò, vbi accedunt, inuenerunt Mariam, Ioſeph, & infantem. Quare illi primi, hic verò poſterior? Reſpondet primò Cardinalis Hugo. *Maria pœnitentia; Ioſeph augmentum, & profectus virtutum. Cum his, & per hæc inuenitur Ieſus infans in præſepio: Deus in carne, quem inuenire, eſt, vitam inuenire.* Secundò. Beda homil.2. de natiuitate. *Venerunt paſtores*, ait, *& inuenerunt Deum hominem natum ſimul; & eiuſdẽ natiuitatis miniſtros.* Hi miniſtri licèt inueniantur primi, cum Chriſto tamen inueniuntur. Tertiò. Haymon hîc: *Per Mariam, & Ioſeph*, ait, *miniſtri, ſcilicet doctores fidei notantur.* Per doctores Eccleſiæ Chriſtus inuenitur. Quartò. D.Bonauentura, *Per hoc inſtruimur*, ait, *ſi volumus Chriſtum inuenire, priùs ad Mariam debemus accedere.* Et ideo D.Ignatius, & Carthuſianus appellant eam Chriſtiferam, quia ipſa nobis fert Chriſtum. Quintò. Idem D.Bonauent. *Inuenerunt eum*, ait, *cum Maria Virgine, & Ioſeph viro iuſto, quia eum, qui vult Chriſtum inuenire, oportet habere munditiam cordis reſpectu ſui, & iuſtitiam reſpectu proximi.* Similiter Diuus Bernardus *ſermone 4. de natiuitate.* Ac ſi dicant, quòd per Mariam puritas ſignificatur, iuſtitia per Ioſeph, & cum his Chriſtus inuenitur.

Hugo. Beda. Haymon. Bonauent. Ignatius. Carthuſ. Bonauent. Bernard.

7. Omnes hæ rationes optimæ, & morales. Ratio literalis; quia cùm puer eſſet in præſepio reclinatus; ad Virginem, & Ioſeph oculi paſtorum intenderunt. Deinde; quia etſi Chriſtus Dominus in omni ſit excellentia, & dignitate primus, *ad Roman.8. n.29.* hîc tamen in infimo, vltimoque loco eſſe elegit, inter bruta animantia ob ſuam humilitatem eximiam in præſepio reclinatus; quapropter ſe vltimatè eorum diſpoſuit conſpectui dare, vt qualis erat in loco, talis eorum oculis repræſentaretur. Iſaias ait c.53.n.3. *Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum.* Sed quomodo à Propheta poſtremus, & tam denigrata inſpicitur forma, cùm de ipſo dicatur: *Specie tua, & pulchritudine tua intende poſperè?* Pſalm.44.num.5. D.Hieronymus ad locum Iſaiæ. *Quomodo deſpectus, & nouiſſimus virorum, cùm in Pſalmis dicatur: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè, pulchritudine, & decore tuo? Quod facile ſoluitur. Deſpectus erat, & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum. Inclytus autem erat, & decorus aſpectu, quando ad paſſionem eius terra contremuit, ſaxa dirupta ſunt*; de quo ſponſa ait *in Cantic.5.num.1.* Fratruelis meus candidus, & rubicundus. *Candidus plenitudine, ac puritate virtutum; rubicundus in paſſione.* Dominus meus Ieſus accommodat ſe ſtatui, pro illiuſque diuerſitate vult repræſentari; in paſſione nouiſſimus, & ſine aſpectu; in poteſtate primus decore, & fortitudine.

Iſai.53. Pſalm.44. Hieron.

Accommodandum ſtatui.

Lucæ 2.n 17. Videntes cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

VERSIONES.

Syriacus. Quumque vidiſſent, notum fecerunt ſermonem, qui dictus eis fuerat ſuper illo puerulo.

Vatablus. Porrò cùm vidiſſent, famam diuulgauerunt de re, quæ dicta fuerat ipſis.

Theophyl. Cùm vidiſſent, diuulgauerunt de verbo.

Pagninus Cùm vidiſſent, notificauerunt de verbo.

Arias. Videntes autem cognouerunt de verbo dicto.

EXPOSITIO.

8. VERBVM Græcum διεγνώρισαν, vbi hîc, *cognouerunt*, ambiguum eſt; aliquando enim *cognoſcere*, aliquando *diuulgare* ſignificat; & ideo varia eſt huius loci lectio. Syriacus, Vatablus, Theophylactus legunt: *diuulgarunt, notum fecerunt*, ſcilicet videntes paſtores Chriſtum natum, ſeu, vt explicat Euthymius, certiores viſu facti manifeſtauerunt, quæ eis dicta ab Angelis erant; & ideo ſequitur ſtatim: *Omnes qui audierunt, mirati ſunt.* A noſtra tamen vulgata lectione recedendum non eſt, quæ habet, *Cognouerunt de verbo.* Et ſenſus eſt multo præſtantior: Paſtores inuenerunt infantem, & cognouerunt de verbo, id eſt, de re dicta ab illis; & deinde ſequitur: *Omnes, qui audierunt, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à paſtoribus.* Vnde contrarium argumentum facile eſt retorquendum. Ad quid Euangeliſta ſimul diceret: Paſtores diuulgauerunt, & dicta ſunt à paſtoribus.

Syriacus. Vatablus. Theoph. Euthym.

QVÆSTIO III.

Quomodo dicatur, quòd videntes cognouerunt de Verbo, cùm hæc cognitio fuerit tantùm per fidem?

9. ANGELVS infantem natum, qui & Saluator mundi, & Chriſtus erat, paſtoribus nuntiauit, licèt paſtores puerum natum in præſepio poſitum vidiſſent, ipſum tamen mundi Saluatorem eſſe per fidem infuſam agnouerunt. Quomodo ergo dicitur, quòd videntes cognouerunt, cùm fides ſit de re, quæ non videtur? Reſpondet primò D. Carthuſianus. *Corporalibus oculis*, ait, *corpus Chriſti videntes, interioribus oculis eius diuinitatem nouerunt.* Secundò. Toletus *annotat.26.* ait, paſtores crediſſe dictis Angeli loquentis, infantem natum eſſe Chriſtum, & Saluatorem; tamen vbi primum ipſum viderunt, eorum fides fuit roborata, & confirmata; & fides roborata in Scriptura dicitur *cognitio*, & ſcientia Ioann.4. num.41. *Iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt Saluator.*

Carthuſ. Tolet. Ioan.4.

10. Tertiò. Vera ſententia mihi videtur Simonis Caſſiani *lib.1.cap.3.* Quæ in re eſt eadem cum ſuperioribus, rem tamen magis explicat. Quòd vbi primum paſtores audierunt dicta Angeli, ſtatim crediderunt, infantem illum natum eſſe Meſſiam, & Saluatorem; aliter cum tanta feſtinatione non aduenirent. Nunc verò ſignum videntes ab Angelo datum; puerum ſcilicet in præſepio poſitum in eo, vt ait Caſſianus, aliquid ſupernaturale, & diuinum ipſiſmet oculis cognouerunt. Caro Chriſti diuinum exhalabat odorem. Et ita intelligendus eſt D. Ambroſius hîc. *Cùm caro Domini videtur, Verbum videtur, quod eſt filius.* Et clariùs Hugo ex Beda. *Per cognitionem humanitatis venerunt in cognitionem Deitatis.* Ac proinde humanitas illa, veluti latentis quidem Deitatis index erat. Et deinde ſequitur, *Cognouerunt de Verbo*, id eſt, per altiorem nouerunt fidem rem ſibi dictam, ſeu id, quod antea valde confusè crediderant, nunc per expreſſiorem perceperunt fidem. Et ita primò edocti ab Angelo fuere, poſtea verò, viſo puero, maioribus imbuti myſteriis; Deus enim in fide paulatim ſuos inſtruit. Quare Moyſes Geneſeos initio Angelorum creationem prætermittit, cùm de illis poſtea paſſim facturus ſit mentionem, verbi gratia, quòd Angelus apparuit Abrahamo? Nónne videbat ipſe, quòd poſſet à Iudæis interrogari, qui ſunt iſti, de quibus agis? Meritò tamen eorum creationem ſubticuit, ſuos enim inſtruebat in fide, & ideo paulatim à minoribus ad maiora progreſſus eſt. Procopius in Geneſim. *Cæterùm*, ait, *quare harum rerum ſpiritualium mentionem intermiſerit? Ego dicam. Cum Iudæis balbutientibus balbutiebat, illa ſola memorans, quæ non ſupra captum ipſorum eſſe iudicabat; haud ignorans, vbi hæc didiciſſent, affuturos alios doctores, qui ad altiora myſteria ipſos eſſent deducturi; arbitrabatur, Iudæos hiſce elementis, ſeu gradibus vſos tandem audire poſſe doctrinam abſtruſiorem myſteriorum.*

Caſſian. Ambroſ. Hugo. Beda. *In rebus magnis auditores paulatim inſtruendi.* Procop.

Lucæ 2.n.18. Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.

VERSIO.

Arias. Et omnes audientes.

EXPOSITIO.

11. EXPLICAT Euangeliſta primò: Qualiter Deus per cauſas ſecundas res diſponat. Angeli docuerunt paſtores; paſtores aliis annuntiant myſterium. Inuentam margaritam tam pretioſam non abſconderunt, ſed aliis communicauerunt, ac per multos diuulgauere. Sal.lib.3.tract.35. *Perpende*, ait, *paſtores non diuulgaſſe, quæ audierunt, ſed vbi rem certã cognouerunt.* Sed re vera ſtatim, ac Angelum audierunt,

Salmer.

diuina fide certi de myſterio facti, non protinus manifeſtauerunt, quia feſtinantes ad Chriſtum adorandum, ad præſepe peruenere; perfecta enim charitas primò tendit in Deum, Paſtorum fidei dignum teſtimonium; ſimplices enim erant homines ſine fraude, & dolo, vnde ait Diuus Ambroſius hîc, *Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis perſona paſtorum, certè quo vilior ad prudentiam, eo pretioſior ad fidem.* (Ambroſ.)

12\. (Euthym.) *Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt.* Fuit in primis, vt ait Euthymius, Ioſeph, & beatiſſima Virgo. Et ita eſt intelligendus Diuus Ambroſius, dum ait: *Si Maria à paſtoribus diſcit, cur tu declinas diſcere à Sacerdotibus.* (Ambroſ.) Quæ verba non ait, ſunt accipienda, quaſi à paſtoribus Virgo acceperit, infantem natum mundi Saluatorem eſſe. Sed diſcit à paſtoribus, quæ circa illos facta ſunt, ſcilicet Angelum eis natum Regem annuntiaſſe, militiámque cæleſtem hymnum decantaſſe. Paſtores aliis hoc admirabile opus narrauerunt; de eorum tamen audientium fide aliquid cum fundamento dicere non poſſumus. *Et admirati ſunt.* (Iſai. 6.) Iſaias cap.9. num.6. de eo ait. *Et vocabitur nomen eius admirabile.* Illam, quam importabat in nomine, excellentiam in effectu operabatur. D. Bonauentura. (Bonauent.) *Vtique enim admirabilis Chriſtus apparet, non ſolùm naſcens, ſicut hîc, ſed etiam proficiens.* Hoc eodem cap. num. 47. (Luc. 2.) *Stupebant ſuper prudentia, & reſponſis eius.* Mirabilis loquens, cap. 4. Luc. num. 22. (Luc. 4.) *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius.* Admirabilis tacens. Marc.15.n.5. (Marc. 15.) *Ieſus autem nihil reſpondit, ita vt miraretur Pilatus.* Mirabilis in paſſione. Marc.15. num.44. *Pilatus autem mirabatur, ſi iam obijſſet.* Admirabilis in reſurrectione. Luc.24.num.12. (Luc. 22.) *Petrus videns lineamenta ſola poſita, abijt ſecum mirans.* Mirabantur autem omnes de puero, quis eſſet, quomodo natus, & quibus de cauſis.

Lucæ 2.n.19. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.

VERSIONES.

Syriacus. Maria verò conſeruabat hos omnes ſermones, & voluebat in corde ſuo.

Textus Hebraicus. Maria memoriæ mandabat verba hæc.

EXPOSITIO.

13\. BEATISSIMA Virgo non obliuioni dat, ſed, vt tradit Hebraicus textus clariùs, memoriæ mandauit, ſeu alta mente repoſuit ea, quæ geſta viderat. Et Virgo, vt ſapientiſſima, hæc mente retinuit, vt notat D. Bonauentura. (Bonauent.) Et ideo dicitur Eccleſ. 50. num.30. (Eccleſ. 50.) *Qui ponit illa in corde ſuo, ſapiens erit.* E contra verò fatuus hæc in tempus ſeruare neſcit. Eccleſ.21. num.17. (Eccleſ. 21.) *Cor fatui, quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non tenebit.* Virgo autem diuinorum arcana eloquiorum continens arca fuit; & ideo dicitur, *Conſeruat omnia verba hæc.* More Hebræorum verba appellat geſta, ſeu facta, quæ, dum dicuntur, verba ſunt, vt ait Theophylactus. (Theoph.) *Omnia verba hæc.* Beda exiſtimat, quòd beatiſſima Virgo ita in mente conſeruabat omnia hæc, quæ fiebant, vt cum illis, quæ per Prophetas ſcripta erant, ea contulerit. (Beda.) Titus Boſtrenſis, Euthymius, quòd conſeruabat ea, tam quæ ei ab Angelo dicta erant, quàm quæ à paſtoribus audierat. (Boſtrenſ. Euthym.) Tamen dicendum exiſtimo, quòd cùm Euangeliſta dicat, *Omnia verba hæc,* ad ea quæ paſtores dicebant referendum eſſe. *Conferens in corde ſuo.* Comparabat in anima ſua, quæ audiebat à paſtoribus, cum iis, quæ iam in conceptione, & partu erat experta; & hoc non chartis, vel literis ſcribebat, ſed cordi ſuo imprimebat.

QVÆSTIO IV.

Quare Virgo hæc conferebat in corde ſuo?

NON loquebatur, nec interrogabat Virgo, ſed tacita tanta myſteria voluebat, & comparabat in corde ſuo. 14. Reſpondet primò. D. Ambroſius, *Non minus,* ait, *ore pudica Virgo, quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde.* (Ambroſ.) Sanctiſſima mater tot videns, & audiens mirabilia, ita oculis, ac ſenſibus tota in filium natum erat intenta, vt nihil aliud admitteret occurrens animo, ſed magna tantùm fidei documenta cum mira humilitate corde retineret. Secundò Beda, *Virginalis pudicitiæ iura cuſtodiens, ſecreta Chriſti, quæ nouerat, nemini diuulgare, volebat: ſed conferebat ea, quæ facienda legerat, cum his, quæ iam facta cognouit, non ore promens, ſed clauſo in corde cuſtodiens.* (Beda.) Non loquitur Virgo, vt ſecretum ſibi commiſſum corde cuſtodiat.

Tertiò. D. Baſilius Seleucus oratione 39. 15. *Verè Deipara,* ait, *in corde conferens, vti ſcriptum eſt, rerum admirabilium acceſſione exhilarata cumulatione gaudio intus perfunditur, & ſimul filij, qui Deus eſt, oculis, mentique obiecta amplitudine percellitur. Vt igitur Diuinum infantem contemplata eſt, deſiderijs reuerentiæ plenis, vt reor, deuincta hæc ſola cum ſolo agitabat colloquia. Quid mihi tecum faciendum? Lacte nutricabo, an Deum conſiderabo? Curabo, vt mater, an adorabo, vt ancilla? Circumplectar, vt filium, an adorabo vt Deum?* (Baſil.) Virgo non loquitur, vt publicet, ſed tantùm ſola cum ſolo, ne magnificentiam filij manifeſtet, aut ſuam declaret humilitatem, & ideo tacita in corde confert, ne extollendo filium in laudes ſuas ſe diffundat. Quartò. Euſebius Gallicanus ſermone in Aurora. *Mater prudentiſſima,* ait, *ideo hæc omnia verba in corde conferebat, nobiſque conſeruabat, & memoriæ commendabat, vt poſtea ipſa docente, & narrante ſcriberentur, & in vniuerſo mundo prædicarentur.* (Euſeb.) Nunc tacet Virgo myſteriorum plena, vt poſtea in omnium vtilitatem ſuo tempore loquatur; & ideo multorum eſt opinio, quòd D. Lucas de infantiæ Chriſti myſteriis, ab ipſa edoctus fuerit.

Quintò. Ioannes Geometra in Catena Græca. 16. (Geometra.) *Conſidera,* ait, *prudentiſſimam mulierem Mariam veræ ſapientiæ, ineffabiliſque ſcientiæ matrem, qualiter ſcholaris ſit pueri.* Quamuis beatiſſima Virgo humilitate, omnique virtute eſſet præclara, in puero tamen nato iacente in præſepio multa diſcebat. Sextò. Diuus Ambroſius, vt iam notaui ſuperiori expoſitione. *Maria à paſtoribus diſcit*; ſcilicet quæ apud eos geſta ſunt; Maria Virgo ſuam apud alios felicitatem non iactat, nec pro ſua modeſtia à paſtoribus diſcere dedignatur; magna enim prudentia eſt, non ſolùm à magnis, verùm etiam à minimis doceri velle, ab eiſque aliquid diſcere. Sic vnus Angelus non ſolùm alium interrogat Angelum: (Iſai. 63.) *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* Iſai.63.num.1. Sed etiam hominem interrogat Angelus, ab eóque aliquid didicit. Cùm Angelus luctaretur cum Iacob, *Quod,* ait, *nomen eſt tibi?* Geneſ.32. num.27. (Geneſ. 32. Chryſoſt.) Ibi Chryſoſtomus homilia 58. *Vide,* inquit, *quantum ſe humiliat, & attemperet; nam ſi non interrogaſſet, neſciuiſſet iuſti nomen.*

Lucæ 2.n.26. Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

VERSIONES.

Syriacus, Vatablus, Euthymius. Laudantes Deum ſuper omnibus, quæ audierant.

Theophylact. Ita vt dictum fuerat ipſis.

EXPOSITIO.

17\. IN tribus commendantur paſtores, opere, mente, & lingua. Laudantur in opere: *Reuerſi ſunt paſtores*; ſcilicet vt explicat Euthymius, & Carthuſianus, ad gregem ſuum. (Euſeb. Carthuſ.) Vt inde intelligas, Eccleſiaſticum paſtorem per contemplationem ad Deum debere accedere, & poſtea ad actionem, & gregis ſui cuſtodiam redire. Deinde, quòd licèt ad tantam ſint euecti dignitatem, vt Incarnatum Verbum propriis viderint oculis; tamen ad magnas non aſpirant dignitates, ſed ad ſuum laborioſum redeunt munus. Iuſti fauoribus humiliantur. In ſermone laudantur propter debitam gratiarum actionem, ideo ſubditur: *Glorificantes, & laudantes Deum.* Ad inſtar Angelorum formantur imitantes id, quod viderant; veluti dicentes, *Gloria in excelſis Deo. Glorificantes*, id eſt, magnificè diuinam honorantes maieſtatem, quam tanta in paupertate viderant; laudantes magna voce pro beneficiis acceptis, & ex magna eorum fide hæc tanta proceſſit gratitudo, vt ait D. Athanaſius ſermone de Deipara: (Athan.) *Effectus fidei ſunt gratiarum actiones:* Laudantur in mente, propter magnam fidem; quæ in eorum ardebat pectore, & ideo dicitur: *In omnibus, quæ audierant, & viderant.* Audierant ab exercitu Angelorum, viderant propriis oculis in præſepio. Nota ex Diuo Bonauentura, ordinem; (Bonauent.) audierant, & viderant; niſi enim quis per auditum crediderit, non videbit in viſione Dei.

Et ideo dicitur Iſaiæ. 7. numer. 9. (Iſai 7.)

Niſi credideritis, non intelligetis.

***

CAP. III.

Circunciditur Chriſtus Dominus.

Lucæ 2.n.21. Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer.

VERSIONES.

Syriacus, Vatablus. Quum completi fuiſſent octo dies, vt circuncideretur puerulus.

Arias. Et quando impleti ſunt dies octo circuncidendi eum.

Euthymius. Vt ipſe puer circuncideretur.

EXPOSITIO.

POST Chriſti natiuitatem, de qua ſuperioribus dictum eſt capitibus; 1. *Conſummati ſunt dies octo,* non tráſacti; nam aliàs dies eſſet nona. In ipſo ergo octo dierum termino, quando octaua aderat dies, terminus præfixus Circunciſionis. Et meritò conſummati dicuntur, ac omnino confecti dies illi, ſolúmque de octaua die fit mentio; in illa enim cœpit pro nobis ſanginem dare. D. Bonauentura, *Rectè,* ait, *dicuntur dies iſti conſummati propter perfectionem humilitatis, & incboationis noſtræ ſalutis*, Eccleſ.18.n.6. (Bonauent. Eccleſ 18.) *Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet. Iam enim octaua die incipiebat ſanguinem fundere.*

QVÆSTIO I.

De loco, miniſtro, ac tempore Circunciſionis?

CIRCVNCISIO à Deo fuit Abrahamo data, *Geneſ.17.n.10.* in ſignum diſtinctiuum populi Dei ab aliis. 2. (Geneſ. 17.) Multa circa illam quærunt expoſitores, ſed ad præſens myſterium tria expendenda. Et primò de loco, D. Hilarius *in Pſalm.* 118. (Hilar.) In templo Hieroſolymitano peractam fuiſſe. Nicephorus *lib.1. hiſtor cap.12.* (Niceph.) In domo Ioſeph, affirmat. Sine vlla dubitatione tenenda eſt ſententia D. Epiphanij *hæreſi* 2. (Epiphan.) quam ſequuntur omnes expoſitores; Chriſtum in ſpelunca circunciſionem ſuſcepiſſe, vbi natus eſt; nec enim præceptum extabat, vt Circunciſio in templo fieret: nam Iudæi non poterant ex omni, in qua erant diſperſi, parte, intra octo dies infantes ſuos ad templum adducere. Deinde iuxta communem ſententiam Chriſtus Dominus in loco natiuitatis ſuæ à Magis eſt adoratus: ergo vſque ad eius Epiphaniam ab illo non diſceſſit Virgo.

Secundò. De miniſtro. Et ratio dubij eſt, quia 3. pro illo tempore Circunciſio verum erat Sacramentum, ſed nullus eſt in Scriptura locus, quo

comprobari poſſit, quòd ad Sacerdotes, vel Leuitas circuncidere pertinebat, vt notant Lyranus, Carthuſianus, Abulenſis, Caietanus ad citanda loca; nam Abrahamus ſe ipſum, & filium ſuum, *Geneſ.17.num.23.* Sephora vxor Moyſis proprium natum, *Exod.4.num.23.* Ioſue Iſraëlitas circuncidit, *Ioſue 5.num.3. Et mulieres, quæ circuncidebant filios ſuos trucidabantur ab impijs*, 1. Machab. 1. num. 63. Chriſtum Dominum etiam à Virgine fuiſſe circunciſum, traditur in libro de vera circunciſione, qui eſt inter opera D. Hieronymi, & *in tractatu de lamentatione Virginis*, qui tribuitur D. Bernardo, & communiter tenent recentiores. Multo maior beatiſſimæ Virginis fortitudo, quàm aliarum fœminarum, quæ ſuos circuncidebant natos.

Lyran. Carthuſ. Abulenſ. Caiet. 1. Mach. 1. Hieron. Bernard.

4. Tertiò. De tempore: Circunciſio die fiebat octaua, *Geneſ. cit. loc.* Et ratio litteralis eſt, quia infans natus in magno vſque ad ſeptimum diem periculo verſatur, vt tradit Ariſtoteles *in Problem. 103. à medio* Vnde Romanorum infantes octaua, vel nona luſtrabantur die, eiſque tunc imponebantur nomina, vt teſtatur Plutarchus *in lib.1. quæſtionum centuriar.* & Macrobius *lib.1. cap.10. circa finem.* Noluit Deus ante diem octauum circunciſionem fieri, ne periculo periculum adderet. Moralis ratio eſt. Prima. Quia octauam mundi ætatem, in qua in lege noua gratia à Chriſto danda erat, cordáque mortificanda, dies ſignificabat octaua. Hugo de S. Victore in Alleg. in Geneſ. *Vt oſtenderetur*, ait, *quòd tempore gratiæ corda circumcidenda erant per emendationem iniquitatis.* Quo enim maior donorum communicatio, eo maior eſt recognitionis obligatio. Secundò. Ante octauum diem animalia offerri non poterant. Lyranus, *Ante octauum diem ſunt quid imperfectum, perfecta autem Deo donanda ſunt.* Tertiò. Geneſ. 2. num. 1. *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo.* Sequebatur octaua dies; ne ergo videretur hæc dies ſine operatione in bonum hominis, ibi aggreditur admirabile opus circunciſionis pro noſtra ſalute ſanguinem ſuum pretioſum effundens. Et ideo fortaſſe Deus decreuit ſibi aſſumere carnem ex Hebræis, quia peculiariter hic populus inter omnes mundi nationes ritum circunciſionis retinebat, vt ita citiſſimè pro nobis ſanguinem ſuum daret. De præputio autem Saluatoris inuento, vide Tolet. *annot.31.*

Ariſtot. Plutarch. Macrob. H. de S. Vict. Lyran. *Deo perfecta danda.* Geneſ. 2. *Deus velociſſimus in noſtram ſalutem.*

Qvæstio II.

Quare circuncidatur Chriſtus Dominus?

5. Certvm eſt de fide, Chriſtum Dominum ſub Circunciſionis præcepto non comprehendi, ſed voluntariè illi ſubiectum fuiſſe. Circunciſio inſtituta erat in ſignum peccati, & in illius remedium paruulis applicabatur: Chriſtus Dominus verò conceptus, non de viro, ſed de Spiritu ſancto, peccatum habuit nullum: illa igitur non indigebat, de quo latè D. Cyprianus *de rat. Circunciſ.* D. Auguſt. *lib.2. de nupt. & concup. cap.11.* D. Gregorius *lib.4. moral. cap.2.* Beda, Bonauentura, & omnes *hîc.* Quare ergo circunciditur? Rationes proferamus.

Cyprian. Auguſt. Gregor. Beda. Bonauent.

6. Primò. D. Zeno ſerm. de Circunciſione, *Non enim*, ait, *aut finis legis, aut verus Chriſtus eſſe potuiſſet, ſi quid prætermitteret, quod ab alio ſaluti hominum præſtari oportuiſſet.* Ex eo circunciditur, quia pro noſtra ſic omnia præoccupauit, ac impleuit ſalute, vt nihil, quod pro nobis ipſe non feciſſet, præſtandum, deſiderandúmve relinqueret. Secundò. Vt oſtenderet, Patrum Circunciſionem vtilem, à Deo datam, & inſtitutam fuiſſe. Hanc tradit cauſam D. Cyprianus *de orat. Circunciſ.* D. Auguſtinus *lib.6. contra Fauſtum, cap.2. &* 3. In reuerentiam legis circuncidi voluit: lex erat à Deo data, & mandatum eius maximè honorandum, omníque reſpectu, ac veneratione proſequendum.

Zeno. *Chriſtus pro nobis omnia fecit.* Cyprian. Auguſt.

7. Tertiò. Circunciditur Circunciſioni impoſiturus finem. *Voluit*, vt ait D. Ambroſius eleganter, *legem cum honore ſepelire.* Vt tu inde, cùm res in magnam extollitur altitudinem, proximè illius inſtare cognoſcas ruinam, & occaſionem. Circunciſio ita ſublimatur, vt in Dei tranſeat carnem; quid inde, niſi vt finem accipiat? Quartò. D. Carthuſianus: Vt Iudæorum ſcandalum euitaret. Quintò. Vt natiuitas eius Diabolo abſconderetur, D. Leo ſerm.2. de natiuitate, *Vt virtutem*, ait, *Deitatis per velamen noſtræ infirmitatis abſconderet, & illuſa eſt ſecuri hoſtis aſtutia, quæ natiuitatem pueri in ſalutem generis humani procreati, non aliter ſibi, quàm omnium naſcentium putauit obnoxiam.*

Ambroſ. *Deum res ſubleuatur, cadit.* Carthuſ. Leo.

8. Sextò. Ita fatur Origenes homil 4. in Lucam, *Caput pro membris accepit curationem.* Medicinam noſter in ſe princeps ſuſcepit, vt in nos redundaret ſalus. Et ſimiliter D. Ambroſius *Epiſtol.74. ad Hontianum.* D. Auguſtinus *ſerm. de natiuitate Chriſti.* Elegantiſſimè D. Dionyſius Carthuſianus, *Circunciditur, vi virtute*, ait, *& merito ſuæ circunciſionis fideles ſuos à duritia præcepti illius exoneraret, & ipſam circunciſionem in Baptiſmum dulciter commutaret.* Circunciſionis duritiem ſibi Dominus retinuit, vt nos baptiſmalis aquæ dulcedine, ac ſuauitate donaret. Vide *lib.3. cap.1. quæſt.6.*

Origenes. Ambroſ. Auguſt. Carthuſ. *Chriſtus ſibi dura, alijs dulcia donat.*

9. Septimò. Idem Carthuſianus: *Circunciditur propter communitatis, & vniformitatis commendationem, vt & nos ſingularitatem vitemus, ne pro peccatis noſtris puniri ſpernamus.* Dominus licèt ab omni eſſet culpa, peccatóque immunis, noſter tamen in pœna, ac dolore non ſpreuit eſſe ſocium. E contra verò huius ſæculi homines in delicto, & peccato aſſociantur nobis; à pœna autem, & ſupplicio procul abeſſe contendunt. Adamus Euæ in cibi vetiti manducatione extitit comes, at vbi deuentum eſt ad iudicium, *Mulier*, ait, *quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi, & comedi*, Geneſ.3. num.12. Vt ita ille maneat expers, & illa pœnam ſola ſubeat. D. Gregorius Magnus in Pſalm. *Beati quorum remiſſæ*, ita fatur: *Imputare ſibi Adam peccatum ſuum noluit, quando culpam in alterum refudit.*

Carthuſ. *Hominis in culpa ſocij, in pœna minimè.* Geneſ. 3. Greg. Magn.

10. Octauò. Circunciditur, vt ſe verè filium Abrahæ oſtendat, ac proinde Iudæi nullam ad ipſum recipiendum excuſationem habeant. Hanc affert rationem D. Auguſtinus *quæſtionib. noui & veteris Teſtamenti, part.2. cap.22.* Euthymius, & alij. Sed modò elegans inſurgit dubitatio. Si cicatricem ſuſcipit, vt ita de ſemine Abrahæ, vel Dauidis cognoſcatur, quare eorum nomine non appellatur? S. Zeno ſermone de Circunciſione, *Eo accedit*, inquit, *quòd ſecundùm carnem Dauidis filius canebatur futurus. Qui niſi paterno generis ſignaculo reſponderet, neque Dauid filius eſſet, neque in filium Dauidis Chriſtus venire potuiſſet.* Vt Dauidis, vel Abrahæ filius crederetur, non ſufficiebat nomen tantùm hæreditate, niſi in ſignaculo, ac virtute parentum ſplendori proportionaretur. Nonò. Idem D. Zeno cit. loc. *Neceſſe habuit, ne phantaſma putaretur, edicta legis vniuerſa complere.* Circunciditur meus Ieſus, ne phantaſma videretur, de quo ſequenti ratione; ſed nunc moraliter. Qui Domini præcepta non ſeruat, non verè homo, ſed phantaſma reputatur; Chriſtus Dominus veritatem carnis ſuæ oſtendens, legis adimplet mandata.

Auguſt. Euthym.

Zeno. *Filius patris non nomine, ſed virtute.* Zeno. *Qui legis mandata non ſeruat, phantaſma reputatur.*

11. Decimò. Circunciditur, vt oſtendat ſuæ carnis veritatem; & confundatur Manichæus, qui carnem Chriſti phantaſticam eſſe, & apparentem, turpiſſimè dixit. Vndecimò. Vt monſtraretur, corpus ſuum non eſſe conſubſtantiale diuinitati, vt Apollinaris; nec naturæ cæleſtis, vt Valentinus, rudiſſimè aſſeruere: ſi enim ei talis eſſet caro ſicut iſti fingebant, circunciſa non eſſet, nec ſanguinem funderet. Has cauſas tradidit D. Epiphanius *hæreſi 30.* D. Zeno *ſerm. de Circunciſione.* Propter naturæ humanæ veritatem tam citò circunciditur. Magnus Dominus, quòd in nos excellens contulit beneficium, dum homo noſtri ſimilis factus eſt, ſuſtentare, ab omnique falſa nos voluit opinione cuſtodire. Præclari animi eſt, ſemel datum tueri, & conſeruari beneficium.

Epiphan. Zeno. *Beneficium ſemel datum conſeruandū.*

12. Cùm Saul Dauidem perſequeretur, ad quandam declinauit ſpeluncam, in qua Dauid latitabat cum ſuis, qui dixerunt ei: *Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis*, 1. Regum 24. num. 5. Dauid eorum verbis non acquieuit; immo viros ſuos ſermonibus confregit, eoſque vt in Saul conſurgerent, non permiſit. Sed quare tanta in crudelem adeò hoſtem manſuetudo? Nónne erat Saul rex tyrannus, qui iniuſtè Sacerdotes interfecit, ipsúmque Dauidem tam iniquè perſequebatur? D. Anaſtaſius in vita S. Antonij: *Victor ille Goliathis noluit contra eum, quem aliquando cuſtodierat, gladium mouere.* Dauid, dum Philiſthæum interfecit, Saul vitam donauit: meritò ergo Dauid ſemel datum retractare noluit, aut diminuere donum manus in eum extendendo. Cùm Aſſuerus nocte quadam eſſet inſomnis, & antiqui annales in præſentia eius legerentur, ibique narratum eſſet quomodo Mardochæus impiorum in Regem inſidias detexiſſet: *Tunc rex ait: Quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius, nihil omnino mercedis accepit*, Eſter 6. num. 3. Sed qua veritate dicitur, nihil omnino? Vt notat Carthuſianus, cùm *cap.12. num.5. Eſther*, vbi hæc deſcribitur hiſtoria, dicatur: *Præcepitque ei Rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Quomodo ergo dicunt, nihil omnino? Optimo iure ſanè. Lex erat promulgata, vt omnes Iudæi interficerentur, ac proinde Mardochæus; merces igitur, quæ non perſeuerabat, ſed in tantum commutabatur detrimentum, vt vita priuaretur, nihil omnino.

***

1. Reg. 24. Anaſtaſ. Eſther 6. Carthuſ. Eſther 12.

Qvæstio III.

Quare Chriſtus ante Magorum aduentum circuncidatur?

13. Qvamvis Dominus legem voluerit obſeruare diſponentem, vt infans octauo circunciderertur die, *Geneſ.17. num.12.* vt ſæpe dictum eſt; poterat tamen diuina prouidentia ordinare, vt ante illud tempus aduenirent Magi, vt myſterium tantum, ac tam admirabile nomen eorum celebraretur præſentia. Poterit reſponderi primò, quod tredecim dierum tempus Magorum itineri conueniens erat: & Deus ita gubernat vt res, quoad fieri poteſt, ſuo ordini, ac naturali concurſui proportionetur. Secundò, quòd Chriſtus in Magorum adoratione, vt totius vniuerſi ſupremus eſt recognitus Dominus, & tamquam vero Saluatori munera, ac primitiæ Gentium erant offerendæ; bene ergo priùs circunciditur, vt fiat manifeſtum, quòd ad dignitatis percipiendos fructus, atque ſuauitates, priùs ſint moleſtiæ, ac pœnalitates deguſtandæ.

Ante fructus honoris præmittenda moleſtia.

14. Dupliciter legimus, Chriſtum Dominum in Apocalypſi adorari. Primò, dum quatuor animalia, ac viginti ſeniores procidebant ante faciem ſuam, dicentes: *Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*, Apoc.4. num.11. Aliter verò ſecundò non ſolùm animalia, & vigintiquatuor ſeniores, ſed & millia millium Angelorum, & omnis cretura, quæ in cælo, & ſuper terram, & ſub terra ſunt, omnes dicebant; *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, ſapientiam, & fortitudinem*, Apocalypſ.5. num. 12. Quare verò, cùm ei honor ob creationem defertur, quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores adorationem exhibent; cùm verò ob mortem, quia occiſus eſt, non ſolùm illa, ſed & millia millium Angelorum, & omnis creatura, quæ eſt in cælo, in terra, & ſub terra? Non aliter tanta maieſtas, ac principatus, illi, niſi mortis duritie, totque tormentorum ſæuitia præuia conuenienter deueniebat. Anſbertus *ibid.* ita fatur: *Adoramus humanitatem à Verbo diuinitatis ſuſceptam: quia & virtutis, & diuinitatis, & ſapientiæ, & honoris, & gloriæ, & benedictionis ipſius per gloriam reſurrectionis fieri meruit, quæ ante paſſionem, dum in forma ad puteum ſederet, atque ſitiret, dum ſe filium hominis ſæpe commendaret, dum ſapientia proficeret, dum opprobria, contumelias, ac maledicta ſuſtineret, minor quodammodo Angelis erat.* Quaſi dicat, quòd, quia tot paſſa eſt contumelias, ideo ad eam adorationem euehitur.

Apocal. 4. Apocal. 5. Anſbertus.

15. Dum bonus paſtor deperditam quærit ouem, ſuis inuentam imponit humeris, ad gregemque reducit, *Lucæ 15. num. 5.* At dum prodigus ille filius procul eſſet à patre, non illum quærit, ſed per laborem itineris fame compulſus vt ipſe deueniat, expectat, *ibidem num.18.* Cuius rei rationem eleganter tradit D. Ambroſius lib.7. in Lucam. *Malo*, ait, *ergo filius eſſe, quàm ouis. Ouis à paſtore reperitur, à patre filius honoratur.* Vt ouis quocumque modo inter gregem computetur, ſat eſt, vt in humeris veniat; at vt filius honoretur à patre annulo, ſtola, ac vituli ſaginati conuiuium

Ambroſ.

guſtet, quod prius per famem, ac laborem tranſeat, neceſſe eſt.

QVÆSTIO IV.

Quare Euangeliſta Chriſti Circunciſionem non exprimat, ſed ſupponat?

16. Ianſen. Beaulxam. Salmeron. Suarius.

QVAMQVAM omnes conueniant expoſitores, vt Ianſenius, Beaulxames, Salmeron *tom.3. tract.36.§.circa literam*, Suarius *tom.2. ad 3.par.diſp.15.ſect.1.§.Dicendum verò*, quòd Euangeliſta Circunciſionem Chriſti expreſſis non explicat verbis, non enim ait; circunciſuè eſt, ſed, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer*, in quo circunciſionem ſupponit. Et deinde indicato octauo die ſcribit impoſitum illi fuiſſe nomen Ieſu; in quo tacitè inſinuat circunciſionem, in qua de more nomina imponebantur. Quare ergo Euangeliſta circunciſionem non exprimit? Reſpondet primò Salmeron citato loco: *Horruit Euangeliſta, infantulum innocentem notæ, & cauterio ſubijcere circunciſionis, cùm eſſet innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis.* Alij dicunt, quia cõſuetum erat, & lege præſcriptum, vt infantes circunciderentur; ideo Euangeliſta id, tamquam indubitatum, potius ſupponere, quàm diſertè narrare, viſus eſt. Sed inſtantia eſt in promptu. Etiam lex purificationis valde notoria erat, & peccatum ſupponebat, ſicut & Baptiſmus Ioãnis, & tamen vtrumbue ab Euangeliſtis narratur valde explicitè. Quare circunciſio ſiletur?

Salmeron.

17. Reſpondeo primò. In hac die octaua Chriſtus ſuum effudit ſanguinem, in præſentatione, & Baptiſmo à natura humana in Simeone, ac Ioanne repræſentata adoratus eſt: bene ergo circunciſio, in qua ipſe largitus eſt, reticetur: præſentatio autem & Baptiſmus, in quibus ipſe adorationem ſuſcepit noſtram, publicatur. Magni gratique animi eſt, ſilere, quæ donat, quæ accipit, licet aliàs debeantur diuulgare. Vide *lib.1. cap.5. num.169.* Secundò. In circunciſione nobis amoris ſui pignus in pretioſiſſimo ſanguine donauit; at in præſentatione ex parte naturæ humanæ in S. Simeone gratiarum actiones ei ſunt oblatæ, & proprij amoris exceſſus diſſimulari poſſunt, & taceri: at aliorum prætermittere gratificationes, quæ nobis offeruntur, ingratitudinem, & contemptum ſapit.

Magnanimus quæ donat, tacet.

Aliorũ gratificationes non tacendæ.

18. Tertiò. Chriſtus in hoc ſuſcipiendo ſignaculo ſanguinis guttas emiſit; & quamuis in ordine ad ætatem multum eſſet, parum tamen reſpectu amoris, qui niſi totum largiatur, non quieſcit. Silentio inuoluatur circunciſio, vbi parum ſanguinis ſtillatur; at paſſio, in qua totus effunditur, ſcribatur, & publicetur. Quartò. In præſentatione, & Baptiſmo Ieſu magnalia diuulgantur: *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* In Baptiſmo. *Hic eſt filius meus dilectus.* At in hoc cantico eius manifeſtatur humilitas: Magnalium diuulgatio cùm ſit eius ingenio valde repugnans, vt agnoſcatur, ſcribi neceſſarium eſt; humilitas verò cùm naturæ maximè cohæreat, calamo non indiget, vt credatur, ſed optimè ex eius ingenij propenſione patefit, ipſe enim ad ad humilitatem valde propenſus eſt.

Totũ tribuit verus amor.

Humilitas Chriſto ingenita.

19. Quintò. In præſentatione nihil puer largiebabatur, ſed tantùm oblata parentes conferebant; at in hac octaua die carnem, & ſanguinem ſolus puer relinquebat. Lex in qua alij à Chriſti natura multum diuerſa præſtabant, ideo ſcribenda; conſtitutio verò, in qua ipſe ſolus largitor magnificus declaratur, eius inclinationi maximè proportionata, proindéque valde notorium, quòd ab illo adimplenda erat, & hac de cauſa hoc ſolum ſupponitur, non autem exprimitur.

Chriſtus ad donationes valde propenſus.

20. Inquit Sponſa Cant.5.num.1. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Seu, vt Angelus in ſuis ſcholiis ex Hebræo tranſtulit: *Comedamus fructum.* Ad quod reſpondens ſponſus ait ſtatim: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa.* Sed quare, cùm ipſa habeat vineam: *Vineam meam non cuſtodiui.* Cant.1.n.5. ad illam ſponſum non inuitat, ſed tantùm ad hortum illius, & tunc ait, *comedamus?* Sponſi, valde facilis ad largiendum, ad acceptandum verò difficilis, ingenium optimè nouerat, ideo cum ad hortum inuitat ſuum, in quo erant illius poma ab ipſo alij communicanda. Petro præcepit Chriſtus dare tributum *pro me, & te*, Matth. cap.17. n.27. Quærunt expoſitores, vtrùm Chriſtus quotannis tributum ſolueret? Affirmant Abulenſis *q.183.* & alij, vt ſuo loco dicemus. Sed quare ſacri Scriptores Euangelio ſuo hoc literis non mandarunt? Superfluum videbatur; illa enim erat donationis lex dare præcipiens, & vt Chriſti conditionis proportionata, valde manifeſtum, quod ab ipſo erat exequenda; Matthæus verò ſi pro illo anno eam ſcripſit, in cauſa fuit, quòd è manu Petri erat ſoluendum; & cùm homo ad dandum ſit multum difficilis, ad hoc vt credatur, Scripturæ opus fuit commendare; de quo in proprio loco.

Cant.5. Angelus. Cantic.1. Matth.17.

Homo valde difficilis ad dandum.

QVÆSTIO V.

Quare Euangeliſta non terminet ſententiam in circunciſione?

21. AIT textus: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circunciderctur puer, vocatum eſt nomen eius, Ieſus.* Vbi ſententia, integerque ſenſus in circunciſione non finitur, ſed in nomine Ieſu. Ad quid? Toletus *annot.29.* ita reſpondet. Non veniebat Chriſtus, nec carnem aſſumebat propter circunciſionem, nec quaſi in ea eſſet permanſurus; at officium, nempe ſaluare homines, propter quod venit in mundum, nomen indicat, & quod in Euangelio permanet, lege, & circunciſione ablata, idcirco noluit Euangeliſta ſententiam in circunciſione complere, ſed quaſi obiter eam inſinuare, ac in nomine ipſo Saluatoris conſiſtere. Ita Toletus.

Tolet.

22. Secundò reſpondeo. In circunciſione non terminat ſententiam Euangeliſta, ſed in nomine, Ieſus; eſt enim maxima inter vtrumque differentia. Circunciſio diuinitatem, Deique occultabat naturam; ſanctiſſimum verò nomen, Ieſus, quod eſt ſaluare; maximè manifeſtat. Ante Incarnationem Deus abſconditus erat, modo verò factus homo Deus manifeſtus. Non ergo in circunciſione, quæ Deum abdit, Euangeliſta ſententiam claudit, ſed in nomine, quod illum patefacit,

Deus poſt Incarnationẽ videri vult.

tefacit, apertéque demonſtrat; cùm enim iam noſtra ſit indutus carne, illud omne, quòd ipſum occultare valet, deuitat, & ab ſe abiicit.

23. Viſiones ſunt duæ illæ valde celebres; vna, qua Iſaias Deum vidit in throno maieſtatis inter Seraphinos, qui *alis ſuis velabant faciem eius.* Iſai. 6.num.2. Altera, qua ipſum manifeſtè inter quatuor animalia videt Ioannes *Apocal.4.num.6.* Sed quare dum Seraphim ſe facie manifeſta exhibent, velato vultu Deus apparet; dum verò videntur illi commutata effigie in animalium forma, Deus patenter ſe manifeſtat? Venatus grauiſſimus Pater ita fatur: *Affectat olim latere Dei amor, & quaſi verecundus tegebatur Seraphim alis.* Viſio prima Incarnatione prior, ſecunda poſterior; & quandiu noſtra Deus non erat indutus carne, veluti verecundus tegebatur; at vbi factus eſt homo, ita de ipſa gloriatur humanitate, vt inter omnia videri, omniumque ad ſe oculos velit attrahere. Dum olim Angelus luctaretur cum Iacob, dixit ei: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*, Geneſ.32. num.26. Eſto in ſententia Patrum Græcorum Chryſoſtomi, & aliorum exiſtimantium, Angelum illum fuiſſe Verbum Dei. Sed cur complexibus nocte tantùm ſe implicat, non verò manifeſta die? D. Iſidorus, & Carthuſianus. Dimitte me, ait, inſtat iam aurora, tamquam corpore nondum aſſumpto, nollet clara die apparere: vt autem factus eſt homo, ſtatim ſe præbet in medio candelabrorum aureorum, *Apocal.1.*

Iſai.6. Venatus. Geneſ.32. Carthuſ. Iſidor.

QVÆSTIO VI.

Quare in Circunciſione Ioannis tot miracula, nulla verò in Chriſti legantur?

24. IN Ioannis Circunciſione nec locus, nec miniſter exprimitur, illam enim in quocumque loco, vel à parentibus, vel ab aliquo alio fieri propinquo viro, valde vſitatum erat. Hinc excitatur quæſtio: Quare tot in Ioannis circunciſione interueniunt circunſtantiæ, tot miracula fiunt; Elizabeth ab Spiritu ſancto nomen Ioannis didicit; ſurdus, & mutus loquitur, ac prophetat, & omnes de puero dicunt, quòd manus Domini ſit in illo: in hac verò octaua die Chriſti nullum vidimus factum miraculum?

25. Reſpondeo primò. Ob Ieſu nominis excellentiam, nulla enim neceſſaria fuere magnalia; in hoc namque nomine multa ſunt maiora, quàm excogitati poſſunt. Secundò. Nulla inter Virginem, & Ioſeph circa nomen imponendum, vt eis ab Angelo dictum fuerat, diuerſitas erat, ſed ſumma vnitas; in Præcurſoris verò circunciſione multa contentio. nam pro Zachariæ appellatione inſtabant cognati, & vt res contra propriam ſententiam ſit accepta neceſſe eſt, vt miracula fiant; ac proinde nomen Ioannis, vt cognatis, atque vicinis aliter opinantibus eſſet plauſibile, tot mirabilia expoſtulabat. Vitium eſt hominum, vt carpit D. Gregorius Nyſſen. *orat. 1. de Chriſti reſurrectione.* Quòd propria verba certam demonſtrationis rationem velint habere, ita vt nulli alij credant, quàm ſententiæ ſuæ. Quis maiora vidit miracula, quàm Eua tot inter mirabili creata, & tamen ex ſua intentat diſcernere mente: An dictis Dei, qui dicebat, *non comedes*; an ſerpentis ſuaſionibus, qui aiebat, *Comede*, quieſcendum eſſet? Rupertus in cap. 3. Geneſ. *Inter hæc* (ſcilicet dicta Dei, & ſerpentis) *naturam ligni proprijs ſenſibus diiudicare voluit, vt ſciret, cui potiſſimum, Deo videlicet, vel ſerpenti, palmam concederet veritatis.*

Homo difficulter quieſcit contra propriam opinionem.

Greg. Nyſſ. Rupert.

26. Tertiò. Beatiſſima Virgo, & Ioſeph optimè crediderant, & nouerant diuina reuelatione, qualiter puer eſſet vocandus: at amici, qui ad Ioannis venerant circunciſionem celebrandam, nec nota eis diuina erat reuelatio, nec ei credebant; & licèt vbi fides diuina eſt firma, & reuelatio cognita, nulla ſint neceſſaria miracula; maximè verò requiruntur, cùm credulitas eſt dubia, animus hæſitans, & diuinorum incognita manifeſtatio. A Deo in regem Dauid eligitur, nullum tamen in eius confirmationem datur ſignum, 1. *Reg.* 16. Eligitur in ducem Gedeon, magna, vt omnis incredulitas excludatur, prodigia fiunt, *Iudic.6. num.20. & 36. & 37.* Cur verò illic nullum, hîc verò tot miracula cumulantur? Rem attigit Abulenſis *quæſt.47.* dum ita reſoluit: *Cauſa tot ſignorum fuit magna dubitatio Gedeonis.* Et ſis ex multis refert *c.8. quæſt 23.* quòd ipſe poſtea inciderit in idololatriam. Bene ergo, vbi fides ſtabilis firmiter adhæret, nullum fit ſignum, vtpote minimè neceſſarium; vbi autem anceps, & parum conſtans, tot requiruntur, & multiplicantur: *Signa enim data ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Cùm magnus ille Luſitaniæ Rex Alphonſus primus illam ante inſignem victoriam, quam è quinque Maurorum Regibus reportauit, in Auriquio eſſet agro, in aëreque Chriſtum vidiſſet Crucifixum, exclamauit. *Quid tu ad me Domine? Credenti enim fidem vis augere? Melius eſt, vt te videant infideles, & credant, quàm ego, qui à fonte baptiſmatis te Deum verum filium Virginis, & patris æterni agnoui, & agnoſco.* Ita ille piiſſimus Rex.

Firmæ fides miracula non requirit, aliter dubia.

Abulenſis.

Alphonſus Rex Luſitaniæ.

QVÆSTIO VII.

De magnitudine Circunciſionis Chriſti?

27. IN hoc admirabili opere nobilitata eſt Chriſti obedientia, doctrina, & amor. Obedientia Chriſti maximè reſplenduit, dum vt præceptum Patris impleret, cruce pendens vitam profudit; at cùm circunciditur, legi fit obnoxius, à qua erat exemptus. Et obedientia mandato adſtricta, valde magna; ab illo verò libera, & tamen opera exequens, præclariſſimo fulgore reſplendet. Cùm Deus loqueretur cum Iſaia, ait illi: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Iſai.c.6. num..8. Cur Deus non præcepit legationem, ſed tantùm proponit? Sine dubio, vt promptitudo Prophetæ ſine vllo mandato clareſceret. D. Hieronymus ibi ita fatur. *Propterea autem non dicit Dominus, quem ire præcipiat, ſed proponit audientibus optionem, vt voluntas præmium inſequatur.*

Iſai.6. Hieron.

28. Doctrina nobilitatur, dum manus, & lingua cohærent: Dominus non ſolùm præcepti, ſed etiam ſupererogationis opera docturus erat; ideo non ſolùm exequitur in Cruce pendens Patris mandatum, verùm etiam dum abſque vlla obligatione circunciditur, opera ſupererogationis exhibet. D. Gregorius *in Ezechiel. cap. 40.* ita ait: *Doctor.*

Doctor reſpõdeat in operẽ.

Gregor.

Doctor, quòd docendo loquitur, hoc vigilanter operatur; verbis ergo ſuis ſemetipſum conueniat: vbi itaque ſe conſpicit, opere implere, quod dicit, ibi auditores admoueat, eorumque animos ad ſtudium bonæ operationis accingat

29. *Amor illuſtrior in liberalitate.* Amor nobilitatur. Chriſti dilectio, dum in cruce pendens pro nobis vitam profudit, magna fuit: at hæc in Circunciſione multo videtur maior, cùm non ex præcepto, ſed ex gratuita ſuum dat ſanguinem liberalitate. Et quis ignorat, quòd amor in opere liberalitatis illuſtrior, quàm obligationis appareat? Deinde in Cruce ſe in hominem ſuſtinuit delinquentem, ſcilicet Cæſarem reputari, & hac de cauſa Iudæi clamarunt, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari*, Ioan. 19. n. 12. (Ioann. 19.) At in eo, quòd circunciditur, ſe peccatorem in Deum æſtimari patitur: cicatrix illa peccati ſignum erat; ſed multo grauins eſt crimen in Deum, quàm in homines; igitur multo maior reſplenduit amor in ſufferendo notam illam in hominum opinione. *Maius eſt in Deum peccatum, quàm in homines.*

30. Geneſ. 15. *Dixit Deus Abrahamo ſcito prænoſcens quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient ſeruituti eos, & affligent quadringentis annis*, Geneſ. 15. n. 13. Audiens Abrahamus crudelem adeo, & diuturnam per tot annorum ſæcula filiorum captiuitatem, tacet, & nec verbum loquitur; at vbi Dominus ei indicauit, peccatum Sodomorum aggrauatum eſſe nimis, magnumque in eos parari ſupplicium, ſtatim pro eis orans multipliciter verba facit, *Geneſ.* 18. *num.* 20. *&* 21. Cur Sanctus ſenex auditas filiorum calamitates veluti contemnens ora premit, & pro aliorum miſeriis tam vehementer aperit? Cardinalis Cuſan. lib. 11. excitat. (Card. Cuſan.) *Plus*, ait, *pro alienis, quàm pro filijs loquitur.* Tacet ad filiorum captiuitatem, in homines enim, ac filios ſuos tyrannis erat exercita; pro Sodomorum autem miſeria orat, audiuerat namque in Deum eſſe peccatum, & ideo viſcera eius vehementiùs ſunt commota,

31. Iob. 41. Poſtquam illi ad Iob amici ſunt locuti; *Dixit Deus Eliphaz: Non eſtis locuti rectum coram me, ſicut ſeruus meus Iob*, cap. 42. num. 7. & ſtatim. *Ite ad ſeruum meum Iob, ipſe orabit pro vobis, & faciem eius ſuſcipiam.* Deinde verò ait Deus per Ezechielem. *Terra, cùm peccauerit mihi, extendam manum meam ſuper eam*, Ezechiel. 14. n. 13. (Ezech. 14.) & poſtea. *Si fuerint tres viri iſti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt*, Sed quare illic oratione Iob interueniente peccatum remittitur, hic verò minimè? D. Cyprianus in Epiſtola ad Donatum. (Cyprian.) *Tale eſt peccatum in Deum* ait. Eliphaz, & amicorum peccatum in hominem erat, nempe Iob; delicta verò, quorum per Ezechielem mentio fit, idololatria, aliaque in Deum; & illa hac de cauſa iuſti oratione condonabantur, hæc verò, vtpote grauiora, minimè.

Luca 2. *n.* 21. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.

VERSIONES.

Aliqua Græca exemplaria habent. Et vocatum eſt nomẽ eius Ieſus.

Syriacus. Priuſquam conceptus fuiſſet.

Arias. Ante concepi eum in vtero.

EXPOSITIO.

32. CIRCVNCISIO die fiebat octaua; poſt ipſam nomen imponebatur, quòd obſeruauit Chriſtus Dominus, vt notat Beda, & ait: (Beda.) *Sed quod eodem die ſuæ circunciſionis nomen accepit, ad imitationem priſcæ obſeruationis fecit.* Haymon; (Haymon.) *Quòd Dominus Ieſus*, ait, *in die circunciſionis ſuæ augmentum promeruit, ad imitationem priſcorum hominum factum. Abraham namque in die ſuæ Circunciſionis nominis augmentum promeruit*, Geneſ. 17. (Geneſ. 17.) Ex quo duo nota. Primum, quòd Chriſtus Dominus maiorum eſt veſtigia ſecutus. Secundùm, quòd cum ſignaculo fidei augmentum ſuſcipiebatur Ieſus, hoc eſt, ſanctiſſimum nomen eius, & idem eſt, ac Saluator. *Cum fide augmentum.* De quo Expoſitores multa circa Hebraicam litteram, quæ apud ipſos vide, ſicut & myſterium litterarum in Beda. Et ita Circunciſio humanitatem, Ieſus diuinitatem demonſtrat, vt ex ipſo nomine, ait D. Bonauent. (Bonauent.) *Accipias, quòd non ex neceſſitate circunciſus eſt.* Textus, *Et vocatum eſt.* Indicat Euangeliſta, quòd nomen ipſum, non humano conſilio, ſed diuino nutu, reuelationéque à Deo accepta per Angelum indicata, impoſitum fuerit.

QVÆSTIO VIII.

Quare dicatur Ieſus, cùm prædictum ſit, Emmanuelem eſſe vocandum?

33. Iſai. 7. ISAIAS cap. 7. num. 14, ait de Chriſto Domino: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quomodo ergo in hiſtoria dicitur *Ieſus*, hæc enim duo nomina, Ieſus, & Emmanuel, diuerſa ſunt? Hanc nobis Iudæi oppoſuerunt obiectionem, vt teſtatur Theophylactus, & Pagninus, vt meminit D. Iuſtinus *in quæſtionibus Gentium, quæſt.* 135. & Hæretici, vt refert Tertullianus *lib.* 3. *contra Marcionem.* (Theophyl. Pagninus. Iuſtinus. Tertullian.) Sed in quæſtione nulla poteſt eſſe dubitatio, vt notat D. Iuſtinus *citatus*; quia ille idem, qui appellatur Ieſus, eſt etiam Emmanuel, vt nobis expreſſit Matthæus *cap.* 1. *num.* 23. Solùm ergo quantum ad ſonum vocis quæſtio eſt.

34. Iuſtinus. Ad quæſtionem igitur reſpondet primò D. Iuſtinus allegatus, quòd Saluator noſter multa ſortitur nomina, ſcilicet Emmanuel, Ieſus, communiter tamen ſolùm dicitur Chriſtus: *Quia*, ait, *in Chriſti nomine omnes eius appellationes comprehenſas, & contentas habemus, etiamſi non omnibus ſemper vſi ſimus.* Secundò. D. Thomas, (D. Thom.) *Ieſus Saluator interpretatur, quod idem eſt, quod Emmanuel, nobiſcum Deus, Deus enim quatuor modis nobiſcum eſt, per aſſumptionem naturæ humanæ, per naturæ conformitatem in omnibus ſimilis, per conuerſationem corporalem, & ſpiritualem, Ecce ego vobiſcum ſum.* Vbi quæſtionem ſoluit ex ſignificatione ipſius nominis, quaſi vnum, idem ſit, ac alterum.

35. Paſchaſ. Tertiò, D. Paſchaſius *lib.* 2. *in Matth.* ita ait: *Nam in eo, quòd Angelus, Ieſum, eum nominat, Saluatorem eorum, qui perierant, aptius reconſignat. Quod verò Propheta eum Emmanuel appellat, inſinuat, quia ipſe, quemadmodum eſt pollicitus, cum his, quos ſemel ſeruauerit, quotidie ſanando, ac adiuuando perſeuerat.* Et ſatis pulchrè, ac ſi dicat: Ieſus dicitur, quia ſalutem cauſat: Emmanuel, dum nobiſcum eſt, ipſamque datam conſeruat vitam, eam largiendo, ac omne bonum communicando, ad ipſum enim, remedium, & beneficium dare, ac ſuſtentare, ſpectat. *Ad idem pertinet dare, & conſeruare.* Vide ſuprà *in hoc cap. num.* 11. *&* 12.

36. Quartò. Vera, & germana expoſitio; Iſaiam prædicere, non eius proprium ex impoſitione nomen Emmanuel vocandum, ſed appellatiuum tantùm, illiuſque naturæ indicatiuum, ſcilicet Deum eſſe, & hominem; ſignificat ergo Emmanuel, non qualiter eſſet vocandus, ſed qualiter in natura ſua futurus erat. Ita D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 7. Iſaiæ, (Cyr. Alex.) *Vocabis nomen eius Emmanuel, hoc eſt, confiteberis, Deum in humana forma apparuiſſe. Quum enim apparuit ſecundùm nos vnigenitus Dei ſermo, tunc vnus nobiſcum factus eſt.* Noſtram interpretationem tradunt D. Chryſoſtomus *homil.* 5. *in Matth.* Thephylactus, Euthymius. (Chryſoſt. Theoph. Euthym.) Quod optimè confirmat D. Chryſoſtomus *cit.* ex communi phraſi Scripturæ; ſolet enim rem aliquam appellare non tam ratione proprij nominis, quàm propriæ ſignificationis, & effectuum, quos producit. Iſai. 8. num. 1. (Iſai. 8.) *Voca nomen eius, Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari.* Vbi dicitur, voca nomen eius, ſcilicet Chriſtum; accelera, &c. Ex proprio tamen nomine non ſic dicendus erat, ſed ex iis, quæ in mundo ab eo eran operanda.

QVÆSTIO IX.

Quare potius Ieſus, quàm Emmanuel vocetur?

37. EX ſuperiori alia iam oritur quæſtio: Cur Dominus non appelletur Emmanuel? Optimum enim eſt nomen illud, quod rei naturam indicat, vt notant. D. Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alij ad 2. Geneſ. num. 29. (Auguſt. Chryſoſt. Geneſ. 2. Rupert.) *Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia.* Vnde ait *ibi* Rupertus. *Singulorum conſiderauit naturas, & ex qualitatibus diuerſis, diuerſa formauit vocabula.* Atqui Emmanuel ſignificat naturam, humanam, & diuinam in Chriſto Domino: ergo hoc erat illi nomen valde conueniens.

38. Dicendum tamen, quòd nomen *Ieſus*, multo maiorem importabat proportionem. Et in primis Ieſus diuinam etiam, & humanam ſignificat naturam, licèt diuerſum importet modum à nomine Emmanuelis, quod de formali naturam dicit diuinam, & humanam connotat; at Ieſus è contra, de formali dicit humanam, & connotat diuinam. de quo latè Fonſeca 5. *Met. cap.* 8. *ſect.* 5. *quæſt.* 7. Vaſquius *tom.* 1. *ad* 3. *part. diſp.* 67. *cap.* 4. Suarius *tom.* 1. *ad* 3. *part. quæſt.* 16. *art.* 2. (Fonſeca. Vaſquius. Suarius.)

39. Secundò. Antiqui Patres filiis ſolebant imponere nomina ab eo, quod ſæpe in memoriam reuocandum erat, vt notant Lyppoman. *in cap.* 2. *Exod.* Euſebius Cæſar. *lib.* 11. *de præpar. cap.* 4. (Lippom. Euſebius.) Et patet exemplo Ioſeph, *Geneſ.* 41. *num.* 51. *&* 52. *& Exod.* 2. *num.* 22. Vt quoties nomen filij audirent, toties diuinum recordarentur beneficium. Meritò ergo dicitur Ieſus, & non Emmanuel. *Obligatio muneris perſonæ dignitati præferenda.* *Emmanuel* ſignificat naturæ excellentiam, Ieſus Redemptoris officium indicat, quòd vitam dare pro ſuis conſtringebatur; potius verò obligatio muneris debet ante oculos obuerſari, quàm dignitas perſonæ, ideoque vt illa ſemper fixa eſſet in mente, inſculpta eſt in nomine. Vide *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 21. *& cap.* 6. *num.* 5.

40. *Plus æſtimandum meritũ, quàm dignitas.* Tertiò. Emmanuel nomen eſt dignitatem ſignificans, quod à Patre hæreditario iure habet acceptum; Ieſus verò nomen meriti, dicens, quòd propriis factis comparauit: & magni animi eſt, meritum pluris, quàm dignitatem facere; plus gloriari de his, quæ operibus, quàm de illis, quæ à natura conceduntur. Vide *lib.* 1. *c.* 1. *n.* 117. *& cap.* 2. *num.* 8. *&* 111. *& cap.* 5. *num.* 72.

41. Gregent. Quartò. Ait D. Gregentus in ſua diſp. *Ieſus miſerendi pignus nomine portat.* Alia nomina, vt Emmanuel, Deus fortis, Omnipotens, vindictam, & ſupplicium clamant, cùm peccata in tantum Dominum ſint commiſſa; at Ieſus, vtpote nomen Saluatoris, compaſſionem exquirit, atque clementiam: ideoque vocatur hoc nomine, & primum in Euangelio ei datur ante omnia alia, quibus eſt appellatus, vt Meſſias, Rex Iraël, filius Dauid, filius Dei, & hoc ſanctiſſimo Ieſus nomine annus inchoatur, vt ſi ad Dei tribunal diuinam iuſtitiam prouocantia acceſſerint peccata, priùs hoc ſanctiſſimum perueniat nomen, Patris erga nos miſericordiam occupans. *Ieſus ſolicitat miſericordiam.*

42. *Ieſus nomen præoccupat miſericordiã.* Quæret aliquis ſatis curioſè: Quare Crucis titulus ſuper caput Chriſti eſt affixus, & non è manibus potiùs, vel pedibus pendebat, vt faciliùs legi poſſet ab omnibus? Diuina eſt ordinatum prouidentia; nam ſi blaſphemiæ, atque in Chriſtum iniuriæ diuinam excitantes iram ad cælum penetrarent, ſanctiſſimum nomen ipſum æternam impetrans miſericordiam priùs euolaret. Præcepit Deus Moyſi, vt in ſacerdotali ornatu ſummi Sacerdotis in pectore eſſent inſculpta nomina filiorum Iſraël. (Exod. 28.) *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſraël in rationali iudicij ſuper pectus ſuum*, Exod. 28. num. 29. Et ſtatim ſubditur. *Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino; ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram, imminens fronti Pontificis*; & ſtatim dicitur, *Erit autem lamina ſemper in fronte eius, vt placatus ſit eis Dominus.* Ibidem *num.* 38. Sed cur ſanctiſſimum nomen Dei Iehoua ponitur ſuper caput, nomina verò filiorum Iſraël in pectore? *Dei miſericordia præoccupat iuſtitiam.* Cur non potius ipſum ſanctiſſimum Dei nomen inter alia, tamquam in eorum medio deſcribitur, vt inde miſericordia in omnes filios Iſraël diffundatur, vt dicebat Deus per Zachariam: (Zach. 8.) *Reuerſus ſum ad Sion, & habitabo in medio Hieruſalem*, Zachar. 8. n. 3. Illud nomen ponebatur ſuper caput in ſignum gratiæ, & miſericordiæ, vt notant D. Hieronymus, & Beda, & ideo dicitur in textu, (Hieron. Beda.) *Vt placatus ſit eis Dominus.* Scribantur filij Iſraël in pectore, vt ſi ipſi pro ſuis peccatis, ac iniquitatibus diuinam iram, ac iuſtitiam prouocauerint, priùs è capite Sacerdotis ſanctiſſimum Dei nomen accedat, miſericordiam, ac beneuolentiam impetrans. Illa nocte, qua Moyſes cum filiis Iſraël egrediebatur de Ægypto, præcepit eis Deus vt ſacrificarent, ac comederent agnum Paſchalem; (Exod. 12.) *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus*, Exod. 12. n 8. Valde mirum eſt, quòd nocte illa, in qua maximis negotiis implicati erant filij Iſraël,

Iſraël, vt vnuſquiſque aſportaret ſecum quæ ad ſe pertinebant, tantum peragere ſacrificium eis mandatur, cur non potiùs in deſerto poſt tranſitum maris rubri, quando eſſent quieto, & placato animo. Altum conſilium diuinæ prouidentiæ hîc emicuit, vt miſericordia præoccuparet iudicium; nam ſi eorum peccata in deſerto diffidentiæ murmurationes, concupiſcentiæ, luxuriæ, ac abominationes ad cælum clamarent, vt diuinam iuſtitiam prouocauerint, priùs tantum Sacramentum ipſius agni paſchalis, in quo maxima myſteria adumbrabantur, præoccupatam erga homines haberet diuinam miſericordiam. D. Ambroſius,

Ambroſ. *Ille agnus*, inquit, *patrum populum liberauit, ille agnus vocauit ad libertatem, ille agnus maris profunda ſolidauit, vt Ægyptum tranſire poſſemus.* Per illum typicum agnum in initio itineris ad omnes difficultates vincendas præparati ſunt.

QVÆSTIO X.

Quomodo Ieſus ſit nomen nouum?

43. Iſai. 62. HVIC quæſtioni occaſionem nobis miniſtrat vaticinium Iſaiæ 62. num. 2. *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Et nulla eſt quæſtio in communi ſententia

Athan. Chryſoſt. Hieron. D. Thom. Patrum, D. Athanaſij *in diſput. contra Arrium coram Probo in Symbol.* D. Chryſoſtomi *homil.* 19. *in Ioan.* D Hieronymi, D. Thomæ, & aliorum *ad locum Iſaiæ*; qui communiter exponunt illum de Eccleſia Catholica, quæ non Sion, vel Hieruſalem, ſed Eccleſia dicitur, eiuſque filij, non Iſraëlitæ, ſed Chriſtiani appellantur. Quod confirmant

Apocal. 2. ex Apocal. 2. num. 17. *In calculo nomen nouum ſcriptum.*

44. Cyrill. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. de Trinitate. Vaticinium intelligit hoc de nomine *Ieſu*, & *lib.* 11. *Theſaur. cap.* 14. de nomine *Emmanuelis.* Sed quomodo *Ieſus* nomen nouum, cùm eo nomine in Scriptura multi reperiantur vocati, 1. *Eſdræ* 3. *num.* 2. & 9. & *cap.* 5. *num.* 2. & 1. *Paral.* 24.

Galatin. Pagnin. Reſpondent Galatinus *lib.* 3. *cap.* 30. Pagninus *in Interpret. nom. Hebr.* negando; nam alia nomina ſignificabant *ſaluauit*; at nomen Ieſus *Saluatorem* dicit; & ita ſecundùm radicem Hebraicam diuerſum eſt. Et hæc ſententia probabilis, quia illi viri duo in lingua Hebræa doctiſſimi eam tenent: tamen quia multi ſunt viri docti, qui contendunt, aliquos in veteri Teſtamento nomine

Barradas. Maldon. *Ieſu*, fuiſſe appellatos, vt Barradas *tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 3. §. *Verùm quæ.* Maldonatus *in cap.* 1. *Matth. n.* 21. ideo in hac ſententia etiam ſoluenda eſt difficultas.

45. Cyrill. Reſpondeo primò, *Ieſus* dicitur nomen nouum. D. Cyrillus citatus *lib.* 5. *de Trinit.* ait: *Nomen nouum Verbo diuino eſt Ieſus, concurrens cum carnis natiuitate: Propheticum oraculum iterum adſtipulatur.* Ac proinde *Ieſus* eſt nomen nouum filio Dei, qui enim ab æterno dicebatur Deus, Sapientia, Verbum, modò ratione humanæ natiuitatis dicitur *Ieſus*, & inter illa omnia præſtantiſſima hoc nomine vocari maximè delectat. Secundò. Quia non caſu, ſed alto Dei conſilio, *Ieſus*, appllatur: *Quod os Domini nominabit.* Meritò nomen nouum, quod ob ſuam ſanctitatem à puriſſimo ſolùm poteſt Dei ore nominari. Tertiò. Nomen nouum pe rreſpectum ad ea, quæ ex ore Dei data ſunt: Deus impoſuit nomen Abraham, Saræ, Iacob, inter hæc, Ieſus, nomen nouum eſt; nullus enim illorum tale à Deo accepit nomen.

46. Quartò. Meritò dicitur nouum, quia licèt aliqui hoc nomine ſint vocati, fuit hoc tamquam in vmbra, & figura, atque quoad aliquem particularem effectum temporalem: at noſter Dominus ſimpliciter, & abſolutè eſt in realitate Saluator, omnemque vitam, ac in omni genere redemptionem ipſe cauſat. D. Dionyſius Carthuſianus,

Carthuſ. Bernard. *Nouum ad ſignificandam liberationem perfectam, & completam.* Et D. Bernardus, *ſerm.* 1. *de Circunciſione*, ita ait: *Neque enim ad inſtar priorum meus iſte Ieſus nomen vacuum, aut inane portat.*

Solus Deus Ieſus nomen comprehẽdit. Et quanta hoc nomen in Chriſto ſit plenitudine, quot in eo relucẽat mirabilia, & contineantur magnitudines, ſolus æternus Pater cognoſcere, ac comprehendere valet.

47. Matth. 1. Apparuit Angelus Domini Ioſeph, & dixit ei filium naſciturum ex Virgine. *Vocabis nomen eius Ieſus, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, Matth. 1. n. 21. Quando verò idemmet Angelus Zachariæ annuntiat filium ſuum,

Luc. 1. ſolùm ait: *Vocabis nomen eius Ioannem*, Luc. 1. num. 13. Quare nomen Ieſu, non tantùm de cælo affert, verùm etiam interpretationem adhibet?

Soli Angeli Ieſu nomen poſſunt interpretari. *Ipſe enim ſaluum faciet*: &c. Nomini verò Ioannis nihil eorum præſtitit, ſed eius nobis committit intelligentiam? In Ieſu tot myſteria, totque mirabilia ſunt contenta, vt ſolus Angelus à Deo miſſus de illis nos inſtruere poſſit. D. Chryſoſtomus homil. 4. in Matt.

Chryſoſt. *Propterea*, ait, *nomen eius de cælo Angelum detuliſſe Euangeliſta memorauit, vt hinc quoque oſtẽderet, illum mirabilem eſſe partum, quo eius nomen ad Ioſeph, & per Angelum, & à Deo miſſum doceret: nam & ipſum vocabulum non inaniter poſitum eſt, quod certè mille continet theſauros bonorum. Propter quod & illud etiam Angelus interpretatur.* Expẽde vltima verba, ſolus enim Angelus tantum nomen valet interpretari.

48. Baſil. Theod. Cyrillus. Pſalm. 23. Iſai. 63. Sancti Angeli in Chriſto Domino humanitatem videntes diuinitatem inter ſe quærunt, vt explicant D. Baſilius, Theodoretus, & D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. Theſaur. cap. 2. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Pſalm. 23. num. 8. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* Iſai. 63. num. 1. Sed Angeli Chriſtum Dominum neſciunt? eius nomen ignorant? Nónne eſt inter eos Gabriel, qui eius nomen, Ieſum, Virgini, ac Ioſeph prædixit? Quomodo ergo interrogant: *Quis eſt iſte?*

Solus Deus cognoſcit magnitudinẽ nominis Ieſu. Cùm Gabriel, eiuſque ſocij hîc interrogant, tamquam cæleſtes ſpiritus loquuntur; dum verò Gabriel eius parentibus nomen annuntiauit, erat miſſus à Deo, Deique perſonam agebat: magnitudines, & mirabilia nominis, Ieſu, adeò ſuperexcellunt, vt nec capi poſſint, nec penetrari ab Angelis, prout cæleſtes ſpiritus, ac creaturæ ſunt, ſed tantummodo cùm à Deo miſſi eius perſonam repræſentant.

Apoc. 19. Vidit Ioannes Chriſtum. *Et vocabatur verax, ac fidelis*; & in veſtitu eius ſcriptum videbatur, *Rex regum, Dominus dominantium*; & in capite, *Habebat nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe*, Apocal. 19. num. 12. Quod nomen, vt

Hugo. iam dixi ex Cardinali Hugone, erat Ieſus. Alia nomina clara voce pronuntiabantur, atque maniſeſtè legebantur, videlicet, quòd eſſet verax, fidelis, Rex regum; at nomen *Ieſus*, nemo nouit, niſi ipſe? Meritò ſanè; mirabilia, ac myſteriorum theſauros

theſauros in Ieſu contentos, ſolus Dei Spiritus penetrat, atque cognoſcit.

QVÆSTIO XI.

Quare nomen Ieſus *ab Iſaia non nominetur inter cætera?*

49. Iſai. 9. ISAIAS c. 9. n. 6. ait: *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* D. Bernard. ſer. 2.

Bernard. *In nomine Ieſu omnia continentur bona,* de Circunciſione. *Magna quidem nomina, [illegible] vbi eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ, nomen Ieſu, in quo omne genu flectitur? Fortè in his omnibus vnũ illud inuenies.* Omnia alia in hoc nomen Ieſu, tãquam in compendio continentur. Sed hoc latiùs eſt explicandum cum D. Bernardo *citato loco.*

50. Bernard. D Thom. *Nomen Ieſu admirabile.* Marc. vlt. Eſt ergo nomẽ Ieſu, admirabile, ait D. Bernard. *quia operatur mirabilia noſtræ ſalutis.* D. Thomas ſer. 2. de Circunciſione: *Eſt*, ait, *nomen Ieſus admirabile, quia in virtute eius omnia creãtur, dæmones fugantur, & omnes languores curantur*, Marc. vlt. n. 17. *Ergo eſt admirabile. Cur quæris nomen meum, quod eſt ineffabile*, Gen. 32. n. 29. ita D. Thom. ſeu,

Lyppom. vt legit Lyppoman. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile.* Quod eſt nomen tuum mirabile, & ineffabile, iuxta D. Thomam? *Eſt nomen Ieſus.*

51. *Ieſus nomen conſiliarius.* Nomen Ieſus, conſiliarium ſe exhibet, ait D. Bernard. ſcilicet: *In electione pœnitentiæ, & vitæ ordinatione: ne fortè ſit nobis abſque ſcientia zelus, & voluntati bonæ prudentia deſit.* Dum bonus ille latro in cruce ſimul cum Chriſto pendens, in eo Diuinitatem, in ſe ipſo autem peccata cognouit, ideo dixit: *Nos quidem iuſtè digna factis recipimus.* Sed quis eum illuminauit, eique Conſiliarius fuit, atque in tam altam pœnitentiam adduxit? Abſque dubio nomen Ieſus, exaratum in titulo: quapropter vt hoc notaret Euangeliſta,

Luc. 23. vtramque coniunxit hiſtoriam. *Erat autem*, ait, *ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis*, &c. *Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus*; & proſequitur illius conuerſionem narrando.

Arnol. Carn. Arnold. Carnotenſis *ſer.* 7. *de verbis Domini*, ait: *Licèt tam inſignem titulum deleri perfidia Iudæorum clamosè expectaret; obtinere nullo modo præualuit. Iam ad hanc ſcripturam pertinebat latro crucifixus, & eum intra ſe illæ literæ colligebant.* Latronem illa literarum efficacia ad cæleſtem traxit beatitudinem.

52. *Ieſus dat fortitudinem.* Eſt nomen Ieſus, fortis, ait D. Bernard. *quo experimur impugnare impugnantes nos, ne ab ijſdem rurſum concupiſcentijs ſuperemur, & fiant nouiſſima noſtra peiora prioribus.* Dixit Moyſes Ioſue, cùm

Exod. 17. pugnandum eſſet contra Amalechitas: *Elige tibi viros, & egreſſus pugna contra Amalech*, Exod. 17. n. 9. Sed cur moyſes præſtantiſſimus dux viros non vocat, in quibus nouerat eſſe potentiam, & fortitudinem, ſed tantùm hoc Ioſue præcipit?

Origen. Origenes *homil.* 11. *in Exod.* ita ait: *Vſque ad hunc locum beati nominis Ieſu, nuſquam facta eſt mentio; hic primum vocabuli huius ſplendor effulſit: hic primum vocauit Moyſes Ieſum, & dixit ei: Elige tibi viros. Non poterat Moyſes eligere, ſed Ieſus ſolus eſt, qui poſſit potentes viros eligere, ipſe eſt potentium princeps, qui confligit cum Amalech.* Et *homil.* 1. *in Ioſue*, ait: *Tanti nominis auſpicio confidebat.* Solum enim in nomine Ieſu fortitudo, & victoria acquiri poteſt; ipſe eſt, qui impugnat impugnantes nos.

Nomen Ieſu nomen Omnipotentiæ. Exod. 16. Quando cum ſuo exercitu Pharao demerſus eſt in mare, cecinit Moyſes canticum, & ait. *Dominus quaſi vir pugnator, Omnipotens nomen eius*, Exod. 16. n. 3. Sed quodnam eſt nomen Dei Omnipotens? erat Iehoua, in quo figurabatur nomẽ Ieſu, quod à Moyſe inuocabatur,

Chriſtopol. ita tenet Chriſtopol. Epiſcopus. *Notanter*, ait, *dicitur Omnipotens nomen eius, quod Ieſus, quod eſt nomen Dei, eſt nomen omnipotentiæ, & ſummæ ſapientiæ, & iuſtitiæ, & miſericordiæ, in cuius virtute, & ad cuius inuocationem, Moyſes fecit omnia miracula, & ideo dicit quòd nomen Dei eſt Omnipotens, quòd eſt Ieſus, quia proiecit primò currus Pharaonis, & exercitum eius in mare.*

53. *Nomen Ieſus dat vitam.* Ezech. 37. Eſt nomen Ieſus, ait D. Bernardus, *Pater futuri ſæculi, per eum ſcilicet in immortalitatem reſurgemus.* Ezech. 37. n. 1. dicitur: *Spiritus Domini dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus. Et circunduxit me per ea in gyro; erant autem multa valdè ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer. Et dixit ad me, Fili hominis, putas ne viuent oſſa iſta?* Sed cur vt mortui illi in vitam reſurgant, filius hominis dicitur? Cur alio nomine non appellatur Propheta? Immo inter omnes Vates ipſe frequentiſſimè hanc accipit vocem, *fili hominis.* In vitam æternam erant illa oſſa reuocanda, ideo vox illa, *fili hominis*, profertur, quæ Ieſum figurabat, qui ſimpliciter filius hominis dicitur. In virtute illius vocis, & nominis in æternam felicitatem fit reſurrectio. D. Iuſtinus Martyr *quæſt.* 45.

Iuſtin. ait: *Quoniam ab Ezechiele per viſum ſcribenda erat mortuorum reſurrectio, quæ futura eſt re ipſa vi filij hominis, ex illo quod ſcriptum eſt: Venit hora, quando omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij hominis: ſic Ezechiel filij hominis nomen accipit, & viſione mortuos vi nominis excitat.* Expende vltima verba. De morte Moyſis dicitur:

Deut. 34. *Fleuerúntque eum filij Iſraël*, Deut. 34. num. 8. De morte ducis Ioſue nihil tale ſcriptum reperitur. Cuius rei rationem innuit D. Hieronymus lib. 1.

Hieron. in Iouinianum. *Moyſes moriens plangitur à populo Iſraël: Ieſus autem, quaſi victurus, non plangitur.* Dux iſte nominis Ieſu vmbram portabat, mors illius non ſentitur, ac proinde eum lachrymis populus non proſequitur, tanquam ſi eum mors non caperet.

54. *Ieſus dat pacem.* Eſt nomen Ieſus, princeps pacis, *reconcilians nos Deo*, vt ait Diuus Bernardus. Cùm Chriſtus Crucifixus mundum Æterno Parenti eſſet reconcilians, in titulo ſuper caput nomen Ieſus, ſcribitur, vt præſentia tanti nominis in Deum, & hominem pax ipſa fieret. Omnia enim illa nomina continentur in Ieſu, & ideo dicitur, *Vnguentum effuſum*, nam ſicut hoc ex pluribus fit aromatibus, ac odoriferis ſpeciebus, illaque omnia virtualiter continet; ita etiam, Ieſu nomen per reſpectum ad alia.

QVÆSTIO XII.

Quare dicatur, vocatum eſt nomen eius?

55. Bernard. RESPONDET primò. D. Bernardus ſerm. 2. de Circunciſione. *Vocatum*, ait, *non impoſitum, nempe hoc ei nomen eſt ab æterno, à natura*

propria habet, vt ſit Saluator, innatum eſt ei hoc nomen, non inditum ab humana, vel Angelica creatura. Hoc quod eſt ſaluare ingenitum eſt à natura filio Dei, & ideo nomen hoc non dicitur impoſitum, ſed vocatum. Secundò. Dicitur *Ieſus*, quia D.Thom. ipſe per antonomaſiam eſt Saluator. D. Thomas expendit, cur Doctor Gentium de ſe ait ad Rom.1. Rom.1. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus: ad deſignandam, ait, excellentiam, vt ſicut Vrbs antonomaſticè vocatur ipſa Roma, ita Apoſtolus vocatur Paulus.*

56. Tertiò. Vocatum eſt nomen eius; at in Cruce datum eſt illi hoc nomen: *Donauit illi nomen*, ait Philipp.2. Paulus ad Philipp.2. num.9. *Ieſus* idem valet, ac Saluator. Chriſtus in Cruce noſtram operatus eſt ſalutem: ibi ergo nomen ei datur, hîc verò ante in Circunciſione veluti creditur ex meritis ſoluendis. Cùm Chriſtus Dominus ſuos vocauit Luc.6. operarios, ait Lucas 6. num.13. *Elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominauit*; quia nondum illius honoris culmen per merita erant aſſecuti; ac poſtea, dum magnis effulſere factis, de eis Paulus 1.Cor.12. inquit 1.Cor.12. *Dedit Deus in Eccleſia Apoſtolos*; quia dignitas iam ex bonis operibus propria erat. Et hac de cauſa fortaſſe Paulus in Epiſtola Rom.1. ad Rom.1. num.1. de ſe inquit: *Vocatus Apoſtolus*; quia nondum eis prædicauerat: ad Epheſios verò, & Galatas, quos in fide iam inſtruxerat, dicitur, *Paulus Apoſtolus.*

QVÆSTIO XIII.

Quare Ieſu nomen vocatum ſit prius ab Angelo, quàm ab homine.

57. Origenes. RESPONDET primò Origenes homilia 14. in Lucam. *Vocabulum* Ieſus, ait, *glorioſum, omni adoratu, cultúque dignum, non debuit à parentibus, aut alio homine appellari, neque ab eis afferri in mundum, ſed ab excellentiori quadam, maiorique natura.* Tantum nomen primò debuit proferri, ac promulgari à natura dotibus, ac qualitate præſtantiori. Secundò reſpondet, D. Bernardus ſerm.1. de Circunciſ. *Idem quippe,* ſcilicet Chriſtus, ait, *& Angeli Saluator, & hominis; ſed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Multa ſunt Angelis, & hominibus com- *Primus in beneficio, primus in gratificatione.* municata beneficia à Chriſto Domino. Hæc Angeli à primo ſuæ creationis inſtanti obtinuerunt; homines verò ab ipſa in carne paſſibili determinata Incarnatione habuere, vt ſatis eſt probabilis ſententia D. Thomæ: cur ergo in ipſis donis accipiendis Angeli primi fuerint, merito etiam veluti gratias agentes ipſum Ieſu nomen acclamantes, primi ſunt.

58. Bernard. Tertiò. Idem D. Bernardus *ſermone 1. de Circunciſione*, aliam innuit rationem. *Et ab eis, qui foris ſunt*, ait, *& ab eo qui intus eſt, habere oportet teſtimonium bonum.* Ac ſi dicat, quòd nominis Ieſu magnitudo in eo maximè apparet, quòd domeſticos, Mariam, ſcilicet, & Ioſephum, ac extraneos quoque, nempe Angelos, ſimul adiungat, atque illis omnibus ſit plauſibilis, cùm ab vniuerſis ſumma reuerentia, Ieſus dicatur. Quartò apertè de Angelico dicto circa imponendum Ieſu nomen mentio fit, vt reddatur manifeſtum, quòd omnia de Chriſto ab Angelo prædicta ſunt, ſed quare cùm dicitur filius Dauidis, Saluator Filius Dei, non ſpecificatur: ſicut dictum eſt ab *Omnia magnalia in nomine Ieſu.* Angelo, vt in nomine Ieſu inuenitur? Ea nunc mihi eſt ratio, quia in eo quòd Ieſus appellatur, omnia magnalia de Chriſto ab Angelo dicta verificantur, quæ in nullo alio fortaſſe tam manifeſtè exprimebantur.

Quintò. Refertur primò eius nomen ad Ange- 59. lum, qui ante conceptionem nomen Ieſu pronuntiauit, de hoc enim Angelus, ait textus, miſſus à Deo: tanti namque nominis magnitudinem ſolus Angelus à Deo miſſus valuit primò prænun- *Omnia Angelus à Deo Ieſum dicit.* tiare, hominéſque docere; hoc tantum nomen di[illegible]detur valde proportionatum cum Angelico ore, vt dixi in prima ratione. Narrat Matth.1. n.18. & ait, *Chriſti generatio ſic erat.* Et ſtatim in- Matth.1. troducit Angelum cum Ioſeph loquentem, & dicentem ei, *Pariet*, ſcilicet vxor tua, *filium, & vocabis nomen eius, Ieſum.* Cur ſacer Euangeliſta vtrobique idem nomen non aſſumit, ſi ipſum aſſerit ab Angelo vocari Ieſum; cur non dicit ſe ſcribere *Ieſus ſolum pronuntiatur ab Angelis.* generationem Ieſu, ſed tantùm ait, *Chriſti generatio ſic erat.* D. Paſchaſius *lib.1. in Matth.* iam da- Paſchaſ. tus. *Chriſti nomen ſolùm ſine additamento, Ieſu, hîc poſuiſſe creditur, vt nomen Ieſu, quod ſubſtantialiter illi inerat, Angelo dicendum reſeruaret.* Tantũ nomen Euangeliſta ex ſe non audet proferre, ſed illud Angelo pronuntiandum relinquit, ac vt ex eius ore ſcribatur, & ideo vt hiſtoria narrat, non ait Euangeliſta, Ieſus generatio ſic erat, ſed tantùm Chriſti generatio. Euangeliſta ob ſui humilitatem tantum nomen ex ſe non audet pronuntiare; nouerat enim excellentia nominis, quòd ſolum ab ore magno poterat proferri. Ait Angelus Virgini. *Vocabis nomen eius, Ieſus, hic erit* Luc.1. *magnus, & filius Altiſſimi vocabitur*, Luc.1. n.32. Sicut etiam idem Angelus dixit Ioſeph, *Vocabis nomen eius Ieſum*, Matth.1. n.20. Sed cur Angelus Matth.1. ait, quòd Chriſtus Dominus vocabitur filius Dei, ſcilicet ab omnibus, vt eſt vera expoſitio (vt *ibi* dixi.) At verò quando ad nomen Ieſum deuenit, ait, Vocabis, tu ſcilicet ô Virgo, vocabis tu ſcilicet Ioſeph, nomen eius Ieſum; cur nomine Filij *Nomen Ieſu ſolùm in ore magno.* Dei vocabitur ab omnibus, ab omni populo, ab omni natione; at verò nomine Ieſus dicatur à Virgine, ac à Ioſeph? Nomen filij Dei dicatur ab omnibus, ſit per omnium ora, at verò ſanctiſſimum nomen Ieſum, ſolum capit puriſſimum os Virginis, & Ioſeph. Rupertus lib. 1. de operibus Spiritus ſancti, c.10. *Paulo antè*, ait, *vocabis nomen* Rupert. *eius Ieſum, hîc autem vocabitur Filius Dei: illic, vocabis, hîc autem vocabitur, dixit, & ad beatum Ioſeph, vocabis nomen eius Ieſum. Etenim nomine Ieſu, quo plures æquiuocabantur, liberè ab ipſa, vel à Ioſeph vocari potuit: filius autem Dei, ſiue filius Altiſſimi vt vocaretur, reſeruatum erat prædicationi Euangelicæ.* In huius rei confirmationem nota ſæpe Chriſtum dici à Pilato Regem, ſcilicet Meſſiam, *Ioan.19.* numquam verò ipſius ore nomen Ieſum, pronuntiatum, vt expendi *lib.1. cap 8. n.27.* Hoc enim nomen non à quolibet ore, ſed ſolùm à puriſſimo valet dici. Ab Hebræis Deus multis nominibus vocabatur, vt Adonai, vel Elohim, ac ſanctiſſimum nomen Iehoua ſolum poterat proferri à Summo Sacerdote, dum populum in tem- Hieron. plo benedicebat, vt tradunt D. Hieronymus *Epi-* Nazianz. *ſtola 136. ad Marcellum.* D. Gregorius Nazianze- Euſeb. nus *orat.4. de Theologia.* Euſebius Cæſar. *lib.11. de præparat. cap.8.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIV.

Quare hîc nominetur ſolùm Angelus, & Gabrielis nomen taceatur?

60. IN Annuntiatione nomen Angeli declaratur: *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* Cur hîc non exprimitur, & dicitur; ſicut vocatum eſt ab Angelo Gabriele? Reſpondeo primò. De Sanctiſ- *Ad præſentiam nominis Ieſu, nullum aliud apparet.* ſimo hîc nomine Ieſu agebatur, ideo Gabrielis proprium tacetur; ad illius enim diuini nominis præſentiam, nullum aliud poteſt apparere, tanquam nihilum eſt omnis creata magnitudo.

61. Sed quare dicitur Angelus, Cùm Gabriel Archangelus ſit? Reſpondeo, quòd in nouem choros, & tres Hierarchias cæleſtis diuiditur militia; omnes cæleſtes illi ſpiritus ſub communi Angeli nomine vocantur. Si igitur, quòd vocatum eſt ab Archangelo, diceretur, vnus tantùm nobilitatus eſſet chorus, ad quem Gabriel ſpectat, cùm vnum illius indiuiduum hoc ſanctiſſimum pro- *Honor nominis Ieſu omnibus.* tulerit nomen; omnes tamen nouem illi Ordines honorantur, cùm ſub Angeli nomine intelliguntur, & vtilitas, decus, & bona ex nomine Ieſu, communicata, non in vno, vel altero reſtringuntur, ſed in omnes abundanter redundant.

62. Adhuc expendo: Cur hîc non dicitur ſaltem Angelus Domini. nam dum idem Gabriel in nocte natiuitatis feliciſſima dedit paſtoribus nun- Luc.1. tia, ait Luc.2. num.9. *Ecce Angelus Domini aſtitit iuxta illos, & claritas Dei circunfulſit eos.* Ex qua cauſa hîc etiam eodem nomine non exprimitur? *In nomine Ieſu omnis ſanctitas.* Illic, vt tanquam bonus Angelus agnoſceretur, neceſſe fuit, Angelum Domini dici, in Deique claritate apparere: vt verò hic talis reputetur, ſufficientiſſimum eſt, quòd Ieſus, in quo omnis eſt ſanctitas, nomen afferat, & pronuntiet. 2. *Machab.4. num.7.* dicitur: Ambierat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium, & multa alia de eo narrantur ſcelera, quomodo gymnaſium meretricium ædificandi poſtulauerat facultatem, ſimul & maſculinæ luxuriæ Ephebiam, itémque vt Iudæi Antiocheni ſcriberentur. Sed quod hîc facit difficultatem, eſt, quomodo tanti viri frater dicatur Iaſon nomen apud Iudæos ignotum, & apud Ethnicos vulgare? Hîc antea dicebatur Ieſus, & cùm in tot prolapſus ſit crimina nomen mutauit. Ioſeph. Ita teſtatur Ioſephus *lib.12. Antiquit. cap.6.* Cæterùm, ait, Ieſus, Iaſonem ſe vocari maluit. Ita ille. Et conſilio ſanè diuino, in flagitioſiſſimo namque homine, tantis infecto criminibus adeò ſanctiſſimi nominis vmbra eſſe non poterat.

QVÆSTIO XV.

Quare Euangeliſta meminerit dicti Angeli ante conceptionem?

63. CVM nomen, Ieſus, declaratum ſit Virgini ante conceptionem, & poſt conceptionem Ioſeph; quare Angelus de illa prima reuelatione Tolet. facit mentionem, non verò de ſecunda? Toletus reſpondet primò. Vt ſignificaret, non de Ioſeph, ſed de beatiſſima Virgine eſſe conceptum. Secundò reſpondeo, quia illa fuit prima, & illuſtrior declaratio nominis Ieſu. Tertiò. Beatiſſimæ Virgini in oratione pernoctanti, Ioſeph verò dormienti, atque ſomno dedito, puerum vocandum eſſe Ieſum, manifeſtatur; huic autem nominis Ieſu appellationi adeò eſt intrin- *Ieſus nomen meritorum.* ſecum, quòd nomen ſit meritorum connaturale, vt ibi hæc interueniunt, ibi tantùm declaretur, & explicitum appareat; ideóque de eius ad Virginem pronuntiatione ſolummodo fit mentio.

Celebris apud antiquos fuit conſuetudo, quòd nomen cuiuſlibet proprium in eius inſculperetur monumento. Quare igitur nomen, Ieſus, in eius non ponitur ſepultura, ſed tantùm in cruce; vt meritò dubitat D. Leo Papa. In cruce noſtram operabatur ſalutem, in ſepulchro requieſcebat, & nomen tam illuſtre inter Crucis ſudores ſolùm valuit intueri. Chriſtus viſus eſt in Apoca- Apocal.19. lypſi 19. num.12. *In capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe.* quod erat nomen, Ieſus, vt iam dixi; ſed nullibi hoc, niſi inter coronas, & victorias, nomen apparet. Ipſum ergo nobis det victoriam, mentémque illuminet. Cogitanti Ioſeph in ſomnis Matth.1. apparuit Angelus, & dixit: *Quod in ea, ſcilicet Virgine, natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, & pariet filium, & vocabis nomen eius, Ieſum,* Matth.1. n.21. Diuus Chryſoſtomus *homil.4.* & Theophylactus aiunt. Vnde vir iſte, ſcilicet Ioſeph, crederet dictis angelicis, cùm tanta ab Angelo mirabilia audiret de puero? Reſpondent. Ex eo Angelus nominauit Ieſum, vt omnem dubitationem ab eo excluderet, & mentem eius illuminatam in fide ſolidaret. Ipſum etiam nomen, Ieſus, illuminet omnium mentes.

CAP. IV.

Magi Chriſtum adorant.

Matth.2. n.1. Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem in diebus Herodis Regis? Ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.

VERSIONES.

Syriacus. Quum natus eſſet Ieſchua in Bethleem, quæ eſt Iudææ.

Euthymius. Cùm genitus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ: Ecce Magi ab Oriente adierunt Hieruſalem.

Vatablus. In Bethleem ciuitate Iudææ temporibus Herodis Regis: Ecce Magi ab Oriente aduenerunt.

Arias. Ieſu nato in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis: Ecce Magi ab Oriente acceſſerunt.

Sylueira in Euang. Tom. I. X 2 EXPO

EXPOSITIO.

1\. Remig. Caiet. Theoph. *Chriſtus in ſuorum ſalutem.* Iſai 1. Imperfect. Anſelm. D.Thom. Paſchaſ. Beda. Baſil. Theoph. Chryſol. Maxim.

DIvvs Remigius expendit quòd in principio huius Euangelicæ lectionis tria ponit Euangeliſta; perſonam Chriſti, *Cùm natus eſſet Ieſus*; cuius natiuitatem in fine capitis primi breuiter attingit, ibíque ſupponit eius Circunciſionem, vt notauit Caietanus, in eo quod ait Euangeliſta: *Vocauit nomen eius Ieſum*; impoſitio enim nominis in Circunciſione fiebat. Secundò. Locum aſſignat Matthæus, *In Bethleem Iuda*, de quo iam dixi hoc lib. *cap.* 1. Et bene aduertit D. Theophilus in quatuor Euangeliſtas lib. 1. *in Bethleem Iuda*, id eſt, in domo panis, & confeſſionis, ſiue laudis. In hac ſolùm domo Chriſtus adeſt, & ex eo, & verus panis, non in occulto, vel in arca reconditus, ſed in publico, ac manifeſto in ſuorum ſalutem cibus datus, & ideo ei laudes peculiariter referuntur. Tertiò. Tempus. *In diebus Herodis*; frequens Hebraiſmus, dies pro tempore. Iſai. 1. num. 2. *In diebus Ioſiæ*. 4. Reg. 23. num. 29. & 24. num. 1. Vel per hoc denotatur breuitas regnantium, quorum tempus tamquam vna dies eſt. Omnis potentatus breuis vita, *Eccleſ.* 10. *num.* 11. Quartò. Tandem de Regibus aduenientibus: *Ecce Magi*. Imperfectus homilia 2. *Ecce*, id eſt, confeſtim, neſcit amor tarda molimina, ſeu rem nouam, & inauditam dicit. *Magi*, id eſt, *ſapientes*, vt exponunt D. Anſelmus, D. Thomas, Paſchaſius, Beda, Diuus verò Baſilius oratione de Chriſti ortu, *ſilentes*, ſignificare contendit. Philoſophi olim ab hominum conuerſatione viuebant ſeparati. Veniunt autem Hieruſalem, quæ erat ciuitas regia, & caput Iudææ; *ab Oriente*. Theophylactus. *Hoc ad condemnationem Iudæorum pertinet. Illi enim per tantum ſpatium venerunt. Hebræi verò Chriſtum, quem apud ſe habebant, perſecuti ſunt*. Et D. Chryſologus ſerm. 156. *Magi*, ait, *ab Oriente in Orientem veniunt, Chriſtus vir Oriens eſt*, hoc eſt, ait D. Maximus *ſermone de Epiphan.* à Chriſto veniunt in Chriſtum, nec enim ad illum poteſt quis accedere, niſi per ipſum.

QVÆSTIO I.

Quare hîc Euangeliſta Herodis mentionem faciat?

2\. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Paſchaſ. D.Thom. Hugo. Geneſ. 49. Abulenſ.

COMMVNIS eſt ſanctorum ſolutio Patrum, Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, D. Paſchaſij, D. Thomæ, Hugonis, & aliorum, quòd ex eo non ſub Auguſti, ſed Herodis tempore deſcribuntur hæc, vt denotet Euangeliſta, illud aduentus Meſſiæ tempus proprium eſſe; ſic enim prædictum erat à Iacob: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus eſt*, Geneſ. 49. num. 5. Cùm ergo ſub Herode alienigena deſcribitur regnum, proculdubio illud eſſe tempus aſſignatum, comprobatur. Si verò obiiciatur, quòd non Herode regnante, ſed antequam regnare inciperet, Chriſtus naſci debuit, cùm dicat propheria: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat*. Rectè reſpondet Abulenſis hoc *c.* 2. *Matth. quæſt.* 3. quòd Chriſtus in Herodis regni principio natus eſt, & tunc ſceptrum Iuda non totaliter erat ablatum, adhuc enim Hircanus ſummus viuebat Sacerdos, & fuerat Rex, regnúmque ſibi omnino ereptum non erat, atque per id temporis quidam eius filius regaliter nutriebatur, in quem tanquam regnaturum omnium Iudæorum oculi erant intenti: Herodes autem doloſè ipſum natantem fecit ſuffocari. de quo Ioſephus 15. *Antiquitatum*. Ioſeph.

3\. Caſſian.

Secundò. Simon Caſſianus *lib.* 1. *cap*, 12. ita rationem aſſignat. *Cùm natus eſſet Ieſus in modica, & ferè incognita ciuitate in diebus Regum, ſub quorum imperio, eorúmque decreto mundi geſta, nouitatéſque inſolitæ apparentes in libris ac annalibus annotabantur ad tradendum memoriæ poſterorum, vt futura de Ieſu prædicatio per Apoſtolos in Orbe terrarum apud futuros inimicos nominis Chriſti, in eorum libris quoddam teſtimonium reperiret. Ac per hoc Spiritus ſancti ordinatione factum eſt, vt Euangeliſtæ alta Chriſti myſteria, ſub quibus principibus regnantibus erant facta, deſcriberētur*. Quaſi dicat quòd ex eo, quia ipſimet inimici nomen Chriſti delere intendentes, dum in ſuis annalibus eorum facta reponunt, de eo quantumcunque inuiti teſtimonium perhibent, Regum nomina memorantes.

4\. Caiet. *Cùm humana deſunt, diuina ſuccurrunt.* Chryſol. D. Thom. Pſalm. 93.

Tertiò. Caietanus. *Matthæus*, ait, *non dixit, in diebus Cæſaris, ſed Herodis Regis, quia hiſtoria aduentus Magorum cum inde ſubſecutis ex Herode, non ex Auguſto Cæſare pendebat; non eim hic, ſed ille inquiſiuit de loco natiuitatis Chriſti, in Bethleem Magos direxit, innocentes occidit, Chriſtum fugauit in Ægyptum*. Et hæc ſolutio mihi videtur valde probabilis Quartò. D. Chryſolog. *ſerm.* 146. ita fatur: *Herodes refuga gentis Iudaicæ inuaſit regnum, libertatem ſuſtulit, prophanauit Sancta, confudit ordinem; meritò ergo genti ſanctæ, quando humana deſunt, diuina ſuccurrunt, & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet*. Ad idem D. Thomas *hîc*, & ita ait. *Maior morbus indiget maiori, & meliori medicamento; populus autē Iſraël tunc erat in maxima afflictione ſub gentili domino, & ideo indigebat maximo conſolatore. In alijs autem afflictionibus ſuis mittebantur eis Prophetæ, ſed nunc propter magnitudinem afflictionis mittebatur eis Prophetarum Dominus*. Pſalm. 93. n. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meā*. Commemorat Herodis regnum, in quo omnia mala ſuper rempublicam Iudaicam inundauerunt, vt ita comprobet illud eſſe tempus aduentus Meſſiæ, quia quando humana deſunt, tunc diuina præſtò adſunt.

5\. Theoph. Apocal. 5. *Chriſtus donat regna.* Andr. Cæſar.

Sed quare, non ſolùm memoratur Herodes, ſed etiam illius regnum; Herodis Regis? Reſpondet primò Theophylactus. Ad diſtinctionem alterius Herodis Tetrarchæ. Secundò reſpondeo. Dicitur Herodes Rex, ad illius regni maiorem certitudinem, nam ipſe adueniente Chriſto regnum amittere timebat; Chriſtus Dominus non aufert, ſed donat, & firmat regna. *Apocal.* 5. *n.* 5. appellatur *Radix Dauid*; potius verò ramus, cùm illius filius ſit, dicendus videbatur. Dauid ergo ſecundùm Chriſti naturam humanam radix eſt; Chriſtus verò in ordine ad coronam, & imperium, illius radix, & principium. Andreas Cæſarienſis huc reſpicit, dum ait: *Chriſtus ſecundùm naturam diuinam; prout nimirū rerum omniū conditor eſt, Dauidis radix, & origo; at verò ſecundùm*

naturam

Cantic. 7. Anſelm.

naturam aſſumptam, ex eiuſdem radice in vitalem hanc lucem progreſſus eſt. De Chriſto Domino dicitur Cantic. 7. num. 5. *Comæ capitis eius, ſicut purpura Regis iuncta canalibus*. Et cur comæ eius purpuræ comparantur? Quia tot capilli, tot coronæ ei in capite ſunt regales; & hoc, *iuncta canalibus*; vt communicentur, dentúrque ſuis, qui ei proximè adhærent, vt explicat Diuus Anſelmus.

QVÆSTIO II.

De ſcientia, qualitate, numero, patria, ac itinere Magorum?

6\. *De ſcientia Magorum.* Auguſt. Ambroſ. Hieron. D.Thom. Chryſoſt.

DE his omnibus ſatis latè hîc expoſitores: nos verò breuiter. Et quoad primum de ſcientia. Graues Patres tenent, fuiſſe maleficos, Diuus Auguſtinus *ſermone* 2. *de Epiphania*, Diuus Ambroſius *ſuper Lucam cap. de Magis*, Diuus Hieronymus *ſuper cap.* 19. *Iſaiæ*, S. Thomas *hîc*. Diuus Chryſoſtomus *homil.* 1. ex variis Matth. & tacitè ibi reſpondet obiectioni: Quare iſti falſæ religionis cultores ſint vocati? Reſpondet. *Ne aliquis deſperaret, poſſe ſibi ſalutem credenti donari, quia iam conſpiceret, Magis eſſe donatam*.

7\. Cyprian. Leo. Imperfect. Iſidor. Anſelm. Rupert. Paſchaſ. Beda. Hugo. Hieron. Cælius. Philo.

Tamen dicendum exiſtimo, non fuiſſe maleficos, ſed verè ſapientes, & Mathematicos. Ita docent D. Cyprianus *ſermone de ſtella, & Magis*, D. Leo. *ſerm.* 4. *de Epiphan.* Imperfectus *hom.* 2. *in Matth.* D. Iſidorus *lib. de paſſione Domini, cap.* 10. D. Anſelmus, Rupertus, D. Paſchaſius, Beda, Hugo, Gloſſa Ordinaria *in hunc locum*. Et inde ob tam graues Patres hæc ſententia probabilior. Magorum verò nomen non obſtat; quia, vt tradunt D. Hieronymus *in Regula Monachorum, c. de abſtinentia Philoſophorum*. Cælius *lib.* 9. *lectionum antiquarum, cap.* 23. apud Perſas duplex fuit Magorum genus: quidam cum Dæmone commercium habebant; alij verò Philoſophiæ, ſcientiæ, ac vitæ probitati dediti erant: de quibus multa Philo *lib. Quòd omnis probus*. Cùm igitur *nemo præſumatur malus, niſi probetur*, Magi noſtri beatiſſimi ſunt exiſtimandi. Et appellantur nomine Magorum, erat enim apud illas nationes conſuetum.

8\. *An fuerint Reges.* Hieron. Ianſen. Mantuanus. Auguſt. Athan. Cyprian. Chryſoſt. Anſelm. Theoph. Beda. D.Thom. Pſalm. 71. Iſai. 60. Caſſian. Cano.

Ad ſecundum de qualitate: An fuerint Reges? Negat D. Hieronymus *in cap.* 2. *Danielis*, Ianſenius. Noſter inſignis Poëta Mantuanus, eo nixi fundamento, quia hoc exprimeret Euangeliſta, & Herodes magno eos exciperet apparatu. At contraria ſententia, eos fuiſſe Reges aſſerens, Patrum communis, & vera eſt, D. Auguſtinus *lib.* 3. *de mirabilibus ſcripturæ, c.* 4. D. Anaſtaſius *quæſt.* 2. *ad Regem Antioch.* D. Cyprian. *de Baptiſmo Chriſti*, D. Chryſoſtomus *homil. de natiuitate Chriſti*, D. Anſelmus, Theophylactus, Beda, D. Thomas *hîc*, Gloſſa Ordinaria. Et Eccleſia de eis intelligit Pſalm. 71. n. 10. *Reges Tharſis, & inſulæ munera afferent, Reges Arabum, & Saba*. & Iſai. 60. n. 3. *Et ambulabunt Reges in lumine tuo*. Et hoc communi populus Chriſtianus traditione tenet. Non erant tamen, vt bene notat Simon Caſſianus *lib.* 1. *cap.* 12. potentes Reges, ſed quidam reguli. Si verò Herodes eos regali faſtu, ac decore non excepit, Herodianæ ſuperbiæ tribuendum, vt aduertit Cano *lib.* 11. *de locis, cap.* 5. *ad* 4. Cur autem non dicantur Reges ab Euangeliſta; *quæſtione ſequenti*.

9\. *Tres Magi.* Auguſt. Leo. Anſelm. Rupert. Paſchaſ. Beda. Maxim. Beda.

Ad tertium, de eorum numero. Tres fuiſſe, eſt Communis ſententia, D. Auguſtini *ſermone* 1. *de Epiphania*, S. Leonis *ſerm.* 1. *de Epiphania*, D. Anſelmi, Ruperti; Paſchaſij, Bedæ *hîc*. Quod bene probatur ex antiqua pictura, & Eccleſiæ traditione. Multi etiam ex tribus muneribus hoc colligunt, etſi graues authores exiſtiment, quòd quilibet omnia tria obtulerit, de quo ſuo loco. Et hi tres vna ſimul veniunt via; quia, vt ait S. Maximus hom. 3. de Epiphania. *Vno itinere tres ſimul adoraturi veniunt Magi: quia in vno Chriſto Ieſu, qui omnium credentium via eſt, inſeparata ab eis erat Trinitas adoranda*. Et quamuis tres pauci, Eccleſia numero maximè lætatur, quia primitiæ ſunt Gentium, quæ ad Chriſtum denuo adueniebant, & quia Reges ſuo multos mouent exemplo. Senex ex eis, ait Beda, appellabatur Melchior, ſecundus Gaſpar, tertius Balthaſar.

10\. *De patria Magorum.* Chryſoſt. Euthym. Theoph. Hilar. Iuſtin. Mart. Maxim. Nauarr.

Ad quartum de eorum patria. Vnum certum, quòd fuerit ex parte Orientis, ait textus: *Ab Oriente venerunt: vidimus ſtellam eius in Oriente*. Ex quanam terra fuerint; valde incertū. D. Chryſoſtom. *homil.* 7. *in Matth.* cum Euthymio, Theophylactóque, ex Perſia. D. Hilarius, ex vltimis Æthiopiæ finibus S. Iuſtinus Martyr *in dialogo contra Triphonem*, ex Arabia. S. Maximus *ſerm. de Epiphan.* ex Chaldæa. Nauarrus *de orat. c.* 22. *n.* 2. ex partibus Indiæ, ſcilicet ex Calecutio, Abulenſis *hîc quæſtione ſeptima*, ex Meſopotamia.

11\. Num. 23. Deut. 21. Pſalm. 71. Auguſt. Euthym. Baſil.

Et hæc ſententia mihi videtur probabilior, quia Magi iſti, vt docent omnes Patres *citati*, & clariùs dicemus *verſic.* 2. erant ex genere Balaam, atque hîc in Meſopotamia habitauit. Numer. 23. num. 7. *De Aram*, id eſt, de Meſopotamia, *adduxit me Balac Rex Moabitarum de montibus Orientis*. Et Deuter. 21. n. 4. *Conduxerunt*, ait Moyſes, *contra te Balaam, filium Beor de Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi*. Ex quibus habes, quòd Meſopotamia in Oriente erat, habitatióque Balaam: ergo ex hac aduenerunt parte Magi eius filij, & ſucceſſores. Nec obſtat, quòd *Pſalm.* 71. *num.* 10. dicitur. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent*. Hic enim exponitur locus à D. Auguſtino, Euthymio, D. Baſilio de variarum Gentium adoratione, ac de muneribus Chriſto Domino ab illis offerendis. Et, vt ait D. Baſilius: *Quia trium, vel quatuor Gentium meminit, ænigmaticè omnium nationum immutationem præſignauit*.

12\. *De itinere Magorum.* Epiphan. Chryſoſt. Imperfect.

Ad quintum de itinere Magorum D. Epiphan. *hæreſi* 51. exiſtimat, quòd annos poſt duos Chriſtum adorauerint. Sed hæc ſententia non recipitur, tunc enim cum puero beatiſſima Virgo erat in Ægypto. D. Chryſoſtomus *homil.* 6. *in Matth.* aſſerit, quòd multum ante tempus ſtella apparuerit Magis. Et Imperfectus, quòd per biennium iter egerint. Tenendum tamen eſt, quòd Magi non niſi poſt natum Chriſtum viam ſuſceperint. Hoc bene colligitur ex textu, *Cùm natus eſſet Ieſus: Ecce Magi*.

13\. Ammon. Nicephor.

Dicendum igitur, quòd decimatertia poſt natum Chriſtum die, ipſum Magi adorauerint. Hoc communis Eccleſiæ traditio tenet. Ammonius Alexander *in harmonia quatuor Euangeliorum*. Nicephorus *li.* 1. *c.* 13. Et in noſtra ſententia, quòd venerint de Meſopotamia, nulla eſt difficultas;

X 3 riam

nam *Geneſ.31.num.23.* Laban ex Meſopotamia profectus ſeptem dierum ſpatio peruenit ad montem Galaad. Et Magi in dromedariis veniebant, *Iſai.60.num.6.* qui, vt tradit Philoſtratus *in vita Apollonij*, quadraginta in vno die conficiunt leucas. Deinde Magi adeò celeriter itinerantur beneficium perſoluere contendentes, erant enim valde grati; & animus gratus multum velox, vt acceptam referat gratiam. Quatuor illa animalia intus plena erant oculis: *Et requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Apocalypſ.4.num.8. Sed cur tam continuò Dei laudibus inſtant? Illa circundata oculis animalia ſcientia erant plena, ideoque nullum imponebant finem, vt ſuam gratitudinem demonſtrarent. D. Ambroſius ibi: *Sancti requiem non habebant, quia laudibus Dei non ceſſant, vt loquitur Apoſtolus: Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.*

Philoſtrat.

Animus gratus velox.

Apoc.4.

Ambroſ.

QVÆSTIO III.

Quare Magi non appellentur Reges?

14. MAGOS fuiſſe Reges, diximus ex communi Patrum ſententia. Cur verò Euangeliſta hoc eis non dederit nomen, multæ ſunt rationes. Prima, quia, vt ex Caſſiano diximus, non erant Reges ſimpliciter, ſed parui Reges. Secundò, vt bene notat Barradas, quia hoc in Scriptura nomen ſæpe in multis prætermittitur. Tres amici Iob Reges erant, vt habetur 2.*Tobiæ*, *num.*15. in libris tamen Iob hoc eis Scriptura non tribuit nomen, ſicut nec ipſimet Iob, qui ſecundùm commuuem ſententiam Rex quoque fuit. Tertiò. Multipliciter reſpondet Palatius. Quia ſicut coram Sole ſtellæ non micant, ita nullus fidelis coram Chriſto principe Summo, Rex debet vocari. Quartò. Non Reges dicitur ab Euangeliſta, ſed Magi, hoc eſt, ſapientes, ac prudentes. Quia teſtimonium de Chriſto Domino à Sapientibus, in quibus ratio præualet, illuſtrius erat, quàm à Regibus, in quibus voluntas oſtentatur, ac potentia, & glorioſius erat, quòd Chriſto ſubigeretur ratio, quæ in ſapientibus prædominatur, quàm quod potentia, quæ in Regibus eminet.

Caſſian.

Barradas

Palatius.

15. Quintò. Quia pleni ſapientia Angeli à Deo primi deſciuerunt: primi ergo, qui tanquam primitiæ Deum quæſierunt, vt eſſent quoque ſapientes conueniens erat. Sextò. Oſtenduntur Reges, non ſermone, ſed opere, virtutibus, & liberalitate, qua Chriſto Domino munera obtulerunt. Septimò. Herodes dicitur Rex, vt regia ſaltem nomenclatura nobilitaretur; noſtri autem Magi, vtpote ſuarum decore virtutum maximè illuſtrati, hoc minimè indigent, ſuis animi dotibus maximè erant conſpicui. Rex extitit Iob, vt tradunt Diuus Iſidorus, Gaudentius, Beda, & multi apud Pinedam *in cap. 1. verſ. 1. à num.* 14. eius tamen regia non exprimitur dignitas; vbi enim Dei gratia mirificè fulgebat, dignitas alia neceſſaria nulla: & ita de ſe aiebat ipſe cap.29. num.14. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me, ſicut veſtimento, & diademate, a iudicio.* Non de regia corona, ſed iuſtitia gloriabatur, vt expendit Diuus Gregorius Magnus.

Virtus per ſe nobilitat.

Iſidor.
Gaudent.
Beda.

Iob 29.

QVÆSTIO IV.

Quare ex Gentibus Reges, ex Iudæis Paſtores Chriſtus ad ſe adduxerit?

16. SANCTISSIMA natiuitatis nocte paſtores ad præſepe veniunt, hîc verò Reges. Sed cur in his adoratoribus differentia tanta? Reſpondet primò Tertullianus lib.de Idololatria, *Primi ſtellarum interpretes natum Chriſtum annuntiarunt, primi munera offerunt. Hoc nomine Chriſtum, opinor, ſibi obligauerunt.* Homines tantùm pauperes, & paſtores ex Iudæis ad præſepe veniunt; & hi ſolummodo cognouerunt de verbo, vt dictum eſt ad illos *Luc.2.num.17.* Ex Gentibus verò Reges ad incunabula Chriſti acceſſerunt, procidentes adorant, & pretioſa munera offerunt: ab hi, ergo maiora Chriſtus voluit habere obſequia, vt eis ſic maximè eſſet aſtrictus. Magnus, nobiliſque animus, vbi primum accipit, ſtatim grauiter obligatur. *Hoc nomine Chriſtum, opinor, ſibi obligauerunt.* Vide *lib.1.cap.2.num.39. 40.& 41.*

Tertull.

Regalis animus, dum accipit, obligatur.

17. Secundò. Hoc ita eſt diſpoſitum in futurorum præſagium; indicatur enim, quòd obſtinati ex Iudæis principes, ac ſapientes in ſua erant incredulitate abiiciendi; ignobilis, & rudis eligenda turba. Ioan.7.num.48. *Numquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem*, Luc. 14. num.21. Dimiſſis principibus Iudæorum vocauit Ieſus pauperes, & debiles. At ex Gentibus Reges trahuntur, Dynaſtes, & ſapientes, hi namque ad Chriſtum primi erant conuertendi, ipſumque per omnia ſecuturi. Quod prædictum erat ab Iſai. 60. num. 3. *Et ambulabunt Gentes in nomine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Et poſtea num. 5. *Tunc videbis, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Tertiò. Ex Gentibus ante omnes ad Chriſtum Reges veniunt, & magnates; quia per hoc ſignificabatur, in nouo, qui credebatur, populo, primos Chriſti adoratores, ac populo ſalutaria annuntiantes, principes, & Reges eſſe futuros. Venit Regina Saba in Hieruſalem, vt videret ſapientiam Salomonis, & vt vidit maximè admirata, multis laudibus eam extollit: *Dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit, maior eſt ſapientia, & opera tua, quàm rumor quem audiui*, 3.Regum 10. num.7. Et multa de ſapientia Salomonis omnibus annuntians reuerſa eſt in terram ſuam, vt teſtatur Nauclerus *volum. 1. ſuæ Chronographiæ, Geneſ.34.* Sed cur ad Salomonis laudes publicandas Regina Saba eligitur; imò in ſacris litteris hæc eſt prima, cuius nomen exprimitur, quæ multa de laudibus Salomonis dixiſſet. D.Iſidorus in lib, 3.Reg.cap.5. *Chriſtum in Salomone admirata prædicabat.* Eligebatur hæc prudens fœmina ad gloriam Chriſti decantandam, & ideo nulla alia conuenientius potuit eſſe, quàm Regina; nam Chriſti annuntiatio regali dignitati eſt annexa.

Ioan.7.

Luc.14.

Iſai.60.

Chriſtū annuntiare peculiare Regibus.

3.Reg.10.

Naucler.

Iſidor.

QVÆSTIO V.

Quare Deus Reges, & potentes annuntiatores elegit in præſepio, poſtea verò pauperes, & piſcatores?

18. MAGI, vt Chriſtum prædicent natum, Reges, & ſapientes Hieroſolymam veniunt; cùm verò poſtea ſuos vocauit Apoſtolos, ignobiles eos, & ſine literis in meſſem totius orbus ſegregauit. Cur in annuntiatoribus diſcrimen tantum? Triplex mihi occurrit ſolutio. Prima. Vt dixi ex D. Thoma, *Quia Deus humilibus mira præmiſcuit*, in illáque voluit paupertate Reges, atque potentes ſubiugare.

D. Thom.

19, Secundò. Ad ſui Apoſtolatum ſine diuitiis homines attraxit; enimverò conueniens erat, vt omnia ſua dimitterent bona, quod vt faciliùs præſtarent, pauperes deſignauit: modò autem hîc ad ſui adorationem Reges excitat, quia nunc vt ipſi oblationes adducerent, occaſio poſtulabat. Et Deus non niſi ab eo, qui diues, & potens eſt, magna expectat elargiri dona. *Afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arietum*, Pſalm. 28 n.1. Vt notat Lorinus, Deus ſacrificia hîc à potentatibus, & principibus exigit; filios tamen ſolum petit, & non arietes; hos enim, cùm afferant emolumentum, lanam, agnos, lac, apud ſuos relinquit dominos, & ſolùm agniculos poſcit; ita enim noſtra à nobis bona quærit, vt ea, quæ neceſſaria ſunt, nobiſmet ipſis retineamus.

Pſalm.28.

Deus à potēte vult dona.

Lorinus.

20. Tertiò. Verum eſt, quòd illiteratos homines Dominus Apoſtolos conſtituit, quos per tres annos in eius ſchola edocuit, ne tamquam præcipites notarentur: at Magos, cùm ab ipſomet vocationis ſuæ puncto Chriſti diuulgatores, & annuntiatores eſſent futuri, ne incauti, ac conſiderati reputarentur, ideo ſapientes, doctiſſimoſque prælegit; ita enim Dei familiares in eius obſequium deſtinantur, ac ordinantur, vt nullam in fama, ac opinione patiantur notam. Ait Dominus ad Moyſen: *Veni, mittam te ad Pharaonem*, Exod.3.num. 10. qui quamuis multas adhiberet excuſationes, à Domino coactus eſt, vt imperata faceret. Poſtea fatur Dominus ad Iſaiam: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Cur ita diſponitur res, vt Moyſes obligetur, Iſaias verò ſe offerat? D. Gregorius Nazianzenus ibi, *Bonum eſt*, ait, *Dei imperium aliquantiſper detrahere, vt Moyſes ille, & rurſus ad vocantem promptè occurrere, quemadmodum Iſaias.* Moyſes mittebatur, ita vt Deus Pharaonis, totiuſque populi princeps, & dux conſtitutus eſſet; Iſaias verò, vt ſua prædicatione magnum in ſe excitaret populi odium, & hac de cauſa vitam profunderet; ne ergo ille ambitione, hîc amore vitæ notarentur, mira Dei prouidentia diſpoſitum eſt, vt Moyſes obligaretur, Iſaias verò ſponte ſe ſe offerret ad legationem, vt hoc pacto ab omni maculoſa opinione expers vterque eſſet. Abraham in executione diuini mandati peregrinandi cauſa in terram Geraræ deſcendit, Abimelech autem putauit eum mendacem, quòd Saram dicturus potius vxorem, ſororem dixerit ſuam. Cui Dominus dixit; *Redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te, quia Propheta eſt, & viues*, Geneſ. 20.num.7. Sed quare non datur ſalus niſi precibus Abrahami? Vt orantis ſanctitas apud Regem manifeſtetur, & à mendaci conceptu, vilique eximatur æſtimatione. D. Chryſoſtomus homil. 45. in Geneſ. *Vide*, ait, *quomodo Dominus volens iuſtum per omnia reddere illuſtriorem, precibus Patriarchæ ſalutem Regis, & omnium, qua inſunt in domo illius, donat*

Deus conſulit honori ſuorum.

Exod.3.

Iſai.6.

Nazianz.

Geneſ. 20.

Chryſoſt.

QVÆSTIO VI.

Quare ad præſepe Deus homines Gentiles adducat?

21. RESPONDET primò D. Auguſtinus *ſerm. 6. de Epiphania.* Quia aduentu Chriſti gratia abundantiſſimè communicata eſt: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Ioann.20. num.10. Chriſtus enim non ſolùm in Iudæorum naſcebatur ſalutem, verùm & in omnium Gentium; atque ipſos duos populos, ſeu parietes ex diuerſo, ſeu qui inter ſe erant inimici, Rex pacis iam cœpit copulare in vna fide, ac religione. Ac proinde conuentiſſimum fuit, Iudæis, ac Gentibus manifeſtari. Secundò. D. Fulgentius, & S.Sedatus *de Epiphania.* In Chriſti honorem veniunt Magi, quòd ſcilicet ipſo in tanta paupertate nato exiſtente, ad eum adorandum, muneráque ei offerendum de longinqua ipſi accedunt terra; & quòd viam demonſtrando ſtella eos præcederet. Ex quo illius euidenter manifeſtabatur diuinitas; ſoli enim Deo aſtra ſeruiunt.

Auguſt.
Ioan.10.

Fulgent.
Sedatus.

22. Tertiò. D. Baſilius *homil.15.* de Chriſti generatione hanc rationem reddit; *Magi alienum genus à Deo, & à teſtimonijs gens peregrina primum adoratione Chriſti dignati ſunt, quòd ex inimicis teſtimonia longè præſtantiora, fideque digniora eſſent*, Quartò. D. Maximus *homil.3. de Epiphania*, dum tractat de Propheta Balaam, quod idem eſt de Magis; ita diſſerit S.Pater. *Vt ſi Iudæis prædicatoribus de aduentu Chriſti credere fortè Gentilitas renuiſſet, ſuorum ſaltem teſtimonium ſequeretur auctorum.* Vnuſquiſque ad ſuæ Gentis, ac nationis doctrinam maximè afficitur; & ideo non ſolùm Iudæos, ſed etiam Ethnicos, vt eis faciliùs ſaltem Gentilitas crederet, Prædicatores elegit. Vide ſuprà *lib.1.cap.6.num.45.*

Baſil.
Teſtimonium ab inimico efficacius.

Maxim.
Facilè quilibet genti ſuæ credit.

23. Quintò. Abulenſis *quæſt.5.* ita ait: Hic aduentus Magorum fuit valde conueniens ad conuincendam Iudæorum duritiem, & vt manerent inexcuſabiles, ſcilicet, quia iſtud factum, quòd tres Reges venirent ab Oriente ad adorandum Chriſtum, & in Heiruſalem publicè peterent de loco natiuitatis, aſſerentes eum natum, & ideo Iudæi erant inexcuſabiles, ſi eum non inquirerent, vel ſi poſtea audientes eum prædicantem non crederent. Omnes expoſitiones optimæ ſunt, prima, & ſecunda magis conformis literæ.

Abulenſ.

Matthæi 2. *num.* 2. Dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus ſtellam in Oriente, & venimus adorare eum.

VERSIONES.

Syriacus, & Origenes, Et inquiunt: Vbi natus eſt ille Rex Iudæorum: ve-

Epiſt. 1. nimuſque, vt adoremus eum.

Sà ex Græco. Vidimus inſignem eius ſtellam.

Vatablus. Venimuſque ad adorandum eum.

EXPOSITIO.

24. ECce Magorum in Chriſto inquirendo fortitudo, conſtantia, atque perſeuerantia; nec timent dum alium Regem in preſentia Herodis nominant, nec dubitant an natus ille ſit Rex, ſed certiſſimè omnia nouerant, & ſolùm inquirunt de loco, in quo natus ſit Rex Iudæorum. Et ne eorum tam certa reſolutio, ac determinatio alicui videretur incauta, & imprudens, ideo cauſam motiuam, ac finalem ſui aduentus explicant Magi. *Vidimus ſtellam eius*, ecce cauſa motiua. *Venimus adorare*, ecce finalis; & ex hoc verè Regem natum Deum eſſe oſtendunt; ei Soli aſtra ſeruiunt, ei Soli adoratio debetur. Hugo ait, *In his tribus verbis continetur ſumma ſalutis æternæ, vidimus recta fide, venimus bona operatione, adorare mentis deuotione.* Et bene inquiunt Magi, vidimus ſtellam eius in Oriente; Chriſtus Dominus dicitur Oriens Zachar. 3. n. 8. *Adducam ſeruum meum Orientem*, & 6. num. 12. *Ecce vir Oriens nomen eius.* Et Pater Præcurſoris canit Luc. cap. 1. num 78. *Viſitauit nos Oriens ex alto*, cùm ipſe nomen Orientis haberet, ab Oriente voluit reſplendere; ac ab Orientalibus incipere. Sedulius lib. 2. operis Paſchal. cap. 4. *Ecce Magi*, inquit, *ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Et ſtatim ſubdit, *Conuenienter Scripturarum ſanctioni, concordans Chriſtus natiuitas ab Oriente fulgebat, qui implet, quod Zacharia denuntiat oratio. Viſitauit nos Oriens ex alto.*

Operationis cauſa apponenda.

Hugo.

Zach. 3. Zach 6. Luc. 1.

Operatio reſpondeat nomini.

Sedulius.

QVÆSTIO VII.

Quare Magi, cùm ducerentur ſtellâ, quærunt, vbi natus ſit Rex Iudæorum?

25. COMMVNIS eſt multorum ſolutio, quòd ſtella diſparuerit, vbi primum Magi ingreſſi ſunt Hieruſalem, ideoque hîc nunc interrogans, ſed hoc infrà examinandum eſt. Secundò. Reſpondet D. Paſchaſius *lib. 2. in Matth.* Primò, *Vt Iudæi Chriſtum non credentes progenitum, à Magis longè venientibus diſcerent; & ſi credere noluiſſent, inexcuſabiles omni ex parte Prophetarum eloquijs conuicti remanerent.* Secundò. Vt Iudæorum incredulitas eſſet omnino inexcuſabilis. Tertiò. Idem Paſchaſius ſic ſoluit difficultatem. *Vt Chriſtus*, ait, *qui pax noſtra dicitur, de Hieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur, manifeſtiùs Iſaia dicente* 2. num. 3. *nuntiaretur: Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*; ac ſi diceret, prædicabitur. Et meritò ſanè, quòd Rex pacis primò in ciuitate, quæ Viſio pacis interpretatur, publicetur, ac diuulgetur.

Paſchaſ.

Iſai. 2.

26. Quartò. D. Petrus Chryſolog. ſerm. 156. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex, non interrogant*, ait, *ſed inſultant, quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant, ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant ſeruum Domino non occurriſſe cauſantur. Nam quod ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant.* Et latè S. Pater proſequitur. Cur Rex Iudæorum in præſepi iacet, & non diſcumbit in templo? Cur non fulget in purpura, ſed ſqualet in pannis? Valde erat verecundum, quòd alienigenæ in Perſide Regem natum ſcirent, & Iudæi in ſua ignorarent patria, ac eorum eſſet in tanta paupertate Rex deſideratus. Quintò. Palatius, Magorum, ait, tam feruens erat animus, vt putarent, nihil tunc ab omnibus Iudæis tractari, niſi de Rege nato, ideo confidenter quærunt: *Vbi eſt natus Rex?* nec quærunt ab Herode, vel Scribis, ſed promiſcuè ab omnibus. Qui amoris eſt percuſſus ſagitta, ſanè de ſuo omnia putat tractare dilecto, *Cantic. 5. num.* 8. Sic Magdalena, dum ad Chriſti ſepulchrum ſtabat, obuio ſibi dicebat: *Si tu ſuſtuliſti eum*, Ioann. 20. num. 15. Dilectum ſuum, quem ipſa quærebat, ab omnibus requiri putabat.

Chryſol.

Palatius.

Amans reliquos putat de dilecto tractare.

Ioan. 20.

27. Sextò. Stella, teſte Alberto Magno, Magis olim extitit occaſio erroris, & idololatriæ, ac adeò prudenter non ei multum fidebant, ſed tamquam ſuſpectam habebant, ne fortaſſe ratione illius in aliquam falſitatem demergerentur; & hac de cauſa vbi primum nacti ſunt opportunitatem, de Rege nato inquirunt. Septimò. Quamuis Magi ſtella exteriùs, & diuina interiùs illuſtratione ducerentur, tamen de Rege nato ab hominibus quærunt, diuinæ enim eſt prouidentiæ ordo, vt per homines doceatur homo, ac quantum fieri poteſt, per media humana res ad ſuos fines diſponatur; ideoque ab eis inquirunt, à quibus in Bethleem inſtrui, ac tranſmitti poterant.

Alb. Magn.

Erroris inſtrumentum fugiendum.

28. Octauò. A quolibet puero interrogant, *Vbi natus eſt Rex Iudæorum?* Magi de nullo, vt gens ſancta, malum cogitabant, de omnibus bonum præſumebant: in eorum mentem venire non poterat, quòd in Iudæa Rex tantus, & Dominus eſſet natus, & aliquis, qui eum non agnoſceret, & adoraret, reperiretur; iuſtus enim malum de nullo ſibi preſuadet. In promiſſione de dimittendo populo ſeptem vicibus Moyſes à Pharaone deceptus eſt, cùm tamen octaua locuſtis opprimitur plaga, Pharao ait: *Rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam. Egreſſus Moyſes à conſpectu Pharaonis orauit Dominum*, Exod. cap. 10. num. 17. Sed quomodo ſapientiſſimus Moyſes verbis mendacibus credit: Cur non conſiderat, quòd ſæpe ſæpiùs illuderet ei? Rectè Cardinalis Nicolaus Cuſanus lib. Exercitat. *Spiritus verax Moyſis tantis Pharaonis mendacijs expertus, mendacem non reputat hominem.* Verax, veritatem ab hominibus tractari, putat. Dum Iacob de furto Idolorum ſuorum à Laban argueretur, ait, *Quod autem furti me arguis, apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris*, Geneſ. 31. num. 32. Sed quomodo bonus paſtor de ouibus tam ſolicitus, ne deficerent in via, *Geneſ. 33. num.* 13. Modò adeò crudelem profert mortis ſententiam in familiam, ſeruos, filios, & vxores: immo in Rachelem dilectiſſimam; à quolibet enim poterat hoc crimen eſſe commiſſum? Cùm eſſet peccatum, non potuit Iacob de ſuis taliter ſibi perſuaderi. Abulenſis *ibi* ita fatur. *Hoc dicebat Iacob ex magna confidentia ignorantiæ ſuæ, & ſuorum, qui de ſe bene ſciebat, quod non furatus fuerit Idola Laban, de ſuis autem id non credebat.* Et poſt pauca: *Multum cõfidebat Iacob in familia ſua, credens in nullo potuiſſe tale peccatum euenire.*

Iuſtus de nullo cogitat malum.

Exod. 10.

Cuſan.

Geneſ. 31.

Abulenſ.

QVÆSTIO VIII.

Quare coram Herode Rege, de nato Rege tam confidenter interrogent?

29. EX duplici capite hîc oritur difficultas. Primò, quia valde durum eſt, in vnius Regis præſentia alium nominare. Secundò. Quia Romanorum lege ſub mortis præcepto ſancitum erat, vt nemo abſque eorum licentia Regem vocaret aliquem. Audacter tamen noſtri Magi Chriſtum Regem dicunt. Reſpondet primò Carthuſianus ex D. Chryſoſtomo. *Non curabant de ſanguine; quòd ſi curaſſent de morte, ita locuti non eſſent.* Veri Chriſti Prædicatores, vt veritatem annuntiarent, mortem non timebant. Secundò. Imperfectus *hom. 2.* ita fatur. *Dum conſiderabant Regem futurum, non timebant Regem præſentem. Non curabant de morte; ſi autem curaſſent de morte, numquam ad hoc auſi fuiſſent. Adhuc non viderant Chriſtum, & iam parati erant mori pro eo.* Magi in Chriſtum oculos, ac mentem habebant, & ideo huius non timebant pericula vitæ: qui enim Chriſtum deſiderat, huius ſæculi mortem contemuit.

Carthuſ.

Verus Prædicator mortem non timet.

Imperfect.

Qui in Chriſto mentem habent, pericula non timet.

30. Tertiò. Abulenſis *quæſt.* 10. Quòd interrogant, quia non quærebant aliquem Regem particularem, nec qui humano modo, ſed diuino eſſet regnaturus, cui aſtra ſeruiebant, cuius regnum erat multo differentius à cæteris, ac proinde eius imperium non deſtruebat dominatum Herodis, ſed potiùs confirmabat. Ita ferè Abulenſis. Quartò. Cum tanta Regem natum inquirunt audacia, quia pro veritate ſtabant, & iuſtitia, & dum hæc intercedit cauſa, nullus probus timore percutitur. Quintò. Non ſolùm à quolibet vulgari homine quærunt, ſed etiam ab ipſomet Herode: *Vbi natus ſit Rex Iudæorum*; & meritò ſanè; quia cùm hoc peculiariter ad ipſum Regem attineret, exiſtimarunt, quòd locus natiuitatis ab ipſo peculiariter Herode cognoſcendus eſſet: quod enim ad Regem pertinet, plus omnibus ipſe ab intimis debet tenere. In Aſſuerum Regem duo eunuchi inſurgere, & eum occidere voluerunt, quod ſtatim nuntiatum eſt Regi. Eſther 2. *n.* 22. Mardochæus ob iniquam in Iudæos latam ſententiam ante fores palatij voca magna quotidie clamabat, *Eſther 4. num.* 1. Hæc tamen vox ad Regis aures numquam peruenit. Sed quare Eunuchorum ſecretum tam citò perfertur ad Regem, Mardochæi clamor minimè? Pertinebat illud maximè ad Regis vitam, ideoque eum latere non potuit. *In cogitatione tua Regione detrahas, aues cæli portabunt vocem tuam*, Eccleſ. 10. num. 20.

Abulenſis.

Veritas ſine timore.

Rex, quæ ſui ſunt, agnoſcat.

Eccleſ. 10.

QVÆSTIO IX.

Quare dicatur Rex Iudæorum, non verò totius vniuerſi?

31. MVLTO glorioſius, ſi Rex totius terræ Chriſtus Dominus publicaretur. Rex regum, & Dominus dominantium erat: quare ergo dicitur Rex tantùm Iudæorum? Reſpondeo primò. Quia Iudæis peculiariter promiſſus, de eorumque progenie natus. Secundò. Quia primò in Iudæorum ſalutem venit. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierant domus Iſraël*, Matth. 15. num. 14. Et vt hac de cauſa Iudæi magis obligarentur ad recipiendum eum, quem alienigenæ veniebant adoraturi.

Matth. 15.

32. Tertiò. Non vniuerſæ terræ, ſed Iudæorum, extraneæque prouinciæ Regem dicunt, ne quòd Magi ambitione allecti ſuis eum muneribus inquirerent, aliquis cogitaret: & hoc pacto manifeſtum eſſet, quòd non negotiationis, ſed amoris affectu eum adorare vellent: ac proinde eorũ itineratio ab omni ſiniſtra opinione eſſet aliena. Ait Angelus Eliæ; *Surge, comede, grandis tibi reſtat via*, 3. Reg. 19. n. 7. Cur non ait Angelus: *Surge, videbis Deum in Horeb?* Cur non præmium, ſed laborem proponit? Vt Eliæ, qui non lucro, aut præmio, ſed obedientia, ac ipſonet labore ducebatur, amoris ac ſpiritus clareſcat magnitudo, Vnde eleganter dixit D. Bernardus ſerm. 83. in Cant. *Amor per ſe ſufficit, ipſe per ſe placet, præter ſe non requirit cauſam, nõ fructum, fructus eius vſus eius, amo, quia amo; amo vt amem.* Quæſiuit Ioannes à Domino per diſcipulos ſuos, *Tu es qui venturus es? An alium expectamus?* Matthæi 11. n. 13. ſtatim Dominus ſuis auditoribus totus eſt in laudanda Ioannis conſtantia. *Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem vento agitatam*; ſed cur Dominus tanta dicit de Ioannis permanentia? Præcurſor Chriſtum demonſtrans dixerat. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Ioann. 1. num. 29. & iterum. *Ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti*, n. 27. verba illa, *Tu es, qui venturus es*, videbantur primo aſpectu aliquod dubiolum per ſe ferre; ne ergo Ioannes apud aliquem leuitatis ſuſpicione laboraret, ſeu quòd à ſua prima ſententia de Chriſto eſſet inclinatus, ac mutatus, ideo de eius conſtantia peculiariter verba facit Chriſtus Dominus. Chryſoſtomus homil. 38. in Matth. *Ab omni falſa*, inquit, *opinione populum remouet, & pro Ioanne reſpondet, oſtendens, non illum eſſe mutatum ab illa priori ſua opinione.*

Operatio ab omni mala opinione eximenda.

3. Reg. 19.

Bernard.

Matth. 11.

Ioann. 1.

Chryſoſt.

QVÆSTIO X.

Quare Chriſtus dicatur Rex Iudæorum, & non Filius Dei?

33. MVLTO ſplendidius erat, quòd Chriſtus Dominus Patris vnigenitus diceretur, ſcilicet: Vbi eſt, qui natus eſt Filius Dei? quàm quod diceretur Rex Iudæorum; & huius vltimi tantum meminerunt Magi. Primò ſcitè reſpõdet D. Chryſoſt. homil. 7. in Matth. *Magi*, inquit, *quidem, non vbi eſt, qui natus eſt Filius Dei: ſed natus eſt, inquiunt, Rex Iudæorum: hîc quoque Propheta non dixit: Ex te procedet Filius Dei; ſed dux, inquit, qui regat populum meum Iraël. Oportebat ſiquidem eodem condeſcenſorio, & humiliore interim ſermonis ingreſſu inſtitui prædicationis exordia, ne tanti adhuc myſterij animos rudes ſubitò patefacta veritas in ſcandalum concitaret. Et idcirco ea Magis, quæ ad ſalutem ipſorum pertinent, prædicantur, vt ad ſuſcipiendũ interim Regem beneficio ſibi blandiente concurrant,*

Idem.

concurrant. Vbi S. Pater tres nobis inſinuat rationes. Prima. Dicitur Rex Iudæorum, & non Filius Dei, vt in nomine prophetiæ correſpondeat. Dictum erat; *Ecce Rex tuus venit tibi*, Zachar. 9. num. 9. ideo ergo Rex publicatur. Secunda. *Oportebat humiliore interim ſermonis ingreſſu inſtitui prædicationis exordia*, &c. Voluit Chriſtus Dominus, non vt ab eo, quod ſublimius erat, & inauditum inter homines, ſcilicet Filius Dei, ſed ab eo, quod humilius, magiſque vſitatum, nempe nomen Regis initium ſumeret prædicatio. Tertiò. *Quæ ad ſalutem eorum pertinent, prædicantur, vt ad ſuſcipiendum interim Regem beneficio ſibi blandiente concurrant*. Supremam Filius Dei denotat excellentiam, magnamque expoſtulat adorationem; nomen autem Regis ſalutiferum, ac magna beneficum prouidentia; & Dominus Ieſus à benignitate, ac ſalute in ſuos potiùs, quàm à maieſtate altiſſima voluit cognoſci.

Zachar. 9.

Res communis ſequenda.

A beneficentia potius, quàm à maieſtate cognoſcitur Rex.

34. Quartò. Balbutientibus, parumque inſtructis in rebus fidei incongruè diceretur, Vbi eſt natus filius Dei; cùm non, quia talis, ſed prout homo eſt, natiuitas in tempore ei conueniat; & ideo ne confuſionem in Iudæorum cordibus gigneret interrogatio, aptè dictum eſt Rex Iudæorum. Quintò. Iudæi rudes regnum Chriſti intelligebant temporale, vt eſt communis ſanctorum Patrum ſententia, & iam dixi: vt ad eum adorandum maximè excitarentur. Aptè igitur Magi, non filium Dei, ſed Regem dicunt Iudæorum, magis enim, dum Regem terræ audiunt, quàm dum Regem cæli agnoſcerent, ad eum ſuſcipiendum mouendi, ac ſtimulandi erant. Narrat Ioſeph fratribus ſuis ſomnium. *Putabam, nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meũ, & ſtare: veſtroſque manipulos circunſtantes adorare manipulum meum*, Geneſ. 37. num. 7. Hæc inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit cauſa. Poſtea verò aliud dixit ſomnium: *Vidi ſolem, lunam, & vndecim ſtellas adorare me*. Ex hoc tamen ſomnio, non odium, ſed inuidia reſultauit. *Inuidebant igitur ei fratres ſui, n. 11*. Cur plus dolent, dum Ioſeph manipulus extollitur, quàm dum ipſe à Sole, Luna, & ſtellis adoratur? In manipulis, teſte Ruperto, temporalia præfigurabantur bona; ideoque ei dixerunt fratres: *Numquid Rex noſter eris?* Per Solem, Lunam, & ſtellas cæleſtia deſignabantur bona. Igitur illi Iacob filij, vt terreni, dolore maiori pungebantur, dum ſe tam terra, quàm cælo ſpoliatos videbant.

Homo magis mouetur bonis temporalibus quàm cæleſtibus.

Geneſ. 37.

Rupertus.

QVÆSTIO XI.

De natura, qualitate, apparitione, itinere, ac motore ſtellæ?

36. *Natura ſtellæ.* HÆc ſtella multas nobis quæſtiones parit. Et prima quantum ad illius naturam. Communis eſt ſententia, quòd denuo fuerit creata, ſeu compoſita. Et quamquam in hoc myſterio quacumque firmamenti ſtellæ Deus vti potuerit, tamen cùm ſemper tenendum ſit, Deum id facere, quod minorem dicit vniuerſi mutationem, & cùm multa eſſent neceſſaria miracula, vt quædam tam facilè moueretur ſtella firmamenti, denuo creata eſt, vt diu, noctúque luceret. Author operis *de mirabilibus ſacræ Scripturæ*, quod tribuitur Auguſtino *tom. 3. lib. 3. cap. 40.* tenet, fuiſſe Angelum, vel Spiritum ſanctum in ſpecie ſtellæ apparentem; fauet D. Chryſoſtomus *homil. 6. in Matth.* Euthymius *hîc*, Theophylactus, Theodotus *homilia de Chriſti natiuitate, in append. Concil. Epheſin.* V. *cap. 2.* ſcribunt, Angelum fuiſſe. Sed communis eſt, & vera ſententia, quòd ex aërea materia fuerit compoſita; tum quia hoc erat facilius, & in miraculis valde vſitatum, vt in multiplicatione panum, & in triplici ſole diei natiuitatis, ac in cometis, quando apparent. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt. 36. art. 7. in corpore, & ad primum*. Et eius Expoſitores, Abulenſis *quæſt. 11.* Origenes *libro primo contra Celſum*.

Chryſoſt. Euthymius. Theophyl. Theodot.

D. Thom. Abulenſis. Origenes.

37. Secundò. De qualitate, ideſt, ſplendore huius ſtellæ. Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. ait: *Ipſos Solis radios proprio quodam præcipuóque fulgore ſuperabat, in tanto Solis lumine magis ipſa reſplendens*. Similiter D. Ignatius *Epiſtol. 14. ad Epheſ.* D. Leo *ſerm. 1. de Epiphania*, Nicephorus *lib. 1. c. 13.* Prudentius ita canit: *Stella quæ Solis rotam vincit decore, ac lumine*. Licèt hæc ſtella luceret in Meridie, tamen eius lux intenſior fortaſſe ſole non erat: ſancti autem Patres, de lumine, quod ab ipſa monſtrabatur, poterunt explicari. Immo Imperfectus *hom. 2.* exiſtimat, quòd in ea puer recèns natus apparebat.

Chryſoſt.

Ignat. Leo. Nicephor. Prudentius. *Splendor ſtellæ.*

Imperfect.

38. *Apparitio ſtellæ.* Tertiò. De apparitione ſtellæ. Dubitatur, an Magi hanc ſtellam viderint ſuper ſuammet regionem, in qua ipſi habitabant; an ſupra Iudæam? Procopius *ſuper cap. 24. Num.* Haymon *ſerm. 3. de Epiphania*. Super Iudæam perpendiculariter conſpectam exiſtimant fuiſſe ſtellam. Tamen multo probabilius eſt, in regione Magorum apparuiſſe, & eos inde vſque ad Bethleem duxiſſe, Ita D. Leo *ſerm. 1. de Epiphania*. Abulenſis *quæſt. 18.* Euidenter conſtat ex textu, quòd ſtella iſta Magos præcedebat in via, dirigendo eos; dicitur enim: *Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer*. Deinde, quia ipſa eos antecedens propter aliquot, quæ eſſe poterant, impedimenta, multo perfectiùs viam oſtendebat. De tempore verò, quo ipſa apparuit, conſtat ex his, quæ diximus *quæſt. 2*.

Procopius. Haymon.

Leo. Abulenſis.

39. *De itinere.* Quartò. De itinere, ſeu quomodo in illo ſe habuerit ſtella, Caietanus *hîc*, Ianſenius *cap. 9. ſua concordiæ*, Iſidorus Clarus, & alij exiſtimant, quòd ſtella in itinere, non ſemper à Magis fuerit viſa, ſed in principio tantùm. Vera tamen ſententia eſt, ſtellam eos ſemper ad Hieruſalem vſque fuiſſe comitatam, & inde vſque ad Bethleem. Ita D. Chryſoſtomus *homilia in Matth.* Theophylactus, Euthymius; Beda *hîc*. D. Thomas *3. p. quæſt. 36. art. 7.* D. Leo *ſerm. 4. de Epiphania*, & alij Probatur. Quia columna, quæ populum ducebat Iſraëliticum noctu, diúque lucens ſemper ipſum antecedebat: ergo & ſtella Magorum. Secundò. Quia ab Hieruſalem vſque ad Bethleem ſtella Magos anteibat, vt eſt omnium ſententia, & patet ex textu: ergo etiam à prouincia ſua vſque ad Hieruſalem. Tertiò. Quia cùm ad Hieruſalem ingreſſum ſtella diſperuerit, quæſierunt Magi: igitur ſignum eſt, quòd ſemper eos fuerit comitata. Quartò. Hoc canit Eccleſia: *Ibant Magi, quam viderant, ſtellam ſequentes præuiam*. Nec obſtat textus dicens: *Ecce ſtella, quam viderant in Oriente*; quia hoc dicitur, vt denotetur, quòd erat eademmet ſtella, quæ eis antea apparuerat. Cùm autem Magi in hoſpitiis ſtarent, etiam ſtabat ſtella ſuper domum, vel locum, vbi ipſi manebant, vt notat Abulenſis *q. 14*.

Caietanus. Ianſenius. Clarus,

Chryſoſt. Theophyl. Euthymius. Beda. D. Thom. Leo.

Abulenſ.

40. *De motore.* Quintò. De motore. Hæc ſtella à quodam mouebatur Angelo. In quo communiter conueniunt omnes. Sextò. Locus illius, ſeu ſitus in cælo non erat, ſed in aëre terris vicino, vt facilè poſſet indagantibus viam demonſtrare, vt tradunt hîc D. Thom. D. Paſchaſ. Albertus Magnus, & alij. Per ſtellam enim quodammodo ad puerum ſuſcipiendum inclinabatur cælum ipſum, licèt diuinæ prouidentiæ conſtitutum expectauerit tempus, vt Chriſtum in ſe reciperet, vt ponderat D. Athanaſius *orat. in Aſcenſ.* & ita ait: *Quid, quòd ad eius partum, cùm in lucem ederetur, per ſtellam reſpiciebat cælum, quaſi ante tempus maturaret complecti eum, qui in ſpelunca latebat: ſed deſponſationis opportunitatem, & terminum obſeruari oportebat*. Cælum ad Chriſtum præ gaudio feſtinauit, moras tamen diuinæ ordinationis ſuſtinuit. Septimò. Stella peracto officio ſuo in præiacentem aëream rediit materiam, vt tenet Abulenſis *q. 16.* Simon Caſſianus *lib. 1. cap. 14.* ait, quòd ſtella poſtea in nihilum redacta eſt. Sed ſententia Abulenſis, quæ eſt D. Thomæ, probabilior. Octauò. Stella hæc, cùm parum eſſet eleuata à terra, ab aliis hominibus, licèt non multum diſtantibus videbatur.

S. Thom. Paſchaſ. Alb. Magn.

Athan. *Cælum, vt Chriſtum ſuſciperet, feſtinauit.*

Abulenſ. Caſſian.

QVÆSTIO XII.

Quomodo Magi per ſtellam cognouerint Chriſtum natum?

41. Petr. Sixt. ALIQVORVM fuit opinio, Magos natiuitatem Chriſti per Aſtrologiæ artem cognouiſſe. Ita Petrus de Aliaco *quæſt. 30. in Geneſ.* Sixtus Senenſ. *lib. 6. Bibl. annot. 10.* Adducunt pro ſe D. Hieronymum. *cap. 47. Iſai.* dicentem, Magos agnouiſſe ſtellam, vel ex artis ſcientia, vel ex prophetia Balaam. Hæc ſententia falſiſſima eſt, ab omnibuſque exploditur Patribus. D. Auguſt. *ſerm. 6. de Epiphania, & lib. 2. contra Fauſtum, cap. 5.* D. Nyſſen. *orat. de natiuitate Chriſti*, D. Gregor. Papa *ſerm. 19.* D. Leone *Epiſtol. 91.* & nititur hæretico fundamento, quòd ex fatali neceſſitate, vel ſtellarum conſtellationibus generationes hominum eueniant. Et præcipuè myſteria fidei, vt Chriſti natiuitas in cauſa naturali cognoſci non poſſunt. Nec D. Hieronymus fauet, ſed obiter loquitur, & per diſiunctionem.

Hieron.

Auguſt. Nyſſen. Greg. Pap. Leo.

42. Secunda ſententia eſt, Magos ſucceſſores Balaam, eius prophetia inſtructos, eſſe *orituram ſtellam ex Iacob*, Num. 24. quæ Iudæorum Regis natiuitatem demonſtraret; ac proinde vt eam viderunt, natum eſſe intellexerunt, ideoque ſunt ad eam adorandum moti. Ita Origenes *homil. 13. & 15. in Numer.* D. Cyprianus *in tract. de ſtella, & Magis*, D. Baſilius *orat. de Chriſti generatione*, D. Gregorius Nyſſenus *orat. de natiuitate*, D. Leo *ſerm. de Epiphania*, D. Maximus *ſerm. 3. de Epiphania*, Imperfectus *homil. 2.* D. Anſelmus, D. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Beda, D. Thomas *hîc*. Quæ ſanctorum Patrum ſententia ita eſt intelligenda, non quòd ſolum per ſtellam fuerunt moti, multoties enim cometæ, tamquam ſtellæ in cælo apparent, & noua ſtella in Caſſiopæa viſa fuit anno 1572. de qua latè Conimbricenſes *lib. 1. de cælo, cap. 3. quæſt. 1. art. 4.* Excitati ergo Magi exteriùs ſtella, interiùs verò diuina luce.

Num. 24.

Origenes. Cyprian. Baſil. Greg. Nyſſ. Leo. Maxim. Imperfect. Anſelm. Hieron. Euthym. Theoph. Beda. D. Thom.

43. Et ſic tertia ſententia eſt, quòd Magi per ſtellam moti ſunt exteriùs; interiùs autem gratia Spiritus ſancti. D. Auguſtinus ſerm. 7. de Epiphan. ita ait: *Hanc ſtellam admirati, cuius etiam eſſet, conſequenti reuelatione noſſe meruerunt, Regis videlicet Iudæorum, eoque nato, cùm & hoc eius gratia cognouiſſent, ad eum adorandum hodie occurrere potuerunt*. D. Leo Papa *ſerm. 1. 3. & 4 de Epiphania*, D. Fulgentius *ſerm. de Epiphania*, D. Thomas 3. *part. q. 36. art. 8.* & hîc etiam D. Paſchaſius *lib. 2. in Matth.* Albertus Magnus *hîc*, & alij. Et ratio eſt manifeſta: quia Magi Chriſtum cognouerunt, non ſolùm vt hominem, verùm etiam vt Deum, ac totius vniuerſi redemptorem; & in hoc aduentu multa ediderunt ſupernaturalia opera; ergo diuina gratia ſunt illuſtrati: ac ideo dicunt ſtellam eius, quia luce diuina ſunt edocti, in eius obſequium ſpecialiter eſſe creatam.

Auguſt.

Leo. Fulgent. D. Thom. Paſchaſ. Alb. Magn.

44. Quartò, & moraliter. Quomodo cognouerunt hanc ſtellam peculiariter eſſe Dei, dicunt enim, *Vidimus enim ſtellam?* D. Petrus Chryſologus *ſerm. 156.* ait: *Aliquando videt Magus: qui habet ſtellam, non habetur ab ſtella: & ſtella iam non credit eſſe Deum, ſed indicat eſſe conſeruam, quam cernit ſuis obſequiis mancipatam*. Vſque ad illa tempora ſtellam Magus adorabat, & tunc ſtellas non videbat, erant enim Diaboli inſtrumenta; modò verò dominus ſtellæ fit, eique famulatum præſtat in obſequium Dei, tunc videt ſtellam, & ſui creatoris agnoſcit facturam. Quintò S. Maximus homil. 4. de Epiphan. *Bene*, inquit, *eius, quia quamuis omnes ab eodem creatæ ſtellæ ipſius ſint, hæc tamen propriè Chriſti erat, quæ ſpecialiter Chriſti nuntiabat aduentum*. Quamuis omnia ſydera, quæ ſcintillant in cælo, Dei ſunt, hæc tamen ſpecialiter dicitur, *eius*, quia peculiariter Chriſto præſtabat obſequium, & ideo inter cætera ſingulariter inſignitur, ac nobilitatur, vt Dei ſtella dicatur.

Chryſol. *Occaſio erroris excæcat.*

Maxim.

Qui ſingulariter ſeruit, ſingulariter honoretur.

45. Sextò. Meritò inter omnes ſtellas hanc eſſe ſtellam eius peculiariter agnouerunt. D. Chryſoſtomus *homil. 6.* ita ait: *Stella tam exiguum locum, tugurij ſcilicet, atque præſepis oſtendit, ſublime illud relinquens, ad inferiora veniens, ſupérque ipſum ferè caput pueri conſtituens*. Stellæ aliæ in cælo fixæ hominum adorationem ſolicitabant; à quo verò hæc tantùm abeſt, vt ſe ſe dimitteret, terræque eſſet propinqua, vt dux Magorum fieret. Et ſtella, quæ cùm eſſet in cælo, ac loco ſublimi, humilibus non reluctauit hominibus in terra degentibus famulari, hæc eſſe non poteſt, niſi ſtella Dei, ex Deique halitu venire. Mortuo Iacob, dixerunt eius filij Ioſeph; Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur. *Vt ex verbis illius tibi diceremus: Obſecro, vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum*, Geneſ. 50. num. 17. Quibus ait Ioſeph: *Nolite timere; num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* num. 19. ſeu, vt habent Septuaginta: *Dei ego ſum*. Sed quare dilectiſſimi parentis non meminit, ſed totum ad Deum conuertit ſermonem? Philo Iud. *Cur autem*, ait, *geniti patris tantum meminiſtis? Habemus alium ingenitum, ego eum teſtem inuoco meæ conſcientiæ*. Sermonem de æterno habet parente; vt oſtendat, quòd cùm ipſe in ſublimi dignitate eſſet, ac vicem Pharaonis habens, & tamen

Chryſoſt.

Ex Deo, quòd ſublimis famuletur humilibus.

Geneſ. 50.

Septuag.

Philo.

tamen contemptibilium recordaretur hominum, hoc non ſpiritu humano, ac filij Iacob, ſed ex Dei gratia depromptum erat.

Qvæstio XIII.

Quare per ſtellam Magi ducantur ad Chriſtum?

Gregor. Chryſoſt. Hieron.

46. Ex eo, quòd Deus per ſtellam Magos vocauit, hoc per ſtellam fieri, verificatur fuiſſe conueniens. Huius conuenientiæ rationes multæ. Et primò. Communis ſanctorum Patrum ſententia eſt, vt loquitur D. Gregorius *homilia de Chriſti natiuitate.* Voluiſſe Deum accommodare ad eorum ſcientiam eos erudire, vt qui in ſtellarum obſeruatione verſabantur, ex ſtellis Chriſtum cognoſcerent. Et eodem modo ait D. Chryſoſtomus homil. 6. in Matthæum. *Per ea Magos Dominus vocat, quæ familiaria eis conſuetudo faciebat. ad hominum condeſcendens ſalutem.* Et ſimiliter D Hieronymus *hîc.* Ad id, quod ſibi eſt familiaritate, ac conſuetudine notum; homines maximè tendunt, vt ait D. Chryſoſtomus *citatus.* Vnuſquiſque conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur.

Num. 13. Nyſſen. Ambroſ. *Facile quilibet ſuorum maiorum ſequitur doctrinam.*

47. Secundò. Balaam prædixerat: *Orietur ſtella ex Iacob*, Num. 23. hoc ſigno, vt eius filij vocantur Magi. D. Gregorius Nyſſen. *oratione de natiuitate Chriſti*, ait: *Vide à Balaam genus ducentes Magos, iuxta prædicationem progenitoris ſui, nouæ ſtellæ ortum obſeruantes.* Et D. Ambroſius in c. 2. Lucæ. *Qui ſunt iſti Magi, niſi qui, vt hiſtoria quædam docet, à Balaam genus ducunt, à quo prophetatum eſt? Orietur ſtella ex Iacob. Iſti ergo ſunt non minus fidei, quàm ſucceſſionis hæredes.* Suorum doctrinam maiorum vnuſquiſque maximè bibit; ideo per ſtellam vocantur Magi, vt per paternum documentum celeriter accurrerent, ac Chriſtum Dominum faciliter ſuſciperent.

Leo. *Qui inchoauit, perficiat beneficium.* *Cùm oculi mundo clauduntur, tunc Deus videtur.*

48. Tertiò. S. Leo Papa *ſerm. 3. de Epiphania.* ita ait: *Patri Abrahamo innumerabilis fuit promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine, ſed fœcunditate generanda: & omni ſtellarum multitudini comparata, vt ab omni gentium patre, non terrena, ſed cæleſtis progenies ſperaretur. Ad credendum ergo promiſſæ poſteritatis hæredes in ſyderibus deſignari ortu noui ſyderis excitantur, vt in quo cælum eſt adhibitum in teſtimonium, cæli famuletur obſequium.* Spiritualis generatio, ad quam Magi pertinebant, per multitudinem, ac pulchritudinem ſtellarũ Abrahamo eſt explicata parenti, vt ſtellæ, quæ in teſtimonium famulatæ ſunt parenti, famularentur & filiis, dum eos ducunt ad Chriſtum. Quartò. Rationem innuit D. Chryſologus *ſerm. 157.* ſic fatur: *Vidimus ſtellam eius, ſtellam non legiferam, ſed ſigniferam, ferentem non dierum ordinem, ſed noctiũ lumen.* Magis vt Deum videtur natum, cæleſte datur ſignum, non diei, vt Sol, in quo mundi fulgent, ac reſplendent bona; ſed noctis, in qua non apparent, nec videntur; tunc enim ad cæleſtia intuenda eleuatur, cùm intuitus à terrenis ſeparatur.

Naziany. *Sua opinione quis facilè trahitur.* Chryſoſt. *Nobilitatur id, quod erat abiectum.*

49. Quintò. In ſententia Patrum exiſtimantium ſtellam fuiſſe Angelum in illius ſpecie transformatum. Cæſar. Nazianzenus frater dialogo 2. *Meritò ſtellam Angelum Euangeliſta vocat. Sed & cultum aſtris impenſum ad Chriſtum trahens, à multorum Deorum errore mortales reducendo, velut ſtellam ponit Angelum viæ adorationis ducem: non enim alia re Magi ad adorationem excitati ſunt, quàm opinione ſui cultus.* Non, vt ſe paſtoribus præſtitit, in propria ſpecie, ſed ſub forma ſtellæ Angelus apparet, vt ſuo Magi neſcati errore faciliter, ac promptè ad verum Deum ducerentur. Sextò. D. Chryſoſtomus *homil. 6. in Matth.* ſic ait. *Deus ob deceptorum ſalutem, per ea ipſa ſe coli paſſus eſt, per quæ illi Dæmones ante coluerunt, aliquantulum illa in melius flectens, vt eos paulatim, & à conſuetudine ſua reduceret, & ad Philoſophiam perduceret altiorem.* Magi excitantur per ſtellam quæ eis olim exſtitit erroris occaſio, nunc ſalutis, & remedij, deceptionem ipſam in melius commutans, vt ſtella, quæ ob inſaniam erat ignominia, honore nunc ob remedium eſſet affecta.

Chryſoſt. Nazianz. *Paulatim mundum in via virtutis.* Luc. 15. Ephrem. Cant. 1. Bernard.

50. Septimò. Paſtores vocantur per Angelum in maxima Dei claritate apparentem *Lucæ 2. num. 9.* Magi verò per tantiſper ſcintillantem ſtellam. idem Chryſoſtomus *ſerm. 87.* ait; *Hinc eſt, quòd & Magos, adhuc noctis incolas & totis obſtupeſcentes oculis, tenuiter micans ſtella aſſuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipſum fontem luminis, & dierum.* Paſtores in die fidei luce deambulantes ad magnam oculos lucem iam aptos habebant; in errorum verò idololatriæ tenebris detentorum Magorum oculi ſubita magna luce offenderentur, ni parua luce aſſuefacti, ad magnam præpararentur; nam ſublimia ſubitò minimè ſunt arripienda. Si quis paruum lorica, ac ferrea circundederit galea, non ad ſui defenſionem, ſed potiùs armabit ad defectionem, vt eleganter ponderat D. Nazianzenus orat. 1. *Si quis recenti nato ferrum præter vires admouerit, priſtinas eius vires labefactabit.* Paulatim enim eſt in via virtutis eundum. Prodigus ille filius in ſe reuerſus dixit: *Ibo ad patrem meum, & dicam ei: Peccaui in cælum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus*, Luc. 15. n. 18. Sed cur iſte, non in fletu, oratione, & ieiunio rigidam de ſe pœnitentiam promittit, ſed in verbis tantùm perſiſtit? Diuus Ephrem ſermone de pœnitentia: *Non mox*, ait, *ieiunium impoſuit, non abſtinentiam popoſcit, ſed à leuioribus principia duxit.* In via virtutis cùm eſſet incipiens, non ad ſummum euolauit rigorem, ſed à facilioribus inchoauit. De dilecto ſuo ait Sponſa, *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*, Cantic. 1. num. 2. Sed quomodo Dei amor nimius eſſe poteſt, quamuis enim multum diligatur, multo magis dignior eſt amari? Amor in virili animo, non nimius, ſed in infantili, vt ætatis teneræ hæ erant adoleſcentulæ Virgines. D. Bernardus ſerm. 29. in Cantic. *Vos qui nuper*, ait, *veniſtis, tangit ſpiritualis ſermo, veſtram illam minus diſcretam vehementiam redarguens.* Dicitur ergo minimus pro ætate iuuencularum.

Gregor. 1. Cor. 14. Imperfect.

51. Sed quare Paſtores per Angelum, Magi verò per ſtellam vocantur? Valde celebris eſt hîc D. Gregorius *hom. 10. in Euangelia.* Paſtores, vt fideles, per vocem; Magi, vt infideles, per ſigna. Vnde ait Paulus. *Prophetiæ fidelibus datæ ſunt, non infidelibus, ſigna antem infidelibus, non fidelibus.* Deinde valde frequens apud Iudæos erat Angelorum apparitio; incognita verò apud Gentes: ideo per Angelos paſtores, per ſuam verò Magi Aſtrologiæ artem. Tertiò. Quia Magi ob ſuam magnam fidem non per Angelum loquentem, ſed per mutam ſtellam, ac ignobilius inſtrumentum vocantur. Imperfectus hom. 2. *Inuenta eſt*, ait, *in eis fides acutior, quàm aſpectus, videntibus humilia, & intelligentibus alta.*

Qvæstio XVI.

Quare Magi per vnam, non per plures vocentur ſtellas?

Apocal. 12. *Chriſtus liberalior nobis, quàm ſibi.* *Præmia maiora, quàm merita.* *Non potentiæ, ſed tempori accommodandum.* Geneſ. 20.

52. Hvic quæſtioni anſam præbet celebris illa viſio *Apocal. 12. num. 1.* vbi dicitur. *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, Luna ſub pedibus, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Quare ergo ad virtutem mulieris indicandam duodecim ſtellæ radiant; at verò ad Chriſtum Dominum demonſtrandum vna tantùm micat? Reſpondeo primò, quòd Deus multo liberalior eſt, ac magnificentior noſtrum erga obſequium, quàm ſuum. Ad exornandam ſponſam eius Eccleſiam, atque animam iuſti duodecim eligũtur ſtellæ, ad Chriſtum verò Dominum, Deum, & hominem manifeſtandum, vna tantùm deſtinatur. Secundò. Deus in præmio parat multo maiora, quàm nos in obſequio habemus. Vna ſtella ad noſtrum erga Deum ſufficit famularum, vt nos verò in beatitudine coronemur, duodecim in diademate componuntur. Tertiò. Quamuis omnem ſtellarum multitudinem in ſuæ natiuitatis ſignum dare poſſet, vna tamen contentus eſt, ponderans hoc non per potentiam, ſed per tempus, atque occaſionem, cui vna tantùm ſufficiens erat ſtella Cùm Abimelech, totaque eius familia Abrahami precibus à morte eſſet deliberata, dixit Saræ: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum*, Geneſ. 20. n. 16. Sed quomodo pro tam magno beneficio ſibi, totique populo collato Rex tantus tam exiguum munus donauit? Licèt ſpectata Regis magnificentia videretur paruum, pro præſenti tamen occaſione ſufficiebat, vt Sara in oculis velamen haberet, maritatáque appareret.

Qvæstio XV.

Quare Magi, non per columnam nubis, ſed per ſtellam ducantur?

53. Ad populum Iudaicum ex Ægypto in terram promiſſionis dirigendum miſit Dominus columnam nubis, *Exod. 13. num. 21. & c. 14. num. 19.* Hæc autem, vt luceret, ex denſiſſima erat compoſita nube, in longitudinem magis, quàm latitudinem extenſa, ideóque columna vocabatur. Dedit eam Deus, vt populo ignoranti viam, illam indicaret, vt dicitur *Hieremiæ 2. num. 6.* Quare ergo Magos non præceſſit columna, ſicut Iſraëlitas?

Abulenſ. Idem.

54. Reſpondet primò Abulenſis *quæſt. 12.* quòd Deus omnia facit ordinatè, *ad Rom. 13. num. 2.* Debent ergo eſſe res ſecundùm exigentiam, & proportionem ad ſuum finem: populus Iudæorum magnus valde fuit, erant enim ſexcenta millia peditum præter paruulos & fœminas, populúmque promiſcuum multum nimis, qui ex Ægypto cum eis aſcendebat, *Exod. 12. num. 37.* Egebant ergo lumine magno ad omnia illuminanda caſtra, ac adeò longa in altum erat columna. Tres verò erant Magi ſecum famulorum copias magnas non habentes, ideóque paruum admodum ſtellæ lucidum ſufficiebat corpus. Secundò. Ait idem Abulenſis. Iudæi pro nocte potius, quàm pro die magna indigebant columna; per diem enim etſi illum dirigens corpus paruum eſſet inſtar ſtellæ, ad dirigendum ſufficiebat, ſi ſaltem à paucis, qui præcederent, videretur: pro nocte autem, quia in campo manebant, vt omnia illuminarentur caſtra, magno lumine opus erat. Magi verò per diem ſolum viarum directionem poſtulabant, cùm per noctem non ambulantes in habitaculis tenerentur. Hæc ex Abulenſi.

Ambroſ. Hugo de S. Vict. *Contumaces fauore trahendi.*

55. Tertiam rationem nobis præſtat D. Ambroſius in Pſal. 118. *Præibat*, ait, *igitur illos Deus per diem in columna nubis, vt refrigeraret viantibus, noctu autem in columna ignis, vt viam oſtenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret.* Et Hugo de S. Victore apud Lyppom. c. 13. Exodi ſic loquitur. *Vna & eadem columna erat contra calorem obumbrans, & contra tenebras illuminans, vt dux eſſet vtriuſq; temporis.* Vt ergo die protegeret à calore tantam multitudinem, illâmque illuſtraret noctu, magna erat neceſſaria columna: Magis autem & quia pauci, quos cæli calores non vrgebant; & quia nocte non itinerabant, vt iam dictum eſt, neceſſe non erat; die verò Camelis equitabant, & ideo vna ſtella ſufficiebat. Quartò. Iudæi rebelles multum fauoris deſiderabant, vmbraculum ab æſtu, atque in nocte lucem vt montium, ac viarum aſperitate minimè terrerentur? Magi verò fortes, & in fide firmi poterant difficilia quæque facillimè ſuperare, ac proinde non expoſtulabantur illecebræ. Sed ad Patrum rationes iterum redeamus.

Maxim. *Deus paruis rebus magna operatur.* Auguſt. *Chriſto nato antiqua abierunt.* Chryſol. *Tempori, & occaſioni accommodandum.* Pſalm. 79.

56. Quintò. D. Maximus *hom. 6. de Epiphania*, ſic loquitur. *Et quàm hoc mirabile; quòd exiguus ſtellæ radius ſtupentia alienigenarum corda præmonuit; cùm illum Iudaicum populum, cui mare diuiſum, cui præbitum manna de nubibus, nec ignea potuerit, & ipſa de cælo micans columna conuertere.* Vni potuit ſtella parua ad Dei obedientiam, atque cultum è longinquis excitare, ac attrahere Magos; ad quod vna non potuit columna magna Iudæorum impellere corda. Deus paruis ſæpe rebus multo maiora præſtat, quàm magnis; & in his Magis Iudæorum confundit incredulitatem. Sextò. Rationem depromo ex D. Auguſtino *ſerm. 6. de Epiphania*, dicente. *Eo naſcente lux noua eſt in ſtella reuelata quo moriente lux antiqua eſt in Sole velata.* Non Sol, non antiqua ducatum præſtitit in eius natiuitate columna, ſed lux noua, eo enim naſcente abierunt antiqua, ac noua lux mundo eſt exorta. Septimò. Rationem inſinuat nobis D. Petrus Chryſologus *ſermone 156.* ita loquens: *Verè*, ſicut dixit Apoſtolus 1. Corinth. 8. *cùm eſſet diues, pauper factus eſt, cùm eſſet in Deitate ſua diues, noſtra ſit pauper in carne, & habere cœpit ſtellam vnam, totam, qui fecit, habet, & continet creaturam.* Cùm ipſe ſit Omnipotens, ad oſtenſionem ſuæ potentiæ eligitur Sol, Luna, & columna antiqua: at cùm ipſe ſit pauper in humili tigurio, vna ſtella parua contentus eſt, vt occaſioni, ac tempori correſpondeat, parua vna contentus eſt ſtella. In perſona Chriſti Domini, inquit Pſalmiſta, *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo*, Pſal. 79. n. 2. Sed quomodo ait, cùm ipſe ſit

Auguſt. ſit verus Deus, cui omnia tempora ſeruiunt: *Cùm accepero tempus?* D. Auguſtin. ibi: *Accepit tempus, vt filius hominis; gubernat tempora, vt filius Dei.* Adaptans ſe occaſioni, cùm ſit Dominus temporum, tempora accipit. Vide *lib.1.cap.6.n.45.*

QVÆSTIO XVI.

Quare dicant Magi: Venimus adorare eum?

57. Hugo. SOLAM exprimunt adorationem, munera tacent. Ad quod reſpondet primò, Hugo. *Magi plus habuerunt in opere, quàm ſermone dixerunt: quia veniebant adorare, & non ſolùm adorant, ſed munera offerunt.* Secundò reſpondeo, quòd Chriſtus Dominus noſtrum potius cultum, ac intimam vult cordis reuerentiam, quàm munera noſtra: à nobis adorari potius, quàm munerari affectat. *Chriſtus cor noſtrum potius, quàm munera vult* Tertiò. In eo, quod dicunt, *adorare*, munera innuunt; Regi, ac potenti, numquam adoratio exhibetur, muneribus vacua. Quartò. De muneribus non loquuntur, ne magnificentiam, & liberalitatem viderentur iactare ſuam. Quintò. Munera ſupprimunt, ne fortè Iudæi terrenis inhærentes rebus, ne munera donarent, ab adoratione deterrerentur; ideoque, vt ad Chriſtum faciliter, ac promptè occurrerent, ſolam adorationem dicunt.

58. Quæres pro iſta ſtella. Quid maius, quòd noua in cælo appareat ſtella, & Magos ad Chriſtum ducat: an quòd Magi è tam diſtantibus locis ad ipſum adorandum veniant? Quæſtionem
Chryſol. ſoluit D. Chryſologus ſermo.156. *Plus cæleſte*, ait, *de Magis, quàm de ſtella ſignum eſt, quòd Iudææ Regem, quod legis authorem ſciant.* Multum, & valde mirabile, quòd noua in cælo ſtella fiat, & obſequium hominibus præſtet in terris: ſed per omnem modum multo mirabilius, quòd idololatra, homóque in peccatis ſedens, ad Chriſtum adorandum accedat.

Matth.2.n.3. Audiens autẽ Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.

VERSIONES.

Syriacus. Quæ cùm audiſſet Herodes Rex, perterritus eſt, totáque Ouriſolem cum eo.

Vatablus. Auditis autem his Herodes Rex.

D. Chryſoſt. homil.6.in Matth. Audiens enim hæc ab eis, Herodes, pariterque populus turbatus eſt.

EXPOSITIO.

59. Alb. Magn. CVM diuulgatam à Magis Chriſti Domini veri Meſſiæ natiuitatem audiret Herodes, (ab Alberto Magno verſipellis appellatus) doloſè in hoc ſe agebat negotio, qui propter timorem amittendi regnum turbatur, omniſque Hieroſolyma cum illo. Ianſenius exiſti-
Ianſen. mat, quòd ciuitas non fuit verè turbata, ſed turbationem exteriùs tantùm finxit. Verùm in hoc aliqua fortaſſe interuenit diſtinctio. quidam enim turbati ſunt, alij finxerunt perturbationem. Et dicitur *Omnis.* nam princeps, ac ciuitas maiori ex parte turbata eſt; aliqui verò, vt Simeon, Anna, & alij iuſti gauiſi ſunt: eſt autem tanta iuſtorum paucitas, & iniquorum multitudo, vt hæc in comparatione illius dicatur omnis ciuitas.

QVÆSTIO XVII.

Quare turbetur Herodes audiens Regem natum?

HIC Herodis timor ex multiplici proceſſit cauſa. Et primò propter eum, qui de genere Iudæorum natus annuntiabatur, regnum perdere verebatur; cùm enim ipſe alienigena eſſet, à Iudæis ob ſuum Regem recipiendum facilè expelli poterat. Ita D. Leo *ſermone 3. & 4. de Epiphania.* D. Gregorius *homil.10.* S. Odolonius *ſermone de Epiphania.* Petrus Bleſenſis *de eodem.* D. Hilarius, D. Anſelmus, D. Thomas *hîc.* Optimè notat Albertus Magnus, quòd cùm dicitur Rex, cauſa turbationis ſubinfertur; dignitas enim timoris plena eſt; ſed conſidera, quantum Herodes diſtat à Magis, quod expendit D. Auguſtinus ſermone 26. de diuerſis. *Herodes timet ſucceſſorem; Magi deſiderant redemptorem, illi cupiunt inuenire regnum, metuit ille finiri regnum.* Quàm diſpar inter ſe iuſtorum eſt, ac iniquorum ſtudium. Iuſti, vt in eo inueniant regnum, vitam, & poteſtatem, Chriſtum quærunt; peccatores verò à Deo fugiunt, & potentiam, atque dominatum in illo perdere timent. Secundò. Abulenſis *quæſt.24.* Turbatur propter magnam iſtius Regis excellentiam, qui natus dicebatur; non enim aliquid, niſi valde magnum eſſe poterat, in quo tanta apparerent ſigna, ſcilicet quòd eius natiuitas ab extraneis agnoſceretur Regibus, & ſtella præcedente ad eum adorandum venerint. Tertiò, ait idem Abulenſis. Sola ipſa annuntiatio alterius Regis, ſufficiens erat ad perturbandum Herodem. 60. Leo. Gregor. Odolon. Bleſenſis. Hilar. Anſelm. D. Thom. Alb. Magn. Auguſt. Abulenſis.

Quartò. D Anſelmus, *Turbatur*, ait, *propter iram Romanorum, quam pateretur, ſi conſentiret: decreuerant enim Romani, ne quis Deus, vel Rex ſine ſuo conſilio diceretur.* Similiter D. Paſchaſius, D. Thomas, Hugo, & alij. Adeò cæca, ac arrogans eſt humana ſuperbia, vt præſumat ſe poſſe alicui diuinitatem donare, ac ſupernaturalia dare. Quintò. Inter has literales rationes, hæc mihi videtur. Timet Herodes, quia regnum iniuſtè poſſidebat, & Hircanum ſummum Sacerdotem Regem populi, vt dixi *q.1.* interfecerat, Rempublicam oneribus vexabat, atque tributis; in omnéſque tyrannicè principabatur: & vt dicitur Sapient.17. n.10. *Semper præſumit ſæua, perturbata conſcientia.* Et Iob.15. num.21. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius*, (ſcilicet tyranni,) *& cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Sextò. Theophylactus ait: *Herodes quidem turbatus eſt, vt alienigena, regno ſuo timens, ſciebat enim, quòd illo indignus eſſet.* Qui honoribus ſine meritis potiuntur, facilè pauent. Septimò. D. Auguſtinus lib.4. de ſymbolo ad Catechum. *Quid metuis*, ait, *Herodes talem Regem, qui ſic venit regnare, vt te nolit excludere?* 61. Anſelm. Paſchaſ. D. Thom. Hugo. *Superbia valde arrogans.* *Qui iniquè agit, timet.* Sapient.17. Iob.15. Theoph. Auguſt.

Quem

Æterna cogita vt tibi ſint ſecura temporalia. *Quẽ quæris, Rex regum eſt, ſi velles ſecurus obtinere regnum tuum, ipſi ſupplicares, vt ab illo acciperes ſempiternum.* Herodes pauet, & timet, quia ita deditus erat temporalibus, vt nihil cogitaret de æternis, vt ergo ſecurus ſis in terrenis, mentem erige ad ſpiritualia, vt omnia tua habeant munimen & ſecuritatem in Deo. Octauò. Imperfectus. *Rex quidquid aduersùs regnum ſuum putauerit, totum verum æſtimat.* Audet Herodes Regem natum ab extraneis, & Idololatris hominibus, qui Scripturas neſciebant, & tamen formidat, & timet; quia Rex quidquid audit contrariari ſuo regno, & bonis, inde maximè timore concutitur, & mouetur. Imperfect. *Rex maximè timet de ſuo regno.*

62. Imperfect. Nonò idem Imperfect. hom.2. ſic diſſerit. *Ideo turbatur Herodes audiens Regem natum Iudæis, ſemper enim grandis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt; ſicut enim rami arborum in excelſis poſitarum, etiamſi leuis aura flauerit, mouentur; ſic & ſublimes homines, etiam leuis nuntij fama conturbat; humiles autem, ſicut in conualle plerumque in tranquillitate conſiſtunt.* Qui in excelſa præſunt dignitate, ſemper maiori concutiuntur timore, ne in aliquod labantur damnum, & detrimentum. *Exaltatus autem humiliatus ſum, & conturbatus*, Pſal.87.n.16. Decimò Chriſto nato, inſaniunt Herodes, & Diabolus. Ita rem expendit Imperfectus citato loco. *Vnuſquiſque zelo proprio turbatur, & ſecundùm ſuam naturam regni ſui ſucceſſorem timebat: Herodes terrenum, Diabolus autem cæleſtem. Nam nec Herodes terreretur, ſi cæleſtem Regem naſci ſuſpicatus fuiſſet, nec Diabolus terrenum.* Sic homo cæleſtia contemnit, & afficitur ad temporalia, vt hæc ſolùm formidet amittere. Vndecimò D. Thomas, Hugo. *Turbatur quaſi erubeſcens, alium quàm ſe, Regem quæri, nam cùm ipſe eſſet de Idumæorum genere natus, legitimus Rex videri volebat.* Magnates in ſua potentia ita confidunt, vt aliud præter id, quod ſunt, videri deſiderent; cùm enim Herodes genere Idumæus eſſet, Iudæus exiſtimari volebat. Sic Saul dixit: *Peccaui, ſed honora me coram ſenioribus populi mei*, 1. Reg.15.n.30. *Timor in dignitate.* Pſalm.87. Imperfect. *Homo æſtimat temporalia.* D. Thom. Hugo. 1. Reg 15.

63. Caſſian. Duodecimò. Simon Caſſianus *lib.1. cap.13.* ſic præſentem enodat quęſtionem. *Semper autem erat præputiatis circunciſio carnis odioſa, Idcirco paganus Iudæum natum Regem horrebat, ne forte Iudæus fieret pagano ſuperior, cui iam Iudæus cæperat ſubiacere.* Durum enim eſt valdè, illum, qui aliquando ſuperior extitit, ad hoc deuenire, vt ſub inferioris ſui poteſtate exiſtat. Dixit vir Dei ad Heli: *Videbis æmulum tuum in templo*, 1. Reg.2.n.32. Seu, vt legit Symmach. *Aſpicies tribulationem.* Cùm tuum olim ſubditum in tua ſede videris, qui ex hoc æmulus tibi, & aduerſarius, magnam tunc tribulationem ſubibis. Decimotertiò. Hic Herodis timor congruebat, vt iudiciaria Chriſti ſignificaretur poteſtas, quam ipſe timebat. Vnde eleganter D. Auguſt. ſer.2. de Epiph. *Quid erit tribunal iudicantis, quando ſuperbos Reges cunabula terrebãt infantis?* Decimoquartò. D. Fulgentius *ſermone de Epiphania*, Euſebius Gallicanus, D. Leo *ſerm.6. de Epiphania*, Imperfectus *hom.2.* Turbatur Herodes tamquam membrum Diaboli, ad ſignificandam tribulationem ipſius Diaboli, qui per Chriſtum deiectus eſt, vt ait Dominus, Ioan.12.n.32. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Et per Chriſtum, *Ligatus eſt Sathanas per mille annos*, Apocalypſ.20.n.2. Et tranſeunte Domino, *Occurrerunt Ieſu duo habentes dæmonia, de monumentis exeunte ſæui nimis, itaut nemo poſſet tranſire per viam illam*, Matth.8. n.28. Illi à Diabolo clauſi tenebantur, at vbi Domini ſenſerunt aduentum, quos iniuſtè tenebat iniquus hoſtis captiuos, demiſit. D. Baſilius Seleucus orat.23. *Tantis malis Dæmon cùm à ſe obſeſſum implicuiſſet, Domini congreſſu prohibere non valuit.* *Graue ſuperior ſit inferior.* 1. Reg.2. Symmach. Auguſt. Fulgent. Gallican. Leo. Imperfect. *Chriſti præſentia liberamur à Diabolo.* Apocal. 20. Matth. 8. Seleucus.

QVÆSTIO XVIII.

Quare dicatur tota Hieroſolyma perturbata?

64. MAGNA ſanè erat populo Iudaico gaudendi ratio cùm deſideratiſſima iam adeſſet redemptio Iſraël, & de aduentu Meſſiæ daretur præconium ac multo glorioſius erat de ſua ſtirpe Regem, quàm alienigenam habere: & tamen turbatur ciuitas. Ad quod multiplex eſt ratio. Prima, & communis. Vt placerent, ſeu applauderent Herodi. Ita D. Thomas, Albertus Magnus, Caietanus, & alij. Ideoque dicitur turbata cum illo, eum imitando Secundò. Hugo. *Verè non ſunt turbati, ſed turbationem ſimularunt, vt Herodis haberent fauorem, quia multum effuderat ſanguinem Iudæorum.* Et præcipuè hæc ſimulatio in principibus locum habuit, qui ſuum amittere formidabant ſtatum. Tertiò. Albertus Magnus. Hæc fuit quoque in quibuſdam etiam bonis turbationis ratio: quia ſciuerunt Herodem ita malum, vt niſi triſtarentur, eos ipſe occideret, vt ſecum quocumque modo augerentur. Vnde item in morte ſua nobiliores præcepit occidi, vt ex hoc plangore cogerentur, & de morte ſua non gauderent, vt teſtatur Ioſeph. *lib.17. Antiquit.* Quartò. Ea mihi videtur germana ratio, quòd quidam turbati ſunt verè, quidam ſimulatione ſuſcepta, vt Herodi placerent. Hæ ſunt rationes literales. D. Thom. Alb. Magn. Caiet. Hugo. Alb. Magn. Ioſeph.

65. Abulenſ. Quintò. Vt ex Chryſoſtomo tenet Abulenſis *quæſt.25.* Turbati ſunt audito, quòd Rex Iudæorum eſſet natus ſicut ventis contrauenientibus vnda concutitur: ſic Regibus contrariantibus inuicem, populus conturbatur. Et ideo ex hoc timuerunt, ſcilicet ne præſente, & venturo Rege ad inuicem certantibus, ipſi perturbationibus inuoluerentur. Sextò. Imperfectus *homil.2.* ita ait: *Turbantur, quia de aduentu iuſti poterant iniqui gaudere.* Impij ex conſortio iuſti graue damnum timent. Prou.13. n.19. *Deteſtantur ſtulti eos, qui fugiunt mala.* Septimò. Euthymius. Et quærit: Quare Perſæ gaudentes veniant, Iudæi verò timeant; ita ait: *Verùm excæcauit illos inuidia, ſtatimque audientes turbati ſunt, quaſi timentes, ne fortè ſalutem conſequerẽtur. Perſæ verò, cùm eſſent extranei, non ſolùm nato inuiderunt; immo à finibus ſuæ regionis vſque ad Bethleem propter eum venerunt; Iudæi, autem cùm eſſent cognati, etiam gloriæ eius inuiderũt, ne fortè magnus futurus eſſet.* Iudæi, vt propinqui inuidia accenſi, nolebant, quòd Chriſtus Dominus eorum cognatus præcelleret eos. *Bellum timendum.* Imperfect. Prouerb.13. Euthymius. *Inuidiæ in propinquis.*

66. Paſchaſ. Octauò, D. Paſchaſius lib.2. *Herodes turbatus plures ſuorum habuiſſe complices ſcribitur. O miſera fragilitatis humanæ conditio, quæ ſæpe plurimum eis fauet iniuſtè, quos Dei iuſto iudicio crudeles ſuſtinet oppreſſores; nec eis metuit adulari, quos Dei in ſemet quotidie voluntati conſpicit reluctari.*

Y 2 Non

Non cum Iuſto Simeone gaudent, ſed cum iniquo Herode conturbantur, ſemper populus iniquis fauet? Præcipuè quando eos vt crudeles timet. Nonò. Simon Caſſianus *lib.1.cap.13.* ita ait. *Omnis populus Hieroſolymitanus cum Rege conturbatus eſt, non affecti amore Gẽtilis regiminis, aut perſonalis honoris, quo grauari potius, quàm releuari putabant, ſed timentes principis cæleſtis regnũ, quo regulariter, & ad iuſtitiam cogerentur, & non in ea pernicioſa libertate, qua impuniti mores liberi vagabantur.* Timebant, non cæleſtem Regem, ſed iuſtitiam eius, morúmque reformationem, à qua impij ſemper fugiunt, & ideo conturbantur. Decimò. D. Petrus Chryſologus *ſermone* 158. inquit. *Quare Hieroſolyma, quare principes, quare Scribæ* (ſcilicet conturbantur) *quia naſci non vult prophanus Deum, ſeruus Dominum, Iudicem reus, rebellis principem, perfidus cognitorem. Hinc eſt quòd Chriſtum naſci nolunt, viuere timent, quia nouerant, ſe mox ignominiæ dandos, tradendos opprobrijs, eijciendos templo, priuandos ſacerdotio, oblationum munere vacuandos.* In Chriſti natiuitate Principes inſaniunt, ac Nobiles; tum quia ob peccata ſua infligenda metuebant ſupplicia; tum quia ſuas eſſe refrænandas nouerant in contractibus vſuras, in oblationibus, & ſacerdotio ſimonias: & iniqui à ſuo turpi vacare lucro minimè volunt. Mandauit Deus Saul, *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius; non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid*, 1. Reg.15.num.3. Saul autem in executione diuini mandati deuaſtauit ciuitatem. *Tamen Saul pepercit Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum*, ibidem num.9. Sed valde inquirendum eſt cur Saul Regem Agag ſecum aſportauit, & ore gladij non interfecit? Lyranus *ibi*, ait. *Cupiditate ductus ſperabat habere de eo magnam redemptionem, vel per eum occulti theſauri reuelationem.* Terrenis lucris maximè inhærebat Saul, ac proinde ſemper occaſiones acquirendi captabat, ita vt diuinum mandatum ob aurum contempſerit. Chus filius Cham regnauit. *Fuit autem principium regni illius Babylon*, Geneſ.10. n.10. Iſte ædificauit Babylonem, & eam muro muniuit, non vt ſuos defenderet, ſed vt potius eorum bona diriperet, ac vt eos tyrannide vexaret. Diuus Chryſoſtomus, *Vide*, inquit, *habendi auiditatem quid faciat, vide corporis robur, non manens intra ſuos limites, & gloriæ appetentem naturam, non enim vt defenderet illos imperabat, ſed & ciuitates ædificabat, vt imperaret bellatoribus.*

Vulgus iniquis fauet. — Caſſian. — *Impij à iuſtitia fugiunt.* — Chryſol. — *Impij à peccatis deſiſtere nolunt.* — *Ambitioſi ſua cupiditate detinentur* — 1 Reg.15. — Lyran. — Geneſ.10. — Chryſoſt.

Matth.2.n.4. Et congregans omnes Principes Sacerdotũ, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.

VERSIONES.

Syriacus. Et cõgregatis omnibus Principibus Sacerdotum, & Scribis populi, percontatus eſt ab eis vbi Meſchico naſceretur.

Aliqui ex Græco. Omnes Principes Sacerdotum, & legis peritos.

EXPOSITIO.

HERODES in concilium congregat Sacerdotum principes, hoc eſt, ſacerdotalium familiarum capita, & ſcribas; erant autem hi legis periti, publicique Notarij, quorum erat munus, publica conficere inſtrumenta, ſacras ſeruare, & interpretari Scripturas, 4. *Reg. cap.22.num.*8. 9. & 10. Et Chriſti, ſeu Meſſiæ natiuitatis locum Herodes quærebat ab eis; licèt enim Magi de Rege Iudæorum inquirerent; ipſe tamen ex circunſtantiis, & ſignis, de Meſſia intellexit eſſe ſermonem, vt notat Euthymius: communis namque inter Iudæos erat opinio, illud eſſe aduentus Meſſiæ tempus. Non ait, vt notat D. Remigius, vbi Chriſtus natus eſt? Sed vbi naſceretur; malitia inimici hominis tantum bonum ſibi præſens perſuadere non poterat. 67.

Euthym. — Remig. — *Aduerſarius numquã bonum præſens exiſtimat.*

QVÆSTIO XIX.

Quinam dicantur hi Principes Sacerdotum?

QVÆSTIONEM hanc in multis Euangelij locis paſſim incidentem hîc ſemel explicemus. Et in primis pro certo ſtatuendum eſt, ſummum Sacerdotem ex lege Dei ordinaria in populo Iudaico vnum fuiſſe tantùm, vt latè probant Rodulphus *lib.4. in Leuit. cap.3.* Abulenſis 2.*Reg.8.* & 9. & hîc *in Matth.quæſt.26.* & docent D. Auguſtin. *quæſt.23. in Leuit.* D. Cyrillus *lib.11. in Ioann.c.37.* D. Chryſoſtomus *homil.82. in Ioan.* & patet ex *Leuitic.21. n.10.* vbi dicitur Summus Sacerdos, *Maximus inter fratres*; ſcilicet ex familia Aaronis. Deinde, quia veſte Summi Sacerdotis non induebatur filius, niſi poſt mortem parentis, *Exod.* 29. *num.* 19. Et homicida profugus à ciuitate, in patriam, non ante Pontificis mortem, reuertebatur, *Numer.35.num.32.* Si autem plures eſſent Pontifices, exprimendum erat, cuius eſſet mors. Et hoc bene deducitur ex nomine ipſo, nam ſummus, vel maximus æqualem excludit. 68.

Rodulph. — Abulenſ. — Auguſt. — Cyrill. — Chryſoſt.

Dixi, *ex lege ordinaria*; quia poteſtate diuina in hoc aliqua fuit facta diſpenſatio. Moyſem, & Aaronem ſummos fuiſſe Sacerdotes, tenent D. Auguſtinus *quæſt.23. in Leuit.* D. Gregorius Nazianzenus *orat.6.* Philo *lib. de vita Moyſis*, D. Dionyſius *de Eccleſiaſt. Hierarch. cap.5.* D. Hieronymus *contra Iouinianum.* Et bene colligitur ex Pſalm.98.num.6. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius*; quod ex multis latè ibi probat Lorinus. Abiathar, & Sadoc ſummos etiam fuiſſe Sacerdotes, communis eſt ſententia. Toletus *in cap.18. Ioann. annot.1.§. ſupereſt.* Pineda *de rebus Salomonis, lib.5. cap.13. §.7.* Mendoça *lib.1. Reg. cap.2. num.32. §. Dicendum.* Et rectè colligitur ex 2. *Regum 15.n.35.* & 1.*Paralip.24.n.3.* 69.

Auguſt. — Nazianz. — Philo. — Dionyſ. — Hieron. — Pſalm.98. — Lorin. — Tolet. — Pineda. — Mendoça.

Qui ſunt hîc dicti Sacerdotum principes? D. Auguſtinus *tract.49. in Ioann.* exiſtimat, ob Reipublicæ Iudaicæ miſeriam tempore Chriſti plures fuiſſe Sacerdotes ſummos, ſcilicet Annam, & Caipham; nam de Zacharia Præcurſoris parente dicitur Luc.1.n.8. *Cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ.* Contraria tamen ſententia communis 70.

Auguſt. — Luc.1.

communis eſt, quòd vnus tantùm in populo Iudaico fuerit ſummus Sacerdos. Ita Salmeron, Maldonatus, Beaulxames *hîc.* Et bene colligitur ex *Ioann.11.num.49.* vbi de Caipha ait: *Cùm eſſet Pontifex anni illius.* & Ioannis 18.n.13. *Et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Ergo ſolus Caiphas, & non alter. Pontifex erat. Nec obſtat id, quod dicitur de Zacharia: nam ipſe Sacerdos ſummus non erat, vt dixi *lib.1. cap.4. quæſt.4. num.8.* & *num.3.* Alij verò, Ioſephus *lib.18.cap.6.* Euſebius *lib.1. Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap.6.* D. Chryſoſtomus *in Matthæum homilia* 81. dicant, quòd licèt Summus Sacerdos fuerit vnus, ſummum tamen ſacerdotium Romanorum tempore annuale erat, & venale; atque omnes, qui ſummi Sacerdotis officio aliquando fungebantur, vel functi fuerant, in Scriptura Sacerdotum principes appellabantur. Hæc opinio ex eo non placet, quia etſi ſacerdotium venale eſſet Romanorum tempore, iam tunc quoque Sacerdotum principes dicebantur, cùm adhuc vnus tantùm erat Sacerdos, vt patebit ex *locis proximè citandis*; & tempore Dauidis iam plures dicebantur principes Sacerdotum.

Salmer. — Maldon. — Beaulx. — Ioann 11. — Ioann.18. — Ioſeph. — Euſeb. — Chryſoſt.

71. Principes Sacerdotum erant ſacerdotalium familiarum capita. nam Dauid, cùm ex Aaronis familia eſſent multi, ad contentionem, confuſionémque euitandam, eos in viginti quatuor diuiſit familias; & quicumque vnius familiæ erat caput, Sacerdotum princeps dicebatur. Et hi ſunt, qui taliter appellantur 1. *Paralip.24.num.3.* & *4. ac 10.* & *cap.15.num.6.* & *11.* & *2.Paralip.36. num.14.* Hi erant ex magno Concilio Sanhedrim, & in templo per vices ſuas inſeruiebant. *Lucæ cap.1. num.4.* ad quotidiana ſacrificia. Summus autem Sacerdos defuncti Sacerdotis ſummi maior filius erat, & in Sancta Sanctorum ſemel ingrediebatur.

Qui ſunt Principes Sacerdotum.

QVÆSTIO XX.

Quare ab his Principibus, & Scribis, locum natiuitatis Chriſti Herodes quærat?

72. ALIQVÆ ad hoc ſunt rationes. Prima, & communis; locum ſcire doloſè vult, Chriſtum vt facilè quærere poſſit, inuentúmque interficiat. Secunda. D. Paſchaſius *lib.2. in Matthæũ*, ita loquitur: *Vt cautius eos exploraret, ſi Rex eorum ex lege promiſſus triſtes, gaudentéſve faceret.* Et ſimiliter D. Remigius. Ex triſtitia vultus, atque lætitia, quali eſſent animo in natum Regem ſuum, in ipſúmque Herodem deprehendere ſatagit. Tertia. Theophyl. ait: *Singulari autem Dei diſpenſatione interrogantur illi, vt confiteantur veritatem, & ex hoc condemnentur, quòd illum crucifixerunt, quem priùs confeſſi ſunt.* Ad maiorem ſui confuſionem interrogantur, vt veritatem inuiti fateantur, & inexcuſabiles maneant. Quarta. Hugo Cardin. *Interrogat Herodes, vt ei ferrent teſtimonium, Romanis quod nihil omiſiſſet de contingentibus, inueſtigando de Rege nouo.* Quinta, & myſtica. Herodes, non amicos, atque fautores ſuos, qui ei morem gerere poſſent, ſed veritatem certò definire cupiens, Principes Sacerdotum, & Scribas in lege doctiſſimos, etſi alioquin iniquiſſimos, in Concilium vocat, vt eius inſtruamur exemplo, à quibus conſilium ſit petendum.

Paſchaſ. — *Ex vultu deprehenditur lætitia.* — Remig. — Theophyl. — Hugo.

Sexta. Aut Herodes prophetiæ credebat, aut non: ſi credebat, pro certo etiam habebat, quòd impediri nequibat, quin Rex ille regnaret: ſi non credebat, quare ergo quærebat? Reſpondet Diuus Thomas primò. *Dicendum, quòd non perfectè credebat, quia ambitioſus erat; & ambitio hominem cæcum tradit.* Imperfectus *homil.2. in Matthæum* inquit: *Credebat Herodes Scripturis, aut non credebat? Si non credebat, vt quid interrogat Scripturas, quas putabat eſſe vaniloquas? Aut ſi credebat, quia inde verè naſciturus eſt Rex, vnde Scripturæ dicebant: Quomodo ſperabat, poſſe ſe interficere illum Regem, quem futurum Scripturæ eſſe dicebant? Sed quidem credebat Herodes in malo, in bono autem non credebat.* In malo, nempe in loco ab Scriptura deſignato, vt Chriſtum Dominum ad interficiendum inueniret, Herodes credebat; in bono autem, ſcilicet, quòd Chriſtus Dominus in æternum eſſet regnaturus, minimè credebat. Principum hæc eſt miſera conditio, ſibi conuenientibus præſtare fidem, diſconuenientibus verò aſſenſum denegare. Impius ille Pharao multis affectus plagis in obduratione ſua perſiſtens Moyſi, & Aaroni dixit: *Orate Dominum*, ſcilicet pro ſe, ſuóque populo. Exod. 8. num. 8. & 29. cap.10. num.17. Sed quomodo pro ſe ad Dominum poſtulat orari? Aut confitebatur potentiam eius, & tunc populum contra voluntatem Domini, detinere non poterat, aut ſi non agnoſcebat, quomodo ad ipſum preces quærit? In his credebat, quæ ſuæ erant vtilitatis, vt plaga ceſſaret; in his verò, quæ eius repugnabant voluntati, minimè aſſentiebatur. Ad hoc reſpexit Amonius in conſonantia Ieſu cum Moyſe, dum de Pharaone ait, *Ab eo*, ſcilicet Deo, *ſperabat à plaga liberari, cuius potentiam negabat.* 73.

D. Thom. — *Ambitio cæcat hominem.* — Imperfect. — *Impius credit in his, quæ ſunt in ſuum commodum.* — Amonius.

Matth.2.n.5. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam.

VERSIO.

Syriac. Vatabl. Pagninus. At illi dixerunt ei: In Bethleem, quæ eſt in Iudæa.

EXPOSITIO.

LOCVM ex propheta oſtendunt; Matthæus autem non curat exprimere nomen, ſed quemlibet vocat Prophetam abſolutè, *cap.1.num.23.* *cap.26. num.56.* & *27. num.35.* Propheta tamen hîc ſubintellectus eſt Michæas, vt patet ex loco adiuncto. Et notandum ex Ruperto *ſuper prologum in Matthæũ*, vbi ſic ait: *Soli Dauid, & Michææ reuelatus eſt locus Chriſti naſcituri: nempe Dauid*, Pſ.131.n.6. *Ecce audiuimus eam in Ephrata, id eſt, Bethleem*, Gen.c.35.n.19. Cuius rei ea mihi videtur ratio. Deinde extitit valde humilis, de ſe enim dicebat, *Ego ſum vermis, & non homo*, Pſal.21.n.7. Michæas verò, vt notat D. Hieronymus *in eius prologo*, humilitatem ſignificat. Et ita Dominus elegit natiuitatis ſuæ locum humilem, vt ſolùm per Prophetas ſpecialiter humiles inter omnes voluerit publicari. 74.

Rupert. — Pſalm.131. — Geneſ.35. — Pſalm 21. — Hieron.

75. Imperfect. Caſſian. Iſti autem legis periti oſtendunt locum natiuitatis Chriſti Domini, in conſpectu Regis alienigenæ; in quo facti ſunt, vt aduertit Imperfectus *homilia* 2. proditores myſteriorum ſacrorum, cùm margaritas Dei abiiciunt ante porcos. Seu, vt ait Simon Caſſianus lib. 1. cap. 13. *Dum locum natiuitatis oſtendunt, à ſe ipſis ſunt accuſati, & condemnati, à nemine verò excuſati.* Hoc eſt Dei iudicium, vt impius ore ſuo ſe condemnet. Vel fortaſſe, quia quamuis iniqui, ab ipſa Scriptura compulſi ſunt dicere verum.

Matth. 2. n 6. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.

VERSIONES.

Syriacus. Tu quoque Iihoudica Bethleem, nequaquam minima es inter Reges Iihoudææ: ex te enim prodibit Rex, qui paſcet populum meum illum Iſroiel.

Vatablus. Nequaquam es minima inter principes Iudæ: ex te enim mihi prodibit dux, qui recturus eſt populum meum.

Pagninus. Nequaquam minima es inter duces Ichoudææ, ex te mihi egredietur dux.

EXPOSITIO.

76. OSTENDVNT ſcribæ locum natiuitatis Chriſti ex Propheta Michæa *cap. 5. num. 2.* vt latiùs explicabimus *quæſt. ſequenti.* Vatablus, & Pagninus ex textu Prophetæ transferunt *mihi.* Ex te mihi, id eſt, in meam gloriam, & honorem, ſcilicet Dei. Et quamuis humani generis redemptio in noſtrum commodum facta ſit, tamen dicitur præcipuè facta in gloriam Dei. Et dicitur, *Exiet dux*; non manebit, vt notat Theophylactus (Theoph.), nam ad alias gentes egreſſus eſt. *Reget*, ſeu paſcet ſpirituali regimine, beneuolè tanquam paſtor. *Populum meum Iſraël*, hoc eſt, omnes fideles, qui per Iſraël intelliguntur, vt iam dixi.

Chriſtus ad omnium ſalutem paratus.

QVÆSTIO XXI.

Quare hîc ab Euangeliſta referantur mutata prophetiæ verba?

77. Mich. 5. PERANTIQVA hæc quæſtio eſt. Propheta Michæas c. 5. n. 2. *Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël: & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Quare tanta eſt inter Prophetam, & Euangeliſtam diuerſitas? Vt patet hîc ex textu? Dixerunt aliqui primò, quòd Euangeliſta ſcripſit, ſicut in Michæa habebatur, nos verò nunc aliam habemus tranſlationem At hoc non ſtat, noſtra enim tranſlatio, vt notat Abulenſis (Abulenſis.) *quæſt.* 23. eſt iuxta radicem Hebraicam, quæ nunc alia non eſt, niſi antiqua. Secundò. Diuus Hieronymus (Hieron.) *in Comment. Michææ* arbitratur, ſcribas lapſos fuiſſe in recitando Prophetæ teſtimonium; ac proinde eorum negligentiam, atque ignorantiam hîc à Matthæo argui, & ideo vt ab eis dictum eſt, ipſe refert teſtimonium. Tertiò D. Paſchaſius (Paſchaſ.) *lib. 2. in Matth.* ait, quòd ita ab eis dictum eſt, *Quia memoriæ credentes, quæ nonnunquam fallitur, contraria interdum protulerunt.* Vtraque hæc ſententia difficultatem patitur, quia legis periti erant, & magna in multitudine, & fortaſſe ipſemet liber in medium prolatus eſt.

Non eſt credendum memoriæ.

78. Quarta ſententia, quæ vera mihi maximè videtur, ait, quòd iſti legis periti, vel etiam Euangeliſta in narratione prophetiæ huius ſeruarunt, ac retinuerunt, non verba, ſed ſenſum. Et hoc eſt valde frequens. Apud Matthæum cap. 1. n. 23. ait. (Matth. 1.) *Sicut dictum eſt per Prophetam: Ecce Virgo in vtero habebit, pariet filium, & vocabunt nomen eius.* Iſai. verò c. 7. n. 14. (Iſai. 7.) *Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius.* Idem Matt. 2. n. 18. (Matth. 2.) *Quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam: Vox in Rhama audita eſt, ploratus, & vlulatus: Rachel plorans filios ſuos.* Hierem. verò c. 31. n. 15. (Hierem. 31.) *Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos.* Et ita de multis aliis. Euangeliſta non attendit ad verba, ſed ad ſenſum, qui eſt idem, vt ex proximè dicendis patebit.

79. Hieron. D. Thom. Alb. Magn. Quinta ſententia, & probabilis, quæ eſt Diui Hieronymi, Diui Thomæ, Alberti Magni, & aliorum, quòd ſcribæ, ac legis periti ita dixerunt prophetiam ad maiorem eius manifeſtationem, ad ipſamque magis declarandam, atque ad aperiendum illius intellectum Herodi alienigenæ. Et ideo non dixerunt, *Ephrata*, quod erat nomen antiquum, & fortaſſe Herodi ignotum, ſed dixerunt *Iuda*, quod erat multo clarius, & hoc neceſſariò fuit addendum ad alterius Bethleem diſtinctionem, quæ erat in terra Zabulonis. Et id, quod Propheta dixit, *Paruulus es*, ſcilicet locus: *In millibus Iuda, ex te exiet dux*, &c. Ipſi vt explicarent, quòd licèt parua eſſet in ambitu, & manibus, non tamen ita erat in dignitate; per interrogationem aiunt: *Nequaquam minima es?* Et quod Propheta dixit: *In millibus Iuda*, id eſt, in multitudine ciuitatum Iuda. Ipſi dixerunt: *In principibus Iuda*, id eſt, inter principales ciuitates Iuda; vt ita magis eius dignitatem ratione principis naſcituri indicarent. Et nota, quòd vox *Alphe*, quæ eſt in textu Hebraico, millia, ac principes ſignificat.

Doctrina ita dicatur, vt intelligatur ab auditore.

QVÆSTIO XXII.

Quare iſti legis periti non referant totam prophetiam?

80. IN fine prophetiæ huius diuinitas Chriſti explicatur, dum ait: *Et egreſſus eius ab initio, ac à diebus æternis*; ſolus enim Deus eſt ab initio, ac à diebus æternis. Quare ergo legis periti hoc tacuerunt, nam Matthæus ideo non retulit, quia

Imperfect. quia & ipſa non protulere? Imperfectus *homil. 2. in Matth.* ait: *Quòd iſtam prophetiam præſcindentes interficiendorum paruulorum facti ſunt cauſa. Si ergo integram prophetiam protuliſſent, conſiderans Herodes, quia non erat Rex terrenus, cuius dies à diebus ſæculi erant, in tantum furorem non exarſiſſet.* Similiter habet D. Thomas (D. Thom.) *hîc.* Attamen licèt peccauerint in eo, quòd patrem prophetiæ tacuerunt, vt eſt probabilius; ea tamen audita, Herodis malitia non erat quietura; ita enim erat obdurata, vt nec Magorum, nec ſtellæ teſtimonium potuerit cedere.

81. Chryſoſt. Sed ad propoſitam quæſtionem reſpondet primò, D. Chryſoſtomus homil. 7. in Matth. *cùm enim dicerent*, ait, *quia ex Bethleem proceſſurus eſſet qui regeret Iſraël: nequaquam tamen id, quod ſequitur, addiderunt, in adulationem profectò Regis, vt ad humanæ gratiæ lucrum veritatis damna proficerent. Quid verò illud erat? Et egreſſus, inquit, eius à diebus æternis ab initio.* Scribæ temporalia meditantes, vt terrenum captent Regis fauorem, ſpirituale diuinæ gratiæ lucrum nihilo æſtimant, ideo Chriſti natiuitatem tacent. Secundò. Hi legis periti totam dicere prophetiam formidant, ſibi perſuadentes huiuſmodi vaticinium ab Herode malè accipiendum; & ideo veritatem ſupprimunt.

Ob Regis gratiam veritas ſupprimitur.

82. Tertiò, & myſticè. Iſti licèt mali eſſent conſiliarij, ad id ſolum reſplendere voluerunt, quod ab eis quæſitum eſt, locus ſcilicet natiuitatis Chriſti: *Sciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* De loco ſolùm illius natiuitatis interrogati, ad hoc tantùm reſpondent. Explicat ſomnium Pharaoni Ioſeph, Nabuchodonoſori Daniel, totam tamen Ioſeph Deo tribuit interpretationem: (Geneſ. 41.) *Abſque me Deus proſpera reſpondebit Pharaoni*, Geneſ. cap. 41. n. 16. Quod idem eſt, vt explicat D. Chryſoſt. (Chryſoſt.) Ne ſuſpiceris aliquid à me dicturum, totum enim à Deo eſt. Non ſic verò Daniel *cap. 2.* (Dan. 2.) Qui quamuis dixerit num. 28. quòd *Deus reuelauerit Regi, quæ ventura ſunt.* Tamen de explicatione hoc tacet. Sed cur Ioſeph totum Deo refert; non ſic verò Daniel? Ioſeph præter expoſitionem multa dixit non petita citato cap. 41. n. 33. *Nunc prouideat Rex*, &c. Et adeò alienum eſt, præter quæſita reſpondere, vt ne in grauem incurreret cenſuram, neceſſe fuerit Dei authoritate patrocinari. Vt Dominus quinque milia hominum ſatiaret, à Philippo quæſiuit: (Ioan. 6.) *Vnde ememus panes?* Ioann. 6. num. 5. *Ipſe verò reſpondit: ducentorum denariorum panes non ſufficiunt.* In quo tarditas ingenij Philippi arguitur ab Alcuino (Alcuin.), & aliis; & fortaſſe bene, quia præter quæſita reſpondit, Dominus interrogabat de loco ad emendos panes, ipſe autem ad denarium recurrit.

Conſiliarius ſolùm ad interrogata reſpondet.

Matthæi 2. num 7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuerit eis.

VERSIONES.

Syriacus. Exquiſiuit ab eis, quónam tempore ſtella eis apparuiſſet.

Vatablus. Perquiſiuit ab illis tempus, ex quo ſtella apparuiſſet.

Pagninus. Diligenter cognouit ab illis tempus.

Imperfectus homil. 2. Exquiſiuit tempus, quando apparuit.

EXPOSITIO.

83. HERODES de Rege nato teſtimonium audiuit à Magis: *Vidimus ſtellam eius.* De ipſo etiam à Scribis teſtimonium Prophetæ accepit. *Ex te exiet dux, qui regat populum meum.* Notat Caſſian. (Caſſian.) *lib. 1. cap. 13.* & ait, *Amplius tremefactus Herodes ex prophetia in concione à legis peritis recitata, quàm ex interrogatione Magorum.* Et meritò; nam teſtimonium Prophetæ pertinebat ad fidem, Magorum verò ad intuitum oculorum; & fides multo certior ipſa viſione. *Clam vocatis Magis.* Nam, vt notat Diuus Chryſolog. (Chryſol.) ſerm 158. *Quia palam nihil audet ſimulata mens, conſcientia doloſa: quia fur amat noctem; latro occultè tendit inſidias.* Seu quia id, quod inter plures dicitur, faciliùs manifeſtatur, & ipſe volebat, hoc verbum, & hanc inquiſitionem eſſe occultam, ne Iudæi ſuſpicarentur, vt notant D. Chryſoſtomus, Theophylactus, D. Anſelmus, & D. Thomas (Chryſoſt. Theoph. Anſelm. D. Thom.), quod ipſe malum machinabatur in Regem ſuum ex tanta ſolicitudine; cùm enim nota eſſet eius ambitio, atque crudelitas, quidquid ageret, valde ſuſpectum erat. Et nota, quòd hucuſque ab Euangeliſta dictus eſt Rex: *In diebus Herodis. Turbatus eſt Herodes Rex*; nunc verò hic primum hoc nomen amiſit, quia in dolo, & falſitate, quod à Rege eſt maximè alienum, quæſiuit: *tempus ſtellæ* à Magis interrogauit, quia, vt aduertit Abulenſis (Abulenſ.) *quæſt.* 31. poterat accidere, quòd illuderetur ab ipſis, vt inuento puero eum non certificarent, nec ad illum redirent; vel quia pro tunc ſtella non apparebat, & contingens erat, quòd puerum Meſſiam non inueniſſent; & ideo in generali cognoſcere voluit illius natiuitatis tempus, vt eum occidere poſſet, omnes ſibi coætaneos occidendo. Sed quare aduentus Meſſiæ tempus ex aliquo vaticinio à Iudæis non quæſiuit? Quia ſecundùm prophetias adeò erat notum illud eſſe tempus natiuitatis Chriſti, vt interrogatione non indigeret.

Fides certior viſione oculorum.

Dolus ſimulatè agit.

Dolus alienus à Rege.

Notiſſimum erat tempus aduentus Chriſti.

Matthæi 2. num. 8. Et mittens illos in Bethleem dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

VERSIONES.

Syriacus. Eoſq; dimittens Bethleem, ait illis: Exquirite diligenter ſuper puerulo. Poſtquam autem inueneritis, venite, renuntiate mihi, vt & ego proficiſcar illum adoraturus.

Vatablus. Et dixit: Profecti diligenter inquirite de puello.

Pagninus. Diligenter cognoſcite de puerulo.
Arias. Diligenter explorate de puero.
Imperf.ho.1. Ite,& videte de puero.
Ianſenius. Examinate diligenter.

EXPOSITIO.

84. IN dolo, & fallacia Magos in Bethleem mittit Herodes, vt puerum inueniant,quem ipſe perdere cupiebat, ſed in quo nocumẽtum eſt machinatus, obſequium præſtitit: nam venientes Magi adorauerunt eum.

Auguſt. *In quo vult decipere, decipitur Herodes.*

D.Auguſtinus *tom.6.orat.contra Iudæos,Paganos, & Hæreticos*,ita loquitur cum Herode: *Labia doloſa,quid ore, & corde loqueris mala? Aliud enim habet lingua tua, aliud clamat conſcientia. Te ipſum decipis talia cogitando erras, falleris, & fallis. Fruſtrà in malo vigilat falſitas.* Textus. *Ite,& interrogate.*

Iniquus,dum depeudnt humiliatur.

Cum imperio tamquam Dominus iubet qui vſque modò, vt diſcipulus ſe ſummittebat, *didicit ab eis tempus*; tamdiu vt inferior ſe præſtitit, quandiua cum Magis rem habebat, ab eiſque ſtellæ tempus exquirebat, quo finito vt ſuperbus Dominus inſoleſcit,& imperat, *De puero*,ſeu puerulo. Magi Regem dixerant, *vbi eſt,qui natus eſt Rex*; ipſe verò puerum appellat.

Theoph.

Theophylactus ait: *Non dixit,de Rege, ſed de puero,neque enim nomen ferre poterat, demonſtrans, quantum contra illum inſaniret.*

85. Vt Magis placeret,eoſque faciliùs fallere poſſet, promittit Herodes ſe puero, cuius necem in animo meditabatur, cultum deferre velle. *Vt & ego veniens adorem eum.*

Imperfect.

Imperfectus *hom.2.* ſic ait: *Cùm vidit*,ſcilicet Herodes, *quòd aliud facere non poterat;ergo deuotionem promittebat, qui gladium acuebat, & malitiam cordis ſui humilitatis colore depingebat. Talis enim eſt conſuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto grauiùs lædere voluerit, humilitatem illi, & amicitias fingunt.*

Hoſtis humilitate fallit. Herodis ſimilis, qui ad Euchariſtiã cum peccato accedit.

Faxit Deus, ne hodie in populo Chriſtiano ſint aliqui Herodis imitatores prætextu cultus,& adorationis ad ſacram Euchariſtiam accedentes, peccato tamen ſuo Chriſtum interimere conantes. Accipe eleganter D.Chryſoſtomum homil.7. in Matth.

Chryſoſt.

Caue,ait, *ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas: Vt & ego veniens adorem eum,cumque veneris, interimere coneris. Huius ſimiles ſunt qui indignè abutuntur communione myſterij: reus eſt iſte corporis,& ſanguinis Domini: ſpecie quidem adorare videntur; quantum verò in ipſis eſt, interimunt eum,quem adorare ſimulant.*

Theophyl. *Vir ſimplex omnes eſſe ſimplices exiſtimat.*

In tanta Herodis malignitate viri ſancti,& ſimplices Magi nihil mali ſuſpicati ſunt; põderat Theophylactus: *Ipſi*,inquit *cùm dolo carerent, putabant, & abſque dolo loqui.*

QVÆSTIO XXIII.

Quare Herodes non acceſſit ad Bethleem cum Magis ad Chriſtum adorandum?

86. RATIO huius rei à priori voluntas fuit diuina, in cuius manu eſt cor Regis, quæ mentem mouit, ne in Bethleem abiret. Congruentiæ autem multæ ſunt. Prima, quæ mihi videtur maximè literalis. Exiſtimauit Herodes, quòd Magi, ſi per ſe ſolum accederent ad Bethleem, faciliùs puerum inuenirent; nam cùm eius crudelitas nota eſſet, aduentu ſuo parentes pueri ipſum abſconderent, vel in aliam partem fugerent, vbi ab eo nec poſſet inueniri, nec cum aliis pueris, vt ipſe iam cogitabat, interfici.

Abulenſis.

Secunda. Abulenſis *quæſt.34.* ait, quòd Herodes non iuit cum Magis,quia vidit eos ire in dubium, cùm non dirigerentur à ſtella, quæ tunc non videbatur; ſi tamen ſciret, quòd ſtella apparitura erat eis in exitu de ciuitate, iuiſſet cum eis, quia tunc putabat, ſe ire ad rem certam.

Idem.

Tertia. Idem Abulenſis. Si vnà veniſſet cum Magis Herodes, vel vidente Herode necaretur Chriſtus, vel ab Herode perſecutionem pateretur ante tempus, ſeu miraculo ſe ſe ſubtraheret inde, atque defenderet; vel Magi impediti fuiſſent, ne Chriſtum viderent, atque ad hæc euitanda, diuina ordinante prouidentia, Herodes non iuit.

Non eſt citò credendum omni homini.

Quarta. Cum illis non iuit, tum vt Iudæorum tolleret ſuſpicionem, ne cogitarent, quod malum ipſe in Regem ſuum intendebat; tum ne ipſe præ ſe leuitatem ferret ad hominum alienigenarum dictum tam citò ſe mouens.

Paſchaſ.

Quinta. D. Paſchaſius: *Ne fortè Scribæ,ac Phariſæi, quaſi ex Dei oraculo repromiſſum occultarent,ſi aliquo ſignificationis nutu deprehenderent,eum ſe velle perimere.* Cum Magis non vadit,ne ex aliqua cognoſceretur prophetia, Herodem velle puerum occidi: & inde Iudæi circa eum occultandum ſe cautè haberent.

87. Sexta, & myſtica. Diuina ordinat prouidentia, ne cum Magis ad Chriſtum adorandum Herodes proficiſcatur; quia infidelitas, ſeu crudelitas Deum non poteſt inuenire.

Gallican.

Euſebius Gallicanus. *homil.1.de Epiphania*,ita ait: *Quem Magi de extrema venientes Æthiopiæ parte cognoſcunt: ſolus ad illum non poteſt Rex ſacrilegus peruenire. Fallitur ergo ſtulti furor tyranni: Chriſtum non poteſt inuenire perfidia. Deus non crudelitate,ſed credulitate quærendus eſt.*

Crudelitas non inuenit Chriſtum.

Septima. Herodes Chriſtum fictè quærebat,& talis Chriſtum numquam inuenit.

Odilon.

S.Odilonius *de Epiphania,ſerm.2.*ita ait: *Qui Deum fictè quærunt, inuenire minimè poſſunt. Quod modò ille illuſus, ab Angelo monente, per aliam viam declarat Magorum reditus.*

Qui fictè quærit nõ inuenit Chriſtum.

88. Profundum Dei decreuit Conſilium, ne cum Magi Herodes fictè egrediatur,& vadat in Bethleem; quia ab illo diſſimulatum habere obſequium repudiauit, quem in ſupplicium parabat æternum.

Non accipiatur obſequiũ ab eo qui puniendus eſt.

Geneſ.4.

Duo illi fratres Cain, & Abel ſacrificia Domino obtulerunt: *Reſpexit Dominus ad Abel,& ad munera eius,ad Cain autem non reſpexit*, Geneſ.4.num.4.

Chald.

Chaldaic. *Suſcepit Dominus cum beneplacito Abel, & munera eius,Cain autem, & munus eius non ſuſcepit.*

Theodot.

Seu, vt legit Theodotus. *Inflamauit Dominus ſuper ſacrificium Abel,& non ſuper ſacrificium Cain.* Sed cur Dominus iſtius noluit ſuſcipere ſacrificium? Hic miſer damnandus ficto animo munus offerebat, cùm eſſet igitur diuina iuſtitia puniendus, meritò illius diſſimulatum reſpuitur obſequium.

Algerus.

Vnde Algerus ait lib.de Sacrament. *Reprobus iſte reprobata ſacrificia offert, quæ non ad obſequium, ſed ad pœnam præparabantur.*

Pſalm.49.

Regius Vates *Pſal.49.n.9.* ait Dominus populo Iſraëlitico. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Nónne Dominus holocauſta ſibi fieri ſæpe præcepit; quare modò reiicit? Præfata verba Pſalmi ita legit

Auguſt.

D. Auguſtinus in editione Nibienſi Epiſt.5. *A die deſtructionis domus diuinitatis meæ,non accepi de domo tua boues.*

Heſych. Gaulfrid.

Quod Heſychius de deſtructione facta per Romanos, Hugo Gaulfridus de deuaſtatione per peccata exponunt, & cum ab ea die populus eſſet ſupplicio deputatus, voluit diuina iuſtitia ab eis obſequium habere nullum.

QVÆSTIO XXIV.

Quare aliquis de populo non iuerit cum Magis?

89. DIVINA etiam voluntas huius rei à priori extitit ratio: motiua verò,quantum poſſumus coniecturare, aliqua fuere.

Leo.

Prima D. Leo *ſerm.4.de Epiphan.* ita ait: *Prælato diuino oraculo: Et tu Bethleem terra Iuda*,&c. *Quàm facilè,quàm conſequens fuit,vt Hebræorum proceres crederent, quod dicebant. Sed apparet, illos carnaliter cum Herode ſapuiſſe, vt & temporalem ſpernerent ducem.*

Ob Herodem contemnunt Chriſtum.

Miſera hominum conditio,quia magnates,vt iniquè intelligant, cum Rege ſuo cæleſtem Dominum contemnunt,ac ſi puer ille terrenus eſſet, & regnare non poſſet; ideo nemo in Hieroſolyma ad Chriſtum perquirendum mouetur.

Gallican.

Secunda. Euſebius Gallicanus ita ait: *Quòd ſtella vocabat Magos,non Iudæos.* Vt Chriſtus Dominus inquit: *Nemo poteſt ad me venire, niſi pater meus traxerit eum*; cùm autem per ſtellam ſolùm Gentiles vocarentur ad Chriſtum, per eam Iudæi excitari non poterant: iam enim per Angelum ad Dominum erant adducti.

Leo.

Tertia. Idem D. Leo ſerm.2.de Epiph. *Locum*, ait, *natiuitatis de Scripturarum teſtimonijs demonſtraſtis, præſentiam temporis de cæli, & terræ atteſtatione cognoſcitis, & tamen vbi ad perſequendum animus Herodis exarſit, ibi ad non credendum veſter ſenſus obdurauit.*

Magnates morem gerũt Regi.

Maximè animus Principum rapitur nutu Regis, vt ei morem gerant,ac proinde plus apud ipſos valet Regis reſpectus, quàm quæcumque cognitio,ac euidentia veritatis,ac Regis nati. *Vbi ad perſequendum animus Herodis exarſit, ibi ad non credendum veſter ſenſus obdurauit.*

90. Quarta. Inter Iudæos quidam iniqui,alij probi; illi, vt Herodi placerent,atque applauderent, Magis ſe adiungere noluerunt; hi verò ne ei occaſionem iræ, atque furoris præberent, ſibi proponentes, alio tempore ad Chriſtum commodè accedere poſſe. Et ſic in tam ſimili facto tam diuerſa interuenit intentio. de quo vide *lib.2.cap.2.num.11.& cap.4.num.63.* Hæc mihi ratio vera,& germana videtur.

Dare locum iræ.

Regis exemplum efficax.

Quinta. Nullus comitatus eſt Magos, vt ſinguli Herodi ſe conformarent: adeò efficax, & validum Regis eſt, ac maiorum exemplum.

Geneſ.19.

Dum dominus illas deleret ciuitates, Geneſ.19. num.24. dicitur; *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur,& ignem à Domino de cælo*; & tamen ciuitates aliæ ſubuerſæ fuere, vt patet *Deuter.29.n.23.* Quomodo ergo de illis duabus tantùm mentio fit?

Caiet.

Caietanus: *Numerantur hæ duæ,quia principaliores erant.* Primæ ciuitates hoc ſunt peccato infectæ; igitur à fortiori inferiores rapuerunt ſecum, & par in eis pœna fuit.

Chryſoſt.

Hoc eleganter confirmat D.Chryſoſtomus *ſerm. de continentia Ioſeph*, exemplo animaliũ quæ ſemper ducem ſequuntur ſuum. *Nam*, inquit, *& columba ſæpe vna auolante, ſtatim ſequuntur omnes,& pullus generoſus in equorum armento exiliens ſecum rapit omne armentum,ſimiliter & auis reliquum gregem; ita & nos*, &c. Poſt ducem,& Regem noſtrum ſemper ſequimur.

QVÆSTIO XXV.

Quomodo Herodes Meſſiam volebat occidere,cùm eſſet verus Deus?

91. PVERVM natum,quem Magi adorare intendebant,Meſſiam eſſe in lege promiſſum intellexit Herodes,ideo de loco,vbi Chriſtus naſceretur,à ſapientibus quæſiuit. Quomodo ergo, cùm Meſſias eſſet Deus,qui inuitè,etiam in natura aſſumpta occidi non poterat, ipſum occidere cogitauit Herodes?

92. Abulenſis.

Reſpondeo germanè ad literam cum Abulenſi *quæſt.29.* quòd Herodes verum Meſſiam occidere intendebat, quòd autem Meſſias eſſet Deus,Herodes fortè neſciebat; nam ipſe, vt alienigena, in lege bene inſtructus non erat, & hoc numquam audierat; ideoque ad eius adulationem in Concilio Sapientes prophetiam truncauerunt,vt graues authores tenent; & Reges, quæ neceſſaria,& vera ſunt,ſæpè non audiunt.

Sæpe neceſſaria nõ veniunt ad Regis aures.

Deinde licèt multi putarent, Meſſiam eſſe Deum, vt euidenter ex lege, & Prophetis colligebatur; hoc tamen non erat in populo communiter vulgare. Et dato, quòd Herodes hoc audierit, non credidit vir iniquus ſola temporalia bona, & Principum Romanorum fauorem ſequens: neque capere potuit, quomodo Deus factus homo in tempore naſceretur. Solùm exiſtimauit, Meſſiam eſſe virum iuſtum, & probum, qui à potente quolibet occidi poterat. Quod verò attinet ad multa,quæ in Scriptura de Meſſia prædicta erant, aut non credebat,aut ſibi perſuadebat poſſe impediri,ſicut videbat aliquas in Scriptura conditionatas prædictiones: ita Abulenſis; ſed hoc manifeſtè decipiebatur Herodes,quia prædictio de Meſſia abſoluta,& efficax erat.

93. Chryſoſt.

Secundò. Demus, quòd crederet Scripturis,& puerum eſſe Deum; rectè reſpondet D.Chryſoſt. homil.7. *Puerum*, ait, *proculdubio interficere cupiens: quod non furoris tantùm,ſed extremæ etiam ſtultitiæ fuit indicium: nam illa,quæ facta ſunt,& illa, quæ dicta ſatis idonea erant,quæ ab omni illum poſſent deterrere tali conatu: ſed illum tamen nihil horum omnino compeſcuit. Tale quippe eſt vitium malignitatis,vt à nullo impulſa plerunque ſe ſe ipſa præcipitet, & quæ ſæpe abſque effectu operis ærumnoſa,& impoſſibilia geſtit efficere.*

Malitia omnia cõtemnit.

Tam potens nequitia eſt, vt nec ſtellæ apparitio,nec Prophetarum, ac Magorum teſtimonium Herodis inſolentiam potuerint flectere, ſed ex quadam deſperatione puerum intendebat occidere.

Hilar.

Tertiò. Furor, & ira paſſiones ſunt adeò vehementes, vt Herodis mentem excæcauerint, ita vt ſe Deum ipſum poſſe necare cogitauerit. D.Hilarius ita ait: *Quàm cæca feritas? Credebat,quòd comprehendere Deum fraudibus poſſet. Fallitur ergo ſtulti furor tyranni.*

Furor,& deſiderium excæcant.

Quartò. Quamuis Herodes cognoſceret, Meſſiam non poſſe occidi, eum excæcabat deſiderium

rium, ac voluntas : ſicut ſæpe videmus in aliquibus,quæ homo certò ſcit, ſe conſequi non poſſe: quia tamen illa nimium deſiderat,ſe ipſum fallit, fingens quaſi facilè conſequenda : ita affectus occidendi Chriſtum excæcabat Herodem,vt crederet ſe poſſe efficere , quod intendebat. Quintò. D.Chryſoſtomus in Catena Græca in cap.2.Luc. Chryſoſt. *Deſere igitur, & tu perturbatam illam ciuitatem, temporalem cogitationem, & homicidam illum tyrannum Mammonam.In Bethleem, hoc eſt,in Eccleſiam feſtinus occurre, vbi domus eſt panis ſpiritualis.Sed ne Herodi ſimilis ſis,caue. Illi enim aſſimilantur,qui indignè myſterijs hiſce communicant, & filium Dei conculcant , habentes in ſemetipſis Mammonam.* *Auaritia omne facinus aggreditur.* Magi veniunt vt Chriſtum adorent ; Herodes perſequebatur vt occideret ? Vnde tanta diuerſitas ? Magi aurum,quod habebant, à ſe dimittebant,& Chriſti pedibus ſubiiciebant, at Herodes auri deſiderio flagrabat, vt ipſum retineret , & poſſideret , & qui tanta cupiditate æſtuabat , non ſe Deo ſubmittebat , ſed aduersùs eum pugnare intendebat. *Filium Dei conculcant, habentes in ſemetipſis Mammonam.*

94. *Ambitio eſt cõtra Deum.* Sextò. Ipſa ambitio, dominandique cupido,ita Herodis obnubilauerat mentem,vt contra Deum ſe poſſe erigere , eique reſiſtere cogitaret. Cùm durum eſſet bellum inter Philiſthæos , & Iſraëlitas , adduxerunt hi Arcam Dei in caſtra, & vociferatus eſt Iſraël clamore grandi : audierunt Philiſthiim,& timentes dixerunt ; 1.Reg.4. *Venit Deus in caſtra,& ingemuerunt,dicentes:Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum,hi ſunt Dei,qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto. Confortamini,& eſtote viri Philiſthijm:ne ſeruiatis Hebræis,confortamini, & bellate* , 1.Reg.4.n.8. & 9. Difficilis eſt locus inter expoſitores. Qua conſequentia loquuntur iſti;nam fatentur Deum veniſſe in caſtra, eius agnoſcunt potentiam , qua Ægyptum tot oppreſſit portentis,ſe ipſos tamen ad pugnam exhortantur, & victoriam. Ita dominandi appetitus eorum obtenebrauerat mentes, vt ſibi perſuaderent, contra Deum ſe poſſe ſtare, ipſoque inuito glorioſa victoria triumphare. Poſtquam Nabuchodonoſori ſuum Daniel explicauit ſomnium,Danielem adorauit, & dixit : Daniel 2. *Verè Deus veſter Deus Deorum eſt, & dominus Regum* , Daniel.2.num.47. Et ſtatim ſuam fabricatam ſtatuam ab omnibus adorari præcepit , quod cùm tres illi Hebræi pueri noluiſſent , ait illis Rex : Daniel.3. *Quis eſt Deus,qui eripiat vos de manu mea?* Daniel.3.num.15. Nónne ipſe fatebatur modò, quòd non erat alius Deus præter Deum Danielis ? Quomodo tam citò potentiam eius negat? Tantæ dementiæ occaſionem dedit dominandi ambitio , qua vnus ipſe ſuper omnes æſtimari volebat. Gloſſa. Gloſſa Ordinaria : *Tam citò*, ait , *quem confeſſus fuerat , & Deum Deorum vocauerat , ei detraxit , ipſumque hominem imbecilliorem eſſe opinatus eſt : quem Dominum Regum appellarat, eum vincere ſe infelix iuueniliter gloriatus eſt.* Hanc ſtultitiam in Romanis Imperatoribus , qui in nummis , abolita Dei imagine expreſſerant ſuam , pungit Philo libro legis allegoriarum : Philo. *Vt ſecundùm ſuam formam*,ait, *probabiles Deo cuderent nummos,& abolita figura Cæſaris,viuum Regis æterni numiſma ſignarent.* Hanc totam noſtram rationem , ac ſextam ponderationem optimè confirmat Imperfectus homil.10. in Matth. Imperfect. *Si credis*, ait , *Herodes verum eſſe,quod dictum eſt de puero,nunquid potes tu mutare ſententiam Dei, aut perdere illum quem Deus defendit ? Sed quid mirum , ſi Herodes homo iniquus putabat ſe poſſe mutare conſilium Dei?Ipſe ſapientiſſimus Salomon, cùm propter peccatum ſuum audiſſet à Prophetis Hieroboam Regem futurum, poſuit perſequi eum, putans poſſe illum perdere , quem Deus protegit : quia zelus ſapere neſcit , & ira non poteſt habere conſilium.* *Zelus & ambitio maximè hominem decipiunt.* 3.Reg.11. Vbi enim ira,ambitio , ac zelus intrarunt,etiam in ſapientiſſimum Salomonem,ſic deſipiunt vt præſumat homo poſſe perdi eum,quem Deus deſtinabat in Regem.

Matthæi 2. num 9. Qui cùm audiſſent Regem, abierunt : & ecce ſtella, quam viderant in Oriente , antecedebat eos , vſque dum veniens ſtaret ſuprà,vbi erat puer.

VERSIONES.

Syriacus. Illi autem his à Rege auditis abiere , & ecce ſtella, quam viderant in Oriente,precedebat eos donec venit , ſtetitq; ſuper locum vbi puer ille erat.

Vatablus,Pagninus. Præcedebat illos , donec progreſſa ſtaret ſuper locum,vbi puellus erat.

S. Proſper de temp. Grat. promiſ.6. Ecce ſtella præibat eos.

Imperfectus homil.2. Præcedebat eos, vſque dum venit , & ſtetit ſuper caput pueri.

EXPOSITIO.

95. AVDITO Rege ad Bethleem proficiſcuntur , veram obedientiam, non homini , ſed Deo,qui in Prophetis ſuis locutus erat, oſtendentes , vt notat Hugo. Hugo. Probos etiam figurabant auditores, qui à malis Prædicatoribus quæ audiunt bona faciunt ; eorum verò nequaquam imitantur opera. *Ecce ſtella*;hæc euanuit ad Hieroſolymæ ingreſſum ; modò autem eis apparet viam oſtendens. Et ſtella antecedebat eos,vt eleganter explicat D. Auguſtinus in Catena D.Thomæ, Auguſt. *Vt Chriſto,ait, ſtella plenum redderet obſequium , temperauit gradum,donec Magos perduceret ad puerum.* At vbi aduenerunt ad locum, *Stella accommodauit ſe Magis.* vbi puer erat,ſtella ſtetit.Theophylactus. Theophyl. Ad locum pueri deſcendit ſtella. Imperfectus. Imperfect. Quòd ſtella ſtetit ſuper caput pueri. S.Maximus. Maxim. Quòd tunc maiores , ac clariores emittebat radios , qui præſentiam pueri deſignarent. Ad præſepe deſcendit ſtella,& longiori radio, tamquam digito, vt ait D.Paulin.*lib.1.Epiſt.*378. Paulin. puerum demonſtrabat. Et totum cælum tunc obſtupeſcebat, vt ait S.Maxim. Maxim. *Mirabatur quidē terra,quòd nouam ſtellam videret in cælo ; ſed plus mirabatur cælum, quòd nouum Solem videbat in terris.* Stella cælum relinquit , *Vbi Chriſtus, ibi cælum.* & ab ipſo deſcendit , & venit ad præſepe,

præſepe, in quo ſacratiſſimus puer erat , quia vbi Ieſus aderat , non ſtabulum , ſed cæli palatium erat,D.Epiphanius. Epiphan. Orat de laudibus Mariæ. *Apparet ſtella Magis,donec veniſſet ſuper infantem in ſtabulo,vel potiùs in cælo,vbi enim Chriſtus, ibi & cælum. Nam ſtabulum viſum eſt eſſe cælum.*

QVÆSTIO XXVI.

Quare ſtella ſe occultauerit Magis ad ingreſſum Hieruſalem ?

96. QVAMQVAM,vt iam dixi,aliqui exiſtimauerint, quòd ſtella apparuerit Magis ſolùm in terra eorum,& non extiterit dux, in via;communis tamen ſententia eſt,quòd eis in via ducatum præbuerit,& ad introitum Hieruſalem ſe ſe abſconderit. Ita D. Chryſoſt. *homil.*7. Euthymius,Theophylactus,D.Paſchaſ. D. Thomas, D. Carthuſiunus, & alij multi. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Paſchaſ. D. Thom. Carthuſ. Et ideo Magi de Rege nato quæſierunt , ac proinde viſa ſtella gauiſi ſunt gaudio magno.Quare ergo ſtella eis diſparuit ?

97. Prima communis,& vera ratio eſt. Vt in Hieruſalem,quæ erat totius regni caput, in qua omnes Iudæi conueniebant propter templum, quod erat in ea ſolum , Chriſtum verum Meſſiam natum publicarent , maieſtatem eius ex ſtella viſa declarantes ; & vt Iudæi exemplo ſuo excitarentur ad eum adorandum , ac recipiendum : & vt confunderentur; nam ipſis Chriſtum non quærentibus , Gentes , quæ in lege non erant inſtructæ,ipſum quærebant.Secundò reſpondet Hugo. Hugo. Luc 16. *Signum Gentilibus datum non debuit apparere domeſticis legis , & Prophetarum, qui ſi Moyſem , & Prophetas non audiunt,neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit* , Luc. 16. n.9. Hæc verò ratio non eſt multum efficax ; quia alias probaret , quòd Magis Iudæam ingredientibus,ſtatim ſtella eis ſe ſe occultauerit. Tertiò , Antequam Hieroſolymam ingrediantur , ſtellam vident , & vbi primum ab illa exeunt , radiis eius iterum perfruuntur : Herodis , illiuſque curialium nequitia ad cæleſte donum impediendum interponebatur. D. Ambroſius lib.2.in Luc. Ambroſ. *Stella ab his videtur, & vbi Herodes eſt,non videtur.Vbi Chriſtus eſt,rurſus videtur, & viam monſtrat.* Zacharias Epiſcopus. Zachar. *Ex ſocietate iniquorum damnum.* *Magis appropinquantibus Hieroſolymam diſparuit ſtella,quia quicumque appropinquat ad hypochritas, & Hæreticos, Dei lucem amittit.Sed poſtquam recedit ab eis,diuinam lucem recuperat.* Hæ ſunt rationes ex parte Iudæorum.

98. Abulenſ. Quartò. Ex parte Magorum. Abulenſis *quæſt.* 37. ait. Vt abſcondita ſtella inquirerent de Rege illo nato , & per hoc manifeſtè ſcirent , quòd ille erat Rex Meſſias , ac Deus quem Iudæi expectabant , de quo tanta dicebant magnalia. Sed hæc ratio non eſt firma:quia Magi diuina gratia benè cognoſcebant , quòd Rex ille Iudæorum erat Deus, & Meſſias; ideo dixerunt. *Venimus adorare* ; ac abſolutè pronuntiarunt Regem Iudæorum,non verò hunc, vel illum.

99. Caſſian. Quintò. Ratio ex parte eorum eſt, quam tradit Simon Caſſianus lib. 1. cap. 14. *Vt Magi teſtimonijs Prophetarum per amplius firmarentur, tamquam nouitij, & ex Gentibus nouellæ plantationes.*Magi in fide Catholica incipientes erant,ideo cæleſtibus ſignis , ac Prophetarum teſtimoniis adiuuandi , atque fouendi ; teneræ plantæ maximè irrigandæ ; vt ait Quintilianus. Quintil. Sextò. Abſconditur ſtella, vt Magorum ſolida fides in Hieruſalem manifeſtetur; ex eo enim, quòd in curia regali , non ſolùm non inueniebant , ſed & nomen eius omnes Iudæos viderunt conturbatos; & quem quærebant, planè eſſe illis incognitum, meritò ſe deluſos cogitare poſſent ; inter hæc tamen non exanimantur. In Magis Gentilitas vocabatur , ideo eorum tam firma fides declaratur, *Meritum ad dignitatem manifeſtandum.* vt , qui ad tot , tantaque diſponebantur , eorum probaretur meritum , ac omnibus notum fieret.

Septimò. D. Bernardus ſerm.3. de Epiphania. 100. Bernard. *Hinc manifeſtè*,ait,*datur intelligi,quoniam humanum flagitantes conſilium, diuinum amiſere ducatum:& conuerſos ad terrenum documentum ſignum cæleſte deſeruit.* *Quærens auxiliũ humanum cæleſte amittit.* Similiter D.Paſchaſius,& D.Thomas. Paſchaſ. S.Thom. Tamquam dicant SS.Patres,& myſticè.Humanum Magi quæſierunt auxilium , dum interrogant:*Vbi eſt,qui natus eſt Rex Iudæorum?*ideo à diuino ſtellæ ductu deſeruntur. Geneſ.4. Adamus dum eſſet ſolus , in diuini ſtetit obſeruatione præcepti: at poſtquam Eua creata ei in adiutricem eſt data , diuinum miſerabiliter tranſgreditur mandatum. Quandiu ſolus ideo non eſt præuaricatus, quia Deum, cui confidebat , tantum habebat adiutorem:at vbi primum Euam vt ſui accepit auxiliatricem, labitur, quia in ea ſpem ſuam aliquo modo repoſuit. D.Ambroſius lib. de paradiſ.c.4. Ambroſ. *Quia adiutricem rationis habiturum ſe eſſe credebat,lapſus eſt propter vxorem.*

QVÆSTIO XXVII.

Quare ſtella iterum appareat Magis,& ipſos ducat ad Chriſtum?

101. Abulenſis. ABVLENSIS *q.* 39. inter aliquas rationes hanc exiſtimat præcipuam : quia cùm in Bethleem multi eſſent pueri,& quis illorum Rex eſſet , Magi neſcirent , neceſſaria fuit ſtella , vt illum indicaret. At hæc ratio non eſt multum firma , quia licèt Magi ſtella fuerint excitati,diuina tamen ſolùm gratia, qua illuminati erant , ad Chriſtum Dominum peruenire poterant:ſicut Paſtores,quamuis per Angelum moti; tamen diuina gratia ad præſepe,in quo erat Chriſtus, acceſſerunt. Sic Simon , & Anna in templo Spiritu interno Chriſtum agnouerunt , & etiam Magi illuſtratione gratiæ, vt infrà dicemus.

102. Idem. Apparuit ergo ſtella primò , vt ait etiam ipſe Abulenſis,vt Magi, qui erant nouitij in fide, firmarentur ſigno externo , prophetia, atque interna gratia. Secundò. Ad conſolationem Magorum. Tertiò. Stella dux itineris Magis eſſe cœpit ; *Miniſter inſiſtat in opere incepto.* ne igitur ab incepto deſiſtere videatur , iterum apparet,ducatum præbet,vt inchoatum perficiat opus.Vide *lib.1.cap.2.num.*68. Ratio quarta. Ad tempus abſconditur ſtella , & iterum Magis fulget, vt magno eos perfundat gaudio;nam poſt amiſſionem recuperata maximè delectant; *Amiſſa recuperatæ delectant.* vt dixit D. Auguſtinus *Pſalm.* 118. Pſalm.118. Ad tempus priuatur Tobias lumine oculorum , vt multiplicata lætitia illud recipiat *cap.* 11. Tob.11. Ioſeph amiſſa libertate captiuus dicitur in Ægyptum , vt glorioſiùs regnet. Quinta D.Anſelmus. Anſelm. *Dimiſſo*,ait, *conſilio*

conſilio prauorum, ecce redit vera cognitio; ſtella eſt quælibet exhortatio bona ducens ad Chriſtum, vel potiùs fides, quæ eſt mentis illuminatio. Quandiu erant cum Herode, ſtellæ radiis carebant; vbi verò ab eo digreſſi ſunt, ſtatim tanta luce, ac bono perfruuntur. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ, & vidit Deus, quòd eſſet bonum, & bedixit eis*, Geneſ. 1. n. 21. Poſtea verò in creatione animantium terreſtium. *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere ſuo.* Et ſtatim ſubditur, *Vidit Deus quòd eſſet bonũ*, n. 25. Et tamen nulla benedictione terreſtria munerantur. Sed cur Dominus tam larga benedictione proſequitur anamalia, quæ in aquis detinebantur, ab ea verò excludit, quæ in terris paſcebantur? Serpentis conſortium tanti damni cauſa, nam cùm venenoſus ſerpens lateret in terra, animalia, quæ in ea morabantur, benedictione priuantur, quam conſequuntur, quæ in aquis ab ea ſunt diſiuncta. D. Anaſtaſius Sinaita lib. 8. Exaëmer. *Secunda cauſa*, inquit, *propter quam terreni priuati ſunt benedictione, quoniam in eis erat ſerpens Euæ hoſtis, & contrarius, & futurus erat obnoxius execrationi.*

Conſortium iniquorum nocet. — Geneſ. 1. — Anaſtaſ.

QVÆSTIO XXVIII.

Quare Magis reuelatur Chriſti natiuitas: non verò determinatè illius locus?

103. RESPONDEO. Vt eorum innoteſcat fides magna, obedientiaque prompta, qua parati erant ad remotiſſimas, atque duriſſimas orbis adire partes, vt in Abrahamo expendit D. Chryſoſtomus, dum ei præceptum eſt à Domino Geneſ. 11. n. 1 *Egredere de terra tua, & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* S. Doctor. lib. 1. de prouidentia. *Abraham*, ait, *cùm ſimpliciter, ac indiſtinctè audiſſet, in terram, non iſtam, vel illam, ſed quam monſtrauero tibi, omnia mente circuibat, perluſtrabat; credi enim poteſt ad orbis terrarum fines, Oceanumque ipſum ſe profecturum expectaſſe; itaque etſi non omnem perluſtrauit terram, curam tamen huiuſce perficiendi itineris feſtinet.* Immo, vt videatur, quanta iſtorum fides, & obedientia ſit, non ſolùm Deus locum non reuelat, verùm etiam nec ipſi inquirunt; nam perfecta obedientia, ſimplex eſt, non curioſa, non diſcutit; quod in Abrahamo notauit D. Laurentius de ligno vitæ cap. 7. *Sit obedientia decorata, ſicut fide Abrahæ, qui obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & exiuit neſciens, quò iret.* Quia verò Abrahami exemplo vſi ſumus, dicam, quòd maior Magorum, quàm eius extitit fides; nam Abrahamo vt exiret, ſex proponuntur præmia, vt notat Caietanus, & eſt manifeſtum conſideranti initium *cap.* 12. *Geneſ.* at nil ſimile circa Magos legitur, ſed tantùm de ſuis exiſſe terris. Ni dicere velis, quòd, dum ad Dei properabant viſionem, qua nil maius, ad multo maiora feſtinabant.

Geneſ. 11. — Chryſoſt. — *Obedientia non curioſa.* — Laurent. — Caietanus. — *Magna fides Magorum.*

Matthæi 2. num. 10. Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde.

VERSIO.

Vatablus. Quum autem vidiſſent ſtellam, gauiſi ſunt perquam magno gaudio.

EXPOSITIO.

104. CVM Herode triſtitia, & turbatio remanet, Magos gaudium, & lætitia comitatur; qui enim in Dei obſequio perſiſtunt, hac ſemper fruuntur: illam, dum in Herodis curia demorantur, non obtinent, quia omnes illius gazæ pro nihilo eis habebantur; ſed dum ad Chriſtum tendunt, viſa ſtella, gaudent, vt ait Euthymius: *Gauiſi ſunt, vtpote reperto duce nequaquam fallaci.* In Hieroſolymis omnes legis Doctores ſuſpectos habuerunt; at in ſtella, de cuius fideli ductione erant experti, maximè ſunt confiſi. Seu, vt ait D. Thomas, *Timebant enim, quia de loniginquis partibus venerunt, amittere, quod ſperabant. Gaudio magno*, quia perfectum gaudium habebant. Frequens Scripturæ locatio. *Iſai.* 61. *n.* 10. Gaudens gaudebo in Domino. *Valde*, additur, ideſt, intẽſiſſimè gaudebant. D. Anſelmus hîc. *Gaudet gaudio magnò, qui propter Deum gaudet, qui eſt verum gaudium ſicut vita viuit, qui in virtutibus viuit; & morte moritur, qui in peccatis eſt.* Et ideo Magi tam ingenti lætitia afficiebantur, quia ſtella eos ducebat ad Chriſtum, vt eum viderent, ac adorarent, & ei obſequendo munera offerrent. Et nulla ſanè maior magnitudo, quàm famulatum Chriſto Domino exhibere, & ei appropinquare. De lapide illo, qui Chriſtum Dominum in ſepulchro claudebat, ait Mirc. 16. n. 4. *Erat quippe magnus valde*; ſed vnde lapis iſtè tam magnus, non quantitate molis, ſeu corporis, ſed excellentia dignitatis. Seuerus in Catena D. Thomæ *Plus*, ait, *iam magnus merito, quam forma, qui creaturis mundi corpus, & claudere, & operire ſufficit.*

Triſtitia in mundo gaudium in Deo. — Euthymius. *De fideli duce lætantur.* — D. Thom. — Anſelmus. — Marc. 16. — Seuerus. *Nulla maior dignitas quã Chriſto ſeruire.*

Matth. 2. num. 11. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.

VERSIONES.

Syriacus. Domumque ingreſſi contemplati ſunt puerulum cum Maria.

Euthymius. Et ingreſſi domum viderunt puerum cum Maria.

Arias. Et venientes in domum.

Vatablus, Pagnimus Cum Maria matre eius, proſtrati.

Theophylact. Cum matre eius, & cùm procidiſſent, adorauerunt illum.

Arabicus. Et prociderunt eum adorando.

EXPOSITIO.

105. PERFIDVS Herodes, deſideſque Iudæi ſuis peccatis torpentes Chriſtum non vident,

at Gentiles, dum labori, itineri, ac amori incumbunt, è longinquo venientes ipſum inuenerunt. Pro quo accipe D. Auguſtinum, dum Chriſtianos ad inquirendum Chriſtum excitat, ſer. 43. ad fratres in Eremo. *O Chriſtiane*, ait, *caue, ne quæras Chriſtum cum Iudæis, ſed cum paganis Regibus perquirere non deſiſtas. Pagani veniendo ad Chriſtum laborant, ſed Iudæi quieſcendo, Chriſtum ignorant.* Et cùm intueantur eum tanta in paupertate in præſepio humili pannis contemptibilibus inuolutum, ibi diuina illuſtrati gratia, luceque alterius, quæ ibi aderat, ſtellæ, ſcilicet Beatiſſimæ Virginis, quam *ſtellam* hîc appellat Abulenſis *quæſt.* 41. eum vt Deum agnoſcunt, & adorant: Virginis enim vultus per reſpectum ad aliquos fideles, ex ſe quendam Diuinitatis ſplendorem exhalabat, ac immittebat, vt teſtatur D. Dionyſius Areopag. *in ſua Epiſt. ad Paulum*, & adducit Ferreolus de Maria Auguſt. Vident Magi Deum natum, & tamen, vt ait D. Thomas, *Illa paupertate non ſcandalizantur, quia non terrenum Regem, ſed cæleſtem inquirebant.* Et in ipſa tanta paupertate latentem diuinitatem agnoſcunt, quia patriam, & bona ſua reliquerunt, abnegatio enim terrenorum maximè mentem acuit ad Deum inueniendum, ac cognoſcendum. D. Chryſ. hom. 7. in Matth. *Et Magi niſi procul regioaem propriam reliquiſſent, nequaquam vtique Chriſtum videre potuiſſent. Decedamus igitur à terrenis negotijs, atque curis. Etenim Magi illi cùm adhuc morarentur in Perſide ſtellam videre tantummodo: quia verò à Perſide receſſerunt, ſolem ipſum aſpexere iuſtitiæ.* Tantum prodeſt patriam relinquere vt Deum videas. *Procidentes adorant.* Et non loquuntur; abſorpti erant in tanti contemplatione myſterij, ac eximia charitate feruebant. Rahab, & Magdalena duæ peccatrices; illa multum loquitur *Ioſue* 2. *n.* 9. hæc nihil *Luc.* 7. *n.* 35. amore enim æſtuabat. *Inuenerunt puerum cum Maria.* Paſtores primò vident Virginem, deinde puerum. *Inuenerunt Mariam, Ioſeph, & puerum*, Luc. 2. n. 16. Magi verò è contra. In illis quippe, vt ſimplicibus, ratio obſtupeſcebat, ne circa modeſtiam, ac grauitatem virginei vultus diſcurreret, ſed tantùm ad puerum intuendum, quem Angelus prædixerat, feſtinabant. In iſtis autem, vt ſapientibus, mens poterat ita titubare, vt ex Virginis præſentia aliquid diuinum, ac ſupra naturam conciperet; & ideo primò Chriſtum vident, quem vt Deum recognoſcunt, ac fatentur, & tandem Virginem intuentur. Ingredientibus Magis Sanctiſſima Deipara puerum collocauit in vlnis ſuis, vt notant D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, vt ita meliùs à Magis conſpiceretur.

Auguſt. — *Qui quærit Chriſtum, inuenit.* — Abulenſ. — Dionyſ. Ferreolus. D. Thom. — *Vt Deum videas, temporalia dimitte.* — Chryſoſt. — Luc. 2. — *Virgo quid ſuperexcellens oſtendebat.* — Chryſoſt. Theoph. Euthym.

QVÆSTIO XXIX.

Quare teſtetur Euangeliſta, quòd Magi Chriſtum inuenerint in domo?

106. THEOPHYLACTVS *hîc*, D. Epiphanius *hæreſ.* 51. *lib.* 2. dicunt, quòd licèt Chriſtus in præſepio natus ſit, poſtea tamen Virgo habitationem inuenerit, in qua à Magis viſus, & adoratus eſt. At contraria ſententia verior eſt, ſcilicet, quòd in eodem loco Chriſtus Dominus eſt natus, & à Magis adoratus; hoc enim magis exaltat, & eorum fidem, & Chriſti paupertatem. Ita D. Hieronymus *Epiſt.* 18. & 28. Diuus Gregorius Nyſſenus *orat. de ſanct. Chryſt. natiuitat.* Imperfectus *homil.* 2. D. Auguſtinus, S. Leo, S. Maximus *de Chriſti natiuit. hîc* Euthymius, Carthuſianus, S. Thomas, Albertus Magnus. Et aliquando in Scriptura ſtabulum appellatur domus, 1. Reg. 4. n. 7. *Arripite duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, & recludite vitulos eorum domi*, id eſt, ſtabulo. Et hoc indicat communis traditio Eccleſiæ, & antiqua pictura.

Theophyl. Epiphan. — Hieron. Nyſſen. Imperfect. Auguſt. Leo. Maxim. D. Thom. Alb. Magn. 1. Reg. 4.

107. Sed iam ad myſticam rationem deſcendamus. Dum Chriſtus naſcitur, appellatur ſtabulum locus ille. *Reclinauit eum in præſepio*; & cùm ſit idem tugurium, hodie tamen dicitur domus, ſeu aula, vt canit Eccleſia in matutinis: *Adorate Dominum in aula ſancta eius.* Si præſepe, quomodo aula? Quàm aliter apparent diuina myſteria oculis gratia diuina illuſtratis, ac infidelitate obcæcatis. In nocte natiuitatis per reſpectum ad Bethleemitas habitatores præſepe dicitur ab Euangeliſta; tale enim videbatur Bethleem habitatoribus Sacramentum ignorantibus, quorum aſpectui locus vilis, & humilis erat. At hodie domus, vel aula nuncupatur; nam à Magis Dei ſplendore illuminatis illud abiectiſſimum tugurium, tanquam opulentiſſimum palatium æſtimabatur. Chriſtus Dominus à Iudæis communiter filius fabri dicebatur *Matth.* 13. *num.* 55. A Diuo autem Petro *Filij Dei viui*, vocatur *Matth. cap.* 16. *n.* 16. Origenes Comment. in Matth. *Confeſſus eſt*, ait, *Petrus, quòd Iudæi neſciebant, ſed & quod maius eſt, filius Dei viui, qui & per Prophetas locutus erat.* De quo infideles humiliter ſentiunt, Petrus cæleſtis Parentis gratia repletus Dei filium recognoſcit. Suas Moyſes circa montem Horeb paſcebat oues, illam oculis rubi admirabilem viſionem colluſtrauit, & cùm ad videndum pergeret, Dei vocem audiuit, *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*, Exodi cap. 3. n. 5. & ait textus. *Non audebat Moyſes aſpicere contra Dominum.* Vſque modò per illam planitiem & montem gregem ducebat ſuum, iam verò nec aſpicere audet: Lyppom. *Vultum, autem*, ait, *abſcondit Moyſes præ timore aſpiciendi eum, qui lucem habitat inacceſſibilem, & inuiſibilẽ creaturæ, à cuius maieſtate pertimeſcunt, & reuerentur omnia. Pij homines cum timore de Deo cogitant, & reuerentia; impij cùm blaſphemia cordis.* Quamdiù Moyſes de viſione non erat inſtructus, locum illum, ſicut & alij paſtores, vulgarem, & humilem reputabat; Dei verò cognitionem vbi aſſecutus, tam magnum exiſtimauit, vt nec aſpicere auderet. Infideli Chriſti crux, flagella, & vulnera, abiectiones, & ſcandala apparent: Chriſtiano verò altiſſima Dei conſilia, ac inuentiones.

Myſteria diuina infideli ſcandala. fideli Dei ſapientia. — Matth. 16. Origen. — Exod. 3. — Lyppom.

QVÆSTIO XXX.

Quare de ſancto Ioſeph nulla fiat mentio?

108. INQVIT Euangeliſta. *Inuenerunt puerum cum Maria.* Reſpondet primò Simon Caſſian. *lib.* 1. *c.* 25. de aduentu Magorum. *Dei prouidentia*, ait, *factum eſt, vt tunc deeſſet Ioſeph, vt non à Magis, ſicut à paſtoribus cum puero, & Maria fuiſſet inuentus: nam Ioſeph erat cognitus in Iudæa*

Caſſian.

Carthuſ. D. Thom. Zacharias. Rabbanus.

tanquam maritus Mariæ, non autem in Orientem fama eius peruenerat. Secundò reſpondent Carthuſianus, S. Thomas, Zacharias Epiſcopus, Rabbanus. *Diuina prouidentia,* ait, *factum eſt, vt abierit Ioſeph, ne aliqua prauæ ſuſpicionis occaſio daretur Gentibus communi generationis ratione hunc paruulum natum.* Hæ rationes, ob tot, tantóſque graues Patres, licèt venerandæ, mihi tamen, ſicut & Alberto Magno, minimè placent; nihil enim talium in malam Magos induceret ſuſpicionem; nam ipſi, cùm diuina eſſent gratia illuminati, optimè cognouerant, puerum non ex virili ſemine fuiſſe natum.

109. *Alb. Magn.* Tertiò. Inquit Albertus Magnus *Ideo non fit mentio Ioſeph, quia Magis oſtendebatur Diuinitas eius, in qua nihil operis habebat Ioſeph: mater autem cum Deo in filio communicauit.* Mariæ fit mentio; & non Ioſeph, quia ad eſſe naturale Chriſti illa tanquam vera mater pertinebat, non verò Ioſeph. Hæc ratio probabilis.

110. Quartò. Dicendum exiſtimo, quòd Euangeliſta hîc de illis tantùm egit, quæ ad myſterium pertinebant, ideoque ſubticuit loci circunſtantias, Magorum comitatus, & illorum Hieroſolymis hoſpitium; ac adeò de inuentione ſolùm pueri, cum Maria matre eius mentionem facit; quia iuxta Eccleſiæ picturam erat in eius vlnis, ſicut in nocte natiuitatis de eius reclinatione in præſepio fit mentio. Et ſi in ipſo exortu fit mentio Ioſeph, ea extitit cauſa, quia fuit tunc primus ad ſpeluncam acceſſus, vt eſſet notum, quòd ibi aderat Ioſeph.

Ioſeph idem cum Virgine reputatur. *Geneſ. 37.* Quintò. Non exprimitur Ioſeph, nam ſponſus idem cum ſponſa ſua reputatur, & cùm inuenta ſit ibi Maria, inuentus eſt & Ioſeph. *Vidi,* alter ille Ioſeph ait, *per ſomnium, quaſi Solem, Lunam, & ſtellas vndecim adorare me,* Geneſ. 37. n. 9. Sed tunc eſt quæſtio: Quomodo hoc ſit impletum? Nam licèt Iacob, eiuſque filij Ioſephum ſint in Ægypto venerati; de Rachel tamen, quæ in Luna ſignificabatur, hoc dici non poteſt, iam enim mortua erat. *Gennod.* Gennodius apud Lyppoman. ita ait: *Rachel mater eius, cùm iam eſſet defuncta, ſi non actu, attamen potentia in marito ſuo Iacob id feciſſe dici poteſt.*

QVÆSTIO XXXI.

Quare Magi procidentes adorent?

111. *Luc. 2.* De paſtoribus ad Chriſti præſepe venientibus ait D. Lucas c. 2. n. 16. *Inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſæpio. Videntes autem cognouerunt de verbo,* &c. De noſtris autem Regibus dicitur: *Procidentes adorauerunt.* *Solus Dei Spiritus profundam docet humilitatem.* Sed quare iſti procidentes humi procumbũt; paſtores verò non ſe proſternunt, ſed ſolum glorificant Deũ? Paſtores ab Angelo ſunt edocti, Magi à Spiritu Dei inſtructi; & vt homo ad profundam humilitatem, & vſque ad ima ſe ſe deiiciat, ipſum, non creatura, ſed tantùm Dei illuminatio informare poteſt. *Rupert.* Rup. *lib. 2. in Matth. c. 3.* ita ait: *Vide quanta ſit differentia in modo diſcendi, quantum diſtet inter eruditionẽ illius, qui per Angelum, ſiue per hominem, & illius, qui per ſolam Spiritus ſancti reuelationem meretur erudiri. Paſtores itaque Iudæi qui erant vigilantes, per Angelum, natum ſibi eſſe Saluatorẽ didicerunt, & tamen non adeò edocti fuerunt, vt procidentes adorarent. Iſti primitiæ Gentiũ, neque per hominem docti, neque per Angelum, ſed per Spiritum ſanctum, procidentes adorarunt.* Proſterni, & ad terram vſque humiliari profundiſſimè, non Angelus docet, ſed Spiritus Dei.

112. *Auguſt.* Secundò. D. Aug. *hom. 9. de Epiph.* ſic loquitur. *Illi,* ſcil. paſtores, *Deum ex eo quòd Chriſtum etiam adorant, laudauerunt; iſti,* ſcilicet Magi, *antẽ viſum Chriſtum etiam adorauerunt. In illis gratia prior: in iſtis humilitas amplior. Fortaſſe illi ergo paſtores minus rei, de ſalute alacriùs exultabant: iſti autem Magi multis onerati peccatis ſubmiſſiùs indulgentiam requirebãt.* Paſtores ſimplices, recti, & probi, vt ſuo loco dixi, ideo illis tantùm ſufficit, Deum vocibus laudare, at Magi, vt idololatræ, multiſque grauati peccatis, ad veniam impetrandã, debebant ſe ſe proſternere, ſtabuli abiecta amplexari, & externas ſuſcipere pœnalitates; vbi enim grauis eſt culpa, grauis & pœnitẽtię exquiritur manifeſtatio. *Vbi magna culpa, ibi pœnitentia magna.*

113. Tertiò. Ea mihi videtur literalis ratio. In ſignum humilitatis ſuæ procidunt Magi, inque diuinæ maieſtatis recognitionem: & vt ſapientiores paſtoribus, quo maiorem de illa habuerunt cognitionem, eo magis ſe ſe ad corporis humiliationem deiecerunt. Quartò. Paſtores ex populo Dei vocati, Magi ex infidelitate; multo excellentius erga iſtos beneficium, & ideo ipſi, tanto magis obligati, vt ſe ſe ad pedes Ieſu deuoluant, ac extremam humilitatem in recognitionem amplectantur. *Ex maiori beneficio maior obligatio.* Quintò. Procidentes adorant, vt munera offerant: vide, quantum diſtet Magorum ſtudium à ſæculi huius ſectatoribus; hi enim adorant, vt petant, vt mater filiorum Zebedæi, & leproſus *Marc. 1. num. 40.* At Magi ad terram ſe proſternunt, vt Deo munera exhibeant, hoc enim ſpiritus gratia cæleſti imbutus pro magno beneficio habet, vt Deum recognoſcat, ac adoret. *Auguſt.* Sextò. D. Auguſtinus ſerm. 68. de diuerſis. *Vtique ſanè,* ait, *tanquam initia duorum parietum de diuerſo venientium, circunciſionis, & præputij ad angularem lapidem concurrerant, vt eſſet pax eorum, faciens vtraque vnum; verum illi Deum ex eo, quod Chriſtum viderunt, laudauerunt, iſti autem viſum Chriſtum etiam adorauerunt.* Paſtores toti ſunt in Deo laudando; at Reges in hoc maximè incumbunt, vt puerum natum ſummo cultu venerentur; *Non plebeius ſed nobilis excellit in reuerentia præſtanda.* in reuerentia præſtanda magna vrbanitate, ſemper nobilitas reſplenduit, & emicuit; deuaſtato exercitu Abſalonis, venit Achimas filius Sadoc ad Regem, & ait: *Salue Rex: & adorans Regem coram eo, pronus in terram,* Reg. 18. n. 28. *2. Reg. 18.* Venit & poſtea Chuſi, & ait: *Bonum apporto nuntium Domine mi Rex,* n. 31. Cur Achimas pronus adorat in terram, non verò Chuſi? Iſte Chuſi, homo plebeius erat, vt docet Lyranus, & Caietanus ſeruum eum fuiſſe exiſtimat. *Lyran. Caiet. Abulenſis. Sanchez.* At Achimas proſapia valde illuſtris, vt tradunt Abulenſ. Gaſpar Sanch. & alij; non qui plebeius, ſed qui nobilitate inſignis erat, inſignis etiam ſe prẹſtitit in reuerentia perſoluenda, & exhibenda.

Matth. 2. n. 11. Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

VERSIONES.

Syriacus. Suoſque theſauros aperuerunt, ac obtulerunt ei oblationes, aurum.

Arias. Aperientes theſauros.

EXPOSITIO.

114. PROSTRATI Magi coram Chriſto, ſuos, quos vſque modò in via clauſos, & obſeratos deportabant, theſauros aperiunt: primò, vt ei ſua offerant munera. *Gloſſa.* Secundò, vt ait Gloſſa Ordinaria, Theſauros aperiunt, dum fidem cordis per confeſſionem oſtendunt. Tertiò. Quaſi ſignificantes, quòd dum coram Regibus, & hominibus in via ſumus, noſtras debemus obumbrare, & abſcondere virtutes; Deóque tantùm manifeſtare. *Soli Deo virtus noſtra, manifeſtãda.* *Paſchaſ.* D. Paſchaſius *lib. 2. in Matth.* ita ait: *Suis apertis theſauris, ei munera obtuliſſe Scriptura teſtatur. Quo facto magnum Religionis noſtræ Sacramentum aperitur. Vnde theſauros noſtros in via minimè pandamus, donec tranſpoſiti ſoli Domino deuoti ex reconditis ſecretorum cordium theſauris munera offeramus.* *D. Thom.* Et ferè ſimiliter D. Thomas hîc, *Apertis theſauris, obtulerunt ei.* Non interrogant; an aliquid deſit? Non promittunt, non verbis offerunt, ſed realiter exhibent. Et quamuis in præſepio eſſent Virgo, & Ioſeph; Magi tamen ſoli Chriſto munera offerunt. *Obtulerunt ei;* quia eum, vt Deum, & Dominum recognoſcunt, & adorant. *Aurum, thus, & myrrham.* Aliqui volunt, quòd vnus obtulerit aurum, alius thus, alius myrrham. Tamen veriſimilis exiſtimo cum D. Remigio, Carthuſiano, D. Anſelmo, D. Bonauentura *lib. 1. de vita Chriſti, cap. 9.* *Remig. Carthuſ. Anſelmus. Bonauent.* quòd quilibet hæc tria obtulerit munera; hoc enim magis congruit myſteriis per illa ſignificatis, quæ quilibet profitebatur. Deinde, quia omnes pares erant, & aliàs non erat regium munus, vt multi notant, thus, vel myrrha, quibus regiones illæ maximè abundant. Aurum autem obtulerunt magna in quantitate, vt teſtatur D. Bonauentura, qui etiam ait *loco citato,* quòd *puer vultum auertebat ab auro, & vilipendebat præ amore paupertatis.* *Idem.*

QVÆSTIO XXXII.

Quare Magi obtulerint munera Chriſto?

115. VARIÆ ſunt in hac quæſtione ſententiæ Patrum. Prima, & valde germana. *Fides opere manifeſtãda.* Obtulerunt munera Magi in recognitionem ſupremæ Maieſtatis diuinæ, & veluti ſe feudatarios illius proteſtantes, vt fidem, quam corde tenebant, donis confiterentur. *Leo.* D. Leo ſerm. 1. de Epiphania, *Adorant,* ait, *in carne Verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum maieſtatis: vtque Sacramentum fidei ſuæ, intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur.* *Paſchaſ. D. Thom.* Secundò. D. Paſchaſius *in Matth. lib. 2.* D. Thomas *hîc* teſtatur, quòd antiqua conſuetudo erat apud Perſas, quòd ſemper cum munere ſuum Regem adorarent: & Dominus volebat, quòd erga ſe obſeruarentur iſta, quæ ſeruabantur circa dominos temporales; & ideo præcipiebat Exod. 23. num. 15. *Exod. 23. Abulenſ.* *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Tertiò. Abulenſis *quæſt. 45.* ita ait: Magi volebant Chriſtum perfectè honorare, ſicut poterant. *Verus honor demonſtratur reuerentia, & munere.* Honor autem iſte non ſolùm conſiſtit in exhibitione reuerentiæ, ſed etiam in præſtatione aliquorum munerum in ſignum ſubiectionis; ideo poſtquam adorarunt, munera quoque obtulerunt.

116. *Tertull.* Quartò. Et myſticè. Tertullianus *lib. de Idololatria,* ait: *Thus illud, & myrrham, & aurum ideo infanti Domino obtulerunt, quaſi clauſula ſacrificationis, & gloriæ ſæcularis, quam Chriſtus erat adempturus.* Magis veri Chriſti adoratores, diuinæ illius paupertatis halitu à cordibus ſuis dimittunt, quæ ab illo erant excludenda, ea ſcilicet, quæ ad delitias, ac diuitias ſæculi pertinebant, omnia à ſe proiiciunt, & ad pedes Chriſti abiiciunt. *Terrena dimittenda ob Chriſtum.* Ad quod eorum exemplo nos monet D. Chryſoſtomus homilia 7. *Chryſoſt.* *Igitur adoraturi Chriſtum cuncta proijciamus è manibus: ſi habuerimus aurum, offeramus ipſi, non terræ defodiamus.* Euſebius Gallicanus *homilia de Epiphania,* de Beatiſſima Virgine loquitur: *Gallican.* *Quæ alijs tributa ſoluere venerat, ipſa ab alijs tributa ſuſcepit.* Mira Dei prouidentia. *Obedienti Deo, omnia obediunt.* Beatiſſima Virgo Maria ad Bethleem venerat, vt obediens mandatis Auguſti cenſum daret; at alto Dei conſilio ipſa à Principibus, ac Regibus mundi præſtantiſſima donaria recipit. Cùm Saul eſſet ſolicitus pro parentis iumentis, Rex Iſraël creatur, 1. *Reg. cap. 9.* *Euchet.* D. Eucherius ait: *Dum patri obediens aſinas quærit, obedientia, ac dominatus totius Iſrael ei defertur.*

117. Sextò. D. Valerius *homilia 7.* admiratus, quòd, cùm Chriſtus Dominus Regum diuitias, ac palatia contempſiſſet, ac humilitatem ſtabuli eſſet amplexus, tamen voluit ex apertis Magorum theſauris dona ſibi offerri, ita ait: *Valerius.* *Chriſtum videris ſordida veſte contectum: in hac denique veſte, cùm à Magis quæreretur, inuentus eſt, & cùm in præſepi poſitus iaceret, ſub hoc habitu, apertis theſauris, munera oblata ſuſcepit.* Ita ſanctus Valerius Chriſtus Dominus in habitu voluit paupertatis è theſauris Regum oblationes expectare, vt ſignificaret, quòd Reges, ac potentes ad egenorum miſeriam ſubleuandam theſauros aperire debent. *Diuites eleemoſynã præſtent.* Septimò. Munera præſtant, quia ſupremam maieſtatem, Deique potentiam cognoſcebant. *Maxim.* D. Maximus *homilia 6. de Epiphania,* ait: *Gentilitas edocta de cælo Redemptorem mnudi inquirit vt Regem, muneratur vt fortem, adorat vt Deum.* Hæc eſt humana conditio, vt munera dent illi, cuius fortitudinem, & potentiam timent. *Fortibus dãtur munera.* Abigaili bene notum erat, qua Dauid beneficentia virum ſuum, totámque eius eſſet proſecutus familiam, numquam tamen ei munera defert, niſi cùm formidat potentiam eius, & fortitudinem, 1. *Regum cap. 25. num.* 18. Similiter Iacob erga fratrem ſuum Eſau ſe habuit; *Geneſ. 33. num. 21.*

QVÆSTIO XXXIII.

Quare non de Paſtorum, ſed de Magorum oblationibus mentio fiat?

118. QVÆ oblata ſint à Magis hîc exprimit D. Matth. quæ verò paſtores donauerint, ſilentio inuoluit D. Lucas, Tertullian. *lib. de Idololatria,* ſic fatur: *Tertull.* *Primi igitur ſtellarũ interpretes natum Chriſtum annuntiauerunt, primi munerauerunt.* Veluti aſſerens, Magos fuiſſe primos, qui Chriſto dona aſportauerint. Contraria tamen eſt

Eccleſiæ de paſtoribus traditio, vt *cap.2.* dixi; cùm verò aſſeritur, quòd Magi primi Chriſto munerauerint, hoc eſt, primò de eis in Euangelio mentio fit, quæſtio eſt, quare tantùm Magorum, & non paſtorum munuſcula deſcribantur? Reſpondeo primò, quòd Magorum munera cum magna liberalitate fuere, vtpote apertis theſauris ſuis omnia ſua Chriſto donata.

Fides opere oſtendenda.

Secundò. Quia fuerunt dona à populo Gentilico ad fidem recenter vocato oblata, & quæ minimè expectabantur, maioris æſtimationis digna videbantur. Tertiò. Quia non ſolùm dona, vt paſtores obtulere, verùm etiam in ipſis myſticè fidem ſuam veri Dei, & hominis, omnémque ſuam internam actionem proteſtati ſunt.

Geneſ. 30.

Cùm Iacob paſceret gregem Laban, ei pro mercede fuit conſtitutum, vt oues, quæ maculoſo naſcerentur vellere, ad ipſum pertinerent. Iacob autem diſcolores in canalibus eis poſuit virgas, quas intuentes ſimiles fœtus edebant, & cur tam frequenter ad imaginationem virgarum dant partus in lucem? Per has oues communiter à ſanctis Patribus Eccleſiæ filij intelliguntur; quia ſcilicet id, quod fidei mente concipiunt, ac credunt, in opere oſtendunt.

Ambroſ.

D. Ambroſius lib.2.c.4 *Bonæ oues*, ait, *quæ bonorum partus operum fidei ſacræ non degeneres ediderunt.* Et ideo de Magorum oblationibus mentio fit, quia non tantùm dona fuere, ſed etiam fidei, internæque deuotionis, quæ præ cæteris æſtimantur, proteſtatio manifeſta.

QVÆSTIO XXXIV.

Quare Magi obtulerint aurum, thus, & myrrham?

119\. D.Thom.

ALIQVI, vt refert D. Thomas *hîc*, dixerunt, quòd obtulerunt aurum ad matris ſuſtentationem, myrrham ad pueri membrorum ſuſtentationem, thus ad loci fœtorem tollendam Hæc autem ratio omnino eſt improbabilis; quia in loco, vbi Chriſtus bonus odor erat, nihil fœtidum eſſe poterat. Deinde, quia Magi de terra ſua munera iſta aſportauerunt; nam dicitur, *apertis theſauris ſuis*; & quod Chriſtus in immundo, ac fœtido eſſet loco, neſciebant. Tandem parum thuris, & myrrhæ ad illam neceſſitatem ſufficiebat.

120\. Vera, & germana ratio eſt, quòd Magi hæc Chriſto Domino, tanquam terræ ſuæ præcipua, & pretioſiora dona obtulerunt. Sic & Regina Saba Regi Salomoni, quæ etiam de illa regione erat, attulit aurum, & aromata multa. 3.*Reg.*10. *num.*10.2. *Paralip.*9. *num.*10. Aurum enim communiter ſuper omnia eſt metalla. Thus inter odores maximè annumeratur, vt eſt notum.

Dioſcorid. Plinius. Theophraſt.

Myrrha verò, vt teſtatur Dioſcorides *lib.*1. *cap.*67. Plinius *lib.*12.*cap.*15. Theophraſtus *lib.*9.*de plantis*, *cap.*4. eſt quædam arbor aromatica, ex qua diſtillari ſolet quædam reſina, vel ſudor quidam; & eſt vnguentum valde ſuauiſſimum; immo, vt

Athen.

ait Athenæus *lib.*13.*cap.*21. Græcè ex myrrha ipſa vnguenta omnia nomen deſumunt: & pro hoc vnguento ſumitur *hîc*, multîſque in locis Scripturæ.

Cant.4. & 5. & 1.

Cantic.4.num.13. *myrrha, & aloë cum omnibus primis vnguentis*, Cantic.5.num.5. & 13. & cap.1. num.13. Et cùm myrrha ſit valde amara, mortificationem ſignificat. Et quia ea vngebantur cadauera ad corruptionem præſeruandam, ideo mortem adumbrat, vt ait D. Bernardus *ſermone* 43. *in Cantica.*

Bernard.

Hæc enim dona Magi, tanquam excellentiora Chriſto obtulerunt; nam ſemper prima, & optima, vt fecit Abel, ei ſunt donanda. Et in his magna latent myſteria, quæ ſi tunc non intelligebant, vt ait Imperfectus *homilia* 2. gratia, quæ illos hæc omnia facere hortabatur, ipſa ordinauerat vniuerſa.

Imperfect.

122\. Theoph.

Ad myſticas deueniamus rationes. Primò Theophylactus. *Aurum obtulerunt, vt Regi; aurum enim ſubditi regibus pendunt; thus autem, vt Deo, thus enim adolemus Deo: myrrham verò, vt deguſtaturo mortem. nam Iudæi cum myrrha mortuos ſepeliunt, vt corpus maneat incorruptum; myrrha enim, cùm ſicca ſit, arefacit, & reſiccat humiditatem, & non ſinit naſci vermes.* Eandem breuiori dant modo rationem D. Hieronymus *hîc*, D. Hilarius, D. Chryſologus *ſerm.*160. Diuus Bernardus *ſerm.*2. D. Bonauentura *de meditationibus Chriſti*, *cap.*9. & alij.

Hieron. Hilar. Chryſol. Bernard. Bonauent.

Secundò. Aurum offertur vt Regi, thus vt Sacerdoti, myrrha ſepulturæ eius. Ita D. Cyprianus *orat. de Magis*, S. Thomas *hîc*. Et ita canit Eccleſia,

Cyprian. D. Thom.

In auro oſtendatur Regis potentia;
In thure Sacerdotem magnum conſidera;
In myrrha dominicam ſepulturam.

Maxim.

Tertiò. D. Maximus ait. *Auro oſtenditur captiuitatis noſtræ pretioſa redemptio: in thure autem & Dæmoniorum ſuperſtitio ceſſatura, & futurus veræ religionis curſus aperitur: in myrrha, qua exanima ſolent corpora conſeruari, præfiguratur carnis noſtræ reparatio, & reſurrectio mortuorum.* Vbi oſtenditur Regis potentia in auro, ibi & noſtræ præfiguratur redemptio, nam cùm eſſet Rex, ſuos à damnatione tenebatur eripere.

123\. Euthymius.

Quartò. Euthymius *hîc* eleganter ait: *Quia Reges Babylonis Hieruſalem quondam expugnauerant, ac diuinos theſauros deprædati fuerant, & hoſtias ceſſare fecerant, populúmque iugulauerant, regnum autem Babylonis vnà cum ſuis theſauris ad Perſas deuolutum erat, ideo offerunt Perſæ Babyloniorum hæredes Domino templi, quod tunc contumelia affectum fuerat, aurum quidem pro ſublatis auri theſauris, thus autem pro hoſtijs, myrrham verò pro iugulatis.*

Omnia in Chriſto reſtituuntur.

Omnia, quæ à populo Iudaico per hoſtes ſuos erant ſublata, inſtaurantur in Chriſto Domino, & reſtituuntur; & ad Chriſti præſentiam omnia amiſſa recuperantur.

124\. Gregor.

Quintò. D. Greg. Papa *hom. in Euang.* ait. *Quòd Magi offerunt hæc tria, Auro namque ſapientia deſignatur, Salomone teſte, qui ait: Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Thure, quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur; ſecundùm illud: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Per myrrham verò carnis mortificatio figuratur. Nato ergo Regi aurum offerimus, ſi in conſpectu eius ſapientiæ lumine ſplendemus. Thus offerimus, ſi per orationũ ſtudia Deo redolere valeamus. Myrrham offerimus, ſi carnis vitia per abſtinentiã mortificamus.*

Paſchaſ. D. Thom.

Et ſimiliter D. Paſchaſius, & S. Thomas. Et nota, quòd primò aurum offertur, in quo prudentia, & ſapientia deſignatur, omnis enim noſtra rationis, ac mortificationis operatio per prudentiam dirigenda eſt, ac gubernanda.

Prudentia actiones dirigit.

Chryſoſt.

Eleganter ait D. Chryſoſtomus in Pſalm.13. *Prudentia lucernam animæ profert: regina eſt cogitationum: magiſtra eorum, quæ bona ſunt, & honeſta.*

Sextò

Gloſſa.

Sextò. Gloſſa Ordinaria ait: Apertis theſauris ſuis Scripturarum hiſtoricum, moralem, & allegoricum ſenſum offerunt: vel Logicam, Phyſicam, & Ethicam, dum illa fidei ſeruire faciunt. Ita ille. Similiter D. Thomas.

Scientia gratiſſimum munus Deo.

125\. Chryſol.

Septimò. D. Chryſologus *ſerm.*5. *de Epiphania*, ſic loquitur: *Magus dum credit Deum, ſentit Regem, intelligit humani generis amore moriturum.* Quando illi vt Regi offertur aurum, vt Deo thus, vt morituro myrrha, inter ſplendores Regis, ac Deitatis erat ei pro genere humano mors valde pretioſa, vel poſt aurum, & thus, in quo ſuprema dignitas regia, & ſacerdotalis demonſtrabatur, ſtatim offertur myrrha; nam ad magnos mundi honores, ac ſplendores, ſtatim ſequitur mors.

Ad mundi dignitates ſequitur mors.

Geneſ.2.

Fluuius ille Phiſon qui egrediebatur de Paradiſo, *Circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum, ibi inuenitur bdellium*, Geneſ.2. num.12. *Bdellium*, vt teſtatur

Rabbanus.

Rabbanus ex Plinio, arbor eſt aromatica, colore nigra, veluti mortem adumbrans. Sed cur poſt aurum, tam triſtis arboris mentio fit? Iam in ipſo mundi exordio exprimebatur quid ad illius opulentiam, ac magnificentiam ſequatur, nempe triſtiſſima mortis imago.

Cantic.4.

De ſua Regina filia Pharaonis dicebat Salomon: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus myrrha, & aloë*, Cantic 4.n.13. & 14. Ita ſuauis, ac pretioſus erat greſſus, ac regreſſus Reginæ, omnique dulcedine plenus, vt paradiſus. Sed quomodo in tanta ſuauitate fit myrrhæ, & aloës mentio?

Greg. Nyſſ. Theoph. Caſſian.

D. Gregorius Nyſſenus, Theodoretus, & Caſſianus intelliguut per *myrrham* mortem; per *aloë*, quatenus amariſſima eſt, labores, ac tentationes quæ ad mundi glorias, & ſuauitates ſequuntur. Nihil magis frequens, quàm quod ſplendor regius, delitiarum abundantia mortem pariat, atque ærumnas. Vnde notat Lyranus ad illa verba,

Lyran.

Homo in cinerem reuertetur, Iob.33.n.15. *Antiquitus*, ait, *Imperatore creato, ſtatim quærebatur ab eo, quo marmore vellet ſepulchrum habere.*

126\. *Quid factum ſit de his muneribus.*

Quæres, Quid factum fuerit de iſtis muneribus? Communis ſolutio. Quòd in pauperes eas diſtribuerit Beatiſſima Virgo. Sed hoc vide ſequenti *cap.*5.*quæſt.*15.

QVÆSTIO XXXV.

Qualiter ſe habuerit Sanctiſſima Virgo erga Magos Chriſtum adorantes?

127\. TRIA hîc breuiter inquiro. Primò. Quomodo ſe Virgo habuerit erga oblationes Magorum? Secundò. Quali gaudio ſit affecta? Tertiò. Quid cum eis ſit allocuta, & quo pacto eos in myſteriis fidei imbuerit? Alia circa Beatiſſimam Virginem, vide ſuprà *num.*114.

128\. *Dona oblata per manus Virginis.*

Ad primum. Ingredientes Magi theſauros ſuos aperiunt, munera Chriſto Domino offerunt; quæ tamen oblata ſunt Sanctiſſima Virgine interueniente. nam cùm Chriſtus Dominus inſtar aliorum puerorum in omnibus ſe gereret, non poterat propriis manibus huiuſmodi dona acceptare, ac recipere; ergo hoc totum per Virginem exhibitum, per quod nobis innuitur, quòd opera noſtra interuentu Virginis, ad Deum aſcendunt. Quod eleganter explicat D. Bernardus ſerm.2. de Aduentu.

Bernard.

Studeamus, inquit, *ad Deum per Virginem aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit: per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtrã miſeriam venit. Per te igitur acceſſum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis.*

Idem.

Et idem D. Bernardus ſerm. de aquæductu. *Quidquid illud eſt*, inquit, *quod offerre Deo paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quò fluxit.*

129\. *Quanto gaudio ſit affecta Virgo.*

Ad ſecundum. In ingenti gaudio, ac magna lætitia ſanguis ad partes externas refunditur, vnde in facie, ac externa cute rubo quidam apparet. Vnde aliquando poteſt eſſe tanta tranſmiſſio ſanguinis ad partes externas, vt cor naturali virtute ad vitæ conſeruationem deſtituatur, & inde mors contingat; quod multis hiſtoriis comprobat Valerius Maximus *lib.*9.*cap.*12.

Valerius. Gellius.

Et inter cætera illud eſt inſigne quod refert Gellius *lib.*3. *noct. Att. cap.*15. quòd Diagoras Rhodius, cùm videret tres filios ſuos coronatos eodem Olympiæ die, vnum in arte pugillari, alium in certamine gymnico, tertium tandem in luctamine, & cùm omnes coronati incederent, populis magnis vocibus applauderet, ac ſuper ipſos flores ſpargeret, repentè pater præ gaudio interiit. Quantà animi iucunditate, ac lætitia Virgo eſſet hodie repleta, dum videt vno, eodémque die filium ſuum Ieſum, triplici corona adornatum, ac veneratum à gentibus, in auro vt Regem, in thure vt Deum verum, & in myrrha vt Redemptorem totius vniuerſi; & in tribus illis Regibus totus mundus agnoſcebat, & venerabatur pueri nati maieſtatem, ad diuinitatem. Deinde erat alia ratio gaudendi Beatiſſimæ Virgini; quia iam videbat lucem, ac gratiam filij ſui diffuſam in gentibus, quod ipſa ob ſuam eximiam charitatem maximè optabat, vnde mihi perſuadeo, quòd tam in hoc myſterio, quàm in aliis vitæ Chriſti Deus peculiariter cor eius dilatauerit ad tantum gaudium, ac lætitiam retinendam, vt explicat Caniſius *lib.*1.*de Deipara*, *c.*19. §.*Reliquum eſt.*

Caniſius.

130\. *Virgo docuit Magos de myſterijs fidei.*

Ad tertium. Per illud tempus, quo Magi fuerunt in præſepi cum Chriſto Domino, Sanctiſſima Virgo Maria, eos docuit, ac inſtruxit de arcanis fidei noſtræ, de myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, de myſteriis vitæ, paſſionis, ac mortis Chriſti Domini, & de glorioſa eius Reſurrectione, ac Aſcenſione. Probatur, quia maximè conueniebat, vt Magi de his omnibus inſtruerentur, ſed per Beatiſſimam Virginem Mariam optimè poterant hanc cognitionem obtinere; ergo per eam ſunt edocti. Maior eſt certa, quia cùm Magi in ſuis regnis futuri eſſent Chriſti Domini annunciatores, maximè expoſtulabat rectus ordo, vt de eo haberent magnam cognitionem. Minor probatur: quia Deo ſemper tribuendum eſt id, quod faciliùs apparet, ſed multo facilius eſt vt per Beatiſſimam Mariam Magi inſtruerentur, quàm per alium modum extraordinarium; ergo ita tenendum eſt.

131\. *Virgo fidei doctrix.* Zachar.4.

Deinde, quia Beatiſſima Virgo Maria ordinata eſt à Deo vt eſſet communis magiſtra, ac doctrix ad omnes fideles illuminandos in fidei negotiis. Et ideo à *Zacharia* 4. *num.*2. appellatur *Candelabrum aureum*, vt explicat Diuus Anaſtaſius *quæſtione* 53. Et à Ruperto Abbate lib. de operibus Spiritus ſancti, *Sancta religionis magiſtra dicitur.* Et à Diuo Cyrillo Alexandrino

Anaſtaſ. Rupert.

 homil.6.

Cyrill. Thaumat. Bernard.

homil.6.contra Neſt. *Eccleſia fundatrix* appellatur; & in hoc ſenſu de ea ait D.Gregor. Thaumaturgus, orat.de S. Annuntiatione, *Per te ô Beata Virgo Deipara, ſubſtantialis Trinitas mundo innotuit.* Quod tandem de ipſa explicat D.Bernard. homil.4.ſuper Miſſus eſt. *Decuit*, ait, *vt ab Angelo potius, quàm ab homine myſterium diſceret, ne mater conſilijs filij aliena videretur, & vt ipſa rerum tempus, & ordinem meliùs tenens ſcriptoribus, & Prædicatoribus Euangelij reſeraret veritatem, & quæ plenè de omnibus à principio cælitus fuerat inſtructa myſterijs.* Quod etiam docet D.Anſelmus *lib.de Excellentia Virginis, cap.*7. & alij Patres, de quo latè Ioannes Baptiſta Nouatus *de Eminentia Virginis cap.*13.*quæſt.*3.

Anſelm. Ioan.Bapt.

*Matt.*2.*n.*12. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

VERSIONES.

Syriacus. Et viſum eſt eis in ſomnio, ne reuerterentur ad Herodem, itaque per aliam viam profecti ſunt in regionem ſuam.

*Vatab.Imperfect.hom.*2. Et oraculo admoniti in ſomnis.

Theophyl. Et oraculo accepto in ſomnis, ne reflecterentur ad Herodem.

Rupertus. Et ſic Magi in ſomnis acceperunt reſponſum.

EXPOSITIO.

131. NON explicat Euangeliſta, quanto tempore Magi in præſepio ſunt commorati: Chriſti enim fruebantur præſentia, ideóque eis omne tempus parum, aut nihil videbatur. Cùm ergo ibi eſſent, de via omnes redduntur certi, & non aliquis tantùm eorum. *In ſomnis*, viſione imaginaria apparente, *reſponſo accepto*, ſeu *oraculo*, vt alij legunt, quod redditur petenti: ſed iuxta radicem Græcam meliùs legitur, *reſponſo*. Carthuſianus, Diuus Paſchaſius, Albertus Magnus, D.Thomas, inquiunt: Quomodo reſponſum acceperunt, qui non interrogauerunt? Sed reſponſum datum eſt non ſermoni, ſed optationi eorum, qui ſemper à Deo corde quæſierunt, vt viam ſuam in pace dirigeret. Deuter.4.n.7. *Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Sic etiam Dominus ait Moyſi clamanti, non ore, ſed corde, Exod.14. n.15. *Quid clamas ad me? Per aliam viam*; ne puerum inuentum Herodi nuntiarent. *Reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Sed quomodo Magi non recuſant ab eo diſiungi, cùm valde periculoſa ſit abſentia Regis, & multis dilationibus expoſita? Agnoſcebant eum, non vt Regem terrenum, à cuius latere timent aulici ſeparari; ſed vt cæleſtem, qui maximè gaudet, dum vnuſquiſque præeſt in domo, vel familia ſua, vel aliis verbi Dei annuntiat prædicationem, Imperfectus homil.2. ſic ait. *Si autem Magi Chriſtum, quaſi terrenum Regem quæſiſſent, inuenientes eum apud ipſum manſiſſent: nunc autem adorauerunt, & reuerſi ſunt; cùm autem reuerſi fuiſſent, manſerunt colentes Deum magis, quàm ante, & prædicantes multos erudiunt.*

Carthuſ. Paſchaſ. Alb.Magn. D.Thom. Deut.4. Exod.14. *Aulici à Rege nolunt ſeparari.* Imperfect.

QVÆSTIO XXXVI.

Quare Magi non inſtruuntur à puero, vel Virgine de via ſuſcipienda?

133. QVAMVIS Magi de via, per quam erat itinerandum, à nato puero, vel Virgine admoneri potuerint; certum tamē eſt, quòd à neutro eorum ſunt inſtructi. Non à puero Ieſu. Pro quo rectè reſpondet Paſchaſ. *lib.*2. *in Matth.* Quia ſi puer loqueretur, fortè videretur phantaſia. Secundò. Alioqui non verè ſuſcepiſſet infirmitatem noſtram, ſi non per omnem ætatem temporis humana creuiſſet prouectione, & efficientias in ſe qualitatis noſtræ, per quæ diuina virtute mirabilius operabatur, minimè prætuliſſet. Tertiò. Ne per ipſum puerum iam loquentem Deum eſſe cognoſcerent, & ſic fidei meritum eis diminueretur, quæ non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Similiter Cardinalis Hugo. A Beatiſſima etiam Virgine non ſunt admoniti. Pro quo reſpondet Rupert. Abbas *hîc* ex illo Salomonis: Tempus loquendi, tēpus tacendi. *Prout Beatiſſima Virgo fuit in hoc ſæculo habuit tempus tacendi* & ideo de ea dicitur Luc.2.n.19. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc; at verò modò, prout eſt in cælo, tunc eſt ei tempus loquendi pro nobis.* Cant.4.n.12. *Hortus concluſus, fons ſignatus; & ſtatim, Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Ruper. *cit.lib.*2.*de gloria filij hominis*, eleganter ait: *Qamdiu filius hominis manere debuit minoratus paulominus ab Angelis, ferè tamdiu fuit Beatiſſimæ Virginis tempus tacendi, & tādiu tacuit, velut hortus concluſus. Vbi autem gloria, & honore coronatus eſt filius hominis, ex tunc fuit Beatiſſimæ Virginis tempus loquendi, & hoc amicis ſcilicet, & ſāctis Apoſtolis: ita vt dicat Dilectus: Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorū*, &c. Vbi Virgo eſt in gloria, & aſtitit à dextris Dei, ibi ſermones eius veluti paradiſus, quo deuotos ſuos omni doctrinę inſtruit ſuauitate, ac omni cæleſtium donorum abundantia ditat. Quando verò in hoc verſabatur mundo, erat veluti hortus concluſus, ita parcè loquebatur.

Paſchaſ. Card. Hugo. Rupert. Luc.2. Cantic.4. Rupert. *Virgo pro nobis loquitur in cælo.*

QVÆSTIO XXXVII.

Quare Magi non reducantur per ſtellam, ſed per Deum, vel Angelum moueantur?

134. VTROQVE modo iſta potuit fieri reuelatio. Primò ab Angelo, vt paſſim legitur in Scriptura. Et videtur, quòd Matthæus ſupponit, hanc reſponſionem factam fuiſſe eo modo vſitato, cuius ipſe mentionem facit, vt patet in S.Ioſeph. Et ita tenent Lyranus, Abulenſis *quæſt.*49. Secundò. Potuit fieri à Deo, vel infundente ſpeciem, vel eam excitante in eorum mente; ſicut Deus

Lyran. Abulenſis.

Deus locutus eſt ad Abimelech Regem Palæſtinæ per ſomnia *Geneſ.*20.*num.*3. Et ad Salomonem 3.*Reg.*3.*num.*5.2. *Paralip.*1. *num.*7. Et hoc mihi videtur probabilius; tum, quia multi ſunt pro hac ſententia Patres, D. Hieronymus *hîc*, Gloſſa Ordinaria, Haymon, D.Paſchaſius & alij: tum, quia ſi hæc reuelatio per Angelum fieret, Matthæus hoc narraſſet, ſicut ſcripſi de S. Ioſeph. Tertiò. S.Hieronymus: *Reſponſum Gracè dicitur oraculum quod non per Angelum, ſed per ipſum Dominum fit: vt meritorum Ioſeph priuilegium demonſtraretur.* Ex eo quod dicitur, *oraculum*, colligit ſanctus Pater, fuiſſe à Deo.

Hieron. Gloſſa. Haymon. Paſchaſ.

135. Sed quare ſtella Magos in regionem ſuam non reducit, ſed per Deum, vel Angelum admonentur? Quia iam in gratia erant prouectiores, ideo maiori obſequio dignati ſunt. Euthymius ait: *Antequam puerum vidiſſent, ſtella ducatum eis præſtitit: poſtquam autem viderunt, Angelus deinceps, quaſi iam ſanctificatos alloquitur.* Sicut in fide, & gratia creſcunt, ita fauotibus cumulantur; non ſtatim ad ſupremum prouehuntur Angelorum ducatum, ſed primò ſtella ducti ad maiora paulatim promouentur. Theophylact. inquit: *Vide conſequentiam. Primum Deus illos ad fidem per ſtellam adduxit: deinde cùm venerunt Hieroſolymam, docuit eos per prophetiam, quòd in Bethleem naſcatur, & tandem per Angelum.* De quo vide infrà *q.vlt.* Alias demus rationes Patrum.

Euthym. Theophyl.

136. Secundò. D.Hieronymus *tom.*4.*Epiſt.*20.*Epiſt. de vera circunciſione*, ſic ait: *Magi ſuis affectibus ſpoliati in auro, thure, & myrrha conuerſationem itinere mutato, qui per Herodem venerant, per Angelum redeuntes.* Magi, dum in auro, thure, ac myrrha venientes affectum ſuum ad bona oſtendunt terreſtria, per ſtellam, vel Herodem, huiuſque ſæculi ſapientes ducuntur; at in præſepio dum omnia illa bona ad Chriſti pedes abiiciunt, & huius mundi diuitiis ſpoliantur, ipſoſmet ſpiritus cæleſtes ſocios habent: in tantum extollit diuitiarum contemptus. Tertiò. D.Chryſoſt. *homil.*7. ait: *Magi priuſquam puerum cernerent: vndique illis opponebantur timores, conturbationes, atque diſcrimina: poſtquam verò adorauerunt, ſecuritas, & tranquillitas ſubſequuta eſt: nec iam ſtella eos, ſed Angelus ſuſcepit; quia ſcilicet adorando facti fuerant Sacerdotes, cum ſupplicatione etiam muneribus oblatis.* Vt Reges veniunt ſtella duce; at cùm redeunt iam vt Sacerdotes facti, quippe nobiliores, ab Angelo admonente de via. Cùm Moyſes ad illum pergeret locū, in quo erat Deus, Præcipitur ei: *Solue calceamentum de pedibus tuis*, Exod.3.n.5. Abraham autem, cùm veniſſet ad locum, in quo filius erat oblaturus, cui Deus aderat, ideo dicitur, *Dominus videt*, Geneſ.22.n.14. nil tale ei mandatur. Sed cur in tam illuſtribus viris differentia tanta? Origenes apud Lippom. *Moyſes cùm veniſſet ad locum, quem oſtendit illi Dominus, dicitur ei: Solue corrigiam calceamenti de pedibus tuis; Abrahæ nihil eorum dicitur, in quo illa fortaſſis eſt ratio, quòd Moyſes, quamuis Magnus, de Ægypto veniebat.* Et ſatis doctè. Ad rem tamen noſtram. Moyſes, quamuis magnus, totius tamen populi dux, & princeps erat conſtituendus, & ideo iubetur, vt calceamenta abiiciat: Abraham, vt Sacerdos ad ſacrificandum acceſſerat, & ideo maiori reuerentia proſequendus.

Hieron. *Diuitiarum nos contemptus extollit.* Chryſoſt. *Sacerdotes venerandi.* Exod.3. Geneſ.22. Origenes. *Sacerdotes ſint in magna reuerentia.*

137. Quartò. Etiam ex Patribus illis, qui dicunt, Magos per Deum ipſum fuiſſe excitatos. D.Paſchaſius lib.2. *Et notandum, quòd non per Angelum vti ad Ioſeph, hæc reſponſio facta dicitur: ſed ſanctorum Patrum traditio eſt, ab ipſo Domino diuinitus imbutos fuiſſe; quia neminem alium conſtat viam regreſſionis ad patriam vſque inſtituiſſe, præter eum, qui ſe viam præbuit imitabilem, vt per ipſum ad ipſum tendentes, quandoque patriam repetamus.* Magos, in via, antequam Chriſtum adorarent, ſtella ducebat; at poſtquam Chriſtum inuenerunt, nec ſtella, nec Angelus viam demonſtrat, ſed ipſemet Dominus, poſt viſum enim Chriſtum oculi noſtri ſunt ſubleuandi, & aperiendi, vt ipſum tantùm noſter aſpiciat viſus. Et ita dicebat Tertullianus lib. de Idololatria: *Silentia iſta vſque ad Euangelium conceſſa, vt, Chriſto edito, nemo exinde natiuitatem alicuius de cælo interpretetur.* Ac ſi dicat: Ante Chriſti natiuitatem obſeruabantur ſtellæ, at poſt ipſum, non à ſtellis, ſed ab illo noſtra prognoſtica ſunt quærenda.

Paſchaſ. *Solus Chriſtus aſpiciendus.* Tertull.

138. Quintò. Perſiſto in hac ſententia, quòd Magi de via, ſeu reditu ſuo ab ipſo Deo ſunt edocti. Qualis homo Deo, talis Deus homini; Magi cognita Chriſti natiuitate non Legatos, vel nuntios ad eum cum muneribus mittunt, ſed ipſimet præſentialiter veniunt & adorant. Ita Deus non aliquem ad eos paranymphum, vel miniſtrum deſignat, ſed eis ipſemet adeſt, viamque demonſtrat. Poſtquam Salomon illud aureum ædificauit templum, in dedicatione eius. *Omnes filij Iſrael videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper Domum.* 2. Paralip.7.num.3. Ni fallor, non legitur alibi, quòd omnis populus gloriam Domini tam manifeſtè viderit. nam ac radices montis Sinai nubem denſiſſimam ſolùm, fulgura, & tonitrna vidit populus, *Exod.* 19. *num.* 16. Et maieſtas Domini reuelata fuit Moyſi, & ad plurimum Sacerdoribus, *ibidem num.* 22. Sed cur in dedicatione templi tam patenter maieſtas Domini manifeſtatur? Textus *cita.cap.*47. *Paralipp.num.*4. veluti rationem ſubdit: *Rex autem, & omnis populus immolabat victimas coram Domino.* Quod explicans Caietanus, ait: *Intellige dedicationem factam ab vnoquoque proportionaliter: à Rege, vt Rege, à populo, vt populo, à Sacerdotibus, vt Sacerdotibus, ab vnoquoque ſecundùm proprium officium honorandi, offerendi, conſecrandi.* Quid mirum, quòd omnes in templi dedicatione Dei viderint maieſtatem? Aliis in locis miniſtri, & Sacerdotes ſacrificabant; hîc verò omnes. Omnibus igitur gloria Domini reuelatur. Qualiter homo ſe habet in obſequio Dei, taliter nobis Deus in beneficiis. Dum Chriſtus Dominus baptizaretur; *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & vox de cælo facta eſt: Tu es filius meus*, Luc.3.num.22. Sed cur, dum Chriſtus baptizatur, Pater in nube, vt eſt communis Patrum ſententia, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ apparet? Nubes ex aquis componitur; columba ex illis educta, *Geneſ.* 1. *num.* 20. Erat Chriſtus Dominus obediens Patri in medio aquarum: vt ergo Pater, & Spiritus ſanctus filium proſequerentur honore, aquaria inuoluuntur natura. D.Auguſtinus lib.3.*de mirabilib.cap.*5. ait: *Dum in terra filius ad baptiſmi myſterium aquæ creaturam elegiſſet, neceſſum fuit, vt Pater per aquaticam nubem intonaret, & Spiritus ſanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum eſt, illa nube acceptum ſimularet.* Vide ſuprà *lib.*1. *cap.*2.*quæſt.*7.

Qualis homo Deo, talis Deus homini. 2.Paral.7. Caiet. Luc.3. Auguſt.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quare Magi de via moneantur in ſomnis?

139. HVIVSMODI apparitio, ac reſponſio in ſomnis(& hæc ſit prima ſolutio) eſt valde frequens, & vſitata in Scriptura, vt patet ex initio ſuperioris quæſtionis. Secundò. Reſpondet Euthymius: *Oraculo accepto in ſomnis, reuerſi ſunt, citiùs credentes tamqam fideles.* Vt Magi in infidelitate obcæcati ad fidem vocarentur, ſtella irradians apparet; vbi verò puerum adorant, firmiori iam roborati fide, minori in ſomnis excitamento viam carpunt. Vigilanti Abrahæ præcepit Deus, vt de ſua egrederetur terra, *Geneſ.*12. *num.*1. At cùm eum tentauit, eique præcepit, vt filium ſuum immolaret,viſio facta eſt nocte, *Geneſ.*22. *num.*3. Vnde P. Mendoça *tom.*2.*lib.*1.*Regum cap.*3.*verſ.*4.*num.*30.exiſtimat fuiſſe in ſomno. Sed quomodo. Facilius,nempe exire de terra, mandatur vigilanti, & difficilius, nimirum macta filium, dormienti? Cùm hoc ſecundum ei intimatur, Abraham fortior erat in fide,vt notant D.Ambroſius *lib.*1.*de Abrah. cap.*8. D. Auguſtinus *ſerm.* 2. *de tempore*; ac proinde eius prompta obedientia in duriori præcepto facilè exercetur. Dum iſte pater Gentium in fide iuuenis erat, ne reluctaret vigilanti, & multis propoſitis præmiis, mandatur exire de terra; at cùm robuſtior eſſet in fide, in maiori repugnantia inſinuatio leuis in ſomnis abundans erat. Erranti, ac vigilanti Agar apparet Angelus, *Geneſ.* 16. *num.* 7. Et tamen ille cæleſtis Spiritus in ſomno ſe exhibet ſanctiſſimis viris,Iacob *Geneſ.*28.*n.*12. Gedeoni *Iudic.*6. *num.*25. Samueli 1. *Reg.*3.*n.*4. & *cap.*15.*n.*10. Ægyptiaca illa ancilla in fide parum inſtructa multis erat adiuuanda: hi verò vt valde roborati,quolibet nutu velociſſimi.

Euthym. *Fidelis non indiget adminiculis.* Mendoça. Ambroſ. Auguſt.

140. Rupert. Tertiò. Hanc rationem ſumo ex Ruperto. In ſomnis admonentur Magi ab Angelo; nam,ipſis dormientibus, Angelus in eorum cuſtodiam, & ſalutem vigilabat. Cùm maiora inſtant pericula, etiam, nobis ſomno deditis Angeli in auxilium noſtrum adſunt. Ab Herode vinctus erat in carcere Petrus; interque vincula dormiebat: *Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri excitauit eum,dicens: Surge velociter,* Actor.12.num.7. Eleganter Proclus ait:Dormiebat Petrus, vigilabat Angelus in eius ſalutem. Hoc eſt valde frequens ſanctis Angelis, quando euidentiſſima pericula vrgent, pro nobis in auxilium aduenire. D.Nyſſenus in vita Moyſis: *Tunc,* ait, *homini manifeſtiùs fratris adminicula vndique apparent,ſecùm aduerſùs hoſtes armati,frater enim quodammodo hominis Angelus eſt, qui tunc maximè nobis aſſiſtere videtur, cùm Pharaoni appropinquamus.*

Actor.12. Proclus. Nyſſen.

QVÆSTIO XXXIX.

Quare Magi per aliam viam redeant?

141. *Ratio litteralis.* COMMVNIS & vera ſententia. Quòd ſi idem repeterent iter,ad Herodem peruenirent,eique de puero renuntiarent; & ipſe ſtatim veniret, eumque, vt poſtea fecit,occidere intentaret; ideo enim puerorum diſtulit occiſionem, quia Magorum reditum expectauit. Et ita vel Chriſtus occideretur, vel miraculosè defenderetur; vtrumque autem conueniens non erat. Deinde, quia ſi Magi accederent ad Herodem, ei indicarent nomen pueri, matris,& Ioſeph; & hac de cauſa ſemper Herodes, eiuſque filij eos perſequerentur. Nec obſtat id, quod antiqui dicunt, quòd Magi reditum ſuum Herodi promiſerunt. In primis hoc nullibi legitur. Deinde huiuſmodi ſtipulationes, etiam cum iuramento, tunc obligant, cùm non ſunt contra Dei voluntatem, ſeu commune bonum, vel res noua non ſuccedit,ſeu fraus,vel dolus ibi non latet,vt communiter docent Theologi cum D.Thoma 2. 2. *quæſt.*89.*art.*7.*ad* 2. Leſſius *lib.*2.*de iuſtit.cap.*42. *dub.*4.*num.*20. Sayrus *in Claui Regia lib.*5.*cap.*7. *n.*3. & multi alij cum Sanchez *in Decalog. lib.*3. *cap.*9.*num.*11.

D. Thom. Leſſius. Sayrus. Sanchez.

142. Auguſt. Myſticas rationes, & expoſitiones ex SS. Patribus demus. D.Auguſt. *tom.*3. *lib.*4.*de Trinit. cap.*12.ita ait:*Proinde ſicut Magi fuerunt diuinitus moniti, quos ad humilitatem Domini adorandam ſtella perduxit:ita & nos,non quà venimus,ſed per aliam viam in patriam redire debemus, quam Rex humilis docuit,& quam Rex ſuperbus humili Regi aduerſarius obſidere non poſſit.* Nobis vias mundi ambulantibus Dei gratia illuxit, huic adhæreamus, & ad illas iterum non retrocedamus. Secundò. D. Cyprianus *ſerm. de ſtella & Magis,* ait:*Alio tramite in ſuam patriam reuertũtur Magi,quia neceſſe eſt, vt qui credunt ad iuſtitiam,ore etiam confeſſi ſint ad ſalutem; deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent, quoniam per vias latas, deſcenſuſq; præcipites itur ad inferos; per arctas verò & difficiles reditur ad Superos.* Si tibi per vocationem, vel Sacramentum Dei gratia, ſeu ſtella reſplenduit, vt ad patriam deuenias, per arctas ſemitas incedere debes. *Quàm anguſta porta,& arcta via eſt,quæ ducit ad vitam,*Matth.7.n.13.Luc.13.n.24. De ſancta anima ait Sponſus: *Quæ eſt iſta,quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ,& thuris?* Cant.3.n.6. Cur anima ſancta virgulæ fumi comparatur? Quia hæc, cùm ſit valde gracilis, & tenuis, per viam cæli aditum poteſt habere. Catena trium Patrum ita dicitur: *Sic enim anima ſpiritu ſuccenſa per actionem quidem carnis craſſitudinem,per contemplationem autem rerum ſpecies extenuant, probis tum moribus, tum ſermonibus, leuis ad Deum fertur,nec terreno pondere deprimitur.* Et eſt virgula,non ligni corpulenti, & duri, ſed fumi,qui ſpeciem, non ſubſtantiam habet.Ita Hugo de S.Victore *lib.*1.*Erudit.cap.*110.

Cyprian. *Via arcta itur ad Patriam.* Matth.7. Cant.3. Caten.3.PP. Hugo.

143. Imperfect. Tertiò.Imperfectus homil.2. *Qui enim, relicto Chriſto,vadunt ad Herodem, frequenter reuertuntur ad Chriſtum: qui autem, relicto Herode, ad Chriſtum veniunt toto corde, numquam reuertuntur ad Herodem.* Magi quærentes Chriſtum ad Herodis curiam veniunt: at vbi Chriſtum inuenerunt,eique ex intimo corde vniuntur,Herodem amplius non viſitant, ſed diuerſo tramite in patriam ſuam peragunt iter. Et ideo hîc ait D.Ambroſius lib.2. in Luc.de itinere Magorum. *Alia venerunt via Magi, alia redeunt; qui enim Chriſtum viderant, Chriſtum intellexerunt, meliores vtique quàm venerant,reuertuntur.*

Ambroſ.

Quartò.

144. Maxim. Quartò. D. Maximus *homil.*1. *de Epiphania,* ait: *Rectiſſimè per aliam viam redeunt Magi, ne cruentus Herodes,qui mortem parabat infanti,itinere Magorum peruenire poſſit ad Chriſtum,neque enim qui adorare Dominum venerant, Domini eſſe poterant proditores.*Iterum Herodis Curiam Magi non intrant,ne qui ad adorandum Dominum venerant,illius neci occaſionem præberent.

145. Alb. Magn. Quintò. Albertus Magnus: *Attendatur,* ait, *horum Magorum fides,& humilitas.Turpe enim eſt honeſtis viris benignè recepti ſine reſalutatione quaſi fugitiuos recedere, & hanc turpitudinem elegerunt in ſe potius, quàm puerum proderent hoſti Herodi.*Erant charitate feruentes,& pueri potius vitæ,ac ſaluti,quàm famæ ſuæ,atque honori conſulere voluerunt.

Potius Dei honori, quàm propriæ famæ conſulẽdum.

QVÆSTIO XI.

Accepto oraculo qualiter Magi ſe habuerint?

146. *Fides non curioſa diſcutit.* Chryſoſt. ACCEPTO diuino reſponſo,maximè enituit Magorum fides, ac obedientia; promptè quæ præcepta ſunt exequuntur: fides, & obedientia,non curioſitas,nihil diſcutit.D.Chryſoſt.homil.8.*Conſidera,*ait, *hoc loco admirabilem Magorum fidem, qui in nullum hinc ſcandalum commouentur,ſed ad cuncta obedientes permanent, atque flexibiles,nihilque omnino conturbantur, neque ipſi ſecum diſputant,dicentes: Si enim magnum quiddam eſſet hic puer, & potentiæ aliquid obtineret,nobis adoratoribus eius quid opus eſſet fugæ,occultique diſceſſus? Nihil omnino tale,vel ore proferunt,vel mente concipiunt.Hoc enim fidei inſigne, vt abſque controuerſia vlla obediant imperanti,nec tamen mercedem repoſcant obſequij.*

147. Accinctis ad viam ſtella non apparuit, neque eos duxit; quia ſi ſtella eos dirigeret, in ſomnis à Deo non admonerentur, ne redirent ad Herodem. Deinde in via eos ſtella duxit, tum ad pueri nati diuinitatis oſtenſionem; tum quia in quo loco eſſet natus, ignorabant. At verò cùm ipſi iam in fide eſſent firmati, optiméque ſcirent, ad quam orbis partem eorum ciuitates, & regna ſita eſſent, ſtella, vt viam oſtenderet, non indigebant., & Deus eos per Angelum ſuum in multis direxit,ac gubernauit.

148. Anſelm. Lyran. D. Anſelmus, & Lyranus exiſtimant, Magos nauibus per mare transfretaſſe in oppidum Tharſis; & ideo ait Lyranus, Herodem iratum incendiſſe naues Tharſenſium. In quo ſenſu intelligit illud Pſalm.47.num.8.*In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis,*Hæc ſententia multas habet repugnantias, ideoque meritò illam impugnant Abulenſis *quæſt.*46.Salmeron *lib.*3.*tract.*40.Nam Tharſis, vel eſt Cilicia, cuius caput eſt Tharſus; vel eſt Carthago, vt alij volunt. Et vtraque prouincia à Iudæa maximè diſtat. Præcipuè, quia Magi iſti ex Meſopotamia erant, vel ex alia propinqua prouincia,nam tredecim diebus,vt etiam Lyranus ipſe fatetur, peruenerunt ad Bethleem. Senſus Pſalmi 47. alius eſt, vt videre eſt apud Lorinum.

Pſalm.47. Abulenſis. Salmer.

149. In regnis ſuis Chriſtum prædicauerunt, & Martyrij palmam ſunt aſſecuti. Et quid mirum, quòd de ſuis corporibus in terris ſuis Deo obtulerint hoſtias, qui in Iudæa iam inter Herodis, Iudæorúmque inſaniam, ac furorem, puero Ieſu ſeſe dedicauerunt, in quibus Gentium fides eſt Deo conſecrata. D. Chryſologus *ſerm.*5. *de Epiphania,* ſic ait: *Quando Chriſtum Iudæus Herodi ſcelere prodebat, tunc Magus Deum Chriſtum muneribus fatebatur. Hinc eſt,quòd Gentilis, qui erat nouiſſimus,factus eſt primus:quia tunc ex Magorum fide eſt Gentium credulitas dedicata, & Iudæorum eſt notata crudelitas.*

Chryſol.

CAP. V.

De Purificatione Beatiſſimæ Virginis.

Lucæ 2.*n.*22. Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.

VERSIONES.

Syriacus,Vatabl.Chryſoſt.Euthymius,Theophylactus. Dies purgationis eorum.

Origenes homil. 14. Dies purgationis eorum, duxerunt illum Hieroſolymam,offerre ante conſpectum Domini.

D.Ildephonſ. lib. 2. *de Virginit. S.Mariæ.* Cùm impleti eſſent dies purgationis eius,quando obtulerunt Ieſu in Hieſalem.

EXPOSITIO.

1. VARIA eſt lectio loci huius apud codices Græcos: alij in ſingulari, *dies purgationis eius,*in maſculino in ordine ad puerum; alij in fœminino genere in ordine ad matrem; alij in plurali reſpectu amborum, vt clarè explicat Gloſſa Interlinealis. Immo Euthymius, *Eorum,*ſcilicet Matris,pueri,ac Sponſi,exiſtimat, hos eſſe ad ſe purificandos aſtrictos. Sed abſque dubio præferenda eſt lectio eius in ſingulari,vt habet noſtra Vulgata,quæ particula eſt fœminini generis,& refertur ad Virginem,vt patet ex Miſſali Romano: *Dies purgationis Mariæ.* Et huiuſmodi lex ſolas fœminas comprehendebat, Leuit.12.num.4. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine conceperit,manebit in ſanguine purificationis ſuæ, donec impleãtur dies purificationis ſuæ.* Et cùm lex modò intentat ſuos præfixos terminos tranſilire,& immunem Virginem attingere,ſine dubio eius ruina,& interitus adeſt, vt dixi *cap.*3.

Interlin. Euthymius. Leuit.12.

Poſtquam

2. Boſtrenſ. Theoph. Carthuſ. Abulenſis. Beda.

Poſtquam impleti ſunt; ideſt, tranſactis quadraginta diebus à Chriſti natiuitate. Et bene dicuntur dies purificationis Virginis non abſolutè, ſed ſecundùm legem Moyſi; quia, vt notant Boſtrenſis, Theophylactus, Carthuſianus, ipſa ſecundùm realem exiſtentiam non tenebatur purificari, ſed tantùm ſecundùm hominum æſtimationem. *Tulerunt illum in Hieruſalem*; ab illa diſtabat Bethleem duabus leucis, vt obſeruat Abulenſis in cap. 2. Matth. quæſt. 51. *Vt ſiſterent eum Domino*, hoc eſt, vt puerum præſentarent in templo, & pro eo offerrent ſacrificia; de quo ſequenti expoſitione. Et nota, quòd puer priùs circuncidebatur, & poſtea apparebat in templo in conſpectu Domini. Beda hîc. *Myſticè inſinuans, neminem, niſi circunciſum vitijs, dominicis dignum eſſe conſpectibus; neminẽ, niſi mortalitatis nexibus abſolutũ, ſupernæ ciuitatis gaudia poſſe perfectè ſubire.*

QVÆSTIO I.

De Purificatione Matris, ac oblatione pueri.

3. *Triplex lex.*

TRIPLEX hîc interueniebat Lex. Prima. Conſtat ex *Leuit. 12. num. 2.* vbi Deus præcipiebat, quòd mulier, quæ ſuſcepto ſemine peperiſſet maſculum, quadraginta diebus legali quadam immunditia eſſet inquinata: ſi verò fœminam peperiſſet, duplicabantur dies, & immunda erat octoginta diebus. Et in his diebus, ſcilicet quadraginta pro maſculo, & octoginta pro fœmina, inquinata reputabatur puerpera, & dicebantur dies illius purificationis, in quibus Sancta non tangebat, iis elapſis, ad templum veniens purificabatur. Illis autem diebus erat immunda, tum in ſignum venereæ delectationis in concipiendo; tum vt homines vitioſæ generationis memores redderentur. Alias rationes vide apud Theodoretum ad locum Leuitici.

4. Iſichus. Cyrill. Hippocr. Valeſius. Corn. à Lap.

Quare verò in partu maſculi quadraginta; fœminæ verò octoginta dies ſtatuuntur? Ratio à priori. Diuina voluntas. Pro coniectura autem Iſichus, D. Cyrillus *lib. 15. de adoratione*. Procopius, & comuniter Recentiores *in Leuitic. & hîc*. Tot dies conſtitutos eſſe ad organizationem maris, & fœminæ. Hanc tamen ſententiam communiter impugnant Medici cum Hippocrate *lib. de natura fœtus*. Dicendum tamen eſt, ad purificandum pro partu maſculi quadraginta dies, & pro partu fœminæ octoginta determinari; quia ad hos vſque dies pro qualitate partus, poteſt durare fluxus, & diſtillatio ſanguinis, ac humorum, ita vt numquam hos terminos excedat, vt notat Franciſcus Valeſius inſignis Medicus, *lib. de ſacra Philoſophia cap.* 18. Et, ni fallor, hæc ratio colligitur ex citato cap. Leuit. *num.* 4. dicitur enim: *His diebus manebit in ſanguine purificationis*, ideſt, illi dies manebant, & aſſignabantur ad purificandum à ſanguine. Et num. 7. *Et ſic mundabitur à profluuio ſanguinis*. Huic ſententiæ fauet Theodoretus. Eam tenet Cornelius à Lapide *citato loco*.

5. Leuit. 12.

Deinde diſponebat ipſa lex citato cap. 12. Leuit n. 6, *Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, ſiue pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſiue turturem pro peccato. Quòd ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offere agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnam in holocauſtum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur.* Pro qualitate puerperæ diuitis, vel pauperis oblatio fiebat, & vnum in holocauſtum, ideſt, in gratiarum actionem, quòd mulier pericula partus euaſerit; alterum verò pro peccato, ſcilicet pro inquinamento, ſeu irregularitate legali ex partu prouueniente, qua mulier, ne tangeret Sancta, erat impedita. Et hæc immunditia peccatum legale dicebatur, cùm pullulauerit ex originali macula in Adamo contracta, vt notant Iſichus, & D. Auguſtinus. Hac etiam ratione immunditia lepræ, & menſtrui peccata vocantur, *Leuit cap. 14. num. 12. & cap. 15. num. 30.* Iſichus. Auguſt.

6. Abulenſ. Oleaſter. Ianſen. Corn. à Lap.

Grauis eſt quæſtio: An huiuſmodi oblatio fieret pro matre, an pro ſobole? Abulenſis, Oleaſter, Ianſenius, Cornelius à Lapide *in Leuit* exiſtimant, pro matre; nam citato *cap. 13. num. 7.* dicitur. *Offeret illa coram Domino, & orabat pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur.* Pro ſobole verò ſtant communiter Sancti Patres. D. Auguſtin. *quæſt. 20. in Leuit.* D. Hieronimus *lib. 1. aduerſùs Iouinianum*, D. Chryſoſtomus *in orat. de occurſu Domini*, D. Cyrillus *lib. 8. in Leuit.* D. Leo *Epiſtol. 4. Decretali, cap. 6.* D. Thomas *3. part. quæſt. 37. art. 3. ad. 4.* D. Bonauentura *de vita Chriſti cap. 9.* & alij plures. (Auguſt. Hieron. Chryſoſt. Cyrillus. Leo. D Thom. Bonauent.) Hæc ſententia tot ob Patres præferenda, præcipuè propter officium Eccleſiæ; nam in matutinis dicitur: *Obtulerunt pro eo Domino par turturum.* Et legè præcipiebatur, verſ. 6. *Pro filia, vel filia deſeret agnum*; & tunc puerpera oratione Sacerdotis, vel oblatione filij purificabatur. Et etiam tertia ſententia, & probabilis, quam tenent Carthuſianus, Hugo *hîc*, Haymon, S. Eligius, Guerricus *ſermone de purificatione*, ſcilicet, Holocauſtum offerri pro prole, ſacrificium verò pro peccato, id eſt, pro matre. Et hoc ſaltem ex conſuetudine fieri, probabile exiſtimat Barradas *hîc*. (Carthuſ. Hugo. Haymon. Eligius. Guerricus.)

7. Exod. 13. *De primogenitis oblatis.*

Secunda lex. Mandauit Dominus Exod. 13. n. 2. *Sacrifica mihi omne primogenitum, quòd aperit vuluam in filijs Iſraël, tam de hominibus, quàm de iumentis; mea ſunt enim omnia.* Et ſtatim ſubdit Deus rationem legis. Vt filiis interrogantibus patres reſpondeant, n. 15. *Nam cùm induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis vſque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immolo Domino omne, quod aperit vuluam maſculimi ſexus.* Præcepit Deus, vt ei conſecraretur, ac præſentaretur in templo omne primogenitum maſculini ſexus, quod primò vuluam matris reſerando naturali modo in lucem egreditur. Ratio legis erat; tum ad memoriam beneficij, quia propter liberandum populum ſuum omnia Ægyptiorum primogenita Dominus occiderit, & hoc modo ſibi Hebræorum primogenita acquiſiuit; tum, quia illis pereuntibus primogenita Hebræorum ſeruauit intacta, & ideo tamquam ſua, & à ſe conſeruata, mandauit ſibi reddi, ac offerri. Et lex ſolùm maſculini ſexus, non verò fœminei primogenita comprehendebat, quia illa tantùm fuere interfecta; & Dominus non ampliùs depopoſcit, quàm illud, quod pro Iſraël liberando perpetrauit. Vel, vt ait Simon Caſſianus *lib. 2. cap. 21.* Omne forte, & virile Deo eſt conſecrandum; quod autem eſt contrariæ actionis, Domino non licet offerre in templo. Caſſian.

Tertia

8. Num. 18. *De primogenitis redemptis.*

Tertia lex, *Num. 18. num. 15.* præcepit Dominus: *Quidquid primum erumpit è vulua cuncta carnis, quam offerunt Domino, ſiue ex hominibus, ſiue de pecoribus, tui iuris erit* (ſcilicet Sacerdotis) *ita duntaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal, quod immundum eſt, redimi facias, cuius redemptio erit poſt vnum menſem ſiclis argenti quinque pondere Sanctuarij.* Et diſponebat, vt primogenitus oblatus in templo, pretio redimeretur, vt hac ratione magis refricaretur eorum memoria de redemptione primogenitorum in Ægypto, cùm hæc ab Angelo ſint liberata. Deinde, quia tantùm Leuitæ templo deſtinabantur: ergo illa primogenita redimenda erant, ne nimia eſſet miniſtrorum multitudo. Puer autem præſentatus, antequam domum reduceretur, à parentibus ſiclis argenteis emebatur, ſeu redimebatur. Quilibet ſiclus quatuor habet drachmas, ideſt, quatuor reales; & ita quinque ſicli viginti reales ſunt, ſeu, vt vulgò dicitur, duo cruciati. Infans primogenitus poterat offerri, & redimi poſt vnum menſem ante purificationem matris; & ita fiebat, ſi mater in partu, vel paulo pòſt moreretur. Communiter tamen expectabant matres purificationem ſuam, & ſecum ſimul ſuos offerebant, & redimebant primogenitos, vt ad citatum locum Numer. notant Expoſitores. Has omnes leges obſeruauit Beatiſſima Virgo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Beatiſſima Virgo teneretur lege purificationis?

9. Origenes. Rupert. Rodulph. Cyr Alex. Chryſoſt. Method. Amphil. Fulbert. Ildephonſ. Eligius.

BEATISSIMAM Virginem, non obnoxiam, ſed liberam fuiſſe atque immunem ab omni lege purificationis, eſt vera, conſtanſque ſanctorum Patrum ſententia. Ita Origenes, Rupertus, Rodulphus *in cap. 12. Leuit*, D. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. de fide ad Reginam*, D. Chryſoſtomus *orat. de occurſu Domini*. D. Methodius, S. Amphilochius, S. Fulbertus, S. Ildephonſus S. Eligius, S. Laurentius Iuſtinianus *ſermone de Purificat.* D. Bernardus *ſerm. 3. hîc*, D. Anſelmus, Boſtrenſis; Euthymius, Theophylactus, Beda, & alij. Rationes ſunt manifeſtæ. Prima. Beatiſſima Virgo concepit, non ſuſcepto ſemine, ſed virtute Spiritu ſancti: lex autem purificationis diſponebat: *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum*; ſeu, vt aliqui vertunt ex Hebræo apud Toletum: *Quæ effuſo ſuſcepto ſemine conceperit.* Vnde ſine fundamento dixerunt Abulenſis, & Ianſenius; per ſemen hîc intelligi prolem; nam noſtra Vulgata non habet: Mulier, quæ fecerit ſemen, ſed *quæ ſuſcepto ſemine.* Et Septuaginta, *Mulier ſi ſeminata fuerit.* Secundò. Quia huiuſmodi lex poſita eſt propter immunditiam, & ſordes, quæ in partu contingebant, & ita dicebat lex Leuit. 12. num. 7. *Et ſic mundabitur mulier à profluuio ſanguinis.* Atqui huiuſmodi ſordes in partu Virginis locum non habuerunt, vt iam ex Conciliis, & Patribus dixi *c. 1.* Igitur legi purificationis non fuit obnoxia. Tertiò. Quia lex mandabat, quòd mulier in illis diebus purificationis ſuæ omne Sanctum nõ tangeret, quod de Virgine dictum non erat, vt ait Euſebius Emiſſenus, *Quæ ipſum Sanctum Sanctorum in gremio tenebat, & virgines lacte nutriebat.* (Abulenſis. Ianſen. Leuit. 12. Euſeb. Emiſſ.)

QVÆSTIO III.

Quare purificetur Virgo, cùm eſſet immunis à lege?

IN hac re præclara Virginis virtus multam philoſophandi nobis occaſionem præbet. 10.
Et primò, D. Dionyſius Carthuſianus quinque nobis rationes in compendio ponit. Ita ait: *Voluit Maria digniſſima ſubijci legi, & quaſi purgari in templo, ad dandum obedientiæ, ac humilitatis exemplum; ad vitandum ſcandalum Iudæorum, ad conformandum ſe alijs mulieribus in licitis, & honeſtis; & quoniam vidit filium ſuum legi circunciſionis ſubiectũ. Perfecta obedientia plus pergit, quàm tenetur.* Submittit ſe Virgo legi: primò ob obedientiam, quam rationem attingit hîc Beda, & Cardinalis Hugo ait: *Virgo tendit in templum cumulum obedientiæ, qua plus fecit, quàm tenebatur facere.* Secundò. Ob ſuam humilitatem, quam extollens Cardinalis Hugo ait: *Hæc eſt vera humilitas, quæ non vult humilis prædicari, ſed vilis reputari, & quamuis Virgo eſſet puriſſima, non renuit inter cæteras mulieres immundas recẽſeri.* Similiter D. Laurentius Iuſtinianus *ſermone de Purificatione.* (Carthuſ. *Perfecta obedientia.* Beda. Hugo. *Vera humilitas.* Iuſtin.)

Tertiò. *Ad vitandum ſcandalum.* Omnes eam filium peperiſſe viderant, eius excuſationem, eſſeque eam Dei matrem, non nouerant; ne ergo ſcandali occaſio daretur, legi ſe ſubiicit, ac aliis mulieribus conformatur, ſuáque exemptione, & priuilegio non vtitur. Poſtquam Paulus, Prædicatori deberi ab auditoribus victum, & alimentum miniſtrari, multis oſtendit, ait: 1. Corinth. 9. num. 12. *Sed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Vbi eleganter notat Chryſoſtomus quòd non dixit Apoſtolus, *Euerſionem, ſed offendiculũ*; quia paruum, & minimum, quod generare poteſt ſcandalum, vitandum eſt. Deinde expende illa verba Carthuſiani: *Vt alijs mulieribus ſe conformaret*, non ſingulari, ſed communi via virtutis incedit Virgo, & quo magis communis, eo magis ſecura. Vide *lib. 2. cap. 1. num. 57.* Quartò. Quoniam vidit filium ſuum legi Circunciſionis ſubiectum: quam etiam rationem attingunt S. Odolonius *ſermone de Purificatione*, & S. Bernardus *eodem ſermone.* Vt filij ſui, qui duriſſimam circuncìſionis obſeruauit legem, imitaretur exemplum, purificatur etiam Beatiſſima Virgo. Vt Chriſto perfectiſſimè conformari debeamus, In exordio mundi ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, Geneſ. 1. num. 26. Omnia creata ſunt ſecundùm illud eſſe, quod à Deo participant; quomodo ergo peculiariter de homine dicitur, quòd ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ſit factus? Vt quantum in ſe eſt, ſtudeat homo illius bonitati proportionari, vt omni virtute præfulgeat, S Leo ſermone de ieiunio. *Si ſapienter*, ait, *noſtræ creationis intelligimus exordium, inueniemus, hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator ſui eſſet authoris, & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo diuinæ bonitatis forma reſplendeat.* (11. *Aliorũ ſcandalum vitandum.* 1. Cor. 9. Chryſoſt. *Communis via ſequẽda.* Odolon. Bernard. *Chriſtus à nobis imitandus.* Geneſ. 1. Leo.)

Quintò. Goffridus Abbas *ſermone de purificatione*, 12.

Goffrid. *tione*, ait, *Cùm Beatiſſima Virgo licèt non ignoraſſet, quis eſſet, quam genuiſſet; expectauit tamen diem purgationis, & occultauit filij Deitatem: nam ſi Chriſti Incarnatio fuiſſet nota Diabolo, nec Chriſtus pro nobis moreretur, nec fieret noſtra redemptio.* Legis præceptum Virgo adimplet, vt Incarnationis arcanum Diabolo abſcondatur, eligens potius inter immundas reputari, quàm humani generis ſalutem periclitari. Deinde vt orbem doceret vniuerſum, ſecreti nobis commiſſi ſigillum, quantum fieri poteſt, obſignandum eſſe. Sextò. Idem Goffridus *citatus* ait: *Hanc diem venerabilem diem eſſe purgationis Mariæ ſecundùm legem Euangelium teſtatur. Meritò mater legem ſeruauit, cuius filius, & legem dederat, & venerat, vt in ſe legem adimpleret, quam alijs dederat antè.* Cùm eſſet mater Domini legiſlatoris, legem obſeruat, ne aliquis ſuſpicaretur, quòd iure maternitatis, vel conſanguinitatis vſurpabat licentiam violandi legem, vt ſæpe ſæpiùs inter homines fit.

Secretum non violandum.

Goffrid. *Ob cõſanguinitatis ius non eſt violanda lex.*

13. Blesenſ. Septimò. Petrus Bleſenſis *ſermone de purificatione*, poſtquam quærit: Cur Dominus præſentatur, Virgo purificatur, cùm non eſſent aſtricti? ait: *Docuit nos debitis ſupererogare indebita, quia quanto indebita, tanto magis gratioſa.* Non ſolùm præcepta, ſed alia multo maiora præſtat ſuper legem, ac voluntariè exequitur Virgo, vt ait S. Eligius *ſerm. de Purificatione*, vt in virtutum cacumine ſupereminеat. Pulſanti Chriſto; *Aperi mihi ſoror mea*, Cant. 4. num. 4. reſerauit oſtium anima ſancta; & cùm non inueniſſet, noctè per totam ciuitatem quæſiuit, in cuius cuſtodes incidit, qui eam percuſſerunt, & vulnerauerunt. Sed ad quid tot ſe exponit periculis? Sat erat, aperire oſtium, vt ipſe poſtulauerat. Richardus, *Multiplicat obſequia, vt multiplicetur gratia.* Non tantùm præſtitit quod erat mandatum, verùm etiam de ſuo addidit, quærere, & mille ſe dare periculis. Vide hoc *lib. 2. cap. 3. num. 26.*

Eligius. Cant. 4.

Opera ſupererogationis gratiora.

Richard.

14. Octauò. Virgo legis mandatum exequitur, non quia lege aſtringeretur, ſed vt gratam ſe Deo exhibeat. Quomodo ergo dicitur: *ſecundùm legem Moyſi?* Animus gratus in his etiam, quæ gratis præſtat, ex quadam ſe le[…]obligatum præſumit. Vide *lib. 2. cap. 1. num. 54.* Nonò. Virgo ſanctiſſima ipſa puritate purior, cùm tamen inſpiceret, ſe brachiis Sanctum Sanctorum portare, gremio fouere, vberibus lactare, voluit purificari, vt nos doceret, quòd anima, etſi pura, & ſancta, vt ad Deum accedat, magis, ac magis præparari, ac mundari debet. Et ita D. Thom. *ſerm. 2. de Purificatione*, dum in hoc myſterio varias virtutes conſiderat in Beatiſſima Virgine Maria, ait: *Amor puritatis in ſuperabundanti purificatione.* Amico ſuo Abrahamo ait Dominus: *Ambula coram me, & eſto perfectus*, Geneſ. 17. num. 1. Ad quid hoc mandatum, niſi quòd quamuis Abraham iuſtus eſſet, ac ſanctus, ex præſentia tamen Dei ad maiorem tenderet perfectionem; *cùm nulla ſit*, vt ait Caietanus, *efficacior ratio componendi geſtus, motus, verba, actionéſque hominis, quàm ambulare ante faciem ſummi Principis.* Decimò. Purificatur Virgo, vt ſuo exemplo nos maximè moueret, ac excitaret ad puritatem, ac ſanctitatem per noſtram pœnitentiam comparandam. D. Bernardus ſerm. 6. de paruis: *Quid eſt, autem*, inquit, *quod dicimus Beatiſſimam Virginem purificari? Quid verò, quòd ipſum Ieſum dicimus circuncidi? Illa enim verò tam non indiguit purificatione, quàm neque ille circunciſione. Nobis verò & hic circunciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, vt à vitijs continentes, primùm per ipſam continentiam circuncidantur, deinde à commiſſis per pœnitentiam purificentur.* Si illa cùm non egeret purificauit, quanto magis nos, qui tot peccatis ſumus oppreſſi, debemus nos mundare, ac purificare.

Gratus, ac amans, quod liberè facit neceſſitati tribuit.

D. Thom. Geneſ. 17

Caiet. *Anima, quæ ad Deum accedit magis præparetur.*

Bernard.

Excitatur homo vt purificetur.

15. Method. Vndecimò. D. Methodius *ſerm. de Purificat.* tenet, quòd Virgo legi obtemperauerit, ob ſuum in Deum, in eiuſque mandata eximium amorem. Quomodo ergo dicitur, hoc fieri in obſeruationem legis? *Secundùm legem Moyſi?* Eximia charitas ea, quæ ob liberum affectum, ac dilectionem fiunt, obligationi, & præcepto adſcribit, legiſque mandato veluti obumbrat. Ait Dominus Matth. 5. num. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* Quomodo venit Dominus adimplere legem, cùm multa docuerit, quæ ex vi legis debita non erant, vt paupertatem, virginitatem, mundi abrenuntiationem, aliaque ſimilia conſilia? D. Paſchaſius *lib. 3. in Matthæum*, ait: *Impleuit legis, ac Prophetarum omnia, quæ præmiſſa ſunt ad inchoationem agendæ, vel ſignificandæ vitæ, dum & plura ſuperaddidit ad perfectionem moralium præceptorum.* Cum Diſcipulis, & amicis ſuis, quos in via perfectionis inſtruebat, Dominus loquebatur, & præcepta illa, licèt ex lege non eſſent, ita eorum charitate amplexabantur, ac ſi ad implendã legem veluti eſſent requiſita. Poſtquam Abramus ab Angelo eſt impeditus, ne filium ſuum in holocauſtum offerret, ait ei Dominus Geneſ. 22. num. 16. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Vbi iuxta communem ſanctorum Patrum ſententiam, Auguſtini, Ambroſij, Chryſoſtomi, Chriſti ei pollicetur aduentus, atque mors: hæc tamen eximiæ ſunt Dei charitatis opera: imò ita præexcellentia, vt in ſua ſubſtantia à pura creatura mereri non valeant, vt communiter docent Theologi cum D. Thomá 3. *part. q. 2. art. 11.* Abrahamo autem dicitur hîc: *Quia feciſti hanc rem*, vt notat D. Chryſoſt. *homil.* 47. & inquit: *Tu quidem*, ait Deus, *non peperciſti filio tuo propter mandatum meum: propter hanc tuam obedientiam remunerans te: Benedicens benedicam te*, &c. Cùm Chriſti aduentus, & mors ſummi eximiique eſſent amoris arcana, voluit Deus, veluti in meritorum Abrahami ſatisfactionem, remunerationem fieri, ac reputari. Et ita multi Authores explicant. Quia tu non peperciſti filio tuo, & ego non parcam filio meo.

Amor quæ gratis operatur, præcepto tribuit.

Matth. 5. Paſchaſ. Geneſ. 22. Auguſt. Ambroſ. Chryſoſt. D. Thom. Chryſoſt.

16. Duodecimò. Non refugit legem puriſſima Virgo, quia cùm ſuam intimè cognoſceret ſanctitatem, nullarum rerum anxiebatur acceſſu, & ideo ſui ſecura libenter purificatur. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum; Lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti*, Pſalm. 8. num. 4. Dum Dei omnipotentiæ opera narrantur, non de Sole fit mentio, ſed de Luna tantùm, & ſtellis, vt meritò notant D. Chryſoſtomus, D. Thomas. Et ea nunc eſt ratio in præſenti. Sol primus, regiuſque planeta, ſibi à natura ingenitam habens lucem, aliiſque communicans; Luna verò, & ſtellæ participata luce ſcintillant; Sol ergo de ſuo certus ſplendore, nulla ſui obliuione perturbatur: aliter tamen Luna, & ſtellæ, cùm emendicato ſplendore fulgeant. Vide *lib. 1. cap. 1. num. 143.*

Pſalm. 8. Chryſoſt. D. Thom.

Animus nobilis de ſe ſecurus.

QVÆSTIO IV.

Quàm eximia puritate Virgo in ſua purificatione reſplenduerit.

17. Alb. Magn. Antonin. ADVERTENDVM eſt ex Alberto Magno, vt notat D. Antoninus 4. *part. tit. 15. cap. 20.* §. 7. quòd puritas dupliciter ſumitur. Primò, per receſſum ab impuro. Secundò, per approximationem, & acceſſum ad ſummè purum; & tunc datur quando aliquid ſequitur naturam puri, ſeu luminoſi, & ita aqua purior eſt quàm terra, & aër quàm aqua, & ignis quàm aër; firmamentum quàm ignis; cælum aqueum, quàm firmamentum; cælum empyreum, quàm aqueum: quanto enim hæc magis accedunt ad naturam puri, ac luminoſi, nempe Solis, tanto magis de puritate participant.

Puritas dupliciter ſumitur.

18. Anſelm. Secundò, aduertendum eſt, quòd Deipara ſanctiſſima ſemper reſplenduit in magno puritatis vertice; de ea ait D. Anſelmus ſuprà datus. *Decuit Beatiſſimam Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Ita puriſſima eſt Maria, vt ſua puritate tranſcendat omnem Angelicum ordinem. Et ſecundùm primam conſiderationem in ea fuit maxima puritas, nullum enim habuit peccatum nec originale, nec mortale, nec veniale. Stando in ſecunda conſideratione puri ad quæſtionem veniamus.

19. Dico quòd puriſſima Maria in adimplenda purificationis lege, aliqualem puritatis gradum videatur aſſecuta ſtando in ſecunda puri acceptione. Hanc concluſionem exprimit Ioannes Baptiſt. Nouatus *de Eminentia Virg. tom. 1. cap. 14. quæſt. 3.* & alij. Probatur, quia communiter Patres dicunt, vt dixi ſuprà *cap. 1. quæſt. 4.* quòd in partu Deiparæ eius virginitas adaucta ſit; ante partum Maria eximio virginitatis candore florebat, at dum Chriſtum Dominum edit in lucem, per tactum illius ſanctiſſimæ carnis pueri Ieſu, noui virginitatis gradus ei adaucti ſunt; ita ſanè hîc in præſenti philoſophari poſſumus, quod explicatur. Illud dicitur purum in ſecunda acceptione, quod approximatur, ac accedit ad ſummum purum: atqui Virgo in ſua purificatione maximè ſe aſſimilauit primæ puritatis regulæ Chriſto Ieſu, nam ſicut ipſe cùm non eſſet ſubiectus legi, ob ſuam humilitatem, ac obedientiam, & reuerentiam in Patrem, voluit ſe circuncidere: ita etiam puriſſima Maria cùm non teneretur lege ob ſuam humilitatem, obedientiam, ac reuerentiam in Deum voluit ſe purificare; ergo dum Virgo conformatur Chriſto Ieſu Filio ſuo, puritas, ac ſanctitas in ea creuit. Chriſtus Dominus de Beatiſſima Virgine, ait. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, Cant 2. num. 2. Sed, cur Chriſtus Virginem appellat lilium? Cur non potiùs roſam, vel cinnamomum? Chriſtus immediatè antea ſe dixerat lilium ób candorem puritatis, ac odorem virtutum, *Ego flos campi, & lilium conuallium*, Cant. 2. n. 1. ideo ergo & Virginem lilium vocat, quia ad imitationem puritatis Chriſti enituit puritas Mariæ. Origenes hom. 3. ex quatuor. *In his*, ait, *afferri ab eo cauſam, cur qui in campo flos fuerit, voluerit eſſe in conuallibus lilium: nimirum vt proxima eius, imitatione ipſius, efficeretur & ipſa lilium.* Vide infrà *quæſt. 13.*

Nouatus.

Puritas Virginis in purificatione.

Cantic 2. Ibidem. Origenes.

QVÆSTIO V.

Quare hîc nomen pueri Ieſu non exprimatur?

20. AIT hîc Euangeliſta: *Tulerunt illum, vt ſiſterent eum*; quare non dicitur: Tulerunt puerum Ieſum, vel, vt ſiſterent Ieſum coram Domino? Reſpondeo primò, quòd ex contextu illa pronomina referuntur ad Chriſtum, & Euangeliſta illis vtitur propter vocabulorum varietatem. Secundò. Non exprimit hîc Euangeliſta nomen *Ieſus*, quia lex purificationis, ac præſentationis ſupponebat peccatum, quo nihil magis alienum à ſanctitate nominis *Ieſus*. Tertiò. Ieſus hoc loco non ſcribitur, & tamen in ſummitate crucis publicè affigitur, Diuinum hoc nomen ſaluationem, & redemptionem importat, quam operabatur in cruce. Chriſtus autem hîc, vt obediret legi, communi pretio redemptus eſt, vt patet ex *q. 1. num. 8.* & infrà dicam *quæſt. 15.* Ergo ob ſui humilitatem Redemptoris nomen occultat in hac præſentatione, in qua pretio redimitur; ſed diuinus Spiritus in Simeone eius laudes maximè manifeſtat appellans illum, *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis Iſraël.*

Reuerentia nominis Ieſus.

Redemptoris officium redimere.

21. Quartò. Chriſto Domino ex officio ſibi à Patre commiſſo incumbebat, ſe in hoſtiam conſecrare; à parentibus fertur in templum, vt Deo præſentetur, offeratúrque in oblationem, vt legi ſatisfaciat. Et Chriſtus Dominus in ſui muneris negotiis adeò eſt promptiſſimus, vt in his, in quibus aliqualiter dici poteſt, quòd ab aliis ſit aſportatus, nomen ſuum taceri diſponat. Duodecim ad videndam terram promiſſionis miſit Moyſes Exploratores, quorum nomina exprimuntur, & inter eos deſtinatus eſt Oſee filius Nun, *Num. 13. num. 9.* qui eſt Ioſue, vt conſtat ex eodem cap. *num. 17.* Et iam antea *Ioſue* dictus erat, vt patet *Exod. 17. num 9. & 10. cap. 24. num. 13. Numer. 11. num. 28.* & Lactantius *lib. 4. cap. 17.* Origenes *homil. 11. in Exod.* tenent, quòd Moyſes ei nomen mutauerit, pro *Oſeéque* vocauerit *Ioſue*, eo tempore, quo contra Amalecitas militiæ dux eſt conſtitutus, eóſque debellauit. Sed inſurgit dubitatio, cur in hac expeditione ad explorandam terram, non dicitur *Ioſue*, ſed *Oſee*? Citato numerorum loco recenſentur Exploratores, vt de caſtris exierunt, (ſic tenet Berengoſius Abbas *lib. de S. Cruce*,) & Ioſue quinto loco mentio fit. Bene ergo nomen *Ioſue*, Saluatorem dicens, ei non datur, dum in his, quæ ad ſaluandum populum ſpectabant, ab aliis ducebatur, velutique aſportabatur, ac in tali negotio ei præibant, ac ducatum præſtabant.

Homo tendat ad ſuam obligationem.

Lactantius. Origenes. Berengoſius.

QVÆSTIO VI.

Quare Herodes non obſeruauerit aduentum Chriſti in die purificationis?

22. HERODES, ſaltem ex coniectura, plus, minúſve diem præſentationis Chriſti in templo notare potuit; nam ipſe didicit à Magis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis; ſtella autem

ab Herode præſumebatur viſa eo die, quo puer natus eſt; & ideo ille iuſſit, *occidere omnes pueros in Bethleem, & in finibus eius à bimatu, & infrà, ſecundùm tempus, quòd exquiſierat à Magis.* Hoc autem tempus eſt ortus ſtellæ, quòd Herodes diligenter didicit à Magis. Si ergo Herodes, plus, minuſve, ſciebat diem natiuitatis pueri, & optimè erat ei notum, quòd poſt quadrageſimum diem puer erat adducendus in templum; quare dies illos non obſeruat, & iubet, vt omnes, qui ex Bethleem venirent, necarentur? Et ita Meſſiæ infanti mortem parare poterat minori ſcandalo, quàm occidere omnes pueros, qui erant in Bethleem.

23. Abulenſis. Reſpondet primò Abulenſis *cap.2. in Matth. quæſt.53.* quòd Deus excæcauerit mentem Herodis in hoc, ne poſſet Chriſtum inuenire propter multa inconuenientia ſuperiori capite allata. Secundò. Reſpondet idem Abulenſis quòd Herodes fortè putauit, quòd Meſſias, cùm eſſet iuſtiſſimus, & miſſus tamquam Redemptor Iſraël, non obligaretur ad iſtas legales cæremonias; & ideo quòd fortè mater ſua eum die quadrageſimo in templum non eſſet portatura, ſicut cæteri portabantur, vnde non curauit hunc diem obſeruare. Hæ rationes probabiles.

24. Tertiò. Ea mihi germana ratio eſt. Quia Herodes erat vulpes verſipellis, & eius malitia omnia penſauit, noluitque diem quadrageſimum obſeruare; quia ſi ipſe pueros in Bethleem aſportatos occidi imperaſſet, vno interfecto, qui non eſſet Meſſias, aliorum matres ſuorum occiſionem timentes poterant filios non adducere, & ille, qui quærebatur, fugere: ac ideo certiori alio modo eum tenere, eique mortem parare voluit.

Deus illudit Regum potentiam.

Sed Herodem deceptum diuina illudit potentia; nam puer fertur in Hieruſalem, & à crudeli pernicie ſua viuus euaſit. Quartò, & myſticè. Quamuis Herodes eſſet peſſimus, venientibus in templum inſidias tendere noluit, eoſque ab illius ingreſſu retardare.

Impedire aduentũ in Eccleſias grande nefas.

Et fortaſſe quia timuit, ſi hoc in Hieruſalem ciuitate magna intentaſſet, quòd contra eum commoueretur populus. Cùm filij Heli eſſent peſſimi, inter varia eorum peccata dicitur.

1. Reg.2. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia detrahebant homines à ſacrificio Domini*, 1.Reg.2.n.17. Peccatum eorum inde eſt aggrauatum, quia extitit occaſio, vt Domini ſacrificia non frequentarentur: at ſine dubio multo maius peccatum eſt idololatria; & tamen cùm de ea agitur in Scriptura, ſolùm dicitur peccare, vt *Exod.32.num.7. Deuter.9.num.16.* Vel facere malum in conſpectu Domini, vt in libris Iudicum *cap.4. num.1. cap.6.num.1.* Similiter de blaſphemia, de non ſanctificando die feſto: at peccatum grande nimis; hîc tantùm lego. Hi filij Heli impediebant, ne homines ad templum accederent, Deum orarent, eique immolarent ſacrificia; & hac de cauſa inter omnia crimina eorum nefas erat grauiſſimum. D. Gregorius Magnus in lib.

Greg. Magn. Reg. *Erat*, ait, *peccatum puerorum grande nimis coram Domino, & cauſam, qua grande fore hoc peccatum demonſtratur, adiungit, dicens: quia detrahebant homines à ſacrificio Domini: grande nimis peccatum eſſe cognoſcitur, quod pœnitentiæ lachrymis non deletur. Hoc namque nimis grande peccatum Synagogæ Propheta intuens ait: Peccatum*

Hierem.17. *tum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino.* Hierem.17.num.1.

Lucæ 2.n.23. Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: quia omne maſculum adaperiens vuluam Sanctum Domino vocabitur.

VERSIONES.

Vatablus. Adaperiens vuluam Sactoſanctum Domino.

Aliqui ex Græco. Adaperiens vuluam ſeparatum Domino vocabitur.

EXPOSITIO.

25. BEatiſſima Virgo, & Ioſeph omnia perficiunt ſecundùm legem; dicitur lex Domini, lex Moyſi, quia à Deo per Moyſem data eſt. Et quamuis Beatiſſima Virgo legem ob nimiam Dei charitatem obſeruauerit, non ſcribitur tamen lex Dei, ſed Domini, quia ita communiter dicebatur in populo; nam, vt iam notaui ex Auguſtino, & aliis Patribus, Deus dicit beneficentiam, Dominus potentiam, & fortitudinem; & vt populus contineatur lege, requiritur potentia, & fortitudo.

Ex timore potentiæ obſeruatur lex.

Omne maſculum adaperiens, id eſt, primogenitus maſculus, qui primò exibat dr vtero matris naturali modo. Et licèt lex purificationis ratione cuiuſlibet partus matrem comprehenderet, lex tamen præſentationis in primo ſolùm maſculino partu, non verò ſecundo, vel tertio procedebat. *Sanctum Domino*, conſecratum erat Deo; ſi autem ex Leuiticis non erat, poſtea redimebatur.

QVÆSTIO VII.

An Chriſtus Dominus lege præſentationis primogenitorum in templo comprehenderetur?

26. DVæ ſunt in hac re grauiſſimorum Patrum ſententiæ. Prima tenet, Chriſtum obligari ipſa lege præſentationis: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Imò addit hæc ſententia; propter ipſum ſolum hoc generale præceptum fuiſſe inſtitutum. Ita D. Chryſoſtomus *homil. de occurſu Domini*, D.Hieronymus *lib.2. contra Iouin.* Origenes *homil.4. in Luc.* Hîc D. Ambroſius, Theophylactus, Euthymius, D.Gregorius Nyſſenus *homil. de occurſu Domini*, D.Iſidorus Peluſiota *lib.1. Epiſt.23.* Amphilochius *homil. de Purificatione*, Author Græcus *in Catena D.Thom.* Primum fundamentum huius ſententiæ eſt, quia in lege præcipiebatur, *Primogenitum, quod aperit vuluam*, atqui nullus alius aperuit vuluam, niſi ſolus Chriſtus, qui de Virgine natus eſt; nam cæteris primogenitus ante partum aperta eſt in congreſſu maritali. Secundum fundamentum. Quia in lege dicebatur, quòd illud primogenitum, *Sanctum Domino vocabitur*; quod cohæret cum verbis Angeli: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

Chryſoſt. Hieron. Origen. Ambroſ. Theoph. Euthym. Nyſſen. Peluſiot. Amphil. Auth. Græc.

27. Hæc ſententia de apertione vuluæ non eſt ita

Luc.1. intelligenda, quaſi quòd tot grauiſſimi Patres aliquid ſenſerint contra integritatem Virginis in

in partu; nam ipſi expreſsè dicunt, quòd Dei Genitrix Beatiſſima extiterit Virgo in partu, vt ſtatim patebit. Sumenda eſt ergo illa locutio iuxta phraſim Scripturæ; nam ſicut claudere vuluam ſignificat infœcundam, ſeu ſterilem reddere, *Geneſeos cap.20.num.18.1. Reg.c.1.num.5.* adaperire vuluam, ſignificat fœcundare, ſeu fœcundam facere. *Geneſeos c.29. num.31. & 30.num.22.* Ita Beda, D.Bonauentura, D. Carthuſianus, & alij aduertunt. Ac proinde quando citati Patres dicunt, Chriſtum aperuiſſe vuluam, id eſt, dediſſe illi fœcunditatem; & hac locutione vtuntur, vt oſtendant Corpus Chriſti fuiſſe verum, & non apparens. Et quòd hæc ſit mens Sanctorum Patrum, patet; nam D.Hieron. *Epiſt.7. ad Amicum ægrotum*, ait: *Quòd Virgo concepit, Virgo peperit.* Et *Dialog.2. contra Pelagium*, ait: *Solus Chriſtus clauſas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ permanſerunt.* Similiter D.Ambroſ. *lib. de Inſtitut. Virgin. c.5. & Epiſt.81.* ait, quòd *Chriſtus ita exiuit de Virginis vtero, ſicut aqua exiuit de petra.* Et Euthym. *Luc.2.* hîc ait: *Solus Chriſtus, nondum apertam ſupernaturaliter aperuit, & clauſam naturaliter conſeruauit.* Et quaſi eodem modo loquitur Gregorius Nyſſenus, vt explicat D. Thomas *3. part. quæſt.37. art.3. ad primum.*

Beda. Bonauent. Carthuſ. Hieron. Ambroſ. Euthymius. Nyſſen. D.Thom.

28. Maldon. Tolet. Aliter etiam cum Maldonato, Toleto poſſunt hi Patres explicari; nam *aperire*, aliquando ſignificat, exire ſine impedimento, Matth.cap.3.n.16. *Aperti ſunt cæli, & vidit Spiritum ſanctum.* & Marc.1.n.10. & Actor.7.n.55. *Video*, ait Stephanus, *cælos apertos, & Ieſum ſtantem.* In his tamen locis nemo dicet, quòd aliqua reſeratio, vel apertura facta ſit in cælo, ſed tantùm quòd Spiritus ſanctus, & Chriſtus Dominus ſine vllo impedimento viſi ſunt. Et ita quando Patres dicunt, quòd Chriſtus aperuit vuluam matris, id eſt, ſine impedimento exiuit; & huic expoſitioni fauet D. Thomas *citatus.* Vtraque expoſitio optima. Prima communior apud ſanctos Patres, qui omnes fatentur, Dei Genitricem Virginem peperiſſe, vt eſt certum fidei dogma.

Matth.3. Marc.2. Actor.7. D.Thom.

29. Secunda ſententia tenet, Chriſtum præcepto præſentationis non fuiſſe comprehenſum. Hanc ſententiam expreſsè docent D.Cyrillus Hieroſolymitanus *hom. de occurſu Domini*, D.Methodius, S.Amphilochius, S.Eligius, S.Ildephonſus, Haymon *ſerm. de Purificat.* Hormiſda Papa *Epiſt.1. c.3.* & alij. Probatur pcimò. Quia illa lex *Exod.13.* erat lex quædam generalis primogenitorum, tam hominum, quàm brutorum animantium, vt patet ex textu num.13. & 15. *A primogenito hominis vſque ad primogenitum iumentorum.* Deinde ipſa lex æqualiter procedebat in omnibus primogenitis *ibidem num.15.* Occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. *Idcirco immolo Domino omne, quod aperit vuluam.* Ergo non eſt fundamentum, vt dicamus cum prima ſententia, quòd illa lex Chriſtum Dominum tantùm reſpiciebat.

Chriſtus non comprehendebatur. Cyril. Hier. Method. Amphil. Eligius. Ildephonſ. Haymon. Hormiſda.

30. Secundò. Illa erat lex quædam communis, & generalis pro omnibus impoſita: ergo reſpiciebat communem modum natiuitatis, dum homo exit aperto clauſtro virginali: atqui Chriſtus natus eſt ſeruata integritate virginali matris; ergo lex Chriſtum non comprehendit, ſed excludit. Nec dici poteſt, quòd lex illa eſſet ad alios homines, prout naſcuntur aperto vtero; ad Chriſtum verò, prout ille natus eſt fœcundata vulua, & ſine impedimento, quod etiam eſt aperire vuluam; hoc tamen dici non poteſt, cùm enim lex illa in ſe vna eſſet, vnum, & vnicum ſignificandi habebat modum; ſi autem ita comprehenderet Chriſtum, eſſet æquiuocè, à qua locutione leges ſemper diſtant. Deinde in illo modo poteſt conſiderari conuenientia in dictis cum hæreticis, à quibus omnino eſt fugiendum.

31. Exod.13. Tertiò. Quia lex præcipiebat Exod.13. n.12. *Separabis omne, quod aperit vuluam, & conſecrabis Domino.* Ac ſi ipſa ſeparatione, & oblatione fieret primogenitum ſeparatum, & ſanctum Domino; atqui Chriſtus Dominus à primo inſtanti ſuæ Conceptionis extitit omni ſanctitate repletus: ergo de illo lex non loquitur. Quartò. Quia Chriſtus Dominus non ſolùm eſt Sanctus, vt dicitur quilibet iuſtus, ſed eſt Sanctus Sanctorum, vt elegantiſſimè notauit noſter Cyrillus Hieroſolym. *homil. de occurſu Chriſti*; & ita ait: *Chriſtus ſolus ex ſola vnigenitus, cùm virginales portas non aperuerit, non eſt Sanctus Domino, ſed Sanctus Sanctorum, & Dominus dominorum, & Deus Deorum, princepſque, & Rex gentium vocabitur, & creditur, & tunc in templo à Simeone prædicatur.* Ergo Chriſtus à lege excludebatur. Quintò. Quia Chriſtus Dominus, cùm eſſet verus Deus, & homo, non erat legi diuinæ veteri ſubiectus, vt tenet D. Thomas 3. *part. quæſt.37. art.3. & 4.* Soto *in 4. diſtinct.2. quæſt.1. art.3.* Suarius *tom.1. ad 3. part. diſp. 43. ſect.2. §. Dico.* Tertiò. Nam, cùm Chriſtus calumniaretur, quòd ſabbatum non obſeruaret, reſpondit: *Dominus eſt filius hominis etiã ſabbati*, Matth.12.n.8. Ex quo colligit D. Auguſtinus *lib. Quæſtionum in Matth.* 10. Chriſtum non obligari ab ipſa lege.

Cyril. Hier. D.Thom. Soto. Suarius. Matth.12. Auguſt.

32. Leuit.13. Quæres: Quare dicitur in lege Leuit. 13. n.2. *Omne primogenitum, quod aperit vuluam?* Reſpondeo. Vt ex hoc præcepto conſtaret, quòd ſi [illegible] mulierem viduam filios iam haben[illegible]ſet, ex eáque ſibi primum filium generaret, hic eius primus natus matris vuluam non aperuerat; ab aliis enim antea erat aperta, & ideo hoc præcepto non comprehendebatur. E contra verò, ſi homo plures haberet vxores, ſingularum primogenitos ex hac lege Deo offerre debebat.

QVÆSTIO VIII.

Quare Chriſtus præſentetur in Templo?

33. CVm Dominus, & Saluator noſter præcepto legis non teneretur, illam tamen adimplet, & in templo præſentatur. Omnes rationes, quas in ſimili quæſtione ſuprà dixi de circunciſione, hîc veniunt, ſcilicet ob humilitatem, obedientiam, obſeruationem ipſius legis, cuius erat author, noluit eſſe contemptor, vt proſequitur S.Odolonius *ſermone de Purificatione.* Nunc verò rationes alias demus. Et primò, ex D.Cyrillo *in Catena D.Thomæ*, ſic loquente. *O profunditatem ſcientiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, offert hoſtias, qui per ſingulas hoſtias honoratur cũ Patre, figuras legis cuſtodit veritas, qui legis eſt conditor, ſicut Deus legem cuſtodiuit, vt homo.* Conſecrat ſe Chriſtus Patri in hoſtiam, qui per ſacrificia colendus erat à nobis, per ea enim, quæ Deo præſtamus obſequia, per eadem ab ipſo honoramur. Vide *lib.1. cap.2. num.62.*

Odolon. Cyrillus. *Per id quod Deo damus obſequia honoramur.*

34. Secundò. In hoc puncto lex iam tendebat ad interitum, & veluti ſepulturæ appropinquabat, in illius venerationem, ac honorem Chriſtus Dominus eam obſeruat, quod eleganter dixit Diuus Ambroſius iam citatus. *Voluit Chriſtus ſepelire legem cum honore.* Valde plauſibile, ac generoſum eſt, vt eos, quos in vltimo fine, ac interitu videris conſtitutos, non contemnere, ſed cultu, ac honore venerari. Chriſtum Dominum in præſepio adorant paſtores, & Reges: in Cruce latro, & Centurio; & tamen hi non ſolùm illuminantur à Domino, vt illi in ſtabulo, ſed alia multa exhibita eis ſcribuntur beneficia. Latroni dicitur: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, Luc. 23. n. 45. Centurioni viſus reſtituitur. Cor erga hos præ cæteris tam liberalis manus? Paſtores, & Reges Dominum naſcentem adorant; Latro & Centurio in Cruce morientem. S. Aldhelmius Epiſcopus Saxonius de laudibus Virginis, *Beneuolè*, ait, *latro audit: Hodie mecum eris in paradiſo, & Centurio illuminatur animæ, & corporis oculis, cum cruce non ſcandalizantur, ſed crucifixum verè Filium Dei confitentur.* Tertiò Chriſtus vult præſentari à Matre in templo vt ipſa gratiſſima erga Deum Patrem ſe oſtendat, dum illi offert dilectiſſimum filium, quẽ ab ipſo acceperat D. Thomas *ſermone de Purific.* dum multas Virginis virtutes in hoc actu conſiderat. *Quintò*, inquit, *gratiarum actio, in filij oblatione: vt ſiſterent eum Domino, quia tibi Domine, quem dediſti offerimus.* Quartò. Præſentatur Chriſtus in templo, vt duplici titulo per Virginem nobis ſit datus, tum quia ab ea genitus eſt; tum quia ab ea pretio redimitur in noſtram ſalutem. D. Thomas à Villanoua ſerm. de Purificatione, *O bone Ieſu*, inquit, *iam noſter es, & duplici iure es: te nobis pater dedit, te nobis mater emit: noſter es, quia datus: noſter es, quia emptus: duplici te iure poſſidemus.*

Ad finem tendentes honorandi. — Luc. 23. — Aldhelm. — *Gratitudo Virginis erga Patrem.* — D. Thom. — *Virgo dupliciter nobis dat Chriſtum.* — Th. à Villan.

35. Quintò Chriſtus præſentatur ob matris purificationem, & mater ob filij præſentationem purificatur. Perantiqua erat populi conſuetudo, vt mater purificaretur, dum filius in templo præſentabatur; & vt mater, dum filius Deo in hoſtiam offerebatur, onus purgationis exolueret. Quamnis ergo Chriſtus, & Virgo eſſent à communi lege exempti: Chriſtus tamen ob amorem matris commune mandatum obſeruat, & mater ob dilectionem filij; & ita ſibi mutuo officia charitatis perſoluunt. Cùm Iacob loco fratris ſui benedictionem à patre accipere nollet, dixit matri ſuæ. *Timeo, quòd pater meus inducat ſuper me maledictionem pro benedictione hac.* Cui mater reſpondit: *In me ſit iſta maledictio fili mi*, Gen. 27. n. 13. Tandem matris conſilium ipſe exequitur, & benedictionem impetrat à patre. Sed cur vterque, nempe Iacob, & Rebecca maledictioni Iſaac, ac furori Eſau ſe ſubmittunt? Mutua inter eos dilectio ad hoc eos connectit; filius, vt complaceat matri; mater, vt benefaciat filio.

Chriſtus, & Virgo ob mutuam charitatem in templo. — Geneſ. 27.

QVÆSTIO IX.

Quare dicatur hîc lex Domini?

36. PRIVS legem Moyſi nominauerat Euangeliſta: *Dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi*; hîc verò ſecundò, & tertiò appellat eã Domini: *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini, omne maſculum.* Et ſequenti verſu, *Vt darent hoſtiam, ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini.* Cur hîc variatur appellatio? Prima, & communis, ac germana ſolutio, vt denotetur vnum eſſe legis Authorem, ſcilicet Deum, qui per Moyſem ſuam promulgauerat legem. Secundò. D. Ioannes Chryſoſtom. hom. de occurſu Chriſti ita ait: *Vbi corporeæ expiationis mentio habetur, ibi lex Moyſi tribuitur; vbi verò oblationis ſanctæ, ibi ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, dicitur. Hoc autem diſcrimen ea de cauſa non conſtituitur, quaſi lex Moyſis, non ſit lex Domini: ſed quòd expiatio corporeum typum præ ſe fert, Moyſis ſanctio appellatur. Contrà verò, quòd omne primogenitum Domino ſiſteretur, Euangeliſta quod primò ex vtero natum erat: honorans ſecundùm legem Domini ſiſti perhibetur.* Dum agitur de purgatione, ſeu purificatione, quæ fiebat in typum vitioſæ generationis, ac delectationis parentum, vt dixi *quæſt.* 1. Lex dicitur Moyſis; at verò quando agitur de oblatione pueri, lex Domini appellatur, tum in honorem ipſius infantis primò aduenientis in templum: tum ob ipſam oblationem quæ Deo dabatur.

Chryſoſt. — *Primus alicuius aduentus honorandus.*

37. Tertiò. Quando de purificatione lex Moyſis, quando de oblatione lex Domini. Rationem aſſignat D. Chryſoſtomus citatus: *Domino ſiſteretur, quod primò ex vtero natum erat, honorans Euangeliſta.* Quod enim Domino conſecratur, maximè colendum, & ideo ad eius excellentiam declarandam, lex Domini dicitur. Quartò. Lex Domini dicebatur, quia ab ipſo data eſt; primo tamen loco lex Moyſis ſcribitur, in eius enim publicatione Moyſes promulgator multos labores, & populi contradictiones ſuſtinuit; vt igitur ornetur, ac decoretur Moyſes, ab ipſo lex retinet nomen: pro communi namque bono laborans digniſſimus eſt, qui omni afficiatur honore.

Chryſoſt. — *Quod Deo conſecratur honorandum.*

38. Quintò. Ad ſui purificationem ſanctiſſima Virgo conſiderauit legem, vt Moyſis; ad filij verò ſui præſentationem, vt Dei mandatum; quamuis enim ipſa eſſet exempta, tamen vt pura creatura legi alicuius hominis ſubiici poterat; at eius natus, cum filius Dei eſſet, legi, prout erat è Moyſe, non ſubmittitur à Virgine in reuerentiam tantæ maieſtatis; ſubmittitur tamen legi, prout à Deo conditæ; veluti venerans, colénſque Virgo Chriſti humanitatem, quæ à Dei tantùm mandatis poterat comprehendi. Poſt peccatum primi parentis, *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Geneſ. 3. num. 9. Multi Angeli adſunt ei in miniſterium, cur non aliquem eorum mittit? Vt obſeruat D. Chryſoſt. *hom. 17. in Geneſ.* Per Angelum ei prohibuit viam ligni vitæ, per Angelum admonuit Balaam, *Numer. 22. n.* 28. Cur Deus hîc per ſe venit, reum vocat, ac interrogat, ac contra illum profert ſententiam? Erat Adamus princeps, ac caput totius vniuerſi, voluit Deus hunc illi habere honorem, vt nulli alteri ſubderetur, niſi ipſi Deo, & ideo hîc non ſolùm dicitur Deus, ſed Dominus Deus. Caiet. *Deſcribitur*, ait, *ſub vtroque nomine Deus, vt ab ipſo fonte eſſendi iudicium prodire, tanquam à ſupremo iudice intelligamus.* Quinquagenarij duces, cùm accederent ad Eliam, vt eum ad Regis iuſſionem vocarent, ait Elias: *Si homo Dei ſum, deſcẽdat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*, 4. Reg. 1. n. 10. Hoc fecit primò, & ſecũdò, cùm eſſet autẽ coram Ochozia Rege, ait illi: *Hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris*, ibidem n. 16. Quomodo impauidus Eliæ ſpiritus, qui ad comburendos duos duces cum ſuis militibus, ignem de cælo fecit deſcendere, non audet ſuo, ſed Dei nomine Ochozia Regi mortem prædicere? Hoc, non timor, ſed in Regem occaſionauit reuerentia, ac vt ita eum magis terrefaciat.

Geneſ. 3. — Chryſoſt. — *Dum princeps per ſe caſtigat ſubditum honorat.* — Caiet. — 4. Reg. 1. — *Regis dignitas veneranda.*

QVÆSTIO X.

Quare hîc toties ſcribatur lex, *cùm in Circunciſione nulla ſit illius mentio?*

39. TEr hîc legem repetit Euangeliſta, vt notaui ad initium ſuperioris quæſtionis, ad indicandum, quantum debeat ante oculos obſeruari, & iuxta illam omnem noſtram regulari actionem, exemplo ſuo nos docet Dominus. Simon Caſſianus *lib. 2. cap. 21.* ait. *Non offertur, aut ſeruitur Deo, aut colitur arbitrio noſtræ voluntatis, aut iudicio electionis, & directionis humanæ, ſed decreto ſuæ legis.* Chriſti Domini, & Virginis actiones omnes ad Dei legem cõformabantur. Hac de cauſa ipſe dicebat Pſal. 39. n. 11. *Deus, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Caſſian. — *Non noſtro arbitrio, ſed lege Deo ſeruiendum.* — Pſalm. 39.

40. Quæſtio tamen inquirit: Quarè Euangeliſta in hoc capite de purificatione Virginis, ac præſentatione Chriſti ter, imò quater, vt infrà dicam, commemorat legem; cùm tamen, dum de Chriſti circunciſione agit *cap. 2. n. 21.* nullam legis mentionem faciat? Reſpondeo primò, quòd cùm circunciſio peccatum ſupponat, Euangeliſta in illa breuiſſimè ſe habuit, vt dixi *hoc lib. cap. 3. quæſt.* 4. At præſentationis lex erat gratitudinis ob demortuos in Ægypto primogenitos, vt dixi *hoc cap. quæſt. 1. n.* 7. Et Euangeliſta, quæ peccatum, atquæ offenſam adumbrant, paucis attingit verbis; quæ verò ad beneficiorum Dei in populum Iſraëliticum, gratitudinem, ac recognitionem ſpectant, ſatis latè, atque diffusè pertractat; licèt enim Chriſtus Dominus ea non teneretur lege, caput tamen totius populi, pro beneficiis membris ſuis conceſſis, voluit ſe gratiſſimum Deo præſentari. Tranſacto diluuio ædificauit Noë altare Domino, & tollẽns de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare. Sed cur Sem, vel Iaphet filij eius ſua non peragunt holocauſta, ſed Noë ſolus de omnibus animantibus offert? Quia caput erat, non ſolùm familiæ, verùm etiam totius orbis, ideo pro omnibus de omnibus conficit ſacrificia, vt notat Rupert. *li. 4. c.* 27. & ait. *Holocauſta, quæ obtulit Noë Domino, gratiarum actiones fuerunt, & quia cunctorum animalium reliquias in eadem arca ſeruauerat, meritò Deo de cunctis peccoribus, & volucribus mundis ſuper altare ab homine offeruntur holocauſta.*

Geneſ. 8. — *Caput ſtet pro beneficijs populi.* — Rupert.

41. Secundò. Lex Circunciſionis lex pœnalis imponens pœnam *Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meũ irritum fecit*, Gen. 17. n. 14. At mandatum præſentationis in templo, ad ſolicitandum in Deum amorẽ, ac gratitudinem filiorum Iſraël. Cùm igitur de Chriſti Domini circunciſione ſermo eſt, nulla legis interponitur memoria, optimè verò in præſentatione, vt manifeſtum ſit, quòd non timore pœnæ, ſed ratione amoris, obſequij, ac gratitudinis erga Deum legi ſubiicitur. Dixit Deus Abrahamo. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Interlinealis explicat, *Secundùm beneplacitum meum incede, vt non timore, ſed amore ſeruias.* Hæc eſt perfectio, non tremore pulſari, ſed charitate vulnerari. Videntes Chriſtum Dæmones, clamarunt Matth. 8. num. 29. *Ieſu filij Dei.* & Marc. 5. n. 7. *Ieſu filij Dei altiſſimi.* Contemnitur tamen eorum confeſſio. Fatetur Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Et ſtatim tot, tantaque ei dicuntur: *Beatus es Simon Bariona*, Matth. 16. n. 17. Quod expendens eleganter D. Auguſtinus *homilia 17. ex quinquaginta*, ait: *O Domine, hoc tibi dixerunt & Dæmones, quare illi non ſunt beati? Quare? Quia Dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore.*

Geneſ. 17. — *Non timore, ſed amore ſeruiendum.* — Geneſ. 17. — Interlin. — Matth. 8. — Marc. 5. — Matth. 16. — Auguſt.

Lucæ 2. n. 24. Et vt darent hoſtiam, ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

VERSIO.

Syriacus. Et vt darent ſacrificium, prout dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbæ.

EXPOSITIO.

42. EXPLICAT Euangeliſta, quòd ſecundùm legem fiebat in purificatione matris, ac præſentatione pueri, vt dictum eſt *quæſt. 1. num.* 5. Diues agnum dabat, cuius non meminit Euangeliſta, quia Beatiſſima Virgo, vt pauper hunc non habuit; erat enim rebus humanis pauper, diuinis verò muneribus referta. S. Odolonius ſer. de Purificatione. *In tantum pauper Virgo, vt agnum, qui pro peccato offerebatur, non haberet: in tantum diues, vt agnum peccata mundi tollentem ſalua virginitate generare poſſet.* Oblationes egenorum turtures, vel columbas offert. de quibus multa *quæſtione ſequenti.*

Odolon.

QVÆSTIO XI.

De ſacrificio turturum, ſeu columbarum?

43. PRÆCIPIEBAT lex Leuitic. 12. num. 8. *Quòd ſi manus mulieris non potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocauſtum, alterum pro peccato.* In cuius expoſitione morali maximè ſoliciti fuerunt ſancti Patres. Primò. D. Ambroſius *ſermone de Purificatione.* Anſbertus Abbas *ſermone eiuſdem feſtiuitatis*, ait: *Vtraque oblata, turtur, qui ſeruat fidem vni viro, fidem ſignificat: columba verò, quæ aliarum cohabitantium vnitatem non deſerit, charitatem exprimit, quia, vt omnis noſtra oblatio ſit Deo accepta, debet eſſe ex fide, & charitate.* Secundò. Diuus Chryſoſtomus *homilia* de

Leuit. 12. — Ambroſ. — Anſbert. — *Oblatio ex fide, & charitate.* — Chryſoſt.

Gallican.

de Turture, Euſebius Gallicanus *ſermon.de Purificatione*, inquiunt, quòd per turturem ſignificatur caſtitas; nam hæc auicula adeò eſt continens, vt ſi ſemel ſuum perdiderit ſocium, numquam alteri ſe iungat, ſed ſemper ſolitariè perſeueret. Columba verò felle, & amaritudine caret, innocentiam indicat. Vnde concludit Gallicanus: *Qui igitur corporis, & animæ caſtitatem, ac innocentiam cuſtodiunt, illi quidem par turturum, aut duos pullos columbarum Domino offerunt.* Tertiò. Haymon ſermon.de Purificatione: *In turture*, ait, *præfigurabatur Domini caſtitas, quia ex Virgine natus eſt, Virgo in æuum permanſit. In columba deſignatur eius ſimplicitas*, de qua alibi dicitur: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

Caſtitas cum ſimplicitate Deo offerenda.

Haymon.

44. Quartò. Beda, D. Bonauentura *hîc*, Ericus, Haymon *ſermone de Purificatione*, inquiunt, quòd vtraque hæc auis pro cantu habet gemitum, & fletum; ideo contemplatiuam, & actiuam deſignant vitam. Turtur ſoliuagus ſingularitate gaudens, adeò vt ſi coniugem perdiderit, ſolus inde permaneat, ſpeculatiuæ vitæ culmina denunciat, quæ paucorum eſt, & ſicut turtur gemit ob amorem ſui comparis, ita contemplatiuus ob charitatem, & deuotionem in Deum gemitus multiplicat columba, quæ gregatim conuerſari, & volare conſueuit, actiuæ vitæ frequentiam demonſtrat, de qua dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Hæc autem gemit, tam pro ſe, quàm pro aliis, quia vir actiuæ vitæ tam pro ſuis, quàm pro alienis peccatis in lacrymas erumpit. Deinde, vt notant, Beda, Haymon, columba delectatur, dum reſidet ſuper fluenta aquarum, & ſi ex vmbra cognoſcit aduentum accipitris, demergit ſe in aquas, & ita ab eo fugit; ſic animæ pauperum, ſi maligni hoſtis incurſum, ac tentationes conſpiciant, fugiant ad aquas pœnitentiæ, ad aquas ſalutares Sacramentorum, vt illius machinationes euadant. Diuus Bernardus *lib.de modo viuendi, ſerm.56.* hæc, & alia proſequitur, & ait: *Columba in tritico meliora grana eligit, ita & tu in ſacra Scriptura meliores elige ſententias, ex quibus te reficias.* Et quia vita contemplatiua perfectior eſt, ideò turtur priori loco ponitur.

Beda. Bonauent. Ericus. Haymon.

Vita contemplatiua, & actiua.

Beda. Haymon.

Bernard.

45. Nota, quòd lex præcipiebat offerri duos turtures, vel duos pullos columbarum; non ſemper turturem, nec ſemper columbam, ſed vnum, vel alterum pro opportunitate temporis, vel occaſionis, cui homo maximè inſeruire debet. Hoc eleganter notauit D.Chryſoſtomus *tom.5. hom.de turture.* Illud dictum Chriſti Domini: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, Matth.10.n.16. ait S. Pater: *Nolo vos ſemper eſſe quaſi columbas, ne propter ſimplicitatem nimiam, per ſeductionem laqueum incurratis. Nolo vos eſſe ſemper ſicut ſerpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, ſed ſecundùm tempus, & perſonas mutetis & mores. Et breuiter dicam, Eſtote prudentes, vt malum intelligatis, & caueatis, & eſtote ſimplices, ſicut columbæ, vt non faciatis vllum malum, quia intelligere malum, laudabile eſt; facere autem, vituperabile.* Dauid, cùm fugeret in Geth, coram Rege os ſuum immutauit, & inſanum ſe finxit, ita vt ſaliuæ eius defluerent in barbam, 1.*Reg.*21.*num.*13. Cùm autem aliquando ad Achis Regem confugeret, ita ſe prudenter exhibuit, vt *Angelus Dei videretur*, 1.Reg.29.num.9. Sed cur antea in præſentia Achis Regis rabidum, & furioſum ſe ſimulat; modò verò cordatum, & in omnibus prudentiſſimum ſe oſtendit? Abulenſis 1.Reg.c.21.q.23. ita ait: *Cauſa potiſſima diuerſitatis eſt, quia prima vice, qua fugit Dauid in terram Philiſthinorum, non apparebat aliqua cauſa, quare fugere deberet, ideo putarentur latere inſidiæ; in ſecunda verò erat ratio manifeſta, quia omnes Philiſthijm cognouerant, quomodo Saul perſequeretur Dauid quotidie ad mortem, ideo nunc ſcirent, quòd neceſſitate coactus fugiebat de terra Iſraël in terrã hoſtium, & ipſi hoc libenter acciperent.* Dauid modò vt inſanum, modò prudentem ſe habet; nam quamdiu apud Philiſthæos Saul hoſtes, pro eius amico reputabatur, in magno periculo verſabatur, & vt illud euaderet, inſanum ſe ſimulauit; cùm verò apud eos, vt contrarius Saul eſt cognitus, nihil timet. Vide *lib.1.cap.6.n.18.*

Occaſioni accommodandum.

Chryſoſt.

1.Reg.19.

Abulenſis.

46. Modus autem, quo huiuſmodi auiculæ ſacrificabantur, habetur *Leuitic.1.num.14.* retorto ad collum capite. Quod expendens D. Gregorius *c.1.Ezechiel.homil.7.* ait. *Non immeritò per caput mentem intelligimus, quia ſicut caput corpus, ita mens actiones regit; ſed caput ad pennulas retorqueri præcipitur, vt ea, quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas.* Deinde illa lex præcipiebat turturi, vel columbæ ſecari guttur, non verò abſcindi. Quod etiam explicans D.Gregorius *ſuper cap.5. Iob*, ait: *Poſt ſectionem ergo caput turturis ſuo corpori inhæret, quia Chriſtum ab Eccleſia nec mors interueniens diuidit. Perſecutores igitur peregerunt hoc, quod pernicioſè moliti ſunt: intulerunt mortem, vt ab eo abſcinderent fidelium deuotionem, ſed inde creuit fides, vnde hanc ſe extinguere infidelium crudelitas credidit.* Alia multa vide apud Expoſitores *ad citatum locum Leuitici.*

Modus ſacrificij.

Gregor.

Faciendum quod dicis.

Gregor.

QVÆSTIO XII.

Quare dicatur, par turturum, aut duos pullos columbarum?

47. NOTANDVM eſt in primis ex D.Bernardo *ſerm.59.in Cant.* præcipi in lege par turturum, & duos pullos columbarum; non verò par columbarum, ſicut dictum eſt de turture. Cuius rei hanc reddit rationem; quia licèt per columbam Spiritus ſanctus deſignetur, quia tamen libidinoſa eſt auis, pro Domino offerri non decuit, niſi in ea ætate, qua libidinem neſcit. Turtures autem non pullos turturum obtuliſſe dicitur, eo quòd turtur quacumque ætate ſemper ſit caſtus. Hoc ſuppoſito inquirimus, quare duæ auiculæ eiuſdem generis offerebantur?

Bernard.

48. Primò reſpondet Haymon hom.2. de Purificatione. *Bene*, inquit, *duæ offerebantur, quia duo ſunt genera compunctionum; primò namque anima ſua, id eſt, homo ſitiens Deum, incipit deflere peccata ſua, timens propterea ire in Infernum. Cùm autem dignam pœnitentiam peregerit, & ſpem veniæ de peccatis adepta fuerit, & ipſa anima, id eſt, ipſe homo incipit amariſſimè flere, quia differtur à Regno, id eſt, à patria cæleſti.* Quaſi per illas duas auiculas intelligat; primò dum homo conuertitur ad Deum, & ſua lachrymatur peccata; ſecundò dum proficit & iam diſſolui, & eſſe cum Chriſto deſiderat, tunc enim vtile eſt incipere, dum homo in bonis perſeuerat.

Haymon.

49. Secundò. D. Athanaſius in Catena D. Thomæ; *Iam verò*, ait, *bina iuſſit offerri, quia homine conſiſtente ex anima, & corpore, duplum à nobis poſcit Deus, caſtitatem, & manſuetudinem, non ſolùm corporis, ſed etiam animæ: alioquin erit homo fictor, & hypocrita, gerens in tegumentum occultæ malitiæ innocentiam apparentem*, Duplex auicula offertur Domino, quia duplicem actionem à nobis requirit Deus, ſcilicet animæ & corporis, vt illud quod exteriùs apparet, interiùs reluceat in anima, & ita intentio cum viſibili correſpondeat operatione. Quod clariùs dixit Goffridus Abbas *ſermone de Purificatione*, de iſtis auibus loquẽs: *Parilitas illa hæc eſt, quæ à Domino exigitur, vt bonum, quod à nobis foris oſtenditur, prius concipiatur in mente.* De Iudæorum ſacrificiis dicebat Dominus. *Ne offeratis vltrà ſacrificia fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi*, Iſai.1.n.13. De holocauſto verò Noë dicitur Geneſ. 8. num. 21. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Cur illud ſacrificium eſt in abominationem, hoc verò in odorem fragrantiæ? Vt legit D. Chryſoſtomus *homil.27.in Gen.* Reſpondet S.Pater citato loco: *Quemadmodum hîc vtritus iuſti Noë fumum, & nidorem fecit odorem fragrantiæ: ſic apud illos offerentium nequitiam, bene olens thymiama in abominationem conuertit. Igitur vbique ſtudeamus mentem offerre incorruptam; iſta enim cauſa eſt bonorum omnium.* Vbique holocauſtum in Dei homorem cremabatur, vbi verò intentio eſt recta, & operi propotionata, fit Domino in odorem fragrantiæ; vbi verò mens aduerſa, totum in abominationem conuertitur.

Athan.

Exteriora interiori correſpondeant.

Goffrid.

Iſai.1.

Geneſ.8.

Chryſoſt.

QVÆSTIO XIII.

Quid obtulerit Beatiſſima Virgo?

50. QVID Virgo ſanctiſſima in ſacrificium dederit, determinatè non explicat Euangeliſta, ſed per diſiunctionem ait; *Par turturum, aut duos pullos columbarum*, in quo refert Euangeliſta verba legis Leuit.12.num.8. *Sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum.* Et in primis ab hoc ſacrificio Virginis reiicienda eſt ſententia, ſeu error Origenis *homil.14.in Lucam.* Qui exiſtimat, auiculas, quas Beatiſſima Virgo obtulit, non fuiſſe veras, & reales, vt ſunt iſtæ, quæ per aërem volitant, vt ipſe ait; ſed tantùm phantaſticas, ac apparentes, qualis fuit illa ſpecies columbæ, in qua Spiritus ſanctus in Iordane viſus eſt. Enim verò hæc Origenis ſententia grauiſſimè reprehenditur, ac reprobatur ab Expoſitoribus Toleto, Beaulxame, & aliis. Imò Suarius *tom. 2. ad 3. part.diſp.16.ſect.1.in fine*, loquendo de hac oblatione Beatiſſimæ Virginis ait: *De fide certum eſt, aues illas fuiſſe veras, quales ab alijs offerri ſolebant.* Neque hoc Origenis figmentum aliqua nititur ratione, vel authoritate: & Beatiſſima Virgo diſpoſuit, implere legem, ac peragere omnia, quæ ſecundùm legem fieri, ac offerri ſolitum erat.

Leuit.12.

Origenes.

Toler. Beaulx. Suarius.

51. Ad quæſtionem præſentem: Quid obtulit Beatiſſima Virgo; *Par turturum, aut duos pullos columbarum?* Ratio difficultatis in initio quæſtionis eſt poſita. Origenes *citatus*, D. Ambroſius, Beda relati *in Gloſſa Ordinaria hîc*, Ansbertus, Ericus *ſermone de Purificatione*, exiſtimant, Beatiſſimam Virginem turtures, ac pullos columbarum ſimul obtuliſſe. Hæc autem ſententia, vt bene notant Pomerus *lib.3. de Beatiſſima Virg. part.1. art.2.* Maldonatus, Carthagena *tom.2.lib.8.homil. 11.* videtur habere repugnantiam in verbis Euangeliſtæ, qui non copulatiue, ſed diſiunctiuè ait; *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Cuius ergo generis fuerint auiculæ illæ à Beatiſſima Virgine oblatæ, nobis aſſerere, incertum eſt; cùm nec Euangeliſta aſſeruerit, nec ex antiqua traditione conſtet.

Origenes. Ambroſ. Beda. Ansbertus. Ericus.

Pomerus. Maldon. Carthag.

52. Richardus Victorinus de differentia ſacrificij Abrahæ, & Mariæ, ita ait de hoc ſacrificio Virginis: *Illud in ijs videtur inquiſitione dignum, cur magis elegerit, offerre duos pullos columbarum, quàm duos pullos turturum.* Vbi expreſsè aſſerit, quòd Virgo obtulerit columbas. Et hæc ſententia eſt probabilior. Et coniectura mihi eſt. Primò, Quia hoc erat magis vſitatum offerri, & hac de cauſa non turtures, ſed columbæ vendebantur in templo, *Matth.21.n.12.* Deinde ſecundò. Quia columbæ minori pretio emebantur, ideoque communiter à pauperibus offerebantur, vt colligitur ex Theophylacto nam lex iubebat offerri agnum, turtures, aut columbas, vt viliores, in vltimo loco. Tertiò. Columba, cùm ſit figura Spiritus ſancti peculiariter, vt notat D.Bernardus *de modo bene viuendi, ſerm.56.* exprimit puritatem, ſanctitatem, ac manſuetudinem, & illæ duæ auiculæ offerebantur, vna pro matre, altera pro filio, vt tenent graues Patres, & retuli *quæſt.1.num.6.* Optimè ergo volucres, non diuerſi, ſed eiuſdem generis, quæ puritatem, ac ſanctitatem ſignificant, pro matre offeruntur, & filio, cùm in eis magnam habeant ſimilitudinem, ac proportionem; ideo non turtur pro vno, vel columba pro altero, ſed aues eiuſdem generis pro ambobus, ac veluti columba cum compare ſuo datur in hoſtiam.

Richard.

Bernard.

B. Virgo filio ſuo in puritate valde ſimilis.

53. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, anima mea*, Cantic.1.num.9. Iſraëlitæ omnes pedibus incedentes de Ægypto exierunt. Quiſnam eſt ergo equitatus iſte, in quo Deus aduerſùs Pharaonem pugnauit? Origenes *homil.2. ex quatuor*, Theodoretus exiſtimant, quòd Equitatus iſte ſit humanitas Chriſti, qua Deus expugnauit, ac debellauit Pharaonem, nempe Diabolum. Huic Chriſti humanitati aſſimulata eſt amica, ſcilicet ſancta Dei Genitrix, vt latè probat Ghiſlerius *expoſitione.4.* in puritate, ſanctitate, laborũm patientia, gloria, ac protectione ſuorum. Et ad hunc ſenſum explicat citatus Author: *Erit lux Lunæ, ſicut lux Solis*, Iſai.30.n.26. Et Chriſtus Dominus dicitur *Sol iuſtitiæ*, Malachis 4. num.2. *Et thronus eius*, ſcilicet Beatiſſima Virgo, *ſicut Sol in conſpectu meo*, Pſam. 88. num. 38. Quamuis enim Chriſtus Dominus in donis gratiæ maximè ſupereminеat omnibus, & nullus ei ſit æqualis; Virgo tamen ſponſa eius ſuper omnes creaturas alias ei maximè approximatur, aſſimilaturque, vt ex D. Auguſtino latè explicat Caniſius *de Beatiſſima Virgine lib.5.cap.6.*

Cant.1.

Origen. Theodor.

Ghiſler.

Iſai.30.

Malach.4.

Pſalm.88.

Caniſius.

54. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, Pſalm.18. num.6. Si in regio planeta erectum eſt habitaculum; cur non dicitur, exire vt Sol ad illuminandum orbem, ac fœcundandam terram, ad conſtituendum dierum, ac annorum ordinem? Inter Solem, & Sponſum hæc eſt differentia: Sol oritur, vt vnicus, omnes ſuperans planetas, cui æquatur nullus: Sponſus verò procedit, vt æqualis compari ſuo, ac ſi iam ſint, non duo, ſed vna

Pſalm.18.

caro, cui omnia bona communia ſunt: filius Dei de ſinu Patris exiuit, & in vterum Virginis venit, tamquam ſponſus illius, vt ait D. Damaſcênus orat. de natiuitate Virginis; *Sempiternum lumen, quod ex ſempiterno lumine antiquorum ſæculis exiſtentiam habet, ex ipſa ſcilicet Virgine, corporatur, ac tamquam ſponſus de thalamo prodit.* Bene filius Dei, non vt Sol incedit ſolitarius, ſed vt Virginis Sponſus compar illius, eam ſibi maximè aſſimilans, cùm caro filij, caro matris ſit, cui omnia ſua communicat dona, ita vt dicat Rupertus Abbas *lib. 1. in Cantica*, de Beatiſſima Virgine in eius perſona. *Nihil Rex cæli, & terræ à me abſcondit.*

Damaſcen. Rupert.

55\. Quartò Peculiariter columba offertur, auis lachrymoſa eſt, & in cantu tota ſe fundit in lachrymas, vt notant D. Nazianzenus *orat.* 40. D. Ildephonſus *homil.* 1. D. Laurentius Iuſtinianus *ſermone de purificatione*, Beda, D. Bonauentura, & alij *hîc*. Et bene hæc auis datur, dum Chriſtus præſentatur in templo, ac vt primogenitus redimitur; ſolis enim lachrymis Chriſtus comparari, ac acquiri poteſt. Stabat Magdalena plorans, ſibi perſuadens Corpus Chriſti furatum fuiſſe è monumento, & dum vidit Dominum in ſpecie hortulani, dixit ei; *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicit o mihi, & ego eum tollam.* Ioann. 20. num. 15. Sed quomodo ita ſe offert, vt corpus Chriſti ei donetur? Nónne poterat ille pro eo multum pretij exigere? Quid tunc & illa faceret? *Erat plorans*, & cum lachrymas haberet fiduciam concepit, vt eum eis Corpus Chriſti redimeret Drogo Hortienſ. ſermone de Paſſione Domini, *Si fieri potuiſſet*, ait, *redimendo corpori ſepulchrum lachrymis impleſſet.*

Solis lachrymis poteſt Chriſtus cōparari. Nazianz. Ildephonſ. Laurent. Beda. Bonauent. Ioan. 20. Drogo.

Qvæstio XIV.

Quare Euangeliſta determinatè non explicet, quid à Virgine oblatum fuerit?

56\. Vt patet ex ſuperiori quæſtione, Euangeliſta non explicat determinatè, quid à Beatiſſima Virgine fuerit oblatum, ſed tantùm ait: *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Sed cur hoc non exprimit? Ratio à priori diuina voluntas, qua ita ſcriptoris calamum direxit. Coniecturas inquiramus. Adquas reſpondet D. Dionyſius Carthuſianus, & ait: *Lucas non exprimit determinatè quid Maria, & Ioſeph obtulerint, an ſcilicet par turturum, aut duos pullos columbarum? Quia redit in idem, quidquid horum obtuliſſe dicatur; per vtrumque enim eorum inopia deſignatur, & res per vtrumque illorum figurata Deo eſt placita.* Et ait Suarius *tom. 2. ad 3. p. diſp. 17. ſect. 1.* Euangeliſtam non definitè, ſed ſub diſiunctione dixiſſe oblationem Virginis, vt indicaret ab ea munus pauperum datum fuiſſe, quod erat per turturum, aut duo pulli columbarum. Virgo humilis in ſuis operationibus diuitum faſtum vitauit. Et nos docet eum reſpuere maximè in templo Dei. Secundò. Beda hîc ait: *Columba, quæ gregatim volat, actiuæ vitæ frequentiam demonſtrat; turtur, qui ſingularitate gaudet, ſpeculatiuæ vitæ culmina denuntiat. Et quia vtraqua conditori accepta eſt hoſtia, conſultè Lucas, vtrùm turtures, an pulli columbarum pro Domino ſint oblati, non dixit, ne vnum alteri viuendi ordinem præferret, ſed vtrumque ſequendum doceret.* Similiter D. Bonauent. *hîc.* Quia in vna vita contemplatiua, in altera actiua ſignificabatur, ne in primo templi ingreſſu ſtatim vnam alteri præferre videretur, ideo quid oblatum fuerit, Euangeliſta non explicat.

Carthuſ. Suarius. *Diuitum faſtus vitādus.* Beda. Bonauent.

57\. Tertiò. Volucres illæ Virginis humilitatem denotabant; nam pauperum elegit oblationem. Bene Euangeliſta; quam dederit hoſtiam, determinatè non annuntiat, valde enim abſconditum eſt, huius ſanctiſſimæ matris exactè explicare, & manifeſtare humilitatis profunditatem. Conſideranti facile erit manifeſtum, quomodo minutim in Canticis Canticorum ſponſæ explicetur ornatus. Comæ aureæ, ſicut grex caprarum, in auribus murænulæ aureæ; collum ſicut turris, labia ſicut vitta coccinea; manus aureæ tornatiles plenæ hyacinthis; veſtimentum ſicut odor thuris, & myrrhæ; imò adſtitit Regina in veſtitu deaurato: at de pedibus dicitur, *Quàm pulchri greſſus tui in calceamentis filia principis*, Cantic. 7. num. 1. Cur verò in aliis declaratur qualitas odoris, auri, & lapidis pretioſi, at de pedum ligaturis, tantùm ponitur calceamentum, & illius materia omnino ſilentio premitur? Quilibet ornatus diuerſam Virginis virtutem exprimit; & calceamentum Virginis humilitatem, vt eſt ſatis communis ſententia; & licèt aliæ virtutes aliquantulum valeant declarari, tamen ipſius humilitatis profunditas minimè. Moyſi præcepit Deus, tabernaculum facere, & modus, ac conſtructio operis maximè exponitur, quid in introitu, quid à tergo, ac vtroque latere fabricandum, quale rectum, ac operimentum, de quo ſatis latè *Exod.* 26. de pauimento verò, ſeu inferiori parte, nec verbum habetur, Hoc tabernaculum eſt Virginis typus, vt habent Rupertus, Beda, & alij, quo Virginis dotes, & habitus adumbrantur, pauimentum, ſeu pars inferior innuit humilitatem eius, & licèt de aliis multa dicantur, ad ea tamen, quæ ad eius humilitatem ſpectant, verba non ſufficiunt. Cardinalis Hailgrinus in cap. 6. Cantic. *Virgo Maria ſemper in hiſtoria humilis, ſed ſemper multo humilior, quàm videtur*; & ei accommodat illud Eccleſ. 43. n. 7. *Luna luminare, quod minuitur in conſummatione.* quod non de materiali Luna dictum eſt, ſed de hac diuina, quæ dum minuta videtur, tunc in omnium perfectionum conſummatione eſt,

Humilitas Virginis explicari non poteſt. Cant. 7. Rupert. Beda. Hailgrin. Eccleſ. 43.

Qvæstio XV.

Quare Beatiſſima Virgo non obtulerit agnum?

58\. Ratio difficultatis eſt, tum quia Virgo amplam ex ſuis parentibus hæreditatem habuit; tum quia paucis antè diebus, auri, thuris, & myrrhæ munera à tribus Regibus ſuſcepit oblata, quæ data ſunt copioſiſſimè, magnáque in quantitate, & vnuſquiſque omnia hæc tria donauit. Hæc quæſtio petit, quid de illis muneribus factum fuerit? Reſpondeo primò. Et hæc mihi videtur germana ratio. Omnia illa dona à Beatiſſima Virgine fuiſſe pauperibus diſtributa; ſciebat enim, quòd non venerat filius ſuus ditari

Quid de Magorum muneribus factum fuerit.

in

in terra, ſed potiùs pro nobis pauperem fieri, & vt ad perfectionem tenderet pecuniam negligendo, nos doceret, iuxta illud: *Nolite poſſidere pecuniam*, Matth. 10. num. 9. & cap. 6. num. 16. Ita D. Bonauentura *de meditationibus Chriſti*, *cap.* 9. Abulenſis *in cap. 2. Matth.* 47. Canus verò *lib. 11. de locis*, *cap.* 5. præter rationem proximè datam, duas adhibet; & ita ait: *Alij animaduertunt prudentiam Virginis, quo viaticum pararit in Ægyptum, ſunt, qui modeſtiam aduertant. Atque hæc ratio mihi videtur ſanctiſſimè, & prouidentiſſimè conſtituta: non decebat enim, vt qua pauper erat diuitum oblationem ſubitò offerret; ab omni enim faſtu erat Virgo aliena.* Hæc vltima ratio ad mores valde vtilis; quantum fieri poteſt, vnuſquiſque ſtatui ſuo ſe debet componere pauper, diues, vel potens, iuxta id, quod politica exigit ratio. Eleganter cecinit Ouidius,

Matth. 10. & 6. Bonauent. Abulenſis. Canus. *Vnuſquiſque ſtatui ſuo correſpōdeat.* Ouidius.

> ——*Bene qui latuit, bene vixit, & intra*
> *Fortunam debet quiſque manere ſuam.*

59\. Modò videbis Mardochæum cilicio indutum, ad fores palatij ſedentem, *Eſther* 4. *num.* 1. modò purpura, & auro circundatum, *Eſther* 6. *num.* 10. Sed quomodo in tam conſtanti viro diuerſitas tanta? Tempora mutant mores; quando Regi erat inuiſus, & morti damnatus, in cilicio, & cinere verſabatur; quando eius fauoribus inſignitus, omni componebatur ornatu. Poſtquam Abimelech in domum ſuam introduxit Saram, eamque Abrahamo reddidit, *Geneſ.* 20. *num.* 16. dixit Saræ; *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum.* Alludit hîc Rex ad veterum ritum; ſponſas enim ob pudorem, cùm nuptui dabantur, obnubebant velo, quod flammeum dicebatur, vt fecit Rebecca, *Gen.* 24. *n.* 65. & teſtatur Alexander ab Alexandro *lib. 2. Genial. cap.* 5. Prudens mulieris vtilitati conſulens, ne iterum contingat ſimile, vt ab aliquo in ſponſam optetur, dat ei argenteos in velamen, vt quæ vxorata erat, vxorata videretur; ac ideò inter propriam ſphæram in omnium oculis appareret.

Geneſ. 20. Geneſ. 24. Alex. ab Alc.

Qvæstio XVI.

Quare hoc loco nulla mentio fiat redemptionis primogeniti?

60\. Vt dixi *q. 1. n.* 8. lege præceptum erat *Numer.* 18. *n.* 15. & 16. vt primogenitus oblatus in templo ſiclis argenti quinque à parentibus ſuis redimeretur, quæ lex à puriſſima Virgine obſeruata eſt, vt fatentur omnes: tamen Euangeliſta nullam iſtius legis, ſeu redemptionis mentionem facit. Et quare ita ſubticuit? Adeò eſt difficile, vt dicat doctiſſimus Salmeron *lib. 3. tract. 41. §. Nihil hoc loco dicendum*, quòd nec de omnibus à nobis poteſt reddi ratio.

Salmeron.

61\. Reſpondeo ad hanc quæſtionem, quòd Euangeliſta de hac redemptione agit infrà ſcriptis verbis: *Vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.* Sed adhuc inſtat dubium, cur alias exprimit leges, hæc verò ſilentio premitur? Reſpondeo, quòd meminit legis purificationis, vt eſſet notum, quòd Virgo illi ſe ſubiecerit, meminit etiam Euangeliſta legis oblationis, quia dubium eſſe poterat; an Virgo obtulerit hoſtiam diuitis, ſcilicet agnum anniculum, vel pauperis turtures, ſeu pullos columbarum, & vt hoc excluderetur dubiolum, ſcripſit: *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* De lege redemptionis clarè non loquitur, quia vt ait Ioan. 21. num. 25. *Sunt alia, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, ne ipſum arbitror mundum capere poſſe.* Deinde ex eo, quod dicitur quòd ipſe incepit præſentationis legem adimplere, clarum, & euidens eſt, quòd illam totam adimpleuit, & conſummauit. Mortuo Chriſto Domino, *Exiuit ab eius latere ſanguis, & aqua*, Ioan. 19. num. 34. Ad quid hic ſanguis? Ait D. Auguſtinus, *Vt ſuum opus conſummaret.* Sed redemptio noſtra, eius morte operata eſt; & ideo ipſe antè clamauit: *Conſummatum eſt.* Chriſtus ſuum pro nobis cœpit effundere ſanguinem; decreuit, quòd licèt Scripturæ iam eſſent impletæ, ad ſui tamen operis conſummationem, nec gutta ſanguinis remaneret.

Ioan. 21. *Quæ incipiuntur, perficienda.* Ioan. 19. Auguſt.

62\. Nota, quòd hoc loco, paruo pretio, nempe quinque ſiclis, in templo Hieroſolymitano Chriſtus redimitur; nos verò redemit magno, ſuo nimirum ſanguine pretioſiſſimo, & ſuis quinque vulneribus. Deus, cùm ſit optimus prouiſor iuxta exigentiam rei, vnicuique ſubuenit; cùm magna eſſet noſtra neceſſitas, vtque liberaremur, multum exoptaret, multum pro nobis dedit; Chriſtus autem cùm nulla redemptione indigeret, ideo pro ſe valde parum obtulit, quantum ſcilicet ſat erat, vt communi ſatisfaceret legi. Eiecit Abrahamus Agar ancillam ſuam cum filio Iſmaël. *Et tollens panem, & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ eius, tradiditque puerum, & dimiſit eam*, Gen. 21. num. 14. Sed quomodo Abrahamus tam parcus muneribus eſt in concubinam, & filium ſuum, qui alioquin multum liberalis extitit ſemper, tum cum Regibus Sodomæ, tum cum hoſpitibus, imò & poſtea cum ipſo Iſmaële, & concubinarum filiis, *Geneſ. cap. 25. num.* 5. Abulenſis ait, quòd Agar è domo Abrahami ibat in Pharam, quæ erant loca inter ſe propinqua, & quòd aqua illa, & panis ad iter conficiendum ſufficientiſſimus erat, & ſi defecit, ea extitit cauſa, quia errando vias multum in itinere morati ſunt; poſtea verò ampla donauit munera ad domum ſuam propagandam; ac proinde prouidus pater pro breui itinere pauca diſtribuit, pro magna ſtabilienda domo multum largitus eſt.

Subueniendū iuxta exigentiam rei. Geneſ. 21. Abulenſ.

Lucæ 2. n. 25. Et ecce homo erat in Hieruſalem cui nomen Simeō, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus ſāctus erat in eo.

Versiones.

Syriacus. Erat autem vir quidam in Ouriſchlem, cuius nomē erat Schemon, & vir iſte rectus erat, & iuſtus, ac prętolabatur conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctitatis erat ſuper eo.

Pagn. Vatabl. Theophyl. Homo iſte iuſtus, ac pius, & Spiritus ſanctus erat ſuper eum.

Arian.

Arias. Homo iſte iuſtus, & religioſus.

Tertull. lib de Monogam. cap. 8. Vir iuſtus, cautus.

EXPOSITIO.

63. VT commendabilius de Chriſto Domino teſtimonium Simeonis reddatur, huius perſonam, virtuteſque deſcribit Euangeliſta. Et quinque de Simeone diſtincta commemorat, quòd eſſet homo, iuſtus, timoratus, expectans conſolationem, & Spiritus ſanctus erat in eo. *Ecce homo. Ecce*, non ſolùm grande myſterium, ſed hominem virtutibus demonſtrat grandem. *Homo.* Dupliciter eum hominem appellat: *Ecce homo erat*; & iterum, *homo iſte*, ſeu *vir iſte*; quia non ſolùm videbatur homo, verùm etiam interiùs animi dotibus homo erat. *In Hieruſalem*, in regali ciuitate, in qua omne turpe graſſabatur vitium. *Iuſtus*; iuſtitia erga proximum, quæ ſeruat æquitatem, & hoc in perſona publica, vt Simeon, prima laus *Timoratus*, ideſt, Deum reuerens & timens; ideoque alij legunt, *Religioſus, ac pius.* Textus, *Expectans conſolationem*; non ait ſperans: quod dicit ſpem in longinquum, vt erant antiqui Patres, ſed *expectans*, quod eſt in proximo, & in ianua præſtolari: per conſolationem Boſtrenſis, & Euthymius intelligunt liberationem à populi Romani ſeruitute; vera tamen intelligentia eſt, quòd conſolatio hîc ſit illa dicta à Prophetis, qua liberati ſumus à poteſtate Dæmonis per Chriſtum Dominum verum Meſſiam. *Spiritus ſanctus erat in eo.* Euthymius, Ianſenius interpretantur de ſpiritu prophetiæ; ſed communis expoſitio eſt de gratia ſanctificante, qua Deus habitat in iuſtis, vt explicat Bonauentura, qui ait. *Quòd vſus virtutis in tribus conſiſtit, in quibus commendatur Simeon fama. Ecce homo, vita iuſtus, gratia, Spiritus ſanctus erat in eo.* Et Cardinalis Hugo ait, *In tribus commendatur Simeon, quantum ad proximum dicitur iuſtus, quantum ad Deum timoratus, quantum ad ſe, dicitur, Spiritus ſanctus erat in eo.*

Simeon homo interiùs & exteriùs.

Boſtrenſ. Euthymius. Idem. Ianſen. Bonauent. Hugo.

QVÆSTIO XVII.

Quiſnam eſſet ſanctus Simeon?

64. SIMEON, vt explicat D. Anſelmus hîc, *idem ſignificat, ac exauditio; quia populus Hebræorum exaudire ſolebat Deum iubentem, vt Deus exaudiret orantem.* Simeon ergo idem eſt, ac audiens, ſeu obediens; nam fides ex auditu. Idem D. Anſelmus aliam præbet explicationem, quòd Simeon idem eſt, ac audiens triſtitiam. *Triſtitia*, vt ait Goffridus *ſermone de Purificatione*, ſignificat pœnitentiam, quia dum iuſtus audit, & operatur pœnitentiam, ad patriam peruenit. Noſter iuſtus Simeon filius Hillielis, vt teſtatur Petrus Galatinus *lib. de arcanis cap. 2.* Hic autem Hilliel paulo aute Chriſti aduentum mortuus, vt teſtatur D. Hieronymus *in c. 8. Iſaiæ*, fuit vir doctiſſimus, de quo multa tradit Ioſephus *lib. de antiquit.* Et ita etiam eius filius Simeon in lege doctiſſimus extitit; & Genebrardus *lib. 2. Chronologiæ*, teſtatur fuiſſe magiſtrum Gamalielis, ad cuius pedes ſe ſe D. Paulus eruditum fatetur, *Actor. 21. num. 3.* Cùm eſſet valde ſenex, Chriſtum in ſuis ſuſcepit vlnis, vt de eius ſenectute teſtantur S. Methodius, S. Eligius, S. Ildephonſus *ſermone de Purificatione*, Boſtrenſis, & alij *hîc*.

Anſelm. Goffrid. Galatin. Hieron. *Cuius filius.* Genebr. Method. Eligius. Ildeph.

65. Tota dubitatio eſt, an fuerit Sacerdos? Negat Euthymius, Theophylactus, Ianſenius, Barradas *hîc*. Nituntur eo fundamento; quia cùm D. Lucas eum tot titulis exornauerit, non videbatur, honorificum Sacerdotis titulum prætermiſſurus, ſi illi congrueret. Secundò. Quia non eſt, vnde eius dignitas ſacerdotalis colligatur; nam quòd benedixerit Virgini, & Ioſepho, hoc non fuit tamquam Sacerdos, ſed vt vir magnæ authoritatis, ſicut Iacob Pharaoni benedixit *Genſeos 47. num. 10.*

Euthym. Theophyl. Ianſen. Barradas.

66. Communis, & vera ſententia eſt, quòd fuerit Sacerdos ex præſtantiſſimis Aaronis filiis. Ita D. Epiphanius *lib. de Prophetarum vita, & interitu*, D. Cyrillus Hieroſolymitan. *orat. de occurſu Domini*, D. Athanaſius *lib. de communi Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſſentia*, D. Nyſſenus *in Catena D. Thomæ.* D. Carthuſianus, Lyranus, Caietanus, Ludolphus, & alij. In hac ſententia eſt D. Auguſtinus *ſerm. 9. de natiuitate Domini*, vbi Simeonem appellat *ſemen probatum, & coronatum*, quod de ſacerdotali corona, ſeu mitra debet intelligi. Probatur triplici ratione. Primò, quia non apparet aliud fundamentum, ob quod Simeon in templo puerum è manibus parentum ſuſcepiſſet, niſi quia erat Sacerdos, vt illum Deo offerret. Et hoc indicat Euangeliſta infrà, dum ait: *Cùm inducerent puerunt Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in vlnas ſuas.* Secundò. Quia in templo benedixit parentibus, ſicut Sacerdoti præceptum erat *Num. 6. num. 23.* Quòd autem Iacob benedixerit Pharaoni, fuit in domo, non in templo. Tertiò. Quia antiquiſſima Eccleſiæ pictura ita teſtatur, depingens Simeonem habitu, & mitra ſacerdotali. Nec obſtat, quòd Euangeliſta eum nomine non appellet Sacerdotem, quia hoc ſatis manifeſtauit munere, ac officio, dum ait: *Cùm inducerent parentes*, &c. Deinde quòd tacuerit nomen Sacerdotis, non multum pugnat, quia etiam, vt tenet D. Hieronymus cum communi ſententia Græcorum Patrum, Iob extitit Sacerdos, & tamen ſacerdotium eius non explicatur, ſed tantùm dicitur, *Vir erat in terra Hus nomine: Iob cap. 1.* Et eleganter Euangeliſta non exprimit in eo dignitatem, ſed virtutes; clarior enim erat animi dotibus, quàm ſacerdotali præeminentia.

Simeon Sacerdos. Epiphan. Cyrill. Athan. Nyſſen. Carthuſ. Lyran. Caiet. Ludolph. Auguſt. Hieron. *Plus honorãt virtutes, quã dignitates.* Iob 1.

67. Alia multa de Simeone referuntur, quæ mihi firma non videntur. Primò. Id, quòd ait Celſus *in præfatione ad Virginem.* Inter opera D. Cypriani; quòd cùm ipſe cæcus eſſet, ac Chriſtum in vlnis ſuis ſuſcepiſſet, ſtatim viſum recuperauit. Hoc vt apocryphum reiicit Baronius *ann. 1. Chriſti in Epit. Spond. num. 9.* Quòd verò ipſe dixerit; *Quia viderunt oculi mei*, de quo ſuo loco, explicandum eſt, ſicut id, quod dixit Chriſtus Dominus; *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*, Matth. 13. n. 16. Et præterea cæcus officio ſacerdotali in templo fungi non poterat. Secundò. Nicephorus *lib. 1. cap. 12.* ait, quòd cùm Simeon legiſſet Iſaiam, *Ecce Virgo concipiet*, & ipſe de hoc ambigeret myſterio, ei aſtitit Angelus, qui aſſeruit, non prius è vinculis

Celſus. Baron. Matth. 13. Niceph.

vinculis huius vitæ ſolutum iri, quàm id oculis ſuis conſpiceret. At hoc nec habet pro ſe antiquum teſtimonium, nec cohæret cum laudibus, quas Euangeliſta de illo commemorat. Deinde quia ipſe, non ab Angelo, ſed à Spiritu ſancto reſponſum habuit, *non viſurum ſe mortem.*

QVÆSTIO XVIII.

Quare Simeon dicatur iuſtus?

68. SIMEON ab Euangeliſta dicitur iuſtus, quia erga proximum, vt iam in expoſitione dixi æquitatem ſeruabat. Secundò. Goffridus Abbas *ſermone de Purificatione*, ita ait: *Iuſtus, qui non ſolùm de ſe, ſed etiam de proximis ſuis ſolicitus, orabat pro illis, & pro illis timebat: ſciebat enim, quòd ita pro proximis ſicut pro ſe ipſo erat agendum, & quòd ſibi, & proximis fuerat præmium expectandum.* Meritò iuſtus dicitur Simeon, qui, cùm Sacerdos, & perſona publica eſſet, non ſolùm de commodo ſuo, ſed etiam de aliorum bono tractabat, & aliorum vtilitates ad ſui menſuram diſponebat; ſciebat enim, quòd ita pro proximis, ſicut pro ſe ipſo erat agendum. Tertiò. S. Eligius *ſermone de Purificatione*, ſic ait: *Supra naturam Virgo Maria parit; Eliſabeth ſterilis filium generat; prophetat Ioannes & exultat clauſus in vtero; Zacharias Sacerdos olim mutus, etiam cum loquela gratiam prophetiæ accipit: Magi veneranter eum adorant: Anna vidua confitetur; & inter eos iſte ſenex Simeon Euangelico teſtimonio iuſtus, & timoratus, qui excreuerat in tantum iuſtitiæ culmen, vt non iam ſolummodo ſuam: ſed etiam totius populi Iſraëlis quæreret ſalutem, & aduentus Chriſti expectaret conſolationem.* Ac ſi dicat ſanctus Pater. De nullo alio in Scriptura tantum dicitur præconium, quòd eſſet ſimul iuſtus, & timoratus, niſi de ſene iſto: quia inter omnia laudabilia, illud maximè laudãdum, quòd homo de communi tractet bono; ac de omnium ſalute, & redemptione ſit ſolicitus. Numquam Moyſis facies ſplendida, ſeu radiata apparuit *Exod. 34. n. 30.* niſi poſtquam Deum eſt deprecatus, ne populum deleret, *Exod. 32. n. 10.* ac viæ eorum comes extitiſſet, *Exod. 34. n. 9.* Inter tot mirabilia, & portenta, quæ operatus eſt Moyſes, vt homo ſimilis non ſit inuentus, numquam fulgenti facie viſus eſt, niſi in hac tantùm occaſione. Imò inter omnes Patriachas veteris Teſtamenti de nullo tale legitur, niſi de hoc bono paſtore. Cùm Moyſes hîc tractaſſet, non de ſua ſolùm, ſed totius populi ſalutè, ſuper humanam conditionem, & veluti in diuinam mutatus apparuit naturam. Huc reſpicit D. Epiphanius *in vitis Patriarch.* cùm ait: *Moyſes in monte pro populo obſecratus eſt, & cornuta facie ad ſuos deſcendit.*

Goffrid. *Bonus Præſul ad ſui menſuram de ſuis tractat.* Eligius. *Magnum miraculũ quòd agat homo de communi bono.* Epiphan.

QVÆSTIO XIX.

Quare dicatur timoratus?

69. COMMVNIS expoſitio eſt, vt iam dixi, quòd timoratus hîc idem ſit, ac Deum colens, & venerans. Venerabilis ſingulariter Galfridus interpretatur *in Allegoriis Titelmanni*, ad illa verba Prouerb. 28. num. 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus.* Ita ait Galfridus, *Ne mireris, quòd timuerit iuſtus, in quo Spiritus ſanctus erat, nõ enim erat vacuus coram latrone viator, & quomodo non timeret?* Et poſtea ſubdit: *Tua credo ſecuritas, aut de inopia, aut de ignorantia eſt: aut enim deeſt, quod poſſit auferri, aut deeſſe iam putas, quod poſſit auferri. Time vel ob hoc ipſum, quia te inuenis non timentem.* Qui multum habet, multum timeat, ne bonum illud ex aliqua occaſione auferatur. In ſancto iſto Sacerdote erat Spiritus ſanctus, ideo ne tantum deperderet donum, pauidus erat. Inquit Regius Vates Pſalm. 106. n. 41. *Adiuuit pauperem de inopia, & poſuit, ſicut oues familias; videbunt recti, & lætabuntur.* Seu, vt habet textus Græcus, *& timebunt*, Sed quomodo in tantorum diuinorum beneficiorum conſpectu iuſti timebunt, cùm ſumma ſit cauſa gaudendi? D. Nyſſenus tract. 1. in Pſalm. cap. 8. ſic loquitur: *Quo ſignificat, iuſtum, dum oculos ad tantam Dei benignitatem conuertit, metuere: nam cuſtodiendis bonis non modicum præſidium eſt timor.* Iuſtus dum oculos in tantam coniicit fœlicitatem, timet, ne illam amittat: & inde in eius cuſtodia ſe cautiùs habet.

Galfrid. *Qui multum habet, timeat multum.* Pſalm. 106. Nyſſen.

70. Sed quare dicitur *Iuſtus, & timoratus* ſimul? Beda, Zacharias Epiſcopus, Haymon, & alij. *Quia difficile iuſtitia ſine timore cuſtoditur.* Ita Beda. Iuſtitia prout dicit æquitatem in proximum, ſiue prout dicit internam ſanctitatem, numquam ſine timore cuſtoditur; cum hac tamen differentia, quòd timor in valde imperfectis ſeruilis eſt, metuens pœnam, in perfectis caſtus, & filialis. Secundò. D. Ephræm *lib. de virtute cap. 3.* ita ait. *Neceſſara enim eſt iuſtitia, pietas, atque obſeruantia; de ſanctiſſimo Simeone, ſcriptum habemus, quòd eſſet iuſtus, & timoratus, ſeu pius.* Erat Simeon Sacerdos, Præſulque in populo; de illo dicitur, quòd eſſet iuſtus, & timoratus, ſeu pius, vt alij legunt: in Præſule enim debet eſſe ſimul admixta iuſtitia cum pietate. Poſt Adami peccatum ait ei Deus: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 3. n. 19. Sed quomodo non ei ſtatim infligitur mors, ſed tantùm in futuro dicitur, *reuerteris?* Homo habitibus ſupernaturalibus gratiæ erat ſpoliatus, à paradiſo expulſus; ne ergo humanum extinguatur genus, mors differtur, vt iuſtitia ſit pietate mitigata. D. Bernardus *ſermone de S. Marti.* ita ait: *Terra es, & in terram ibis: grauis ſententia, ſed non ſine grandis miſericordiæ temperamento; dura admodum, ſed indulgentia plena: ſi peccatori diceretur ſtatim morte morieris, iuſta quidem eſſet ſententia, ſed ſine mixtura miſericordiæ: Donec reuertaris, inquit, in terram. Verè Domine, cùm iratus fuiſſes, miſericordiæ meminiſti.*

Beda. Zacharias. Haymon. Ephræm. *In Prælato iuſtitia cum pietate.* Geneſ. 3. Bernard.

QVÆSTIO XX.

Quare dicatur expectans conſolationem?

71. SVPRA dixerat Euangeliſta de Simeone, quòd eſſet iuſtus, & timoratus; nunc verò teſtatur de illo, quòd eſſet *expectans conſolationem*; ſolum enim iuſtus, & timoratus, qui merita habet, ſpem de præmio concipere poteſt, illudque expectate. Vnde *lib. 1. cap. 6. n. 39.* Et cùm eſſet iuſtus, & ſanctus, non tam ſui, quàm totius populi exoptabat conſolationem. Simon Caſſianus

Solus benemeritus poteſt ſperare præmium.

Caſſian. Caſſianus *lib.2.cap.21.* ſic ait : *Non propriam,ſed totius populi expectabat ſalutem. Præferebat commune bonum proprio,velut qui per iuſtitiam nouerat meliora decernere.* Imò Sanctiſſimus vir charitate feruidus tunc pro totius Iſraëlis conſolatione,ac lætitia habuit Chriſtum,cùm illum in omnium gentium ſalutem vidit egreſſum. Quod eleganter ponderat D. Nyſſen. orat. de occurſu Domini,

Nyſſen. *Iuſtus bona omnibus cõmunicari intendit.*

*Quomodo,*ait,*ſuperiùs teſtatum eſt,illum expectare conſolationem Iſrael ; nunc autem conſpicitur docere Dei ſalutare in conſpectu omnium populorum ? Quoniam tunc futuram Iſraelis conſolationem nouit ſpiritu,quando omnibus quoque populis fuit paratum ſalutare.*

72. Græcus. Secundò. Author Græcus in Catena D.Thom. *Attende,*ait,*ſagacitatem digni,& venerandi ſenis, antequam dignus videretur beatæ viſionis , præſtolabatur ſolamen Iſrael. Vt autem quod ſperabat, obtinuit , exclamat,ſe vidiſſe ſalutem omnium populorum.* In Chriſto Domino conſolationem Iſrael bonus expectabat ſenex , at vt ipſum agnouit,omnium ſalutem ſe vidiſſe fatetur;in Chriſto Domino enim plus inuenitur, quàm noſtra capit mens,& cogitatio.

Plus in Chriſto inuenitur, quàm mens cogitat.

73. Tertiò. In Sacerdote iſto ſancto erat Spiritus ſanctus conſolator optimus : quomodo ergo ipſe in Chriſto Domino expectabat conſolationem ? Quia ipſe ſolus noſtrum ſatiat appetitum , noſtrámque replet ſpem. Ait Regius Vates : *Quis oſtendit nobis bona ? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* , Pſal.4.n.9. Nónne Propheta plenus erat Spiritu ſancto,ac gratia cæleſti? Et tamen adhuc appetit, vt diuina ei oſtendantur bona ? Quis oſtendet nobis bona ? Et ad hoc vnum tantùm fatetur eſſe lumen vultus Dei , qui eſt Chriſtus Dominus , ſplendor Patris , qui omnia nobis aperit communicanda bona. D. Ambroſius *lib.3. Epiſt.11.* ſic ait : *Quis oſtendit nobis bona? Et oſtendit ipſum eſſe bona ſubijcientem : ſignatum eſt in nobis lumen vultus tui, Domine. Quis autem lumen vultus Patris,niſi ſplendor gloriæ, & imago inuiſibilis Dei. Ipſe eſt ergo Dominus Ieſus ſummũ bonum. Hoc bonum veniat in anima noſtra , quod propitius Deus dat petentibus ſe. Hic eſt theſaurus noſter,hic eſt vita noſtra , hic eſt ſapientia noſtra, iuſtitia noſtra,paſtor noſter,& paſtor bonus, hic eſt via noſtra. Vides quanta bona in vno loco.*

In Chriſto omnia bona. Pſalm.4. Ambroſ.

QVÆSTIO XXI.

Quare tantus ſit Euangeliſta in deſcribendis virtutibus Simeonis ?

74. TOT Simeonis virtutes enumerat Euangeliſta. Primò. Vt eius de Chriſto teſtimonium habeatur grauiſſimum , ab omníque ſuſpicione reddatur alienum, cùm ab homine ſit tam præclaræ ſanctitatis. Secundò. Cùm Euangeliſta narrare decreuiſſet , quantis Simeon cæleſtibus donis eſſet cumulatus , quòd Chriſtum viderit, in ſuiſque ſuſceperit vlnis ; quod admirabili , & prophetico cantico eius cecinerit mirabilia,prius magnis ornatum virtutibus Simeonem deſcribit, vt manifeſtè appareat , quòd non fauore , ac indulgentia , ſed meritis , ac virtutibus propriis ad magnalia tanta fuerit euectus. Vide *lib.1.cap.5. num.126.*

Fauores per merita.

75. Tertiò. Simeon hîc Chriſtum Dominum Deo in hoſtiam oblatum,ac ſacrificium in templo manibus ſuis ſuſcepturus , tantis ſupernaturalibus habitibus expolitus introducitur, vt poſteris hoc daretur exemplum,quo inſtructi attentè conſiderent,quanta puritate , ſanctitatéque ad Chriſtum hoſtiam viuam in Sacramento altaris ſuſcipiendum accedere debeant. Cùm Iacob profectus eſſet de Meſopotamia , & ad Iſaac rediiſſet patrem ſuum , veniſſétque in Sichem , erecto ibi altari : *Inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſrael,* Geneſ.33. n. 20. Cùm autem ipſe aſcenderet ad Bethel ad faciendum ibi altare Deo , conuocatâ omni familia ſua,ait : *Abijcite Deos alienos , qui in medio veſtri ſunt, & mundamini,ac mutate veſtimenta veſtra,ſurgite, aſcendamus Bethel,vt faciam ibi altare Deo* , Geneſ.35.n.2. Sed cur ad ſacrificium in Sichem, nec idola relinquuntur,nec veſtimenta mutantur , nec munditie, ac puritate excoli oportebat ; maximè verò ad altare Bethel? Teſte D. Ambroſio *lib. de Iacob , & vita beata.* Carthuſiano,Lyrano,& aliis. *Bethel*, idem eſt,ac Bethleem, quod eſt domus panis,ſeu domus Dei, vt explicat Lyranus : Sacrificium Sichem factum eſt in recognitionem diuinæ maieſtatis ; in Bethel verò in figuram viuifici panis ; hîc ergo tota puritas , & mundities per pœnitenriam,vt explanat Carthuſianus. In nullo alio diuinæ religionis actu tanta virtute expolitus, ac tam à ſordibus alienus oportet vt homo appareat , quàm dum ſe ad cæleſtem accedere præparat panem. Suo Iſraëlitico populo multa mandauit Deus præcepta , & cæremonias , vt patet ex Exodo, & Leuitico ; ac inter hæc omnia decreuit, vt primò egreſſi de Ægypto iuxta fluuium Gehom , qui exiit de Paradiſo , Paſchalem agnum manducarent , *Geneſ.cap.2.num.13.* At cur ad hoc flumen agnus Paſchalis editur ? D.Ambroſius *lib.de Paradiſo cap.3.* ſic ait: *Hic Gehon,iuxta quem lex data eſt Iſraeliticis,cùm eſſent in Ægypto conſtituti, vt ex Ægypto recederent,& ſuccincti lumbos ederent agnum , quod quidem inſigne temperantiæ eſt, caſtos enim , & ſanctificatos oportet Domini Paſcha celebrare.* Agnus Chriſtum Dominum in Euchariſtia repræſentabat ; fluuius verò ſanctitatem dicebat , & caſtitatem ; vt per hoc eſſet manifeſtum,quòd inter legalia omnia , quæ ad tanti Sacramenti figuram pertinebant , maiore puritate, ac cultu tractanda erant.

Quanta puritas ad Euchariſtiam. Geneſ.33. Geneſ.35. Ambroſ. Carthuſ. Lyran. Ambr.

Lucæ 2.n.26. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini.

VERSIONES.

Arabicus. Reuelatum ei fuerat à Spiritu ſancto.

Syriacus. At dictum ei fuerat à Spiritu ſanctitatis, illum non viſurum mortem , vſque dum vidiſſet Meſchicho Domini.

Vatablus. Eratq; ei oraculum editum à Spiritu ſancto.

D.Chryſoſt.de occurſ.Dom. in homil. Niſi priùs videret Chriſtum Domini in carne.

S.Elig. homil. de Purific. Niſi priùs videret Chriſtum Dominum.

EXPOSITIO.

76. DE communi bono ſolicitus reſponſum habuit , non viſurum ſe mortem in corpore, niſi priùs videret vitam in carne. *Et reſponſum acceperat.* Circa petitionem Simeonis retuli multa,*q.16.n.63.* Et quamquam reſponſum aliquando dicatur dari non petenti, ſed operanti , vt ſuperiori cap. *num.* 132. dixi de Magis ; Patres tamen ferè omnes. S.Eligius , Ildephonſus, Chryſoſtomus , Anſbertus docent, quòd ipſe multis precibus Verbi Incarnationem petiiſſet. Et ideo non ab alio , niſi à Spiritu ſancto , reſponſum habuit interiùs diuina reuelatione factum. *Non viſurum ſe mortem.* Phraſis Hebræa eſt , & idem valet, ac mori, ſeu mortem experiri , vt notant Beda, Haymon, Ericus, & alij de Purificatione , *Pſalm.88.num.14.* Quis eſt homo , qui viuet , & non videbit mortem? *Chriſtum Domini* , id eſt , Meſſiam , vt clariùs habet Syriacus. *Chriſtus* , id eſt , vnctus , ideóque omnes Reges dicebantur Chriſti Domini. 1. *Reg.* 16. *num.* 6. 2. *Reg.* 1. *num.* 14. & 16. Et ideo Meſſias dicebatur Chriſtus, tum, quia Rex, tum quia vnctus Spiritu ſancto , *Iſai.11.num.2. Pſalm.44.num.8.*

Eligius. Ildeph. Chryſoſt. Anſbertus. Beda. Haymon. Ericus. Pſalm.88.

QVÆSTIO XXII.

Soluuntur aliquot quæſtiunculæ.

77. Caſſian. PRIMAM excitat Simon Caſſianus lib. 2. c.21. *In magna contemplatione erat iſte homo,Spiritu ſancto monſtrante, in anima ſua Chriſti Sacramenta videbat,cur carneis oculis videre exiuit? Cur ſic videre,reſponſum accipit? Quid igitur eſt,quòd illa viſione intrinſeca non contentus,forinſecã expectabat?* Ac poſt multa ſubdit: *Per hoc datur intelligi,quòd ſenex iſte ſpiritu videns, corpore videre ſatagebat : conformitatem ad diuinas virtutes volebat offerre.* Quamuis Simeon,vt iuſtus,ſpiritualiter Chriſtum videret , oculis tamen corporeis optabat inſpicere,vt ita exterior oculos interiori menti cõformaretur. Ratio verò literalis eſt, quia ipſe deſiderio æſtuabat , vt filius Dei , non ſpiritualiter, ſed realiter, eſſet homo , vt Iſraëlis redemptio in executione fieret.

Exterius interiori conformetur.

78. Quæſtiuncula ſecunda. Quare data Simeoni ſcribitur reſponſio , non verò eius petitio ? Reſpondeo primò. Quia illa faciebat ad hiſtoriæ contextum , quam narrabat Euangeliſta. Secundò. Fortaſſe , quia velocior fuit reſponſio à Deo, quàm preces à iuſto. Cùm Chriſtus Dominus Lazarum reſuſcitare vellet, poſitis in cælum oculis, dixit: *Pater,gratias tibi ago,quia audiſti me*, Ioan. 11.n.41. Sed quomodo ſe auditum dicit,cùm eum petiiſſe non videamus? Quod D.Chryſol.*ſerm.65.* ita ait : *Quòd Pater audierit hoc dicitur , quod Filius petierit,hoc tacetur.* Quod D.Thomas *in citato loco Ioann.* tribuit facilitati,ac velocitati,quia Deus non exaudit , ſecundùm Pſal.9 n.38. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus,vt ita deſiderium , etiam antequam proferantur verba,exaudiat,* Iſai.30.n.19. *Ad vocem clamoris tui.* & Iſai. 65.n.24. *Adhuc illis loquentibus,ego exaudiam.*

Deus velociter exaudit iuſtum. Ioan.11. Chryſol. D.Thom. Pſalm 9. Iſa.30.& 65.

79. Quæſtiuncula tertia. Quare,cùm multi in populo Iſraëlitico Chriſti peterent aduentum de ſolo Simeone,legitur habuiſſe reſponſum? Ad quod dico. Tum,quia ipſe iuſtus erat;tum quia Iſraëlis conſolationem erat expectans:qui enim de communi bono, ac conſolatione eſt ſolicitus,reſponſione inter omnes dignus eſt. Cùm Dominus ob peccata populi,ad eum delendum iratus eſſet , ob deprecationem Moyſis placatus dixit ei : *Dimiſi iuxta verbum tuum*, Numer.14.num.20. Similiter poſt commiſſum adulterium , & homicidium, Nathan prædixit Dauidi,eiuſque familiæ malum, qui ait: *Peccaui Domino; dixitque Nathan ad Dauid , Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg.12.n.13. At Regi Ezechiæ poſtquam ab Iſaia denuntiatur malum filiis ſuis venturum, dicenti : *Bonum verbum Domini , quod locutus eſt, fiat tantùm pax,& veritas in diebus meis*, Iſai.39. num. vlt. vbi Rex loquitur per modum petitionis,& rationis : *Fiat pax,& veritas* ; & tamen ei non reſpondetur. Sed cur Dominus Dauidi , & Moyſi,non verò Ezechiæ reſpondet ? Ille de bono communi,hic verò de ſe tantùm agebat ; & qui de omnium vtilitate ſolicitus eſt , à Domino reſponſum maximè impetrat. Gloſſa Ordinaria ad citatum locum Iſai. ita ait : *Debuit* , ſcilicet Ezechias, *peccatum ſuum cum Dauid confiteri,& iram Dei remouere à poſteris , aut compati cum Moyſe,qui dixit: Dimitte eis hanc noxam,aut dele me de libro , quem ſcripſiſti. Quod quia non fecit, propterea non reſpondet ei , ſed conuerſus ad populum dicit : Conſolamini.*

Qui de bono cõmuni agit, reſponſis dignus. Num.4. 2.Reg 12. Iſai.39. Gloſſ.Ord.

80. Haymon. Quæſtiuncula quarta. Excitat Haymon *homil. de Purificatione.* Quomodo,ait,dicitur de Simeone , non viſurum ſe mortem , cùm mors potius claudat oculos , quàm aperiat ? Reſpondet ipſe primò , quòd hoc loco, videre mortem,idem eſt, ac experiri mortem , vt dixi in expoſitione. Secundò. Mors peccatoribus oculos ligat ; patefacit verò iuſtis , vt æternam videant felicitatem. Tertiò. Iuſtus mortem videt , quia eam multo ante præmeditatam habet , ideoque non ab illa ſubitò , ac inſperata occupatur die , ſed ipſe eam præoccupat ; è contra verò peccatoribus accidit , qui illam non vident , cùm de ea minimè cogitant.

Iuſtus videt mortem.

81. Galfrid. Quæſtiuncula quinta. Cur Dei ſapientia non ordinauerit , vt Simon veniret in Bethleem ad præſepe,ſicut ibi ad ſe adduxit paſtores,& Reges. Reſpondet Galfridus *in Allegorijs Titelm.* ad illa verba, *Nunc dimittis*,ſic ait: *Venerant prius paſtores ad Dominum, venerant & ſyderum contemplatores: Simeon forſitan venire non poterat,ipſe ad eum venire dignatus eſt,& præuenire eum in benedictione dulcedinis.* Deus omnia diſponit ſuauiter, ſe vniuſcuiuſque naturæ , ac imbecillitati accommodans. Paſtores prope præſepe excubabant. Magi facilè,& abſque multo labore,camelorum dorſo euehi poterant. At Simeon valde ſenex , laborans iam confecta ætate , fortè durè extra Hieruſalem ferri poterat , & ideo ei vult Dominus occurrere in templo. Valde enim conſentaneum eſt id ab homine requiri , quod ipſe abſque magno laboris diſpendio ſua poteſtate agere valet.

Cuiuſcũque viribus accommodandum.

Lucæ 2.n.27. Et venit in ſpiritu in templum; & cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.

VERSIONES.

Syriacus. Hic ipſe venerat per ſpiritum in templum, quumque introducerent parẽtes Ieſchua puerulum, vt agerent pro eo, ſicuti prȩceptum fuerat in lege.

Vatablus. Venitque inſtinctu ſpiritus in templum: quum autem inferrent.

Gallican. homil. de Purificat. Spiritu iubente, venit in templum.

S. Paul. Epiſt. 3. ad Aug. Spiritu agente, venit in templum.

EXPOSITIO.

82. Caiet. SIMEON, vt ait Caietanus, non excitatus ab homine, ſed vocatus à Spiritu ſancto, à quo reuelationem habuit, quòd tunc inueniret Chriſtum, venit in templum, Hugo. vt bene aduertit Hugo, ſic debet in templum iri, non cupiditatis inſtinctu, ſed Spiritu Deum venerandi. *Parentes eius*, ſcilicet Virgo, & Ioſeph. Virgo verè parens, Ioſeph verò putatiuus. *Loquendum iuxta communem opinionem.* Tamen abſolutè dicuntur parentes: nam frequenter Scriptura loquitur iuxta temporis, & hominum opinionem. *Secundùm conſuetudinem legis*, ſcilicet offerre pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum; & eum ſiſtere, ac præſentare ante Deum, ac quinque ſiclorum pretio redimere, vt notant Carthuſianus, Cardinalis Hugo, & Toletus. Carthuſ. Hugo. Tolet. Et notanter ait Euangeliſta, non ſecundùm legem, ſed ſecundùm conſuetudinem legis: quia quòd filius præſentaretur, & redimeretur ſimul in die purificationis cum matre, erat ex conſuetudine legis, vt dixi ſuprà *quæſtione 1. num.8.*

QVÆSTIO XXIII.

Quare dicatur, quòd venerit in ſpiritu in templum, & quomodo cognouerit Chriſtum?

83. CERTVM de fide eſt, quòd habuerit Simeon à Spiritu ſancto reſponſum, ante mortem viſurum Chriſtum; Certum etiam eſt, quòd ipſe à Spiritu ſancto fuerit motus, vt in hac purificationis die veniret in templum. An verò paulo antè, verbi gratia, in domo ſua reuelationem habuerit, quòd tali die Chriſtus ab eo eſſet videndus? Iuuencus. affirmant Iuuencus *in ſuis carminibus*; D. Cyprianus *lib. de Immortalitat.* Cyprian. Timotheus Hieroſolymitanus *de prophetia Simeonis.* Timoth. Et hæc ſententia mihi placet: quia Prophetæ cognoſcebant ea, quæ fiebant, & dicebant ex inſtinctu Spiritus ſancti, vt docent Diuus Epiphanius *lib. 2. hæreſi* 48. Epiphan. Diuus Hieronymus *in præfatione Iſaiæ*, Hieron. & Theologi cum D. Thoma 2.2. *quæſt.* 171. *artic.* 1. D.Thom. Ergo cùm Simeon inſignis eſſet Propheta, vt patebit ex infrà dicendis, optimè cognouit, ad quem finem Spiritus ſanctus eum mouebat aduenire in templum, nempe ad videndum Chriſtum Dominum; cui Simeon gaudio, & lætitia occurrit ingenti, qui, vt teſtatur Timotheus *citatus*, Timoth. videt Virginem diuino ſplendore circundatam, hocque indicio reliquas inter fœminas Meſſiæ matrem eſſe cognouit. Carthuſianus ait: Carthuſ. Forſitan vidit diuinum quendam ſplendorem in vultu pueri. Ratio tamen principalis. Cognouit Chriſtum Spiritus ſancti illuſtratione, qua interiùs illuminatus eſt.

Secundò. D. Chryſologus *ſerm. de occurſu Domini, in homiliario*, 84. Chryſol. ita ait: *Sæpenumero iam ante eò venerat, ſed propriæ voluntatis propoſito: tunc autem quaſi Spiritus ſancti manu ductus opportunè venit, nempe vt factæ promiſſionis fidem tandem aliquando expletam videret.* *Ex obedientia cognouit* Quamuis Simeon multoties veniret in templum, id tamen ad quod tanto deſiderio anhelabat, numquam, niſi modò, inuenit, quia non propria voluntate, ac induſtria, ſed Spiritu ſancto mouente ac excitante venit: nec enim bonum nobis aliquod contingere poteſt, niſi ex Deo, dúmque ei obedientiam præſtamus. Tertiò. D. Ambroſius *ſerm. 20. de tempore*, Ambroſ. ita ait: *Multum iſte ſenex fuit ad audiendum ſerus, ſed ad videndum maturus: non expectauit, vt Chriſtum audiret loquentem, quoniam videbat infantem.* Dum Chriſtum puerum videt, non maiora ſigna requirit, ſed ibi latentem Diuinitatem agnoſcit, ipſa infantis humilitas Deitatis celſitudinem oſtendebat. *Humilita. Chriſti diuinitatem oſtẽdebat.*

Quartò. Paſtores, & Reges, ad præſepe, vt Chriſtum inuenirent, acceſſerunt, 85. vt tamen à Simeone adoretur, ac recognoſcatur, ipſemet Dominus venit in templum, in quo adeſt Sacerdos tum vt in templo, *Sacerdoti magna habenda reuerentia.* in quo Deo miniſtrando in officio ſuo ſeruierat, ibi præmium, ac remunerationem iuſtus obtineat: tum quia Deus honorem hunc Sacerdoti voluit haberi. Poſt quinque deuaſtatos Reges victori Abrahamo, *Egreſſus eſt Rex Sodomorum in occurſum eius, at verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum benedixit ei*, Geneſ. 14. num. 17. Geneſ. 14. Vbi, vt notat Cornelius à Lapide, & alij Recentiores, Cornel. videtur Abraham ex Dan, & conualle Saue, ſiue illuſtri domum rediens in Hebron, ſiue ad conuallem Mambre, nonnihil deflexiſſe versùs Salem ad Melchiſedech, vt per eum pro adepta victoria Deo gratias ageret, & ſacrificaret. Sed cur Rex Sodomæ potentiſſimus Abrahamo obuiam venit, non verò Melchiſedech, cùm iuxta D. Hieronymum *in quæſtionibus Hebraicis*, Hieron. eſſet Sem filius Noë Abrahæ valde conſanguineus? Ille Rex magnus, hic verò Sacerdos Deo conſecratus: Rex Abrahamo in occurſum exeat; ad Sacerdotem verò ob tantæ dignitatis reuerentiam Abrahamus viam inſtituat.

Lucæ 2.n.28. Et ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit.

VERSIONES.

Syriacus. Suſcepit eum in vlnas ſuas.

Vatablus. Ipſe quoque accepit eum in vlnas ſuas, & laudauit Deum.

Aliqui Recentiores. Tunc ipſe accepit.

EXPOSITIO.

86. SINE dubio legendum eſt cum noſtra vulgata, *Et ipſe accepit.* Coniunctio illa *&*, connectit hoc cum dictione antecedenti; & indicat, quòd cùm parentes Ieſu facerent ſecundùm legem, ipſe vt Sacerdos accepit, vt Deo præſentaret. Origenes. Origenes *hom. 2.* ait: *Conſidera quanta diſpenſatio præceſſerit, vt Filium Dei Simeon mereretur tenere. Primum reſponſum à Spiritu ſancto acceperat, non videre ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Dominum. Deinde non fortuitò, ſed in ſpiritu venit in templum.* *Ad Euchariſtiam magna præparatio.* Qui Chriſtum ſumit, multa indiget præparatione. Et eum inter brachia accepit, per quæ moraliter, vt ait Hugo, Hugo. noſtræ ſignificantur operationes, ad innuendum, quòd per bona opera ad ſalutem venitur, 1.Cor.3. 1.Corinth.3.num.9. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem.* Et non vna accepit manu, Bonauent. vt aduertit D. Bonauentura, ſed vtraque; quia tota virtute noſtra debemus Domino famulari. Sicut Aod, qui vtraque manu pro dextera vtebatur, Iud.3.num.15. Iudic. 3. *Accepit in vlnas.* Carthuſ. Plus, vt bellè ponderat Carthuſianus, accepit, quàm ſibi promiſſum; dictum ei fuerat, viſurum Chriſtum; ipſe verò manibus tenet. *Et benedixit Deum*, id eſt, laudauit ob myſterium Incarnationis, ac redemptionem Gentium, & beneficium ſibi conceſſum, vt Chriſtum videret, ac inter brachia haberet, & ideo prius vidit, quàm protulerit aliqua verba, & tunc cecinit canticum ſuum. Hoc indicat illa coniunctio, *Benedixit Deum, & dixit:* *Chriſtus laudatur in natiuitate, blaſphematur in morte.* Dum Chriſtus naſcitur, vnus Simeon laudes eius intonat. Dum verò moritur, circunſtantes blaſphemant. *Prætereuntes autem blaſphemabant eũ; ſimiliter, & principes Sacerdotum*, Matth.27.n.39. Matth. 27. Cùm exoritur Sol iuſtitiæ Chriſtus in mundo per ſui manifeſtationem, ac prædicationem. Petrus eum confitetur eſſe Filium Dei, *Matth.16. n.16.* Dum verò mortis tempus appropinquabat, Matth. 26. *Relicto eo, omnes fugerunt*, Matth.26.n.56.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm priùs fuerit Canticum Simeonis, & poſtea legalia circa Chriſtum Dominum adimpleta?

87. CERTISSIMVM eſt, quòd in templo pro Chriſto Domino facta fuerint legalia omnia, ſcilicet præſentatio, oblatio turturum, vel columbarum, ac redemptio quinque ſiclis. An verò

hæc prius facta fuerint, quàm Simeonis Canticum, illiuſque verba prolata? Euangeliſta clarè non explicat. Mihi tamen dicendum videtur, quòd priùs Simeon cantico ſuo Deum laudauit, *Prius canticum, quàm legalia.* ac infraſcripta protulit prophetica verba; & poſtea legalia circa Chriſtum, ſaltem maiori ex parte facta ſunt. Probatur. Quia huiuſmodi legalia adimplebantur, dum Sacerdos è matris manibus puerum accipiebat; & ita infantem Ieſum è Virginis manibus Simeon ſuſcepit, vt tradit Irenæus *lib.3. c.18.* Irenæus. Sed vbi primùm manibus puerum tenuit, ſtatim cantico ſuo diuinas cecinit laudes. *Et ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deũ, & dixit*; hoc enim indicat illa coniunctio *&*. Item quòd omnia legalia poſt verba Simeonis facta fuerint, apertè ſignificat Euangeliſta, dum poſt huiuſmodi verba ait infrà hoc c.2. n.39. *Et vt perfecerunt omnia ſecundùm legem, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth.*

Sed cur decreuit Deus, quòd priùs eſſent Simeonis verba, & poſtea legalia omnia circa puerum adimpleta? 88. Reſpondeo. Quòd ratio à priori diuina voluntas. Coniectura verò primò, quia totum canticum in gloriam, & laudem Chriſti compoſitum eſt: *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* *Deus honorantes ſe honorat.* Legalia illa in Dei reuerentiam, cultúmque fiebant; & quia Chriſtus legi ſe ſubiecit, vt Patrem glorificaret, ideo Æternus Parens, primò, & ante omnia ſuum filium voluit honorari, eiuſque laudes tam magnifico cantico diuulgari. Secundò. Simeon Spiritu ſancto plenus erat, ipſoque reuelante Chriſtum Dominum cognouit, non ſolùm quando tenuit in vlnis, verùm etiam antea, vt ſuperiori quæſt. dixi *in principio*, ex Timotheo, & aliis: ob ingentem ergo animi affectum gaudiúmque in hæc admirabilia verba prorumpit; Deus enim omnia accommodatè, & ordinatè iuxta naturam rerum diſponit.

CAP. VI.

Canticum, ac verba Simeonis.

Lucæ 2.n.29. Nunc dimittis ſeruũ tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.

VERSIONES.

Syriacus. Nunc dimitte ſeruũ tuum, Domine mi.

Theophylact. Nunc abſoluis ſeruum tuũ.

Aliqui ex radice Hebraic. vt Vatablus in ſchol. Iam ſines hinc migrare.

D. Athanaſ. lib. de communi Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſſentia. Secundùm verba tua in pace.

EXPOSITIO.

1\. CHRISTI hîc multo maiora diuulgantur præconia, quàm antea, nec in præſepio, nec in circunciſione audita fuerant; quanto enim quis ſe humiliat, tanto magis exaltatur. In præſepio, vt pauper, Chriſtus apparuit, in Circunciſione, vt peccator; hic autem in præſentatione, & vt pauper in oblatione, & vt peccator, tanquam filius mulieris quæ purificabatur; ideo, Spiritu ſancto dictante, maxima Chriſti encomia decantantur. In quorum exordio cygneus noſter Simeon ait: *Nunc dimittis*, id eſt, nunc me abſoluis, ſeu ex hoc ergaſtulo migrare iubes, *ſeruum tuum*. De ſe in tertia loquitur perſona; præ humilitate enim, ſe ſeruum Dei dicere, ac publicare non audet. *Secundùm verbum tuum*, id eſt, promiſſionem mihi factam. *In pace*, hoc eſt, in Chriſto, qui eſt pax noſtra. *Domine*, ſub quo Chriſtum Dominum intelligunt Euthymius, Theophylactus: tanquam cum ipſo loquatur Simeon. D. Athan. verò *lib. de communi eſſentia*, D. Paſchaſius, Cardin. *lib. de Spiritu ſancto, c. 7.* ad Spiritum ſanctum referunt. Tamen Haymon *hom. 2.* Carthuſ. ad Patrem, ſeu totam Trinitatem, cuius opera ad extra ſunt communia, orationem dirigunt

Vbi maior humilitas, ibi maior exaltatio.

Euthym. Theophyl. Athan. Paſchaſ. Cardin. Haymon. Carthuſ.

QVÆSTIO I.

Quare dixerit Simeon: Nunc dimittis?

2\. SIMEON ingenti perfuſus gaudio, dum ſpei ſuæ videt fructum, vt ponderat D. Chryſolog. *ſer. 106.* ita ait. *Vnde Sancti illi, quia venturum longa patientia ſuſtinebant, veniſſe fideli gaudio ſunt gauiſi: ex iſtis erat Simeon ille, cui promiſſum erat, vt non videret mortem, donec videret Chriſtum Domini, quem habens in vlnis, in talem vocem prorumpit: Nunc dimittis.* Poſſeſſio poſt ſpem longam magnum ingerit gaudium, & ideo Simeon dum obtinet, quod tandiu deſiderauerat, exultat lætitia magna, & ait:

Chryſol.

Ratio gaudendi poſſeſſio poſt ſpem.

3\. *Nunc dimittis.* Quæ verba Origenes *hom. 15. in Lucam*, D. Ambroſius, Beda, Zacharias Epiſcopus, Lyranus interpretantur eſſe optantis mortem. Et ita explicat Carthuſianus: *Supplico, vt dimittas me.* Tamen cùm omnia tam Græca, quàm Latina exemplaria habeant, *dimittis*, de præſenti, genuinus ſenſus mihi videtur, quòd cùm Simeon à Spiritu ſancto reſponſum haberet, non viſurum ſe mortem, donec videret Chriſtum, viſo ipſo, intelligit ſe citò moriturum, vt notant D. Cyprianus *de immortalitate*. D. Iulianus Archiepiſcopus *li. 1. Prognoſticon, c. 13.* qui ita ait: *Simeon, viſo Chriſto, ſciuit, ſe citò moriturum. Lætus itaque de morte iam proxima, & de vicina accerſione ſecurus accepit in manus puerum, & exclamauit, & dixit: Nunc dimittis.* Quamuis ergo Simeo in articulo mortis non eſſet conſtitutus, quia tamen in proximo mortem eſſe credebat, ideo tanquam moriens præſenti tempore loquitur; ſicut Iſaac ante mortem tanquam moriens benedixit filiis ſuis.

Origen. Ambroſ. Beda. Zachar. Lyran. Carthuſ.

Cyprian. Iulianus.

4\. Sed quare vehementi conatu mortem affectat quod magis pertinet ad primam expoſitionem? Reſpondeo primò. Quia, viſo Chriſto, qui eſt gloria, & ſplendor Patris, nihil aliud iuſtus videre deſiderat. Secundò. Origenes *hom. 15. in Lucam*, ita ait: *Quandiu Chriſtum*, ſcilicet Simeo, *non tenebat, quandiu illum brachijs non arctabat, clauſus erat, & de vinculis exire non poterat. Hoc autē non ſolùm de Simeone, ſed de omni humano genere ſciendum eſt: ſi quis egreditur de mundo, ſi quis è carcere, vinctorum domo dimittitur, vt ad regnandum vadat: ſumat Chriſtum in manibus ſuis, & circundet eum brachijs ſuis, totum habeat in ſinu, & tunc exultans ire poterit, quò deſiderat.* Bonus ſenex, etſi huc vſque mortem formidaret, tamen, cùm manibus Chriſtum amplectatur, iam non timet ſecurus de regno, ad omnemque cum ipſo felicitatem poterit pertranſire.

Origenes.

Qui Chriſtū habet, ſecurus eſt de regno.

Timotheus Presbyter Hieroſolymitanus *orat. de occurſu Domini cum Simeone*, ita loquitur: *Nūc dimittar, non hîc detinear, Spiritus ſanctus eſt in me, & video res tuas, atque ea, quæ tibi euentura ſunt. Nunc dimittar, ne videam popularium, & cognatorum Iudæorum aduersùs te audaciam, ne videam ſpineam coronam necti, ne videam te à ſeruo alapam accipientem: ne videam Soli tenebras offundi, ne videam Lunam minui, ne videam elementa immutari. Nam ipſa etiam elementa non ferentia audaciam Domino condoleſcunt.* Mortem appetit, quaſi non ſuſtinens præ amore, quo erga Chriſtum afficiebatur, eius acerbam paſſionem intueri. Deinde ne conſanguineorum ſuorum in Chriſtum deſæuientium peccatum videat, tum propter ipſius peccati grauitatem; tum propter ærumnas, ac deuaſtationes ex illo Hieroſolymis euenturas. Quartò. D. Auguſt. in Pſ. 39. *Simeon*, ait, *agnouit infantem in manibus matris in templo & dixit: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuū. Agnouit infantem ſenex, factus in puero puer, innouatus in fide.* Preme illa verba, *agnouit infantem in manibus matris.* Manus Mariæ lucem dant, & multum conducunt, vt Deum videamus, & agnoſcamus. Ait ſanctus Pater de Simeone: *Innouatus de fide.* Generoſos ſpiritus concepit ſenex, & mortem non timet, quia fide renouatur, & qui magna fide fertur in Deum, mortem & omnia huius ſæculi contemnit. 5.

Timoth.

Mors Chriſti iuſtos magno afficit dolore.

Auguſt.

Maria adiuuat ad Deum videndum.

Vbi magna fides, ibi contemptus mortis.

Quintò. Beda hîc: *Ideo*, ait, *nos à peccatorum ſcandalo abſoluens Dominus, iam in pace reconciliatos, paſſibus amoris propinquare cæleſtibus facit, qui fidei oculis ſalutare tuum Chriſtum Dominum in membris eius intueri, eúmque pijs operibus amplecti meruimus.* Securum finem ſibi autumat, & promittit ſanctus ſenex, quia ſalutare Dei iam videbat; ex quo nobis etiā liceat coniecturari, quòd ille, qui Chriſtum Dominum in ſuis membris, ſcilicet pauperibus intuetur, aculeos mortis non timeat, ſed felicem exitum, ac expeditam viā ſibi præparari agnoſcat. Ait Iſai. 58. n. 10. *Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiem tibi Dominus dabit ſemper, animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* & hæc vltima verba ita legit D. Damaſcen. lib. 2. Parallelorum, c. 6. *Et erit Deus tecum ſemper.* Si enim effuderis eleemoſynam tuā pauperi, *tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.* Nempe dies mortis, ac tenebrarum, erit tibi fulgida, & lucida ſicut meridies, & liberabis animam tuam ab omni afflictione, & requiem in Domino habebis. Oleaſter *ibi* ait. *Cùm fueris in maximis anguſtijs, ita ut nullus pateat exitus, orietur tibi lux, id eſt, dabitur tibi modus, quo poſſis anguſtias illas exire.*

Beda.

Eleemoſyna dat felicem mortem, ac exitum.

Iſai. 58.

Damaſcen.

Oleaſter.

QVÆSTIO II.

Quare dicatur dimitti, non verò mori?

6\. MAXIME notandum eſt illud, *Nunc dimittis.* nam cùm antea de promiſſione ſermo eſſet, mors ſcribitur, *non viſurum ſe mortem*; cùm verò Ieſum contemplatur, ac manibus tenet, mors ſiletur, & mutato verbo appellatur dimiſſio, ſeu migratio; quia ad Ieſu præſentiam nulla mors, nec illius ſentitur anguſtia, ſed tantùm vita experitur. D. Ambroſ hîc. *Qui vult dimitti, accipiat in manibus Verbum Dei, contempletur velut quibuſdā fidei ſuæ brachijs. Tunc dimittetur, vt non videat mortē, quia viderit vitam.* Secundò. Dicit dimitti, ſeu abſolui tāquam reus à carcere, atque vinculis; cùm hæc vita noſtra, ob labores, ac peccandi pericula, ſit veluti quoddam ergaſtulum, ac miſeriarū catena. Idem D. Ambr. *li. de bono mortis, c. 2.* ſic ait: *Ita dimitti petit, quaſi à vinculis quibuſdam ad libertatem feſtinaret, ſunt enim velut vincula quædam corporis huius, &, quod eſt grauius, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adſtringunt quadam lege peccati.*

Ad Chriſti præſentiam nulla mors.

Ambroſ.

Hæc vita velut carcer.

Ambroſ.

7\. Expende, quòd vbi ſanctus ſenex in manibus tenet, ait: *Nunc dimittis*, id eſt, in hac hora, in hoc puncto iube me mori, atque ab hac vita migrare. Vbi primum Chriſtum accepit, de morte incepit cogitare, vt ſuo exemplo non inſtrueret, quòd ille, qui ad ſacram accedit menſam, ita ſe præparet, & mundet, ac ſi illico è vita eſſet migraturus. D. Paulus 1. *Corinth. 11. num. 23.* inquit: *Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, &c. Quare non alio tempore? Non alia occaſione? Sed imminente morte? Vt nos doceret, quòd qui hunc vult panem manibus tenere, ore manducare, ita ſe diſponat, ac ſi mortis tempus proximè inſtet; ſicque vult à nobis ſumi cum mortis memoria, vt ait D. Paulus citatus: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortē Domini annuntiabitis.* Quod expendit D. Baſilius hom. 1. in Ioan. 6. *Oportet*, ait, *accedentem ad corpus, & ſanguinem Domini, non ſolum purum eſſe à quouis inquinamento carnis, ac ſpiritus, ne iudiciū edat, & bibat. Sed oſtendere memoriam eius, qui pro nobis mortuus eſt, in eo, quòd mortificatus eſt peccato, mundo, ac ſibi ipſi, & Deo viuit.*

Qui ad Euchariſtiā accedit, cogitet de morte.

1. Cor. 11.

Baſil.

8\. Præcepit Deus filiis Iſraël, quòd comederent Agnum paſchalem. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus*, Exod. 12. n. 11. Agnus ille præfigurabat Chriſtum in Euchariſtia, qui ita à nobis eſt ſumendus, ac ſi eſſemus peregrini, & illico de hoc mundo exituri. D. Chryſoſt. *hom. 52. in Matth.* ſic ait: *Propterea Iudæi exituri de Ægypto expediti, & præcincti agnum iuſſi ſunt manducare, & ad exeundum parati: oſtendentes nobis, quomodo quicumque noſtri Agni Euchariſtiam manducant, ita debēt eſſe expediti, quaſi quotidie exituri de mundo.*

Exod. 12.

Chryſoſt.

QVÆSTIO III.

Quare Simeon ait, in pace dimitti?

9\. EVTHYMIVS tres adhibet ſolutiones. Primò. *Dimitti*, ait, *in pace cogitationum, nunc enim quæ me turbabāt de diuina Incarnatione cogitationes, pacificatæ ſunt.* Secundò. *In pace intrepiditatis: quia deinceps non metuam mortem propter profundam ſenectutem.* Tertiò. *In pace gaudij, quia ampliùs non conturbabor propter Iſraëlis libertatem; iam enim vidi liberatorem.* Quartò. D. Cyprianus *lib. de Immortalitate*, pacem interpretatur ſecuritatem, quæ eſt à mundi huius periculis: non eſt iuſto ſecuritas, dum eſt in hac vita: *ſed quando*, vt ait idem Cyprianus, *Expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus.* Et in hac ſententia eſt Haymon homilia 2. de Purificatione. *Dimitte*, ait, *in pace, quia hactenus fui in bello.* Quintò. Toletus *annotat.* 47. eſt in illa expoſitione prima Euthymij. In pace, hoc eſt, in deſiderij complemento; nam viſo Chriſto, iam nihil aliud habet, propter quod velit permanere in hoc ſæculo. Sextò. In pace, hoc eſt, in Chriſto; ipſe enim eſt pax noſtra, in quo eſt vera conſolatio, & omne bonum totius Iſraël. Ita Origenes *homilia* 2. D. Ildephonſus *homilia de Purificatione.* Guerricus Abbas *ſermone* 3. Diuus Bonauentura *hîc.* Et hæc eſt valdè apta expoſitio, quia ſanctus ſenex totus in Chriſto volebat diſſolui: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*; & ab illo ſeparari nolebat, nec aliud iam videre: & ita à carcere carnis huius mundi diſſolui deſiderat, vt cum Chriſto liberiùs viuere poſſit.

Euthym.

Cyprian.

Extra hunc mundum pax.

Haymon. Toler.

Chriſtus pax noſtra.

Origen. Ildeph. Guerr. Bonauent.

Quæſtionem ſatis ingenioſè mouet hîc Simon Caſſianus lib. 2. c. 21. *Quid eſt*, ait, *quòd hic ſenex non videbatur ſibi de hoc ſæculo migrare cum pace, niſi Chriſtum Dominum taliter aſpexiſſet? Nónne & cæteri Prophetæ Domini, quamquam aliqui fuiſſent crudeli morte perempti, nónne & cæteri ſancti Patres mortui ſunt in pace? Quid iſte tantus ſenex aſcribebat ad pacem? In profecto dixerim, quod alij longa expectatione viderunt, in fide, atque ſpe certiſſimè tenebant, quod ſic futurum erat: incerti penitus erant, quando maieſtas diuina perficeret. Et hinc certi ex fide, ſecuri de ſpe, incerti de tempore ante hunc ſenem Patres cæteri deceſſerunt: iſte verò de tempore certus vitam finiuit in pace.* Ac ſi dicat. Alij Patres, cùm eſſent à longè in ipſa ſpe, in qua certi erant, pacem habebant. At Simeon cùm eſſet valde in proximo, illam non haberet, niſi Chriſtum videret, nam quanto res magis eſt in proximo, magis mouet appetitum ad eam obtinendam. 10.

Caſſian.

Reſpondeo aliter primò. Alij antiqui Patres, vt Abraham, Iſaac, Iacob, quamuis Chriſtum non viderunt, in pace mortui ſunt, in qua, vt dimittatur Simeon, Chriſti requiritur præſentia; inter cæteros enim iuſtos omnes hoc obtinuit peculiare, vt reſponſum haberet; non viſurum ſe mortem, niſi priùs Chriſtum Dominum videret; animus autem noſter, quando ſpe bona, magnáque promiſſione repletus eſt, ſi ab illis euacuatum ſe agnoſcit, maximè anxiatur: vt ergo Simeon in pace dimitteretur, neceſſe erat, vt datis promiſſionibus frueretur. Secundò. Simeon cùm eſſet doctiſſimus, & in diuinis literis optimè inſtructus, multas eſſe ſciebat Dei promiſſiones conditionatas, quæ ob defectum noſtrum, ac demeritum non adimplentur, vt communiter notant ſancti Patres *Geneſ. 13. num. 15.* vbi Deus promiſit Abrahamo: *Omnem terram, quam conſpicis, dabo tibi, & ſemini tuo in ſempiternum*; & tamen hanc hodie non poſſident filij Iſraël. De quo vide *ibi* D. Chryſoſtomum, Carthuſianum, Abulenſem, & alios. 11.

Animus vacuus à ſua ſpe turbatur.

Geneſ. 13.

Chryſoſt. Carthuſ. Abulenſ.

Simeon ergo,vt valde prudens, timebat, ne promiſſio ſibi facta aliquo demerito ſuo impediretur; ideóque cùm Chriſtum vidit, ab his cogitationibus liber, ait, ſe iam dimitti in pace. Aliis verò Patribus cùm huiuſmodi fides data non eſſet,vt in pace,hoc eſt, viſo Chriſto Domino, abirent,Domini præſentia non exoptabatur, ſed ſecura ſpe tantùm contenti erant.

Iuſtus timet gratiam perdere.

Lucæ 2.n.30. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

VERSIONES.

Syriacus. Ecce enim viderunt oculi mei illum tuum miſericordem.

D. Cyril. Alexand. lib.1. in c.61.Iſa. Viderunt oculi mei ſalutem tuam.

Quidam Recentiores ex Hebræo. Viderunt Ieſum tuum.

EXPOSITIO.

12. Odolon. CAVSAM annectit Simeon, cur ſe dimitti dicat;nam, vt ait S.Odolonius ſerm. de Purificatione, *Poſtquam Chriſtum meruit videre, nihil præter ipſum concupiuit videre.* Textus,*Viderunt oculi mei*,vt explicat S.Eligius *ſerm. de Purificatione*,tam interiores,quàm exteriores. Interiores Deum, exteriores hominem: ipſum enim,quem in brachiis tenebat, verum Deum, & hominem credidit. *Salutare tuum*,hoc eſt,filium Dei Incarnatum, ſeu Chriſtum Dominum, qui frequenter in Scripturis ſalutare nuncupatur. *Geneſ.*40.*n.*18. *Pſal.*50.*num.*14. *Iſai.*32. *num.*10. *Habac.*3.*num.*18. In Pſalmis dicitur *ſalutare Dei*, & *ſalutare hominum*.Dicitur *ſalutare meum*,prout ſalutem hominum operatus eſt; dicitur etiam *ſalutare tuum*, ſcilicet Dei,quia iam ſalutem operatus eſt, quàm ſolus Deus potuerat donare. Vel quia ille filius eſt de ſubſtantia Patris. Vel denique, quia adeò magnam agnouit eſſe Æterni Patris erga homines benignitatem, vt noſtram ſalutem ſuam propriam reputaret.

Eligius.

Lucæ 2.n.31. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

VERSIO.

Syriac. D. Hieron. in c.51. Iſai. Quod præparaſti in conſpectu omnium populorum.

EXPOSITIO.

13. Procop. PROCOPIVS *in cap.25. Iſaiæ* illud, *paraſti*, ad æternam Dei prædeſtinationem refert, qua diſpoſuit Deus ante ſæcula filium ſuum in omnium ſalutem mittere. S. Ildephonſus *ſerm. de Purificatione*, ait: *Simeo prophetice oculum ad futurum diem Iudicij intendit, quando Chriſtus per humanitatem ab omni carne videbitur, vt videat eum omnis oculus, & reddat vnicuique ſecundùm opera ſua.* Tamen communis expoſitio eſt de aduentu Filij Dei in carne humana. Vnde rectè notat Hugo, quòd non dixit de præſenti *paras*,ſed de præterito *paraſti*: vt comprehenderet primum aduentum Filij Dei in vtero Virginis; quia ex tunc paratus eſt in conſpectu omnium populorum.Et ait,*paraſti*, vt notat ipſe Hugo: *Sicut miles paratur ad bellum,ita ſcilicet carne, quaſi armis induiſti ad debellandum aduerſarium noſtrum.*Textus,*Ante faciem.* Quia Chriſtus eiuſque doctrinæ veritatis occultos angulos non quærit,vt hæreſis facit, ſed publica & manifeſta loca.Deinde nõ ait,à tergo;ſed, *ante faciem*, ſeu in conſpectu; omnes enim nos in Chriſtum debemus oculos intentos, ac defixos habere, ad videndum illum,& ſequendum. *Omnium populorum*;tam Iudæorum, quàm Gentilium:non huic, vel illi, vt notant Euthymius, Chryſoſtomus *de occurſu Domini in homiliario*, ſed omnibus populis datur in ſalutem.

Ildephonſ. Hugo. *Doctrina Chriſti publicum quærit.* Euthymius. Chryſoſt.

Lucæ 2.n.32. Lumen ad reuelationem Gentium,&gloriam plebis tuæ Iſraël.

VERSIONES.

Syriacus. Lumẽ ad reuelationem Gentium, & gloriam populo Iſraël.

Vatablus. Lumen ad illuſtrationem Gentium.

Aliqui ex Hebræo. Vt lumen det Gentibus.

EXPOSITIO.

14. SALVTARE *tuum*, ſcilicet Chriſtum verum Meſſiam, quod paraſti ante faciem omnium populorum, appoſitiuè *Lumen ad reuelationem*, &c. Hoc eſt, ad dandam lucem Gentibus, & gloriam magnam allaturum populo Iſraëlitico. Appellat hîc Chriſtum gloriam, & lumen; videtur alludere ad antiquas prophetias, Iſai. 60. num. 1. & 2. *Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Et multis aliis in locis dicitur *lumen*: *Ioann.1.num.9. & 8.num.12. & 9.n.5.* Sicut etiam dicitur *gloria*. Iſai.46. n.13. *Videbunt cuncti Reges inclytum tuum*,Iſai.62.n.2. Septuaginta *gloriam tuam*.

Iſai.60. Iſai.46.& 62.

QVÆSTIO IV.

Soluuntur quatuor quæſtiunculæ?

15. MVLTA hîc breuiter veniunt inquirenda Et primò. Quare dicitur *lumen Gentium?* de hoc vide ſuprà *lib.1. cap. 1. quæſtion.36. & 37.* Hîc maximè notandum eſt, quòd eum, quem ſuprà appellauerat ſalutare, *Viderunt oculi mei ſalutare tuum*; nunc dicit *lumen*; omnis enim Dei notitia, ac lux valde ſalutifera eſt homini: & omne repellit malum, ad omnéque

Dei notitia ſalutaris.

trãhit bonum. Et priuſquam hîc dicatur *lumen Gentium*, ante illuminauit Iudæos, dum claritas Dei circunfulſit paſtores, *Lucæ 2. num. 9.* Et Gentiles,dum ſtella Magos adduxit,*Matth.2. num.2.*

16. Euthymius. Theophyl. Beda. Secunda quæſtiuncula: Quare dicitur *gloria Iſraël?* Reſpondent primò, Euthymius, Theophylactus, Beda. Quia ex Iſraëlitis Chriſtus eſt progenitus, ex eorumque genere carnem ſuſcepit. Secundò. Quia ſuam illis præſentiam præbuit, multáque apud eos operatus eſt miracula. Tertiò. Quia, vt ait Beda, Deus prophetias populo promiſſas adimpleuit,ac eorum ſpem,quam per longa habebant ſæcula, non eſſe vanam confirmauit:& magnæ gloriæ, ac iucunditatis eſt,rei longè ſperatæ poſſeſſio. Quartò. Titus Boſtrenſis alteram addidit cauſam,quia multos ex Iſraël in cæleſtem gloriam euexit. Et Carthuſianus. Quia antiquos Patriachas ex Limbo ad gloriam tranſuexit At ratio quarta, non videtur multum efficax, quia magna per Chriſtum Gentium multitudo eſt ſaluata; imò multo plures ex Gentibus, quàm ex Iudæis. Et vt dicam, quod ſentio; per *Iſraël*, non intelligo Iſraëliticum populum; ſed cum D.Chryſoſtomo *orat.de occurſu Domini*, Theophylacto, illi ſignificantur, qui ſunt verè Iſraëlitæ, quique conuerſi ad Dominum Ieſum Chriſtum verum Meſſiam confeſſi ſunt. Et horum dicitur Chriſtus Dominus gloria.

Boſtrenſ. Carthuſ. Chryſoſt. Theoph.

17. Tertia quæſtiuncula. Quare Simeon ita diuidit, vt dicatur lumen Gentium, & gloria populi Iſraëlitici? Et ratio difficultatis eſt, quia Chriſtus Dominus aduentu ſuo, non ſolùm Gentiles, ſed etiam illuminauit Iudæos,iuxta illud Ioan.1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*Et ei ſpecialiter dictum eſt:*Surge illuminare Hieruſalem,quia venit lumen tuum* Deinde Chriſtus Dominus non ſolùm eſt gloria populi Iſraëlitici,ſed etiam Gentilis, cùm per Chriſtum beatitudinem conſequantur, ac filij fiant adoptiui, quo nullum poteſt maius eſſe decus. Reſpondeo, quòd licèt Chriſtus Dominus omnes illuminet tam Gentiles, quàm Iudæos, qui erant in tenebris peccatorum; tamen cùm Iudæi vnius veri Dei haberent fidem, qua carebant Gentiles, ideo horum peculiariter dicitur *lux*; plus enim fuit,hos illuminare, qui ad ſimulachra ducebantur, quàm illos, qui per fidem erant iuſtructi. Ita Haymon *homil.1.* Dicitur verò ſpecialiter *gloria Iſraël*,ob rationes datas in ſecunda quæſtiuncula.

Ioan.1. Haymon.

18. Quarta quæſtiuncula: Quare præponitur reuelatio Gentium gloriæ Iſraël?Reſpondent Haymon *homil. 1.* Ericus homilia de Purificatione. *Prius*,ait,*ad reuelationem Gentium*,*deinde ad gloriam Iſraël veniſſe dixit*,*quia prius Gentiles*,*quàm Iudæos credituros eſſe præuidit.*Quod poteſt corroborari ex Paulo ad Roman.11. num. 25. dicente; *Cùm plenitudo temporis intrauerit,tũc omnis Iſraël ſaluus fiet.* Hæc tamen expoſitio coincidit cum illa Boſtrenſis, quam retuli quæſtiuncula ſecunda. Qui per hæc intelligit gloriam & beatitudinem, quam plures ex Iſraël conuerſi ad fidem conſequuntur. Tamen; vt dixi ex Chryſoſtomo, & Theophylacto, non ad finem mundi, ſed ad præſens tempus, de quo loquebantur, ſermonem ſuum refert; & ponit priùs reuelationem Gentium, quia hoc erat in magnam gloriam Iſraël, præcipuè Iuſtorum, quòd Gentes ambulantes in tenebris illuminarentur.

Rom.11.

Lucæ 2.n.33. Et erant pater Ieſus, & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.

VERSIONES.

Syriacus. Arias. Ioſeph autem,& mater eius mirabantur.

Vatablus. Tenebãtur autẽ pater eius, & mater admiratione.

EXPOSITIO.

19. AVDIENTES Ioſeph, & Maria Virgo,quæ à Simeone dicebãtur, glorificabant Deum, vt notat Diuus Chryſoſtomus *homilia de occurſu Simeonis. Et erant mirantes*, ait Euãgeliſta.Et mirabantur,cùm eſſent de Chriſto mirabilia illa, quæ dicebantur. Origenes *homil.16.& 17.*Haymon *homilia de hoc Euangelio*, Carthuſianus *hîc*, referunt admirationem hanc, ad omnia quæ à prima conceptione vſque ad illum acciderant diem,tam quæ ab Angelis, quàm quæ à paſtoribus, & Magis audita erant. Congruenter tamen Euthymius, Græcus Author *in Catena*, Beda, & alij hanc admirationem intelligunt de illis, quæ in templo à Simeone dicta erant; nam verbum illud,*ſuper hîc*, proximè, & non tam remotè dicta reſpicit.

Chryſoſt. Origenes. Haymon. Carthuſ. Euthym. Græcus. Beda.

QVÆSTIO V.

Quare Ioſeph dicatur Chriſti pater?

20. Irenæus. Epiphan. VT rem hanc ſemel explicemus, quæ multis hæreticis occaſio extitit turpiſſimè errandi,vt referunt D.Irenæus *lib.3.cap.24.* D.Epiphanius *hæreſi 28.* Certiſſima fide tenendum eſt, Ioſeph non eſſe verum Chriſti patrem, nec Chriſtum Dominum eſſe ab ipſo genitum, ſed tantùm de Spiritu ſancto ſine ope viri conceptum, vt dixit Angelus ad Virginem, & ad Ioſeph ad expellendam de tumore vteri admirationem, *Lucæ.1.num.25.Matth.1.num.20.*Quomodo ergo dicitur Ioſeph pater Chriſti? Origenes exiſtimat ſic dictum; quia nutritus erat. Ita ait homil. 19. *Honorauit eum Spiritus ſanctus patris vocabulo, quia nutrierat Saluatorem.*Quòd idem Origenes magis explicat citato loco. *Ne miremur*, ait, *hos*, ſcilicet Ioſeph, & Mariam, *Parentes vocari*; *quorum alter ob partum,alter ob obſequium, patris, & matris meruerunt vocabula.*Qui enim in tui miniſtratione ſe tibi exhibet,vt patrem,eum vt patrem venerari debes.

Origen. *Deus titulo parentis honorauit Ioſeph.*

21. Cyrillus. Secundò.D. Cyrillus Hieroſolymitanus ſentit ſic dictum,tum ob proximam rationem; tum ob ſingularem in Chriſtum amorem. Ita ait Carthuſianus. *Sicut Maria mater Ioannis dicitur propter dilectionem, & non propter generationem; ita Ioſeph pater Ieſus propter curam, vel dilectionem vocatus eſt, & non propter generationem.* Tertiò, D.Auguſt.*lib.2.de conſenſu Euangeliſtarum,cap.1.* Haymon aſſerunt,dici Patrem Chriſtum adoptione;erat enim Ioſeph verus Virginis coniux, quæ Chriſti Domini mater erat: ſi enim aliquis beneuolentiâ in filium adoptatur, multo magis ratione contracti matrimonij cum matre, præci-

Eximius Ioſeph amor in Chriſtum. Auguſt. Haymon.

puè cùm propter Chriſtum fuerit Virgo deſponſata Ioſeph. Quartò. Idem D. Auguſtinus, & Hieronymus *contra Heluidium*, Beda, & alij multi dicunt appellari parentem vulgi opinione, cùm enim homines myſterium ignorarent, communi fama filius putabatur Ioſeph. Et ideo dictum eſt Luc. 3. num. 23. *Ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph.* Magnæ enim prudentiæ eſt, ſe ſe aliquando communi opinioni accõmodare. Hi omnes Doctores ſenſu abundant ſuo, & ex his omnibus cauſis Chriſtus Dominus Ioſeph filius dici potuit; vltima tamen ſententia magis communis, & inde mihi verior apparet.

Auguſt. Hieron. Beda. Luc. 3.

QVÆSTIO VI.

Quare dicitur Beatiſſima Virgo admirata?

22. RATIO difficultatis eſt; quia admiratio eſt quædam inopinata cognitio, quæ oritur ex viſione effectus, & ex ignorantia cauſæ, vt colligitur ex Ariſtotele 1. *Met. cap.* 2. D. Auguſtino *Epiſt.* 101. *ad Euodium*, D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 32. *art.* 8. A Simeone autem dicebatur, Chriſtum verum eſſe Meſſiam, & Gentes illuminaturum, quæ omnia à Virgine optimè cognita erant, tum in angelica Annuntiatione, tum per Spiritus ſancti reuelationem. Vnde ipſa dixit, in Cantico ſuo, *Eſurientes impleuit bonis*; in quo Gentiles intelliguntur, vt eſt communis ſententia. Vnde Simon Caſſianus, & alij dixerunt, Virginem fuiſſe admiratam, non de verbis, ac rebus, quæ dicebantur à Simeone, ſed quòd ipſe Simeon taliter diceret. At hæc non ſtat cum litera, in qua habetur: *Mirantes ſuper his, quæ dicebantur.*

Ariſtot. Auguſt. D. Thom. Caſſian.

23. Reſpondeo primò, quòd Virgo Maria de illis rebus antea cognitis dicitur admirata, quia nouo quodam proponebantur modo; licèt enim illa omnia per annuntiationem angelicam, vel per Spiritus ſancti reuelationem optimè antea agnoſceret; modò tamen in templo illa coram omnibus publicè, ac manifeſtè audierat à Sacerdote prophetico ſpiritu loquente, & nouus cognoſcendi modus ſufficiens eſt, vt detur admiratio, quam ex hoc capite in Chriſto Domino admittunt Theologi, dum de fide Centurionis dicitur miratus *Matth.* 8. *num.* 10. nam quamuis antea per ſcientiam beatam, & per ſe infuſam optimè agnouiſſet, tunc tamen per ſcientiam experimentalem nouo modo cognouit, vt rectè explicat D. Thomas 3. *part. q.* 15. *art.* 8. *ibi* Caietanus, Suarius, Vaſquius *diſp.* 62. *cap.* 4. & Lorca *diſp.* 61. Raguſa *ibi diſp.* 17. Ita Virgo, etſi omnia illa apertè ei eſſent manifeſta, cùm tamen nouo modo perciperet, admiratur. Et moraliter erat ſatis admiratione dignum, quòd homo publicè contra Herodis voluntatem tam magnificè loqueretur.

D. Thom. Caiet. Suarius. Vaſquius. Lorca. Raguſa.

24. Secundò. Res diuinæ, altáque myſteria, quæ captum ſuperant noſtrum, licèt ſint nota, menti tamen noſtræ ſe ſe ad illa iterum recipienti admirationem cauſant, vt notauit Græcus Author in Catena. *Tranſcendentium rerum notitia quoties in memoriam venerit, toties renouat in mente miraculum.* Ita ille. Vnde ex fide, & ex Dei immenſitatis cognitione hæc oritur admiratio; & nihil illud eſt, quàm tacitè magnificare, ac laudare Deum; & ita hanc explicat admirationem Chryſoſtomus, vt iam notaui in expoſitione. Tertiò. Hoc eſt proprium rerum diuinarum; quanto enim magis penetrantur, tanto mirabilius mentem ſuſpendunt. Euthymius, *Mirabantur*, ait, *propter ea, quæ prius didicerãt, adhuc mirabiliora percipiebantur.* Et huc reſpicit D. Bonauentura, dum ait, quòd mirabantur, quia Chriſtus totus eſt mirabilis, ac proinde quanto magis eſt perfecta creaturæ circa ipſum cognitio, tanto magis admirationem parturit. Quartò. Admirabantur, cùm viderent, quomodo antiquæ prophetiæ, & promiſſiones conueniebant cum his, quæ de præſenti à Simeone dicebantur.

Græcus. *Res diuinæ quanto magis cognoſcũtur, tanto admirationẽ cauſant.* Chryſoſt. Euthym. Bonauent.

Lucæ 2. *n.* 34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius.

VERSIO.

Aliqui ex Cod. Græc.	Et laudauit eos Simeon.

EXPOSITIO.

25. CVM Simeon Ieſum in manibus haberet, parentibus benedixit, id eſt, vt explicat D. Bonauentura, Benedictos prædicauit, Mariam, quia concepit, & Ioſeph quia educatur: Benedicuntur enim parentes in filio, & pro filio, ſecundùm illud 1. Reg. 2. num. 20. *Benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius*, ſcilicet pro Samuele puero. Qua benedictione Simeon benedixerit Mariam & Ioſeph, non ſcribitur. Carthuſianus, & Caietanus credunt, fuiſſe illam, quæ habetur *Num.* 6. *num.* 24. Et quia conſueta erat, ſuppoſuit Euangeliſta, vt quid vulgare. Ego exiſtimo, quòd fuerit valde ſpecialis benedictio; & Mariæ, atque Ioſeph bona, & laudes narrari nequeunt, ſed potiùs ſilentio venerari. *Benedixit illis*; ponderat Carthuſianus, quòd *quamuis Simeon eſſet illis minor ſanctitate, tamen erat maior dignitate, nempe officio ſacerdotali.* Nam proprium eſt maioris minorem benedicere. Ex quo expende, quanta ſit dignitas Sacerdotum. Et antequam de Chriſti paſſione ageret, eos Simeon benedixit; ad amara namque ſupportanda animus eſt corroborandus. D. Bonauentura ait: *Nota præmittitur hîc benedictis, tum ad conſolationem, tum ad confortationem, tum enim ad commendationem, ne paſſio prædicanda terreat: vel ideo benedixit, vt ſignaret, quòd in illo impletæ ſunt benedictiones Patrum. Et dixit ad Mariam.* Cum illa tantùm loquitur & non cum Ioſeph, quia illa ſola tempore paſſionis ſuperſtes futura.

Bonauent. 1. Reg. 2. Carthuſ. Caiet. Carthuſ. *Ad amara animandum.* Bonauent.

Lucæ 2. *n.* 23. Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionẽ multorum in Iſraël, & in ſignum, cui cõtradicetur.

VERSIONES.

Arias.	Ecce iacet in caſum, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum contradictum.
Euthymius.	Ecce ſitus eſt hic in caſum, & in reſurrectionem.
Vatablus.	Ecce conſtitutus eſt hic.
Tertull. lib. de carn. Chriſti, cap. 22.	In ruinam, & ſuſcitationem.
Syriacus.	In ſignum contradictionis.
Text. Græcus.	In ſignum, cui contradicitur: de præſenti.
Aliqui Recentiores ex Hebr.	In vexillum, ſeu portentum, cui contradicetur.

EXPOSITIO.

26. CASSIANVS *lib.* 2. *cap.* 21. ait: *Simeon lætis triſtia miſcet, ſupremis ima connectit, & duci bellum parat, & gloriam ignominiæ coniungit, & quæ ſunt Dei, & hominis cantat, & ſimul virtutis, & infirmitatis proſequitur actiones.* Dum poſt tantam gloriam decantatam ad paſſionem Chriſti ſermonem conuertit. *Ecce*, vt attentionem exquirat, ac myſterij declaret magnitudinem. *Hic*; non ait determinatè, hic filius tuus, ô Virgo, hic infans, hic Deus; ſed abſolutè *Hic*; quia omnibus eſt omnia, nempe Deus, homo, redemptor, & glorificator. *Poſitus*; quod dicitur, vt aduertit D. Bonauent. vt non caſu, ſed diuino iudicio intelligatur factum. Deinde dicitur poſitus, ſeu ſitus, ſeu conſtitutus, tamquam lapis angularis, vt ait Euthym. ad duos populos connectendos, vel tamquam lapis firmiſſimus, & ſtabilis ad dolores, ac paſſiones ſuſtinendas. Quamuis Deus Pater hîc intelligatur, non tamen explicat, à quo ſit poſitus, cùm de multorum agatur ruina; antea verò cùm de omnium tractaret ſalute, Deum expreſſit: *Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine. Quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem*, &c. Textus, *In ruinam.* Occaſionaliter, ac hominum vitio Chriſtus Dominus omnium ſalus aliquibus factus eſt in ruinam, dum in eum non crediderunt. Quod etiam Paulus *ad Rom.* 11. *n.* 11. appellat caſum in eos, qui ceciderunt. *In reſurrectionem*; nempe multi, qui tam antiquo primi parentis peccato, quàm propriis culpis erant prolapſi, per fidem, & gratiam in Chriſto ſurrexerunt: hæc tamen erectio non ſicut in ruina occaſionaliter parata eſt, ſed Dei abſoluto, efficacíque decreto. *Multorum in Iſrael*, ad vtramque ſententiam hoc refertur: *multorum*, ait, non omnium; quia non omnes in Chriſto crediderunt. *In Iſrael.* Quamuis tam in populo Iudaico, quàm in Gentilico, multi ſint in Chriſto erecti, multíque ruinæ habuerint occaſionem, vt dixit Paulus 1. Corinth. 1. num. 23. *Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia*; tamen de ruina ſolùm in Iſrael mentionem facit, Chriſtus enim maximè dolet, quod ab iis offendatur, quibus bona communicauit maiora.

Caſſian. Bonauent. Euthym. *Non explicatur à quo ſit poſitus.* Rom. 11. 1. Cor. 1. *Magna eorum offenſa, quibus benefacis.*

27. *Et in ſignum, cui contradicetur*, ſeu contradictionis, ſicut in ſcopum, ſeu metam ſolent ſagittarij iaculare, ita Chriſtus Dominus conſtitutus eſt ſignum, ſeu ſcopus, in quem Iudæi omnes lingua, manu, intentione prauitatis tela iniecerunt. Quòd verò textus Græcus, Theophylactus, & alij legant de præſenti, *Cui contradicitur*; refertur ad perſecutiones, & contradictiones, quas Herodes in ipſum iam mouebat. Quòd verò aliqui legant *vexillum, portentum*, ſeu *miraculum* orbis, vt videtur probabile Ianſenio, ſenſus eſt idem, tamen iuxta radicem Græcam meliùs legendum eſt *ſignum.*

Text. Græc. Theoph.

QVÆSTIO VII.

Quare dicatur in ruinam, & reſurrectionem multorum?

SVPPONO hîc pro omnium ſententiarum intelligentia, quòd illi propriè dicuntur ruere, qui antea ſtabant; & illi reſurgere, qui antea deiecti erant. Prima, & germana huius loci intelligentia eſt, quam attigi in expoſitione. Quòd multi Chriſto non credentes, ſed paſſione eius ſcandalizati cadent, atque in æternum condemnabuntur; multi verò Chriſtum verum Deum agnoſcentes à peccatis in gratiam, & gloriam reſurgent. Ita Gloſſa Interlinealis, & Ordinaria, D. Gregorius Nazianzenus, Euthymius, Theophylactus, Beda *hîc.* Timotheus, Haymon *homil. de occurſu Domini*, S. Etherius *lib.* 1. Vnde eleganter ait D. Fulgentius *lib.* 1. ad Thraſymundum Regem cap. 4. *Ibi ergo malè credentibus ruinam perfidia generat, vbi recta credulitas fideles exaltat. Imò in vno, eodémque Chriſto vero Dei, veróque hominis filio minus perſpicientium tenebatur hactenus lippitudo, in quo illuminatis veri luminis claret manifeſta cognitio.* Vbi rectè ponderat, quòd perfidiæ tribuatur ruina, fidei verò exaltatio. Confirmatur hæc explicatio ex D. Gregor. Nyſſen. in Catena D. Thomæ. Quia quando Simeon loquitur de auxilio, & ſalute à Deo hominibus præparata, loquitur per reſpectum ad omnes. *Quod paraſti ante faciem omnium populorum*; quia Deus ex ſe omnibus dat ad ſalutem, ſufficientia media. Cùm verò ſermo eſt in ordine ad executionem, & effectum, ait per reſpectum ad multos: *In ruinam, & reſurrectionem multorum*; quia non omnes, ſed multi malitia ſua in Chriſto ſcandali, & ruinæ occaſionem habuerunt; multi verò efficaci Dei auxilio, in eo vitam, gratiam, & gloriam inuenerunt. Ad alias expoſitiones accedamus. 28.

Gloſſa. Nazianz. Euthym. Theophyl. Beda. Timoth. Haymon. Etherius. Fulgent. Nyſſen.

Secundò. Chriſtus Dominus dicitur, veniſſe in ruinam peccatorum, ac vitiorum, & in reſurrectionem virtutum, ac ſanctitatum. Ita Gloſſa Ordinaria. Origenes homil. 16. ait: *Habeo aliquid in me, quod malè ſtat, & peccatis ſuperbiæ ſe gerit; hoc cadat, hoc ſubruatur. Poſtquam ille venit, & nunc quod in me malum fuit corruit, & expletum eſt illud: Mortificate membra veſtra ſuper terram, fornicationem, luxuriam, idololatriam, veneficia, & cætera. Horum omnium vtilis ruina facta eſt, vna eſt hæc ruina, ad quam venit Chriſtus.* Similiter D. Paulin. Epiſt. 8. ad Seuer. *Vt cadat in me*, ait, *peccatum, quod anima cadente conſiſtit, & exurgat ille mortalis, qui cecidit ex vrgente peccato.* Hanc interpretationem amplectuntur etiam Theophylactus, Boſtrenſis, & alij. Poſtquam enim Chriſtus venit, omnium facta eſt malorum iactura, bonáque omnia pullularunt, ac ſe extulerunt. Tertiò. 29.

Gloſſa. Origenes. Paulin. Theoph. Boſtrenſ.

Cardi

Cardinalis Hugo explicat. In ruinam ſuperbè ſtantium, & in reſurrectionem humiliter iacentium, ita ait: *In ruinam ſtantium, id eſt, ſtare ſe reputantium, vt ſcribarum, & in reſurrectionem cadentium, id eſt, ſe cecidiſſe reputantium.* Et huic explicationi fauet D. Hieron. *in cap.* 11. *Ezechielis n.* 15. Quartò. Haymon ait, quòd Chriſtus ſit poſitus in ruinam eorum, qui contemnunt redemptionis beneficium; & in reſurrectionem eorum, qui grato recolunt animo. Interpretationes hæ probabiles ſunt; in eis tamen id mihi difficultatem facit. Quia ſi Simeon loqueretur de ſpirituali peccatorum iactura, virtutumque in Chriſto reſurrectione, per terminum loqueretur vniuerſalem *omnium*; cùm omnia peccata in Chriſto mortua ſint, omnéque in eo bonum reſurrexerit. Ipſe autem ait: *In reſurrectionem multorum.*

Hugo. Hieron. Haymon.

30\. Theoph. Quartò. Eſt etiam expoſitio Theophylacti, & ait: *Aliter quoque intelligi poteſt. Poſitus eſt Dominus in ruinam; hoc eſt, ipſe paſſurus eſt, & caſurus in mortem, & cùm ceciderit ipſe, reſurgent multi. Punctum autem pone, cùm dixeris, in ruinam. Deinde incipe; in reſurrectionem multorum.* Ac ſi dicat, quòd Dominus ſibi mortem elegit, nobis reſurrectionem donauit. Hæc tamen explicatio cum ipſo contextu pugnat, quia nec in textu Græco, nec in noſtra Vulgata, poſt *ruinam*, eſt punctum: ac proinde illud genitiuum, *multorum*, ad vtramque dictionem refertur.

31\. Ambroſ. Quintò. D. Ambroſius ait: *Simeon prophetat in ruinam, & reſurrectionem plurimorum veniſſe Dominum Ieſum, vt iuſtorum, iniquorumque merita diſcernat, & pro noſtrorum qualitate factorum iudex verus, & iuſtus, aut ſupplicia decernat, aut præmia.* Ita proinde dicitur Dominus Ieſus poſitus in ruinam, nempe damnationem iniquorum, & in reſurrectionem, hoc eſt, in præmium iuſtorum. At Simeon loquitur hîc de primo Chriſti aduentu, non verò de ſecundò, ad quem iudiciaria ſpectat poteſtas. Sextò. D. Gregorius Nyſſenus citatus in Catena, ita ait: *Iudæis ſpecialiter minatur ruinam, non ſolùm à ſpirituali ſalute, ſed etiam propter deſtructionem vrbis, & habitantium ciuitatem. Reſurrectio verò promittitur credentibus, partim quidem velut ſub legibus iacentibus, partim verò veluti conſepultis cum Chriſto, & ei conſurgentibus.* Sed quamuis Iudæi propter Chriſti mortem in ruinam à Romanis factam inciderint, de hac tamen Simeon hîc non loquitur, ſed de illa, quæ eſt in fide, ſicut etiam agit de reſurrectione in illa per contrapoſitionem.

Nyſſen.

32\. Ex quibus omnibus prima ſententia mihi videtur ſimpliciter vera. Secunda valde probabilis, quod Simeon diceret, quòd in Chriſto facta ſit omnium peccatorum ruina, tum quia ipſe nos redemit, tum quia eius præſentia peccatum deſtructum eſt, ne amplius in noſtro regnet mortali corpore. De Chriſto Domino ait Apoſtolus ad Rom. 3. n. 25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Seu, vt legunt D. Chryſoſtomus *homil.* 7. Theodolus ad Roman. *Propter remiſſionem præteritorum delictorum.* Sed quomodo tantus Gentium Doctor de remiſſione facta in Chriſto antiquorum ſolùm peccatorum mentionem facit? Nónne pro omnibus tam præteritis, quàm futuris peccatis in Chriſto Domino facta eſt iuſtificatio? De fide certiſſimum eſt. Videbatur tamen, quòd apparente Chriſto Domino in mundo in quo eximius hominum amor, ac mirificus omnium virtutum odor flagrabat, nullum amplius futurum eſſet peccatum.

Rom. 3. Chryſoſt. Theodol.

Chriſto apparente nullum peccatum videbatur futurum.

QVÆSTIO VIII.

Soluuntur duæ quæſtiunculæ.

33\. QVÆSTIVNCVLA prima. Quare priùs fit mentio de ruina, & poſtea de reſurrectione multorum? Reſpondeo primò, quòd ruina facta eſt ſaltem ex maiori parte populi Iſraël; nam multo plures ceciderunt, quàm crediderunt. Secundò. Ruina narratur priùs, vt denotetur, quanto Chriſtus Dominus afficiebatur dolore, quòd homines in tam ſalutiferi remedij præſentia vitam non conſequerentur. Tertiò. Vt glorioſum Iuſtorum meritum clareſcat, quod aliis ruentibus, & contradicentibus; ipſi verò Chriſto Domino crediderunt, ac proinde glorioſè in gratiam reſurrexerunt.

Dum alij contradicunt, credere magna laus.

34\. Quæſtiuncula ſecunda. Quare illi, qui Chriſto Domino crediderunt, à peccatis reſurrexiſſe dicuntur; quia à peccatis ſuis ad ſtatum gratiæ tranſierunt; cùm non omnes eſſent peccatores, vt conſtat de Nathanaële, *Ioan.* 1. *num.* 47. & de noſtro Simeone, & Anna vidua certum eſt? Reſpondeo. Quòd quamuis aliqui eſſent iuſti, in Chriſto, tamen dicuntur ſurrexiſſe, primò, ad gloriam, & beatitudinem, quæ antea per primi hominis peccatum clauſa erat, & per Chriſtum eſt nobis aperta. Secundò. Ad gratiam, licèt enim iuſti illi in gratia eſſent, ad tantam tamen abundantiam, & excellentiam gratiæ, ac ſupernaturalium bonorum per Chriſtum euecti ſunt, vt denuo ſurrexiſſe meritò dici poſſint. Tertiò. Ratione etiam primæ gratiæ ipſis iuſtis communicatæ; quia hæc eis eſt data ex meritis Chriſti præuiſis. Et ideo meritò dicebatur, quòd ipſe eſſet poſitus in reſurrectionem multorum, vt explicat D. Macharius Epiſc. Hieroſ. *lib.* 2. *Concil. Nicæn.* Quartò. Quia cùm per Chriſtum multis gratia communicaretur, meritò etiam dicitur poſitus in reſurrectionem iuſtorum, quia in aliorum ſpirituali recenti vita iuſti reuiuiſcunt. *Qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Faciens miſericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus*, Pſalm. 102. n. 5. Vbi ſermo eſt de Iuſto, qui tunc in iuuentute ſua renouari dicitur, cùm Dominus ſuas aliis communicauerit miſericordias. In aliorum bono ſuam habent innouationem. Arnobus: *Renouantur iuuentutes, vt aquilæ, vbi miſericordibus faciet miſericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Ipſe eſt Deus in Chriſto, ſiue mundum reconcilians, ſiue ſanctos remunerans, ſiue miſericordias miſericordibus faciens.*

Ioan. 1. Machar. *Aliena bona pro ſuis habet iuſtus.* Pſalm. 102. Arnobus.

QVÆSTIO IX.

Quare Chriſtus Dominus dicatur poſitus in ſignum, cui contradicetur?

35\. MVLTÆ, & variæ ſunt huius loci expoſitiones. Primùm Chriſtus Dominus dicitur poſitus

poſitus in ſignum, quod à nobis imitandum eſt; vel dicitur *ſignum*, quia eius fides eſt nota populi Chriſtiani; huic tamen ſigno Iudæi vita, moribus ac verbis contradixerunt. Ita quidam Recentiores. Secunda explanatio. Barradas hîc exiſtimat, quòd Simeon alludit ad illud Num. 21. num. 9. vbi dicitur. *Fac ſerpentem, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viuet; fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Ita Chirſtus Dominus dicitur poſitus pro ſigno, qui in eum reſpiciunt, vera fide viuunt; qui verò contemnunt, moriuntur.

Barradas. Num. 21.

36\. Tertull. Ambroſ. Iſai. 7. Tertiò. Tertullian. *lib. de carne Chriſti*, D. Ambroſius *in Symbolum Apoſtolorum cap.* 16. accommodat huic illud Iſai. cap. 7. num. 14. *Dominus ipſe dabit vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet.* Conceptus, & natiuitas Chriſti ex Virgine fuit admirabile ſignum, quod à multis hæreticis contradictũ eſt eius virginitatem negantibus. Quartò. Incarnatio, ſeu quòd Deus factus ſit homo, ſignum eſt, de quo hîc loquitur, quod multi deprauati contradixerunt. Ita Euthymius, Theophylact. Quintò. D. Auguſtinus *lib.* 4. *Quæſtionum ſuper Numer. quæſt.* 36. ita ait. *Duo genera hominum demonſtrauit. & contradicentium gratiæ Chriſti, & percipientium gratiam Chriſti: vt illis ſit aqua cõtradictionis, iſtis ſanctificationis; nam de ipſo Domino in Euangelio legitur; & ſignum, cui contradicetur.* Quaſi, quòd doleet Simeon, quod ipſa Chriſti beneficentia fuit incredulis contradictionis nota.

Euthym. Theoph. Auguſt.

37\. Etherius. Beatus. Sextò. Crux, Crucifixio, ac tota Chriſti paſſio ſignum fuit, cui à multis eſt contradictum. Et ita ait Etherius Epiſcopus, & Beatus Presbyter lib. 1. *Quid eſt hoc ſignum, cui contradicetur, niſi crux, niſi paſſio, ſputa, probra, vinculæ, colaphi, alapæ, claui, amaritudo fellis, mors, lancea, ſepultura? ſicut & ipſe Dominus ſignum mortis ſuæ annuntians ait: Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* In hac expoſitione ſunt Timotheus, Chryſoſtomus, Amphilochius *orat. de occurſu Domini, in homiliario*, Titus Boſtrenſis, Euthymius, Theophylactus, & alij. Et hac de cauſa D. Dionyſius Carthuſianus, Lyranus Crucem Chriſti appellant ſignum fœderis inter nos, & Deum; ſicut cæleſtis arcus datus eſt Noë in ſignum fœderis. Et Caietanus ſignum reconciliationis humani generis cum Deo,

Timoth. Chryſoſt. Amphiloch. Boſtrenſ. Euthym. Theophyl. Carthuſ. Lyran. Caiet.

38\. Origen. Septima expoſitio eſt Origenis *homil.* 17. vbi aſſerit, quòd tota vitæ Chriſti hiſtoria extitit ſignum; cui contradixerunt Iudæi, & hæretici, ſcilicet, quòd Deus adueniret in mundum, & Incarnatus eſſet, & Deus, & homo extitiſſet ſine confuſione naturarum, quòd ex Virgine natus eſſet ſine ope viri, quòd verum corpus habuiſſet, quòd multa miracula eſſet operatus, quòd eſſet paſſus, mortuus, & crucifixus, ac reſurrexiſſet. Hæc omnia fuerunt ſigna contradictionis Iudæis, & Hæreticis. Et huic accommodat D. Bonauentura illud D. Pauli ad Hebræos 12. num. 3. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſùs ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.*

Bonauent. Hebr. 12.

39\. Iſidor. Rectè Iſidorus Clarus *orat.* 12. explicat, quòd hîc Simeon accepit ſimilitudinem à ſagittariis, quando ad ſcopum collimantur; ſicut enim ad iaculationem conſtituunt pro meta, vel ſigno illud quod in loco aliquo inter cætera ſupereminet, ſeu albeſcit, ſeu floreſcit. Cùm ergo inter omnia, quæ in hoc viſa ſunt terrarum orbe, Chriſtus Dominus eſſet ſuperexcellens, & candidus diuinitatis corona, omnique virtute floridus appareret, ideo impij acuerunt linguas ſuas, vt ſagittarent eum; & ita de ſe ait ipſe: *Poſuit me ſicut ſignum ad ſagitam*, Thren. 3. num. 12. Et hoc valde frequens eſt, quòd quanto quis aliis ſupereminet, tanto in eum grauiores tempeſtates excitentur. Quod ponderat D. Hieronymus in vita D. Paulæ c. 16. *Semper*, ait, *quidem virtutes ſequitur inuidia, feriuntque ſummos fulgura montes; nec mirum ſi hoc de hominibus loquar, cum etiã Dominus noſter Phariſæorum zelo ſit crucifixus, & omnes Sancti æmulos habuerint, in Paradiſo quoque ſerpens fuerit, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum.* Eccleſia ſancta loquens *in Cantic. cap.* 4. *num.* 16. ait. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluẽt aromata illius.* Aquilo omnes tempeſtates, & contradictiones importat; Auſter verò omnem gratiam, & Spiritus ſancti inſpirationem dicit, vt eſt communis Patrum ſententia, Gregorij Nyſſeni *homil.* 10. Phili Carpathij, Anſelmi, Ruperti, & aliorum. Cur ab anima ſancta vterque ventus ſimul ſolicitatur? Cur non potiùs ſolus Auſter? Nouerat anima pia, quòd vbi primùm gratia Spiritus ſancti in hortum ſuum adueniret, vt omnium virtutum aromata fluerent, contra ipſam ſtatim tempeſtates, & contradictiones omnes erant excitandæ, & quaſi hæc præuidens ait: *Surge, Aquilo, veni Auſter.* Aponius ibi: *Legis enim Euangelij doctrina ab Auſtro ſpiritualem virtutem ſuo calore inſpirans humanis mentibus, vt arbuſculis indidit dulciſſimi ſucci medullam, quam Aquilonis immundus ſpiritus per Regnum Romanorum ſanctorum corpora laniando ad odorem ſuauitatis neſciens perduxit.*

Inuidia contra præclaros virtutibus. Thren. 3. Hieron. Cant. 4. Nyſſen. Phil. Carp. Anſelm. Rupert. *Vbi fauor, ibi tempeſtas.* Aponſus.

Lucæ 2. n. 35. Et tuam ipſius animam penetrabit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

VERSIONES.

Græcus. Pertranſibit gladius acutus.

Syriacus. Cæterùm animam tui ipſius traiiciet lancea, vt & reuelẽtur cogitationes cordium multorum.

Vatablus. Quin & tuam ipſius animam penetrabit gladius.

Arias. Ex multis cordibus ratiocinationes.

Quidã ex Græco apud Sà. Penetrabit romphæa.

EXPOSITIO.

PRÆDICIT Simeon Vigini dolorem in morte filij ſui: *Et tuam ipſius animam penetrabit gladius;* ſcilicet mors, paſſio, crux pertranſibunt animam tuam. Non ait corpus, ſed animam, quia Beatiſſima Virgo dolorẽ intenſiſſimo paſſa eſt; & ideo optimè textus Græcus habet, *penetrabit*. Non dixit Simeon mortem, vel cruciatum, ſed gladium ad magnum dolorem 40.

exprimen

exprimendum. Et non dixit gladium huius pueri, vel filij; nam *ipſius*, ad Virginem refertur, vt dicam *quæſt. ſeq. in princ.* & eſt particula maximè expreſſiua ipſius Virginis; non dixit gladium huius filij propter circunſtantes myſterium non intelligentes, ne eis videretur contradictio, vt eum gladium matris dicat, quem antea gloriam Iſraëlis appellauerat. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Morte, ac paſſione Chriſti Domini id, quod in multorum latebat animis, manifeſtum eſt; nempe odium in Iudæis, dum clamarunt: Crucifige; fides, & amor in multis Nicodemo, ſanctis mulieribus, & aliis.

QVÆSTIO X.

Quomodo dicatur, quòd gladius pertranſibit animam Virginis?

41. Hugo. Mag Hiſt. REIICIENDA eſt in limine iſtius quæſtionis ſententia Hugonis, & Magiſtri hiſtoriæ in hiſtoriam Euangelicam. Qui particulam illam *ipſius*, ad Chriſtum Dominum referunt. Quod dupliciter explicant, quòd gladius paſſionis filij tui pertranſibit animam tuam, quæ eſt ipſius Chriſti Domini ob nimiam dilectionem, quam erga te habet, iuxta illud, quod vulgo dicitur, Anima potius eſt vbi amat, quàm vbi animat. Secundò. Gladius mortis Chriſti Domini penetrabit animam ipſius, ſcilicet Chriſti, & addidit Simeon, *tuam*, quæ tua eſt ob nimiam charitatem, qua eum diligis. At hæc omnia manifeſtè repugnant cum textu Græco habente animam tui ipſius, in fœmineo genere, ac proinde ad Beatam Virginem referenda eſt illa particula, *ipſius*, quæ eſt maximè expreſſiua, & magnam vim habet. His poſitis,

42. Origen. Quæſtio eſt: Quid nomine *gladij* intelligatur? Primò Origenes *homil. 17.* interpretatur de quadam hæſitatione, & ambiguitate, quam agnocit in ſanctiſſima Virgine de filij reſurrectione; quaſi pro tempore paſſionis de hoc dubitauerit. Amphiloch. Huic opinioni fauet Amphilochius *homil. de occurſu Domini.* Auth. Quæſt. Author Quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti *quæſt.73.* At hæc ſententia, non ſolùm eſt falſiſſima, vt repugnans Beatiſſimæ Virginis excellentiis, ſed eſt manifeſtus error in fide; Trident. nam Concilium Tridentinum docet *ſeſſ.6. can.23.* quòd in Beatiſſima Virgine nullum fuerit peccatum actuale; hæc autem hæſitatio ſine peccato, ſaltem veniali, eſſe non potuit. Loca autem D.Thom. in oppoſitum SS. Patrum explicat D. Thomas *3. part. quæſt. 27. art. 4. ad 2.* non de dubitatione in fide, ſed de quadam rerum viſarum admiratione, quaſi quòd Virgo ita doleret, ac anxiaretur in morte filij, ac ſi non eſſet certa de eius reſurrectione.

43. Hilar. Secundò. D. Hilarius *in Pſalm. 118. litt. Gimel.* Gladium hunc explicat, eſſe ſeueritatem diuini iudicij, in quo die iudicanda eſt etiam Beatiſſima Virgo. *Seueritas Iudicij.* Hæc ſunt eius verba: *Beatiſſima Mariæ animam gladius, ſcilicet dies iudicij pertranſibit, vt reuelentur multorum cordium cogitationes: ſi enim ad iudicij ſeueritatem capax illa Dei Virgo ventura eſt, quis audebit à Deo iudicari?* At hæc ſententia nõ eſt tenenda: quamuis enim Beatiſſima Virgo in illo vltimo die iudicium etiam ſubitura ſit, hoc tamen illi nullam anxietatem, & moleſtiam afferet, cùm optimè in ſe gratiæ cognoſcat magnitudinem, ſeque nullum originale, mortale, aut veniale peccatum habere: ergo non eſt ratio, ex qua timere poſſit. Tertiò. D. Ambroſius tam *hîc*, quàm *lib. 3. de virginibus.* Ambr. *Gladium* interpretatur ſermonem, ſeu verbum Dei, de quo dicitur ad Hebr. 4. *Viuum enim verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo penetrans, vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus.* Hebr. 4. At quamuis hæc dicantur de verbo Dei; tamen iſte non eſt gladius de quo loquitur Simeon, ait enim de futuro, *pertranſibit.* Verbum autem Dei iam ad Virginem deuenerat per Angelum, & Elizabeth. In hac etiam ſententia eſt Carthuſianus ex D. Paulino. Carthuſ. Paulin.

Quartò. Timotheus Hieroſolymitanus *homil. de prophetia Simeonis.* 44. Timoth. Gladium hunc intelligit dolorem illum, quem Virgo ſuſtinuit, dum filium ſuum perdidit; de quo dicitur: *Pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te*, Luc 2. n. 24. Luc 2. At Simeon loquitur hîc de intenſiſſimo Virginis dolore, & quamuis valde grauis extiterit, dum filium ſuum amiſit; in morte tamen dilectiſſimi vnigeniti ſui multo maiorem, & vehementiorem paſſa eſt. Deinde in hoc ſenſu non poſſunt aptè explicari ſequentia verba, *Vt reuelentur ex multis.*

Quintò. D. Bernardus *ſerm. ſuper cap. 12. Apocalyp.* 45. explicat *gladium* fuiſſe verbum illud Chriſti Domini pendentis in Cruce pro Ioanne: *Mulier, Ecce filius tuus*, Ioan. 19. Ioan. 19. dum nomen matris omiſit, & pro filio dilectum diſcipulum dedit. Verba D. Bernardi ſunt hæc: Bernard. *At non tibi pluſquam gladius fuit ſermo ille, re vera pertranſiens animam, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Ieſu traditur.* Sed licèt aliquo dolore, & affectu in hoc Virgo tangeretur; iſte tamen non præcipuus, in filij enim morte extitit multo maior. Sextò. D. Bernard. *proximè cit.* Bernard. Bonauent. D. Bonauent. *hîc*, *Gladium* interpretatur lanceam, qua Chriſtus in Cruce iam mortuus vulneratus eſt; ita ait: *Dum perforatur lancea ille tuus Ieſus, omnium quidem, ſed ſpecialiter tuam ipſius animam gladius pertranſiuit, quia ille expirauerat.* Ita D. Bonauentura. Septimò. Sententia eſt Toleti in commentario aſſerentis, gladium fuiſſe crucem, in qua Chriſtus Dominus pro nobis vitam dedit. Et hæ ſententiæ duæ ſunt probabiles.

Octauò. Et mihi vera ſententia eſt gladium 46. hîc dictum à Simeone eſſe dolorem ex paſſione *Vera ſententia.* Chriſti in anima Beatiſſimæ Virginis cauſatum. Ita D. Auguſtinus *Epiſtol. 59. ad S. Paulinum*, Auguſt. qui eum de hac re conſuluerat, *Epiſtola præcedenti 58.* D. Hieronymus *ſermone de Aſſumptione Virginis*, Euthymius, Beda, & multi. Hieron. Euthym. Beda. Tormenta illa, quæ corpus Chriſti in paſſione transfixerunt, animam Virginis acerbiſſimo dolore vulnerarunt, ſicut dicitur de Ioſeph Pſalm. 104. num. 18. *Ferrum pertranſiit animam eius.* Pſalm. 104. Et ſatis vulgariter dicitur; gladius, qui filium occidit, animam matris pertranſiuit. Hic autem dolor vehementiſſimus extitit de tota Chriſti paſſione, tum quando eum vidit crucem baiulantem, in eáque pendentem, tum quando eius ſententiam, flagellationem, ac ſimilia de eo audiuit, & vidit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XI.

Quare Deus voluerit, quòd Beatiſſima Virgo dolores tam grauiſſimos pateretur?

47. DOLORES, quos Beatiſſima Virgo in filij ſui paſſione ſuſtinuit, adeò fuerunt grauiſſimi, vt à ſanctis Patribus non ſolùm martyr, ſed pluſquam martyr dicatur. Ita eam appellat D. Bernardus *ſerm. in ſignum magnum Apocal. 12.* Bernard. Hieron. Damaſcen. D. Hieronimus *ſermone de Aſſumptione*, D. Damaſcenus *lib. 4. de fide cap. 15.* Et ita D. Hieronymus *citatus* eleganter ait: *Alij namque Sancti, etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne; tamen in anima, quia immortalis eſt, pati non potuerunt; Beatiſſima verò Dei Genitrix, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur, ideo vt ita fatear, quia ſpiritualiter, & eius caro paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti pluſquam martyr fuit.* Ildephonſ. Similiter D. Ildephonſ. ſerm. 2. de Aſſumpt. Virginis, *Etſi*, ait, *corpora Martyrum pro Domino ſupplicia pertulerunt: nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima paſſa, teſte Domino comprobatur; ait enim Simeon: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius; quòd ſi gladius vſque ad animam peruenit, quando ad crucem ſtetit fugientibus Apoſtolis, cùm videret Dominum pendentem, etiam pluſquam Martyr fuit; quia in animo non minus amoris, quàm mœroris eſt, intus gladio vulnerat.* Anſelm. D. Thom. Idem docent D. Anſelmus *de excellentia Virginis*, S. Thom. *in 4. q. 5. art. 5.* Hic autem dolor ex multis excreuit; tum quia eius erat filius, & vnicè dilectiſſimus, tum quia eum propriis videbat oculis tam longo tempore acerbiſſimos pati cruciatus, totque in eum blaſphemias coniici. Bernardin. Vnde ait D. Bernardin. *tom. 1. ſerm. 61.* quòd tantus extiterit Virginis dolor, vt ſi in omnes, quæ pati poſſunt, creaturas diuideretur, omnes ſimul interirent. Sed de hoc plura *ad c. 19. Ioannis.*

48. Quæſtio præſens inquirit: Quare diuina prouidentia ordinauerit quòd in Virgine tam grauiſſimus eſſet dolor? Reſponderi poteſt primò Euthym. ex Euthymio, Vt comprobaretur verum Corpus Chriſti, & verè eam eſſe illius matrem; fuerunt namque hæretici multi aſſerentes Chriſtum Dominum non habuiſſe verum corpus, ſed tantùm phantaſticum, & apparens; ad hunc errorem refutandum Virgo grauiſſimè dolet, vt ex hoc, verè eſſe illius matrem, eumque verè peperiſſe pateſiat. Damaſcen. Secundò D. Damaſc. lib. 4. de fide c. 15. *Quos*, ait, *in partu dolores effugerat, paſſionis tempore ſuſtinuit, vt quæ pro materno affectu viſcera ſibi lacerari ſenſerit.* *Dolores ſi ex vna parte deſint, ex altera veniunt.* Cùm enim lachrymarum vallis hæc vita ſit, dolores euitare non poſſumus, & ſi vna ex parte deſunt, ex altera veniunt. Tertiò. Vt manifeſtum fiat, quòd non niſi per preſſuras, & labores peruenitur ad æternæ reſurrectionis felicitatem. Amad. D. Amad. hom. 5. de Mariæ martyrio. *O Domine Ieſu, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, nec matri tuæ peperciſti, quin gladius animam ſuam pertranſiret. Hac nobis per igneum gladium, atque verſatilem tranſeundum omnibus in communi ad lignum vitæ, quod eſt in medio Paradiſi.*

49. Damian. Quartò. Cardinalis Petrus Damianus *lib. 8. Epiſt. 14. & vltima ad ſorores*, ita ait: *Et tuã ipſius animam penetrabit gladius; ſi enim Omnipotens Deus huius vitæ proſpera magni penderet, nullatenus ipſam ſingularem, ac perpetuam Virginem, ex qua incarnari dignatus eſt, affici doloribus permiſiſſet.* Labores, atque anguſtiæ à Deo magni æſtimantur, ita vt dilectis ſuis pro ſingulari beneficio concedantur; *Deus dilectis ſuis pro beneficio dat labores.* nam dum huius vitæ moleſtiæ vrgent, virtus creſcit; dum verò felicitas affluit maximè periclitatur. Quod elegãter proſequitur ipſe ſapientiſſimus Cardinalis proximè citatus. *Ideo*, ait, *igitur diuina diſpenſatio in huius vitæ ſalo, procelloſis hinc inde turbinibus, & quodammodo violentis ventorum furentium flatibus vos fluctuare permittit, vt mens veſtra auidiùs ad ſuperna deſideria tranſeat, dum inter ima non inuenit, vbi delectabiliter requieſcat; Agar namque proſperis fulta contra dominum tumuit: afflicta poſtmodum, & in ſolitudinibus exul oberrans, alloquium Angeli lætà promittentis accepit.* Geneſ. 16. n. 11. *Rachel donec ſterilitatis infortunio laborauit, vero Deo reuerentiam digni cultus exhibuit: poſtquam autem editò Ioſeph, fœcunditatis meruit donum, Laban patris furata eſt idolum*, Geneſ. 31. n. 19. Et optimè confirmat, nam dum Agar ſe concepiſſe vidit, dominam ſuam deſpexit; at verò fame laborans obediuit Angelo. Rachel quandiu infœcunda, nullum in ea idololatriæ veſtigium inuenimus; poſteà vero idola furata eſt.

Quintò. Guerricus Abbas *ſerm. 2. de Aſſumpt. Mariæ*, 50. quam alloquẽtem Angelis ſic introducit. Guerr. *Illud ipſum corpus filij quale aliquando fuerit, recordamini: ad extremum non ſine paſſione mea, ludibria, & ſupplicia paſſionis, & crucis aſpexi per ſingula, diſcens, quàm verè de eo noſter Iſaias dixerit: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; cur ego doleam, non eum meo dediſſe corpori, quod ſuo non dedit? Non ſum ita delicata, aut ſuperba, vt quod ille dignatus eſt pati, ego quantulacumque ex parte pati non poſſim; aut nolim.* Beatiſſima Virgo immunis erat ab omni culpa originali, ac proinde licèt dolores non eſſet promerita, tamen cum filio ſuo vult pati, quia illa, quæ ipſe innocentiſſimus Agnus pro nobis portauit, ipſa etiam ob eius amorem vult ſuſtinere; *Ob Chriſtum paſſum omnia tormenta ſuſtinemus.* vt ex his nos habeamus documentum, vt ob Chriſtum paſſum omnia mundi contemnamus, & ipſum imitantes omnes labores, ac dolores ſuauiſſimè amplectamur. *Cur ego doleam, non eum meo dediſſe corpori, quod ſuo non dedit.*

Sextò. Eleganter D. Bernardus *ſermone in c. 12. Apocal.* Bernard. ſic ait. *Verè tuam, ô Beata mater, animam gladius pertranſiuit; alioquin non niſi eam pertranſiens carnem filij tui penetraret.* Ita Beata Virgo ob dilectionem Chriſti coniungebatur, ac ei adhærebat, *Maria maximè corpori Chriſti adhærebat.* vt nullum peracutum ferrum poſſet corpus Chriſti penetrare, abſque eo, quod ſimul peruaderet animam Mariæ; Cantic. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, Cantic. 8. n. 6. per ſignaculum, ſiue ſignum, ſiue characterem, vt rectè probat Ghiſler. Ghiſler. *Expoſit. 1.* ex phraſi Scripturæ *Aggæi 2. n. 24. Ierem. 22. num. 24.* ſignificat intimum affectum amoris, quo ſignificamus quempiam eſſe alicui chariſſimum. Hæc autem Canticorum verba non ſolùm ſponſo, ſed etiam ſponſæ tribuit Rupertus, Rupert. nihil enim poterit penetrare cor, abſque eo quod ſimul transfodiat ſignaculum ſuperpoſitum, tanto amoris affectu coniungebatur Virgo dilecto filio ſuo.

Septimò. Valdè pulchrè idem D. Bernard. Bernard. citato loco. IESV, ait, *non attingit animam crudelis lancea, qua aperuit eius latus, ſed tuam vtique animam*

mam pertranſiuit. Ipſius nimirum anima iam non erat ibi, ſed tua planè inde nequibat auelli. Quid ſuauius dici poteſt. Tormenta mortis valuerunt animam Chriſti à ſuo corpore diſſoluere, ac ſeparare: at Mariæ animam ab ipſomet corpore non potuerunt auellere.

Maria non poterat diuelli à filio ſuo.

QVÆSTIO XII.

Quare dicatur, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes?

Origenes. Hilar. Euthym. Caietan.

51. HOc cum præcedentibus connectere aliquantum difficile eſt. Origenes *homil.* 10. *in Lucam* exponit de peccatis, quæ per confeſſionem Sacerdotibus aperiuntur. Secundò. D. Hilarius *in Pſalm.* 118. *littera Gimel* intelligit locum de vltimo die iudicij, in quo omnia cordium ſecreta reuelabuntur, 1. *Corinth.* 4. Sed vtraque expoſitio cum antecedenti non cohæret ſententia, in qua Simeon loquitur de ipſa Chriſti paſſione, Virginis dolore, & de illis, quæ in ea contingebant. Tertiò. Euthymius ita interpretatur. Multi attendentes ad Chriſti miracula, eum eſſe Deum tantùm, & Beatiſſimam Virginem non eſſe illius matrem ſuſpicabantur; videntes tamen animam eius vehementiſſimo doloris gladio pertranſiri, crediderunt, quòd mater eius eſſet. At hæc expoſitio eſt aliquantulum dura, nec conſtat, an tunc extiterint aliqui, qui non exiſtimauerint, eam verè eſſe matrem Chriſti, licèt de hoc poſtea in Eccleſia aliquis error pullulauerit. Quartò. Cardinalis Caietanus locum interpretatur de externa fidei in Baptiſmo confeſſione, quia ad ſe tunc omnia traxit, & ipſa fidei externa profeſſio omnium hominum cogitationes reuelauit, dum manifeſtauit, profitentes de Deo, propriáque ſalute rectè ſentire. In hac expoſitione illud eſt difficile, quòd cogitationem cordium reuelare, propriè dicit; illud quod erat in mente opertum exteriùs manifeſtari. In Gentibus autem pro tunc nulla erat de Chriſtiana fide cogitatio: ergo per illarum confeſſionem fidei non propriè dicitur manifeſtari cordium cogitationes.

Carthuſ. Ianſen. Salmer. Maldon. Barradas. Beaulx. Auguſt. Boſtrenſ. Beda. Tolet.

52. Quinta expoſitio eſt, quòd illa verba: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; poſita ſint per parentheſim. Et tunc textus facit hunc ſenſum: *Poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum, & ſignum cui contradicetur, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Et tunc per ſententiam particularem legendum eſt, *Tuam ipſius animam*; quia tempore paſſionis declaratum fuit multorum odium, vel amor erga Chriſtum. Hanc intelligentiam multi ſequuntur, D. Carthuſianus, Ianſenius, Salmeron, Maldonatus, Barradas, Beaulxames, & alij. In hac tamen ſententia non quieſco ex eo, quod mutat apices textus, & ponit parentheſim, vbi non eſt in noſtra Vulgata. Sextam explicationem tenent D. Auguſtinus *Epiſt.* 59. *ad Paulinum*, Boſtrenſis, Beda, qui hæc referunt tam ad amorem Diſcipulorum, ac ſanctarum mulierum, quàm ad odium Iudæorum: horum verò occultæ cogitationes in Chriſti paſſione manifeſtatæ ſunt. Septimò. Toletus *annot.* 58. interpretatur de odio Iudæorum, qui Chriſtum crucifixerunt; nam illæ cogitationes dicuntur propriè reuelari, quæ in corde erant occultæ, & pateſiunt; Principes autem Iudæorum eum interficere in animo habebant, & timore plebis in eum nihil audebant, *Ioan.* 5. *n.* 18. Tamen illa particula *vt*, mihi facit difficultatem: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius vt reuelentur*; indicat ergo illa particula quid ſecutum, tamquam effectum, ex dolore Virginis; quod odio Iudæorum accommodari non poteſt.

Marc. 15. Ioan. 19. Luc. 23.

53. Dicam quid ſentio in hac re. Simeon loquitur de ſanctis mulieribus, de aliquibus Chriſti diſcipulis, qui moti exemplo Beatiſſimæ Virginis, quæ Chriſtum in paſſione ſua comitabatur, ei etiam aſſociati ſunt. Chriſti diſcipulus occultus propter metum Iudæorum, *Ioan.* 19. *num.* 38. mortuo Domino, *Audenter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu*, Marc. 15. num. 34. Similiter Nicodemus, *Qui venerat ad Ieſum nocte*, Ioan. 19. num. 39. Similiter mulieres ſanctæ, & diſcipulus Ioannes, qui antea cum cæteris fugerat in horto, Beatiſſimam Virginem ſunt ſecuti. Centurio confeſſus eſt: *Verè hic homo filius Dei erat.* Et etiam multi, *qui aderant ad ſpectaculum, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua*, Luc. 23. n. 48. Tanquam pœnitentiam demonſtrantes, reuertebantur domos ſuas. Et quamuis multi occultè de morte Chriſti dolerent, tamen huiuſmodi ſigna pœnitentiæ non dederunt, niſi mortuo Domino. Ac proinde cùm Virgo in paſſione filij ſui intenſiſſimo dolore eſſet transfixa, eius exemplo commoti ſunt diſcipuli illi, ac mulieres ſanctæ ad ſuum erga Chriſtum Dominum amorem manifeſtandum.

Lucæ 2. n. 36. Et erat Anna Prophetiſſa filia Phanuel de Tribu Aſer: & hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua.

VERSIONES.

Syriacus. Filia Phanuelis tribulis Aſer, & hæc multum iam ætate proceſſerat.

Vatablus. Porrò Anna, *&c.* Et ipſa erat decrepita diebus, anniſq; ſeptem cum marito ſuo vixerat.

Arias. Et hæc progreſſa diebus multis viuens cum viro ſuo.

EXPOSITIO.

Ambroſ. Gloſſa. Eccli. 15.

54. POſt ſenis Simeonis teſtimonium adducitur vetulæ Annæ; quia omnis ætas, & ſexus Chriſti teſtatur aduentum, vt ait hîc D. Ambroſius. Et rectè, inquit Gloſſa, in præconiis Chriſti, per quem vita reddita eſt, coniungitur Anna Simeoni; quia per virum, & mulierem vita totius mundi perdita eſt, ab his primò publicetur in templo. Et tam exactè deſcribitur Anna, vt diſtinguatur ab aliis, quæ ſimili nomine vocabantur. A ſanctitate maximè laudatur; quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, *Eccleſ.* 15. *num.* 9.

Expen

Hugo. *Iuſtus proficit ſemper.* Sap. 2. Ambroſ.

54. Expendamus verba. Laudatur primò à gratioſitate. Eius nomen exprimitur *Anna*, quæ gratia interpretatur; quia eximiam in verbis habebat: quod maximè conduxit, vt omnium animos attentos faceret. Secundò. A ſapientia. *Prophetiſſa*; quia huiuſmodi dono Spiritus ſancti repleta erat; vel quia ita communi omnium voce appellabatur. Tertiò. Extollitur à bonitate parentum. *Filia Phanuelis.* Quartò. A nobilitate generis; *de tribu Aſer.* nam, vt ait Hugo, hoc ſolum in nobilitate appetendum, quòd quaſi quadam neceſſitate adſtringitur homo, ne à maiorum nobilitate degeneret. Quintò. A ſenectute: nam, vt dicitur *Iob.* 12. *num.* 12. In antiquis eſt ſapientia. Et nota, quod dicitur, *proceſſerat in diebus*; nam iuſtus in diebus ſuis ſemper ad vlteriora ante faciem ſuam progreditur: at in peccatore tempus conſumitur, & conteritur. Sapientiæ 2. num. 5. *Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri.* Vltimò, ac ſextò. Laudatur à continentia. *Vixerat cum viro ſuo.* Indicat, quòd ſemel fuit nupta, & hoc in adoleſcentia ſua, ac ſeptem tantùm annis cum viro ſuo permanſit; hæc omnia denotantur verbo illo, *à virginitate ſua.* Ex quo eius continentia comprobatur, quòd non iterum ſecundis nuptiis tradita fuit, quod in ea maximè laudat D. Ambroſius *lib. de viduis.*

QVÆSTIO XIII.

Quare dicatur nomen patris Annæ, & non viri ſui?

Cyrillus. Amphyl. Damian.

55. ANna hæc religioſa fœmina erat, vt eam appellat D. Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 10. his verbis. *Et Anna Prophetiſſa continens, & religioſiſſima teſtatur de ipſo.* Et D. Amphiloch. *homil. de occurſu Domini*, ait: *Anna corona viduarum, ſexu mulier, ordine Prophetiſſa.* Ac proinde imitatrix parentis Eliæ, de illiſque mulieribus, quæ obſeruabāt ad oſtium Tabernaculi *Exod.* 34. *num.* 8. 1. *Reg.* 2. *num.* 22. Nunc verò, dum Chriſti præſentiam denuntiat, *Euangeliſta facta eſt*, vt eā vocat Petrus Damianus *lib.* 8. *Epiſt.* 14. *ad Sorores.*

Ioann. 21. Lyran. *Gratitudo.*

56. Præſens quæſtio eſt: Quare Euangeliſta meminit nominis patris ſui Phanuel, & nomen non explicat mariti ſui, vt fit in aliis viduis, verbi gratia, Iudith, cuius vir dicebatur Manaſſes, *Iudith.* 8. *n.* 2? Reſpondeo primò, quòd de Iudith eſt magna notitia in Scriptura, cùm de ea ſit totus liber; at de Anna breuiter agit Euangeliſta, & ea tantùm memorat, quæ ad eius exactam pertinent cognitionē, & in populo Hebræo valde frequens erat, quòd vnuſquiſque à nomine patris ſui cognoſceretur. Sic Petrus dicitur *Simon Ioannis*, Ioan. 21. n. 15. Sic illi duo Apoſtoli, filij Zebedæi, *ibidem num.* 2. Ratio ſecunda. Iudith famoſa facta, victoriamque tam inſignem aſſecuta ornamentis, ac veſtibus, ſibi à viro ſuo donatis, vt ponderant Lyranus, & colligitur ex *c.* 10. *Iudith. num.* 3. Annæ verò nomine patris ſui Phanuel prænoſticata eſt Dei viſio, quam ſignificat Phanuel *Geneſ.* 32. *n.* 30. Vtraque ergo in ſignum gratitudinis, illa viri, cuius muneribus celebris facta eſt, hæc parentis tantùm recordatur, cuius nomine tanta felicitas promittebatur, vt Deum in templo facie ad faciem eſſet viſura.

Deo conſecratus nil temporale meditatur.

57. Tertiò. Iudith, ac aliæ viduæ in ſeculo habitabant in vrbe, ac virorum ſuorum domibus: benè ergo eorum memoriam tenet. At Anna, vt à mundi rebus ſeparata, tanquam fœmina religioſiſſima templo inſeruiebat, & Deo tota dedita erat; optimè igitur, non viri, ſed patris Phanuel, id eſt, Dei viſionis, memoria illi eſt in corde; qui enim Deo ita conſecrantur, non temporalia, ac concupiſcentiam carnis reſpiciunt, ſed toti in Dei viſionis contemplatione abſorbentur.

1. Reg. 1. Chryſoſt. Geneſ. 4. Theod. Lyppom. Caiet.

58. Poſtquam altera illa prudentiſſima Anna Samuelis mater optatum à Deo precibus impetrauit filium, cum viro ſuo ad Dei tabernaculum aſcendere noluit, dixit enim: *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter*, 1. Reg. 1. num. 21. Sed cur non properat ad templum, vt puerum Deo offerat? Noluit ſanè, ne puer iterum cum parentibus propriam repeteret domum, ſed illud expectauit tempus, quo materno officio non egens, cum illo in templo appareret, vt ibi perpetuò poſſet manere. D. Chryſoſtomus homil. 2. de Anna. *Cùm ablactauero*, ait, *illum, offeretur in conſpectu Domini, & ſedebit illic in æuum. Cùm accepiſſet donum, non ſuſtinet abſque dono comparere. Rurſus adducto illo, ac mox deſcendere verebatur.* Primum Deo ſacrificium obtulit Abel, in quo primitiæ omnium ſacrificantium, vt ait Procopius ac Abulenſis, Deo dedicatæ ſunt. Quid tunc? *Reſpexit Dominus ad Abel, ac ad munera eius*, Geneſ. 4. n. 4. ſeu, vt legit Theodotus, *Inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſacrificium eius.* Vt illo ſigno, ſicut ait Lyppom. & Caiet. illud ſacrificium eſſe Deo beneplacitum demonſtraretur. Sed cur, non alia nota lucis, vel radij, vel viſionis Dei, vt Abrahamo, *Geneſ.* 15. *n.* 12. & Iacob, *Geneſ.* 35. *n.* 7. ſed igne deuorante? Cùm ſacrificium Abel totius rei Deo dedicatæ, & conſecratæ primitiæ extitiſſet, igne conſumptum eſt, vt notum eſſet, quòd omne Deo dedicatum igne ipſius amoris eſt inflāmandum, ita vt nihil illius ſæculo remaneat; vt loquitur D. Eucherius *lib. de vita ſolitaria.*

Lucæ 2. n. 37. Et hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte.

VERSIONES.

Syriacus. Et erat vidua quaſi annorum, *&c.* Oratione, & ieiunio colebat Deum.

Vatablus, Pagninus. Quæ eadem vidua erat annorum ferme octoginta, nec diſcedebat de templo, ieiuniis, ac deprecationibus religioni dans operam.

Arabicus. Seruiens die, ac nocte Deo.

EXPOSITIO.

59. ANnæ continentia ab eius ſtatu deſcribitur, nam ante matrimonium Virgo, & poſtea

per tam longum tempus in caſtitate permanſit: *Vſque ad annos octoginta quatuor*; ſeu vt habet textus Græcus, *Circiter*, ſeu *ferme ad annos octoginta quatuor*. Græci authores exiſtimant, hoc eſſe totum tempus vitæ Annæ. Tamen D Ambroſ. Haymon, Petrus Damianus *lib.8. Epiſtol.14.* Didacus Stella, hoc referunt ad viduitatis tempus. Et patet ex textu; nam dicitur, quòd vixerat cum viro ſuo annis ſeptem; & poſtea, *Hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor*; vbi eſt computatio de tẽpore viduitatis; cum quibus ſi numeres tẽpus matrimonij, & antea virginitatis, totum vitæ Annæ tempus efficitur ad minimum centum, & ſex annorum. Et tandiu ſeruata eſt, vt Chriſtum videret. *Quæ non diſcedebat de templo*; non quaſi, quòd ibi ſemper eſſet, cùm poſtea de ea dicatur: *Hæc, ipſa hora ſuperueniens*. Sed Hebraiſmus eſt magnam indicans frequentiam; ſicut ad Roman. 1. n. 9. *Sine intermiſſione memoriam veſtri facio*. Ad Theſſal. 5. n. 17. *Sine intermiſſione orate*. In Annæ virtutibus frequentia templi notatur prior, quàm ieiunium & oratio, tamquam illis præexcellentior: imò ob frequentationem hanc exiſtimat Euthymius, quòd prophetiæ meruerit donum. Et ieiunium dicitur ante orationem: quia per illud mens ſobria ad obſecrandum maximè diſponitur, vt notat Beda, ſcilicet ieiuniis, & orationibus Deum colebat. Notatur hîc in Anna in tam longo ætatis tempore in bonis actibus perſeuerantia.

Ambroſ. Haymon. Damian. Stella.

Rom 1. Theſſal. 5.

Euthym.

Beda.

Ieiunium ad orationem diſponit.

Lucæ 2 n. 38. Et hæc, ipſa hora ſuperueniens, cõfitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabãt redemptionem Iſraël.

VERSIONES.

Syriacus. Quin etiam ipſa ſurrexit ea ipſa hora, & gratias egit Domino, ac loquebatur de eo cum quolibet præſtolante redemptionem ipſius Hieruſalem.

Pagninus, Arias, Theophylact. Et hæc eadem hora aſſiſtens viciſſim confitebatur Domino.

Vatablus. Hæc quoque eadem hora cùm ſuperueniſſet, palàm confitebatur Domino.

Textus Hebraicus. Cùm ſuperueniſſet, Deum laudabat.

Arias. Expectantibus redemptionem in Hieruſalem.

Græcus apud Sà. Confeſſione reſpondebat, ſcilicet Simeoni.

EXPOSITIO.

60. IN Ipſo temporis articulo, quo puer in vlnis Simeonis tenebatur, ac tot, tantaque de Chriſto prædixerat, aduenit Anna, & feliciſſima, quæ talem eſt aſſecuta occaſionem; ſed hoc non caſu, ſed Spiritu ſancto mouente factum eſt. *Confitebatur Domino*; ſeu, vt alij interpretantur, *viciſſim confitebatur Domino*, hoc eſt, vt explicat Caietanus: *Poſtquam Simeon laudauit Deum, confeſſuſque eſt myſterium Ieſu, Anna proſecuta eſt, confeſſioni Simeonis reſpondendo*. Et antequam de Deo locuta eſſet, tam longa caſtitate longiſque ieiuniis deſcribitur. *Et loquebatur de illo, omnibus expectantibus redemptionem*. Et non ſolum Deum laudauit, ſed etiam præſentibus adſtantibuſque fidelibus multa de puero annuntiauit, conteſtans ipſum eſſe verum Meſſiam promiſſum. Hæc prudens mulier, non cum omnibus, ſed cum fidelibus tantùm expectantibus redemptionem loquebatur de illo; tum quia carnalis homo non percipit ea, quæ ſunt Dei; tum quia animus amicus, & non contrarius videt percipitque magnalia, *Iacob*. Si hanc lectionem cum noſtra vulgata retineamus, eſt ſenſus; Annam locutam fuiſſe cum illis, qui totius populi Iudaici deſiderabant redemptionem. Si verò cum Syriaco legas, *Ipſius Hieruſalem*, ſumitur pars pro toto. Si autem, *In Hieruſalem*, cum Aria, Euthymio, Theophylacto, eſt ſenſus locutam fuiſſe omnibus in Hieruſalem.

Caiet.

QVÆSTIO XIV.

Quare Deus reueletur Annæ?

DIVVS Fulgentius *Epiſtol. 2. ad Gallan. cap. 15.* hoc tribuit Annæ caſtitati, & eam comparat cum Iudith vidua. Ita ait: *Quam verò multum Deus in vtraque vidua continentiam ſibi placitum demonſtrauit: nam Iudith ſpiritualibus armis accincta caput laſciui prædonis abſcidit. Anna verò ipſum caput Eccleſiæ Spiritu ſancto repleta cognouit*. Et poſtea ſubdit. *Quia ſanctimoniam virginalem vidualis continentia gradu inferiore ſubſequitur: idcirco poſtquam de Virgine natus eſt Dei filius, vidualis linguæ dignatus eſt officio prædicari; non tamen de illo loquitur vidua delicijs dedita, ſed quæ non deſcendebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die*. Vbi Sanctus Pater Annæ caſtitati adſcribit, quòd Chriſtum in carne agnouerit; eique datum ſit, de eo loqui; nec enim puritas infantis Ieſus poterat capi ore alio niſi puro, & caſto. Et hæc mihi videtur germana ratio; nam ideo Euangeliſta tantus eſt in explicanda eius caſtimonia, vt inde tanti fauoris meritum, ac beneficij pateſieret. Vnde ait Tertullianus lib. aduerſ. Pſychicos c. 8. *Anna multa ſuper eo prædicauit, oſtendens à nullis melius intelligi Chriſtum, quàm ſemel nuptis, & ſæpe ieiunis*. 61.

Fulgent.

Solùm caſtus Deum agnouit.

Tertull.

62. Secundò. Tertull. *lib. de Monogamia c. 8.* ita ait: *Vbi Chriſtus infans in templo exhibetur, mox à fœmina prædicatur vetere vidua, & vniuira, quia & templo dedita ſatis in ſemetipſa portentabat, quales ſpirituali templo, id eſt, Eccleſiæ, debeant adhærere.* Chriſtum in templo vidit, quæ illud aptè, & bene erat ingreſſa, ſolummodo enim qui taliter intrant, tanto fruuntur bono. Tertiò. Petrus Damianus *lib. 8. Epiſt. 14. ad ſorores* ita ait. *Anna non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens, nocte, ac die. Quid, quæſo, hæc mulier faceret ſi adhortationes Apoſtolicas legeret: Orate ſine intermiſſione*, 1. Theſ. 5. n. 17. *Præſertim ſi ipſum Dominum prouocantem nos ad ſtudium continuæ orationis audiret? Porrò, quia antequam Euangelium diſcere potuiſſet, impleuit: prophetica Dominum*

Tertull.

Templum cũ puritate ingrediendum.

Damian.

1. Theſſal. 5.

inſpiratione cognoſcere, atque, vt ita fatear, Euangeliſta facta eius meruit præſentiam nuntiare. Ac ſi dicat Doctiſſimus Cardinalis, quòd Anna tantam obtinuit felicitatem, vt Chriſtum propriis oculis viderit, atque annuntiauerit; quia ante doctrinam Euangelicam, virtutes aſſecuta eſt Euangelicas. Et quid magis admiratione, ac præmio dignum, quàm ſine exemplo vllo, & adhortatione ad tantum ieiunij, caſtimoniæ, ac orationis culmen peruenire?

63. Quartò. Datur ei, Chriſtum videre, & annuntiare, vt ait Simon Caſſianus lib. 2. cap. 21. *Vt hoc pacto Anna eſſet honorata*. Illa Deum colebat die, ac nocte ſuiſque obſecrationibus Deum laudabat, ideo honoratur ab ipſo inter alias mulieres (Virginem Mariam ſemper excipio,) vt prima Chriſtum videat, ac inter omnes annuntiet, vt Euangeliſta, Deus enim honorificantes ſe honorat. In cultum Dei egreſſus Noë de arca, *Ædificauit altare Domino, tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare*, Geneſ. 8. n. 2. Quid tunc? Apparet ei Dominus, & conſtituit eum, non ſolùm ſuper animalia terræ, & volucres cæli, vt dictum eſt Adamo, ſed etiam addidit: *Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt*, Geneſ. 9. num. 2. Qui in Dei cultum altare erexit, ac pauca obtulit animalia, ita à Deo extollitur, vt ſuper omnia tam terrena, quàm aquatilia dominatum accipiat. Vnde ait Rupertus, *Diuina diſpenſatione hominum poteſtas hic accreuit*.

Caſſian.

Deus honorantes ſe honorat.

Geneſ. 8.

Geneſ 9.

Rupert.

QVÆSTIO XV.

Quare verba Annæ ab Euangeliſta non exprimantur?

64. FINITO Simeonis ſermone pluribus verbis ſecuta eſt Anna; hoc ſæpe contingit, dum vnus incipit, multi proſequuntur. Præſentato Chriſto omnes in templo tacebant; at vbi Simeon Dei laudes intonuit, ſtatim Anna ſuperueniens confitebatur Domino. Vide ſuprà *cap. 1. quæſt. 23. num. 92.* Huius mulieris verba latè ſcribit S. Amphilochius *orat. de occurſu Domini*, ſcilicet, quòd dixerit, infantem illum, qui materno ſinu portabatur, Deum eſſe, ac Redemptorem, qui creauit cælum, & terram, ac produxit Patres de Ægypto, & multa alia. Tamen Euangeliſta verba eius, ſicut Simeonis, non explicat.

Dum vnus incipit, multi ſequuntur.

65. Salmeron *lib. 3. tract. 43.* ait, quòd Euangeliſta non ſcripſerit verba Annæ, vt breuitati ſtuderet. Secundò D. Gregorius Nyſſenus *in Catena*, inquit, *Verùm, quia Anna Prophetiſſa modicum aliquid, & non minus clarum de Chriſto diſſeruit, Euangelium non ſeriatim induxit, quæ ab ea ſunt dicta*. Exiſtimat, quòd Anna verba quædam non obſcura in laudem Chriſti protulerit, non ſicut Simeon, & ideo non particulariter ab Euangeliſta ſcribantur. Hæc tamen ratio non videtur multum efficax. Tertiò. D. Bonauentura ait. *Simeonis teſtificatio explicitè deſcribitur, & per modum prædicationis: Annæ verò implicitè, & per modum confeſſionis; quia docere in Eccleſia, non eſt mulierum, ſed virorum*, 1. Timoth. 2. *Docere autem mulieri non permitto, nec dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio*. Similiter Cardinalis Hugo. Non ponuntur verba præconij mulieris, ſed viri, in ſignum, quòd mulier magis tacere debet, quàm loqui, & doceri, quàm docere, 1. Corinth. 14. num. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant; non enim permittitur eis loqui*.

Salmer. Nyſſen.

Bonauent.

Mulier non doceat.

1. Timoth. 2.

Hugo.

1. Cor. 14.

66. Quartò. Non exprimuntur omnia verba Annæ, quibus Dominum confitebatur, ac de Chriſto loquebatur, vt denotetur, quòd omnis gratiarum actio pro beneficio Incarnationis, omniaque Chriſti Domini facta, & magnalia ab humana lingua explicari, ac recenſeri non poſſunt, ſed cogitationi veſtræ relinquantur, cùm alia ſemper dicenda ſuperſint. Dum viginti quatuor ſeniores Agnum occiſum, ſcilicet Chriſtum Dominum laudibus extollebant, dicitur de illis: *Cantabant canticum nouum*, Apocalypſis 5. n. 9. Sed quomodo carmen illud nouum appellatur? Dum facta Chriſti Domini celebrant, ſemper aliquid, quod dicant, & laudent, inueniunt nouum. Anſbertus Abbas. *Ipſis operibus nouum canticum decantantes animalia, & ſeniores dicunt: Dignus es, Domine*, &c.

Chriſti magnalia non poſſunt omnia dici.

Apocal. 5.

Ansbert.

QVÆSTIO XVI.

Quomodo dicatur, Annam loqui cum expectantibus redemptionem Iſraël?

RATIO difficultatis eſt; quia omnes Iudæi expectabant redemptionem Iſraël. Reſpondet Maldonatus. Expectabant quidem, aut ſe certè expectare profitebantur; ſed alij vel incerto tempore, vel minori cura; aut eo tempore, quo venit, aut maiori exoptabant deſiderio; & cum his loquebatur Anna. Vnde verbum *expectare*, in hoc loco, ſicut & in ſuperiori, vt dixi, non ſolùm dicit deſiderium, verùm etiam propinquitatem quandam, & approximationem. Secundò. Quamquam omnes ſperarent, non omnes tamen meritum habebant ſperandi operibus, & factis; Anna autem cum illis loquebatur, qui merebantur ſpei fructum habere, ac Chriſti doctrina, præſentiaque frui. 67.

Maldon.

68. Quæſtiuncula ſecunda. Quare auditis tot de Chriſto præconiis, Virgo nihil ſit locuta, ſicut ſe habuit cum Elizabeth cognata ſua? Reſpondet Simon Caſſianus lib. 2. cap. 1. *Nec mirum*, ait, *quòd in templo veteres, & annoſi clamant, & prophetant, & iuuencula Virgo tacet; quia Teſtamentum vetus plus extitit in verbis, quàm in factis: nouum verò plus facto, quàm verbo. Et ſilentio, non verbo præſtatur fides dictis*. Lex vetus in Anna, & Simeone repræſentata, vt imperfecta verbis maximè conſiſtebat; lex gratiæ, quæ in Beatiſſima Virgine exprimebatur, vt perfectiſſima non tam verbis, quàm factis declaratur, præcipuè quia fides ſilentio cordis potius, quàm ſermone oris ſuum præbet aſſenſum. Secundò. Virgo loquitur coram Elizabeth, non verò coram aſtantibus in templo; cùm enim Elizabeth cæleſti gratia eſſet repleta, non ex affectu carnis, ſed ex inſtinctu Spiritus ſancti, verba Virginis procedere cognoſcebat; at circunſtantes illi, cùm hoc ignorarent, aliquem ibi maternum affectum ſuſpicari poſſent, ideo prudentiſſima Virgo Maria coram illis os ſuum ſilentio premit.

Caſſian.

Quare Virgo non loquitur hic?

Lucæ 2.n.39. Et vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini: reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth.

VERSIO.

Concordant omnes.

EXPOSITIO.

69. NON qualicumque modo, ſed conſummatè, & perfectè ea, quæ legis erant, impleuerunt. Hoc denotat verbum illud *perfecerunt* taliter, & quæ ſunt Dei taliter peragenda. Et per hoc ſignificatur, vt aduertunt Euthymius, Carthuſianus, quòd ea omnia conſummata ſint, quæ erant circa pueri præſentationem, ac circa hoſtias eum quinque ſiclis redimendo. *In ciuitatem ſuam Nazareth*; dicitur enim ſua propter conceptionem; nam propria eius patria Bethleem erat; ſed in ſua peregrinus erat, in aliena ciuis.

Euthym. Carthuſ.

QVÆSTIO XVII.

An aduentus iſte in Nazareth fuerit ab Ægypto, an è Hieruſalem?

70. ADIMPLETA purificationis lege, S. Lucas hîc mentionem facit, quòd Virgo, & Ioſeph cum puero *reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth*. Difficultas eſt, an hic textus intelligatur, quòd è Hieruſalem petiuerint Galilæam; an, quòd è Hieruſalem iuerint in Ægyptum, dicente Angelo: *Surge, accipe puerum, & fuge in Ægyptum*, Matth. 2. num. 13. Et noſter Euangeliſta hîc loquatur de aduentu eorum ab Ægyptiaca prouincia?

Matth. 2.

71. Prima ſententia eſt D. Auguſtini *tom. 4. lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. c. 5.* Bedæ, Ianſenij, Caietani *hîc*. Qui ita ordinant textum Lucæ, & Matthæi, vt poſt pueri præſentationem, de qua Lucas agit, ſequatur illud, quod narrat Matthæus, *Surge, accipe puerum, & fuge in Ægyptum*; poſt cuius regreſſum, mortuo Herode, regnante Archelao, venit intelligendus textus Lucæ, *Reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth*. Quod conuenit cum textu Matth. 2. n. 23. *Seceſſit in partes Galilææ, & veniens habitauit in ciuitate Nazareth*. Et ita iſti Doctores ſunt in opinione, quòd è Hieruſalem profecti ſint in Ægyptum, & poteſt fundari hæc opinio in textu Matthæi, quia poſt deceſſum Magorum narrat profectionem in Ægyptum.

Auguſt. Beda. Ianſen. Caiet. — Matth. 2.

72. Secunda ſententia eſt D. Chryſoſtomi *hom. 9. in Matth.* D. Anſelmi *in cap. 1. Matth.* Euthymij, Origenis *homilia* 18. Abulenſis *in cap. 2. Matth. quæſt. 57.* Et hæc mihi videtur vera, quòd ea, quæ hîc narrat Lucas, ſimul connexa fuere: nimirum, poſtquam adimpleuerunt omnia, quæ erant legis in templo circa præſentationem pueri, reuerſi ſunt in Nazareth, & cùm ibi eſſent admonente Angelo, fugerunt in Ægyptum. Probatur hæc ſententia primò, ex textu Lucæ, *Et vt perfecerunt omnia reuerſi ſunt*; illa enim copula *&*, denotat connexionem inter res narratas. Secundò. Quia valde conueniens erat, quòd cùm Beatiſſima Virgo, & Ioſeph per aliquot annos in Ægypto eſſent permanſuri, priùs componerent, quæ ad domum ſuam attinebant, ac ad iter tam longum requirebantur, ſaltem breuiter, ac ſpatio noctis vnius. Tertiò. Quia Innocentium occiſio tam immediata non fuit, vt patebit ex *cap. 8. quæſt. 9.* Ergo tam accelerata profectio neceſſaria non erat. Quartò. Ea, quæ Matthæus narrat, non ſunt connexa; nam inter Magorum diſceſſum, & fugam in Ægyptum, interceſſit præſentatio in templo. D. Epiphanius *hæreſi* 51. ex alio capite eſt in hac ſententia; exiſtimat enim, Chriſtum duobus annis poſt natiuitatem profectum eſſe in Ægyptum. Sed hæc ſententia non recipitur.

Chryſoſt. Anſelmus. Euthym. Origenes. Abulenſis. — Epiph.

Lucæ 2.n.40. Puer autem creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia, & gratia Dei erat cum illo.

VERSIONES.

Syriacus, Epiphan in Ancorato. Puerulus autem creſcebat, & corroboratur ſpiritu, ac replebatur ſapientia, & gratia Dei erat ſuper eum.

Vatablus. Puellus autem ſuccreſcebat, atq; corroborabatur ſpiritu, & implebatur ſapientia, gratiáque Dei fouebat ipſum.

EXPOSITIO.

AGIT hîc Euangeliſta tam de corpore, quàm de anima Chriſti Domini. De corpore ait, quòd *creſcebat, & confortabatur*. Quod optimè explicant noſter Cyrill. *lib. de fide ad Reginas*, Titus Boſtrenſis, *Confortabatur robore membrorum vnà cum ipſa corporis mole adoleſcente*. nam dum corpus incrementum accipit; membra robuſtiora fiunt. Si verò legas cum Syriaco, Epiphanio, Euthymio, Theophylacto, *Confortabatur ſpiritu*, vt explicat Euthymius, ſcilicet ſancto, à quo conceptus, qui ſemper cum illo erat oſtendendo ſemper in ipſo maiora opera. *Plenus ſapientia, & gratia Dei erat cum illo*. Hoc refertur ad animam, vt rectè notat Theophylact. Et dicitur *plenus*; quia à primo inſtanti in eo extitit omnis plenitudo ſapientiæ, & gratiæ, quæ ab ipſa vnione emanabat. Et ſicut dicitur hic plenus ſapientia, non dicitur plenus hic gratia, vt Ioannes dixit *cap. 1. n. 32.* nam in hoc loco gratia eſt in nominatiuo, *Gratia erat in illo*; vt per hanc locutionem denotetur, quod gratia erat in ipſo, vt in cauſa, ac principio efficiente. Hanc vim habet huiuſmodi locutio, ſicut illa Ioann. cap. 1. n. 4. *In ipſo vita erat*. 73.

Cyrillus. Boſtrenſ. — Syriacus. Epiph. Euthymius. Theophyl. — Ioan. 1.

Si verò legatur cum D. Ambroſio *lib. de Incarnatione Domini, cap. 7.* Boſtrenſi, Theophylacto, Pagnino, Vatablo, *Implebatur*; vel cum Syriaco, *Replebatur*; explicãdus eſt locus cum ipſo D. Ambroſio, de ſcientia experimentali; vel cum Boſtrenſi, ac Theophylacto de ipſa manifeſtatione externa ſcientiæ, vt dicam in ſimili loco *cap. 10.* explicando text. *Luc. num. 52.* 74.

Ambroſ. Boſtrenſ. Theoph. Pagninus. Vatablus.

CAP. VII.

Fuga pueri Ieſu cum Matre in Ægyptum.

Matthæi 2. num. 13. Qui cùm receſſiſſent; ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.

VERSIONES.

Syriacus. Quum autem abiiſſent, apparuit Angelus Domini in ſomnio ipſi Iauſeph.

Pagn. Vatabl. Digreſſis autem illis, ecce Angelus Domini apparet.

EXPOSITIO.

1. ISTA apparitio facta eſt Nazareth, vt patet ex ſuperiori cap. *quæſt. 16.* Et dicitur, *Cùm receſſiſſent*, ſcilicet Magi. Quod intelligitur, vt notant D. Thomas, Albertus Magnus, interpoſitis aliquibus diebus; nec enim, quæ Scriptura narrat, ſemper intelliguntur connexa, ſicut dicitur: *Mulier concepit, & peperit*. Textus, *Ecce* rem magnam indicat. *Angelus Domini*, per hoc bonus nuntius, à Deóque miſſus oſtenditur. *Apparuit in ſomnis Ioſeph*. de quo vide multa *lib. 1. cap. 10. quæſt. 11.* Et hoc facto, vt notat Rupertus, demonſtratur, quòd quamuis iuſtus ſit dormiens, Angeli tamen in eius cuſtodiam vigilant. Hic autem Angelus erat Gabriel. D. Anſelmus, *Mittitur Angelus Gabriel, qui in Ægyptum faciat puerum deportari*. Haymon *in homil.* ait: *Mittitur Gabriel miniſter Incarnationis*. Quo verò tempore Angelus apparuit? Vincentius Bellouacen. *in ſpeculo hiſtorico lib. 6. cap. 94.* teſtatur, quòd *ante vnum diem, quàm Herodes pueros occideret, admonitus eſt Ioſeph in ſomnis*. Certum eſt, quòd imminente periculo Angelus apparuerit, licèt fortè non tam in propinquo ante vnum diem.

D. Thom. Alb. Magn. — Rupert. *Angelus, id eſt, Gabriel.* Anſelm. — Haymon. Bellouac.

QVÆSTIO I.

Quare per Angelum, & non per hominem fuga mandatur Ioſeph?

2. SÆPE ſæpiùs inuenimus in Scriptura, Deum per homines, ac Prophetas ſuos hominibus præcepta mandare, vt patet in Exodo, Leuitico, Deuteronomio per Moyſem, Ezechiæ per Iſaiam, 4. *Regum 20. num. 5.* & alibi ſæpe. Quare ergo non per hominem, ſed per Angelum, Ioſeph multa paſſim mandantur, non ſolùm hîc, ſed etiam *Matth. 1. num. 20. & cap. 2. n. 19.* Reſpondet primò Albertus Magnus hîc: *Vt ſciamus*, ait, *tam ſanctum virum*, ſcilicet Ioſeph, *cum Angelis habere familiaritatem, & ideo crebras ab eis habere reuelationes*. Cùm vnus homo cum altero conuerſationem habeat, ideo à Deo per hominem admonetur; at verò cum Ioſeph, veluti Angelus per gratiam, intimam cum Angelis haberet amicitiam, ideo ei per Angelũ Dei decreta imperantur.

4. Reg. 20. — Alb. Magn. — *Angeli familiares D. Ioſeph.*

3. Secundò. D. Chryſol. *ſerm. 151.* ait: *Nunc mandatur fuga, mandatur cælitus, mandatur per Angelum, vt videatur cælum timor ante tenuiſſe, quam terram*. Tota res erat de Chriſti vita conſeruanda, ne eius læderetur maieſtas, ac ne ſalus ex alto Dei conſilio humano generi præparata impediretur; ideo videtur, cælum timor ante tenuiſſe, quàm terram. Et hac de cauſa nuntium, Angelúmque ſuum mittit. Tam horribilis eſt Dei offenſa; tantùm malum communi obſtare bono, impedimentúmque apponere. Et ita ait idem Chryſologus ſerm. 150. *Perſequente homine Deus fugit; ſæuiente terra, cælum trepidat, & volitante puluere, pauore turbantur Angeli, & pauor patris, filio fugiente, monſtratur*. Tertiò. Prius apparet timor in cælo, quàm in terra, vt ne quis aliquid ſiniſtrum de fuga pueri concipiat; tamquam ſi hoc cum eius poteſtate pugnet, Angelus Dei bonus fugam ſuadet. Vbi honor, vel fama in aliquod poteſt diſcrimen incidere, ibi omnis conatus, ac vis adhibenda eſt, vt probata appareat cauſa, ab omnique falſa ſuſpicione, ac cenſura immunis euadat. De hoc vide *lib. 1. cap. 2. n. 54. & 61. & cap. 4. n. 13. ſolut. 4.* Sumitur ex D. Dionyſio *de cæleſti Hierarch. cap. 4.* quòd talis eſt inter homines, & Angelos diuina diſpoſitio, vt non niſi per Angelos, diuinæ nobis illuminationes fiant. Vnde Chriſtus per Angelos voluit nuntiari, & hunc ordinem quamuis Dominus, & Rex vniuerſi, minimè tranſuertere diſpoſuit.

Chryſol. *Cælum timet peccatum.* — Chryſol. — Dionyſ.

QVÆSTIO II.

Quare iſta reuelatio fiat tantùm Ioſeph, & non Beatiſſimæ Virgini?

4. SANCTISSIMA Virgo vera Chriſti mater erat, & multo ſanctior Ioſeph: cur ergo de hac fuga reuelatio huic tantùm fit, & non Virgini? Hanc quæſtionem attingit D. Chryſoſtomus *homil. 8. in Matth.* & ait: *Apparuit igitur Angelus non Mariæ, ſed Ioſeph*; at quæſtionem non ſoluit. Ad illam poteſt reſponderi. Primò, quòd non fuerit neceſſarium, vt Virgo admoneretur per Angelum, vt cum filio ſuo deſcenderet in Ægyptum, hoc enim ipſa optimè agnoſcebat ex ſacra Scriptura, Iſai. 19. num. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius*. Qui locus communiter à ſanctis Patribus intelligitur de ingreſſu Chriſti in Ægyptum, vt dicam infrà *q. 13.* Similiter Oſeas 11. num. 1. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, quod de Chriſto Domino etiam exponitur *q. 14.* Atqui Beatiſſima Virgo per dona Spiritus ſancti maximè erat illuminata, & perfectiſſimam Scripturarum intelligentiam habebat; ergo non requirebatur, vt

Chryſoſt. — Iſai. 19. — Oſeas. 11.

in hoc negotio per Angelum aliqua ei fieret manifeſtatio.

5\. Secundò conuenientiſſimum fuit vt Angelus reuelaret Ioſeph in Ægyptum eſſe fugiendum; nam,vt ait Abulenſis hîc, *Erat Ioſeph quaſi dominus Mariæ, quia erat vir eius, & ad mandatum eius moueri debebat,& ideo iuſſum eſt Ioſeph,quòd acciperet Mariam & puerum.* Cùm caput mulieris ſit vir,Ioſeph illius ſanctiſſimæ familiæ caput erat, & ideo ei de fuga pueri intimatur mandatum. Cùm Rex Abimelech poſt deprehenſam Saram,cum viro ſuo Abrahamo dimittere vellet; ait Rex Saræ, *Ecce dedi fratri tuo mille argenteos, hoc erit tibi in velamen oculorum*, Geneſ. cap.20. num.16. Sed ſi pecunia illa in gratiam Saræ dabatur, quomodo non illi,ſed Abrahamo tribuitur.Procopius, *Illud*,ait,*memorabile,quòd illa ſumma,non Saræ, ſed marito eius dependitur.* Pecunia illa erat ad comparandum velum; bene ergo hoc non Saræ, vtpote mulieri, ſed Abrahamo tamquam familiæ capiti committitur; negotia enim per virum exercenda ſunt. Tertiò. Deus omnes honorat, Virgini datum eſt, vt eſſet mater; Ioſeph vt eſſet cuſtos, nam Deus minores etiam ſuis proſequitur fauoribus ac beneficiis. Si autem hoc Ioſeph non per Virginem,ſed per Angelum dictum eſt, triplex fuit cauſa. Prima,quia Angeli maximè delectabantur colloquio Ioſeph. Secunda. Ne Virgini ſubtraheretur occaſio exercendi actum obedientiæ,ad quam ipſa erat promptiſſima. Tertia. Ne Virgo reuelando hoc Ioſeph videretur imperare,cùm proprium ſit mulieris,vt obediat.

Abulenſis. — *Quæ ad familiam ſpectant per virum diſponenda.* — Geneſ.20. — Procop. — *Deus omnes honorat.* — *Quare hoc nō per Virginem declaratur Ioſeph.*

6\. Quarta. Dei iudicio, atque prouidentia ordinatum eſt vt Ioſeph eſſet infantis Ieſu cuſtos, & nutricius; ergo conueniens erat vt notitia de fuga pueri ei,& non alteri fieret,ne videatur minus ſemel commiſſum Ioſeph alteri delegari;nec enim ſolet Deus conſignatum miniſtrum in ſuo officio aliorum functionibus interpellare. Poſt tranſactum mare, cùm Ægyptij perſequentes Iſraël ipſum ingrederentur, *Ait Dominus ad Moyſem, extende manum tuam ſuper mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios ſuper currus,& equites eorum, & leuauit Moyſes manum ſuper mare, & reuerſum eſt mare*, Exod.14.num.26. & 27. Multi inimici populi Iſraël interfecti ſunt manu Dei vt Sennacherib,& alij. Cur vt Pharao cum exercitu ſuo pereat, expectatur manus Moyſis? Conſtitutus erat ipſe ab omnipotente *Deus Pharaonis*, ne in iuriſdictione ſemel data videatur Moyſes impediri, ideo totum negotium circa Pharaonem Deus illi committit; adſtipulatur Caietanus: *Fugientibus Ægyptijs præcepit Deus, vt mediante virga Moyſi, reuertantur aquæ ad operiendum Ægyptios.*

Miniſter electus non eſt in ſuis functionibus impediendus. — Exod.14. — Caiet.

Matthæi 2. *num.*13. Surge, & accipe puerum,& matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi.

VERSIONES.

Syriacus. Accipe puerum,& matrem eius, & in Ægyptum fugito, & eſto ibi vſque dum dixero tibi.

D. Athanaſ. contra Maced. dial. 2. Aſſumpto puero, eiúſque matre fuge.

Vatablus. Cùm ſurrexeris, aſſume puellum.

Pagninus, Arias. Experrectus aſſume puerulum.

*Imperfectus homil.*2. Tolle puerum,& matrem.

EXPOSITIO.

7\. HÆc ſunt Angeli verba;& quamuis Ioſeph de cuſtodia pueri eſſet maximè ſolicitus, verſutia enim Herodis erat ei valde ſuſpecta; hîc ab Angelo non dicitur ei, ſicut Matth.1. num.20. *Noli timere*;quia Ioſeph, cùm in præſentia eſſet iam pueri nati, quem vt Deum agnoſcebat, de omni ſecurus euentu,nullo concutiebatur timore. Angelus primò ait: *Surge, & accipe*,hoc eſt,cùm experrectus fueris, accipe, vt notat Caietanus: *Angelus non præcipit, vt vigilet, ſed cùm à ſomno euigilauerit, accipiat puerum.* Deus ſuauia præcipit, & non valde difficilia. Et non ait,*tuum*,puerum tuum,quia non tantùm illi,ſed omnibus erat natus. *Et matrem eius*; non dixit coniugem tuam, vt *Matth.*1. *num.*20. Sed abſolutè matrem eius,ſcilicet pueri,vt notant D. Hilarius, D.Thomas, D. Paſchaſius, tum ob Deiparæ virginitatem,quia ſicut Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permanſit; tum, propter eius dignitatem, erat enim Dei mater,qua dignitate maior nulla, & denominatio fit à digniori. Ita S.Thomas, *Fuge in Ægyptum*, oſtendit locum,quò tendere debeat. *Et eſto ibi, vſque dum dicam tibi*; & non indicat, vt aduertit Albertus Magnus, quanto tempore in exilio,& labore eſſe debeat, quia prompta Ioſeph obedientia ad omnia erat diſpoſita; & non quærit quandiu in loco illo futurus ſit; nam perfecta obedientia nihil quærit, ſed audiens ad omnia eſt præparata: de hoc aduentu loquitur Iſaias 19.num.1. *Ecce Dominus deſcendit in Ægyptum.* Aduertit Imperfectus *homil.*2.*in fine*,de Chriſto Saluatore noſtro, *Numquam inuenitur Dominus deſcendiſſe, niſi tunc.* Quando videbatur mortem fugere, quamuis ex Dei alto conſilio, tunc dicitur deſcendere; cùm verò illi ſe ſe offert,tunc ſcribitur,*aſcendere. Ecce aſcendimus Hieroſolymam.*

Matth.1. — *Coram Deo nullus hoſtis timetur.* — Caietan. — Hilar. D.Thom. Paſchaſ. — Alb. Magn. — *Vera obediētia præparata ad omnia.* — Iſai.19. — Imperfect.

QVÆSTIO III.

Quare Angelus nomen pueri, & matris non exprimat?

8\. ACcipe *puerum,& matrem eius*, ait. Cur non dixit: Accipe Ieſum, & matrem eius Mariam? Reſpondeo primò. Vt oſtendatur, omnes Ioſeph ſenſus, & cogitationes ita in Chriſtum, & Mariam eſſe intentos,vt non alios, niſi hos tantùm,qui eius curæ,ac ſolicitudini traditi erant, intelligeret. Secundò. Vt commendetur fides Ioſeph, qui licèt ab Angelo puerum, ſeu puerulum vocari audiret; vt Deum tamen, & Saluatorem ſuum reuerebatur, & agnoſcebat. Tertiò.

Omnes ſenſus Ioſeph in Chriſtum.

Tertiò.Non dicitur: Accipe Deum,ſed puerum: vt obiiciebant Neſtoriani *in Dialogo cum Maxentio lib.*1. quia Dominus hîc fortitudinem abſcondebat; & fugæ manifeſtabat timorem; igitur non Deus,ſed puer imbellis dicitur, vt hoc nomine tempori,atque occaſioni proportionetur. Vide *lib.*1.*cap.*6.*num.*16.*& lib.*2. *cap.*4. *num.*52. *&* 56. Quartò. Ad quæſtionem. Non nominatur hîc Maria, ſicut *cap.* 1. *Matth.* 20. Quia hic animus Ioſeph ſine vlla iam dubitatione ſedatus erat; illic verò multum fluctuans: hoc autem nomen ſanctiſſimum ad animum ſedandum,mentemque illuminandam vim multam habet. Et ideo de paſtoribus *Luc. cap.*2.*num.*16. ac Magis, *Matth.*2. *num.*11.dicitur; *Quod inuenerunt Mariam*; quia ab ipſa, vt Chriſtum agnoſcerent, illuminati ſunt, vt dixi *cap.*3.ex Abulenſi.

Maxent. — *Tempori & occaſioni accommodandum.* — *Nomen Mariæ quietudinem præſtat.* — Matth.2.

QVÆSTIO IV.

Quare primò nominetur puer, & poſtea mater?

9\. SCRIPTVRÆ eſt obſeruata conſuetudo, vt dum de filiis mentio fit, & de parentibus, priùs iuxta proprortionatam rei naturam, exprimatur mater,& poſtea filius. Sic Deus dixit Abrahamo: *Eijce ancillam, & filium eius*, Gen.20. num.10. Sic dum Iacob domum diſponit, vt venientem ſuſciperet Eſau: *Poſuit vtramque ancillam,& liberos earum in principio; Liam verò,& filios eius ſecundo loco: Rachel autem,& Ioſeph nouiſſimos*, Geneſ. 33. n. 2. Eodem modo de Moyſe, dum deſcenderet in Ægyptum, dicitur: *Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos*, Exod. 4. num.20.Cur ergo Euangeliſta hîc mutat ſtylum, & prius nominat puerum, quàm matrem?

Geneſ.20. — Geneſ.33. — Exod.4.

10\. Reſpondet primò Imperfectus *homil.* 2. *in Matth.*& Thomas hîc.*Non dixit matrem,& puerum,ſed è conuerſo;puerum, & matrem eius: quia non propter matrem puer natus eſt,ſed propter puerum mater præparata eſt.* Priùs nominatur filius, qui pro omnium ſalute natus eſt,& poſtea mater, quia tantam dignitatem,& gratiam ob filium eſt aſſecuta, vt dignum eius habitaculum effici mereretur. Secundò. Albertus Magnus hîc. *Dicit puerum primò,quia dignitatem habet per ſe,& prior debet eſſe in cura: & poſtea matrem;quia dignitas, & cura matris eſt propter puerum.*Cùm puer eſſet, à quo omnia dependent, primò debuit proferri loco.Tertiò. Priùs dicitur puer, & deinde mater, quia ipſa Beatiſſima Virgo filium ſuum in omnibus, in gratia, ac ſanctitate, ſequebatur, atque imitabatur,ita vt Richardus de S.Victore *cap.*39. *in Cantic.*de ipſa dicat; *Præ omnibus ſpecioſa,Chriſtoque ſimillima.* Ita vt nec in minimo ab illo diſcedat, ſed ſemper ipſum ſequatur, quantum fas eſt puræ cræaturæ. De illa ait Spiritus ſanctus, *Quaſi plantatio roſæ in Hiericho*, Eccleſ.24. n.18. Aliqui legunt ex Græco: *Sicut acanthus Hiericho*; quæ eſt herba ad Solem ſemper conuerſa, ad quem ſua intendit folia: ita Beatiſſima Virgo Maria, veluti acanthus, ſemper filium ſuum, verùm iuſtitiæ ſequebatur Solem; & quocumque conuertebatur ipſe, inſequebatur illa.

Imperfect. D.Thom. — Alb.Magn. — *Virgo Chriſtum ſequebatur.* — Richard. — Eccleſ.24.

QVÆSTIO V.

Quare Angelus ſuadeat fugam Chriſti Domini?

11\. POTERAT Chriſtus Dominus Herodis manus multis declinare,ac eludere modis: poterat ſe inter medios abſcondere hoſtes, vel inuiſibilem reddere, vt fecit, quando ipſum lapidare intentarunt Iudæi, Ioann.8.num.59. *Ieſus autem abſcondit ſe*; vt ibi notant D. Auguſtinus. Vel in manibus inimicorum ſuſpendere concurſum, ne ad ipſum poſſent extendi. Nihil tamen horum conueniens fuit, niſi vt ipſe effugeret puer; vt ait D.Chryſologus ſerm.150. *Deus quando fugit hominem, ſacramenti eſt, non pauoris.* Et ſimiliter D. Paſchaſius. Rationes hîc inquirimus myſterij tanti.

Ioan.8. — Chryſol. — Paſchaſ.

12\. Prima ergo huius fugæ ratio eſt, quam ipſe Dominus reuelauit Beatæ Brigittæ lib. 5. interrogat.12. *Cui Chriſtus ita ait: Quòd autem fugi in Ægyptū, in hoc infirmitas humanitatis meæ oſtenſa eſt.* Ita Chriſtus Dominus. Quam ſolutionem latè tradit D. Chryſoſt. homil. 8. in Matthæum. *Puer*,ait,*cum matre in Ægyptum tranſfugit, cùm multo potius fuiſſe videatur in manus eum Herodis incidere, nec tamen cùm incidiſſet,latere, ſed claro potiùs diuinitatis auxilio vindicari. Verùm hoc modo rebus impletis creditum non fuiſſet, verè illum ſuſcepiſſe carnem,tantique hodie myſterij ſacramenta nutarent. Si enim etiam cùm iſta facta ſint, & plurima iuxta humanæ naturæ diſpenſata rationem, aliqui tamen auſi ſunt ſuſpicare, quoniam fabula quædam fuerit carnis aſſumptio; in quæ, non illi, impietatis prærupta recidiſſent, ſi omnia, iuxta quod dignum eſt, propriæ virtutis potentia egiſſet.* SimiliterD.Athanaſius,Euthymius,Albertus Magnus, Fugit ergo Dominus,vt ſicut eſuriendo,ſitiendo, ita etiam fugiendo, verè ſe hominem factum comprobaret: nam licèt ratione perfidus aliquis de poteſtate hæſitaret, maluit tamen potius de his,quæ ad poteſtatem pertinebant,in dubium vocari, quam de illis, quæ ad amorem, ac carnis aſſumptæ veritatem ſpectabant.

Brigitt. — Chryſoſt. — Athan. Euthym. Alb.Magn. — *Voluit Chriſtus, vt de potentia potius, quàm de amore ſuo dubitaretur.*

13\. Secundò. Quæſtionem ponit, & meritò ſoluit Euthymius. *Quare autem*,ait, *non manſit Chriſtus Nazareth; nam eos tantùm pueros occidit Herodes,qui in Bethleem, & in finibus eius erant, non qui in Nazareth? Sed prouiderat Deus, ſi in Nazareth manſiſſet, indicandum Herodi; ideo etiam ab ipſa fugere iuſſit*, Cùm Chriſti Domini magna iam eſſet fama,tum ob Magorum aduentum,tum ob ea, quæ geſta erant in templo in Hieruſalem; procul dubio ſi Chriſtus Dominus eſſet in Nazareth, ibi ab Herode agnoſceretur, præcipuè cùm aſſentatores,vt Regi placeant adulantes, reuoluant omnia, eoſque ſubterfugiat nihil.

Euthymius. — *Adulatores omnia reuoluunt.*

14\. Tertiò. D.Paſchaſius hîc: *Neque*, ait, *mortem fugit,qui mori venerat: neque humanas inſidias expauit,qui totas Diaboli verſutias,& fraudes venerat aperire,& ſuperando potentius reuincere. Scriptum quippe erat: Non occides agnum in lacte matris ſuæ*,Exod.23.num.19. *Et ideo prouiſum eſt, ne fieret in experto,quòd diu,licèt occultè,prohibitum fuerat in myſterio.* Similiter D.Chryſol.*ſerm.*150. Quam legem Exodi ita explicant Vatablus, Oleaſter, Cornelius. Ne coquas hædum in lacte matris ſuæ:

Paſchaſ. — Exod.23. — Chryſol. Vatabl. Oleaſt. Cornel.

ſuæ:ideſt, ne occidas, & coquas hœdum lactantem, quandiu fugit lac matris ſuæ. Quæ lex poſita eſt, vt exponunt D.Chryſoſtomus *homilia de Innocentibus*, D.Auguſtinus *quæſt.*90.vt ſignificaretur, Chriſtum Dominum inter brachia matris ſuæ ſanctiſſimæ lactantem, ſiue ab Herode, ſiue à Iudæis occidi non poſſe; vetuit enim, ne dum lac è pectore ſugebat puriſſimæ matris, in illiuſque fouebatur ſinu, ferri durities inuaderet eum.

Chryſoſt. Auguſt.

15\. Imperfect. Quartò.Imperfectus homil.2.in Matth.ita ait: *Quomodo filius Dei ante hominem fugit? Aut quis liberet de inimicis, ſi & ipſe inimicos ſuos timet? Iam primùm quidem fugit, vt regulam humanæ naturæ, quam ſuſcepit, conſeruet in omnibus, & in hac parte, quia & humanæ naturæ, & puerili ætati conuenit fugere poteſtatem minantem.* Chriſtus Dominus, licèt aliquando, dum mirabilia operabatur, è manibus inimicorum ſuorum miraculosè euaſerit; modò tamen infans fugit, vt ætati puerili condeſcenderet. Vnde ait Euſebius Emiſſenus homilia de fuga Chriſti: *Nec ſemper eſt fugiendum, nec ſemper eſt reſiſtendum, ſed pro temporis, & negotij qualitate, & hoc & illud oportet.* Vide *lib.*2. *cap.*5.*num.*45.

Ætati accõmodandum. Euſeb.

16\. Paſchaſ. Quintò. D. Paſchaſius hîc; *Cunctorum præſidium migrat ad extraneos per fugam elapſus. Fortè ſicut natus eſt, vt corruptam redintegraret naturam; ſic quoque vt fugaces ſuis reuocaret exemplis, aufugit; præcepturus namque erat, Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*, Matth.10. n.23. *Vnde ſi fortitudo ſe differendo reſeruat ad potiores virtutum agones, & vniuerſorum defenſio ſubter fugiendo declinat ad extraneos, non debet humana fragilitas temeraria procaciter de virtute ſua præſumere.* Similiter D.Cyprianus *lib.de lapſis*. Tertullianus *lib.de Fuga*. D.Auguſt.*tract.*15.*in Ioann.& Epiſtol.*180. Cùm Dominus aliquando ſuis eſſet fugam præcepturus, eam à tyranni facie arripere voluit, vt id, quod præcepturus erat, ſuo comprobaret exemplo, docens, hoc eſſe aliquando valde vtile, dum tyranni iræ locum damus, vt ad potiores fructus reſeruemur. Quod eleganter proſequitur D. Chryſologus *ſerm.*150. Vide *lib.*1.*cap.*10. *num.*22. & *lib.*2.*cap.*4.*num.*90.

Matth.10. Cyprian. Tertull. Auguſt. *Dandum locum iræ.* Chryſol.

17\. Origen. Sextò.Origenes *homil.*17.*in Num.* ita ait: *Fugit in Ægyptum, vt ij, qui nomine Chriſti perſecutionem patiuntur, qui tribulationes tolerant, qui iniurias perferunt, fortiter ſtent, viriliter prælientur, & Eccleſiam non deſerant, ſed ſemper numinerint, quia & Dominus à peccatoribus perſecutionem perpeſſus eſt, quoniam ab iniuſtis contumeliatus eſt, & ab ipſis de loco in locum fugit.* Chriſto Domino manifeſtum erat, quòd ſui aliquando exulare, itinerari, multaſque pati perſecutiones deberent; ideo ipſe etiam de loco in locum fugit, vt exemplo ſuo nos in patientia inſtrueret: & inde ad ſubueniendum ſuis ipſe eſſet velociſſimus. Huic accommodat Albertus Magnus illud ad Hebræos 2.n.17. *Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret.* Vide *lib.*2.*cap.*1.*num.*10.& 11.

Facile quis miſeretur eorum quæ paſſus eſt. Alb. Magn. Hebr.2.

18\. Fulgent. Septimò.D.Fulgentius *ſermone de Epiphania*, ait. *Dignatus eſt in Ægyptum fugere, vt poſtea crucem dignaretur aſcendere: fugit ad vitandam humano modo, non potentia virtutis, mortem in infantia ſibi imminentem: vnde manifeſtum eſt, amore noſtri, non Herodis timore, quem ſolo nutu cohibere potuiſſet.* Et poſtea ſubdit: fugit, non neceſſitate, ſed poteſtate. Fugit in oſtenſionem ſui amoris, vt tunc morti tradatur, cùm, non veluti apprehenſus teneatur; ſed ſpontaneè ipſe ſe obtulerit, & ideo ad ſuam poteſtatem manifeſtandam fugit, qui tunc in mortem ibit, quando ipſe voluerit.

Fugit ob noſtrum amorẽ.

Octauò.D.Chryſoſtomus *homil.*8.ſic loquitur eleganter: *Perſpice igitur iſtud*, ſcilicet fugam, ac laborem, *non tantùm in matre pueri, verùm etiam in illis Barbaris fuiſſe completum; nam & illi exulum more clam fugiunt: & iſta, quæ numquam domum ſuam fuerat egreſſa, tam ærumnoſa conficere iter iubetur; propter partum illum mirabilem, ac ſpirituales parturigines.* Vbi S.Pater conſiderat illud, quod Angelus ait: *Accipe puerum, & matrem eius*; nam Virgo illa, quæ antea ſolita erat in penetralibus domus clam remanere, vbi Chriſti mater effecta, in montana perrexit, per multas itineris preſſuras in Ægyptum fugit, hoc enim valde frequens, dignitates tot penſiones, ac labores ſecum connexos importare. Vide *lib.* 2.*cap.* 4.*num.*127. 19. Chryſoſt.

Labores dignitates concomitantur.

Nonò. D.Chryſologus *ſerm.* 151. ſic ait: *Fratres, quòd fugit Chriſtus Dominus, fuit liberatio, non periculum creatoris: diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter authoris mortem, ſed fugit propter ſæculi vitam.* Fugit Chriſtus, & fugæ notam non refugit, vt ſua nos morte viuificaret, ſuoſque, vt à Patre erat mandatum, crucem ſubeundo redimeret. Vide *lib.*2.*c.*1.*n.*58. Decimò.Idem Chryſol.*citato loco*, ſic ait. *Alia eſt cauſa, quòd fugit Chriſtus, quòd infans tempus ſuæ diſtulit paſſionis, quòd crucem ſupra trigeſimum annum vitæ corporalis aſcendit: vt qui ad vitam perfectum hominem fecerat, perfctam repararet in vitam; & qualem terris dederat, talem redderet cælo* Preme illa verba, *& qualem terris dederat, talem redderet cælo.* Deus in primo orbis molimine introducendo hominem in terram, ipſum creauit in perfecta ætate, vtpote virum triginta trium annorum; infans ergo Chriſtus fugit, ne tunc interficiatur, ſed mortem ſibi vult reſeruari ad perfectam ætatem triginta trium annorum, vt homo, qui renouandus erat in Chriſto, & introducendus in cælum, vir etiam perfectus eſſet. Nec enim decens erat, vt homo perfectiori ætate eſſet terris datus, quàm dum ſpiritu renouabatur, ac cæleſtibus dabatur. Valde enim à ratione eſt alienum, vt terrenis eam excellentiam perfectionis concedas, quam cæleſtibus denegas. 20. Chryſol. Chryſol.

Perfectio quæ datur terrenis, non eſt deneganda cæleſtibus.

Vndecimò, Idem D.Chryſol.*ſermon.*152.ita loquitur; *Herodes pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis peior, peſſimus ſibi: quem Chriſtus, non vt euaderet, ſed ne videret, aufugit.* Recedit Chriſtus in Herodis pœnam, ac ſupplicium, nullum enim maius eſſe poterat, quàm præſentia, oculiſque Chriſti deſtitui, ideo ne ipſum videret, Dominus fugit. Duodecimò, Euſebius Cæſarienſis lib. 9. de demonſtratione cap.4. *Fugit Chriſtus*, ait, *cui in tota vita, manſuetudinis, & clementiæ teſtimonium redditum eſt, nec aliquem vnquam eorum, qui non ipſa auſcultauerunt, vltus eſt, ne tunc quidem, cùm vt ouis ad occiſionem ducebatur.* Poterat Dominus non fugere, ſed repentina morte Herodem interficere, ſed qui omnibus venerat vitam dare, voluit potius fugere, & declinare, quàm aliquem occidere. 21. Chryſol. Euſeb.Cæſ.

Decimotertiò.Idem Chryſol.ſerm.151.inquit. *Qui mori venerat, quare fugit mortem? Chriſtus totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat, ſi ſe paruulum permiſiſſet occidi, Chriſtus venerat vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis: & ipſe faceret, quæ facienda mandauerat: & viſu probaret poſſibilia, quæ* 22. Chryſol.

impoſſibilia videbantur audita. Recedit Chriſtus, non vt mortem declinet, qui pro nobis venerat vitam dare, ſed non permittit interſici, donec exemplo vitæ ſuæ ſanctiſſimæ in omni nos iuſtitia confirmaret, ita vt dicat S. Pater: Chriſtus totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat, ſi ſe paruulum permiſiſſet occidi. Adeò potens eſt exemplum, vt ſi in Chriſto hoc nobis deeſſet, tota noſtræ ſalutis cauſa periret.

Multum valet exemplũ.

23\. Sap.9. Orauit Salomon à Deo: *Mitte*, ait, *illam*, ideſt, ſapientiam, *de cælis Sanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret*, Sapient. 9.num.10. Vbi iuxta communem ſententiam Salomon poſtulat Incarnatam Sapientiam, ideſt, Chriſtum Dominum ſibi adeſſe. Sed quomodo ait, *mecum ſit, & mecum laboret?* Cardinalis Hugo, *Vt ipſe*, ait, *videns Dominum ſuum laborantem, facilius ferat laborem ſuum.* Chriſti exorat præſentiam, enimverò illius intuitu, iſtius vitæ labores ſuſtinere non poterat; nam vbi capitis interuenit exemplum, promptè ac faciliter omnia fiunt. Cùm Abrahamus tres hoſpitio ſuſciperet Angelos, dixit Saræ: *Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes, ipſe verò ad armentum cucurrit.* Geneſ.18.num.6. Sed quomodo Abrahamus poſtquam Saræ mandauit, vt panes conficeret, ſtatim cucurrit, & non expectauit quid Sara reſponſi daret? Sanè Patriarcha ſanctus optimè nouerat, quòd ſuo propoſito exemplo, dum ad armentum cucurrit, in Sara ac familia nihil erat cunctandum, vt fieret, quod ab ipſo iuſſum erat. In hac conſideratione eſt Origenes homil.4.in Geneſ. *Ipſe cucurrit, vxor feſtinat, puer accelerat, nemo piger in domo iuſti.* Nam cùm ille curreret ad armentum, nullus poterat eſſe in domo, qui non laboraret.

Hugo. Geneſ.18. Origenes.

QVÆSTIO VI.

Quare Chriſtus in Ægyptum potius, quàm in aliam regionem tendat.

24\. MVLTÆ erant prouinciæ, ad quas Chriſtus Dominus ſe ſe conferre poterat, nullam tamen elegit, niſi Ægyptum, quæ à Iudæa deſerto, longoque itinere diſtabat. Ad quod multiplex eſt ratio. Et primam hîc nobis aſſignat S. Matthæus *num.*15. dum ait, quòd Chriſtus deſcendit in Ægyptum. *Vt implereretur, quod dictum eſt à Domino: Ex Ægypto vocaui filium meum.* Et de hoc ingreſſu in Ægyptum intelligitur communiter illud Iſai. 19. n.1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius.* Ac proinde vt huiuſmodi prophetiæ adimplerentur, in Ægyptum Dominus venit. Ita Origenes *homil.*3. *in Diuerſos.* Emiſſenus *in hoc Euangelio*, Euthymius, Albertus Magnus, D. Chryſol. *ſerm.* 151. ait. *Non de periculi metu, ſed de prophetiæ veniſſe myſterio*, & alij. Tamen, vt bene notat Abulenſis quæſt.61. *Non eſt credendum*, ait, *quòd ideo ita factum eſt, quia ſic ſcriptum fuit, cùm potius ſcriptum eſt, quia Deus volebat illud ſic fieri, quia ſic videbatur expedire.* Rationes ergo huius conuenientiæ hîc inquirendæ ſunt.

Iſai.9. Origenes. Emiſſen. Euthymius. Alb. Magn. Chryſol. Abulenſ.

25\. Imperfect. Prima ratio traditur ab Imperfecto *hom.*2. qui ſic ait: *Quare vadit in Ægyptum? nunquid alia terra defecit? Recordatus eſt Dominus, qui non in finem iraſcitur: quanta mala fecerit ſuper Ægyptum, ideo mittit filium ſuum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis ſignum, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas vna medicina ſanaret.* Non vult Dominus in Iudæa latitare, nec ad aliam orbis partem, ſed tantùm in Ægyptũ fugere. Non ſemper Dominus puniendo inſtat, ſed ſæpe ex ira ad miſericordiam flectitur. Videbat Dominus, quot plagis Ægyptum affecerat olim, & cùm non iraſcatur in finem, ad illam filium ſuum ideo mittit, vt hoc vno medicamento omnia illa damna redintegraret. Vnum enim diuinum bonum omnia huius ſæculi mala valet compenſare; præcipuè cùm in Ægyptum Chriſti præſentia in hoc deſcenſu adueniret, vt hîc ponderat Albertus Magnus. *Multis plagis*, inquit, *plagauerat Dominus Ægyptum; ingreditur ergo, vt tot plagas vna ſuæ præſentiæ viſitatione ſanaret.* Vide *lib.* 1.*cap.* 1. *num.*110.

Vnum diuinũ bonum mala omnia compenſat. *Cum Dei præſentia omne bonum.* Alb. Magn.

Secundò.D. Chryſoſtomus *homil.* 2. ex variis in Matth. ſic ait: *Poſt Ægypti olim graue delictum, poſt multiplices plagas diuinitus irrogatas, Deus Pater Omnipotens pietate commotus filium ſuum miſit in Ægyptum; vt quæ iam dudum ſub Moyſes debitas ſceleris ſui pœnas expenderat, tunc ſuſcipiendo Chriſtum, ſpem ſalutis accipiat. Quanta eſt Dei miſericordia, quæ per aduentum filij eius oſtenſa eſt.* Deus, vt cum ipſo omnis diuina ingrediatur benignitas, in Ægyptum venit. nam eius adnẽtu ſupplicia, quibus olim mundus opprimebatur, omnia in miſerationes ſunt commutata. Et vt manifeſtum fiat, quàm alia Ægyptus ſit ſub manu hominis, ac ſub manu Filij Dei; ſub Moyſe magnis vexata plagis; ſub Chriſto Dei Filio, omni eſt bono, ac ſpe ſalutis repleta. Si quis enim ad Ægyptum tenderet, tunc regionem iam non deuaſtatam, nec mortuorum aggeres videres; ſed, vt notant idem Chryſoſtomus *homil.* 8.*in Matth.* & D.Paſchaſius. *Paradiſo prorſus omnem illius viderent eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos Martyrum, & choros Virginum.* Et alia, quæ proſequitur idem Chryſoſtomus proxime citatus agens de ſanctiſſimis viris, qui in Ægypti eremo viuebant. 26. Chryſoſt.

Quantum diſtet res ſub manu Dei, ac ſub manu hominis. Chryſoſt. Paſchaſ.

Tertiò. Imperfectus homilia 2. in Matth. *Vadit in Ægyptum*, ait. *O commutatio dexteræ excelſi! Vt populus, qui antè fuerat perſecutor populi primogeniti, poſtea fieret cuſtos vnigeniti filij.* Hæc eſt Dei miſericordia quæ omnes condecorare vult; nam ſi Ægyptus ignominiâ olim erat affecta, eo quòd primogenitum, ac dilectum Dei populum Iſraël tam violenter, ac tyrannicè vexauerat; tótque flagellis contra Dei voluntatem cecîderat; tunc verò dum Dei vnigenitum ſuſcipit, ac cuſtodit, ab omni vendicetur iniuria, magnoque extollatur honore. Euthymius, *Omnes Ægyptij ſuſcepta Euangelij prædicatione plurimum gloriabantur, animóque geſtiebant, eo quòd fugientem Dominum ſuſcepiſſent.* Vide *lib.* 1. *cap.*2. *num.*47. & 48. *lib.*2.*cap.*4.*num.*49. 27. Imperfect.

eus Dabiectis honorat. Euthym.

Quartò. Idem Imperfectus *citato loco* inquit. *Vadit in Ægyptum, vt qui populo violenter dominati ſunt, iſti cũ deuotione ſeruirent. Vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, ſed vocarentur ad aquas Baptiſmatis viuificandi.* Deſcendit in Ægyptũ, vt dexteræ Excelſi appareat cõmutatio, in eo quòd facta ſit alia, ac antea erat; nam quando 28. Imperfect.

cum

Plus exaltat humilitas quàm ſuperbia. *Plus valet benignitas, quàm rigor.*

cum violentia, ac ſuperbia dominabatur, tamquam lapis in aquis ſubmergitur; dum verò cum deuotione, ac humilitate Deo famulatur, ad viuificas Baptiſmi aquas aſcendit. Plus domuit ſuauis lenitas Ieſu, quàm rigida virga Moyſis; nam cum hac obdurati Ægyptij ſub aquis deſcendunt; cum illa verò tamquam generoſæ aquilæ in nouam vitam reſurgunt. Vide *lib. 1. cap. 6. num. 5.*

29. Rupert. Quintò. Rupertus *hîc* ſic fatur. *Quia debuit filius iſte vnigenitus per omnia fratribus aſſimilari, excepta dumtaxat participatione peccati, oportuit, illum fugere, & in illa Ægypto peregrinari.* Et poſt pauca ſubdit. *Quia populus ille, de quo ille ſecundùm carnem natus eſt, vbi ſeruiuit exul ille, qui poſt eam, quæ ad Abraham facta eſt promiſſio primus perſecutionem pertulit, ſcilicet Ioſeph, & omnis domus eius intrauit illic exulando; iſte paſſionum, vel tentationum ſuarum initium ſumpſit.* Chriſtus Dominus, vt verus Rex, & Dominus voluit in omnibus, & per omnia ſeruis ſuis porportionari, & accommodari, ideo potius Ægyptum, quàm regionem aliam ingreditur, vbi Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & Iſraëliticus ille populus peregrinati ſunt. Vide *lib. 2. cap. 1. num. 10.*

Chriſtus verus Rex ſuorum labores voluit experiri.

30. Leo. Sextò. S. Leo *ſerm. 3. de Epiphania*, ſic loquitur. *Ille qui ſanguinem ſuum pro mundi redemptione fundendum, in aliam differt ætatem, Ægypti ſe parentum miniſterio ſubuectus intulerat, repetens ſcilicet Hebrææ Gentis antiqua cunabula, vt illam duriorem omni inedia famen, qua Ægyptiorũ mentes, veritatis inopia laborabant; veniẽs de cælo panis vitæ, & cibus rationis auferret, nec ſine illa regione pararetur ſingularis hoſtiæ ſacramentum, in qua primum occiſione agni ſalutiferum crucis ſignum, & Paſcha Domini fuerat præformatum.* Ad Ægyptum potius quàm in aliam prouinciam inſtituit iter, Hebrææ gentis repetens antiqua cunabula: vt enim verus iudex conſtitutus à Patre, loca, vbi ſui tot fuere cæſi flagellis, propriis oculis videre decreuit Pondera illa verba, *Hebrææ gentis antiqua incunabula.* In Ægypto populus Hebræorum ſuæ educationis habuit prima principia, ideo inter omnes mundi nationes ad Ægyptum ſe transfert Dominus, vt pro populo Hebræo Ægyptiis beneficia perſoluat, qui enim primi fuerunt in obſequio, ſint & primi in receptione munerum, Tandem vltima verba S. Patris expende, *Paratur ſingularis hoſtiæ ſacramentum.* In Ægypto inter mundi prouincias primum celebri occiſione agni Paſchalis *Exod. 12.* præfiguratum fuit Sacramentum Euchariſtiæ, ac paſſionis dominicæ; ideo igitur ad illam ſe confert Chriſtus Dominus primum, vt eius præſentia, cæleſti gratia, ac protectione inter vniuerſas regiones ditetur, ac nobilitetur Ægyptus, vbi primò ſacramentum tantùm figuratum fuit, maximè afficitur Deus ad locum, in quo ſacra Euchariſtia veneratur.

Iudex videat. *Qui ſunt primi in merito, ſint & in premio.* *Vbi Euchariſtia veneratur, adeſt Deus.*

31. Grammat. Septimò. Chriſtianus Grammaticus ſic ait: *Ægyptus, ſicut ſcitis, poſtquam Iudæi illic habitauerunt, ſemper fuit domeſtica Iudæis, & ſemper Ægyptij Deum Hebræorum timuerunt, & ipſos Hebræos venerati ſunt; quapropter, vt Ioſephus refert, ſub Philadelpho Rege Onias Sacerdos vir bonus, & iuſtus expulſus à Iudæis templum in Ægypto ædificauit, & morem holocauſtorum inſtituit, vt in Iudæa agebatur. Ob hanc cauſam placuit Deo, in Ægyptum ire, quàm ad alias terras, vbi minus erat religionis.* De hoc templo ædificato in Ægypto faciunt etiam mentionem D. Hieronymus *in Daniel. 11.* Ioſeph *lib. 7. de bell., cap. 30.* Chriſtus in Ægyptum venit, ob illud ibi erectum templum, & peculiaria holocauſta in Dei obſequium facta, Deique timorem, & in Hebræos hoſpitalitatem. In hoc autem tempore multa Hebræorum millia habitabant in Ægypto, vt teſtatur Philo *in Flaccum.* Et quia Ægyptus tunc populo ſuo fauorabilis erat, ideo ad illam venit. Octauò. D. Thomas ait: *Quia ipſe induxerat tenebras in Ægypto, ideo voluit eam primò illuminare.* Quia Ægyptus tot plagis vexata eſt, ideò vt miſericors pater primùm ei medicinam parauit.

Hieron. Ioſeph. *Vbi templũ, ibi venit Deus.* Philo. D. Thom.

Nonò. D. Chryſologus *ſerm. 151.* ſic loquitur: *In Ægyptum fuge, ait Angelus, à tuis ad extraneos, ad ſacrilegos à Sanctis, à templo tuo ad Dæmonum fana; ad idolorum patriam è regione Sanctorum; vt ad Deitatis latebras profana Ægyptus conducatur.* Inſtabat occaſio, vt Chriſtus Dominus lateret, pergit, non ad Zachariam, non ad Simeonem, non ad Magos, ſed ad Ægyptum abominationibus plenã, quia inter iuſtos & Sanctos abſcondi Chriſtus non poterat, ſed manifeſtari. 32. Chryſol.

Inter iuſtos Deus manifeſtatur.

Decimò. Euthymius ſic ait: *In Ægytum autem mittitur, quia Babylonia, & Ægyptus maximè erant officinæ ad flammam omnis vitij quod per orbem ſparſum erat. Ab illa ergo Magos attraxit, in hanc autem intrauit: vtrumque volens ad rectam viam reduci.* Magna diuinæ cognitionis inopia, qua Babylon, & Ægyptus laborabant, diuinam miſericordiam prouocauit, vt Babylonem per Magos, per filium ſuum illuminaret Ægyptum. Quod eleganter ponderat noſter Cyrillus Alexandrinus *in cap. 9. Iſaiæ.* ad illa verba, *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis,* ſic ait: *Incedebant enim* ſcilicet Iudæi, *iam proinde vt Gentes, & commorabantur in mundo, tamquam nocte, & in tenebris, propterea, quòd lumen veræ cognitionis animo non haberent, ſed ruerent quaſi in omnem foueam, & in malum, veluti ad quamuis lapidem impingerent. Illis hoc modo laborantibus lux magna effulſit.* Iſraël in Babyloniam ter ductus eſt captiuus, vt notant Hugo, & alij communiter *c. vltim. 4. Reg.* Et cur non potiùs in aliam prouinciam, ſed ter in Babyloniam? Lactantius lib. 4. *Venit Rex Iudæ cùm populo ſuo, cum Sanctis ſuis captiuus in Babyloniam, quæ erat mater fornicationum, & abominationum* Ex eo quòd malorum omnium caput, ac idolorum ſeruitus erat Babylon, permiſit Deus, vt illuc cũ Sãctis Iſraël veniret captiuus, vt aliqua Dei ibi eſſet cognitio, & Nabuchodonoſoris ſuperbia aliquãtulũ reprimeretur. 33. Euthymius. Cyrill. Hugo. Lactant.

Vbi maior miſeria, ibi applicandum remedium.

Timore Eſau, ac conſilio Rebeccæ miſit Iſaac filium ſuum Iacob in Meſopotamiam ad domum Bathuel fratris matris ſuæ, vt acciperet vxorem de filiabus Laban, *Geneſ. 28. num. 1.* Meritò dubitat Abulenſis: Quare non mandauit accipere vxorem de filiabus Iſmaël, vel de filiabus Ceturæ, vxoris etiam Abrahami *Geneſ. 25. num. 5.* Et etiam dubitari poterit: Cur non mandauit accipere vxorem de filiabus Loth, vel Melchiſedech, quæ, vtpote filiæ tantorum parentum, multis forſitan virtutibus eſſent inſtructæ; ſed in tam longinquum mittit filium? Et miſſis aliis rationibus fortaſſe alibi dandis. Domus Laban magno detinebatur idolorum cultu, vt notant Abulenſis, Lyranus, Hugo, & alij *Geneſ. 11.* Ipſa ergo miſeria diuinam miſericordiam allexit, vt Iacob illuc veniret, vt inde haberetur aliqua Dei cognitio, 34.

Abulenſis. Lyran. Hugo.

ac

ac filiæ, ſcilicet Rachel, & Lia cum ſuis ancillis à tantis erroribus euaderent. Vt eleganter dixit D. Gregorius Nyſſenus tract. 1. in Pſalm. *Separatio ab omni ſubſidio ceſſit illis in auxilium.* Nyſſen.

QVÆSTIO VII.

Soluuntur aliquæ quæſtiunculæ.

35. QVÆSTIVNCVLA prima. Quare poſt Chriſti natiuitatem, ſtatim tanta imminet perſecutio, vt neceſſe ſit in Ægyptum fugere? De hac re vide ſuprà *quæſt. 5.* Origenem *n. 17.* Deinde ſecundò reſpondet Euthymius. *Diſce Deum triſtibus læta coniunxiſſe. Primum ſuſpicio habita eſt de Virgine, deinde ex partu gaudium. Rurſum fuga in Ægyptum: poſtea autem illinc reuocatio. Item metus propter Archelaum; deinde requies in Nazareth.* Huius vitæ hæc eſt diſpoſitio, vt moleſtiæ ſemper comitentur iucunda: nam Virgo in Conceptione Verbi gaudium habuit, poſtea, dum Ioſeph ſponſum ſuum vidit ſuſpicionibus plenum, aliqualem moleſtiam, in Chriſti natiuitate magnam obtinuit lætitiam, deinde verò in fuga ad Ægyptum, tribulationem non paruam. Quod in omnibus Sanctis ait D. Chryſoſtomus homil. 8. *Fecit Deus quos neque tribulationes, neque iucunditates, ſinit habere continuas, ſed tum de aduerſis, tum ex proſperis iuſtorum vitam, quaſi admirabili varietate contexuit.* Quod in D. Ioſeph latè proſequitur S. Pater; cùm enim ſponſam videret grauidam, triſtem habuit cogitationem; poſtea cum Angelo, ac puero nato lætitiam; nunc verò in fuga tribulationem.

Euthym. *Deus cum gaudio miſcet triſtitiã.* Chryſoſt.

36. Quæſtiuncula ſecunda. Quare Angelus non ſe offert itineris ſocium, vt Tobiæ ſe exhibuit? *captte 5. num. 5.* Et Deus mandauit coram Moyſe, & populo Iſraëlitico Exod. 23. num. 20. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui?* Quæſtioni reſpondet Diuus Chryſoſtomus homilia 8. *Nequaquam*, ait, *ſe ſocium itineris futurum eſſe pollicitus eſt, neque illuc euntibus, neque redeuntibus: procul dubio deſignant maximo ipſius propter quem fugiebant, paruuli eſſe munitos comitatu.* Puer in itinere aderat; nulla ergo cuſtodia, ſeu tutela alia, ne quidem Angelica eis erat neceſſaria; vbi enim Deus interuenit, omnia creata ſuperſunt, & minimè exoptantur auxilia humana.

Exod. 23. Chryſoſt. *Vbi Chriſtus eſt, nulla alia cuſtodia neceſſaria.*

37. Quæſtiuncula tertia. Quare diuinus puer; cui omnia præſentia erant cum Magis, in ſuam regionem à terra Iſraël non recedit; vt ſicut pueri, ſic matris commoditati eſſet prouiſum, ne tam longam ſoli peregrinationem ſubirent; præcipuè cùm in regione Magorum eſſent futuri maieſtate, ac decentia tanto Regi conueniente? Reſpondeo, quòd præſens erat Domino, quòd Bethleemitici pueri ob ſui cauſam ab Herode crudeliter erant interficiendi; pro tali ergo tempore ipſe etiam ærumnoſæ, ac periculoſæ peregrinationi ſe ſubiicit; dum enim ſui ſub gladio, ac nece tyranni affligebantur, noluit ipſe in diuitiis orientalibus, ac regiis verſari delitiis. Vide *lib. 1. c. 4. n. 5. 3. 36. & 37.*

38. Quæſtiuncula quarta. Quare Deus olim deſcendit in Ægyptum, vt magnis plagis flagellaret; nunc verò vt illuminet, magniſque

beneficiis repleat? Accipe ſolutionem ex Diuo Anaſtaſio Sinaita lib. 3. in Hexaëmeron. *Quando,* ait, *Chriſtus Deus lux mundi natus eſt, in Ægyptum cum ſua matre fugiente verſatus eſt, ſtatim terra Ægypti detegitur, deponit tenebras; exuit caliginem erroris, Solis iuſtitiæ lumen induit. Verſatus eſt enim cum proprio orbe, nempe Matre, & ſoluit tenebras.* Dominus, qui Deus erat vltionum, in flamma olim in Ægyptum venit, vt propter multa in populum ſuum mala facta puniret: nunc verò ad illam in nube refrigerante, throno ſuo, ac proprio orbe, nempe matre ſua benignus accedit; nam vbi Maria adeſt, omnis in filio manſuetudo, & clementia apparet, vt in ſuos omne gratiæ, ac miſericordiæ lumen effundat. Quod latè proſequitur D. Bernardinus ſermone 61. *Propter iſtam nobilem creaturam,* ait, *Deus ſaluauit Noë de diluuio, Iudaicum populum de Ægypto, ac de manibus diuerſorum Regum tyrannorum, Dauidem de leonè, vrſo, & Saule, & vt breui ſermone cuncta comprehendam, omnes liberationes, ac indulgentias factas in veteri Teſtamento, non ambigo Deum feciſſe ſolum pro huius benedictæ puellæ reuerentia, ac amore, quibus eam Deus in ſua prædeſtinatione cunctis operibus ſuis ab æterno præordinauit.* Ita ille.

Anaſt. *Vbi Virgo adeſt ibi omnis miſericordia.* Bernard.

Quæſtiuncula quinta. Quare Euangeliſta ait ſingulariter, quòd Ioſeph ſeceſſerit in Ægyptum? cur pluraliter non ſcribit, quòd Ieſus, & Maria ſeceſſerint? In hac ponderatione nobile Ioſeph enconium dixi ſuprà *lib. 1. c. 10. q. 3.* Nunc verò ad hanc quæſtionem ita reſpondet Sedulius lib. 2. cap. 6. *Inter necatos tamen infantes quos occubuiſſe certum eſt non periſſe; quamquam Chriſtus abfuerit, abſens eſſe non potuit, qui periculis Sanctorum ſẽper inſertus, alienis pro ſe corporibus irrogata pio motu ſentit in ſe ſupplicia.* Quamuis Ieſus corpore ſeceſſerit in Ægyptũ; tamen animo manebat Bethleẽ cum ſanctis pueris, qui interficiendi erãt ab Herode; non enim poteſt Ieſus ſeparari à ſuis, dũ morte, ac paſſione ſui cauſa afficiuntur, ſed ipſis adeſt, vt eorum preſſuras, ac afflictiones ſuſcipiat, ita vt magno præmio, ac corona remunerentur. 39.

Sedulius. *Chriſtus adeſt ſuis tormenta ſuſtinentibus.*

Matth. 2. n. 13. Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

VERSIONES.

D. Dionyſius Alex. Epiſt. cõtra Paulũ Samoſaten. & D. Chryſ. homilia 8. Futurum eſt enim, vt Herodes quærat animam pueri ad perdendum eum.

Theophyl. Quæſiturus eſt enim Herodes puerum, vt perdat illum.

EXPOSITIO.

INDICAT Angelus motiuum, & rationem, ob quam ſit fugiendũ, inſtruens nos, quòd in rebus magni ponderis eſt vtile valde, vt hæc aſſignetur, vt notum ſit, rem imperari, non ob poteſtatem, quæ in fulgẽti Angeli 40.

Præcipiẽdum non poteſtate, ſed ratione.

geli ſpecie apparebat, ſed ob rationem, ac conuenientem neceſſitatem, quæ tunc interueniebat. *Futurum eſt enim*, ait; indicat prouidentiam circa pueri conſeruationem, vt notat Albertus Magnus. *Herodes quærat puerum*; ſeu, vt ait D. Chryſologus ſermone 150. *Diabolus quærat per Herodem.* Sed hanc fraudulentiam in illius corde latentem aperit Angelus. Nulla hominis cogitatio Deo reſiſtere valet. Et Herodes à Magis tempus ſtellæ iam quæſiuit, & modò puerum quæret. Iniquitas peruerſi hoſtis numquam ceſſat, quæſiuit, & quæret. *Ad perdendum eum*, hoc eſt, ad occidendum. Ecce in quantam Herodis excæcata mens incidit dementiam, vt contra Dei voluntatem, pueri, quem vt Meſſiam agnoſcebat, necem poſſe perficere, apud ſe deliberaret. Tantum valet regni ambitio. Vide ſuprà *cap.* 4. *quæſt.* 25. D. Chryſoſtomus *homilia.* 8. Ioſeph fidem maximè laudat; qui de fuga pueri, quem Angelus totius populi Saluatorem dixerat, ſcandalum paſſus eſt nullum; nec apud ſe curioſè ſuſpicatus: ſi totius mundi eſt Saluator, quomodo ſe ipſum non ſaluat? Magna fides nihil ambigit, ſed omnem tentationem firma ſuperat, & nil tale quærit.

Alb. Magn. Chryſol. Chryſoſt. *Non curioſa nec ambigua firma fides.*

Matth. 2. *n.* 14. Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.

VERSIONES.

Euth. Theoph. Ille autem excitatus accepit puerum.

Pagnin. Caiet. Ille verò experrectus.

Vatablus. Ille cùm ſurrexiſſet, accepit puellum.

Syriacus. Fugáque in Ægyptum contendit.

EXPOSITIO.

39. ANgeli finito colloquio. *Qui conſurgens*; Ioſeph, diuina excitatus virtute, vt alij habent: nam illa hîc operabatur omnia. *Accepit puerum.* Ecce diuini mandati executio. Et exponit Albertus Magnus, ſicut illud Geneſ. 43. num. 9. *Ego ſuſcipio puerum; de manu mea require eum*; tamquam nutritius accepit puerum in tutelam. Carthuſianus, *Accepit puerum fortè in proprijs vlnis, vel ſcapulis baiulauit.* Nocte, aſſignatur tempus, *nocte*; fugæ enim hoc eſt valdè accommodatiſſimum. Et probabile eſt, eadem nocte, vt ſtatim dicam. *Et ſeceſſit in Ægyptum.* non dicitur, tendit, vel fugit in Ægyptum, ſed *ſeceſſit.* nam ita erat obediens, vt corde, & animo à terra Iſraël ſepararetur: tum, quia ab ea fugere mandabatur tum quia puer, & mater, in quibus cor, & anima Ioſeph defixa erat, in Ægyptum ibant.

Alb. Magn. Geneſ. 43. Carthuſ. *Obediēs animo & corde.*

***

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Ioſeph fugerit eadem nocte, qua Angelus ei apparuit?

40. QVærimus, An Ioſeph in ipſa nocte, vel alia ſequenti, qua ab Angelo fuit admonitus, fugerit? Abulenſis *in cap.* 2. *Matth. quæſt.* 59. exiſtimat, non eſſe profectum eadem nocte, ſed alia ſequenti, ſecunda, vel tertia. Et fundatur: quia Ioſeph per longum tempus ibat in Ægyptum, ac proinde de domo ſua diſponere debebat, ſeque de his, quæ ad itinerandum erant neceſſaria, præparare, nec conueniens erat, vt inſalutatis vicinis diſcederet, ne aliquid ſuſpicarentur. Tamen D. Dionyſius Carthuſianus, Cardinalis Ianſenius, Caietanus, Hugo, Ioannes Carthagena *lib.* 9. *homilia.* 3. Barradas, & alij opinantur, quòd eadem nocte Ioſeph in Ægyptum diſceſſit. Et hæc aliquantulum probabilior, & conformis textui: Qui ſurgens, ſcilicet à ſomno, accepit puerum nocte, &c. Deinde, quia maximè cohæret cum prompta obedientia Ioſeph: qui veluti alter Abraham eadem nocte, qua diuinum accepit oraculum, tulit puerum ſuum Iſaac, *Geneſ.* 22. *num.* 3. Et præcipuè, quia res, quæ mandabatur, erat magni ponderis, ad vitamque, ac conſeruationem pueri pertinebat: potius igitur Ioſeph omnium bonorum ſuorum iacturam voluit ſuſtinere, quàm cum infantis periculo fugam differre. De domo autem, cùm eſſet paupercula, breuiter diſponere poterat. Et reuelatio non alia, ſed prima nocte ei fortaſſis eſt facta; ac proinde ad iter eadem ſe potuit præparare, ad peregrinationem neceſſaria emere, niſi ex Dei prouidentia ei eſſent in domo; & tunc vicinos ſalutare, qui ex Dei conſilio de Virgine, & Ioſeph ob eorum eximiam puritatem nihil poterant mali ſuſpicari.

Abulenſ. Carthuſ. Ianſen. Caiet. Carthag. Barradas. *In rebus magni ponderis non eſt immorandum.*

QVÆSTIO IX.

Quare nocte fugerit Ioſeph?

41. QVod Ioſeph cum puero, & matre abiret nocte, Angelus non dixerat, vt aduertit Albertus Magnus. Rectè tamen reſpondet ipſe, quòd Angelus dixerat implicitè, quando dixit, quòd fugeret; quia de die fugiens latere non poteſt. Quando aliquid mandatur, etiam iubentur ea, quæ cum tali rè connexa ſunt; & ideo Ioſeph, vt prudentiſſimus, noctem elegit, vt opportunum fugæ tempus. Ex quo Abulenſis *cap.* 2. *Matth. quæſt.* 59. rectè morale colligit documentum, quòd quando homo aliquid agit, in quo periculum verti poteſt; quantumcumque firmam de Deo ſpem habeat, de cautelis, & ſecuritatibus, quæ humana poſſunt haberi prudentia, omittat nullam. Sic Ioſeph, qui puerum Ieſum, etiam verum Deum portabat, in defendendo, ac cuſtodiendo ipſum ab Herodis iniquitate, diligentiam, & cautelam appoſuit omnem, quæ humaniter apponi poterat.

Alb. Magn. Abulenſ. *Humana cautela eſt adhibenda.*

42. Dixit Abraham ingrediens Ægyptum Sarai vxori ſuæ: *Noui, quòd pulchra ſis, quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: Vxor illius eſt, & interficient*

interficient me, & te reſeruabunt. Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis, vt bene ſit mihi propter te, Geneſ. 12. num. 13. Sed quomodo Abraham, qui ſub Dei protectione erat in periculo propriæ vitæ, ac pudicitiæ vxoris conſtitutus, illam induſtria ſua vult cuſtodire, cur hanc diuinæ prouidentiæ non remittit? Quia in negotio, vbi ars humana fugit, diuina potentia imploranda; quando verò ſolertia noſtra conſequi valet, Deus per miraculum tentandus non eſt. Rupertus lib. 5. in Geneſ. cap. 7. *Is Deum tentat*, ait, *qui quantum poteſt, periculo ſe non expedit, & illic poſcit miraculum Dei, vbi nonnihil proficeret humanæ rationis ope, quæ in promptu eſt: bene igitur vir prudens vtrinque ſolicitus, videlicet ne & ſe interficerent, & illam reſeruatam ſuæ libidini ſubijcerent, quam potuit partem periculi ſuſtulit, & cætera fideliter Deo curanda reliquit.* Iacob frequenter à Deo poſtulabat, vt eum bene dirigeret, ac de manu fratris ſui Eſau liberaret, *Geneſ.* 32. *num.* 11. Tamen vt ex pacto cum ſocero ſuo Laban locuples per oues natas ex maculoſo, & vario vellere, nullam legimus orationem Deo facere, ſed ad virgas virides, & amygdalinas recurrit, *Geneſ.* 30 *num.* 37. Quia quod arte conſequi valet, per ſe ipſum perficit; vbi verò illa defecit, ad Deum recurrit.

Rupert.

43. Secundò. Gloſſa Ordinaria, *Nocte tulit in Ægyptum*, ait, *quia noctem ignorantiæ his, à quibus ipſe receſſit: reliquit incredulis.* Et moraliter: quia Iudæi, à quibus ipſe receſſit, in infidelitatis nocte manebant. Tertiò Euſebius Gallicanus homilia de Innocentibus, *Ecce*, ait, *fugit Chriſtus, & nocte fugit, vt fuga, quæ per ſe difficilis eſt, noctis obſcuritate ne difficilior fiat.* Omnes ſibi pœnalitates, ac labores reſeruauit, vt nos in luce, ac ſuauitate verſaremur, & ideo nocte, quando laborioſior eſt via, fugit.

Gloſſa. *Iudæi in incredulitate.* Gallican.

QVÆSTIO X.

Quare à Iudæa fugat nocte, ſine tenebris verò reuertatur?

44. DIvvs Hieronymus mouet dubitationem *hîc.* Quia ait, quòd *quando Ioſeph tulit puerum, & matrem eius, vt in Ægyptum tranſeat, nocte tulit, & in tenebris: quando verò reuertitur, nec nox nec tenebræ ponuntur in Euangelio.* Et quæſtionem non ſoluit, facilè tamen ſatis fit. Quia Ioſeph fugiendo in Ægyptum diſceſſit, & ideo nocturnum tempus, vt accommodatiſſimum elegit; quando verò reuertitur, manifeſtè venit; & ideo nulla noctis mentio fiat. Semper accommodatè tempori, & occaſioni eſt operandum, de quo ſuprà dictum eſt. Gloſſa Ordinaria ita ait: Quando redit, noctis non fit mentio, quia in fine mundi, Iudæi fidem, tamquam Chriſtum ab Ægypto reuertentem, ſuſcipientes illuminabuntur. Tertiò, A Iudæa nocte receſſit, quia à crudeli Herodis morte fugiebat: quando verò ab Ægypto in illam reuertitur, clarà, & manifeſta luce accedit, ad vitam pro nobis dandam veniebat, ideoque patenter venit. Pro quo vide *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 26. 27.

Hieron. Gloſſa. *Chriſtus, dū pro nobis patitur, gloriatur.*

QVÆSTIO XI.

Quare Ioſeph Virginem non præmonuerit, vt diceret, ſe eſſe eius ſororem, ſicut olim fecit Abraham?

45. MVlto pulchrior, & elegantior, quàm Sara, & Rebecca, erat Virgo Maria; Ioſeph tamen cùm deſcenderet in Ægyptum, ei non dixit, vt notat Simon Caſſianus *lib.* 2. *cap.* 22. vt diceret, ſe ipſius eſſe ſororem, veritus propter eius pulchritudinem, mortem, ſi ſe fateretur vxorem, vt olim Abraham præmonuit Saram, dum ingrederetur Ægyptum, *Geneſ.* 12. *num.* 13. Nec Virgo Maria ſublata eſt in domo alicuius Regis Ægypti, vt Sara in domo Pharaonis. Sciebat enim, quòd melius, quàm Sara, ab Angelo cuſtodiebatur, à quo ipſe ſæpe reſponſa acceperat. Et talem Deus gratiam in Virgine matre poſuit, vt ne propter eius excedentem pulchritudinem ab aliquo poſſet ad immunditiam concupiſci. Nouerat Ioſeph experimento ſui, qui numquam ex ipſa carnis tentationem perſenſerat, quamuis ſecum pariter habitaret. Huc vſque Simon Caſſianus.

Caſſian. *Præſentia Virginis libidinem extinguebat.*

46. Ex præſentia Virginis Mariæ odor puritatis, ac Virginitatis exhalabat, & omnis immunditia procul abibat. De ea ait Ioannes Damaſcenus oratione 1. de Natiuitate Mariæ. *Per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſe diffundit.* Et quid mirum, cùm ad eius præſentiam omnis immundus ſpiritus maximè deturbetur, ac effugiat. *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris*, Cantic. 4. n. 11. Quæ verba ſic explicat D. Amadæus *homil.* 2. *de iuſtificatione, ac ornatu Virginis*, dicens: *Aſſerunt odore thuris Dæmones effugari. Et ego libenter dixerim, odore virtutum ſanctæ Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine huc, illucque raptari, vt in eis impleatur, quod dictum eſt: Fiant tamquam puluis ante faciem venti. Odor iſte mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad optima.* Virginis præſentia puritatem exhalabat, immunditiam abigebat.

Damaſcen. *Maria præſentia puritatem exhalabat.* Cantic. 4. Amad.

47. Secundò. Vt dicam, Ioſeph in Ægyptum aduenìens, à Virgine non poſtulat, vt dicat, ſe eſſe eius ſororem, ſicut à Sara expetiuit Abraham, quia Ioſeph Virginis præſentia erat armatus, ac proinde nihil timebat. Ioannes Euangeliſta in horto fugit cum cæteris Apoſtolis; at verò cum Beatiſſima Virgine iuxta crucem ſtabat animoſè; ea enim quæ ſunt Beatiſſimæ Virginis, fortitudinem afferunt, armaque miniſtrant. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum*, Iſai. 8. num. 4. Sed quomodo tenerrimus puer fortiſſimas Gentes, ac Reges ſuperabit atque proſternet? Quibus armis ad debellandum ſe accinget? Tertullianus *lib.* 3. *contra Marcionem*, ſic ait: *Vagitu ad arma eſſet conuocaturus infans, & ſigna belli, non tuba, ſed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de muro, ſed de nutricis, aut gerulæ ſuæ collo, ſiue dorſo hoſtem deſtinaturus; atque ita Damaſcum, & Samariam pro mamillis ſubacturus.* Pro armis, lancea, & equo è virgineo pectore guttulæ lactis erant, & quibus hoſtes deuicit, atque ſubiecit.

Præſentia Virginis expellit timorē, dat arma. Ioan. 19. Iſai. 8. Tertull.

QVÆSTIO XII.

De laborioſo itinere Beatiſſimæ Virginis.

48. Abulenſ.

DE hac re latè agit Abulenſis *cap. 2. Matth. quæſt.* 60. Ægyptus terra eſt quaſi ex omni parte inacceſſibilis, ad eamque per mare tantummodo ex parte Occidentis eſt aditus: Deſcendendi in Ægyptum, via hæc eſt multo facilior, Ioſeph tamen hanc non elegit, vt communiter credunt omnes. Primò, vt ait Abulenſis: quia cùm Virgo eſſet pauper, non ſatis illis erat ad expenſas. Sed efficacior ratio eſt, ob quám per terreſtrem viam migrauit in Ægyptum, ne diu expectare cum puero, & matre in portu cogeretur,& tunc poterat videri & cognoſci ab aliquo, quod erat valdè inconueniens. Deinde, quia maris nauigatio erat non parum nociua tenero infanti.

49. *Diſtantia inter Nazareth & Ægyptum.* Abulenſ.

Venit hîc inquirendum: Quantum diſtet Ægyptus à Nazareth? Sententia Abulenſis *citata q.* 60. communiter ſequitur in hac re, qui inter terminos Ægypti, & Iudææ ſiue terræ Chanaan ſeptuaginta ſupputat leucas; hoc eſt, à ciuitate Gaza, vſque ad Cairum, quæ eſt maxima in Ægypto. Et in hac via ſunt viginti leucæ arabiles, & competentis habitationis; reliquæ autem quinquaginta ſunt magnum, vaſtumque deſertum. Sed adhuc in hac numeratione reſtat inueſtigandum, quantum diſtet Nazareth à ciuitate Gaza? Brochard. Brochardus à Nazareth vſque ad Hieruſalem viginti ſeptem computat; à Hieruſalem vſque Hebron octo; ab Hebron vſque ad Gazam diætæ vnius iter eſſe dicitur. Ex quo concluditur, quòd à Nazareth vſque ad Cairum itineris terreſtris leucæ interiacent centum. Et ad hoc fortè reſpicit D. Auguſtinus *ſerm.* 82. *de tempore*, dum ait: *Ab illo loco, vbi erat Iacob, vſque ad Ægyptum vix erant trecenta milliaria.* Vna autem leuca ex tribus miliaribus conſtat. Locus ille, in quo erat Iacob, prope Bethleem erat; ſi autem Iſraëlitæ quadraginta annos in via illa conſumpſerunt, ex eo eſt, quia Deus eos per deſertum non recto itinere duxit, vt conſtat ex libris Moyſis. Auguſt.

50. *Virgo quanto tempore in itinere.* Bonauent.

Quanto verò tempore Virgo cum Ioſeph illud iter abſoluerint, non conſtat. D. Bonauentura *cap.* 12. *de meditationibus Chriſti*, ait: *Quòd ad iter vnius curſoris ſunt duodecim, vel quindecim diætæ; pro eis Virgo cum Ioſeph peruenerunt ad Ægyptum ſpatio duorum menſium vel plurium. Quomodo verò de nocte quieſcebant, & hoſpitabantur? rarò enim in illo deſerto domus inueniuntur; de his, quia pauca authentica inueniuntur, referre non curabo.* Hucuſque D. Bonauentura. Narrat Sozomenus 5. *hiſtoriæ* 21. Grammaticus Chriſtianus, Baronius *ann. Chriſti* 1. *in Epitome Spondan. n.* 10. iuxta oppidum Thebaidos, arborem quandam, quam incolæ venerabantur, ſe vſque ad ſolum ſponte ſua inflexiſſe, Chriſtumque adoraſſe; eius poſtea fructus, folia, aut etiam particulas morbos pellere conſueuiſſe. Vincentius Bellouacen. *in ſpeculo Hiſtorico lib.* 6. *cap.* 94. teſtatur, quòd boues, & leones per deſertum inclinabant capita coram Virgine, & puero, ac etiam Beatiſſimo Ioſeph oſtendebant viam. Et multa alia quæ falſa videntur, & referuntur in libro de infantia Saluatoris, quæ vt apocrypha reiecit Gelaſius Papa *cap. Sancta, diſt.* 15. quod ibi in ſuo aureo commentario luculenter, ac multorum Authorum teſtimonio comprobat Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus D. Rodericus à Cunha, Præſul Bracharenſis, ac Primas Hiſpaniarum, nunc noſter digniſſimus Archiepiſcopus Vlyſipponenſis.

(Sozom. Grammat. Baron. *Miraculum.* Bellouac. Rod. à Cunh.)

Matth. 2. *n.* 15. Et erat ibi vſque ad obitum Herodis, vt impleretur quod dictũ eſt à Domino per Prophetam: Ex Ægypto vocaui filium meum,

VERSIONES.

Syriacus, Vatablus. Et fuit illic vſque ad mortem.

EXPOSITIO.

51. *Vbi Ioſeph, ibi Ieſus & Maria.*

EXPRIMIT tempus, quoaduſque Ioſeph extitit in Ægypto. Et non ait: Erat cum puero, & matre; ſed tantùm de Ioſeph hîc fit expreſſa mentio: tum quia, quòd cum illis erat, clarè colligitur ex ſuperioribus: tam, quia manifeſtum eſt, quòd vbi erat Ioſeph, ibi & Ieſus, & Maria aderant. *Vſque ad obitum Herodis*, Ecce mors illius, qui tam crudeliter Chriſtum perſequebatur. Optimè Albertus Magus *hîc* accommodat illud 1. Machab. 2. num. 62. *A verbis viri peccatoris ne timueritis; hodie extolletur, & cras non inuenietur: quia conuerſus eſt in terram ſuam.* Adducit Euangeliſta locum *Oſeæ* 11. *num.* 1. quem Septuaginta tranſtulerunt: *Ex Ægypto vocaui filios meos.* Sed radix Hebraica habet *filium meum*, vt tenet Cornelius à Lapide. Et cùm locus ad litteram ſit de populo Iſraëlitico, qui docebatur Filius Dei, Exod. 4. n. 22. *Filius meus primogenitus Iſraël.* Et, *Dimitte filium meum vt ſeruiat mibi.* Tamen hic locus Oſeæ citatus ab Euangeliſta, perfectiori ſenſu intelligendus eſt de Chriſto Domino, vt conueniunt grauiſſimi Patres, & ſtatim patebit.

(Alb. Magn. 1. Mach. 2. Septuag. Oſeæ 11. Cornel. Exod. 4.)

QVÆSTIO XIII.

De ingreſſu, ac mora Chriſti in Ægypto?

52. Iſai. 19. Anſelm. Paſchaſ. Grammat. D. Thom. Hugo. Abulenſ.

LOCVS, in quo Chriſtus habitauit in Ægypto, appellatur *Ciuitas Solis.* Et colligitur ex *Iſaia cap.* 19. *n.* 18. Græcè autem dicitur *Heliopolis.* Ita tradunt D. Anſelm. Paſchaſius, Chriſtianus Grammaticus, D. Thomas, Hugo *hîc*, Abulenſis *q.* 60. Qui etiam teſtatur quòd de Heliopoli ad ſeptem leucas eſt Babylon ciuitas valdè magna; non illa, de qua loquitur Scriptura, quæ eſt in Chaldæa, ſed alia in Ægypto; & in vtraque ciuitate, & puero cum matre habitauit Ioſeph. Et in his ciuitatibus, vt ait etiam Abulenſis, & refert Baronius *in Epit. Spond. anno* 1. *n.* 10. ex Brochardo *quæſt.* 2. *cap.* 4. quòd inter Heliopolim, & Babyloniam Ægypti medio ferè loco eſt hortus balſami irrrigatus à fonte paruo, ſed vbere, in quo fama eſt, Beatiſſimam Virginem puerum Ieſum ſæpe lauiſſe, panniculoſque eius mundaſſe: & ibidem eſt lapis, ſuper quem dicitur eoſdem exſicaſſe. In ciuitate autem Heliopoli habitauit olim Iacob cum filiis ſuis, vt bene notat Barradas ex Ioſeph lib. 2. antiquit. cap. 4. *Iuſſit*, inquit, *Pharao Iacob cum filÿs ſuis degere in Heliopoli.* In his ergo locis voluit Dominus exulare, in quibus olim Iacob, & Iſraëlitæ exularunt.

(Baron. Brochard. Barrad. Ioſeph.)

53. Iſai 19.

Chriſto Domino cum Virgine matre ad Ægyptum perueniente, & Heliopolim ingrediente, vniuerſa corruerunt idola; & impletum eſt vaticinium Iſai. cap. 19. n. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius.* Sancta eius humanitas appellatur nubes leuis, quæ nullo erat grauata peccato. Ita factum eſſe, & prædictum locum Iſaiæ intelligunt Origenes *homilia* 8. *in Diuerſ.* Euſebius Cæſarienſis *lib.* 9. *de demonſtrat. Euang. cap.* 2. noſter D. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 19. D. Bonauentura *cap.* 12. *de meditationibus Chriſti, hîc*, D. Anſelmus, D. Paſchaſius, D. Thomas, Zacharias Epiſcopus, Albertus Magnus, & alij. Idem prædictum eſſe à Hieremia Propheta Sacerdotibus Ægypti de aduentu Virginis cum puero, teſtatur D. Epiphanius *in vita Hieremiæ*, & Dorotheus *in Synopſi.* Et Abulenſis aſſerit *citata quæſt.* 60. quòd in ciuitate Heliopoli quoddam extabat templum; in quo erant idola trecenta ſexaginta quinque, iuxta numerum dierum anni, quibus ſingulis diebus diuinus habebatur cultus: ad Chriſti autem, & matris eius ingreſſum vniuerſa idola corruerunt. Et hoc fuit maximè conuenientiſſimum, vt ad ingreſſum Filij Dei in carne vniuerſa idola corruerent, ſiquidem ad ingreſſum Arcæ in templum Dagon corruit ipſum idolum. quod factum cùm nuntiatum eſſet Aphrodiſio principi Sacerdotum, venit in templum cum omni exercitu ſuo, & Chriſtum adorauit, ac multa de eo locutus eſt. Ita Abulenſis.

(Origen. Cæſar. Cyrill. Bonauent. Anſelm. Paſchaſ. D. Thom. Zachar. Alb. Magn. Epiph. Doroth. Abulenſis.)

54. Panu.

Quanto autem tempore Ioſeph cum puero, & matre in Ægypto ſit commoratus, non omnium eſt eadem ſententia; nam Panu. *in Faſtum*, vt refert Baronius *anno Chriſti octauo*, vix vno anno concedit. D. Epiph. *Panar.* 21. *& hæreſi* 58. biennio tantùm manſiſſe teſtatur. Nicephorus *lib.* 1. *cap.* 14. triennio, Ianſenius *cap.* 11. Caiet. ferè quadriennio, Barradas quinquennio, vel ſexennio putant. Communis tamen eſt ſententia, quòd Ioſeph cum puero, & Virgine ſeptennio habitauerit Ægyptum. Ita habent Ammonius *in Harmonia Euangelica.* Gloſſ. Ordinar. D. Anſelmus, D. Thomas 2. *Matth.* Magiſter *hiſtor. cap.* 23. Platina *de vita Chriſti*, D. Bonauent. *de meditationibus Chriſti cap.* 13. D. Antonin. 1. *part. tit.* 5. *cap.* 1. §. 4. Sabellicus *lib.* 1. *Enneade* 3. D. Dionyſius Carthuſian. *ſerm. de Innocentibus*, Petrus de Natalibus *in Catalog.* Abulenſis 2. *Matth. quæſt.* 91. Baronius in hac ad minimum eſt ſententia, prout reditum ex Ægypto conſtituit anno Chriſti octauo, *in Epit. Spond. num.* 3. Nam ipſe Baronius *in apparatu ad ſuos annales in cit. Epit. num.* 35. cum communi ſententia tenet, quòd Herodes regnauerit annis ferè ſeptem; & latè probat, quòd Chriſtus natus fuerit anno vigeſimo nono regni eius. Et tandem hoc reuelatum fuit B. Brigittæ *lib.* 6. *cap.* 58. Et pro hac ſententia ſtat communis traditio populi Chriſtiani. Quòd autem ibi Chriſtus cum Beatiſſima Virgine, & Ioſeph egerint, nihil certè poſſumus affirmare, præcipuè cùm liber de Infantia Saluatoris ſit apocryphus, damnatus à Gelaſio Papa.

(Epiph. Nicephor. Ianſen. Caiet. Barradas. Ammonius. Gloſſa. Anſelm. D. Thom. Magiſter. Bonauent. Anton. Sabellicus. Carthuſ. Petr. de Nat. Abulenſis. Baron. B. Brigittæ.)

QVÆSTIO XIV.

In quo ſenſu hic locus citatus ab Euangeliſta, de Chriſto Domino intelligatur?

55. Hieron.

QVÆSTIO eſt, Quomodo hoc vaticinium dicatur à Matthæo impletum in Chriſto Domino. Quod adeò latuit Iulianum Apoſtatam, ſicut refert D. Hieronym. *in citatum locum Oſeæ*, vt illud obiiceret Chriſtianis, arguens Matthæum falſitatis, vel ignorantiæ: in quo ipſe Apoſtata maximè arguendus, vtpote non intelligens Scripturam. In quo ergo ſenſu de Chriſto dictum eſt oraculum?

56. Ianſenius.

Ianſenius ait, quòd hic textus dicitur à Matthæo impletus in Chriſto per accommodationem: quia quod dicitur de populo Iſraël, ad Chriſtum ſimilitudine quadam rectè aptari poteſt: vt ſi aliquis de filio, qui valdè chariſſimus eſt parenti, dicat.

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

57. Suarius.

At hæc ſententia falſa eſt, imò continet errorem, vt docet Suarius *tom.* 2. *ad* 3. *part. diſput.* 17. *ſect.* 1. §. *ſecundam verò.* Et primò repugnat hæc explicatio cum Euãgeliſta. Nam aliud eſt accommodari, aliud impleri Scripturam: accommodatur multis rebus, etiam à nobis; impletur verò ſolùm in his, quæ in aliquo ſenſu in ipſa continentur. Ergo cùm Euangeliſta dicat, *Vt impleretur, quod dictum eſt*, &c. in aliquo verò ſenſu de Chriſto Domino intelligitur prophetia. Deinde repugnat cum ſanctis Patribus; nam omnes intelligunt, in Oſea de Chriſto Domino contineri prophetiam. D. Hieronymus *hîc in Matth.* D. Chryſoſtomus, D. Anſelmus, D. Thomas, D. Paſchaſius, Theophylact. Beda, Euthymius, Albertus Magnus, Gloſſ. D. Chryſologus *ſerm.* 151. D. Gregor. Nazianz. *orat.* 24. & alij multi.

(Hieron. Chryſoſt. Anſelmus. D. Thom. Paſchaſ. Theophyl. Beda. Euthymius. Alb. Magn. Gloſſa.)

58. Euſeb. Lyran. Carthuſ. Abulenſ. Rupert. Prado. Molina.

Secundò Euſeb. *lib.* 9. *de Demonſtrat. Euang. cap.* 4. Lyranus, & D. Dionyſius Carthuſianus, Abulenſis *in* 2. *Matth. q.* 57. Rupertus *in Oſeam*, Prado *prœm. in Ezech. ſect.* 8. *&* 9. exponunt prædictum locum in ſenſu literali de Chriſto Domino. Et in hac ſententia videtur eſſe Molina 1. *p. q.* 1. *art.* 10. *diſput.* 3. Ac proinde docent hi authores, quòd hic textus duplicem habet ſenſum litteralem, vnum de populo, de Chriſto alterum; nam idem Scripturæ locus ſenſus litterales poteſt habere multos. Attamen etſi hoc in multis aliis dicatur locis, non aptè tamen dicitur de præſenti textu Oſeæ, de quo eſt ſermo. Quia in ſenſu literali omnia, & ſingula conuenire debent rei, de qua agitur: atqui omnia quæ Propheta ibi vaticinatur, vt patet ex antecedentibus, & conſequentibus, ſolùm populo, & non Chriſto Domino, conueniunt. Ergo ſenſus literalis ibi de populo tantùm eſt.

59\. Tertia, & vera intelligentia in ſenſu literali eſt de populo Iſraël egrediente de Ægypto; in ſenſu verò perfectiſſimo, ſublimiori, & allegorico de Chriſto Domino loquitur Propheta, qui ſenſus verè etiam à Spiritu ſancto intentus; impletaque eſt prophetia hæc, dum Chriſtus Dominus de Ægypto exiit: nam populus ille Chriſti Domini typus erat, quapropter loquitur Propheta literaliter de populo, de Chriſto Domino autem in ipſo populo præfigurato, allegoricè. Et hoc optimè explicat D.Hieronymus *in Oſeam*, illa allegoria, qua Sina, & Sion, Sara, & Agar ſignificant nouum & vetus Teſtamentum, vt ait Apoſtolus *ad Gal.4.num.*24.Ita in Oſeam D.Hieronymus, Ribera, Cornelius, etiam *hìc in Matth.* D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Barradas, Beaulxames, & alij. Suarius *citatus*, Vaſquius 1.*p.quæſt.*1.*art.*10.*diſput.*14.*c.*4. Cumel. *eodem art.q.ſua* 2.*concl.*1. Nec obſtat id, quod hìc obiicit Oſiander, quòd populus Iſraël innumerabilis non poteſt eſſe figura vnius hominis, ſcilicet Chriſti. Sed ſi vnus homo Abraham, vel Iſaac potuit totum populum repræſentare, quare totus populus non figurabit Chriſtum cùm ſit totius vniuerſi caput?

Hieron. Ribera. Cornelius. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Barrad. Beaulxam. Suarius. Vaſquius. Cumel.

CAP. VIII.

Occiduntur infantes ab Herode.

*Matth.*2.*n* 16. Tunc Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè.

VERSIONES.

Syriacus. Tum Herodes quum videret, ſe à Magis illuſum eſſe, vehementer excanduit.

Euthymius, Theophyl. Tunc Herodes, vbi vidit, quòd illuſus eſſet à Magis, iratus eſt.

Vatablus. Illuſum ſibi eſſe à Magis.

EXPOSITIO.

1\. PARTICVLA illa *Tunc*, licèt dicat aliquam cum antecedentibus propinquitatem; non tamen dicit immediatam, vt notat Albertus Magnus. Sed ſignificat poſt diſceſſum Magorum, ac pueri aduentum in Ægyptum. *Herodes videns*; non ex qualibet fama, ſed ex certa ſcientia per exploratores ſuos cognoſcens, à Magis in Bethleem Meſſiam fuiſſe inuentum, eoſque iam à regno ſuo lætos abiiſſe; hoc enim licèt iniquus, magna cura examinauit. *Quoniam illuſus eſſet à Magis.* Quia ad eum non redierant, vt ipſe expectabat, *Iratus eſt vehementer*; nam, vt ait Gloſſa Interlinealis, *Accumulatur ira turbato per natiuitatem.*

Alb.Magn.

Ante ſuorum pœnam Rex cognoſcat.

Interl.

QVÆSTIO I.

Quare Herodes ſe à Magis illuſum putet?

2\. RECTE D.Chryſoſtomus *hom.9. in Matth.* ponderat, quòd facilè Herodes ex mirabili pueri natiuitate, ex fama paſtorum, ex oraculo à Scribis prolato, ex ſtella, quæ Magos adduxit, ex eorum audacia, ac fortitudine, nihil in hoc facto illuſioni Magorum eſſe deputandum; ſed diuinæ vtique virtuti, prouidè omnia atque vtiliter ordinanti. Sed ambitione Herodis mens cæca ad nihil eorum cognoſcendum liberum relinquebat animum. Sed cùm Magi ad ipſum, vt expectabat, non redirent, ſe illuſum exiſtimat: nam, vt ait ipſe Chryſoſt.in Imperfect.hom.2. *Dicebat Herodes cogitans in furore: Certè Magi inuenerunt puerum illum, quem regnaturum dicebant, & aut aurum acceperunt à parentibus eius, aut largis promiſſionibus ſunt placati, ideo ad me reuerſi nō ſunt; nam Rex quidquid aduersùs regnum putauerit, verum totum exiſtimat. Animus eius ſemper ſuſpectus eſt, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia ſuſpicatur; facilè credit, quidquid fuerit ſuſpicatus.* Herodis animus mille diſtrahebatur cogitationibus, & omnia ei apparebant credibilia, dum de regni amiſſione turbatur; qui enim timet, ſæpe falſa iudicat vera.

Chryſoſt. Imperfect.

Timidus, ac ambitioſus falſa vera iudicat.

3\. Secundò. Albert. Magn. *Quia*, ait, *hic Herodes illuſor fuit, ideo omne, quod ad votum malitiæ ſuæ non obtemperauit, illuſionem reputauit.* Qualis vnuſquiſque, tales ſibi proponit & alios; illuſor illuſores, ſuperbus ſuperbos exiſtimat omnes. De Diabolo loquens Iob *c.*41.*n.vlt.* ait: *Omne ſublime videt*; ſeu, vt legit Theodotion, *Omnem ſuperbum intuebitur.* Quod clariùs explicat paraphraſis Nicætæ, vt refert Pineda ibi: *Omne ſublime intuebitur; totus enim ſuperbia eſt, nihil humile mente pertractat.* Cùm Diabolus naturâ ſit ſuperbiſſimus, quidquid ei mente obiicitur, elatum apparet. Amā cùm eſſet ſuperbiſſimus, *Eſther.*13. *n.*12. quod à Mardochæo nō adoretur, ad nihil aliud adſcribit, niſi ad ſuperbiam, *c.*3.*n.*5. Hoc eſt valde frequens, vt quilibet ex ſua propenſione alios iudicet, ac pendat. Poſt primam, & ſecundam tentationem, vt Diabolus Chriſtum Dominum aggrederetur; *Aſſumpſit eum in montē excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi*, Matt.4.n.8. Quæro, ad quid, dum Sathanas magno conatu Chriſtum vult impetere, ducit eum in montem excelſum? Diabolus cecidit dum montē teſtamenti aſcendere contendit. *Sedebo*, inquit, *in monte teſtamēti*, Iſai.14.n.13. ideo ad Chriſtum tentandum in montem ducere conatur; nam vnde quis lapſus fuit, ſibi perſuadet & alios facilè caſuros. D.Hieron.in cap.4.Matth. *Porrò*, inquit, *Diabolus ducere eū feſtinat ad montes, vt per quos ipſe corruerat, etiam cæteri corruāt.*

Alb.Magn. *Qualis vnus tales iudicat alios.* Iob.41. Theod. Nicætas. Pineda. Matth.4. Iſai.14. Hieron.

QVÆSTIO II.

Quare iraſcatur Herodes?

4\. QVOD Magi ad Herodem non redirent, ipſe poterat ex magna cauſa coniecturari, vt patet ex ſuperiori quæſt. *in principio.* Et in hoc, vt ait Albertus Magnus, nullam Magi fecerunt illuſionem; ſed potiùs profuerunt: ipſe autem hoc illuſionem reputauit, & ideo iraſcitur. Inquirimus modò ex quo fundamento? In hac re communis, & germana ſolutio eſt D. Chryſoſtomi, D.Paſchaſij, S.Thomæ, Abulenſis *quæſt.*67. qui ita ait: Iratus fuit Herodes, quia fruſtrabatur deſiderio ſuo; nam valde optabat occidere Meſſiam, quem Magi adorare venerant; nunc verò Magis recedentibus putabat ſe non poſſe inuenire illum puerum, quia non manebant ſigna certa ad inueniendum, ideo iratus eſt vehementer. Et valde iniqua erat huiuſmodi Herodis indignatio, cùm ipſe nullo modo poſſet intentare, nec velle occidere Meſſiam, & ideo Magi non tenebantur ſtare verbo dato veniendi ad ipſum; nam promiſſio ex iniquitate interueniente impeditur, vt communiter docent Theologi, & ſuprà dixi.

Alb. Magn. Chryſoſt. Paſchaſ. D Thom. Abulenſ.

5\. Secundò. D. Chryſoſt. in Imperfecto *homil.*2. ſic ait: *Iraſcebatur Herodes, quia quibus ille ſedens in throno regni, & veſtitus purpura ſuadere non poterat: his Ieſus paruulus, & iacens in præſepio, & pannis inuolutus placuit.* Herodes ita ſuccendebatur, conſiderans quòd Chriſti humilitas plus potuit perſuadere, quàm regia ſua dignitas; illa enim Magos à ſuis regionibus attraxit; hæc verò illos ad ſe inclinare minimè valuit. Tertiò. Imperfectus homil.2. *Meritò*, ait, *iraſcebatur Herodes, qui quibus ille ſedens in throno regni, & veſtitus purpura ſuadere non poterat, his Ieſus paruulus, & iacens in præſepio, & pannis inuolutus placuit.* Herodes ita excandeſcebat, nam videbat ſe virum potentem, & Regem contemni ob pauperem puerulum; & etiam cogitabat pluś valuiſſe apud Reges Magos humile ſtabulum pueri nati, quàm totam ſuam maieſtatem regiam. Et maximè dolet mundi dignitas, quòd homo inferioris pretij plus ipſa æſtimetur. Illud tamen in citatis verbis aduerte, quòd dum dicit Pater, *Meritò iraſcebatur*, Non intelligit, quòd fuerit iuſtè, & rectè factum in veritate rei, ſed quòd Herodi ſecundùm ſuum deprauatum intellectum ita videbatur.

Imperfect. *Humilitas Chriſti plus attraxit, quàm ſuperbia mundi.* Imperfect. *Dignitate ſublimatus dolet, quòd inferior ſibi proponatur.*

6\. Quartò. D. Chryſologus ſerm. 150. *Herodes*, ait, *quærebat, ſed quærebat Diabolus per Herodem, qui videbat ſibi Magos, quos habebat in erroribus ſuis principes, aufugiſſe: Chriſtus ſi vinctus pannis, ſi ſub matris vberibus occupatus, Diaboli ſigniferos, hoc eſt, Magos in duces fideliſſimos commutauit; perfectæ ætatis Chriſtus quid poſſit facere, Diabolus iam videbat; & ideo mouebat Iudæos, inſtigante Herode, vt Chriſti ſuſpectam ſibi præueniret infantiam, vt futuræ virtutis eius anticiparet inſignia.* Feruebat etiam ira Diabolus, quia Magos, olim in ſua errorum ſagena retinuerat, iam à Chriſto ablatos videbat, & in præſtantiſſimos Domini duces transformatos agnoſcebat, & inde coniiciebat, quid Chriſtus virili ætate præſtaret; aduerſarius enim noſter erubeſcebat, ſe olim fortiſſimum mundi principem, ac pugnatorem à terreno infantulo deuinci, ac expoliari.

Chryſol. *Dolet potentia cùm ſe videt à iuniori deuinci.*

7\. Hanc Herodis iram meritò arguit D. Chryſologus *ſerm.*152. ita loquens: *Videns Herodes, quia illuſus eſſet à Magis, dolet impietas ſe illuſam, dilatam ſe crudelitas furit, fremit doloſitas ſe deceptam, & in ſe fraus reuerſa colliditur.* Hæc eſt hominum conditio, qui alios paſſim illudere volunt, & minimè patiuntur, quòd ab aliis illudantur. Scire ſolicitabat maximè Dalila, vbi Samſon fortitudo conſiſteret, vt ſuis eum hoſtibus traderet; cui Samſon cùm falsò dixiſſet, quòd ſi multiplici funere eſſet ligatus, infirmus ac debilis redderetur, poſtea vinctus vincula rumpit; quo facto dixit ad eum Dalila: *Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es*, Iudic.16.num.10. Eum tradere affectat & conqueritur, quòd verum non prodat. Sed iis diuina hoc virtute contigit, quod de Herode ait D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil.2. *Herodes autem*, ait, *qui dum vellet deludere, deluſus eſt. Deuotionem promittebat puero, dicens: Exquirite de puero, vt & ego veniens adorem eum. Inſenſatus, qui vnigenitam Dei ſapientiam humana fraude circumuenire tentabat.* Nam miſer incidit in foueam quam fecit, & ipſe illuſus eſt à Magis. Quod optimè cōfirmat idem Chryſoſt. *hom* 8. *in Matth.* nam dum Ægyptij tenerent captiuos Hebræos, *Affligebant illudentes eis*, Exod.1.n.13. Sed potiùs diuina virtus diriſit eos, dum expoliata Ægypto Hebræos dimiſerunt. 1.Reg.6.n.6. *Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum; nonne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos?* Septuaginta, Chryſoſt. citat. *Nónne poſtquam illuſit eis, dimiſerunt populum ſuum?* Ecce diuina virtute qui illudebat illuſus eſt.

Chryſol. *Qui alios illudunt, illudi non volunt.* Iudic.16. Imperfect. *Qui illudit, illuditur.* Chryſoſt. Exod.1. 1.Reg.6. Septuag. Chryſoſt.

QVÆSTIO III.

Quare Herodes iraſcatur de aduentu Magorum, non verò de adoratione paſtorum?

8\. IN tota Iudæa ſatis vulgaris fuit, & publica adoratio, quam puero nato exhibuerunt paſtores. De illis ait D.Luc.2. n.18. *Et omnes qui audierant, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à paſtoribus.* Quæ ſine dubio fama ſuccreſcente totum impleuerunt Iſraëliticum regnum, atque ad Herodis aures peruenerunt, vt notant D. Chryſoſtomus *homil.* 9. *in Matth.* D.Auguſtinus *ſerm.*2.*de Innocentibus*, S.Baſilius Seleucus *orat. de eiſdem.* Quomodo ergo Herodes, non de adoratione iſta, ſed de Magis tantùm excandeſcit?

Luc.2. Chryſoſt. Auguſt. Baſil.

9\. Primò reſpondemus ex his, quæ docet Abulenſis *cap.*2.*Matth. quæſt.*67. quòd paſtores Herodi nihil promiſerant: *At Magi*, vt ait Abulenſ. *fefellerant eum, non ſeruando promiſſa, & putabat, ſe ex hoc læſum, vt vilipenſum, & ideo de Magis iratus eſt valde.* Homo nobilis, ſi ſe parui æſtimari videat, maximè dolet. In Magis autem nulla extitit fallacia, quando enim ad Herodem redire promiſerunt, bonum eſſe credebant; eſſe tamen malum diuino reſponſo cognouerunt, & promiſſio iniquitate interueniente non obligat. Secundò. Id Herodem maximè affligebat, ne huius pueri aduentu regnum amitteret, & ideo plus doluit de aduentu Magorum, qui Iudæorum Regem nominabant, quàm de adoratione paſtorum, qui Saluatorem dicebant.

Abulenſis. *Dolet nobilis, dum parui æſtimatur.*

10\. Tertiò. Ingenioſam quandam rationem nobis innuit D.Chryſologus *ſerm.*150. Puerum ſcilicet, *Quærebat Diabolus*, ait, *per Herodem, qui videbat Magos ſibi, quos habebat in erroribus ſuis principes, aufugiſſe; ſentiebat, quòd Chriſtus doctrinis, virtutibus vitam mox repararet, & mundum totum, qui adhuc vagiens ipſum, quod erat mundani verticis occuparat.* Nota illa verba, *mundani verticis*

Chryſol.

Mundus ſequitur principes.

ticis occuparat. Paſtores ſimplices,viles, abiectíque extiterant homines ; Magi verò ſapientes, Reges,atque potentes. Igitur quòd illi ad Chriſtum venirent, in Herode Diabolus non multum fremebat;quòd autem hi eum adorarent,& quòd erat humani verticis ad eius pedes inclinaretur, maximè timebat , ne poſt eos totus ad Chriſtum mundus eſſet trahendus , eorumque emendandus exemplo. Cùm princeps, ac dux Tribus Simeonis ingrederetur ad mulierem Madianitidem , quæ, vt tradit Abulenſis,erat filia Regis,Phinees *arrepto pugione perfodit ambos ſimul.* Quo facto ita placuit Deo, vt ei,ac ſemini eius dederit Deus pactum ſacerdotij ſempiterni,*Num.*25.*num.*8. & *num.*13. Sed cùm in illa die occiſa ſint vigintiquatuor millia hominum *ibi num.* 9. quomodo Phinees pro duorum tantùm nece præmium obtinuit? Tota illa multitudo maiori ex parte ex vulgaribus coaleſcebat hominibus ; illi autem duo à Phinees occiſi principes erant , & vt tales vniuerſum poſt ſe populum adducere poterant, & dum Phinees debito ſupplicio tantæ nequitiæ obſtitit , pro duorum nece plus promeruit,quàm omnes alij pro magna vulgarium ſtrage.

Abulenſ.

Matthai 2. *num.*16. Et mittens occîdit omnes pueros , qui erant in Bethleem , & omnibus finibus eius.

VERSIONES.

Syriacus. Miſitque, qui interficerent omnes pueros Bethleemitas , finitimóſque omnes.

Euth.Theoph. *D.Antioch.* *homil.* 24. *de ira.* Miſſis ſatellitibus occîdit.

Pagninus. Cùm miſiſſet miniſtros interfecit.

Vatablus. Miſſo ſatellitio interfecit.

EXPOSITIO.

11\. HERODES puerum natum maximè timens,per hoc exiſtimauit aliqualiter fore ſecurum , ſi in Bethleem , viciniſque illius locis pueros occideret omnes : ob prolatam enim à ſcribis prophetiam , ibi natum eſſe credebat ; & quòd puer alibi non eſſet, veriſimiliter exiſtimabat , cùm illius certum veſtigium poſſet inuenire nullum. Et ideo miſit ſatellites,vt occiderent omnes.

QVÆSTIO IV.

Quomodo huiuſmodi crudelis cædes facta ſit?

12\. HERODES regni ambitione ſtimulatus turpiſſimum ſuper omnes homines aggreſſus nefas,vt lactantes interficeret pueros. Quod elegantiſſimè ponderat Origenes homil.3. in diuerſ. *Multi,* ait , *multas iniquitates facere feſtinarunt, iſte autem nequiſſimus Herodes in peſtifero ambitu cordis ſui omnium facinorum crimina ſupergreſſus eſt.* Sed quid mirum,quòd ambitione ductus turpiſſimum ſcelus reſpueret nullum. Herodes ita excæcatus eſt, vt haberet cum ſceleratis miniſtris ſuis conſilium , vt ponderat D. Baſilius Seleucus *orat.de Infantibus ſublatis*;ſæpe enim conſiliarij blandiuntur Regis voluntati,&,vt dicitur Eccleſiaſt.10.num.2.*Secundùm iudicem populi,ſic & miniſtri eius, & qualis rector ciuitatis,tales habitantes in ea.* Imò, vt vult Rupertus *lib.*2.*de victoria Verbi* , *cap.*2. & Albertus Magnus , aiunt, quòd cum facultate Auguſti Cæſaris hanc infantium cædem perpetrauerit ; ſcripſit enim illi natiuitatem pueri : & quomodo à Prophetis Rex totius mundi prænuntiabatur,& hanc infantium occiſionem ad eius mortem opportunum eſſe remedium, Romaníque Imperij conſeruationi maximè congruum. Hoc licèt probabile , multis tamen, & mihi videtur repugnare cum magna Auguſti clementia. Deinde,quia ſicut Herodes ſine eius licentia multos nobiles Iudæos interfecit, ita & pueros. Tandem repugnat cum dicto Cæſaris, vt refert Macrobius lib.4.cap.4.*Præſtat*,ait, *eſſe porcum Herodis,quàm filium.*

Origenes. *Ambitio flagitium nullum reſpuit.* Baſil. Eccleſ.10. Rupert. Alb Magn. *An cum licentia Cæſaris.* Macrob.

13\. Miſit ergo Herodes Bethleem crudeliſſimos ſatellites,vt ait D.Dionyſius Carthuſianus.Quomodo autem hæc cædes ſit facta , dubium eſt. Nam D. Auguſtinus *ſerm.*1.& 2.*de Innocentibus*, D. Baſilius Seleucus , & alij videntur affirmare, quòd carnifices per domos diſcurrebant.Abulenſis *quæſt.*71. quòd Herodes ſecretò quæſiuit,quot in illis partibus pueri eſſent,& ſcriptis eorum nominibus cum parentibus, præcepit eos ſubitò interficere. Chriſtianus Grammaticus, quòd expectauit Herodes, vt venirent cum matribus ad ſolemnitatem , quæ illo tempore celebrabatur ; & tunc ibi ſunt interfecti.D.Antoninus 1.*part.tit.*5. *cap.*2.§.4. tenet,quòd Herodes ſimulata cauſa,vel publicato prætextu alicuius pietatis , vel munificentiæ pueros cum matribus in Bethleem , & in confinibus ſuis in vnum locum fecerit congregare ; & tunc repentè occiſi ſunt. Siue hoc , ſiue illo dicas modo , mihi dicendum videtur , quòd eos ad vnum venire locum Herodes coëgit , & tunc ibi ſunt interfecti ; vt ita nullus effugeret, & faciliter occiderentur.

Carthuſ. Auguſt. Baſil. Abulenſ. Grammat. Anton.

14\. Hæc autem cædes adeò crudeliter exercebatur, vt ex Macrobio referat Abulenſis *cap.* 2. *Matth. q.*64.(diuina iuſtitia diſponente,vt ipſe Innocentium morte Herodes puniretur) quòd quidam eius filius , quem Bethleem nutriendum tradiderat, cum cæteris paruulis occiſus eſt , ſicut & alij duo , præter hunc,quos ipſe Herodes interfecit. Quod bene notauit Imperfectus *homil.*2. vbi ait: *Poſt hæc autem dignam pœnam Herodes ſuſcepit. Nam filios ſuos tres interfecit,& non interfectos ab alio vidit occidi,vt ne vel paternam ſuper illos demonſtraret pietatem in luctu,ſed ipſe occidit,vt & filios perderet, & de morte eorũ crimen acquireret. Viſcera ſua laniabat in filijs,& dolorem eorum non ſenſit.Vt quemadmodum paruuli mortem ſuam non ſenſerunt, propter infantiam:ſic ille dolorem viſcerum ſuorum non ſenſit propter inſaniam.*Iuſto enim Dei iudicio necem , ac malum quod in aliorum filiis intulit, id ipſum in propriis paſſus eſt. Puerorum autem,qui necati ſunt,non conſtat numerus , ſed quorumdam traditio eſt , vt refert Salmeron *lib.*3. *tract.*4. fuiſſe quatuordecim millia. In hoc verò nihil certum habemus , vt notat D.Paſchaſius hîc. *Quia quod in Scripturis ſanctis non legitur , melius ignorare, quàm temerè definire credimus.*

Macrob. Abulenſ. *Numerus puerorum.* Imperfect. *Malum quod alijs infers, in te redit.*

Numerus puerorum. Salmer. Paſchaſ.

QVÆSTIO V.

Quare Herodes ad interfectionem non venerit , ſed tantùm miſerit?

15\. CVM Herodes ſibi perſuaderet hoc magni ponderis eſſe negotium, vt ſe in regno ſuo ſecurum , & quietum redderet ; quare non per ſe venit , ſed mittit ; Quæſtionem hanc mouet Albertus Magnus,& reſpondet primò. *Cùm alios Herodes miſit,ſe præſeruauit;timebat parentes puerorum,& vindictam ſequentem, ſi in minictros ſceleris irruerent,præcipuè cùm ipſe eſſet valde odioſus.* Semper crudelitas timida eſt, alioſque, vt ſit tuta, periculo ſubiicit. Secundò reſpondet. *Dicunt etiam quidam,quòd regiæ dignitatis eſt,non per ſe, ſed per alium punire.*Tertiò,quòd Herodes voluit habere ſubterfugium, ſi à Romanis de hoc facto culparetur, excuſando ſe , quòd miniſtri exceſſerunt mandatum,& modum;præcipuè cùm paulò antea à Senatu vocatus Romam veniſſet,vt multis ſibi obiectis crudelitatibus , & criminibus reſponderet, vt referam *quæſt.*9. Et ideo his cautus de tyrannide conſcius ſibi ad excuſationem relinquit viam; nam , vt ait D. Gregorius Nazianzenus orat.10.*Sunt multi, qui in ſectandis proximorum erratis excuſationem vitijs ſuis quærant.*

Alb. Magn. *Impius in malis ſuis excuſationẽ quærit.* Nazianz.

16\. Scelus grauiſſimum contra Dei præceptum perpetrauit Saul , dum contra legis mandatum ſacrificium obtulit , *Reg.* 13. *num.* 9. Superuenienti autem Samueli,ab eoque quærenti : Quid feciſti ? Reſpondit Saul : *Quia vidi,quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies*,ibid.n.11.Sed ad quid reſponſio hæc? Vt Rex iniquus ſe excuſet, omnes accuſat; populum,magnæ inconſtantiæ , derelicto Rege fugientem: Prophetam , promiſſionem , ac pactum , vt iuxta conſtitutum tempus adueniret , non implentem. In quo ait D.Athanaſius orat.1.contra Arrianos. *Saul omnes hæreticos præfigurauit,qui ſua crimina ab iniuria vindicant,dum aliorum iniquitates prætendunt.*Iniquus in iniquitate ſua ſemper viam ad excuſationem inuenit, dum alios accuſat omnes.

1.Reg.13. Athan.

QVÆSTIO VI.

Cur Deus permiſerit , ſanctos Infantes tam crudeliter occidi?

17\. VALDE mirum videtur,quòd in Ægyptum Chriſtus fugiat, & in ore cludeliſſimi leonis hos ſanctos pueros dilacerandos relinquat, Quod elegantiſſimè proſequitur D.Chryſologus *ſerm.* 152. & alij Patres ſermone de Epiphania. *Chriſtus*,ait,*hoc ordinauit, hoc egit,vt per Herodis inuidiam furioſam , pueri mortem ſuſciperent pretioſam ; & quod eis ad ſalutem ſuam præſtare non poſſet amicus, hoc faceret inimicus. Ad hoc permiſit Herodem infantes occidere,vt illos de Herode faceret triumphare.*Hoc permiſit Chriſtus Dominus, vt infantes coætaneos ſuos martyrij laurea inſigniret ; & vt nota ſit eius potentia , & ſapientia quæ Herodis nequitiam in tantam potuit gloriam,& coronam commutare, vt plus eis proficeret inimicus, quàm amicus.

Chryſol. *Dei ſapientia educit ex malis bona.*

18\. Secundò. D. Auguſtinus *lib.* 2.*de Symbolo ad Catechum cap.* 5. hanc permiſſionem factam eſſe docet in pœnam parentum; ita loquitur : *Vindica in eis , qui te paruulum perſequuntur , paruuli ipſorum pro te moriantur, ij qui te volunt innocentem occidi, hoc eis proueniat, vt ſuos populos ab eis facias ſeparari.Vobis irrogatur pœna orbitatis,cæterùm illis gloria affertur immortalitatis : nuntiatis Herodi , vbi occidendus inueniri poteſt filius Dei; ſed ille filios veſtros occidens pro Filio Dei , & vos orbitatis pœna neſciens punit, tamquam proditores, & filios veſtros Dei fecit hæredes.* Per quæ quis peccat,per hæc & torquetur.Ipſi indicarunt Herodi locum , vt poſſet Chriſtus inueniri ; ipſi vt placerent Herodi, conceſſerant conſilio, vt puer interficeretur , materque ſanctiſſima filio ſuo careret : ideo & ipſi alto Dei conſilio ſubeant pœnam, vt filiis ſuis priuentur.

Auguſt. *Iniquus , in quo peccat, punitur.*

19\. Tertiò.D.Ambroſius lib.2.in Lucam. *Infantes iubet occidi*, ſcilicet Herodes, *cui alij niſi Deo talis victima debebatur.* Vt natus Infans ſe Deum manifeſter,vbi primum ingreditur mundum,ſtatim Innocentes ei litantur,nihil enim tam iucundum Deo offerri poteſt , vt innocentia. Quartò. Gloſſa Ordinaria , *In his paruulis,in quibus* , ait, *forma martirij naſcitur,ibi infantia Eccleſiæ dedicatur.* Eccleſia , vt magnam inſurgeret ſegetem, in his paruulis , atque humilibus prima iniecit fundamenta , initiaque conſtituit. Totum ſuum regnum in humilitate fundauit. Quintò.D.Chryſoſtomus homil.9. *Poſſumus verò illud referre*,ait, *quòd ſcilicet non eos permiſiſſet Deus tam celeriter hinc rapi , ſi eos præclari cuiuſdam meriti futuros præſciſſet.*Similiter Euthymius.*Fortaſſis autem hi pueri probi futuri non erant.* Pro ſingulari diuinæ miſericordiæ beneficio mors eſt accelerata , ne adoleſcentes facti in æternam damnationem incurrerent.

Ambroſ. *Innocentia Deo placet.* Gloſſa Ord. *Eccleſia in humilitate.* Chryſoſt. Euthym.

20\. Sextò,D. Chryſologus *ſerm.*152.ait : *Hoc loco attendat auditor,attendat vt intelligat,martyrium non conſtare per meritum , ſed venire per gratiam.* Vt fiat manifeſtum, quòd martyrium, ac labores pro ſingulari gratia , & beneficio à Deo dilectis ſuis dantur, ideo hi paruuli innocentes occiſi ſunt.Septimò.Theophylactus. *Quare autem permiſſi ſunt pueri occidi?Vt oſtendat Herodes malitiam ſuam.*Ideo Deus tam crudele nefas pepetrari ſinit,vt Reipublicæ Iudaicæ miſeria patefieret, tantique neceſſitas remedij, qualis erat aduentus Filij Dei. Octauò.Palatius.Permiſſum eſt,ait,quia erat accommodatiſſima res ad famam de Meſſia in orbem deferendam,crudelitas Herodis in pueros:illa vſus eſt. Profectò crudelitas illa Romæ diuulgata eſt,& vbique terrarum.At ſi crudelitas diuulgabatur,neceſſe fuit,diuulgari eius cauſam, ſcilicet ortum Meſſiæ , aduentum Magorum: Deus igitur magnus ille artifex nouit è ſummis malis ſumma eruere bona. Nonò. D. Leo ſerm.7. de Epiphan.ait:*Vt imitatoribus ſuis quid gloriæ pararet, Ieſus oſtenderet ,ortus ſui tẽpore editos martyrio cõſecrauit,vt in Bethleẽ,vbi Chriſtus natus eſt,* geniti,

Chryſol. *Martyrium pro beneficio.* Theoph. *In magna miſeria , remedium magnum.* Palatius. Leo.

geniti, per communionem ætatis conſortes fierēt paſſionis. Decreuit Dominus hanc gloriam dare ſuis coætaneis, vt qui Bethleem ſuæ ſacratiſſimæ infantiæ conſortes erant, etiam ſuæ ſalutiferæ paſſionis fierent participes; ſemper enim Chriſti conſortium, ac ſocietas in magnum bonum cunctis cedit, & nil glorioſius eis euenire poterat, quàm vt pro Chriſto vitam darent.

Pati pro Deo magnum bonum.

Haymon.

21. Decimò. Haymon in homilia, *Spiritualiter*, ait, *mors paruulorum ſignat pretioſam mortem Sanctorum, de qua ſcriptum eſt: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum. Quòd paruuli occiſi ſunt, demonſtratur, quia nemo poteſt animam ſuam ponere pro Chriſto, niſi innocens, & humilis, iuxta quod ipſe ait: Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis,* &c. Primos pro ſuo nomine Chriſtus Martyres elegit innocentes infantes, in quibus nulla eſſet macula, vt ſpiritualiter demonſtraretur, quòd in eo, qui pro Chriſto animam ponit, ipſo ſanguinis lauacro omnis puritas, ac immunditia datur. *Dediſti nos tamquam oues eſcarum*, Pſaml. 43. num. 13. Vbi de Martyribus ad literam loquitur Regius Vates. Sed quomodo fortiſſimos athletas, veluti generoſiſſimos leones, oues appellat? In animo, ac conſtantia leones fortes; in puritate verò, ac innocentia, cùm pro Chriſto animam offerant, veluti ſine macula candidæ oues. B. Brunonius ibi. *Eſca enim luporum eſt ouium manſueta ſimplicitas, quæ Martyribus meritò comparatur.* Apocalypſ. 6. num. 9. Ioannes ait. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Sed cur ſub altari, in quo eſt Chriſtus, potius Martyres, quàm Beatiſſimæ Virgines, vel confeſſores apparerent? Vt eximia eorum coniunctio, & vnio cum Chriſto Domino inter omnes Beatos videatur; nam ex eo, quòd animas ſuas pro ipſo exhalarunt, cum capite ſuo ita ſunt copulati, vt in nullo alio loco poſſint eſſe, niſi vbi Chriſtus Dominus adſit. D. Paſchaſius lib. de corp. & ſanguin. *Rectè*, ait, *ſub ara Martyres collocantur; quia ſuper aram Chriſtus imponitur. Conuenienter igitur, & quaſi quodam conſortio ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, vbi mors Domini quotidie celebratur.* Et latè proſequitur.

Martyrium reddit innocentes.

Pſalm 43.

Brunon.

Apoc. 6.

Paſchaſ.

QVÆSTIO VII.

Quare Chriſtus Dominus naſcens pro ſocijs elegerit infantes, moriens verò in Cruce latrones?

Palatius.

Vita renouanda.

Epheſ. 4.

22. HANC dubitationem attingit Palatius, & ita reſpondet. *Certè*, ait, *iudicio meo id inuenitur, quòd tam nocentes, quàm innocentes vitam debent deponere priorem, ſi vita volunt viuere æterna. Deponite*, inquit Paulus ad Epheſ. 4. *veterem hominem, & induite nouum, qui in iuſtitia, & ſanctitate creatus eſt.*

Proportio accommodata in ſocijs.

Tullius.

3 Reg. 18.

23. Ad quæſtionem reſpondeamus. Dum Infans innocentes infantes pro ſociis elegit; moriens verò in cruce, ac cum iniquis reputatus, peccatoriſque figuram repræſentans, peccatores elegit; correſpondens ſtatui, & ſeruans proportionem in ſociis, in quibus æqualitas deſideratur; quod elegāter dixit Tullius: *Similitudo parit amicitiā, & æquales generat volūtates.* Abdias de ſe ait: *Cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, quòd abſconderim de Prophetis Domini centum viros quinquagenos, & quinquagenos, & pauerim eos pane, & aqua*, 3. Reg. c. 28. n. 13. Sed cùm diuina prouidentia ita omnia diſponat, vt quantum fieri poteſt, res ſine miraculis ad ſuos fines rendat, vt modò ſupra dixi, cur Abdias inter tot Prophetas, quos alebat, non alit etiam Eliam, ne tot multiplicarentur miracula, vt corui veſpere, & manè deferrent panes, farina creſceret, & alia ſimilia? Cur ipſe etiam Eliæ non præbet cibos? Ea nunc mihi eſt ratio. Abdias ex Dei prouidentia erat famulus, & miniſter Achab, vt notat Abulenſis, & alij, ac proinde obſequens voluntati eius, atque imperiis: Elias autem totus repugnans, & obſiſtens Achab domino eius, & animi ita diſcrepantes in intimam adunari ſocietatem, ſimulque habitare non poterant. Cum pòſt diminutas diluuij aquas Noë emiſiſſet coruum, deinde columbam: *Quæ cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam*, Geneſ. 8. num. 9. Coruus inuenit, vbi requieſceret, quomodo non & columba? Sed ad iuſtum reuertitur? Coruus crudelitatem, & immanitatem; columba verò manſuetudinem, & ſimplicitatem deſignat: & quæ tantùm diſcrepant natura, & affectu, ſimul in vna ſocietate, & loco conuenire non poterant, ſed à coruo diſcedit columba, & ad ſui accedit conſimilem, nempe iuſtum. Vnde Procopius, *Virtus ab his reſilit, ne aſpectum quidem eorum ferens, nec in his habet quietem.* Vide hoc lib. *cap.* 1.

Abulenſis.

Geneſ. 8.

Procop.

QVÆSTIO VIII.

Quare Herodes iratus deſæuerit, non in Magos, ſed in pueros?

Chryſoſt.

Magnates iram conceptam contra principes vertunt in paruulos.

EXISTIMABAT Herodes, quòd Magi regia dignitate, ac ſapientia inclyti eum offenderant, aduersùs eos tamen nec fremit, nec excandeſcit, ſed contra imbelles infantes armatur. D. Chryſoſtomus homil. 9. *Contra ipſam naturam*, ait, *omnino furit Herodes; & iram, quæ aduersùs Magorum illuſionem fremebat, in paruulos vertit innocuos.* Hæc eſt potentatum huius ſæculi conditio miſera, vt rabiem aduersùs principes, ac dominos conceptam, in paruulos innoxios conuertant. Offenſam læſæ maieſtatis, quam in Magis opinabatur Herodes; non inde in ipſos parat exercitus, ſed totus ſe conuertit contra imbelles infantes, qui nihil deliquerant. 24.

Leo.

Diabolus principijs virtutis intentat obſiſtere.

Auguſt.

Secundò. D. Leo ſerm. 5. de Epiphania cap. 5. *Herodes quoque in Diabolo fremit. Vnde ſi paruulos interficiat, Ieſum ſibi videtur occidere. Quod vtique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordijs renatorum Spiritum ſanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.* Notum erat Diabolo, quòd puer cum matre in Ægyptū fugerat. Ad quid excitat Herodem, vt deſæuiat in pueros? Hoc eſt Diaboli ingenium, vt ſi prima fidei, ac virtutis euertat fundamenta, pro certo habeat totam Chriſtianā ſuffocare ſegetem, in ruinamque ædificium dare; & ideo totus contra hos armatur paruulos in quibus Eccleſiæ, ac Virtutis initia præfigurabantur. Tertiò D. Auguſtinus *tract.* 115. *Ioann.* ſic ait. *Herodes ille maior, cùm Chriſtus natus nuntiaretur, expauit, & tot infantes, vt ad eum mors perueniret, occidit, timido magis, quàm iracundo crudelior.* Non tam iracundia in Magos, quàm timor nati pueri effecit Herodem crudelem, & ferocem, vt infantium ſanguinem effunderet. In ambitioſo plus crudelitatis exequitur timor honoris amittendi, quàm iracundia concepta ex quacunque alia re. 25.

Crudelior timor, quàm ira.

Ambitioſus pluris æſtimat pecuniā quàm honorē.

Geneſ. 34.

Lyppom.

Chryſoſt.

Aſterius.

26. Quartò. Herodes in Magis ſe videt illuſum, quo regalis honor, ac reuerentia videbantur offendi; in pueris verò regnum vidit periclitari; & de hoc plus doluit, quàm de illo; ambitioſus enim plus de bonis anxiatur, quàm de honore, pluris dominatum æſtimat, quàm omnem excellentiæ, ac reuerentiæ decorem. Vt Hemor, ac princeps Sichem ſuaderent conciues ſuos, vt cum filiis, ac nepotibus Iacob inirent matrimonia, ex eiſque vnus fieret populus, dixit Sichem: *Subſtantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident, noſtra erunt*, Geneſ. 34. num. 23. Sed ad animos trahendos, vt vnuſquiſque circuncidatur, & ad matrimonij fœdera coniungenda, cur non adducit in medium inclitum genus Iacob, tunc in toto terrarum orbe illuſtriſſimum, eorum pietatem, atque virtutem omnibus notam; ſed tantùm poſſeſſionem ſubſtantiæ, ac pecorum eorum commemorat? Nouerat princeps ſuorum ingenium, cum quibus appetitus acquirendi, ac fruendi diuitiis, & bonis erat plus præualiturus, quàm pietatis, & honoris deſiderium. Lyppomanus ait: *Infideles tantùm ſua curant, libidines ſectantur, ambiunt aliorum diuitias.* Abſalon parenti Dauid contra omnes naturæ leges mortem machinatur, 2. *Regum* 15. *à num.* 10. tanti criminis infamiam non recuſans, dummodo regni aſſequatur regimen; de quo eleganter ait D. Chryſoſtomus in Pſalm. 7. *Amor principatus hanc omnem eiecit reuerentiam, & vt homo fera eſſet, efficit.* Et multa exempla in hac materia adducit S. Aſterius *homilia aduersùs auaritiam.*

Matthæi 2. num. 16. A bimatu, & infra, ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis.

VERSIONES.

Arabicus.	A filio duorum annorum.
Syriacus.	A nato duos annos, & infra, ſecundùm tempus.
Vatablus.	A bimulis, & minoribus, iuxta tempus, quod perquiſierat à Magis.
Theophylact.	Iuxta tempus, quod percontatus erat à Magis.
Pagnin. S. Petrus Alex. ſerm. de pænitent.	Quod à Magis diligenter didicerat.
Græcus.	Exactè ſcrutatus fuerat.

EXPOSITIO.

27. ASSIGNATVR tempus ætatis infantium, qui occiſi ſunt; nempe qui à natiuitate duos habebant annos vſque ad diem illum, quo executioni cædis ipſa data eſt. Et quamuis aliquot Innocentium oſſa inueniantur maiorem ætatem teſtificantia; non conſtat tamen, vt bene ait Caietanus, huiuſmodi oſſa illorum eſſe Innocentium, an aliorum Sanctorum. Præterea forſitan quòd aliqui proceræ ſtaturæ eſſent. Deinde fieri poſſet, quòd crudeles milites aliquos occidiſſent maiores.

Caiet.

QVÆSTIO IX.

Quo tempore Infantes occiſi ſint?

MAGNA eſt difficultas in hac re. Quidam exiſtimant, duobus annis poſt Chriſti natiuitatem Magos ad eum adorandum veniſſe; ideo Herodes infantes bimos occidiſſe. Sed hanc ſententiam reiecimus iam *cap.* 4. & ideo hîc non eſt repetenda. 28.

Euſebius.
Onuphr.
Lyran.
Abulenſ.
Alb. Magn.
D. Thom.

Lyran.

Baron.

Ioſeph.

Secunda ſententia eſt, quòd Herodes, non ſtatim poſt magorum diſceſſum occiderit infantes, ſed duobus annis pòſt. Ita Euſebius *in ſuo Chronico.* Onuphrius *anno ab vrbe condita* 752. Lyranus *hîc.* Abulenſis *quæſt* 68. & 71. Albertus Magnus. Et non improbat D. Thomas. Sed quare necem in tantum diſtulit tempus? Reſpondent quidam. Quia à principio putabat, quòd Magi fuiſſent decepti, & quòd nihil inueniſſent, & ob verecundiam non auſi eſſent coram eo apparere. At poſtquam multa de Chriſto à Simeone, & Anna dicta audiuit, ad inueſtigandum eum eſt motus. Sed ſolutio hæc non eſt multum firma. Quia quòd Magi Chriſtum inueniſſent, per tantum tempus Herodem latere non poterat: deinde verba Simeonis, & Annæ poſt quadraginta dies à natiuitate dicta fuere, & citò debebant Herodi eſſe narrata. Secundò. Alij dicunt cum Lyrano, quòd illis duobus annis extitit magnis implicatus negotiis, & vocatus fuit à Senatu, vt de morte filiorum rationem redderet. At hoc fundamentum eſt falſum; quia, vt obſeruat Baronius *anno Chriſti, Epitome Spondan. num.* 11. & conſtat ex Ioſepho 16. *Antiq. cap.* 7. 8. 9. & 13. Ante Chriſti natiuitatem Herodes Romam venit. & ſponte ad illam ſe contulit. Tertiò. Dicunt alij, quòd Herodes hoc fecerit ex cautela: timebat enim, ne puerum, quem quærebat, parentes occultarent, vnde primò voluit eos aſſecurare. Et hæc ſolutio videtur cohærere cum Herodis malitia; ſed eius ambitio non videtur tantum tempus admittere potuiſſe. 29.

Gloſſ. Ord.
Haymon.
Hugo.
Baron.
Beda.

Auguſt.
D. Thom.
Maldon.

Tertia ſententia, quam tenet Gloſſa ordinaria, Haymon *homilia de hoc Euangelio.* Cardinalis Hugo, Baronius *anno* 1. *Chriſti.* Et etiam in ea videtur eſſe Beda, aſſeuerans, quòd infantes occiſi ſunt vno anno Chriſti completo, & quarta die ſequentis anni, quo die eorum feſtiuitas ab Eccleſia celebratur. Quarta ſententia, quam tenet D. Auguſtinus, vt refert *hîc* D. Thomas, qui etiam eſt in hac ſententia, & eam ſequitur Maldonatus, ac alij Recentiores, affirmat, quòd eodem anno quo Chriſtus natus eſt, infantes interfecti ſunt. Et hæc mihi videtur probabilior, & eſt magis conformis textui; dicitur enim: *Herodes videns quoniam illuſus eſſet a Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit*, &c. Nam vbi primum Herodes ſe vidit illuſum, iratus eſt, & occidit; hoc enim indicat illa copulatiua *&*. Quòd autem Herodes ſe viderit illuſum, & Magi à ſuo regno diſceſſerint; 30.

ceſſerint, ſine dubio paulo poſt eorum receſſum ei notum fuit; quia hoc valde publicum fuit, de quo ipſe multum exquiſierat.

QVÆSTIO X.

Quare Herodes occiderit infantes bimos?

31. August. RESPONDET D. Auguſtinus *ſerm.7.de Epiphan.* Ne Chriſtus, cui ſtellæ famulabantur, in maiorem transformaretur ætatem. At ex hac ratione alios maiores occidere
Hugo. poterat. Hugo ait, quòd ex effrænata crudelitate exceſſit numerum. Furor nihil conſiderat: aliis videtur germana ratio, quòd ſecuritatis ergò occiderit omnes infantes, qui nati erant duobus annis antequam ſtella apparuiſſet; ſicut etiam cautionis gratiâ iuſſit interfici infantes, non ſolùm in Bethleem, vbi Sacerdotes natum indicabant, verùm etiam in omnibus finibus eius, quod præſtitit ex magna cautione, vt eleganter diſſerit
Chryſoſt. D. Chryſoſtomus *homil. 6. in Ioan.* dicens, quòd *à biennio, & infra Herodes pueros interfecit, ne mireris: ſiquidem conueniens in eundem Tyrannum pauor, & furor, pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis, maius etiam tempus includit: ne quis profectò eius ætatis, & fortè is potiſſimum, propter quem alij interimuntur, effugiat.* Pondera illa verba, *pro abundantia cautionis.* Vt Herodes ſuum intentum finem aſſequeretur, ac vt infantem, qui nec dum vnum menſem expleuerat, interficeret, non ſatis eſſe iudicauit, prouidere in ſola neceſſaria; contingere enim poterat, vt facilè ille euaderet, & ideo non ſolùm iubet interficere pueros vnius anni, ſed etiam duorum annorum, vt cæteris pereuntibus, etiam infans requiſitus occumberet, & caderet. Quòd autem à biennio occiſi ſint, mysterium habet, vt explicat Haymon *in homil.* ſignificatur enim per illos intellectus, & voluntas in Deum, & enecatis corporibus Chriſtus euaſit, qui à ſuis non poteſt auferri.

Prouidus ſit abundans in cautela.

Haymon.

32. Beda. Haymon. Grammat. Ludolpl. Carthuſ. Paſchaſ. Rabban. Hugo.

Sed quæres: Vtrùm omnes pueri à bimatu, & infrà occiſi ſint? Beda *hîc.* Haymon Chriſtianus Grammaticus, Ludolphus, Carthuſianus, D. Paſchaſius, Rabbanus, Hugo, & alij exiſtimant, omnes eſſe interfectos, à filio vnius noctis, vel diei vſque ad filium duorum annorum. Et in hac ſententia ita explicandus eſt textus. A bimatu, & infrà ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis. Herodes ſecuritatis cauſa ampliauit tempus apparitionis ſtellæ ſecum, dum quod exquiſierat à Magis, tam ſupra, quàm infra; ſuprà occidendo pueros natos à duobus annis: infrà vſque ad natum vnius noctis.

33. Euthymius. Abulenſ. Ianſen. Baron.

Secunda ſententia, quòd Herodes occiderit infantes bimos, & infrà vſque ad tempus apparitionis ſtellæ. Ita Euthymius, Abulenſis *quæſt.*71. Ianſenius, & alij cum Baronio. Hæc ſententia fundatur maximè in textu. Occidit pueros, qui duos annos expleuerant, & infra duos annos, eos tantùm, qui illud tempus habebant; ad quod ex Magis cognouerat Chriſtum Dominum perueniſſe. Dicitur in textu: *Occidit à bimatu, & infrà ſecundùm tempus, &c.* Vtraque ſententia probabilis; hæc ſecunda fortaſſe textui congruentior.

Matthæi 2. num.17. Tunc adimpletũ eſt, quod dictũ eſt per Hieremiam prophetam, dicentem.

VERSIO.

Euthymius. Tunc completum eſt.

EXPOSITIO.

34. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Hierem.31.

RECTE notant D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, quòd Euangeliſta allegat hîc textum *Hierem.31.num.13.* vt ſignificetur, hanc puerorum necem, non caſu, nec inuito Deo, factam eſſe; ſed ipſo permittente, ſecundùm ſuam gubernationem fieri; nam eam Deus multo antea prænouit, & prædixit per Prophetam. Et Matthæus inter omnes Euangeliſtas, vt dixi *in præfat. cap...* frequenter adducit Prophetas, quia Euangelium ſuum ſcribebat Iudæis, qui Scripturam recipiebant.

Matthæi 2. num.8. Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus.

VERSIONES.

D. Hieronym. hîc, & in Hierem. Vox in excelſo audita eſt.

Euthymius, Theophyl. Vatabl. Vox in Rama audita eſt, lamentatio, ploratus, & fletus multus.

EXPOSITIO.

25. Hierem.31.

CITAT hîc Euangeliſta locum *Hierem.31. num.15.* Hæc autem prophetia in ſenſu litterali intelligitur à D. Paſchaſio, S. Thoma, & ab Expoſitoribus, vel de illa ſtrage magna, quæ facta eſt in tribu Beniamin filij Rachelis, ob illud magnum flagitium, quo Gabaonitæ libidinis cauſa vxorem Leuitæ ad mortem redegerunt, *Iudic.19. à num.14.* Vel communiter exponitur textus de captiuitate decem tribuum, quæ nomine Ephraim exprimuntur, eo quòd primus earum Rex extiterit Ieroboam è tribu Ephraim. Rachel autem auia fuit Ephraim; per quod ſignificatur efficacia eius orationis; nam Rachel, licèt mortua, potens tamen, vt filios de captiuitate liberaret; ideoque citato Hieremiæ loco num.17. dicitur ei: *Quieſcat vox tua à ploratu.* Attamen præſens locus ſublimiori, altiorique ſenſu intelligitur à noſtro Euangeliſta de crudeliſſima ſanctorum Innocentium cæde facta ab iniquiſſimo Herode. Vnde meritò ait, vt notant ſancti Patres, *Tunc impletum eſt.* Et Euangeliſta potiſſimè attendit ad ſenſum Verborum.

Paſchaſ. D. Thom.

Senſus literalis.

Hierem.31.

36.

Vox in Rama. Rama ciuitas erat in tribu Beniamin, *Iudic.19. num.13.* & per quatuor leucas à Bethleem diſtabat; ibi dicitur auditus fletus per exaggerationem. Vel cùm cædes facta ſit Bethleem, & in omnibus finibus eius, illuc vſque peruenit. Vel, vt legit D. Hieronymus, *Vox in excelſo.* Et vt ipſe explicat, ac Imperfectus, & S. Paſchaſius. Quia planctus ille Innocentium coram Deo aſcendit: fitque eorum clamor. Imperfectus *homil.2.*

Hieron. Imperfect. Paſchaſ.

Imperfect.

hom.2. ſic ait. *Quamuis Rama non eſſet prope Bethleem, tamen dicitur: Vox in Rama audita eſt, quoniam Rama hebraicè interpretatur excelſum. Ideo dixit, Vox in excelſo audita eſt, quoniam de morte innocentium mittebatur ad cælum, & ideo audiebatur in excelſo; ſic & pauper, quando violentiam patitur à potente, etiamſi non eſt auſus vociferare, ſed latenter lachrymatur, tacitus clamor eius in excelſo auditur: quia non magnus clamor à Deo auditur, ſed iuſtus.* Vexationes, ac iniurias patientes, quamuis videntur tanquam agni obmuteſcere, & non aperire os; tamen ipſæmet iniuriæ, ac earum clamor maximè euolat ad excelſum, nempe ad Cælum coram Deo. Et D. Paſchaſius ſic ait: *Clamor erat eorum, qui paupertate vexati ab exactoribus crudeliter affliguntur; vel certè viduarum, ac pupillorum, quoties iniuſtè opprimuntur.* In cuius confirmationem adducit illud Apocal. 6. num. 10. *Vidi ſub altare animas interfectorum, & clamabant.* Iuſtos, ac Sanctos mundus perſequens in infimo loco collocabat: ſed tunc maximè iuxta Deũ ponuntur, vt eorum clamor faciliùs exaudiretur. *Ploratus, & vlulatus*; ploratus refertur ad pueros, ad matres vlulatus, vt notant Imperfectus, ac S. Thomas qui aduertit, in matribus dolorem fuiſſe maiorem, atque aſſiduum; in pueris autem breuem, & tranſeuntem. Et quamuis vlulatus ad bruta animantia rigoroſè pertineat; hîc tamen dicitur de matribus, quia vehementi afficiebantur dolore, ac veluti à ſe alienæ. Ad cuius maiorem expreſſionem aliqui ponunt tria, lamentationem, ploratum, & fletum.

Vox patientis iniurias clamat ad Cælũ.

Paſchaſ.

Lachrymæ Innocentium aſcendunt ad Deum.

Apocal 6.

Imperfect. S. Thom.

Matth. 2. n.18 Rachel plorans filios ſuos & noluit conſolari, quia non ſunt.

VERSIONES.

Syriacus. Rachel plorans ſuper filios ſuos, & renuit accipere vllam conſolationem, eò quòd non ſint.

Arias. Plorans natos ſuos.

Vatablus. Noluit conſolationem admittere, eo quòd non ſuperſint.

Text. Hebraic. vt teſtatur Salm. lib.3. num 44. Noluit conſolari, quia non eſt.

EXPOSITIO.

37.

RACHEL prope Bethleem ſepulta erat *Geneſ.34.n.19.* Per eam intelligitur hîc matrum congregatio, vt explicat D Dionyſius Carthuſian. Vel per figuram Rhetoricæ, per eam, quæ ibi ſepulta erat, ſignificantur, vt docent D. Anſelmus, Euthymius, S. Paſchaſius, S. Thomas, Hugo, & alij. *Filios ſuos*; quia hæc cædes non ſolùm facta eſt in Bethleẽ quæ ad tribũ Iuda ſpectabat, ſed etiam in confinibus ſuis, quæ de tribu Benjamin erant. *Eo quòd non ſunt*; vtpote iam demortui. Textus Græcus habet, *Non eſt*; quod debet referri ad Rachel: vel ſi ad pueros, dicuntur ſingulariter vnus, ob vnionem iuſtorum.

Carthuſ.

Anſelm. Euthym. Paſchaſ. S. Thom. Hugo.

QVÆSTIO XI.

Quare Rachel ploret?

RATIO difficultatis eſt: quia Bethleem non pertinebat ad tribum Benjamin, qui erat Rachelis filius; ſed ad tribum Iudæ, qui erat ex Lia. Ad quam quæſtionem in ſenſu literali tripliciter ſatisfit, vt attigi in expoſitione. Primò. Per *Rachel* intelligitur Bethleem. Secundò. Quia cædes, non ſolùm facta eſt in ea, ſed etiam in eius finibus, quæ erant de tribu Benjamin. Tertiò. Vt docent D. Hieronymus, S. Anſelmus, S. Thomas, Paſchaſius. Tribus Iudæ, & Benjamin erant valde coniunctæ, vnde credi poteſt, non paucos de Benjamin interfectos fuiſſe. Nunc ad alias rationes morales veniamus. 38.

Hieron. Anſelm. S. Thom. Paſchaſ.

39. Primò. Introducitur Rachel mortua ibi ſepulta plorans ad exaggerationem; quia, vt ait Albertus Magnus, Hugo, S. Remigius, tanta fuit crudelitas, vt etiam mortui, ſi fieri poſſet, ploraſſent. Secundò. S. Paſchaſius, Zacharias Epiſcopus, Rabbanus, Rupertus hîc *lib.2.* de gloria, & honore filij hominis. Quòd *Rachel* ſignificat Eccleſiam, quia, vt ait ipſe Rupertus, eſt mater illius, ſcilicet Ioſeph, qui primus à tempore promiſſionis paſſus eſt propter iuſtitiam. Rachel ergo, ſcilicet Eccleſia, plorat filios ſuos interfectos; licèt enim certò ſciat, quòd Chriſto fruantur, & ideo noluit conſolationem, quòd non ſint in hac vita, cùm ſint in æterna beatitudine; materno tamen affectu maximè dolet, quòd à tot, talibuſque filiis ſeparetur. Et ita ait Euſebius Gallicanus homilia de Sanctis Innocentibus. *Rachel, id eſt, Eccleſia plorat vſque hodie filios ſuos, quia quamuis ad requiem eos ire intelligat, dolet tamen, quia corporaliter ab ea ſeparentur.* Ita ille.

Alb. Magn. Hugo. Remig.

Magna crudelitas etiam mortuos tangit.

Paſchaſ. Zacharias. Rabbanus. Rupert.

In morte iuſtorum dolendum, quia à nobis ſeparantur.

Gallic.

Tertiò. S. Thomas. *Eccleſia plorat, quia per iſtos poterat alios acquirere.* Dum hos ſanctiſſimos pueros Eccleſia videt interfectos, plorat; quia in Chriſtiana ſegete operarij eſſe poterant validiſſimi. Et maxima doloris eſt cauſa, dum etſi in gloriam tranſeat, miniſter amittitur bonus. Et ideo ſæpe ſæpiùs viri ſancti, dum parentes ſuos ſpirituales, vt Martinum, Albertum, Thereſiam videbant morientes in Domino, magnis adhuc fletibus proſequebantur. 40.

S. Thom.

In morte boni miniſtri dolendum.

Quartò. Euſebius Gallicanus *homilia de ſancta Blandina Lugdunenſi*, vbi eleganter introducit ſuam Eccleſiam de multis Martyribus ſuis gloriantem, ac Rachelem filios ſuos plorantem, ac nomine eius loquitur cum Bethleem, dicens: *O Bethleem, in Martyrum noſtrorum titulis tu numero fortaſſe præcedas; ergò meritò in tuis interfectio; confeſſio non fuit: in meis colluctatio paſſionis; in tuis ſola fuit opportunitas & occaſio felicitatis: te exitus ditauit benedictione, me virtus: tu in ſanguine paruulorum potuiſti videre pereuntes, non potuiſti expectare certantes: te coronauit innocentia morientium; me gloria triumphantium.* Quaſi dicat, Rachelem inde ploraſſe, quia licèt interfectos ſuos viderit coronatos innocentiâ, ac meritis Chriſti: non tamen inſpexerit certantes, ac ſuis meritis ex propria libertate triumphantes. Corona pulchra, ſed triumphus multo pulchrior. Vide *lib.1. cap.1. num 112. cap.2. num 20. & 21. cap.6. num.47. cap.9. num.15. lib.2. cap.1. num.51.* & ſæpè. 41.

Gallican.

Corona per merita illuſtrior.

QVÆSTIO XII.

Quare ploret potius Rachel, quàm Lia, vel alia matrona?

42. RATIO difficultatis eſt:quia Bethleem ſpectabat ad tribum Iuda, qui erat filius Liæ. Solutio huius dubitationis patet ex initio ſuperioris quæſtionis, vbi tres appoſui ſolutiones. Deinde primò reſpondet Origen.hom. 3.in diuerſ. *Plorauit Rachel filios,quaſi nihil paſſos pro aduentu Domini,& quaſi non eſſe exiſtimauit ad illos,qui pro Chriſto mortui ſunt, & martyrij tulerunt coronam.* Rachel lamentatur filios ſuos, dum ſororis natos glorioſa morte pro Chriſto videt intefectos,qua ſui digni non fuerunt. Et qui dolor vehementior eſſe poteſt, quàm pro Chriſto non pati?Quod elegantiſſimè ait D.Auguſtin. q.11.ex vtroque Teſtamento. *Ideo*,ait, *filij Liæ paſſis,& occiſis in Dei cauſa planctum adimpletum Rachelis Euangeliſta teſtatur, quia tunc plangere filios ſuos cœpit, quando filios ſororis ſuæ in tali cauſa vidit occiſos,vt ad vitam pertineant,quia cùm aduerſum aliquid euenit, ex felicitate alterius infauſta ſua miſeriùs luget.*Et ſimiliter D.Thomas. Ad præſentiam incrementi alterius,infelicitas noſtra maior apparet,ac vehementiùs mouet.

Origen. — *Dolor, non pati pro Chriſto.* — *Auguſt.* — *Ad præſentiã boni alterius maior noſtra infelicitas.*

43. Secundò.Rupertus lib 3.de Victoria Verbi c.7. *Rectè*,ait,*in tali cauſa illorum Innocentium paruulorum mater dicta eſt Rachel, quia ſi tunc Pater Iacob noluit conſolari,& ſicut mater Rachel,ſi adhuc viueret,nollet conſolari,eo quòd nõ eſſet Ioſeph: & tamen erat,& non ſolùm viuebat, verùm etiam potens erat, & proſperè agebat Ioſeph:ita qualibet mater plorans quidem pietatis affectu filium occiſum,tamquam ſi non eſſet,& non ſolùm erat,verùm etiam melius erat, & veriùs viuebat.* Proponitur Rachel hîc plorans,quia ſi ipſa viueret in euentu Ioſeph, maritum Iacob in fletu imitaretur; cùm mortuus putatus non ſolùm viueret Ioſeph, ſed etiam in Ægypto regnaret. Ait, matres Bethleemiticæ ſuos lamentabantur natos, tamquam ſi non eſſent, cùm ipſi multo meliùs viuerent, cum Chriſtóque regnarent. Tertiò Euſebius Gallican. hom.de Innocentibus, *Quare Rachel*, ait, *filios ſuos plorare dicitur,cùm vtique non filij Rachel,ſed ſed filij Liæ ſororis eius, omnes iſti fuerint; Iudas enim non filius Rachel,ſed filius Liæ fuit, in cuius tribu hæc cædes immenſa facta eſt. Sed quia Rachel interpretatur ouis,non immeritò filij Rachel eſſe dicuntur, qui quaſi agni innocentes, & ſine voce iugulantur.* Infantes Bethleemitici Liam habebant in matrem,ex ipſa enim natus eſt Iudas, ad cuius ſortem Bethleem ſpectabat,& tamen pueri occiſi non dicuntur filij Liæ, ſed Rachelis, quod ratione ſignificationis dictum eſt. Nam *Rachel* interpretatur *ouis*. Quia ergo interfecti pro Chriſto tanquam agni immaculatæ victimæ fiebant, & ad agnorum ſortem pertinebant, ideo ouis filij nuncupãtur. *Quaſi agni innocẽtes ſine voce iugulantur.*

Rupert. — *Euſebius.* — *Martyres fũt agni immaculati coram Domino.*

44. Quartò. Inter omnes illius populi matronas præcipuas,ſcilicet Saram,Rebeccam, Liam, Rachel extitit illa,quæ Benjamin cum dolore peperit maximo, ita vt in partu vitam effuderit, *Geneſ. 35. num.* 18. Meritò ipſa inter omnes plorare dicitur, cùm ſola, vt filios parturiret, vitam dederit, ideo in eorum obitu ipſa Rachel præcipuè dolore afficiebatur; quod enim magni ſtetit, pluris æſtimatur. Eiſdem inhæreo,dum Benjamin exiit de vtero matris, moritur Rachel;pater verò appellat eum. *Benjamin, id eſt,filium dexteræ*,Geneſ.53. num.18. Sed cur Iacob habens duodecim filios,hunc ſolùm tanto nomine inſigniuit. Dextera enim in literis tam humanis, quàm diuinis peculiarem ſignificat honorem,& æſtimationem; & hac de cauſa dicitur de Chriſto Domino,quòd ſedeat ad dexteram Dei.Quia Iacob vitæ expenſis dilectiſſimæ Rahelis hunc filium acquiſiuit,ideo inter cæteros magni faciens,filium dexteræ dixit. Poſtquam Iſboſeth in regnum eſſet elatus, miſit ad eum Dauid nuntios, vt reſtitueret ei vxorem ſuam Michol,quam pater ſuus Saul viuens abſtulerat;dederátque Phaltiel filio Lais.*Redde vxorem meam Michol,quam deſpondi mihi centũ præputijs Philiſtinorum*, 2.Reg.3.n.14. Cur non adducit in cauſam legationis ſuæ vehementiſſimũ amorem, quo eam præ cæteris diligebat, vt notant Abulenſis *q.*13. Lyranus, & alij. Sed tantum manifeſtum vitæ periculũ,ac centum capita Philiſthinorum,quo eam cõparauit?Vt euidentiùs appareret, quòd pluris æſtimatione habebatur, ex tanto pretio, ac diſcrimine, quo eam ſibi comparauerat, quàm ex dilectione,qua erga eam afficiebatur.

Quod magni ſtetit, plurimum æſtimatur. — 3.Reg.3. — Abulenſ. Lyran.

QVÆSTIO XIII.

Quare dicatur Rachel plorans, & non Iacob,vel Abrahamus?

ABRAHAM, Iſaac, & Iacob totius populi capita, & progenitores erant, quorum Iacob ita lamentabatur filium ſuum Ioſeph, vt diceret: *Deſcendam in infernum lugens filium meum*, Geneſ.37. num.5. Cur ergo tam dilectiſſimi patres ploraſſe hîc non dicuntur in filiorum morte tam atroci, ſed tantùm Rachel mater Benjamini? Reſpondeo primò. Quia mulier,& fœmineus ſexus ad compaſſionem, & lachrymas valde propenſus.Secundò. Quia Rachel ſepulta Bethleem; illi verò Patriarchæ cum vxoribus ſuis iacebant Mambre in ſpelunca duplici, quæ à Bethleem maximè diſtabat; & cædes, ac dilacerationes efficaciùs mouent præſentes, quàm abſentes; vehementius attingunt eos, qui propè, quàm qui longè abſunt. 45.

Geneſ.37. — *Præſentia efficaciùs moueat.*

46. Tertiò. Rationem deſumo ex D.Cypriano *lib. de exhortatione ad Martyres*,dicente: *Qui ſe Dei filios in paſſione teſtantur, iam non niſi Deo Patre cenſentur.* Verum erat, quòd hi pueri Iacob, vel Iſaac extiterãt filij;at cùm eorum vitæ pro Chriſto eſſent oblatæ, parentem iam Deum tantùm habere videbantur; qui enim abiectis rebus temporalibus ſe Deo conſecrantur, ipſum iam, non tantùm vt Dominum,ſed vt patrem etiam habẽt. De quo noſter Cyrillus *lib.12. Theſauri cap.1.*Et de hac re vide *lib.1.cap.1.* Cùm Prodigus ille reuerteretur ad patrem ſuum,dixit: *Pater,peccaui in cælum,& coram te,iam non ſum dignus vocari filius tuus*, Luc.15.n.21. Si ipſe nomine filij ſe agnoſcit indignum, quomodo patrem appellat? Nam quamuis ipſe ob humanitatem ſuam nomen illud vſurpare non audeat;tamen cùm ad patrẽ rediret, ſæcularibus rebus contemptis, non alio nomine, niſi tantùm patris agnoſcit eum, atque appellat,

Cyprian. — *Qui ſe Deo conſecrantur, eũ vt patrem habent.* — Cyrillus — Luc.15.

qui alios,vt dominos, ac ciues reuerebatur, *ibid. num.*15. In ipſo enim nihil aliud,niſi totus apparebat paternus affectus. D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Hoc quippe*,ait,*inſinuat filius ille prodigus, qui quamuis non audeat,nec dignetur ſe filium vocari:tamen nihilominus eum patrem appellat,quem ſciebat,non poſſe mutari.*Cùm eſſet iam conuerſus, etiam præter intentionem ſuam, non poterat aliter,niſi patrem vocare.

Paſchaſ.

QVÆSTIO XIV.

Quinam ſint filij, quos Rachel plorat?

47. ENODATIO huius difficultatis peti poteſt ex *quæſt.*11.vbi explicauimus,quòd *Rachel* ſignificat *Eccleſiam*. Et quærimus nunc: An lamentetur filios occiſos? an occidentes? Quòd Rachel lamentetur infantes interfectos, eſt communis ſententia D. Auguſtini *ſermone* 1. & 2. *de Innocentibus*,Baſilij Seleuci *orat.de pueris interfectis*,Origenis *homilia* 3.*de diuerſis*. D.Chryſoſtomi *homilia* 9. Eò deſæuit crudelitas, vt ad illius præſentiam etiam demortui corporis materna ſint viſcera commota.Et in perſona Rachel,ſuos innocentes Eccleſia lachrymatur filios, dum ab eis ſeparatur,vt ſuprà dixi.

Auguſt. Baſil. Origenes. Chryſoſt.

48. Secundò.Rachel, ſeu Eccleſia plorat hîc filios ſuos,ſcilicet ipſos perſecutores, & interfectores, quos per affectum verè eſſe ſuos optabat filios; & ita eos plorat, vt non velit conſolari, eo quòd non ſint in æterna felicitate, ſed in damnatione perpetua. Ita D. Ambroſius *in Pſalm.* 37. *circa finem, hîc in Matth.* D. Anſelmus, S.Paſchaſius, S.Thomas *hîc*, Hugo, & alij. Eccleſia filios ſuos tanta charitate diligit, vt de eorum perſecutorum malo, ac peccato maximè doleat. Audiamus D.Hilarium hîc in Matth. *Rachel*,ait, *Eccleſiæ typum prætulit diu ſterilis, nunc fœcundæ huius ploratus ex filijs,non idcirco, quia peremptos dolebat, auditur;ſed quia ab his perimebatur, quos primum genitos filios retinere voluiſſet.*Dolet propter ipſos ex populo Iudaico milites in pueros ſæuientes, quos ſatellites primos filios habere cupiebat. Et quæ maior mœſtitiæ cauſa,quàm quòd ab adſtrictis beneficio, ac cognatione inffigatur vulnus, à quibus potiùs defenſio, conſolatióque promittebatur.

Lamentatur ſuper occidentes. — Ambroſ. Anſelm. Paſchaſ. S.Thom. Hugo. Hilar. — *Ab obligatis malum, dolor magnus.*

49. Cùm Dauid magna laborans penuria aliquam à Nabal peteret alimoniam, hîc valde contumelioſè reſpondit, de eoque dicitur. *Vir durus, & peſſimus, & malitioſus;erat enim de genere Caleb*, 1.Reg.25.num.3. Sed ad quid dicitur eius progenies?Lyranus. *Additur,quòd Nabal erat de tribu Iuda,ſicut & Dauid,& ideo grauius peccauit ipſum vituperando.* Ad crimen exaggerandum illius dicitur genus,cùm eſſet ex eadem tribu cum Dauid, nimis rigidum erat, quòd vbi naturalis coniunctio ſibi leuamen habere videbatur, ibi contumelias inueniret. In ſublimi arbore, cuius altitudo ad cælum vſque pertingebat, Nabuchodonoſor præfiguratur. Daniel 4.num. 11. *Et ecce vigil ſanctus de cælo calamauit fortiter:Succidite arborem*;ſcilicet eius regnum; *præſcindite ramos*, hoc eſt,filios eius,vt explicat Lyranus, D.Thomas,& alij.Et tandem eiectus eſt ab hominibus, & cùm feris habitauit, ac fœnum vt bos comedit. Reuolue Scripturam ſacram, nulli alij ſimilem inflictam inuenies pœnam. Nec ſoluitur nodus, ex quòd quamuis homo, ſe vt Deum voluerit adorari;in ſimile enim peccatum prolapſi ſunt multi. Inde culpa eius excreuit, quòd non ſolùm regnũ ampliſſimum inter omnes aſſecutus,verùm etiam ſanctiſſimos viros, vt Ezechielem, Danielem, & tres pueros Deus in regnum eius tranſtulit, & in fornace viros ambulantes,*& quartum,cuius ſpecies erat ſimilis filio Dei*, vidit *Daniel.3. n.92.* & tamen beneficiis tantis eius malitia non emollitur, vt fructus ſalutares producat; ideo inter omnes tam rigidam ſuſtinet pœnam.

1.Reg 25. Lyran. — Daniel.4. — Lyran. D.Thom. — Daniel 3.

QVÆSTIO XV.

Quare dicatur de Rachel, quòd in planctu ſuo noluerit conſolationem?

DE Rachel ait Euangeliſta, Noluit conſolari, quia non ſunt. Et quare in tanto fletu leuamen voluit habere nullum?Reſpondet primò Albertus Magnus. *Quidam exponunt,quòd Rachel ſciens gloriam Innocentum occidendorum pro Chriſto fleuit,& noluit conſolationem, quia filij ſui non ibi fuerunt occiſi, ſed pro ſtupro vxoris Leuiticæ,* Iudic.16.à n.4.*quod erat ei inconſolabile,quia turpem cauſam mortis acceperunt, & infantes honeſtam.* Non tam mors, quàm illius eſt lamentanda cauſa;& ideo Rachel, non Innocentes pro Chriſto plorat occiſos; ſed filios ſuos propter ſtuprum interfectos. Et hæc explicatio procedit de perſona materiali Rachel. 50.

Alb.Magn. — *De cauſa mortis potiùs dolendum.*

Secundò.D.Ambroſius in Pſalm.36.ait.*Rachel Eccleſia eſt,in qua benedicitur plebi Dei.Ipſa pro te fleat, ipſa tua peccata deploret, & fleat plurimum,vt conſolationem facilè non amittat, quemadmodum,qui plurimum dolent: ideo conſolari ſe noluit, quia qui erat deſiſti.* Eccleſia noſtra deplorat peccata,& maximè dolet(dirigit S.Doctor ſermonem ad interfectores, de quo quæſtione ſuperiori) quòd charitatem per gratiam receptam amittamus.Et quid magis lamentabile, quàm ex felicitate in miſeriam prolabi? Tertiò. Idem S. Ambroſius citato loco. *Aut fortè conſolari ſe noluit Rachel in filijs Iudæorum, quia non ſunt:quos vtique ideo genuerat, vt eſſent; & ideo non admiſit conſolationem occiſis paruulis ab Herode. Ergo Eccleſia Domini in Iudæis conſolari ſe noluit, quia non ſunt. In Chriſtianis autem, qui ex nationibus congregati ſunt,epulatur, & gaudet;quoniam cœperunt eſſe,qui non erant.* In Iudæis, cùm generationi ſuæ non correſpondeant, leuamen nullum habet;in Chriſtianis verò magnum, cùm illuſtriſſimè eſſe incipiant. 51.

Ambroſ. — Idem.

Quartò.Origenes hom.3.de diuerſis. *Plorauit ergo Rachel filios ſuos, quaſi nihil paſſos in aduentu,vel pro aduentu Domini, & quaſi non eſſe exiſtimauit ad illos, qui pro Domino mortui ſunt, & martyrij tulerunt coronam.* Rachel, dum filios ſororis Liæ, ſcilicet de tribu Benjamin, pro Chriſto pati inſpexit,ſuos tunc ſuperſtites lachrymari cœpit; cùm ad illorum comparationem hos nihil eſſe exiſtimauerit;nihil enim magis nobilitat, ac extollit quàm pati,ac mori pro Chriſto. 52.

Origenes. — *Nullus maior honor, quàm pati pro Chriſto.*

Quintò.Euſeb. Gallican. homil.de Innocentibus: *Quamuis multum de filiorum ſuorum nece, duriſque cruciatibus lugeat; conſolationem tamen non* 53.

Euſeb.Gall.

recepit, quia non ſunt in tali euentu danda, vel ſuſcipiendæ conſolationes. Vbi enim lætitia vincit lachrymas, gaudium mœrorem, & gloria paſſionem, ibi conſolatio neceſſaria non eſt: magis enim lætandum eſt de illa vita, quàm de iſta ſit dolendum, quã amiſerunt.

Mors pro Chriſto triũphus.

Ex magna gaudij commotione decurrebãt lachrymæ in morte occiſorum pro Chriſto, ideo luctus, & conſolatio, quæ propria mœſtitiæ ſunt, & doloris, ac lamenti remedia, quaſi ſuperflua procul abeant, cùm in te triumphi, ac Iubilæi tanti huiuſmodi non deceant. Sextò. D.

Chryſoſt.

Chryſoſtom. *hom. 3. ex varijs in Matth.* ſic ait. *Sed vt compendioſa diuerſitatum cauſa reddatur, conditio à matre defletur, ſed ſpe gloriæ conſolatio humana contemnitur; pietatis affectus in fletibus declaratur, ſed occiſorum gloria repudium conſolationis indicitur.*

Pro filiorum martyrio. gaudendum.

Lachrimabatur Rachel, & omnem conſolationẽ abiiciebat; mater erat, & pro matris affectu, ſeu officio in obitu filiorum flebat, non tamen ita anxiebatur, vt conſolationem expoſceret, non enim filios amittebat, ſed glorioſos martyrij laurea coronatos inueniebat; ne ergo matrem ſe negaret, pro ſobole plorat; ne tamen filiis ſummum honorem inficiari videretur, hac de cauſa nullam ſibi neceſſariam conſolationem oſtendit.

54. Paſchaſ.

Septimò. D. Paſchaſius lib. 2. in Matthæum, *Noluit conſolari*, ait, *conſolatio namque de re amiſſa iure quæritur præſtanda, & non habita, vel poſſeſſa: quia ex aucta felicitate profectò gaudium æternæ vitæ copioſiùs in poſterum generatur.* Quamuis filij Rachel in hac vita non eſſent, eos tamen non amittebat, ſed potiùs maiori iure acquirebat, quatenus cum Chriſto regnantes erant; ideoque ſuper eis conſolationem renuit; quæ enim damus, à nobis non alienantur, ſed potiùs maiori augmento retinemus, in noſtráque poſſeſſione abſque amittendi timore perſeuerant.

Quæ Deo damus melius poſſidemus.

Vt explicat Paulus 2. *Corinth. 9. num. 9.* Vbi D. Chryſoſtomus, S. Remigius, S. Thomas, & alij.

Chryſoſt. Remig. S. Thom.

Vidit Ioannes viginti quatuor ſeniores, & in capitibus eorum coronas aureas, *Apocalypſis* 4. *num.* 4.

Apocal. 4.

Et poſtea de eis dicitur ibid. n. 10. *Procedebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in trhono, & mittebant coronas ſuas ante thronum.* Diademata iſta tam propria ſeniorum erant, quando eorum capita coronabant, ac quando ante Agni pedes deponebantur. Quare ergo hîc tantùm dicuntur eorum coronæ? *Mittebant coronas ſuas*; & non antea, ſed tantùm *in capitibus eorum coronæ*? Cùm ad Agni pedes deuoluerentur, atque abiicerentur, magis propriæ habebantur, quàm dum propria eorum capita redimibat. Dixit Deus Abrahamo.

Geneſ. 22.

Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi, Geneſeos 22. n. 2. Et poſtea ne puer iugularetur, clamauit Angelus de cælo, *Ne extendas manum ſuper puerum*, ibid. num. 12. Sed cur quando Iſaac litatur Deo, appellatur filius Abrahami. *Tolle filium tuum*; quando verò viuus recipitur, puer vocatur. Quod nomen ſæpe in Scriptura ſignificat ſeruum. *Eodem cap. num. 5. & 1. Regum cap. 9. num. 27. & cap. 20. num. 36.* & ſæpe. Magis enim filius reputabatur Abrahami, dum Deo in ſacrificium offerebatur, quàm dum viuens in poteſtate patris recipiebatur.

Or[igenes]. [Ch]ryſoſt.

Et Septuaginta, Origenes, D. Ioannes Chriſoſtomus pro, *Tolle filium tuum*, legunt, *Accipe filium tuum.*

CAP. IX.

Reditus in Nazareth.

Matth. 2. n. 19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto.

VERSIONES.

Euthymius.	Mortuo autem Herode.
Arias.	Deſinente autem Herode, ecce Angelus Domini ſecundùm ſomnum apparet Ioſeph.
Syriacus.	Cùm autem abiiſſet Rex Herodes, viſus eſt Angelus Domini in ſomnis.

EXPOSITIO.

POSTQVAM Herodes tres ſuos occidit filios, amara morte periit, febri, dyſenteria, ſcabie, podraga, putredine verendorum vermes generante, ſpirandi difficultate, tremore, ac contractione membrorum, intolerabilique fœtore malam abſoluit animam, vt latè deſcribunt Ioſephus *lib. 17. c. 9.* Theophylact. & alij. Mortuus eſt impius, & abiit, ſeu omnino deſiuit eſſe, vt legit Arias, anno trigeſimo ſeptimo inchoato regni ſui, vt obſeruat Baronius *anno Chriſti octauo.* Iuſtus autem ſupereſt, & regnat. Iſai. 16. n. 4. *Finitus eſt puluis, conſummatus eſt miſer: defecit, qui conculcabat terram. Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud*, &c. *Ecce*, deſignat promptitudinem, & ſolicitudinem circa puerum. Quamuis Angelus non ſtatim poſt mortem Herodis apparuerit; quia Herodes, vt aduertit Barradas ex Ioſepho *li. 17. Antiquit. c. 11.* obiit circa tempus Paſchale; Eccleſia tamen reditum pueri ex Ægypto aſcribit in Martyrologio Romano, *die ſeptima Ianuarij. Angelus Domini*; ſcilicet Gabriel nuntius deſtinatus, ac fidelis. 1.

Ioſeph. Theophyl. Baron. Iſai. 16. Barrad. Martyrol.

Apparet in ſomnis. D. Paſchaſ. *lib. 2. in Matt.* ait. *In ſomnis iubetur redire: ſicut & antea præmonitus erat in ſomnis, vt in Ægyptum deſcenderet; quia nec dum publicè reuelabatur, cui Angelus deuotæ ſeruitutis officium deferebat.* In ſomnis Angelus ſe manifeſtat, quia per ſomnium Ioſeph fideliter obedientem inſtruere cœperat. Locus autem apparitionis determinatur. *In Ægypto.* De hac re vide *c. 7. n. 1.* & ibi quæſtiones. 2.

Paſchaſ.

Matth. 2. n. 20. Dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſraël.

VERSIONES.

Syriacus.	Ait: Surge, aſſume puerum, & matrem eius, & veni in terram.
D. Athan. contra Maced. dialogo 2	Surge vnà cum puero, eiuſque matre, proficiſcere in Iſraëliticam terram.
Vatablus.	Cùm ſurrexeris, aſſume puellum, & matrem eius, & proficiſcere in terram.
Pagninus	Excitatus aſſume puerulum.

EXPOSITIO.

3. EXPONIT Angelus mandatum ſuum Ioſeph: *Surge, accipe puerum, & vade.* Ablata cauſa manendi in Ægypto, iubet ire in terram ſuam. Et vt notant D. Chryſoſtomus *homiliæ 4. ex varijs*, D. Anſelmus, Gloſſa Ordinaria. *Mortuo Herode*, id eſt, crudelitate extincta, Chriſtus ad ſuos reuertitur. Et non dixit Angelus, Fuge, vt aduertit Theophylactus; ſed vade, timor enim iam nullus erat. *In terram Iſraël*; ſcilicet Iudæorum. Et rectè non dixit Angelus, in terram vel patriam tuam: quia iuſtus nullum habet in terra proprium locum; ſed dicitur terra Iſraël; ſignificat namque videns Deum: enim verò Deus Incarnatus ibi erat manifeſtandus.

Chryſoſt. Anſelm. Gloſſ. Ord.

Extincta infidelitate, Chriſtus redit.

QVÆSTIO I.

Quare poſt mortem Herodis imperetur Ioſeph redire in terram Iſraël?

4. VIVENTE Herode, non fuit conueniens, vt ex Ægypto aduenirèt puer, licèt enim, occiſis iam in Bethleem innocentibus, puer habitare poſſet in Nazareth, vel alio loco in Iudæa, quia tamen Herodes animo quietus non erat, & ignorabat, an in infantibus occiſis puer eſſet interfectus, quem ille quærebat, ideo per miniſtros ſuos valde ſolicitus erat. Et ſi puer adueniret, à dicentibus denuntiari poſſet, & ætatem computando, apprehendi ad mortem. Tota quæſtio eſt: Quare poſt mortem Herodis mandatur reuerti in terram Iſraël? Et ea non eſt ratio, quam aliqui dixerunt: quaſi Iudæis non eſſet licitum, verſari in Ægypto. Nam, etſi vniuerſo populo hoc eſſet prohibitum *Deuteron. 17. n. 16. & Hieremiæ 43. n. 2.* perſonis particularibus hoc non erat negatum, vt conſtat ex *lib. 2. Machab. cap. 1. num. 1. Actor. 2. num.* 10. maximè interueniente reuelatione diuina, quæ facta eſt Ioſeph. Nec Iudæi, qui erant extra Iudæam, tenebantur ſtatutis diebus aduenire in templum, vt latè probat Abulenſis *cap. 1. Matth. 30. & cap. 2. q. 75.*

Garrulos nihil effugit.

Abulenſ.

5. Quæſtio ex quadruplici capite ſoluenda eſt. Primò. Ex parte parentum Chriſti Domini, & reſpondet Abulenſis *citata q. 73.* Quia Ioſeph ire in Ægyptum iuſſus eſt ad euitandum periculum pueri; ergo, hoc ceſſante, non erat ratio ad ibi amplius manendum; nec vt parentes exilij pœnam diutiùs ſuſtinerent, vt extra propriam patriam exules eſſent. Secundò. Ex parte perſonæ Chriſti Domini; quia ſi ipſe manſiſſet in Ægypto vſque ad ſuæ prædicationis initium, ſcilicet vſque ad annum trigeſimum, non innoteſceret à Iudæis illum eſſe de genere Iudæorum, & de ſemine Dauid, ac natum in Bethleem, vt illi poſtea obiecerunt *Ioan. 7. n. 42.* Hoc autem erat magnum inconueniens, & contra intentionem Chriſti, quia ipſe Iudæis oſtendere volebat, ſe eſſe verum Meſſiam. Et non ſolùm eſt ambulandum in veritate, ſed impiis omnis eſt amputanda occaſio detrahendi, ac veritati reſiſtendi.

Abulenſ.

Sine cauſa non eſt ſubeunda pœna.

Impia occaſio amputanda.

6. Tertiò. Ratio ex parte doctrinæ Chriſti Domini: quia ſi ipſe vſque ad trigeſimum annum in Ægypto manſiſſet, poterant ſuſpicari Iudæi ſapientiam eius ex humana arte prouenire; olim namque inter Ægyptios fuerunt ſtudia in vrbe Memphis. Deinde ſi ſubito apparuiſſet prædicãs, cùm Iudæi eum obſeruantem legem vidiſſent, numquam maximè ſcandalizarentur; in Prædicatore enim ante prædicationem opera præcedere debent. Nam ſi multi Chriſto obiiciebant, quòd nec legem, nec ſabbata obſeruabat, quia curabat infirmos in illa die; vnde ipſe reſpondit: *Non veni ſoluere legem*, Matth. 5. n 17. Quid calumniarentur, ſi numquam in obſeruantia legis eum vidiſſent? Deinde in ſuæ prædicationis initio, non ignotus eſſe debebat, ſed in omni virtutum genere valde conſpicuus apparere, cùm hæc in Prædicatore maximè conducant.

In Prædicatore vita authoritas.

Matth. 5.

7. Quarta ratio, ex parte miraculorum: quia cùm in Ægypto fuerint ſæpe malefici multi, vt incantatores in omni magica arte peritiſſimi, ſi Chriſtus vſque ad annum trigeſimum ibi eſſet, Iudæi ſuſpicarentur, quòd virtute malefica Chriſtus miracula faceret, vt de ſanctis Martyribus tyranni paſſim dicebant. Deinde non erat optima diſpoſitio, vt ſubitò in Iudæa Chriſtus Dominus in mirabilia opera prodiret, ſed vt homines priùs in eo aliquid agnoſcerent magnum, & excellens, & ita reſplenduit in templo ſapientia eius; & in ætate infantili, ac iuuenili aliqua miracula, ſignaque virtutis eſt inter Iudæos operatus: vt docent Abulenſis *cap. 2. Matth. quæſt. 76. in fine*, Maldonatus *in cap. 2. Ioan.* Et latè probat Ioannes Carthagena *tom. 2. lib. 9. homilia* 10. Nam grandis prudentiæ eſt non in magna ſtatim proſilire: ſed vt paulatim homines ad mirabilia percipienda aſſueſcant, ne mens operationum magnitudine obruatur. Arguebat Tertullianus Marcionem; qui affirmabat Chriſtum repentè apparuiſſe ſine vlla ſui notitia, nec in lege, nec Prophetis, nec Scriptura; ſic contra eum fatur lib. 3. c. 2. *Subitò filius, & ſubitò miſſus, & ſubitò Chriſtus. Atque nihil putem à Deo ſubitum, quia nihil à Deo non diſpoſitum. Et vtique tantum opus, quod ſcilicet humanæ ſaluti parabatur, vel eatenus ſubitò non fuiſſet, quia per fidem profuturum. In quantum enim credi habebat, vt prodeſſet, in tantum paratum deſiderabat.* Cùm à Deo omnia ſint maximè ordinata, & in noſtram ſalutem diſpoſita, nihil ab eo ſubitum eſt. Vide *lib. 1. c. 4. quæſt. 28. n. 65. & eodem lib. 1. cap. 5. quæſt. 9. n. 16.*

Non ſubitò magna operanda.

Abulenſis. Maldon. Carthag. Tertull.

QVÆSTIO II.

Quare Angelus non determinauerit Ioſeph locum ad habitandum?

8. TERRA Iſraël multa, & varia loca comprehendebat, vt planum eſt. Tamen Angelus nullum peculiariter deſignauit Ioſeph. Ex quo ait Hugo. *Quia Angelus non dixit, in quam partem*

ire debebat, intellexit eam, quæ dignior erat, ſcilicet Hieruſalem. Sed quæſtio præſens eſt, quare Angelus non ſpecificauit locum?

9\. *Gloſſa Ord. Lyran.* Ad quam reſpondet Gloſſa Ordinaria, atque Lyranus, & inquiunt. *Non determinat Angelus in quam partem ire debeant, vt dubitante Ioſeph, Angelus reuertatur, & ex frequenti eius allocutione Ioſeph certior reddatur, ac magis conſoletur.* Nam ſi locum Angelus ſtatim deſignaret, non oporteret, vt iterum rediret, & ſic eum conſolandi, ac magis certificandi anſa non daretur. Secundò. Abulenſis *quæſt.*77. *Abulenſ.* Non ſpecificatur locus, vt Ioſeph poſtea dubitaret, & ad Deum per orationem recurrere cogeretur: ſi autem Angelus omnia dixiſſet à principio, non dubitaret, & ſic ad Deum non recurreret, vt eſt probabile feciſſe, cùm Iuſtorum in dubitationibus ſuis iſte ſit modus. 2. *Paral.*20. *num.*12. de Ioſeph dicitur, *Cùm ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Et ſic Ioſeph magis mereretur confidendo in Domino, & ad ipſum in tribulatione cordis ſui recurrendo.* Tam benignus eſt Dominus, vt ad meritum noſtrum occaſiones ſemper quærat. Tertiò. Idem Abulenſis. Chriſtus verbis, operibus, & exemplis nos docuit; ideo igitur parentes ſuos, quos maximè diligebat, poſt laborioſum iter permiſit, in afflictione, ac dubitatione, quò pergere deberent, vt in anguſtiis noſtris hoc habeamus ſolatium, & ſignum, quod à Deo, non derelicti, ſed valde ſumus dilecti. Et hanc ſimilitudinem inducit Apoſtolus ad Hebræos 12. n. 3. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris.*

2 Paral 20. Deus dat occaſiones ad meritum noſtrum. — *Abulenſis.* — *Hebr. 12.*

10\. *Caſſian.* Quartò. Simon Caſſianus *lib.*2. *cap.*23. ſic ait: *Nec omnium agendorum notitia Ioſeph refulſit in animo, quamquam ſuper homines plus nouiſſet, vt innoteſceret, nemini viam eius commiſiſſe, ſed ſibi reſeruaſſe de filio.* Quæ filij erant, omnia nulli ſimul committebantur, ſed Pater ſibi tantùm retinebat; vt demonſtretur, quòd in cognitione filij, & eorum, quæ ſpectant ad eum, in dies proficere, & creſcere anima debet, illa enim omnia à nobis ſimul apprehendi minimè poſſunt. De Chriſto Domino inquit Iſai. 53. n. 2. *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Dum ramus creſcit, in ſe quotidie nouum aliquid oſtēdit; Chriſtus Dominus, vt virgultum coram populo aſcendit, quia anima quo plus in eo videt, ſemper nouum aliquid inuenit. Vnde ait Proculus: *Aſcendit maiora faciens, maiora ſigna oſtendens.* Quintò. Non determinat Angelus locum, quia prudentiæ Ioſeph eius electio relinquebatur, vt iam dixi *li.*1. *c.*10. ac proinde Angelus ſolum præcepit, vt ab Ægypto diſcederet: quia Ioſeph mandatum erat, *Eſto ibi vſque dum dicam tibi.*

In Chriſto noua ſemper videnda ſuperſunt. — *Iſai. 53.* — *Proculus.*

*Matth.*2. *n.*20 Defuncti ſunt enim, qui quærebant animā pueri.

VERSIONES.

Vatablus. Defuncti ſunt enim, qui inſidiabantur vitæ puelli.

Theophylact. Mortui ſunt quærentes animam.

D. Athan. cont. Maced. Dial. 2. Qui pueri animam quærebant ad necem.

EXPOSITIO.

11\. NE mandatum ſuum poteſtate, & non ratione diſpoſitum videatur, cauſam, & motiuum reuertendi in Iſraël Angelus apponit: *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animā pueri?* quaſi dicat: Nulla eſt ratio hîc immorandi; quia mortui ſunt, qui puerum intentabant occidere; nam quærere animam, idem eſt, ac ad mortem petere, vt dicam *quæſtione* 4. Et eiſdem verbis hîc vtitur Euangeliſta, ac de Moyſe dicitur *Exod.* 4. *num.*19.

QVÆSTIO III.

Quare dicatur pluraliter, mortui ſunt, qui quærebant animam?

12\. EVANGELISTA ſuprà ait: *Defuncto Herode*; hîc verò; *Defuncti ſunt quærentes animam*; ſi defunctus eſt vnus Herodes, qui puerum perſequebatur, quomodo multi dicuntur mortui? Reſpondetur primò, cum D. Thoma 1. 2. *quæſt.*82. *art.*2. *ad primum*, quòd frequenter in Scriptura ponitur numerus pluralis pro ſingulari. Solutio optima, & ad multa ſoluenda ſacræ Scripturæ dubia. Secundò. Reſpondet S. Remigius in Catena, *Si multi fuerant*, ait, *quomodo in tam breui ſpatio extincti ſunt? Quia, vt dictum eſt, Herode mortuo occiſi ſunt omnes maiores, qui in cuſtodia tenebantur.* Similiter D. Thomas *in comment. Matth.* Supponunt hi Patres id, quod infert Ioſephus *lib.*17. *Antiq. c.*9. quòd Herodes morti proximus præcepit Salomæ ſorori ſuæ, & Alexa marito eius, vt omnes primi, ac nobiles Iudæorum, quos in quodam loco victos habebat, in die mortis ſuæ interficerentur, vt ait ipſe Herodes. *Etiam inuita omnis mihi Iudæa, omniſque domus illachrymet.* Sed factum non eſt, vt tyrannus imperauit, vt conſtat ex eodem Ioſepho; imò ipſo moriente omnes demiſſi ſunt cum libertate ſua. Ac proinde huic ſolutioni contradicit hiſtoria.

D. Thom. — *Remig.* — *D. Thom. Ioſeph.*

13\. Tertiò. D. Hieronymus, Gloſſa Interlinealis, Imperfectus *hom.*2. Haymon, & alij. *Ex hoc colligimus*, ait D. Hieron. *non ſolum Herodem, ſed & Sacerdotes, & Scribas eodem tempore necem Domini fuiſſe meditatos.* D. Chartuſ. *Ex hoc conſtat, Sacerdotes, & ſcribas de morte Chriſti cogitaſſe, & Herodis ſtudio conceſſiſſe.* Ac proinde in illo ſeptem annorum ſpatio, quo Chriſtus in Ægypto eſt commoratus, inſectatores eius, qui Herodis iniquitati non reſtiterunt, maiori ex parte mortui ſunt. De damnatis æterna pœna dicitur Apoc. 21. n. 8. *Timidis autem, & incredulis, & excæcatis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Sed quare tot inter miſeros iniquitatis miniſtros ſecunda mors primò non idololatris, vel incredulis infligitur, ſed tantùm timidis? Meritò ſanè, quia non audentes verum dicere iniquitati, ac tyrannicæ poteſtati conceſſerunt. D. Ambroſ. *Sunt multi*, ait, *quibus dedit Deus ſcientiam rerum temporalium qui in iudicijs poſiti, dum vident quoſdam à potentioribus iniuſtè opprimi, plus timentes iram hominū, quàm iram Dei, eos, quos per doctrinam, quam acceperant, iuuare poterant, tacendo in damnum magnum, ſinunt deuenire. Sunt alij, qui non ſolùm non eos iuuant, ſed propter timorem hominum, ſententiam damnationis in eos proferant.*

Hieron. Gloſſ Inter. Imperfect. Haymon. Carthuſ. — *Qui iniquitati non reſiſtunt, puniuntur.* — *Apocal. 21.* — *Ambroſ.*

14\. *Hugo.* Quartò. Subtiliter Cardinalis Hugo ait: *Scribæ, & Phariſæi mortem pueri cum Herode meditabantur. Vnde ſcribæ mortui ſunt, quoad poteſtatem.* Herode moriente omnes principes Iudæorum Chriſtum hoſtiliter inſectantes amiſerunt poteſtatem; bene ergo tunc mortui dicuntur; in ambitioſo enim, atque cupido, tunc deficit vita, cùm dominandi, ac perſequendi perit poteſtas. enim verò cum principatu, ac prælatione ſimul aufertur vita. Et ita ait Albertus Magn. hîc: *Vnus defunctus eſt vita naturæ, qui fuit præſidium, & cauſa omnium quærentium: & in ipſo amnes alij defuncti ſunt iniquitatis deſtitutione, quia nequibant perficere, quod volebant, defuncto peſſimo Herode.*

In ambitioſo cum poteſtate deficit vita. — *Alb Magn.*

15\. *Paſchaſ.* Quintò. D. Paſchaſius lib. 2. in Matth. *Rectè*, ait, *innuitur, quod Rege crudeli extincto complices eius illico perierе, qui pariter in necem Chriſti, inuidiæ, aut timoris, adulationiſve gratia tractauerunt.* Principalis cauſa odij aduerſæque voluntatis, qua Chriſtum nefarij perſequebantur miniſtri, præcipuè oriebatur ex eo, quòd Herodi Regi morem gerebant, ac proinde illo mortuo, & illi, quantum ad furorem, dicuntur extincti; nam aulici, ac palatini regium concomitātur amorem, vel odium, ad nutumque Regis eorum dirigitur voluntas. Ægyptiacus populus fame preſſus, *clamat ad Pharaonem petens alimenta*, Gen. 41. n. 55. Poſtea Moyſis tempore tam magnis plagis, morte pecorum, agrorum deuaſtatione, multiſque aliis Ægyptus affligitur preſſuris, vt talia non legantur alibi in Scriptura; & tamen in nouem plagis, nullus eſt, qui petat à Rege, vt dimittat populum, vt malum ceſſet ab eis. Cur illic vociferatur totus populus, hîc verò nullus eſt, qui clamet? Gubernante Ioſeph voluntas Regis in populum erat propenſa, vt cuſtodiret ſuos, alerētque tempore famis; Moyſis verò obduratum erat cor Pharaonis, ne Iſraël dimitteret. Et populus voluntatem Regis ſequens, dum clementia tactum agnoſcunt, pro leuanda miſeria clamant ad eum; dum verò rigore obduratum, nullus eſt, qui pro molienda ira loquatur. Poſtquam autem omnes primogeniti mortui ſunt, ait textus Exod. 12. n. 30. *Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cuncta Ægyptus, ortuſque eſt clamor magnus.* Hucuſque omnes tacebant, vt verò Pharao ſurrexit, & clamauit, commoti ſunt, & clamauerunt omnes. Vnde meritò Polycratius *lib.*3. *de Nugis Curialium, cap.*4. huiuſmodi palatinos appellat Regis ſimias.

Populus Regis voluntatē ſequitur. — *Geneſ. 41.* — *Exod. 6.* — *Exod. 12.* — *Polycrat.*

QVÆSTIO IV.

Quomodo dicatur: quærebant animam pueri?

16\. *Paſchaſ.* RATIO dubitationis eſt, vt ait D. Paſchaſius lib. 2. in Matth. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere.* Sed communis ſolutio eſt, quòd frequenter in Scriptura *anima* ſumitur pro vita corporali. Vnde dicit Elias, *Derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam*, 3. Reg. 19. n. 14. Et ſimiliter 1. *Reg.*22. *n.*23. *Iob* 2. *n.*6. Vnde optimò ait Albert. Magn. *Quærebant animam, non ſecundùm ſubſtantiam, quæ teneri ab hominibus non poteſt, ſed ſecundùm actum animandi.* Secundò. D. Chryſoſt. *homil.*4. *ex varijs*, S. Paſchaſ. D. Thomas hîc, *Deſtruitur*, ait, *error Apollinaris; qui dixit, quòd diuinitas erat in Chriſto loco animæ.* Ac proinde ad hunc refutandum errorem, vt ait D. Chryſoſt. *cit.* in Euangelio paſſim fit mentio de anima Chriſti, *Matth.* 26. *n.*38. & ſæpe. Nam vbi dubitat inimicus, ibi explicatio adhibenda maior. Tertiò tam crudeli Herodes Chriſtum perſequebatur odio, vt in occidendi deſiderio, non ſolùm corpus, ſed etiam habuerit animam. Ambitioſus ita eſt inquietus, vt eum, per quem veretur repelli à regno, non tantùm viuum, ſed & mortuum timeat.

3. Reg. 19. — *Alb. Magn.* — *Chryſoſt. Paſchaſ. D. Thom.* — *Ambitioſus poſt mortem timet.*

Matthæi 2. *num.*16. Qui conſurgēs accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſraël.

VERSIONES.

Vatablus. At ille, vt ſurrexit, aſſumpſit puellum.

Euthymius, Pagninus. Qui excitans, accepit puerum.

EXPOSITIO.

17\. IOSEPH excitatus à ſomno, magna puerum accepit deuotione. *Venit in terram Iſraël.* Ioſeph autem, ait Gloſſa, viſum eſt, non alicubi, talem puerum habitare debere, niſi in Hieruſalem, vbi templum erat. Galatinus *lib.*8. *de arcanis fidei, cap.*4. docet, ab antiquis Iudæis intellectum fuiſſe, quòd Meſſias ex Ægypto reuocaretur. Quod probat ex eo, quod legitur Pſalm. 79. num. 9. *Vineam ex Ægypto tranſtuliſti.* Per *vineam* autem Meſſiam Rabbini interpretantur.

Gloſſa. — *Galatin.* — *Pſalm. 79.*

Matthæi 2. *num.*16. Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire, & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ.

VERSIONES.

Syriacus. Cùm audiſſet, Archelaum in Iudæa Regem eſſe in loco Herodis patris ſui, timuit illuc proficiſci, & viſum eſt ei in ſomno eundum eſſe in regionem Galilææ.

Vatablus. Cùm Audiſſet Archelaum regnare, timuit illuc abire, oraculo autem iuſſus eſt in ſomnis.

Euthymius, Theophyl. Oraculo autem accepto ſeceſſit.

Pagninus. Sed oraculo admonitus in ſomnis.

EXPOSITIO.

18\. Ioſeph. HERODES ſeptem habuit filios, vt tradit Ioſeph.*lib.7. Antiq.cap.2.* ante mortem ſuam Alexandrum, & Ariſtobulum occidit, in morte ſua, vt occideretur Antipater, mandauit: vnde quatuor remanſerunt, quorum Archelaum regni ſui inſtituit ſucceſſorem, iubens tamen, vt non, niſi de Romanorum manu ſibi corona imponeretur, vt aduertit Ioſephus *citatus cap.* 8. Dicitur autem hic *regnare pro patre ſuo*, quia ei ſucceſſit in regno; quamuis enim duo eius fratres aliquam paternæ hæreditatis portionem habuerint, vt Herodes Galilæam, Philippus Ituream; nomen tamen regium minimè adepti ſunt, cuius ſpem, & promiſſionem Archelaus obtinuit ab Auguſto, ſi in adminiſtratione bene ſe gereret, Verùm ob delicta ſua Lugdunum Galliæ eſt relegatus.

Idem.

Ioſeph 2.*lib.de bello Iudaico, cap.6.* ac proinde Archelaus dicitur regnare non regio titulo, ſed regia poteſtate; vt ait Caietanus.

Caiet.

Et admonitus in ſomnis. Quantum ex præſenti colligitur textu, diuina reuelatione habita, in Galilæam tendit, licèt locus Nazareth ei non ſit limitatus, ſed ipſe eum elegerit: ſemper enim nobis aliquid relinquitur, quo Deo operari poſſimus. Et de Angelo Domini hîc non fit expreſſa mentio, ſicut in aliis reuelationibus; hæc namque eſt quarta, quæ fit Ioſeph, ipſe etenim, vt ait Albertus Magnus, Angelorum familiaritate maximè perfruebatur.

Alb. Magn.

QVÆSTIO V.

Quare Ioſeph, cùm haberet domum in Nazareth, voluerit ire in Iudæam?

19\. EX fine ſuperioris expoſitionis conſtat totum Iſraëliticum regnum in tres partes eſſe diuiſum. Prima dicebatur Iudæa, ſecunda Galilæa, tertia Samaria media inter alias duas. In parte Galilææ continebatur Nazareth, in qua D.Ioſeph ſuam habebat domum, vt conſtat ex *cap.6. quæſt.* 6.

20\. Barradas. Nicephor. Ad quæſtionem reſpondent primò aliqui cum Barrada, quòd etiam Virgo habebat domum Bethleem, vt tradit Nicephorus *lib.1.cap.13.* Sed hanc ſententiam reieci iam *cap.1. huius lib. n.14.* Deinde, quia peculiare periculum erat, quòd in ea ætate, in qua infantes occiſi ſunt, ibi appareret puer.

Abulenſ.

Secundò reſpondet Abulenſis *quæſt.86. in fine*, quòd D. Ioſeph intendebat petere Galilæam, ac Nazareth, ſed iter facere per Iudæam, cùm hæc aſcendentibus ex Ægypto proxima maneat, ac proinde cùm regnaret Archelaus, timuit pertranſire per eam. Sed hæc ſententia pugnat cum rigore textus, *timuit illò*, ſcilicet Iudæam, *ire*; & Syriacus, *illuc proficiſci*, quòd non ſignificat tranſitum, ſed terminum itineris.

Syriacus.

Auguſt. Paſchaſ. Zachar.

Tertiò. Reſpondet D.Auguſtinus *lib.2.de conſenſu Euangeliſtarum cap 9.* S.Paſchaſius, Zacharias Epiſcopus, quòd Ioſeph intellexit nullum eſſe locum magis conuenientem, vt puer habitaret, quàm Hieruſalem; quia ibi erat templum Domini, & magna Prophetarum celebratio. Et Albertus Magnus exiſtimauit quòd ibi, tamquam in capite regni puer inciperet dare illuminationes. Alb.Magn.

Quartò. D.Paſchaſius *lib.2.in Matth.* Gloſſa Ordinaria, Cardinalis Hugo, quòd Ioſeph ad Hieruſalem iter ſuum inſtituerat; nam per terram Iſraël Iudæam ſimpliciter intellexit, cùm pars eſſet principalior. 21. Paſchaſ. Gloſſ. Ord. Hugo.

Vel fortè, quia per terram Iſraël, quod mihi videtur probabilius, communiter ab omnibus Iudæa accipiebatur. Vnde ait D. Thomas, quòd per terram Iſraël ſtrictè non intelligebatur Galilæa. D.Thom.

Et Ioſeph in quacumque parte, cùm eſſet faber lignarius, arte ſua victum ſibi poterat comparare. Deinde cùm per terram Iſraël Iudæam perciperet, ad illam, licèt in Nazareth haberet domum, decreuit abire, eligens potius diuino obtemperare mandato, quàm proprio conſulere commodo. Cùm Deus præciperet Abrahamo, vt exiret de terra ſua. *Tulitque Sarai vxorem ſuam*, Geneſ.12.num.5. Geneſ.12.

Sed quomodo vir tam prouidus, dum ſecum fert vxorem ſuam, tantis ſe exponit vitæ, & honoris periculis, vt ne interficeretur, neceſſe fuerit dicere aliquando, quòd ſoror eſſet ſua. D. Ambroſius lib.1.Offic.cap.24. *Nónne*, ait, *conſiderabat vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiua inſolentium, ſine ſummo non poſſe duci periculo? Et tamen ſubire omnia, quam excuſare, conſultius iudicauit.* Vir iuſtus obedientiam omni commoditati, ac vtilitati vitæ præfert.

Ambroſ. *Iuſtus Dei obſequiũ proprio commodo præfert.*

QVÆSTIO VI.

Quare Ioſeph timeat ire in Iudæam?

EX duplici capite hîc oritur difficultas. Primò. Quia Angelus ei præceperat redire in terram Iſraël: ergo illius aduentus ſecurus erat. Secundò. Cùm Angelus diceret: *Defuncti ſunt, qui quærebant animam pueri*, nulla erat timoris occaſio. Nunquid vir iuſtus debuit timere, vel dubitare de eo, quod per Angelum imperabatur? Certiſſimum eſt, quòd in Ioſeph nulla extiterit dubitatio, vel infidelitas; aliàs tranſire in Galilæam ſine reprehenſione aliqua ab Angelo non moneretur. 22.

Hanc quæſtionem mouet D. Paſchaſius *hîc.* 23.

Paſchaſ.

Et primò recurrit ad ſenſum moralem. Quia Chriſtus primò in Iudæam venire voluit; at cùm ibi regnaret infidelitas in Archelao, diuertit in Galilæam regionem Gentium. Secundò. Palatius ait: Monemur per hoc, quòd licèt Deum habeas, timendum tibi eſt eò ire, vbi iniquitatis filij regnant. Palatius.

Imò verò, quia Deum habes, ideo timendum eſt: vt enim nullum lucrum maius, quàm Chriſtum habere; ita nulla iactura maior, quàm illum amittere. Hæ ſunt rationes morales. *Maximè timendum perdere Deum.*

Tertiò. Abulenſis *quæſt.82.* ita ſoluit, quòd, licèt Deus aliquid homini iubeat, ſi tamen aliqua poſtea difficultas occurrat, quam homo neſciat, quomodo ſe habere debeat; etſi homo Deo maximè confidere teneatur, quòd ille, qui iuſſit, certa ratione expediat; tamen licitum eſt homini quærere, & petere à Deo quomodo ſe habere debeat; nam cùm Angelus Virgini diceret: Concipies, & paries; ipſa verò quæ ſunt ab eo: Quomodo fiet iſtud? Sine vlla dubitatione. Ita D.Io- 24. Abulenſ.

ſeph,

ſeph, quamuis haberent præceptum eundi in Iudæam, cùm videret, quòd ibi regnabat Archelaus, quem veriſimiliter poterat timere, poterat tunc iterum recurrere ad Deum expectans diuinum mandatum.

25\. Paſchaſ. Zacharias. Quartò. Ratio, quæ mihi probabilior videtur, eſt, quam etiam tradunt D. Paſchaſius, Zacharias Epiſcopus, quod Angelus non determinauerit Ioſeph ſpecialem locum, vel habitationem, ſed tantùm mandauerit: *Vade in terram Iſraël*; & Ioſeph, licèt per hanc intelligeret Iudæam, videns tamen periculum imminens, quòd ibi regnaret Archelaus, extitit perplexus, ac ſecum cogitans, an per terram Iſraël deſignaſſet Angelus Iudæam, vel Galilæam; & ideo cœpit timere, ac diuinum expectare reſponſum; magnæ enim prudentiæ eſt in rebus magni ponderis non propriæ fidere ſententiæ, ac iudicio, ſed Deum per orationem conſulere, aliorumque placita quærere.

In rebus arduis non proprio fidẽdum iudicio. Cant.8.

Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt? Cantic. 8. num. 8. Verba ſunt Patriarcharum, ac Prophetarum veteris Teſtamenti, vt cenſet Theodoretus, quibus à Chriſto Domino, & à ſanctis Angelis quærunt, quomodo debeant exornare, ac venerari Eccleſiam in die Pentecoſtes, quando per Apoſtolos coram omni populo loquenda eſt? Sed Patres illi, quibus Deus ſecreta ſua reuelauit, quærunt, quomodo ſe habere debeant? Maximè; nam cùm de hoc illuminationem à Deo non haberent, iudicio proprio ſtare noluerunt; & ideo à communi magiſtro Chriſto Domino, à ſanctiſque Angelis ſcrutantur modum.

Theodor.

QVÆSTIO VII.

Quomodo Angelus eum moneat in Galilæam ire?

26\. IVXTA omnium ſententiam Angelus hîc apparuit, & cum inflexibilis ſit naturæ, & magnæ perſpicacitatis; quomodo igitur ire in terram Iſraël antea præcepit, nunc verò in partes Galilææ? Reſpondet Gloſſa Interlinealis. *Non mutat Angelus præceptum, ſed manifeſtius corrigit errorem pietatis.*

Interlineal.

Anſelm. Paſchaſ.

Et ſimiliter D. Paſchaſius, quod elegantiſſimè explicat. Nam quando Angelus dixit; ait, *Vade in terram Iſraël*, non Iudæam, ſed Galilæam voluit intelligi. At D.Ioſeph ſibi perſuaſit, eundum eſſe in Iudæam, ac Hieruſalem, quia ibi erat templum Domini, ac proinde aptiſſimus locus, vt Chriſtus Dominus habitaret, cùm ibi eſſet templum. Porrò videns Angelus errorem de pietate deſcendere, & timorem de prouidentia, monuit eum ire in Galilæam ciuitatem Nazareth; non mutans viſionis præceptum, quòd antea dederat, ſed manifeſtiùs corrigens pietatis exrorem, quo diſpoſuerat ire in Hieruſalem ob templum Domini; nam errores, qui ex bonitate animi, ac pietate religionis naſcuntur, venia ſunt maximè digni, ac benignitate emendandi.

Error ex pietate venia dignus.

Pharaoni, & Abimelech dixit Sara, quòd ſoror Abrahami eſſet, ab vtroque Rege in domum ſuam ſublata. *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis magnis, & domum eius*, Geneſ.12.num.17. Abimelech verò pepercit, *Geneſ.20.num.5.* Sed quæ huius diſcriminis cauſa? Quia, vt ait D.Ambroſius alibi datus, *Cùm Ægypti Regem noueris, ducem fuiſſe vitiorum, Abimelech verò fidelis æſtimatus ſit à Domino; vt meruerit audire: Scio, quòd ſimplici corde feciſti.* Pharao ob libidinis turpitudinem in domum introduxit Saram, Abimelech verò obligatus mulieris pudicitia; imò vt aliqui volunt, ob deſiderium ſuſcipiendi filios ex ſobole ſancta; & vbi error ex bonitate, ac pietate proceſſit, ibi venia conuenientiſſimè impenſa.

Geneſ.12.

Ambroſ.

27\. Secundò Ioſeph intellexerat Angeli mandatum, vt pergeret in Iudæam, ſicut iam dixi; Angelus verò non mutat præceptum, ſed explicat; ac ſi dicat, quòd ſub terra Iſraël, ad quam ipſe imperauerat, Galilæa ſit deſignata; nam cùm Angelus eſſet valde benignus, & prouidus, curam agens Ioſeph, non rigidum, rigoroſumque præceptum occaſioni, ac tempori improportionatum, vt in Iudæam magno cum periculo tenderet, ſed leue, & ſuaue dederat mandatum eundi in Galilæam, ac propriam ciuitatem Nazareth. In vltima Cœna Apoſtolis ſuis ait Chriſtus Dominus: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat*, Luc.22.num.35.

Prælatus non rigoroſũ præceptum imponat. Luc.22.

Antea Diſcipulis ſuis præceperat Dominus ſine ſacculo, & pera prædicare; nunc verò ſupponit hæc inter eos dari; optimus enim Prælatorum magiſter pro loci, & temporis occaſione ſuorum infirmitati condeſcendens præcepti ſui rigorem mitigare voluit, & aliquid contra id, quod mandauerat, permittere. Titus Boſtrenſis, *Noluit*, inquit, *prioris illius ſanctionis rigorem vigere; ſed primaui illius inſtituti ſeueritatem nonnihil remittere, ac temperare: ne grauis planéque moderanda vita illis eſſet, ſi omni externo præſidio ſæpe deſtituti, exactam illam abdicationis regulam perpetuò accuratè obſeruare compellerentur.* Boſtrenſis.

Beda clariùs in rem noſtram, *Non eadem viuendi*, ait, *regula perſecutionis, quæ pacis tempore diſcipulos informat; miſſis quidem ad prædicandum, ne quid tollerent in via, præcepit, ordinans ſcilicet, vt qui Euangelium nuntiat, de Euangelio viuat. Tota verò illa gente paſtorem, ſimul & gregem perſequente, congruam tempori regulam decernit, permittens, vt tollant victui neceſſaria.* Beda.

De arbore illa, in qua Dominus conſtituit præceptum primis parentibus, dicitur: *Lignum vitæ in medio paradiſi. Lignum ſcientiæ boni, & mali*, Geneſ.2. num.10. Sed cur non in parte, vel angulo conſtituitur, ſed in medio? Arbor erat, in qua primum, cæterorum exemplar, dabatur præceptum; ideo in medio, quia Regis, ac principis mandata pro loco, & tempore debent mediocritatem ambire. Geneſ.2.

D.Bernardus Epiſt.7. *Sunt media quædam, quæ pro modo, loco, & tempore, vel perſona, & mala poſſunt eſſe, & bona: & in his lex poſita eſt obedientiæ; tamquam in ligno ſcientiæ boni, & mali, quod erat in medio paradiſi.* Bernard.

QVÆSTIO VIII.

Quare Ioſeph timuerit Archelaum in Iudæa & non Herodem in Galilæa?

28\. ARCHELAVS, & Herodes fratres filij primi Herodis, qui infantes occidit; quare ab illo refugit, & ad hunc tendit? Reſpondet primò

Abulen

Abulenſ.

Abulenſis *quæſt.*84. Quia de Meſſia dictum erat, quòd eſſet regnaturus, ac proinde hominibus huius ſæculi, malè Scripturas penetrantibus videbatur repugnare cum Rege temporali, qualis erat Archelaus; quia in vna Republica vnus tantùm eſt Rex. Herodes autem non erat Rex, & ideo poterat ſibi perſuadere, quòd Meſſias ſuccederet loco Romanorum, & eum in ſua dominatione non impediret. Et ideo non erat in Herode ratio timendi tanta, ac in Archelao. Secundò. Gloſſa Ordinaria. Non timuit ire in Galilæam, ſicut in Iudæā, cùm ibi regnaret Archelaus ſed melius potuit in Nazareth, quæ remota erat latere, quàm in Hieruſalem, vbi erat caput regni, & frequenter aſſiſtebat Archelaus, qui crudeliſſimus, ac valde ambitioſus erat, & ideo nihil eum poterat ſubterfugere.

Gloſſ. Ord.

29. Tertiò. D. Dionyſius Carthuſianus, quæ mihi videtur valde germana ratio. Timuit Ioſeph ire, vbi regnabat Archelaus, qui à patre ſuo conſtitutus erat Rex non ſolùm Iudææ, ſed etiam totius regni, & charior patri; idcirco fauebat machinationibus illius de Chriſti occiſione, ac aliis malis. Herodes autem, non de patris voluntate, ſed potiùs contra illam præſidebat, cùm ipſe nullam ei regni partem deſignaſſet, quam ab Imperatoribus Romanis obtinuit, & ideo patris malefactis non fauebat, ſicut Archelaus, qui tum ratione indolis ſuæ, tum amoris erga patrem omnia illius malefacta patrocinabatur, ac ſi malitia ipſa cum regno ei eſſet in hæreditatem data. Cùm Eliſæus 4. *Reg.*6. *num.* 32. ſederet in domo ſua, ſeu cum filiis Prophetarum, dixit eis: *Nunquid ſcitis, quòd miſerit filius homicidæ hic, vt præcidatur caput meum?* Sed quando Propheta ſanctus ſociis ſuis annuntiat malitiam Ioram Regis, de ſpiculatore ad eum occidendum miſſo, cur filium homicidæ appellat? Vt inquiunt Lyran. Carthuſianus, & alij. Nempe filium Achab dicit, qui innocenter occiderat Naboth, vt facile eſſet creditu, quòd impius Rex tantum virū, nempe Eliſæum, decreuiſſe occidere; nam ſi ipſe filius homicidæ erat; quid mirum, quòd ipſe etiam homicida extiterit, ac proinde paterna ſimul cum regno vitia ebibiſſet.

Carthuſ.

Filij parentum malitiā ebibunt.

4. Reg. 6.

Lyran. Carthuſ.

Matthæi 1. *num.* 23. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt impleretur, quòd dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

VERSIONES.

Syriacus. Quòd cùm perueniſſet, habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt impleretur id, quod dictum eſt per Prophetam.

Vatablus. Ac perfectus habitauit in ciuitate.

Arias. Et veniens commigrauit in ciuitatem.

Textus Hebraicus. Quoniam Nazaræus erit

EXPOSITIO.

30. IOSEPH in Nazareth, quæ erat in partibus Galilææ, habita diuina reuelatione venit. Et quamuis hæc ad tribum Iudæ, ex qua erat Ioſeph, non pertineret; tamen poſt reditum de captiuitate Babylonis, Tribus tantùm Iuda, Leui, ac Baniamin inhabitabant in Iudæa, aliæ verò decem Tribus in terra Medorum, ac Perſatum manſere. Vnde tres illæ commemoratæ Tribus totam terram Iuda poſſidebant, ne eſſet deſerta. de quo latè Abulenſis *cap.* 2. *Matth. quæſt.* 87. & 88. Ait Euangeliſta: *Sicut dictum eſt per Prophetas*; & nullum nominat; ex quo videtur magis ſenſus, quàm verbi teſtimonium afferre, nam Chriſtus Dominus ſæpe in Scriptura dicitur flos, germen, ſanctus. de quo *quæſtione ſequenti.*

Abulenſis.

QVÆSTIO IX.

A quibus Prophetis vaticinatum ſit Chriſtum vocandum Nazaræum.

31. SATIS difficilis eſt quæſtio; nam, vt ait D. Hieronymus in cap. 11. Iſai. *Omnes Eccleſiaſtici quærunt, & non inueniunt, vbi ſcriptum ſit: Quoniam Nazaræus vocabitur.* De quo latè expoſitores. Primò Brixianus tres diſtinguens Prophetarum claſſes, D. Matthæum hîc non citare propriè primos Prophetas, vt Iſaiam, Hieremiam, ſed interpretes Prophetarum, qui ex Scriptura colligunt Chriſtum Dominum vocandum Nazaræum. Hæc ſententia eſt improbabilis; quia Euangeliſta per Prophetas, non interpretes, ſed propriè Prophetas intelligit. Hoc indicat ille loquendi modus, *Vt impleretur*; nec enim in populo erat valde vulgare, quòd Chriſtus eſſet Nazaræus. Et ita dixerunt Iudæi: *Numquid à Nazareth poteſt eſſe aliquid boni?* Vel: *Numquid à Galilæa venit Chriſtus?* Ioann. 1. num. 46. & 7. num. 41. & 42.

Hieron.

Brixian.

Non interpretes Prophetarum.

Ioan. 1. & 7.

32. Secundò. D. Eucherius *in Geneſ.* dum de benedictione Ioſeph agit. Similiter Leo à Caſtro exiſtimant de Chriſto prædictum eſſe fore Nazaræum à Prophetis in figura. nam de Ioſeph dicitur Geneſ. 49. num. 26. *Fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos*, & Deuteron. 33. n. 16. Et de Sanſon habetur Iudic. 13. num. 7. *Erit enim puer Nazaræus ab infantia ſua.* Quæ loca, licèt in ſenſu literali, intelligantur de Ioſeph, & Sanſon, tamen in ſenſu myſtico, & ſublimiori, de Chriſto poſſunt explicari. Et ita exponit S. Eucherius. Inter fratres, hoc eſt, inter Apoſtolos. Sicut etiam in hoc ſenſu Matthæus allegat prophetias hoc *cap.* 2. *num.* 15. & *num.* 18. de quo *cap.* 7. *quæſt. vltima.* Contra hanc expoſitionem obiiciunt alij Recentiores, quòd Chriſtus Dominus non ſit dictus Nazaræus, vt Ioſeph, & Sanſon. nam ille appellatur talis per Thſade, vt obſeruat Pagninus, ex titulo crucis, quamquam Cornelius à Lapide *in cap.* 11. *Iſai. num.* 1. teſtetur, quòd diu intuens titulum in Baſilica Romæ, literas Hebraicas non potuiſſet diſcernere, Ioſeph, & Sanſon non dicuntur Nazaræi illo verbo.

Eucher. Leo à Caſt.

Geneſ. 49.

Deut. 33. Iudic. 13.

Pagnin. Cornel.

33. Tertiò. D. Chryſoſtomus *homil.* 9. *in Matth.* Euthymius,

Chryſoſt.

Euthymius. Theoph. Carthuſ.

Euthymius, Theophylactus, D. Carthuſianus tenent, Codices Prophetarum, ex quibus ſumptum eſt vaticinium è Matthæo hîc citatum, periiſſe. At valde difficile eſt, quòd citentur ab Euangeliſta libri Prophetarum, qui non extant. Quartò. D. Hieronymus *in c.* 11. *Iſai.* & hîc *in Matthæum*, Lyranus, Ianſenius exiſtimant, Euangeliſtam hîc referre vaticinium Iſai. 11. num. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* nam in Hebræo habetur, *& Nazaræus de radice eius creſcet. Nazaræus* enim, ſecundùm vim Hebraicam, florem ſignificat. Sed dices, quòd Euangeliſta citat plures Prophetas, ait enim: *Sicut dictum eſt per Prophetas*; illud autem legimus tantùm in Iſaia. Reſpondent Recentiores primò, quòd frequenter in Scriptura ponitur numerus pluralis pro ſingulari. Secundò. Textus Syriacus, qui eſt magnæ authoritatis, in quo idiomate muli ſibi perſuadent Matthæum ſcripſiſſe, habet in ſingulari: *Sicut dictum eſt per Prophetam.* Tertiò. Reſpondet Salmeron, quòd multis in locis dicitur flos, vt citato loco Iſaiæ. Et Cantic. 2. *Ego flos campi.*

Hieron. Lyran. Ianſenius. Iſai 11.

Syriacus.

Salmeron. Cant. 2.

34. Quintò. Eſt communis omnium ſententia, ipſius D. Hieronymi, D. Paſchaſij, S. Thomæ, Alberti Magni, Caietani, & aliorum, quòd Euangeliſta hîc potius attendit ad ſenſum, quàm ad verba: *Nazaræus* enim ſecundùm radicem Hebraicam ſignificat florem, vel ſanctum; omnis autem Scriptura, Chriſtum Sanctum Domini fuiſſe teſtatur. *Daniel.* 9. *num.* 24. appellatur *Sanctus Sanctorum.*

Hieron. Paſchaſ. D. Thom. Alb. Magn. Caiet.

QVÆSTIO X.

An Chriſtus Dominus dicatur Nazaræus ob virginitatis votum, & agitur de huiuſmodi voto in lege veteri?

35. QVÆSTIONE ſequenti multas dabimus rationes, ob quas Chriſtus D. *Nazaræus* dicatur; vnam nunc proferamus ex D. Chryſoſtomo *homil.* 4. *ex varijs*, quæ eſt in vigilia Epiphaniæ. ita ait. *Nazareus Dominus & Saluator noſter, tam ex loci appellatione, hoc eſt, Nazareth, quàm ex Sacramento legis nuncupatur: Nazaræi enim ſecundùm legem hi nuncupabantur, qui caſtitatem Deo inſigni voto mancipabant, nutrientes comam capitis, quos lex certa ſacrificia auferre præceperat. Quia ergo totius ſanctitatis, ac pudicitiæ author ac princeps Dominus Chriſtus eſt, qui ait per Prophetam: Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Nazaræi erant, qui ſe Deo inſigni voto caſtitatis conſecrabant. Idem tenet D. Damaſc. *lib.* 4. *fidei Orthodoxæ cap.* 25. vbi ait. *An non denique lex, ingens votum, caſtitatem nuncupauit?* Et quòd Nazaræorum votum in quibuſdam fuiſſet ad certum tempus, in aliis verò perpetuum, docent Abulenſis *quæſt.* 2. & *q.* 52. *ad cap.* 27. *Leuitici*; & Cardinalis Hugo, Lyranus, Cornelius à Lapide, ad c. 6. Numer. verſu 1. *Locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Vir, ſiue mulier cùm fecerit votum.* Nam, vt optimè explicat Caietanus *citato Numeror. loco*, tempus Nazaræatus non erat determinatum à lege, ſed à vouente. Vt ſi quis faciat modò votum per tres annos, vel per totam vitam; cùm ergo vnuſquiſque ab eo, quòd eſt ſibi in maiori æſtimatione, nomen accipiat, & quia Chriſto D. qui fons eſt totius puritatis, nihil futurum erat magis gratum, quàm quòd homo virginitatis voto ſe Deo in holocauſtum conſecraret, ideo Nazaræus eſt dictus.

Chryſoſt.

Damaſcen.

Abulenſ. Leuit. Hugo. Lyran. Cornel.

Caiet.

36. Et quia de Nazaræorum voto fecimus mentionem, non erit ab re hîc inculcare, quòd in lege veteri in aliquibus huiuſmodi dabatur votum, ſicut & religioſus ſtatus; licèt tamen ſemper per reſpectum, ac imitationem ad Chriſtum D. ac B. Virginem Mariam, tanquam ad cauſam principalem, ac exemplarem, ad cuius viuendi modum ex diuina reuelatione acceptum illi antiqui Patres ſe maximè conformari intendebant, & ita S. Methodius *homilia de Purificatione*, ſeu *de Simeone, & Anna*, *tom.* 3. ait. *Puritatis tuæ*, ſcilicet Virginis Mariæ, *Elias Propheta præſcius, atque imitator in ſpiritu cùm eſſet vitæ illius igniferæ, ſibi coronam colligauit. Te quoque eiuſdem ſucceſſor Eliſæus à ſapiente Magiſtro his ſacris initiatus, tamquam iam exiſtentē præfigurans.* Hoc poſito dico, quòd Elias, Eliſæus, ac filij Prophetarum votum virginitatis, obedientiæ, ac paupertatis emiſerūt. Hanc ſententiam docent Ioann. Hieroſolymitan. *lib. de inſtitutione Monachor. cap.* 6. 21. & 34. D. Iſidorus *lib.* 2. *de officijs cap.* 9. *num.* 19. VValdenſis *lib.* 3. *de Sacramentalibus. cap.* 89. & *lib.* 3. *Doctrinalis fidei, art.* 2, *cap.* 23. Clichtoueus *tom.* 2. *homil.* 2. Trithemius *de laudibus Carmelitar. c.* 2. D. Ioann. Suar. *Epiſcopus Conimbr. in Matth. c.* 2. *tract.* 1. Salianus *anno Mundi* 3139. Paleonidor *lib.* 1. *de. orig. Carmel. c.* 1. Velloſillus *in aduertentijs ad Theolg. quæſt.* 13. P. Iann. Carthagena *tom.* 3. *homiliar. lib.* 17. *homil.* 2. aliàs *tom.* 4. *lib.* 16. *hom.* 27. *obiectio.* 7. M. Petrus Muños *Propugnacul. Eliæ lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 2. *art.* 5. *à num.* 14. Fr. Thomas de Aquino *lib.* 1. *de Patriarch. Elia* 3. *part. ſect.* 1. M. Ægidius Camaratus, Generalis Minorum *lib. de geſtis Eliæ cap.* 6. *ſect* 8. M. Petrus Cornejo *in publicis concluſionibus habitis in cap. Generali Romæ anno.* 1613. quas adducit Petrus Sarracenus *in ſuo Monologio, in vita S. Eliæ fol. mihi* 111. Fr. Ioſephus de Siguencia *in vita S. Hieronymi, fol. mihi* 110. & 111. Petrus Lucius. *in ſuo Compendio Hiſtoriar. c.* 3. Richardus Al. *de proprietate Monach. c.* 31. Fr. Thomas de Ieſu *in Commentarijs ſuper regulam Carmelitar.* Hanc ſententiam latè docet Fr. Franſciſcus de S. Maria *tom.* 1. *Hiſtoriæ Propheticæ lib.* 3. *à cap.* 20. Qui omnes, & alij multi optimè ex factis Eliæ, ac Eliſæi hanc aſſertionem deducunt, & ego eam in multis publicis concluſionibus magno applauſu defendi.

Method.

Elias, & Eliſæus vota religionis emiſerunt.

Ioan. Hier. Iſidor. VValdenſ. Clicthou. Trithem. Ioan. Suar. Salian. Paleonidor. Velloſill. Carthagen.

Muños. F. Th. de Aq.

M. Ægid. M. P. Corn.

F. Ioſeph.

Petr. Luc. Richard. Fr. Thom. de Ieſu. Fr. Franc. de S. Maria.

37. Probatur. Primò ſtatus religioſus non datur, niſi fuerit votis firmatus. Atqui ſancti Patres, vt D. Hieronymus *Epiſtol.* 4. *ad Ruſticum*, & 13. *ad Paulin.* D. Epiphanius *hæreſi* 58. D. Gregor. Nyſſenus *homil.* 7. *in Cantica* D. Bernardus *Epiſtol ad Fratres.* Caſſianus *lib. Inſt. c.* 3. VValdenſ. *citat.* & alij Patres *citandi*, exemplo Eliæ, & Eliſæi impugnant hæreticos, ac detractores vitæ monaſticæ, & illis ſanctis Prophetis oſtendunt eſſe quid perantiquum, & vtiliſſimum Eccleſiæ; ergo in lege veteri extitit inſignis Monachatus, licèt non ea perfectione, qua in lege gratiæ, nam luce Chriſti D. ſtatus religioſus in ea totam ſuam conſummatam, & abſolutam perfectionem eſt aſſecutus: ergo ad noſtrum intentum pro illo antiquo tempore

Hieron. Epiphan. Nyſſenus. Bernard. Caſſian. VValdenſ.

pore interuenerunt vota. Aliter argumentum Patrum erit inefficax; nec enim ſancti Patres, ac Doctores argumentantes contra hæreticos ſolent impropriè loqui, vt ſumant omnino figuras pro rei veritate; non enim dicunt in lege veteri fuiſſe Sacramentum Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ſed tantùm eorum figuras, & vmbras. Atqui de Monachatu non aſſerunt typos tantùm antiquitus præextitiſſe, ſed Monachos tunc fuiſſe.

Epiphan.

D. Epiphan. citatus, *Qui ſunt Eunuchi*, ait, *qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum? Hi ſunt generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitam degentes: velut etiam Elias in veteri Teſtamento.*

Anaſtaſ.

D. Anaſtaſius Sinaita in quæſtionibus ſupra Scripturam q. 66. *Eunuchi*, ait, *qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, hi ſunt præclari Apoſtoli, Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi, & poſt iſtos, tot millia monaſticam vitam agentia: ſicut Elias, & Daniel in veteri Teſtamento, & alij multi.*

Eunuchi Ioann. & Iacob. Elias, & Daniel.

Ex quo confirmatur noſtra ſententia, quia Patres appellant Eliam Eunuchum, quod iuxta phraſim Scripturæ *Iſaiæ 56. num. 4. Matth. 19. n. 12.* ac ſanctorum Patrum, non de naturali Eunucho eſt intelligendum, ſed de ſpirituali, qui per electionem ſuæ propriæ voluntatis ſe reddit impotentem ad res venereas, ac mundanas, vt bene docet P. Muños *citato art. 5. à num. 4.* Ex multis Patribus, & Doctoribus.

P. Muños.

38\. Probatur ſecundò. Quia, vt docet D. Thomas *2. 2. quæſt. 186. art. 6. ad primum.* Ibi Caietanus, & Leſſius *lib. 2. cap. 41. num. 11.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 15.* Sanchez *lib. 5. Decalog. c. 1. num. 8.* Ad immobilitatem ſtatus religioſi requiritur, vt ſit votis firmatus; nam cùm humana conditio ſit valde inconſtans, ne mutetur exigitur, vt ſit votis aſtricta. Atqui in lege veteri cœtus filiorum Prophetarum per annos 930. ab Elia vſque ad Chriſtum Dominum perdurauit: ergo in illa lege ad ſui perdurationem huiuſmodi vota requirebantur. Probatur conſequentia, quia obligatio votorum exigitur ad immobilitatem ſtatus religioſi, atqui illa congregatio filiorum Prophetarum habuit conſiſtentiam ab Elia vſque ad Chriſtum Dominum, vt eſt certiſſimum, & tradunt Ioſeph. Antioch. *lib. de perfecta militia cap. 12.* Euſeb. Cæſarienſ. *lib. 10. cap. 5. Ioann. 44. toto ſuo libro de ſtatu Monach.* & alij multi. Ergo in illo ſtatu extitit firmitas votorum. Confirmatur, quia in lege noua, vbi gratia, auxilia, ac motiua excitantia ad bonum, ſunt in magna abundantia, ad religioſi ſtatus immobilitatem vota requiruntur. Ergo à fortiori in lege veteri, vbi in tam affluenti copia illa omnia non erant.

D Thom. Caietanus. Leſſius. Suarius. Sanchez. Ioſeph Ant. Euſeb. Cæſar.

39\. Probatur tertiò. Elias, Eliſæus, ac filij Prophetarum fuerunt Virgines, pauperes, ac obedientes, vt eſt communis ſententia. Et in lege veteri extitit virginitatis votum, vt dixi de Nazaræis, & etiam de quibuſdam aliis docent Abulenſis *Numeror. 30. quæſt. 11. & 12. & 29.* ibidem Lorinus *verſu 3. & 4.* & alij. Et illi antiqui Patres, vt notat Franciſcus Coſterus *Dom. 1. poſt natiuitatem*, intelligebant opus pium ex voto factum longè melius eſſe, Deoque magis placere, quàm ſine voto, & ideo multoties vouebant, & aliunde Elias fuit præſcius, & imitator puritatis Virginis, vt ait D. Methodius *citatus*. Ergo nihil obſtat, vt dicamus habuiſſe virginitatis votum. Confirmatur; quia ex eo communis ſententia, vt videre eſt apud Suar. *tom. 2. ad 3. part. diſp. 24. ſect. 6.* tenet Baptiſtam habuiſſe huiuſmodi votum, quia viam duxit perpetuò cælibem, & ſolitariam, & Patres eum monaſticam vitam egiſſe docent; ſed hæc omnia militant etiam in Elia: ergo idem dicendum eſt. Nec imperfectio legis veteris obſtat, quia multo illuſtrior eſt actus martyrij, quàm emiſſio voti, & tamen ille extitit in lege veteri; ergo etiam tunc fiebat votorum emiſſio. Et hanc ſententiam de votis, ac Monachatu in lege veteri liberè poſſe euulgari indicatum eſt à ſupremo Senatu ſanctæ Inquiſitionis Madriti hoc præſenti anno 1639. die 9. Decembris. Et loquimur hîc de votis ſecundùm ſe; nam ſolemnitas voti, ſicut & excellens poteſtas clauium, propria eſt legis gratiæ, quibus modò, cum omnimoda ſua perfectione, ac integritate ſtatus religioſus eſt firmatus.

Abulenſis. Lorinus. Coſterus. Method. Suarius.

QVÆSTIO XI.

Quare Chriſtus dicatur Nazaræus, & non Bethleemites?

40\. CHRISTVS natus eſt Bethleem, in Nazareth educatus, & tamen à Nazareth nomen accepit, quod patet ex multis locis. Sic Iudæi in horto dixerunt: *Ieſum Nazarænum*, Ioann. 18. num. 7. In titulo Crucis poſitus eſt, *Ieſus Nazarænus*, Ioann. 19. num. 19. Marc. 1. num. 24. & Marc. 16. num. 6. Quare ergo ſic dictus? Reſpondetur primò ex D. Bernardo de Paſſione Domini cap. 43. de odore florum vitis. *Nazaræus*, ait, *florent interpretatur. Quid enim iucundius flore? Multi autem, imò omnes, ideſt, omnium virtutum flores in noſtro Nazaræno ſunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit poſt ſe.* Chriſtus Dominus verus princeps, ac Rex veniens in mũdum, Nazaræus voluit nominari, ſignificans, non aſperitate, ſed odoris, & florum ſuauitate ad ſe mundum totum eſſe trahendum. Secundò. Ex D. Thoma 3. part. q. 34. art. 7. ad 2. *Chriſtus*, ait, *florere voluit ſecundùm virtuoſam conuerſationem, non ſecundùm carnis originem; & ideo in ciuitate Nazareth educari voluit, & nutriri, in Bethleem voluit quaſi peregrè naſci.* Quamuis Chriſti generatio ſit altiſſima à Patre, non tamen à Bethleem, vbi naſcitur, nomen habet, ſed tantùm à Nazareth, virtuoſam ſignificante conuerſationem, quæ in noſtra actione conſiſtit, denotans Chriſtus, ſe de illa maximè gloriari, cùm eius interuentu, proprióque merito gloriam à Patre conſtitutam comparaſſet.

Bernard. D. Thom. *De merito gloriandum.*

41\. Tertiò. *Nazaræus* nuncupatur, quod idem valet, ac floridus, floréſque ſignificat, quod nomen, dum corona ſpinea redimitus in Cruce pendebat, ei peculiariter datur, in tituloque ſcribitur. Quomodo ergo inter ſpinas, & tribulos floridus apparet? Talis eſt princeps, & Rex noſter Ieſus Chriſtus, vt dum ſibi ſpinas elegit, nobis gratiæ, ac ſalutis communicet, donétque flores. Et ita vidi citari D. Bernardum ab aliquibus doctiſſimis Recentioribus, quamuis locum non inuenerim, ſic dicentem: *Cùm enim Chriſtus in Nazareth concipitur, iam hyems tranſit, tempus innouationis aduenit, fructus appropinquauit, coronans peccatores aduenit.* Quartò. In Nazareth concipitur Chriſtus, ibiq; in tantũ eſt eius ſanctiſſima humanitas ſublimata, vt in primo ſuæ conceptionis inſtanti Deo ſubſtan-

Chriſtus ſibi ſpinas, nobis dat flores. Bernard. *Qui primo fauẽt ad promotionem noſtram veniendi.*

ſubſtantialiter fuerit vnita. In Bethleem naſcitur, diuino tamen conſilio *Nazaræus* vocatur, docens, illos eſſe maximè venerandos, qui primordiis noſtris, promotionique ad dignitatem, & honorem ſeruierunt; ac ideo primò omnium Nazareth Chriſtus prædicare cœpit, vt notat Boſtrenſis *ad cap. 4. Luc.*

42\. Quintò D. Paſchaſius, *Nazaræus*, ait, *Sanctus Sanctorum nuncupatiuè dicitur. Quô enim rectius nutriretur, quàm in Nazareth, ex qua nomen daretur, quod eſſet indicium, quia eſſentialiter ipſe ſanctitate nutritus rectè ſit appellandus.* Cum multis aliis nominibus, vt Deus fortis, princeps pacis, pater futuri ſæculi potuerit appellari, dicitur tamen *Nazaræus*, quo exprimitur ſanctitas eius, vt denotet, quantum illa gloriatur. Vide *lib. 1. cap. 5. num 150.* Ratio ſexta eſt ex D. Chryſoſtomo *homil. 9. in Matth.* Dixerat Nathanael, Ioan. 1. n. 46. *Numquid à Nazareth poteſt eſſe aliquid boni?* Et Ioan. 7. num. 41. *Vide, quoniam Propheta à Galilæa non ſurgit. Verùm ille tamen: ne inde quidem erubeſcens vocari oſtendit, quòd nullius, quæ ſecundùm hominem magna videntur, indiget.* Chriſtus Dominus magnus, & Altiſſimi filius, omnemque nobilitatem ex ſe habens, valde contemptibile apud homines Nazaræi nomen ſibi optauit, vt denotetur, quòd omni eſt ſuperior mundi gloria. Septimò. Abulenſis *q. 99.* exiſtimat, Chriſtum vocari à Iudæis Nazaræum ex errore, quia putabant eum natum Nazareth; hoc tamen nomen, quod ex errore Iudæorum eſt introductum, alto Dei conſilio, vt ita vocaretur, diſpoſitum fuit.

Paſchaſ. *Deus maximè gloriatur de ſanctitate.* Chryſoſt. Ioann. 1. & 7. *Chriſtus ſuperior omni gloria mũdi.* Abulenſ.

43\. Octauò Nazareth locus minimus erat, & apud Iudæos Nazaræi nomen valde ignobile, vt notant D. Chryſoſt. *citatus ſuprà*, D. Bernardus *Epiſt. 77.* Et ita dicebant Iudæi, *Nunquid à Nazareth poteſt eſſe aliquid boni?* Et Ioan. 7. n. 52. *Dixerunt: Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurget.* Vnde Iudæi, velut per contemptum Chriſtianos Nazaræos appellarunt, vt aduertit Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem c. 7.* Nomen hoc adeò contemptibile ſibi Chriſtus aſſumit, qui mundi fortia confundit humilibus. Vel: Multa, quæ habet, glorioſa nomina ſuis imponenda relinquit, ſibi verò ſtatim in infantia vile hoc apud homines Nazaræi nomen coaptauit. Semper Chriſti ingenium ad humilitatem euolauit; vt notant D. Auguſtinus *tract. 36. in Ioannem.* D. Bernardus *ſerm. 11. in Cantic.*

Chryſoſt. Bernard. Ioann 7. Tertull. *Chriſtus ad humilitatem euolat.* Auguſt. Bernard.

44\. De Chriſto Domino ait Iſaias 9. n. 6. *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Duo nominum genera deſcribit Propheta in Chriſto Domino, quòd ſit paruulus, filius, & habeat principatum in humero, per quem crucem, & paſſionem intelligunt D. Hieronymus, D. Cyrillus, D. Thom. Alia nomina ſunt, *Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis*, &c. In his tamen hoc vtitur diſcrimine; nam prima de præſenti pronuntiat; *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.* Secunda in futuro apponit, *vocabitur nomen eius Admirabilis*, &c. Quænam huius diuerſitatis ratio, cùm hæc ſecunda ei ab æterno ratione diuinitatis maximè conueniant? Nulla alia, niſi Chriſti Domini ingeniũ. Ad illa, quæ paruitatem, humilitatemque ſonabant, Saluator citiſſimè euolauit, quæ magnitudinem dicebant, & excellentiam, aliis in futurum diuulganda relinquit. Vaticinatur de Chriſto Regius Vates Pſalm. 68. num. 30. *Ego ſum pauper, & dolens*, & Pſal. 21. n. 7. *Ego ſum vermis, & non homo.* De ipſo pronuntiat Iſaias 62. n. 2. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit, & eris corona gloriæ in manu Domini.* Sed quomodo vterque Propheta diuino afflatus Spiritu, Dauid de ipſo loquitur in præſenti: *Ego ſum vermis*; Iſai. in futuro, *Vocabitur tibi.* D. Hieron. in Pſalm. 21. *De humilitate aſſumpti corporis eſt ſermo.* Et ſtatim, quæ de abiectione agunt, & humilitate, Chriſtus amplectitur, quæ verò maieſtatem, & celſitudinem præ ſe ferunt, aliis danda committit.

Iſai. 9. Hieron. Cyrill. D. Thom. Pſalm. 68. Pſalm. 21. Hieron.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm Chriſtus Dominus fuerit re vera Nazaræus?

45\. DVPLICITER potuit ſumi *Nazaræus*, vel prout legalis, vel prout naturalis à loco Nazareth. Legalis deſcribitur *Numer. 6. n. 5.* Et poſt memoratum votum eorum dicitur. *Quid ex vinea eſſe poteſt ab vua paſſa vſque ad acinum, non comedet omni tempore ſeparationis ſuæ, nouacula non tranſibit per caput eius vſque ad completum diem quo Domino conſecratur. Sanctus erit creſcẽte cæſarie capitis eius. Omni tempore conſecrationis ſuæ ſuper mortuum non ingredietur.* Chriſtum Dominum Nazaræum fuiſſe legalem, tenet Euſebius Cæſarienſis *lib. 7. de Demonſtratione Euangel. c. 1.* Probatur; quia in textu dicitur, *Nazaræus vocabitur*; ſeu, vt habet textus Hebraicus, *Nazaræus erit.* Secundò. Chriſtus Dominus oblongam habebat cæſariem, vt teſtatur Nicephor. *li. 1. c. 4.* Baronius, & alij. Et hoc erat proprium ſignum Nazaræi legalis; ergo talis erat Chriſtus Dominus.

Numer. 6. Euſebius. Niceph.

46\. Nihilominus communis, & vera ſententia quod Chriſtus Dominus legalis non extitit Nazaræus, ſed ſic eſt appellatus à loco, in quo educatus eſt. Reſolutio eſt de mente ſanctorum Patrum, prout docent, Chriſtum dici Nazaræum à loco Nazareth. Probatur; quia Chriſtus Dominus legalis Nazaræi ritum non obſeruauit, nam vinum bibebat, vt ex multis Euangelij locis colligunt Patres, & infrà dicemus, ad mortuos ingrediebatur; ergo non fuit Nazaræus legalis. Quòd verò cæſariem Chriſtus habuerit, nihil inde colligitur; quia etiam Abſalon eam habebat, & Nazaræus non erat, ſiquidem eam ſingulis tondebat annis, 2. *Regum 14. n. 16.* Dicitur ergo Chriſtus Dominus Nazaræus à loco.

Vera ſententia.

CAP. X.

Puer Ieſus inter Doctores.

Lucæ 2. n. 41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem die ſolemni Paſchæ.

VERSIONES.

Syriacus. Et homines parentes eius, quotannis adibant Ouriſchlem in feſto Pezecho.

Vatablus. Proficiſcebantur autem parentes eius.

Origenes homil. 19. Iuxta conſuetudinem ad ſolemnem diem Paſchæ.

EXPOSITIO.

1\. DIuus Lucas ſuam narrationem proſequitur, de *Nazareth*, quæ flos interprretatur, iuxta legis præceptum, de quo *quæſtione ſequenti*, cum parentibus ad templum Hieroſolymitanum ſingulis annis Chriſtus ibat. Vnde ait eleganter D. Bernardus homilia in infra octauam Epiphaniæ. *Credo de floribus Nazareis ad fructus Hieroſolymiticos aſcendiſſe.* Cùm iam fructuum tempus eſſet, cum parentibus ad templum ibat, ad quod aſcendebant, vt ait Hugo, non ad conuerſandum, ſed ad orandum, ac ſacrificandum Deo.

Bernard.

Hugo.

QVÆSTIO I.

Quæ obligatio ex præcepto erat, vt Chriſti parentes ad templum irent?

2\. VIri omnes tripliciter per annum Hieroſolymitanum tenebantur aſcendere templum. Præcepit enim Deus Exod. 23. num. 16. & 17. & cap. 37. num. 23. ac Deuteron. 16. num. 16. *Ter*, ait, *per annum apparebit omne maſculum in conſpectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus.* Nimirum Paſcha fiebat in memoriam liberationis ex Ægypto, *Exod. 12. à num. 1.* Pentecoſtes in memoriam legis datæ, *Deuter. 16. à n. 9.* Scenopegia, ſeu feſtum tabernaculorum in memoriam habitationis in deſerto per quadraginta annos, *Leuit. 23 num. 34.* Et his omnibus feſtis omnium celeberrimum erat Paſcha. Vnde per antonomaſiam à noſtro Euangeliſta dicitur hic dies ſolemnis. Et etiam *Ioann. 19. n. 31.* dies magnus appellatur. Et lex in his omnibus feſtiuitatibus viros ſolùm comprehendebat: *Apparebit omne maſculum.* Si verò quæras, quare fœminæ hac lege non cogerentur? Tripliciter reſpondet Oleaſter. Primò. *Tamquam pius, & miſericors hoc fieri voluiſti: ne ſcilicet ſexus infirmior longo itinere grauaretur.* Secundò. *Aut quia non ignoramus, deuotũ ſexum hoc ſine præcepto facturum.* Tertiò. *Fœmineũ genus decet, non hinc inde diſcurrere, etiam pietatis, aut religionis prætextu.* Deinde, quia vir, vt caput profitebatur in templum.

Exod. 23. & 39. Deuter. 16.

Ioan. 19.

Oleaſt.

Mulier ne egrediatur à domo.

3\. Dubitabis: Quomodo lex iuberet, vt omnes viri Hieruſalem adirent, & deſertas cum fœminis relinquerent domos, vt facilè ab hoſtibus diriperentur? Huic difficultati occurrit Dominus Exod. 34. num. 24. *Cùm tulero gentes*, ait, *à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno.* Ac ſi dicat Dominus, vt ait Abulenſis *ibi* ex D. Auguſtino *q. 161.* ne metuas hoſtes, cùm obedis legi meæ, quaſi illi te abſente, vrbes maſculis, & bellatoribus vacuas inuaſuri ſint: ego verò illos frænabo, & diuertam, vt eas nec concupiſcant, nec de illis cogitent.

Exod 34.

Abulenſ. Auguſt.

QVÆSTIO II.

De parentibus Chriſti ad templum euntibus.

4\. TRia hîc à nobis breuiter ſunt inquirenda. Primò. An Beatiſſima Virgo cum Ioſeph aſcenderit ſemper poſt regreſſum de Ægypto? De ſolemnitate Paſchali expreſsè affirmat hîc Euangeliſta. *Ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem in die ſolemni Paſchæ.* Nam Beatiſſima Virgo, quamuis lege non obſtricta, ſemper tamen quæ religionis, ac obſequij Dei erant, adimplebat; & hæc ſolemnitas Paſchalis maximè à Virgine venerabatur, quia myſterium ſacræ Euchariſtiæ ibi repræſentabatur. Secundò. An per ſingulos annos ter Ioſeph ad templum iret? Negat Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Hugo, & alij recentiores, exiſtimant enim, cum illis, qui longiùs habitabant, fuiſſe diſpenſatum; ſicut cum quibuſque morbo laborantibus, vt tantùm in ſolemnitate Paſchali venirent, hac enim die excuſabatur nullus. Nazareth verò à Hieruſalem diſtabat per ſpatium itineris circiter trium dierum. Tamen communiter Recentiores, Beaulxames, Maldonatus, Toletus, quibus ſubſcribo, tenent, quòd per omnes annos ter aſcenderit cum Beatiſſima Virgine, hoc videtur conformius eius pietati, ac deuotioni, nam ſi ad ſolemnitatem Pentecoſtes ex omni mundi parte confluebant omnes nationes, vt patet *Actorum 2. n. 9.* & refert Philo teſtis oculatus *lib. 2. de Monarch.* Quomodo Virgo, & Ioſeph, qui omnibus erant ſanctiores, & in loco vicino morabantur, non aſcenderent? Deinde, quia Virgo ſemper in operibus ſupererogationis maximè abundabat. Si verò Euangeliſta hîc tantùm exprimit, aſcendiſſe in ſolemnitate Paſchali, ex eo eſt, quia hoc tantùm ad hiſtoriam pertinebat, quam narrare intendebat: de aliis verò ſolemnitatibus non negat. Deinde, quia ad Paſchale feſtum erat peculiaris affectus in Virgine, ob Sacramentum Euchariſtiæ, quod ibi repræſentabatur. Tertiò quæro, An puer Ieſus in omnibus ſolemnitatibus cum parentibus ſuis ſemper aſcenderit? Affirmant cum probabilitate magna Iuuencus, Beda, D. Dionyſius Carthuſianus. Ne vtroque parente eunte in Hieruſalem, puer ſolus remaneret.

Lyran. Carthuſ. Hugo.

Beaulxam. Maldon. Tolet.

Philo.

Virgo peculiariter affecta ad Euchariſtiam.

Iuuencus. Beda. Carthuſ.

4\. Euſeb. Emiſſen. *homil. in infra Octauam Epiph.* ita eleganter ait. *Religioſi parentes per annos ſingulos ibant in Hieruſalem, vt legem audirent, ſacrificijs participarent, & eius adhuc vmbræ ſeruiebant, cuius iam venerabantur veritatem. Tota enim illa ſolemnitas Chriſti paſſionem, & reſurrectionem, & cætera, quæ de eo ſcripta ſunt, ſignificabat. Erat igitur ſimul cum cæteris Ieſus in ſolemnitate, qui totius erat cauſa ſolemnitatis.* Et poſtea ſubdit: *Mater quoque eius multa ibi in lege, & Prophetis cantari audiebat, quæ de ipſa dici intelligebat, qualia ſunt: Ecce Virgo concipiet: Egredietur virga. Meritò igitur per annos ſingulos illuc veniebant, vbi ſuas laudes ab omni populo prædicari audiebãt.*

Euſeb.

Beatiſſima Virgo cum puero Ieſu in templo laudes ſuas ab omnibus celebrari non elata percipiebat, ſed potiùs modeſto, ac conſtanti animo audiebat, ac gratiſſimo animo erga Deum omnia illa recolebat.

Magna virtus conſtanti animo laudes audire proprias.

6\. Magna, & mira ſunt præconia quæ de dilecta ſua ſponſus celebrat Cantic. 6. num. 3. *Pulchra es, amica mea, ſuauis, & decora, omnes eam beatiſſimã prædicauerunt.* Tandem de ipſa ait, *Quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* At verò quid ad hæc dicat ſponſa? *Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem, ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica, & neſciui. n. 10.* Dum tot, tantaque mirabilia de ſe videt publicari, reſpondet anima ſancta, vt explicat D. Thomas, S. Ambroſius: *Deſcendit in hortum meum*; conſiderationem ad me ipſam conuerti, vt inſpicerem virtutes humilitatis, charitatis, ac dilectionis proximi. *Et neſciui*, ait. Ita in ſuarum virtutum, laudumque præſentia, dimiſſo, ac modeſto ſe habebat animo; ac ſi illa de ſe neſciret, & nihil in ſe videret, neque audiret. Philo Carpathius ſic ait: *Caſtiſſima ſponſa, & quæque fidelis anima diuina gratiæ ſuauitate, & ſuperna cognitione repleri ſolet, vt extra ſe poſita, quid ſenſerit, vbi fuerit, quove torrente diuinæ voluptatis potata ſit, ignoret, & id ſe ſe neſcire prorſus, & apertiſſimè fateatur.* Locum, vt mortuã poſſit ſepelire Saram, à filiis Het Abrahamus poſtulat, à quibus ei dicitur: *Audi nos domine, princeps Dei es apud nos*, Geneſ. 23. n. 6. *Tunc Abrahamus ſurrexit, & adorauit populum terræ, & ait illi: Intercedite pro me apud Ephron.* Sed cur nunc modeſtius ſe habet, quàm antea, dum ita ſublimatur, vt princeps Dei dicatur? Quia magnanimi eſt, ſuis laudibus, atque encomiis non labefactari, ſed viriliter ac ſubmiſſione ſtare. Et ita ait Philo de eo, *dum extollitur, humiliatur.*

Cantic. 6.

D. Thom. Ambroſ.

Phil Carp.

Geneſ. 23.

Philo.

QVÆSTIO III.

Quomodo Chriſti parentes cum puero tendant in Hieruſalem, cùm ibi regnaret Archelaus?

7\. VT patet ex ſuperiori capite, & narrat Matthæus 2. *num.* 22. Cùm Ioſeph tenderet cum puero in Hieruſalem, & audiſſet quòd ibi regnaret Archelaus, *timuit illuc ire*; de quo latè ſuperiori *capite* 8. Quomodo nunc cum puero tendit in Hieruſalem, adhuc Archelao regnante? Dupliciter reſpondet D. Auguſtinus *tom. 4. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 10.* Et primò, quòd parentes venerunt in Hieruſalem cum puero poſt Archelaum à Romanis in Galliam relegatum. At hæc ſolutio non eſt multum firma, vt tradit Ioſephus *lib 7. Antiq. cap. 15.* Nam Archelaus regnauit in Iudæa decem annis poſt mortem patris ſui Herodis, & ſic à regno expulſus eſt circa decimumſextum ætatis Chriſti annum; quæ autem hîc narrat Euangeliſta, facta anno duodecimo ſunt.

Math. 2.

Auguſt.

Ioſeph.

8\. Secundò. Reſpondet D. Auguſt. *Fieri poterat, vt per diem feſtum inter tam ingentem turbam latenter aſcenderent, mox reuerſuri: vbi tamen alijs diebus habitare metuerint, vt nec ſolemnitate prætermiſſa eſſent irreligioſi, nec continua manſione conſpicui.* Et poſtea ſubdit: *Ita timebant parentes pueri habitationem in Hieruſalem, vt tamen propter Dei timorem, feſtiuitatem ſolemnem non prætermitterent, in qua latere facillimè poſſent.* Timorem Dei timori hominis parentes Chriſti præferebant, & ideo ad diem ſolemnem veniebant, ne à communi conſuetudine diſcederent; ac proinde ad euitandam ſingularitatem, cum omni multitudine, cum qua facilè abſconderentur, veniebant. Et hæc ſolutio eſt optima.

Auguſt.

Singularitas vitanda.

9\. Tertiò. Reſpondet Zacharias Epiſcopus. *Tot, & tantis occupationibus regia cura diſtendi poterat, vt à pueri inquiſitione vel auerteretur, vel impediretur Herodes. Regnante verò Archelao de perſecutione pueri omnes tacuerunt. Quod ergo Lucas dicit, per omnes annos ibant in Hieruſalem, tunc accipimus factitatum, cùm iam non timeretur.* Abulenſis verò *cap. 2. Matth. quæſt.* 83. in ea eſt ſententia, vt dicat, quòd, quia fama aduentus Meſſiæ à Magis diuulgata erat iam inueterata, ideo tunc cum puero aſcendere non timuerunt. Et hi duo authores ſunt in ea ſententia, quòd puer non ſemper cum Ioſeph Hieruſalem aſcenderit. Tamen ſuperiori quæſtione probabilius contrarium iudicauimus.

Zachar.

Abulenſis.

10\. Quartò, & moraliter ita ſolui poteſt quæſtio. Quamuis Ioſeph cum puero in eadem ciuitate, & loco cum Archelao habitare timuerit, minimè verò in diebus Paſchæ, cùm Euchariſtici panis typus paſchalis agnus immolabatur, cui eſt valde peculiare vires miniſtrare, timorem excutere. Ait Iſaias 33. num. 16. *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius. Panis ei datus eſt.* Seu, vt legunt Septuaginta, *Habitabit in excelſa ſpelunca petræ fortiſſimæ.* Et Vatablus, *Munimenta ſaxorum aſylum eius.* Vbi iuxta ſententiam ſanctorum Patrum, Diui Hieronymi, D. Cyrilli. D. Thomæ, ſermo eſt de iuſtis, ac ſanctis; & tunc Propheta eorum ſublimitatem, munimentum, ac aſylum cognoſcit, cùm cæleſtis adeſt panis. Procopius relatus in Gloſſa. *Eccleſiæ incolis, panis vitæ Chriſtus, ipſe à Patre, vnde ſumentibus omnis manat ſecuritas.* In hoc enim Sacramento maximè oſtenditur Dei fortitudo, quæ ſuos protegit, atque defendit. Victori Abrahamo à cæde quinque Regum obuius fuit Melchiſedech, de quo dicitur, *Erat Sacerdos Dei Altiſſimi*, Geneſ. 14. num. 18. Vbi ita acutè loquitur Caietanus. *Nominatur Deus hîc, El, tertium eſt hoc nomen Dei, hactenus ſiquidem nominatus eſt à Moyſe, vel Elohim, vel Iehouah: modò incipit nominari, El, ſignificans fortem, & appropriatur Deo, tamquam antonomaſticè forti: in litera tamen adiungitur, excelſo, ad explicandam celſitudinem diuinæ fortitudinis ſuper omnium fortitudines.* Dum anteà de creatione, ac diuinæ maieſtatis oſtenſione erat ſermo, dicebatur Elohim, id eſt, Deus iudex; vel Iehouah, hoc eſt, omnipotens; El autem, id eſt, fortis, appellatur, vbi primùm ad figuram deuentum eſt Euchariſticam; in hoc enim Sacramento totum relucet robur, & diuina in cuſtodiendis protegendiſque ſuis apparet fortitudo.

Euchariſtia timorem excutit.

Iſai 33.

Septuag. Vatablus.

Hieron. Cyrillus. D. Thom.

Procop.

Geneſ. 14. Caiet.

QVÆSTIO IV.

Quare Chriſtus Dominus in templo manifeſtetur in feſto Paſchali?

11\. VT patet ex quæſtione prima, cùm in triplici ſolemnitate omnes ad Hieroſolymitanum templum irent, & Chriſtus Dominus vnà cum parentibus, vt conſtat ex quæſtione ſecunda, ter ad illud aſcenderet. Cur igitur non in feſto Pentecoſtes, vel Tabernaculorum, ſed in Paſchali tantùm ſe manifeſtat? Reſpondetur primò. Manifeſtatur in ſolemnitate Paſchæ, quæ celebrior, ad eámque hominum maior fiebat concurſus: nullus enim etiam è longinquo excuſabatur. Nam, cùm Chriſtus Dominus Rex, & Meſſias eſſet verus, ſui notitiam non in abſcondito, & occulto dare, ſed in die maximè publico, atque ſolemni incipere voluit; veritas nāque angulos odit.

Deus in Euchariſtia cōfert beneficia.

12\. Secundò. In feſto Paſchæ diuinæ Euchariſtiæ figura paſchalis immolabatur agnus; & Chriſtus Dominus vbi tanti Sacramenti vmbram vidit, ſe cohibere non potuit, quin ſuauiſſimos doctrinæ, ac beneficentiæ ſuæ diffunderet flores. Anima ſancta ſæpe ſæpiùs in præſentia, in eodemque loco cum dilecto reperitur ſuo: *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Cantic. 1. num. 3. *Et in cubiculo matris ſuæ,* Cantic. 3. num 4. *In horto cum ſuo dilecto,* Cantic. 5. num. 1. At verò quando ait: *Introduxit me Rex in cellam vinariam;* tunc tantùm de ſe ait: *Ordinauit in me charitatem.* Cantic. 2. num. 4. Per *charitatem* autem ibi intelligitur omne bonum, omniſque diuini amoris acies; vt latè explicat Ghiſlerius *ibi expoſitione prima.* Et textus Hebraicus habet: *Et vexillum eius ſuper me Charitas.* Sed quare omne ſponſæ diuinum bonum, omnis Dei amor, charitatiſque vexillum in cella vinaria cōmunicatur tantùm? Per cellam vinariam intelligitur corporis, & ſanguinis myſterium, vt tradunt D. Gregorius Nyſſenus *homil.* 4. Philo Carpath. & alij. Licèt igitur multis anima ſancta diuinis beneficiis fuerit affecta, numquam tamen omnem diuinorum beneficiorum. Deique amoris aciem eſt experta, niſi cùm ad ſacræ Euchariſtiæ vmbram introducta; tunc eſt bonorum cæleſtium in eam diffuſum torrens.

Cantic. 1. 3. & 5. — Cant. 2. — Ghiſler. Text. Hebr. — Nyſſen. Carpath.

Lucæ 2. n. 42. Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti.

VERSIO.

Syriacus. Quumque eſſet filius annorum duodecim, aſcenderunt, prout conſueuerant in feſto.

EXPOSITIO.

13\. SENTENTIA hæc terminatur in illo, *Remanſit puer Ieſus.* Et hoc magnæ humilitatis eſt, quòd cùm filius Dei eſſet in forma ſerui, in templum, vt homo, ad orandum, ac ſacrificandum venit. Vnde ait Beda homilia infra octauam Epiphaniæ, *Fecit ergo Dominus inter homines homo natus quod faciendum hominibus per Angelos imperauit Deus.* Ac ſi dicat. Quòd mandauit vt Deus, ipſe etiam quando homo, ac inferior exequitur. *Annorum duodecim.* Ob ſalutem noſtram temporis motas ſuſtinere non poteſt, ſed ſe ipſum manifeſtare, tempuſque Meſſiæ aduentus incipit oſtentare. *Aſcendentibus illis.* Cùm ad Dei templum pergunt, dicuntur aſcendere, *ſecundùm conſuetudinem diei feſti.* De quo proximè dictũ eſt ſuperioribus quatuor quæſtionibus.

Beda.

QVÆSTIO V.

Quare Chriſtus Dominus duodennis ſe manifeſtet?

14\. CHRISTVS Dominus ſingulis annis à Nazareth in templum cum ſuis ſemper aſcendebat parentibus, vt reſolutum eſt *quæſt.* 2. Cur duodecim annorum elegit ætatem, & non maiorem, vel minorem, ad ſe ipſum declarandum, & tunc inter Doctores interrogans, & audiens eos, apparet? Reſpondet primò Lyranus, *Vt à pueritia oſtendat zelum ſuum circa ſpiritualia.* Brixianus ſic ait: *Fuit hoc maximum, diuinúmque conſilium, vt poſt miracula, quæ in Domini infantia ſunt declarata, etiam duodennis ſe oſtenderet, ac Doctores interrogaret, proculdubio de Chriſto, & tempore aduentus illius, vt cùm factus iam vir prædicaret, poſſet faciliùs ex ijs, quæ præceſſerant, agnoſci quis eſſet.* Quaſi tunc cœperit ſapientiæ ſuæ theſauros diffundere, ne facta in natiuitate miracula, dicta à paſtoribus, Magis, Simeone, & Anna obliuioni darentur, quæ enim longa temporis intercapedine diſtant, è memoria facilè excidunt; quòd in negotiis magni ponderis maximè eſt cuitandum. Deinde, ne poſtea ſine vllo indicio ſapientiæ ſuæ, cùm eſſet triginta annis, ſubitò ad docendum prodiret. Vide ſuprà *cap.* 9. *num.* 7. At licèt rationes hæ congruentiam declarent, ob quam Chriſtus Dominus notitiam ſui in infantia præberet; non probant tamen, cur potius duodecim annoruum, quàm alterius temporis ſit articulus determinatus.

A pueritia zelus circa religionem. — Lyran. — Brixian. — *Magna non ſubitò facienda.*

15\. Primò. Gloſſa Interlinealis hunc duodecim annorum numerum refert ad duodecim Tribus; ac ſi denotetur, quòd per Chriſtum Dominum eſſent ſalutem aſſecuturæ. Secundò. D. Ambroſius hîc, *A duedecimo,* inquit, *anno, vt legimus, dominicæ ſumitur diſputationis exordium; hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur.* Similiter Beda, *Ætas autem duodennis typus erat duodecim Apoſtolorum, per quos Diuinitas, & humanitas eius erat per orbem nuntianda. Rectè ergo in duodenario numero iubar perfectionis incipit declarari.* Quia per duodecim Apoſtolos erat manifeſtandus, ideo ea ætate ſe ipſum notum præbet. Et quia per duodecim Apoſtolos tota orbis ſapientia erat ſubiicienda, ideo duodecim annis natus legis Doctores ſubiugare decreuit.

Gloſſ. Interl. — Ambroſ. — Beda.

16\. Tertiò. Gloſſa Ord. *Non enim,* inquit; *indicium ſapientia trãſcendit ætatis menſuram, ſed quo tempore penes nos ratio perfici conſueuit, duodecimo ſcilicet anno Chriſti Domini ſapientia demonſtratur.* Et optimè ſanè. Similiter D. Bonauentura Duodecim annorum ætatem Chriſtus Dominus expectat, cùm rationis iudicium perfectè viget, vt ætati condeſcendat, multorum coërcens petulantiam, qui ante tempus prædicare, vel docere intendunt. *Vbi ergo ad hanc ætatem diſcretionis, ſcilicet duodecim annorum, venit,* ait Zacharias Epiſcopus, *tunc cœpit aperire, quid Patri cœleſti deberet, quid terrenæ matri.* In ſui obſequium non vult Deus inuerti debitum ordinem, ſed vt proportionatè, ac congruenter omnia fiant; ideoque cùm in aliis illuceſcere rationis incipit vſus, ipſe in conſpectu populi ad diuina, ad Patriſque obſequium ſe applicat.

Gloſſa. — Bonauent. — *Conſuetus modus retinendus.* — Zachar.

17\. Quartò. D. Baſilius relatus *in Catena,* Beda, Haymon, & alij, *Duodenario numero,* ait, *rerum, vel temporum vniuerſitas, ac perfectio deſignatur. Atq; ideo quo omnia loca, vel tempora doceat occupari, rectè à duodecimo numero iubar Chriſti ſumit exordium.* Ita Sanctus Baſilius. Cuius intelligentiæ lucem dabit Ioannes Apoſtolus *in Apocalypſi c. vlt. n.* 2. vbi in illa cæleſti ciuitate, ait, *Erat flumius aquæ vitæ, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos.* Lignum vitæ, teſte Diuo Chryſoſtomo *homil.* 61. *ad populum,* Chriſtum Dominum ſignificat. Duodenarius autem numerus vniuerſitatem exprimit. nam annus duodecim clauditur menſibus; & ita duodecim fructus, vt explicant Primaſius, Andreas Cæſarienſis, omnem fructum, & bonum inſinuat; qua Chriſtus Dominus per omnem ætatem, & tempus ſalutiferum fructum vitæ, gratiæ, ac doctrinæ communicaturus erat. Et ideo ad hanc declarandam vniuerſitatem, duodecim annis natus ſe ſe ipſum incipit manifeſtare.

Baſil. Beda. Haymon. — Chryſoſt. — Primaſius. Andreas.

QVÆSTIO VI.

Quare Chriſtus duodecim natus annis doceat, Abrahamus verò quatuordecim?

18\. ABRAHAMVS, vt teſtatur Suidas apud Salianum, *natus annos quatuordecim, Dei cognitione illuſtratus, patrem idola fingentem his verbis commonuit. Quid ſeducis homines ob pernicioſum lucrum, hoc eſt, ob imagines? Itaque cùm videret homines creaturæ cultum deferentes, magno labore oberrans verum Deum animo religioſo exquirebat.* Abrahamus celebris typus Chriſti Domini quatuordenus ſenes docet. Sed cur figura non componitur figurato? Cur vterque non eadem ætate de cæleſti regno maiores inſtruit? Chriſtus Dominus in ſuorum remedium eſt adeò promptiſſimus, vt licèt in aliis præfiguratus ſit in maioribus ſuis, in his tamen, quæ ad noſtram pertinent ſalutem, nec in vmbra, & figura moras vnius hominis ſuſtinere ſinat, neque in hoc cum eo aliquis valeat comparari. Ideo cùm eſſet duodecim annis natus, tempus iam diſcretionis, vt ſuperiori quæſtione ex Patribus dixi, anticipatè ad Abraham prædicare hominibus incipit, ſemper enim in cauſa noſtra aliorum ſtudium Chriſtus præuenit.

Suidas. — *Chriſtus in remedium noſtrum velociſſimus.*

19\. Deſiderabat Sponſa, vt in hominum ſalutem ſuus veniret dilectus, & dicebat, *Indica mihi, quẽ diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* Cantic. 1. num. 7. Affectabat eum inuenire in meridie cubantem ad menſam, vbi maiorem Reges erga ſuos oſtentant beneficentiam, atque benignitatem; vt ponderat Pſellius. At tunc eum videre, & audire minimè potuit, ſed ſolùm quando de ipſo ait, *Vox dilecti mei: Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles,* Cant. 2. num. 8. Sed quare non inuenit cubantem more Regum, ſed veluti hinnulum ceruorum tranſilientem montes? Chriſtus in ſuorum remedium, non vt principes terræ, ſed multo velociori ſe præbet curſu, ita vt non ſolùm alios ſuperet, ſed & ſuorum tranſcendat deſiderium. D. Bernardus *ſerm.* 1. *de aduentu,* ita ait: *Ecce, inquit Sponſa, venit is ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Venientem vides, ô pulchra, ſed cubantem antè videre non poteras. Dixiſti enim: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes.* Quæ cupiebat cubantem, non potuit videre, niſi ſalientem.

Cantic. 1. — Pſellius. — Cantic. 2. — Bernard.

Lucæ 2. n. 43. Conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalẽ, & non cognouerunt parentes eius.

VERSIONES.

Syriacus. Quumque impleti fuiſſent dies, illi reuerſi ſunt; Ieſus verò puer remanſit Hieruſalem, Ioſeph & matre eius neſcientibus.

Arias. Conſummantibus dies in reuerti ipſos.

Vatablus. Remanſit Hieruſalem, nec animaduerterunt parentes eius.

Euthymius, & Græca exemplaria. Et non cognouit Ioſeph, & mater eius.

EXPOSITIO.

20\. IMPLETIS diebus ſeptem ſolemnitatis Azymorum, *Deuter.* 16. *num.* 3. *Leuit.* 23. *n.* 6. Nec antea reuertuntur in domum ſuam Nazareth, niſi ſolennitate vndique expleta. Dei feſtiuitates, non ex parte, ſed vndique ſunt colendæ. *Remanſit in Hieruſalem;* vt explicat Euſebius Gallicanus *homilia in infra octauam,* id eſt, in viſione pacis; ſic enim interpretatur Hieruſalem; & vbi pax, ibi remanet Chriſtus. *Et non cognouerunt parentes eius;* ita habet noſtra Vulgata, & ideo hæc lectio anteponenda eſt Græcis exemplaribus, quæ habent: *Non cognouit Ioſeph, & mater eius.* Et etiam lectioni Vatabli, noſtra lectio multo melior, & congruentior eſt. Quomodo autem Ioſeph dicatur Chriſti pater, iam explicatum eſt hoc *lib. cap.* 6. *quæſt.* 5. Notat Stella, quòd Chriſtus non amittitur à parentibus in perſecutione Herodis, & dum fugerent in Ægyptum, ſed in feſtiuitate, & ſolemnitate maxima; per quod innuitur, quòd potius in fœlicitate, & affluentia, quàm in perſecutionibus, & tribulationibus Chriſtus amittendus erat.

Euſebius.

Qvæstio VII.

Quare Chriſtus remaneat in Hieruſalem inſcijs parentibus?

21. Poterat Chriſtus Dominus parentes ſuos de voluntate ſua permanendi in Hieruſalem certiores facere, & eos non dolore ſummo cruciare; in quo ad eruditionem noſtram magna ſanè latent myſteria, quòd ipſis ignaris hoc præſtiterit.

Euthym. Auth. Græc.

Primò reſpondent Euthymius, & Author Græcus citatus *in Catena D. Thomæ.* Ideo inſciis parentibus remanſit, ne ſi id illis indicaſſet, aut ab ipſis impediretur, aut ni obtemperaſſet, non obediens videretur. At hæc ratio eſt improbabilis; tum quia Chriſti parentes optimè credebant, ſub carnis velamine diuinitatem latere, & ideo voluntati eius ſeſe maximè conformarent. Deinde eſto admittamus, quòd contra eorum beneplacitum remaneret; ab eis tamen, cùm eius Diuinitatem agnoſcerent, inobediens iudicari non poterat.

22. Beda.

Secundò. Et ratio literalis huius rei eſt, quam attingit Beda hîc, *Remanſit ignorantibus parentibus, vt oſtenderet Chriſtus ſe alium Patrem habere verum in cælis.*

Tolet.

Quam rationem magis explicat Toletus *annot.69.* Pro quo ſupponit, Chriſti Domini operationes fuiſſe in duplici differentia, quaſdam operabatur, vt homo, ſicut alij homines, quæ per rationem naturalem regulabantur; quaſdam, vt Saluator, quæ ad diuinitatem pertinebant, vt docere, facere miracula, inſtituere Sacramenta.

In quibus Chriſtus erat ſubditus ſuis parentibus.

In his, quæ primi generis erant, quamuis parentibus ſubiici non teneretur, vt filius tamen illis voluntariè obediebat; quæ verò ad ſecundum ordinem ſpectabant, non temporalibus parentibus, ſed tantùm Æterno ſubiiciebatur. Doctoribus autem ſe commiſcere, eoſque interrogare, atque audire, proprium erat opus ex officio, in quo Æterno tantum Patri ſubditus erat; ac adeò parentibus terrenis, quibus hactenus in multis obedierat, neſcientibus manere voluit, ad ſignificandum ſe habere quædam alia excellentiora, in quibus non ipſis, ſed Æterno tantùm ſubdebatur Parenti, & ita dixit matri: *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.*

23. Gregor.

Tertiò. Et iam quod attinet ad ſenſus morales. Ex Diuo Gregorio, *lib.6. in cap.8. Lucæ*, qui ait. *Magiſter, qui de cæteris præbet exemplum, atque ipſe præceptor, ipſe etiam ſuorum executor eſt præceptorum.*

Prælatus, quòd alijs præcipit, exequatur. Luc.14.

Chriſtus Dominus priùs opere adimplet, quæ ſuis erat præcepturus. Cùm ſuis eſſet impoſiturus mandatum, vt propter ſe *relinquerent patrem, & matrem*, Lucæ c.14.n.26. ipſe propter nos patrem, & matrem relinquere voluit, vt noſtræ hominum ſaluti, bonoque totius vniuerſi conſuleret.

Tertull.

Quartò. Tertullianus *lib.4. aduersùs Marcionem*, explicans hunc locum, ait, *Chriſtus fidem præpoſuit carni, & ſanguini.* Ac ſi dicat, quòd fidem de ſalute generis humani, à Patre ſibi commiſſam, carni, & ſanguini præpoſuerit; nam commune bonum, proximorumque vita ſpiritualis omni proprio noſtræ carnis, & ſanguinis commodo eſt anteponenda.

24. Nilus. Bonauent.

Quintò. D. Nilus Abbas *Liber aſceticus*, S. Bonauentura ait, *In hoc præbuit exemplum, quòd in diuino obſequio faciendo non eſt à parentibus carnalibus conſilium requirendum.* Deuteron. 33. num. 9. *Quis dixerit patri ſuo, & matri ſuæ, & fratribus ſuis, ignoro illos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* Hæc D. Bonauentura.

Deuter. 33.

Ad Dei obſequium non eſt requirendum conſiliũ.

Suo nos dominus informat exemplo, ne in his, quæ ad Dei obſequium pertinent, à parentibus, atque amicis petamus conſilium, ſed eò tendamus, quò Dei nos impellit ſpiritus.

Sextò. D. Dionyſius Carthuſ. ſic ait: *Inſciis parentibus manet Hieroſolymis, vt amore ſpiritualis profectus in ſapientia, ſcientijs, ac virtutibus carnales parentes oſtenderet relinquendos.* 25.

Carthuſ.

Hugo.

Et Hugo ſic loquitur. *Chriſtus dimiſit parentes propter ſcholas; amor Scripturarum præponendus parentibus.* Vult Dominus, ſuo nos inſtruere documento, quanto debeamus conatu in ſpiritualem tendere profectum, Scripturarumque ſcientiam, vt illius amore carnales relinquamus parentes.

Ob Scripturarum ſcientiã relinquendi parentes.

Salmer.

Septimò. Salmeron *lib.3. tract.36.* Quæ tanta vigilia, & cuſtodia poterat eſſe in eo obſeruando, ſi inobſeruatus ipſe eſſe voluiſſet? Erat enim Deus omnipotens, & multis modis poterat efficere, vt nullum prorſus ſtudium, nullaque obſeruandi ſatis eſſet induſtria, quominus ipſis neſcientibus remaneret in Hieruſalem.

Sine Dei voluntate non ſufficit noſtra vigilia.

Noſtra omnis eſt fruſtranea cura, Domino ſuper nos non vigilante. *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*, Pſalm.126.

Pſalm.126.

Octauò. Ieſus à ſuis parentibus per triduum ſe abſentat, vt ſuo præceptoris muneri correſpondeat; per quod nos inſtruit, obligationi noſtræ cum omni parentum, & amicorum noſtrorum incommodo, ac lachrymis ſatisfacere. Vide *lib.1. cap.4. num.63. & cap.6. num.42.* 26.

Nullus carnis affectus in officio exequendo.

Ratio nona. Chriſtus à ſuis parentibus ſe occultat, manifeſtè declarans commune bonum, proximorumque ſpiritualem ſalutem omni proprio noſtræ carnis, & ſanguinis commodo eſſe anteponendam; & ideo vt noſtræ conſuleret vitæ, parentes ſuos dilectiſſimos in maximo verſari dolore triſtitiáque, permittit. Chriſtus Dominus parentes ſuos in maxima veneratione habebat, ita vt dicat D. Lucas cap.2. num.51. *Erat ſubditus illis*; tamen vbi primùm ſuum docendi, & prædicandi munus cœpit peragere, numquam deinceps Virginem appellat matrem, ſed mulierem, Ioan.2. n.4. *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Matth.12.n.48. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Ioan.19. n.26. *Mulier, ecce filius tuus.*

Luc.2. Ioan.2. Matth.12. Ioan.19.

Quomodo in matrẽ ita affectus, mulierem appellat? Numquid illius obliuiſcitur? Minimè. Sed vt clareſcat, quòd muneri ſuo ita deditus erat, vt omnem alium carnis, & ſanguinis poſtponeret affectum, ad nihilque aliud, niſi ad hominum intenderet ſalutem.

Chryſoſt.

D. Ioannes Chryſoſt. *homil.20. in Ioan.* ſic ait. *Quòd Chriſtus matrem reuereretur, teſtatur Lucas: Erat ſubditus parentibus; at verò ſi aliquando ita reſpondet: Quid mihi, & tibi mulier? Quæ eſt mater mea; & qui ſunt fratres mei? Non quòd matrem contẽneret, abſit; ſed vt maximè vtilitati conſuleret.* Quod latè proſequitur S. Pater.

Matth.8.

Duo iuuenes acceſſere ad Chriſtum; ſepeliendi patrem vnus expoſtulauit facultatem, quam Dominus negauit: *Domine permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. Cui ait Ieſus: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, Matthæi 8. n.21. Alius accurrit deſiderans vitam æternam. Cui

Cui ait Dominus, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me*, Matth.19.num.21.

Matth.19.

Sed cur adeundi licentia negatur illi, huic verò non ſolùm datur ſed etiam offertur: *Vade, vende?* In primo temporanea in ſuos apparuerat inclinatio; in ſecundo verò charitatis vis reluxerat in proximos: cùm ergo Dominus omnem in ſuis carnis, & ſanguinis affectum, etiam cum honore, & ſolamine parentum amputare, cum bonoque ſpirituali omnem in alios charitatis propenſionem plantare voluerit, illi facultatem denegat, huic verò concedit, & vt ad ſequendum accedat, conſilium præbet.

Baſil.

Sic loquitur D. Baſilius lib.6. de conſtitutione Monaſtica cap.21. *A propinquis autem, amicis, parentibusve, animi affectione nos longè oportet eſſe disiunctos, quàm longè eos, qui iam ſunt vita defuncti, à viuis videmus dictare.* Et poſt pauca ſubdit: *Vt charitate ardeat mens.*

Qvæstio VIII.

Quare Chriſtus Dominus dum aſcendit Hieruſalem, parentes ſequatur, dum verò remanet, ab illis ſe ſubducit?

27. Cvm Chriſtus Dominus Hieroſolymitanum aſcendit templum, parentum beneplacitum ſequitur, ipſoſque comitatur; cùm verò parentes recedunt, abſque, eorum aſſenſu permanet.

Parentes ſequendi ad obſequium Dei, nõ verò quãdo recedunt.

Cur verò in accedendo ad templum voluntati parentum ſe accommodat; non verò in recedendo? Vt à communi magiſtro diſcamus, parentibus noſtris accommodari, illoſque ſequi, dum ad Dei templum tendunt, in eiuſque obſequio commorantur: dum autem à templo recedunt, illis attendendum minimè eſſe, omninoque relinquendos.

Hieron.

Sic ait D. Hieronymus epiſtol.7. ad Lætam. *Poſtquam grandiuſcula eſſe cœperit, & in exemplum ſponſi ſui creſcere ſapientia ætate, & gratia apud Deum, & homines; pergat ad templum veri patris cum parentibus ſuis, ſed cum illis non egrediatur de templo. Loquatur & ipſa electo charitatis iacula vulnerata, introduxit me Rex in cubiculum ſuum: nunquam exeat foràs, ne inueniant eam, qui circumeunt ciuitatẽ, ne percutiant, & vulnerent.* Mater filiorum Zabedæi cum filiis aſſociata acceſſit ad Chriſtum, pro ipſiſque petiit, *Matth.20.n.20.* qui ita Saluatori adhæſere, vt ab eo ampliùs non ſint ſeparati, vt notant D. Chryſoſt. *in Imperfecto*, & alij.

Chryſoſt.

Sed cur boni filij qui matrem concomitantes, ad Chriſtum Dominum venerant, cùm ipſa ſaltem in domum non regrediuntur? Iam ſpiritu Apoſtolico pleni matrem ſequuntur, dum ad Chriſtum peruenit; dum verò ab eo recedit, ſtatim ab illa ſeparantur, vt perpetuò cum Chriſto maneant, & numquam ab eo diſcedant.

Baſil.

Huc reſpicit D. Baſilius lib.6. in Conſtitut. Monaſtic. c.21. *Qui, ait, ad res cæleſtes animũ adiunxerant, ijs neutiquam liceat, eorũ qui in terra ſunt, rationem vllam habere, vt qui iam ex ea animo emigrauerint, mentis contemplatione altiores mundo ſint effecti.*

Matthæi 2. num.44. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & natos.

Versiones.

Syriacus. Putabant enim, eum eſſe cum filiis ſocietatis ipſorum: quumque veniſſent iter diei vnius, requirebant eum apud ſuos homines, & apud vnumquemque notum ſuum.

Vatablus. Cæterùm rati, illum eſſe in comitatu, proceſſerunt itinere diei.

Expositio.

Christi parentes ad ciuitatem ſuam Nazareth iter conficiunt per ſpatium vnius diei, ſibi perſuadentes, puerum venire cum amicis, ac ſociis eiuſdem itineris, nam in via quidam præire, quidam à tergo ſequi ſolent. Tranſacto ergo die, cùm ad terminum, ac hoſpitium deueniſſent, non inuenientes Chriſtum, inter cognatos, comiteſque itineris requirebant. 28.

Qvæstio IX.

Quomodo Virginis intimus amor permiſerit à Chriſto in via per diem vnum ſeparari?

Virgo Chriſtum ardentiſſimo proſequebatur amore: mirum ergo videtur, quòd eius præſentiæ carentiam per vnum diem ſuſtinere valuerit. 29. Huius rei ratio à priori diuina voluntas. Secundò reſpõdet Toletus *annot.70.* quòd ex conſuetudine illius temporis ſolebant paruuli accedere notis, & amicis, ſeu ſponte, ſeu ab ipſis tracti: noluit ergo piiſſima Virgo mater negare filio, quod ſuis etiam filiis aliæ matres concedebant.

Tolet.

Tertiò reſpondetur, quòd Sanctiſſima Virgo filium ſuum magna reuerentia ac ſubmiſſione venerabatur; nam etiamſi paruum ætate videret, tamen vt verum Deum agnoſcebat, ac proinde voluntati eius, atque arbitrio multa permittebat, ſeſeque illi ſubmittebat.

Charitas intẽdit, vt omnes fruantur bono.

Quartò. Quamuis Virgo maximè grauaretur, dum à Ieſu diſiuncta erat, cuſpide tamen charitatis vulnerata, à puero ſeparari permittebat, vt alij diuina eius præſentia fruerentur, cùm mores, ex omni parte abſoluti, atque perfecti, & oris, ac vultus dignitas, pueritiæque ſuauitas, quæ omnia diuinitatem exhalabant, ad ſe attraherent omnes, in eoſque mille bonitates diffunderent. Vide *lib. 1. cap. 5. num.163.*

QVÆSTIO X.

Quænam fuerit occaſio Chriſtum amittendi?

30\. Bernard. Haymon. Beda. Bonauent. Lyran. Carthuſ. Hugo. Caiet.

SATIS communis eſt doctrina, quam tradunt D.Bernardus *ſermone in infrà octauam Epiphania.* Eodem ſermone Haymon, Beda, D. Bonauentura, Lyranus, D. Carthuſianus, Hugo, Caietanus. Quòd tunc vigebat conſuetudo, vt viri per vnum iter, mulieres per aliud incederent; pueris verò, tam his, quàm illis ſe adiungi liceret, & hac de cauſa parentes ignorarunt Ieſum remanſiſſe. Et poteſt fundari, quòd in templo peculiare erat fœminis atrium diſtinctum, ab atrio virorum, vt tradit Ioſephus *lib.6.de bello Iudaico cap.6.* (Ioſeph.) Hæc ſententia ob tot grauiſſimos Patres, & Doctores probabilis eſt, & maximè veneranda. Attamen Euangeliſta innuere videtur, amittendi cauſam extitiſſe, quòd putauerunt parentes Chriſti, ipſum in comitatu aduenire cum ſociis, & amicis ſuis, qui præibant, vel ſequebantur. Et ita habet textus Syriacus, qui magnæ eſt authoritatis. (Syriacus.) *Putabant eum eſſe cum filiis ſocietatis ipſorum.* Et hac de cauſa parentes eius inter cognatos, & natos requirebant eum; aliter diceret Euangeliſta, quòd vnus ex parentibus apud alterum requirebat eum.

QVÆSTIO XI.

De magno Virginis dolore in abſentia filij.

31\. Timoth. Luc.2.

ACERBISSIMVS in Beatiſſima Virgine de hac filij ſui amiſſione excitatus eſt dolor, ita vt Timotheus Hieroſolymitanus *homilia de prophetia Simeonis*, eius dictum; *Et tuam ipſius animam penetrabit gladius*, Luc.2.n.35. intelligat de dolore, quem habuit Virgo, dum filium hoc triduo perdidit. Sed hanc interpretationem reieci *hoc lib.cap.6.q.9.num.43.* De hoc vehementi dolore vide infrà *quæſt.20.in principio.*

Dolor Virginis magnus.

32\. Bonauent. Rupert. Aëlred.

Dolor tamen, qui cor Marianum vulnerauit, grauiſſimus fuit, vt ponderat D. Bonauentura *de meditationibus Chriſti cap.14.* Anxiabatur primò; quia præſentia dilecti ſui carebat, quòd amanti eſt grauiſſimè durum, vt ponderat Rupertus *c.4. Cantic.* ad illa verba, *In lectulo meo.* Vnde totale excitamentum virginei doloris fuiſſe abſentiam dilecti pueri, exiſtimat Aëlredus *homilia de hoc Euangelio.* Et ſic ait: *O Domina mea, quid dolebas? Credo, non famem, non ſitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras. Sed tantum ſubtractans tibi, vel ad modicum ineffabiles præſentiæ eius delicias querebaris.* Tamen ſecundò reſpondeo, quòd triſtabatur conſiderans dilectiſſimi filij diſcommoditates, de quo *quæſt.ſeq.* Tertiò. Augebatur dolor, quia ſuum erga dilectiſſimum filium videbat amorem, apud homines in diſcrimen poſſe adduci; nam ſæpe ſæpiùs alicuius rei in nobis amiſſio contigit ex incuria illius, cui commiſſa eſt. Vnde populus myſterij ignarus, ſummæque ſanctitatis Virginis inſcius, poterat ſuſpicari, quòd ex eo dilectum amiſerit filium, quia magna cum diligentia non cuſtodierit. Et quid durius amanti, quam amorem videre ſuum apud alios in diſcrimine poſitum, de eo non multum concipi? Vnde eleganter ait Solonius Viennenſis explanatione myſtica in parabolas Salomonis. (Solon.) *Charum eſt amanti, dum amor charior vita æſtimatur.*

Graue amanti, dum de amore ſuo videt dubitari.

33\. Matth.26. Hieron. Ambr. Chryſoſt.

Chriſtus Dominus à Iudæis comprehenſus ait, *Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuiſtis*, Matth.26.n.55. Non queritur, quòd apprehendatur, ſed quòd tamquam de eius amore dubitantes cum gladiis, & fuſtibus venerint. D.Hieronymus: *Quaſi diceret*, ait, *Stultum eſt, cum gladiis & fuſtibus quærere, qui vltrò veſtris ſe tradit manibus; & in nocte quaſi latitantem proditorem inueſtigare, qui quotidie in templo docebat.* Audiens Abrahamus, conſobrinum ſuum Loth à quatuor Regibus captum, quem ſummè diligebat, (vt notat D.Ambroſius *lib.1.de Abrah.cap.13.* & ait: *Sic amabat nepotem, vt pro eo nec belli declinaret periculum,*) cum vernaculis ſuis obuiam egreſſus inimicos ſuperauit. Tunc Rex Sodomæ captam ſubſtantiam Abrahamo donabat, qui nihil accipere voluit, *Geneſ.14. n.22.* ne de ſuo in nepotem amore ambigeret aliquis, exiſtimans, quòd deſiderio prædæ in tantum ſe dederit periculum. D.Chryſoſt.ibid. *Non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt. Quaſi diceret: Neque enim mercedis gratia vindictam feci, ſed ob amoris affectum, quem erga fratris mei filium gero.* De hac quæſtione vide infrà *quæſt.13.*

QVÆSTIO XII.

Quare Angeli non venerint ad leuandum Virginis mœrorem?

34\.

FVIT vehementiſſimus Virginis dolor; dum filium ſuum abſentem agnouit, atque amiſſum. Quare Angeli in eius conſolationem non veniunt; ſicut de Apoſtolis exhibuerunt, dum in die Aſcenſionis Chriſtum in cælum eleuatum viderunt, *Actor.1.num.11.* Reſpondeo primò, quòd in die Aſcenſionis ſubleuationes Chriſti ad thronum, ac ſedem dexteræ æterni Patris certa fide credebantur; in hoc verò triduo maximæ in cibo, & potu, pueri conſiderabantur incommoditates. Illic ergo Apoſtolis leuamen ab Angelis datur, hîc autem Virgini minimè, vbi enim dilecti gloriæ, & exaltationes apparent, facilè minuitur dolor; vbi verò mens in amantiſſimo deperdito puero moleſtias, afflictioneſque recogitat, triſtitia minui nequit. Cor Iacob duo acutiſſimi ſauciarunt dolores, mors Rachel, *Gen.35. num.19.* & de Ioſeph allata nuntia, quòd *fera peſſima deuorauerit eum*, Geneſ.37.num.33. (Geneſ.37.) Et ſenex ſanctus, vt *ibi* notat Rupertus, bene coniecit, totum mendacium eſſe, à fratribuſque aliquid ſiniſtrum tantum ei eſſe illatum. In vtroque mœrore de illius temporis more, vt notant idem Rupertus, Abulenſis, & alij, (Rupert. Abulenſ.) *Congregati ſunt filij, vt lenirent patris dolorem.* In morte Rachel leuamen habuit: *At verò de Ioſeph noluit conſolationem accipere*, Geneſ.37.n.35. Quænam tanti diſcriminis cauſa? Iacob vtpote Dei amicus, optimè nouerat, quòd in morte Iuſtorum, qualis Rachel, eorum ſtabat felicitas, & requies: ideoque triſti-

Amor, dum patitur dilectus, conſolari nequit.

tia

tia tunc minuebatur; at de Ioſeph incertus erat, quid ei contingeret, quid de eo eſſet factum, ideo vehementiſſimè cruciabatur.

35\. Secundò. In die Aſcenſionis Angeli multa de Chriſti gloria, regno, ac poteſtate iudiciaria Apoſtoli annuntiantes apparent: ſi autem ad Virginis dolorem minuendum veniſſent, conueniens erat, vt ei dicerent, vbi eſſet, quid faceret, & vbi commoraretur. Deus verò ex alto conſilio ſuo decreuit, vt Virgo in hoc triduo hanc de puero amiſſo anxietatem, & mœſtitiam ad ſui meritum haberet. Frequentiſſimè Deus apparuit Iacob *Geneſ.28.num.12. & 31.num.12. & 32.num.24. & 35.num.1.* At cùm Ioſeph in Ægyptum venditus eſſet, pro illo tempore ei numquam apparuit: nam ſi illi ſe manifeſtaret, quid de Ioſeph eſſet factum reuelaret; & Deus voluit, vt ad tempus dolorem ad ſui meritum ſuſtineret. D. Auguſtinus ſerm.82.de tempore: (Auguſt.) *Credo*, ait, *fuiſſe non ſine cauſa, quòd Dominus, qui ſe toties dignatus fuerat oſtendere Iacob, per tot annos noluit ei indicare, quòd Ioſeph filius eius viueret, ſed permiſit eum longa afflictione conſumi.*

Lucæ 2.n.45. Et non inuenientes, regreſſi ſunt in Hieruſalem requirentes eum.

VERSIO.

Syriacus. Nec inuenerunt eum.

EXPOSITIO.

36\. Bernard.

INTER cognatos, & natos quæritur Ieſus, & non inuenitur. Quod eleganter expendit D.Bernardus Epiſt. 107. ad Thomam. *Abrahæ*, ait, *præcipitur exire de terra, & cognatione ſua, vt videre, & poſſidere mereatur terram viuentium. Ioſeph dominatur Ægypto, mercatione furtiua patri ſublatus, & patriæ. Eccleſiæ iubetur, vt concupiſcat Rex decorem eius, obliuiſci populum ſuum, & domum patris ſui. Puer Ieſus inter cognatos, & natos quæritur, nec tamen inuenitur. Fuge fratres tuos & tu, ſi tuam vis inuenire ſalutem.* Cùm Chriſtus inter cognatos, & natos non reperiretur, ſine vlla dilatione, ac magna cum diligentia ad eum inquirendum redeunt in Hieruſalem, & per eandem, qua antea incederant, viam, vt eum faciliùs inuenire poſſent. In Hieruſalem, quæ eſt viſio pacis, in qua habitat Chriſtus, non enim eſt Deus diuiſionis, ſed pacis, *1.Corinth.3.num.33.*

QVÆSTIO XIII.

Quid Virgo de filio in hoc triduo cogitauerit?

37\. Timoth. Origenes.

DVM Virgo filium ſuum vidit abſentem, quæ cogitationes in mentem eius ſubierint, variæ ſunt Doctorum ſententiæ. Timotheus Hieroſolymitanus *orat. de prophetia Simeonis*, exiſtimat, quòd Virgo cogitauerit; an filius ſuus eſſet mortuus. Hæc ſententia omnino reiicienda eſt; Virgo enim per reuelationem optimè agnouerat, quòd filius ſuus longam poſt prædicationem virili ætate interficiendus erat. Secundò. Origenes *homil.19.* Sibi perſuadet, quòd exiſtimauerit Virgo, quòd propter peccata, præcipuè Iudæorum, reuerſus eſſet in cælum, iterum deſcenſurus, cùm ſibi bene placuiſſet. Hæc ſententia etiam non placet, nam Virgo apertè nouerat, duplicem eſſe tantùm Chriſti de cælo aduentum; vnum ad noſtram redemptionem, quando deſcendit in vterum eius; alterum in fine mundi ad iudicandum.

38\. Carthuſ. Anton. Matth.2.

Tertiò. D.Dionyſius Carthuſianus *hîc, & ſermone in infrà octauam Epiphania*, D.Antoninus 1. *part.tit.6.cap.1.* aſſerunt, quòd Virgo cogitauerit mortem, quam Herodes affectauerat dare infanti, hanc Archelaum, qui tunc regnabat, ei attuliſſe, & ita ab eo eſſe interfectum. At hæc ſententia etiam mihi non placet. Tum quia Virgo, & Ioſeph cum puero aſcenderunt de Ægypto, dicente Angelo: *Mortui ſunt, qui quærebant animam pueri*, Matth.2.n.20. Tum, quia ipſa aſcenderit Hieruſalem ex beneplacito filij ſui, qui tantum virili ætate mortem erat ſubiturus, vt Virgo bene nouerat. Quartò. Sunt qui dicant Virginem dubitaſſe, an Chriſtus vellet ducere vitam ſolitariam ſeparatus ab hominibus. Sed hæc mihi minùs placet; ipſa enim bene nouerat, quòd filius ſuus peccatores vocare venerat, ac proinde cum eis conuerſari. Quintò. Cardinalis Toletus *annot.71.* ait, quòd (Tolet.) *Virgo nouerat, filium ſuum, non ex infirmitate, ſed ſponte, & voluntariè noſtras infirmitates pati decreuiſſe, vt nobis eſſet ſimilis: ex quo factum eſt vt cogitaret, etiam more peccatorum illum aberrare voluiſſe à via præ tanta multitudine tunc confluente, vt ſolent ſæpe pueri à parentibus aberrare.* & ſatis probabiliter.

Chriſtus voluit ſuſcipere noſtras infirmitates.

39\. *Vera ſententia.*

Dicendum tamen cenſeo, quòd cùm Virgini eſſet manifeſtè notum, Ieſum filium ſuum verè eſſe Deum, ſibi perſuaſit, quòd non caſu, ſed voluntate ſua, ex altoque conſilio à recta via deflexerit ad aliquod documentum, ac negotium noſtræ ſalutis, ad quod venerat perſoluendum. Tamen cogitationes de incommoditate pueri circa cibum, & potum, ac hoſpitium apud ignotos maximè cruciabatur cor Virginis, præcipuè cùm non agnouerit, quantum illius abſentiæ futurum eſſet tempus. Deinde, vt etiam moraliter dicamus, Virgini erat apertum, & euidens quòd filius ſuus eſſet vir dolorum, & à iuuentute ſua in laboribus enutritus, *Pſalm.87.num.16.* Ex quibus coniecturari facilè poterat, quòd filius ſuus à recto itinere digrederetur, à parentibuſque ſuis ſe ſe alienaret, vt illum ſuſtineret dolorem, & afflictionem, quam cæteri habent, dum à ſuis amittuntur parentibus, præcipuè cùm ipſe dilectiſſimæ Genitricis ſuæ conſortio maximè gauderet. Chriſtus Dominus in horto orabat ad ſuum æternum parentem. (Matth.26.) *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, Matth.26. num. 39. Voluntas Chriſti maximè erat conformis voluntati æterni Parentis, & optimè agnoſcebat Saluator petitionem ſuam non eſſe concedendam, & tamen poſtulat, *Pater, ſi poſſibile eſt*, vt deguſtaret triſtitiam ac dolorem, quem patitur, exorans, dum petitio eius repellitur, ac non admittitur. Stapletonius in promptuario catholico de Paſſione Domini. (Stapleton.) *Vir dolorum petit, & triſtatur vt omnes dolores patiatur.*

Chriſtus omnes dolores pati decreuit.

QVÆSTIO

Qvæstio XIV.

Vtrùm in Beatiſſima Virgine fuerit aliqua ignorantia?

40. RATIO præſentis quæſtionis oritur ex toto hoc capite, vt patebit ex obiectionibus. Pro explanatione huius rei notandum eſt, quòd triplex datur ignorantia. Prima, negatiua, & eſt eorum, quæ quis ſcire non debet, nec ad ſtatum eius talia cognoſcere, ſpectat. Secunda eſt priuatiua, eorum ſcilicet, quæ quis ſcire debet, ac ad ſtatum ſuum pertinent. Tertia. dicitur ignorantia prauæ diſpoſitionis, quæ eſt idem, quod error in intellectu. Error autem ſic definitur, eſt cognitio contraria veritati, ſeu veræ cognitioni, vt, verbi gratia, Petrus non eſt riſibilis.

Quotuplex ſit ignorantia.

41. Dico primò. In intellectu ſanctiſſimæ Virginis nullo tempore, nec vlla occaſione extitit error, ſeu ignorantia prauæ diſpoſitionis. Ita Caniſius *de B.Virgin. lib.*6 Medina *quæſt.* 30. *art.*1. Suarius *tom.*2.*ad* 3.*part.diſp.*19.*ſect.*6.§ *Dicendum verò*, Barradas *hîc*. Probatur primò. Quia error, & deceptio pœna eſt proueniens ex peccato, vt docet D. Thomas 1.2.*quæſt.*85.*art.*3. Vnde, perſeuerante ſtatu innocentiæ in primis parentibus, non daretur error, vt docet D. Auguſtinus *lib.*3. *de libero arbitrio cap.*18. vbi ſic ait: *Approbare vera pro falſis, nō eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Atqui communis hodie ſententia concedit Beatiſſimæ Virgini omnem ſtatus innocentiæ perfectionem, exceptis his, quæ conueniunt corpori mortali; tum, quia in ea nullum, nec originale extitit peccatum; tum quia omnis illa ei erat debita perfectio ratione dignitatis ſuę; ergo in ea nullus fuit error. Secundò. Quia ſicut Virgo nullum habuit voluntatis, vel appetitus actum à vera rectitudine declinantem; ita etiam nec intellectus à vero iudicio alienum.

Caniſius. Medina. Suarius. Barradas. S.Thom. Auguſt.

In B. Virgine nullus fuit error.

42. Dices. Noſter Euangeliſta de Chriſti parentibus ait. *Exiſtimantes eum eſſe in comitatu.* Et tamen hoc erat manifeſtus error, cùm Chriſtus Dominus non cum ſociis eſſet, ſed in Hieruſalem. Ergo. Reſpondet primò Theophylactus *ad hunc locum*, Rupertus *lib.*1.*in Cantica*, quòd illa verba dicta ſunt per Synecdochem de ſolo Ioſeph. Sed te vera iuxta ſanctos Patres, qui intelligunt textum Lucæ, vt ſonat, Virgo vbi Chriſtus eſſet ignorauit, exiſtimauitque, eum eſſe in comitatu; non tamen iudicio vltimato, & firmo, ſed probabili coniectura hoc ſibi perſuaſit; qui autem abſque iudicio firmo probabili ducitur coniectura, non decipitur. Nam in intellectu angelico ante primum peccatum non dabatur error, vt cum communi ſententia tenent Vaſquius 1.*part.diſp.*235.*num.*17.*&* 18.*& diſp.*239.*num.*22. Suarius *tom. de Angelis lib.*7.*cap.*4.*num.*2.*& c.*7. *num.* 1. Et tamen iuxta communem ſententiam cogitationes cordium probabili tantùm coniectura penetrant, in quo aliquando falli poſſunt; cùm tamen non ſit firmo aſſenſu, proptè non datur error.

Theoph. Rupertus. Vaſquius. Suarius.

43. Dico Secundò. In Beatiſſima Virgine nulla propriè extitit ignorantia priuatiua. Ita authores citati in prima concluſione. Et in hac etiam ſunt D.Anſelmus *lib.de excellentia Virginis c.*7. D. Bernardus *tract.de Beatiſſim.Virgin.ſerm.*4. Albertus Magnu *tract. de Beatiſſima Virgne, cap.*71. Probatur. Omnis cognitio pertinens ad ſtatum Virginis erat conueniens excellentiæ, & dignitati eius, cùm Deus ei contulerit omnem perfectionem ad talem ſtatum requiſitam.

Anſelm. Bernard. Alb.Magn.

44. Dices. Chriſtus Dominus reſpondit. *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, & ipſi non intellexerunt.* Ergo in Virgine fuit aliqua ignorantia. Reſpondetur, quòd licèt ab aliquibus verba illa intelligantur de Ioſeph, vel de circunſtantibus; tamen iuxta ſanctos Patres etiam ad Virginem referuntur, cum illa enim loquebatur Chriſtus. Et quamuis intelligeret Virgo, quòd Chriſtus de ſuo æterno Patre ſermonem habuerit, quæ autem illa Patris negotia eſſent, non comprehendit Virgo, & quomodo ad ipſum ſpectaret, vt ab ea ſepararetur. At verò ad ſtatum Virginis non pertinebat, omnia Dei conſilia ſcire, & ideo in ea, non priuatiua ignorantia, ſed quædam inſcientia fuit; præcipuè cùm eius filius, non tantùm homo, ſed etiam Deus eſſet. Et ita ſoluitur obiectio, quòd mater ſcire tenetur, quæ ad filium non mancipatum pertinent.

45. Dico tertiò. In Beatiſſima Virgine fuit ignorātia negatiua. Ita authores citati. Probatur. Quia ante Incarnationem neſciebat modum conceptionis. Secundò. Quia ſicut Virgo creſcebat in gratia, & charitate, ita etiam in ſcientia, vt docet D.Bernard.*ſerm.*4. *Super miſſus eſt*, & ſequuntur omnes Theologi. Tertiò. Hæc ignorantia propriè eſt quædam inſcientia, & nullam dicit imperfectionem; quia ignorare, quæ ad meum non pertinent ſtatum, imperfectio nulla eſt; ideoque eiuſmodi inſcientia admittitur in Beatis, & in Chriſto, vt tenent Valentia 3.*part.diſp.*1.*quæſt.*15. *punct.*1.*in principio*, Vaſquius 3.*part. diſp.*61.*c.*9. Suarius *to.*1. *ad* 3.*part.diſp.*24.*ſect.*3. Aluares, Cabrera, Cornejo 3.*part.quæſt.*15.*art.*3.

Bernard. Valentia. Vaſquius. Suarius. Aluates. Cabrera. Conejo.

Qvæstio XV.

Quomodò Chriſtus Dominus in triduo illo cibum comparauerit?

46. CERTVM eſt, quòd Chriſtus Dominus miraculosè ſe potuerit ſuſtentare, ita vt nullo indigeret cibo: ſicut poſtea quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deſerto ieiunauit; vel vt Angeli aduenirent, eique cibum miniſtrarent. Cùm tamen ex diuina prouidentia habeamus, vbi humana adeſſe poteſt induſtria, ordinariè, ad miraculum recurrendum non eſſe; ideo præſens excitatur quæſtio. Aliqui dixerunt: Chriſtum à ſuis parentibus viaticum aliquod ſecum aſportaſſe. Sed non placet: quomodo enim amantiſſimus paupertatis, quique docturus erat de craſtino non cogitandum, ſecum deferre poſſet pecuniam, vel cibum ad tres dies? Deinde adhuc eſt inquirendum, vbi ſe ſe recipiebat?

Matth 4.

47. Dicendum tamen eſt, quòd Chriſtus Dominus in hoc triduo oſtiatim mendicauerit, ad pauperumque hoſpitia ſe receperit. Ita tradunt D. Bonauentura *de meditationibus Chriſti cap.* 14. Alexander de Ales 3.*p. quæſt.*11.*membr.*2.*art.*2. Ludolphus *in vita Chriſti*, qui omnes ſequuntur D.Bernardū *homilia in infra octauam Epiphaniæ.* Qui ita loquēs cū puero ait; *Domine Ieſu, quis te*

Bonauent. Alexand. de Ales. Ludoplh. Bernard.

cibauit in illo triduo? Reſpondet: *Quid dicam, Deus meus? Vt te per omnia noſtra conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes, quaſi vnus è turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas.* Et poſtea ſubdit: *Tu das eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione; hic, inquam, tam opulentus buccellam panis à creaturis ſuis emendicet. Stupendum ſanè myſterium, iuxta Pauli ſententiam: Qui cùm diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt.* Et de hac re latiùs hîc videndus Barradas, Carthag.*tom.*2.*lib.*10.*homil.*6.§.*his iam prælibatis.*

Chriſtus in hoc triduo mendicauit.

Barradas. Catthagen.

Lucæ 2.*n.*46. Et factum eſt poſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

VERSIONES.

Syriacus. Euenit autem.

Vatablus. In medio Doctorum audientem ab eis, & interrogantem.

Radix Hebraica. Sedentem inter Doctores.

EXPOSITIO.

48. CVM eſſent in Hieruſalem. *Poſt triduum*; quod Lyranus, & Carthuſianus interpretantur, poſt diem tertium; quaſi quòd quarta die ſit inuentus. At Euthymius, & Expoſitores communiter tenent, quòd in ipſa tertia die in templo ſit repertus; eſt enim phraſis Scripturæ, vt poſt tres dies, id eſt, tertia die reſurgam, vt dixit Chriſtus Dominus Marc.8.n.31. *Et poſt tridum reperitur in templo.* Vt ait D. Ambroſius: *Vt eſſet indicium, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis in ſede cæleſti, & honore diuino fidei noſtræ ſe ſurrecturus offerret, qui mortuus credebatur.* D.Antonius Vlyſſipon. ſermone in infra octauam Epiphaniæ: *Triduum*, ait, *eſt pœnitentiæ quæ in tribus conſiſtit, ſcilicet cōtritione, confeſſione, & ſatisfactione; de quo triduo dicit Moyſes: Ibimus viam trium dierum*, Exod. 4. *poſt hoc triduum Ioſeph, & Maria ſcilicet pœnitentes, inuenient Ieſum in templo.* Textus, *Sedentem in medio.* hoc eſt, inter doctores; eſt enim modus loquendi Hebraicus: *Ego ſum in medio veſtri, ſicut qui miniſtrat*, Luc.22.n.37. ideſt, inter vos, tanta ſe habuit Chriſtus Dominus gratiâ, & ſapientiâ; vt ſibi omnium animos concilianti inter ſapientes daretur locus, ad hoc eorum corda diuina monente prouidentia. Et medium elegit, vt notat Cardinalis Hugo. *Per hoc notatur, quòd medium diligat Dominus, quia ibi ſecuritas, in extremitatibus periculum.* Textus. *Audientem, & interrogantem.* De legalibus erat ſermo, & interrogat, non vt diſcat, ſed vt hac occaſione eos erudiat. Origenes homil.20. *Vbicumque magiſtri fuerint, in medio magiſtrorum inuenitur Ieſus; ſi tamen magiſter, ſedeat in templo, & numquam egrediatur ex eo.* Ieſus inter doctores reperitur, non tamen quoſcumque, ſed illos tantùm, qui in Eccleſia Catholica aſſiſtunt, ac templum, vt Dei locum, venerantur; non ſæcularia negotia tractantes, ſed Dei cauſam agentes; & dum puer Ieſus à parentibus ſuis ſe abdicat, ac ad templum Dei properat, ſtatim in loco magiſterij, ac præexcellenti medius inter doctores ſedet: veluti innuens, quòd illi, qui primis ſub annis ob Deum parentes renuntiant, ſtatim ad cæleſtem ſedem, ac magnos honores in domo Dei maturari, ac feſtinari.

Lyran. Carthuſ. Euthymius. Marc 8. Ambroſ. Ant.Vlyſſip. Luc.22. Hugo. Origenes.

Deus inuenitur ab eis, qui templum venerantur.

Qui ob Deū parentes renuntiant, regnum Deī inueniunt.

Qvæstio XVI.

Quare Chriſtus erat in medio audiens, & interrogans?

49. IVDAICA Academia, vt obſeruat Barradas, erat in templo Hieroſolymit. D.Antoninus 1.*part.tit.*5.*cap.*1.§.5. tenet eſſe in porticu templi. Arias Montanus, in apparatu iuxta portum templi fuiſſe; ac proinde in atrio templi erat; vbi magiſtri docebant, ad quorum pedes diſcipuli, & audientes ſuper humum ſedebant, vt dicitur de Magdalena: *Sedens ſecus pedes Domini*, Luc. 10. num. 39. Hac occaſione cum cæteris pueris Chriſtus Dominus acceſſit ad templum audiens, & interrogans. Cuius rei rationem inquirimus.

Barradas. Anton. Arias Mont. Luc.10.

50. Reſpondet primò Origenes *homil.*19. Audit, & interrogat Dominus, vt eos erudiret. Quæ mihi videtur germana ſolutio. Se ſe ipſum humiliauit, ac in ſe infirmitatem coram hominibus Saluator noſter exhibuit, vt nos ſanaret. Secundò. D.Dionyſ. Carthuſianus. Ad inſinuandum, quòd pueri, & cæteri ſe debent applicare Doctoribus, à quibus in virtutibus, ac ſcientiis valeant informari. Eccleſ.6.n.36. *Si videris ſenſatum, euigila ad eum.* Tertiò. Chriſtus Dominus ſapientiæ fons in quo erant omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, in medio Doctorum, non docens, ſed audiens, & interrogans eſt, vt ætati correſpondeat. Origenes *homil.*19. ita ait: *Quia paruulus erat, inuenitur in medio, non eos docens; ſed interrogans, & hoc pro ætatis officio.* Similiter D. Gregorius Magnus 3.part.paſtoral.admonit.26. *Vigilanti*, ait, *conſideratione penſandum eſt, quòd cùm Ieſus duodecim annorum dicitur in medio Doctorum ſedens, non docens, ſed interrogans inuenitur; quo exemplo oſtenditur, ne infirmus docere quis audeat, ſi ille puer doceri interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum ſcientiæ ipſis Doctoribus miniſtrauit.* Quando S.Pater ait, quòd Chriſtus doceri voluit, intelligit, non verè, & propriè, ſed ſecundùm hominum æſtimationem, apparentiámque externam, vt ætati condeſcenderet, ac ei ſemetipſum conformaret. Vide *lib.*1.*cap.*6.*n.*18.*& lib.*2. *cap.*1.*n.*78.*& cap.*4.*n.*52.*&* 96.

Origenes. Carthuſ. Eccleſ.6. *Ætati accōmodandum.* Origenes. Greg. M…

51. Quartò. Chriſtus Dominus ſemper in omnibus operibus ſuis, quis, & qualis eſſet, oſtendebat; & ideo vt homo infirmitatem exhibebat, vt Deus verò potentiam, ſapientiámque manifeſtabat. Beda hîc loquitur ſic: *Ad oſtendendum, quia homo erat, homines magiſtros humiliter audiebat; ad probandum verò, quia Deus erat, eiſdem loquentibus ſublimiter reſpondebat.* Quintò. Interrogat, vt prudentiam, ſapientiámque oſtentet; magnæ enim prudentiæ ſignum eſt, inquirere, & interrogare de his, quæ ad vnumquemque pertinent, ſcire.

Vnuſquiſque talis ſe exhibeat, qualis eſt. Beda. *Magna prudentia ſcire interrogare.*

Orige

Origen.

Origenes homil. 19. *Ex vno quidem fonte manat interrogare, & reſpondere ſapienter, eiuſdem ſcientiæ eſt, ſcire, quid interroges, quidve reſpondeas.* Sextò. Apparet hîc Chriſtus velut diſcipulus audiens, & interrogans, vt poſtea doceat, ne repẽtè videatur hominibus magiſter. D. Bonauentura, *In hoc autem*, ait, *ſpiritualiter eſt intelligendum, quòd Chriſtus docet nos, quod antè debeamus diſcere, quàm docere, ſecundùm illud* Eccleſiaſtici 18. n. 19. *Antequam loquaris, diſce.* Ipſe quamquam ſapientia Patris, vt hominum infirmitati condeſcendat, prius interrogat, quàm doceat.

Non repentè quis appareat magiſter.

Bonauent.

52. Septimò Interrogat Chriſtus, vt ſuo exemplo doceat, nobis non eſſe erubeſcendum, dum à minoribus interrogamus. Octauò. Vt ita cum hominibus commercium maius iniret. Nonò. Chriſtus Dominus apparet hîc in medio diſputantium, docens eos, & inſtruens de rebus ſuperioribus, vt tenent Origenes *homil.* 19. Beda, Haymon, Hugo, & alij *hîc*; & tamen nomen *doctoris* aliis, non ſibi accommodat: *In medio doctorum*, in quo inſignis Chriſti Domini modeſtia relucet. In doctore duplex inuenitur conſideratio, ponderoſum docendi munus, & magnificum doctoris nomen. Chriſtus docendi onus ſibi adſcripſit, ſplendidum doctoris nomen aliis detulit. Ipſemet Saluator noſter Diſcipulis ſuis dicebat de Spiritu ſancto: *Docebit vos omnem veritatem*, Ioann. 16. num. 13. Et tamen de ipſo ait D. Lucas 24. num. 27. *Interprebatur illis in omnibus Scripturas.* Et ſæpe in Euangelio inuenitur Chriſtus ſuos docens, & in ſermone Cœnæ, de cuius admirandis myſteriis multa loquitur Auguſtinus. Et tamem de Spiritu ſancto ait, *Docebit vos omnem veritatem.* Munus docendi ſuos in multis ſibi retinuit; doctoris verò honorificum nomen Spiritui ſancto attribuit. D. Paulus paſſim ſe ſe in Euangelio laborantem dicit, vt notat D. Remigius, Sedulius. *Abundantius illis omnibus laboraui*, 1. Corinth. 15. num. 10. 1. Timoth. 4. num. 10. & 2. cap. 2. num. 9. & ſæpe alibi; & tamen ipſi Timotheo ſæpe ait, vt doceat. 1. cap. 4. num. 11. *Præcipe hæc, & doce* cap. 6. num. 2. *Hæc doce, & exhortare.* Vbi ait Chryſoſtomus *homil.* 17. quòd illi dat nomen *doctoris.* Sed quomodo, bone magiſter Gentium, tibi labores, aliis nomen doctoris frequenter attribuis? Præ nimia charitate, ſibi moleſta, & contemptibilia, aliis ſplendida, & honorifica reſeruabat.

Origen. Beda. Haymon. Hugo.

Chriſtus ſibi onus, alijs gloriam dat.

Ioan. 16. Luc. 24.

Remig. Sedulius. 1 Cor. 15. 1. Cor. 4. & 2. cap. 2. 1. Tim. 4. 1. Tim. 6. Chryſoſt.

Qvæstio XVII.

Quare Chriſtum inueniant paſtores in præſepio, Magi in domo, parentes in templo?

53. PASTORES Chriſtum inuenerunt in præſepio *Luc. 2. num.* 16. Magi in domo: *Intrantes domum*, Matth. 2. num. 11. Virgo, & Ioſeph hîc in templo. Huius rei cauſam inquirimus. Et primam rationem dat D. Bonauentura. *Chriſtus* ait, *inuentus eſt in præſepio, ideſt, in ſtudio ſacræ Scripturæ, quia ſecundùm quod dicitur* Prouerb. 14. n. 4. *Boues ſunt Prædicatores*, teſte Paulo 1. Cor. 9. n. 19. *Non alligabis os bouis triturantis. Inuentus eſt in domo à Magis*, Matth. 2. *ideſt, in ſcrutinio conſcientiæ quietæ.* Sapient. 8. n. 16. *Intrans in domum tuam conquieſcam cum illa. Inuentus eſt in templo, ideſt, in conſortio ſanctæ Eccleſiæ; quia Dominus in templo ſancto ſuo.* Secundò. Cardinalis Hugo, quaſi perſiſtens in eadem metaphora, quòd *Paſtores, ideſt, Prælati, qui ſe, & alios debent paſcere verbo Dei, hi inueniunt Ieſum in præſepio ſacræ Scripturæ, Per* Magos *intelligũtur clauſtrales, ſiue contemplatiui, qui mundum, carnem, & Diabolum incantare ſapienter nouerint; & hi inueniunt Ieſum in domo propriæ conſcientiæ. Per* parentes Ieſu *intelliguntur pœnitentes, qui per timorem concipiunt Ieſum, & per bonam operationem pariunt. A facie tua concepimus.* Iſai. 20. *Hi inueniunt Ieſum in templo, per contemplationem; quia ſcriptum eſt: Domus mea domus orationis.* Hæ ſunt rationes morales horum authorum.

Luc. 2. Matth. 2. Bonauent. Prou. 14. 1. Cor. 9. Sap. 8.

Hugo. Iſai. 20.

54. Tertiò. Chriſtus Dominus taliter à nobis inuenitur, qualiter à nobis quæritur, & famulatur in miniſterio noſtro, atque officio. Paſtores obſequebantur, dum oues ad præſepe ducebant, ad ibi quieſcendum; in præſepio Chriſtum inueniunt. Reges inſeruiebant, dum in domo ſuorum curam habebant, ac regni negotia expediebantur: in domo Chriſtum inueniunt. Chriſti parentes ſemper orationi, ac contemplationi inſtantes grauiſſimam Deo offerebant oblationem, ideo in templo orationis loco Chriſtum reperiunt. Luctans Angelus cum Iacob dixit ei: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*, Gen. 22. n. 26. Quem locum exponit Oſeas de oratione, vt notat Caietanus. *Fleuit, & rogauit eum*, cap. 12. n. 4. Sed quomodo cùm Iacob ſit in ſpirituali orationis lucta cum Angelo, ei præcipit Angelus, vt eum dimittat, & ab illa ceſſet, ac ei finem imponat? Iacob amplam habebat familiam, vt Deum teneat, ſat eſt, noctis ſilentio orare; at verò dum dies eſt, vt ipſummet habeat, rebus domeſticis incumbendum eſt. Interlinealis ad locum Geneſ. *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora, quaſi dicat, tempus eſt, vt ab inuiſibilibus ad tempolia tractanda deſcendat.* Nam dum quietudinis, & rationis tempus eſt, ibi anima obtinet Deum: dum verò tempus, vt propriæ intendamus familiæ, ibi etiam eum inuenit, ac eum tenet.

Chriſtus inuenitur ſecũdum id quod à nobis requiritur.

Geneſ. 32. Oſeæ 12. Caiet. Interlin.

Lucæ 2. n. 47. Stupebant autem, omnes qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius.

Versiones.

Syriacus. Et mirabantur ij omnes, qui audiebant eum ob ſapiẽtiam, & reſponſa eius.

Pagnin. Vatabl. Arias. Euthym. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant ſuper intelligentia, & reſponſis eius.

Expositio.

55. OMNES, qui aderant, videntes ſublimitatem rationum Chriſti, admirabantur maximè ob prudentiam, ſeu ſapientiam, qua ſe habebat in omnibus. Seu, vt habet textus Græcus, *ſuper intelligentia*; qua omnia acutiſſimè penetrabat, atque comprehendebat. *Et reſponſis eius*; quibus ſuper humanum captum omnibus quæ proponebantur, ſatisfaciebat. Et quomodo conuincebat, illud eſſe tempus aduentûs Meſſiæ? de illo enim erat ſermo; imò quomodo iuxta Scripturam, iam natum eſſe, ac in mundo verſari. Et nota, quòd Chriſtus opus ſuum in prudentia, & ſapientia inchoat.

Lucæ 2. n. 51. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

Versiones.

Arias. Et videntes ipſum attoniti fuerunt.

Vatablus. Et, eo viſo, perculſi ſunt; dixit illi mater eius: Fili, cur ſic egiſti nobiſcum?

Syriacus. Fili mi, cur ita feciſti nobis? Quoniam ecce ego, & pater tuus cum multa anxietate quęrebamus te

D. Ath. Dialog. 2. contra Maced. Nate, cur nobis ita feciſti?

Aliqui ex radice Græca. Fili dilecte, cur ita feciſti?

Timoth. orat. de occurſ. Domini. Fili, cur feciſti nobis hoc?

Arabicus. Dolentes quærebamus te cum dolore.

Expositio.

56. VISUM puerum Ieſum inter Doctores admirantur parentes eius, non propter ſcientiam, quam deprompſerat, cùm eum agnoſcerent eſſe ſapientiam Patris; ſed quòd eam oſtenderet eo tempore, ea ætate, cùm hoc eis non eſſe reuelatum; & propter rei nouitatem, quæ frequenter admirationem cauſat; numquam enim eum feciſſe ſimile viderant. Euthymius ait: *Obſtupuerunt parentes, non propter intelligentiam tantùm, & reſponſa illius, verùm etiam propter audaciam.* Hæc ſententia non placet; nam ſuperiori verſu Iudæi admirabantur de Chriſto, non de audacia, ſed de prudentia, & reſponſis eius. Deinde cùm eum agnoſcerent, vt Deum, de audacia admirari non poterant, cùm nihil poſſet timere.

Euthymius.

57. *Et dixit mater.* Finita diſputatione, ac ſeorſim à Doctoribus, mater ob eximium amoris affectum loquitur priùs: *Fili*, aliqui ex Græco legunt, *Dilecte fili.* nam quamuis vox, quæ eſt in Græco, denotet *dilectionem*, vt aduertit Didacus Stella, tamen ſimpliciter legendum eſt, *Fili, quid feciſti nobis?* Hoc eſt, vt explicant Cardinales Hugo, Caietanus, Cur ita feciſti nobiſcum, vt remaneres Hieruſalem nobis neſcientibus; & eſt amatoria conqueſtio Virginis, de quo infrà. *Pater tuus, & ego*, ita habet noſtra Vulgata, & legunt antiquiſſimi Patres. Origenes *homil.* 19. & 20. D. Ambroſius, Theophylactus, Euthymius *hîc.* Timotheus *homilia de occurſu.* Euſebius Emiſſenus, D. Bernardus, D. Antonius Vlyſſippon. Haymon *ſermone in infra octauam Epiphaniæ*, & ita habet textus etiã Græcus. Vnde minus probanda eſt lectio Syriaca, Carthuſiani, ſancti Petri Abbatis Cluniacenſ. *lib. 3. Epiſtol. 7. & vltima.* Qui legunt, *Ego, & pater tuus, dolentes quærebamus*; cùm magna anxietate, & diligentia, vt notat Origenes *homilia* 8. Et ideo Chriſtum Dominum inuenerunt.

Stella. Hugo. Caietan.

Origen. Ambroſ. Theoph. Euthymius. Timoth. Emiſſen. Bernard. Anton. Vlyſ. Haymon. Carthuſ. Cluniacenſ.

Qvæstio XVIII.

Quænam fuerit intentio Virginis in his verbis?

58. CVM Beatiſſima Virgo ancillam Domini ſe profiteatur, hæc verba: *Fili, quid feciſti nobis?* per modum increpantis dicta non fuere, vt arbitratur D. Bonauentura *hîc*; ſed vel ſunt prolata per modum admirationis interrogantis, cur ita cum ipſa, & Ioſeph voluntariè fecerit, vt ipſis neſcientibus remanſerit, vt vult Toletus *annot.* 67. Vel, quæ eſt altera expoſitio, & valde probabilis, ac communis; quòd hæc dicta ſint per modum amoroſæ querelæ. Ita ait D. Dionyſius Carthuſianus, *Non eſt increpatio, ſed pia, & amoroſa conqueſtio, ſeu auida inquiſitio.* Similiter exponunt locum Ianſenius, Salmeron, Maldonatus, Beaulxames, Caietanus, & alij. Et huiuſmodi querimoniæ in Scriptura ſæpe abſque indecentia reperiuntur, vt exponit D. Hieron. illud Matth. 27. *Vt quid dereliquiſti me?* Et ait Caietanus. *In præſenti Virgo non arguit, ſed querelam neſcientiæ propriæ vocem depromit: nec quærit cauſam, cur fecerit, cur intulerit eis dolorem, ſed affectum manifeſtat.* Ob humilitatem tanti doloris cauſam non perquirit, ſed veneratur, tantumque animi oſtendit amoroſum affectum, ſimiliter rem explicat Stapletonius *hîc.*

Bonauent. Tolet. Carthuſ. Ianſen. Salmeron. Maldon. Beaulxam. Matth. 27. Hieron. Caiet. Stapleton.

59. Sed quæres ingenioſè: Quomodo Virgo cum querelis, & querimoniis nomen coniunxit eximiæ dilectionis? Cùm Chriſtus Dominus in cruce penderet, ex internáque dilectione ad ſuum loqueretur genitorem, nomen *patris* appoſuit: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, Luc. 23. n. 26. At cùm querimoniam, iuxta D. Hieronymum, protulerit, nomen *patris* ſubticuit. Et ait: *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. 27. num. 46. Quomodo ergo piiſſima Virgo vtrumque ſimul adiunxit, nomen dilectionis, *fili*, cum querimoniis, *quid feciſti*? Meritò ſanè; nam de ſe ait, *Dolentes quærebamus te.* Et dum anima amoris iaculo vulnerata Deum quærit, & non inuenit, aliqualem conquerendi rationem habere videtur.

Luc. 23. Hieron. Matth. 27.

Anima iuſti dum Deum quærit, & non inuenit, conqueritur.

60. Ait Regius Vates Pſal. 41. n. 10. *Quare oblitus es mei? Quare contriſtatus incedo? Dum affligit me inimicus; dum dicitur mihi, Vbi eſt Deus tuus;* Sed quomodo Regius Vates tot in Deũ excitat querimonias, quòd eius oblitus ſit? Optimè cognoſcebat, vt ait D. Ambroſius, quod in Deo nulla poſſit eſſe obliuio, cùm omnia ei ſint præſentia.

Pſalm 41. Ambroſ.

Quomodo ait : *Quare contriſtatus incedo?* Optime agnouerat, quòd ob peccata ante commiſſa omnis dolor, & triſtitia exigebatur in pœnam. Dixerat Propheta in principio num. 1. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima ad te Deus.* Et dum anima amoris iaculo ſauciata Deum perquirit, & non inuenit; *dum dicitur mihi : Vbi eſt Deus tuus?* Conquerendi anſam videtur habere. Noſter Incognitus ſic ait: *Hoc oſtendit per modum cuiuſdam querelæ, dicens: Quare oblitus es mei? Quare pateris, me nunc hîc miſerijs vexari? Quare ſic prolongaſti incolatum meum?* Idem Regius Vates Pſalm. 9. n. 22. vel iuxta Hebr. Pſam. 10. num. 1. ait : *Vt quid Domine receſſiſti longè? Deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione.* Seu, vt legit D. Hieronymus. *Quare ſtas à longè?* Vbi Propheta iuxta mentem D. Auguſtini, Hieronymi, Incogniti, Genebrardi, & aliorum, in perſona electorum admirabundus conqueritur, quòd tantis in afflictionibus Deus abſentem adeò ſe præſtiterit. Sed quænam huius rei cauſa? Dixerat num. 11. *Quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.* Et dum ipſi dilecti ſedule quærunt, & non inueniunt, gemebundi dicunt : *Vt quid Domine receſſiſti longè?* Nam, vt ait Diuus Remigius in eodem Pſalmo, *Guſtata amaritudine,* (ſcilicet abſentiæ Chriſti) *magis deſideratur dulcedo,* ſcilicet præſentiæ. Et D. Hieronymus, *Quia quanto magis Deus differt, tanto magis Eccleſia dilatatur in deſiderio.*

Incogn. Pſ. 9. vel 10. Auguſt. Hieron. Incogn. Genebr.

QVÆSTIO XIX.

Tres quæſtiunculæ circa appellationem filij, quam Virgo hîc profert.

61\. PRIMA quæſtiuncula: Quare Virgo prior loquitur? Reſpondeo primò. Quia vtpote vera mater, maiori obligatione naturali filium ſibi adſtrictum habebat; & vbi maior eſt obligatio, maior eſt etiam loquendi fiducia. D. Bonauentura, *Ipſa,* ait, *fiducialiùs loquitur, & interrogat cauſam dimiſſionis, quum ſciat ſe honorari debere ab eo, ſecundùm illud.* Exod. 20. num. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Secundò. Simon Caſſianus inquit. *Loquitur priùs Virgo : affectus amoris non potuit ampliùs cohiberi.* Tertiò. Lyranus. *Ioſeph autem, licèt pater eius diceretur, non fuit auſus hoc dicere, cùm firmiter crederet, ipſum eſſe Deum, ſed mater ex maxima dilectione, quam habebat ad illum, hoc fecit; quia amor excellens dominium neſcit.* Et ſatis eleganter. Verus amor, vt dixit Tullius, purpuram neſcit, maieſtatem ignorat, ſed tantùm amanti adhærere curat.

Caſſian. Lyran. *Amor maieſtatem neſcit.* Tullius.

62\. Secunda quæſtiuncula excitatur à D. Athanaſio Sinaita *in libro*, qui dicitur, *Viæ dux. cap.* 13. notat, quòd Virgo hîc, non Deum, ſed filium appellat Chriſtum: *Fili, quid feciſti?* cùm tamen frequenter Deum appellauerit, vt patet ex eius verbis, *Ecce ancilla Domini*; & ex ſuo Cantico Luc. 2. n. 47. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Vbi refertur ſermo ad Chriſtum Dominum. Et patet ex illo verbo, *ſalutare*, ſeu *Saluatore*, vt alij habent. Reſpondeo primò. Non Deum, ſed filium dicit, ſanctiſſima Virgo humilis omnem iactantiam, arrogantiamque euitare voluit, nam ſi Deum hîc publicè diceret, iudicaretur ab ignorantibus myſterium maximè ſe, filiumque ſuum extollere. Secundò. Quando Virgo in conſideratione tanti beneficij, ſcilicet diuinæ Incarnationis, loquens erat, Dominum, Deumque dicebat, vt inde in gratiarum actiones magis conſtrictam ſe agnoſceret, dum altitudo tanta ad infirmitatem noſtram ſe ſe deiecerit. Cùm verò ipſum laboribus oppreſſum, ac inedia vexatum videret, vt ait citatus Athanaſius, filium ſuum appellabat, vt ita naturali lege, ac commotione viſcerum adſtricta de infirmitatibus eius condoleret. Tertiò. Quòd Chriſtus Dominus eſſet verus Deus, ſupremi Regis ſecretum erat Beatiſſimæ Virgini, Ioſeph, atque Elizabeth reuelatum; quòd autem eſſet filius eius, res erat publica, & notoria : & Beatiſſima Virgo bene conſcia, ſibi commiſſum Regis ſecretum abſcondere voluit; diuulgare autem, & propalare, quod erat manifeſtum. Vide *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 12.

Luc. 2. *Animus nobilis id conſiderat, vnde magis obligatur.* *Secretũ ſeruandum.*

63\. Tertia quæſtiuncula. Quòd Chriſtus Dominus in toto Euangelio à Beatiſſima Virgine hîc tantùm filius appellatur. Hanc quæſtionem ponit, & ſoluit Simon Caſſianus *lib.* 2. *cap.* 14. ita aiens: *Mirum eſt, quòd numquam matrem Virginem legimus Ieſum Chriſtum, præterquam hîc, filiali vocabulo nominaſſe. Ad magnum myſterium res ipſa reducitur, quòd reinuentus Chriſtus à matrè Virgine filius appellatur: vt ſit ſpes noſtra ſolidior, quòd velut piam matrem, impoſſibile ſit à pio filio derelinqui* Poſtquam inuentus tantùm Chriſtus Virginis ore filius appellatur, vt denotetur, quòd licèt Dominus ab anima ſancta aliquando videatur abeſſe, vt ipſa ærumnis exerceatur; mutuus tamen amor, vt inter patrem, & filium, non minuitur, ſed vehementer augetur. *Vt quid, Domine, receſſiſti longè? Deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?* Pſalm. 9. num. 22. Quod eleganter explicant Incognitus, & D. Thomas, *In hoc videris nos deſpicere, dum in tempore, in quo deberes auxilium ferre, videaris diſſimulare. Opportunè hoc facis: quia Sancti inde proficiunt ad meritum vitæ æternæ.*

Caſſian. *Verus amor abſentia non minuitur, ſed augetur.* Pſalm. 9. Incogn. D. Thom.

QVÆSTIO XX.

Quomodo ait Virgo; Quid feciſti nobis ſic?

64\. HIs verbis Beatiſſima Virgo ingentem expreſſit dolorem, quo eius cor erat tranſfixum, de quo dixi *q.* 11. Hoc enim indicat aduerbium illud *ſic.* Illo vtitur Ioannes. 3. *n.* 16. ad explicandum infinitum Dei amorem. *Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret.* Eundem loquendi modum aſſumit Spiritus ſanctus ad declarandum immenſum Chriſti laborem pro nobis. Ioann. 4. num. 6. *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic.* Eandem ergo phraſim, per quam Spiritus ſanctus nobis manifeſtat ineffabilem Dei amorem, & ingentem Chriſti pro nobis laborem, apponit hîc Euangeliſta, ad exprimendum Virginis vehementiſſimum dolorem, nullo enim alio meliùs explicari poterat.

Ioan. 3. Ioan. 4.

65\. Et ait : *Fili, quid feciſti?* Ideſt, vt dixi in expoſitione : Quare, nobis inſciis, remanſiſti in Hieruſalem? Ita communiter omnes Patres, & expoſitores.

ſitores. Singulariter hæc verba explicat Timotheus : *Quid feciſti?* Quid à te actum eſt, vt tantam ſapientiam tuam aperires, ac eis præſtantiorem teipſum exhiberes, vt in te mortem iam machinari incipiant, vt ego tanto filio ſim orbata? Timotheus Presbyter *oration. de occurſu Domini*, quæ habetur in Bibliotheca magna *tom.* 4. *in fine*, ita ait in perſona Virginis. *Cur interrogas, & doces, qui nondum literas didiciſti? Cur pro ſapientiæ doctore te geris? Cur inuidiam aduersùs te concitas? Cur me liberis orbare vis? Ecce ardentibus oculis te vndique aſpiciunt; iam dentibus ſuis ſtrident, tamquam feræ beſtiæ, quæ aduersùs agnum tenerum mouentur.* Vbi primum tanta eos omnes manifeſtata ſapientia antecelluit, omnes inuidia moti; mors iam in eorum animis parabatur ei, nam, vt ait Petrus Bleſenſis Epiſtol. 97. *Inuidiæ proprium eſt laudem alterius ſuam reputare iniuriam.*

Timoth. *Maior virtus ab inuidia impetitur.* Bleſenſis.

66\. Multories Danielis induſtria ſapientes Babyloniæ à morte liberati ſunt; nam cùm tempore Nabuchodonoſoris ſomnium, & interpretationem dicere non valerent, *Egreſſa eſt ſententia à facie Regis, vt omnes perirent*, Daniel. 2. num. 13. Cùm tempore Baltaſſar Scripturam legere non poſſent, Rex conturbatus eſt valde, & vultus immutatus, *Daniel.* 5. *num.* 9. Sapientiâ Danielis Rex quieuit, & nullus occubuit. Attamen cùm poſtea Daniel omnes ſuperaret; tunc congregati principes, ac ſatrapæ in eum moliti ſunt mortem, & occaſionem quærebant, vt in lacum leonum mitteretur Daniel. *cap.* 6. *num.* 3. Sed quomodo obliti ſunt beneficij vitæ, quod per manum eius impetrarunt? Quomodo non timent in aliam ſimilem incidere occaſionem, vt morte pereant? Ait textus : *Daniel ſuperabat omnes.* Inuidiâ accenſi plus dolebant, quòd Daniel ſapientia eos antecederet, quàm quòd amittendi propriam vitam occaſionem haberent. Lyranus, *Ponitur liuor*, ait, *ex parte principum, qui ſolet vigere in curijs magnatum, & quia inuidus ſemper quærit occaſionem contra innocentem, ideo quærunt contra Daniel.* Crudele vitium inuidia; nam, vt luculenter, ac doctè ait D. Bernardus tractatu de interiori dono, cap. 13. *Per inuidiam namque ſanctè viuentium merita, mea feci inuidendo peccata. Nam bona, quæ ab eis fieri, vel dici audiebam, vera omnino non credebam, ipſas res bene geſtas, in malum, malè interpretando, conuertebam.*

Daniel. 2. *Inuidus plus dolet de bono alterius quã de ſua morte.* Daniel. 6. Lyran. Bernard.

QVÆSTIO XXI.

Circa myſterioſa verba : Pater tuus, & ego dolentes.

67\. CVR Ioſeph dicatur Chriſti parens, ſuprà iam explicatum eſt ſatis. Cur verò priori loco nominatur? Non ait : Ego, & pater tuus, ſed contrà? D. Auguſtinus *ſermone de Chriſti parentibus*, ſic ait : *Nouerat Virgo parere filium Altiſſimi, & erat humillima, nec ſe merito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret: Ego, & pater tuus, ſed pater tuus, inquit, & ego.* Vbi duplicem huius rei rationem apponit; vnam ratione humilitatis; alteram ratione reuerentiæ, & honoris erga Ioſeph exhibiti. In magna æſtimatione ac opinione ſanctitatis erat Beatiſſimus Ioſeph apud Virginem; ita vt quando ei Angelus dixit, *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, Luc. 1. num. 35. Sunt viri bonæ notæ, qui teneant Virgini fuiſſe obiectum, ac repræſentatum, an per Altiſſimum eſſet Ioſeph intelligendus? Hæc expoſitio eſt multum moralis, & non vera, nec approbanda, nec tenenda : nam Beatiſſima Virgo donis Spiritus ſancti repleta certiſſimè, & euidenter cognouit, & penetrauit, per Altiſſimum Deum omnipotentem ſignificari & intelligi, & hoc manifeſtè declarauit Angelus in ſuis verbis, dixit enim, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Secundò. Diligenter nota, quòd Virgo ante omnes loquitur ad Ieſum : *Fili, quid feciſti?* Primum tamen, & honorificum locum dat Ioſeph, ſecundùm ſibi reſeruat, *Pater tuus, & ego.* nam quòd Ioſeph parens diceretur, primumque obtineret locum, ad vrbanitatem, & humilitatem Virginis ſpectabat, quòd ipſa ante omnes loqueretur; amoris erat affectus, vt patet ex dictis; nam humilitas, ac reuerentia primum locum libenter aliis præſtat : quod eximia charitas in his, quæ ſunt amoris, minimè permittit, ſed primas ſibi vindicare affectat.

Auguſt. *Ioſeph in magna reuerentia ergã Virginem.* Luc. 1. *Vrbanitas alium priorẽ eſſe permittit, non verò amor.*

68\. Incedens abraham cum Lot conſobrino ſuo, dedit ei poteſtatem, vt ad habitandum terram eligeret : *Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me; obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo*, Geneſ. 13. num. 9. Tres autem Angelos hoſpitio recipiens primus ad armentum cucurrit, *Geneſ.* 18. *num.* 7. Sed quomodo in obſequio Angelorum primus, cum Lot verò ſecundus eſſe vult? Dum cum conſobrino agebatur, ait Abulenſis: *Abrahamus ex vrbanitate tradidit poteſtatem eligendi Lot.* Quòd verò cucurrit ad armentum, impulſus fuit eximij amoris, vt tradit D. Bonauentura *in Opuſc. Diætis ſalutis*, *cap.* 7. Et in his, quæ reuerentiæ erant, Abrahæ animus, vt alij primas habeant, libenter annuit; quæ verò amoris, & charitatis, vt alij præirent, maximè renuit.

Geneſ. 13. Abulenſis. Bonauent.

69\. *Dolentes*, ait, quod ſibi maximè connectit. *Pater tuus, & ego dolentes*; non verò è contra dixit: Dolentes pater tuus, ſed *dolentes* ſibi maximè connectit. Quæ honoris erant, *Pater tuus*, Ioſeph aſcribebat; quæ verò doloris, ſibi maximè adiungebat. Secundùm mentem ſanctorum Patrum Auguſtini, Baſilij, Chryſoſtomi, ſæpe Regius Vates in perſona iuſtorum loquitur; at dum de miſeriis, ac laboribus agit, ſe in perſona propria introducit: *Dolorem in corde meo per diem*, Pſal. 12. num. 2. *Circundederunt me dolores mortis*, Pſal. 17. num. 5. *Defecit in dolore vita mea*, Pſalm. 30. n. 11. & ſæpe. At dum de eorum gloria eſt ſermo, frequenter per tertiam deſcribitur perſonam. *Gloria & honore coronaſti eum*, Pſal. 86. *Cornu eius exaltabitur in gloria*, Pſalm. 111. n. 9. *De ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus*, Pſal. 112. n. 7. Sed in hoc quid denotat Propheta; Meus Incognitus. *Omniũ miſerias, ac dolores in ſe conuerti deſiderabat.* Ærumnas, & afflictiones propriæ perſonæ aſcribebat, gloriam, & exaltationes alteri deputabat.

Iuſtus ſibi dolores, alijs attribuit glorias. Auguſt. Baſil. Chryſoſt. Pſalm. 12. Pſalm 17. Pſalm. 30. Pſalm. 86. Pſalm. 111. Pſalm. 112. Incognitus.

***

Qvæstio XXII.

Quomodo dolentes requirebant?

70. Origen. Boſtrenſ. CVM magno dolore, de quo multa dixi *quæſt.* 10. requirebant puerum Ieſum; vt eleganter explicant Origenes *homil.* 19. Titus Boſtrenſis *hîc. Nunquid*, inquiunt, *quærebant eum, tamquam quòd perijſſet, aut ab itinere, vt pueri ſolent, aberraſſet? Abſit. Neque id ſapientiſſimæ Virgini, aut Ioſeph, in mentem veniebat. Quærebant eum perinde, ac ſiquis abditam Scripturæ ſententiā quærat. Conſtat namque anxiè, dolenter illam inquirere; non quidem vt errantem, aut falſam, aut fallentem, ſed vt veram, myſticamque doctrinam continentem, nec dum tamen proditam. Ad eum ergo modum, & illi quærebant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Virgini, & Ioſeph euidenter notum erat, quòd puer ex alto Dei conſilio ab eis diſcederet; cùm tamen cauſam ignoraſſent, ideo dolenter quærebant.

Ignorantia euentus rei torquet.

71. Magnum tamen hîc habemus documentum: iſti ſanctiſſimi parentes dolebant, quòd Ieſus ab eis eſſet abſens, & amiſſus; at verò ibi non ſiſtebant, ſed quærebant eum, vt inuenientes lenirent dolorem; non enim ſolùm de præſenti malo dolendum, ſed etiam opportunum remedium adhibendum. At peccatores, cùm Deum perdiderint, licèt tantiſper doleant aliquando, eum tamen nec requirunt, nec diligentiam adhibent, vt inueniant. Cùm Iſraël extremam deploraret miſeriam, Oſeas 7. num. 11. ait *Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor.* Septuaginta legunt: *Quaſi columba inſipiens, amens.* Sed cur Propheta extremam Ephraim calamitatem, & inſipientiam columbis comparat? D. Hieronym. *Quæritur, cur Ephraim, non alijs auibus, ſed columbæ comparatus ſit? Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.* Tamen Ariſtophanes, & alij, vt experientia monſtat, notant quòd columba licèt ablatum filium videat, gemat, & doleat, minimè requirit. Et quæ maior inſipientia, ac miſeria eſſe poteſt, quàm dolore cruciari de amiſſo bono, ac illud nullo modo inueſtigare.

De bono amiſſo non ſolum dolendū, ſed & inquirendum. Oſeæ 7. Septuag. Hieron. Ariſtoph.

Lucæ 2. n. 49. Et ait ad illos: Quid eſt quòd me quęrebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.

VERSIONES.

Syriacus. Et dixit eis: Cur me quærebatis? Neſcitis, quòd in domo Patris mei oportet me eſſe.

Vatablus. Et ait illis: Quid tum, quòd quærebatis me?

D. Ath. Dialog. contra Maced. Quorſum me quærebatis? An neſciebatis, mihi peragenda eſſe mei Patris negotia?

Tertull. aduersùs Praxeam. c. 26. Non ſcitis, quòd in Patris mei me eſſe oportet.

Caietanus. Quæ Patris mei ſunt, opus me eſſe.

EXPOSITIO.

72. QVAMVIS Virgo ſola locuta fuiſſet; quia tamen ſuo nomine, ac Ioſeph protulit verba, illis duobus reſpondet Chriſtus: *Dixit ad illos.* Virgo dixerat, *Dolentes quærebamus te.* Chriſtus non reſpondit: Quid eſt, quòd dolentes me quærebatis? Sed tantùm, *Quid eſt, quòd me quærebatis?* Nam cùm dolor ſit affectus quidam ex bono amiſſo, vel abſenti reſultans, aliquando permittendus eſt, præcipuè quando inſeruit ad meritum, vt in parentibus Chriſti. *Quid eſt, quòd me quærebatis*, ait: Verba non ſunt reprehendendi, vt dixit D. Ambroſius *hîc*, ſtudium ipſum quærendi, cùm aliàs fuerit ſanctum, & pium; ſed verba ſunt, vt notant Beda, Haymon, Carthuſianus, Ianſenius, inſtruendi; imò & conſolandi; quod non erat neceſſarium ipſum quærere; cùm enim cognoſcerent eum, vt Deum verum, non caſu, ſed ex alto conſilio ab eis diſceſſit. Nec ſequitur, quòd vanum fuerit, & ſuperfluum officium ipſum quærendi; multa enim etſi non neceſſaria, tamen ex pio affectu perfunctoriè fiunt, vt ſi dem eleemoſynam non egenti, dum mihi pauper repræſentatur. Laudabiliter Ioannes voluit adorare Angelum, *Apocal.* 19. *num.* 10. quamuis non eſſet neceſſarium.

Dolor de bono amiſſo permittendus. Ambroſ. Beda. Haymon. Carthuſ. Ianſen.

73. *Neſciebatis.* Non ait hoc aſſertiuè, ſed per interrogationem, vt notant Ianſenius, Caietanus, & alij. *Quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Idem valet. Manifeſtum vobis eſſe poterat, quòd negotiis mei Patris, ſeu ſaluti generis humani, ad quam veni, neceſſarium eſt mihi incumbere. Aliter Origenes *homil.* 20. Epiphan. *hæreſ.* 30. S. Leo *Epiſt.* 4. *ad Epiſc.* S. Auguſt. *de ſeptem ſerm. ſerm.* 2. explicant præfata verba de templo. Et fauet lectio Syriaca. Vnde ait Carthuſ. *Charitatiuè inſinuat qualiter quærendus fuit, in his, ſcilicet in templo, & cultu Patris mei oportet me eſſe, quia veni, vt indeficienter honorem Patris mei procurem.* Prima expoſitio accommodatior; nam *opus* in Euangelio ſignificat noſtram redemptionem. Ita ait Chriſtus Ioan. 4. n. 34. *Vt perficiam opus eius*, cap. 5. n. 36. *Opera, quæ dedit mihi pater*, cap. 17. *Opus conſummaui.* & ſæpe, *Patris mei.* Non ait, vt notat D. Cyrillus *ad Reginas*; Patris omnium, ſeu noſtri, vt quando dedit formam orandi diſcipulis ſuis. *Pater noſter*, Matth. 6. n. 9. Sed ait, *Patris mei.* Vt ita oſtendat, ſe peculiariter habere Deum patrem, ſcilicet, vt ſubſtantialem, & naturalem. Illud autem verbum, *oportet*, præceptum Patris circa hoc negotium indicat. Et virgo de patre putatiuo dixerat; *Pater tuus, & ego.* Ipſe autem recurrit ad præceptum patris naturalis, quo obligabatur.

Ianſen. Caietan. Origen. Epiph. Leo. Auguſt. Carthuſ. Ioan. 4. 5. & 17. Cyrillus. Matth. 6.

Qvæstio XXIII.

Quare Chriſtus Dominus matri ita reſponderit, Quid eſt, quòd me quærebatis?

74. HVIVS rei ea eſt, quam appoſui in expoſitione, germana ſolutio; ipſi enim ſcire poterant, quòd non caſu, ſed vt noſtræ ſalutis negotia ſibi à patre commiſſa impleret, ab eis ſe ſubtraxerit. Deinde alias huius rei proferamus rationes. Et ea mihi nunc primò occurrit. Quia Chriſtus Dominus hac ratione voluit claudere venenoſa ora Lutheri, Caluini, aliorumque hæreticorum, qui impiè, de more ſuo, de diligentia, ac ſedulitate Beatiſſimæ Virginis, & Ioſeph ſenſerunt, ita vt dixerint, quòd culpa ſua Chriſtum amiſerint. His occurrit Chriſtus Dominus, quòd cùm ipſe ſit verus filius Dei, ad negotia parentis ſui ferebatur totus. *In his quæ patris mei ſunt, me oportet eſſe*; ac proinde nulla humana diligentiâ impediri poterat, quominus hæc opera impleret; & ita nihil reprehenſione dignum commiſere parentes. Ea eſt ſapientia Chriſti, quòd in his, quibus videtur reprehendere, nos exaltat, ac ſubleuat, & ſine culpa liberos oſtendit, & hoc peculiariter erga ſuam ſanctiſſimam matrem, ac Ioſeph dicendum eſt, quos veluti propriam vitam Chriſtus diligebat. Suprà *num.* 48. ex D. Ambroſio dixi, per tres illos dies, quibus noſter Saluator à ſuis parentibus eſt auulſus, ſuæ ſanctiſſimæ mortis tempus præfigurari; quando verò poſt triduum inuenitur in templo, ſuam ſanctiſſimam reſurrectionem adumbrari; ſed cur quando Chriſtus recedit à ſuis parentibus, mors eius repræſentatur? quando verò ab eis inuenitur, eius glorioſa, ac feſtiua reſurrectio declaratur. Nullum ſanè conuenientius tempus; ita enim dolore tangebatur Chriſtus, dum à ſuis parentibus diſcedebat, ac veluti quando mors interuenit, & anima à corpore ſeparatur. Ita verò lætitia perfundebatur, dum eis ſe aſſociabat, vt videretur dari quædam adumbratio, ac imago reſurrectionis, & reunionis animæ cum corpore.

Chriſtus dum nos videtur reprehēdere, nos ſubleuat. *Chiſtus diligebat Virginem, ac Ioſeph veluti vitam.*

75. Secundò. Ianſenius, Caietanus, & alij dicunt, quòd ita parum blandè reſpondit, quoties materna authoritas ſe voluit interponere, dum de ſalute generis agebatur humani; vt *Matth.* 12. *n.* 49. Voluit Dominus hoc ſuo exemplo temperare carnis affectum, nobiſq; manifeſtare omnem parentum amorem diuino poſtponendum; nihil enim eſt pernicioſius in Eccleſia Dei, quàm ad conſanguineos immoderatus affectus, ex quo multa mala, & grauia ſcandala oriuntur. Tertiò. Haymon *in homil.* ſic ait: *Non vituperat Dominus eos, qui eum quærebant, ſed cogit eos ſurgere ad intellectum, vt intelligant, quia plus debet homo obedire vero Deo Patri, quàm homini matri.* Quartò. Euſeb. Emiſſen. *homil. in Domin. 1. poſt Epiphan.* ait: *Quid eſt, quòd me in comitatu infidelium, & extra Eccleſiam eſſe putabatis, hîc eram: hîc me quærat, qui quærere vult.* Ita reſpondet, cùm extra templum inter cognatos, & notos quæſierint eum; Chriſtus enim, non inter opera carnis, & ſanguinis inuenitur, ſed in Eccleſia, ac negotiis ſpiritualibus ſui patris, noſtræque ſalutis reperitur.

Ianſen. Caiet. *Affectus carnis ab Eccleſia amputandas.* Haymon. Euſebius. *Chriſtus inter opera carnis non inuenitur.*

76. Quintò. Idem Euſebius ait *citato loco*, per matrem Domini Synagogam ſignificari, de qua Dominus ſecundùm carnem originem duxit; hæc autem in fine mundi ad Eccleſiam veniens, veritatem intelligens, ſui ignorantiam, & Chriſti admiratur abſentiam; & admirando dicit, *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Cur nos reliquiſti, & ad Gentium Eccleſiam pertranſiſti? Cui Dominus dicit: *Quid eſt, quòd me quærebatis*, inter opera carnis, inter dominatum, & principatum; cùm in negotiis mei patris, & veſtræ ſalutis ſpiritualis ſemper fuerim,

Euſebius. *Synagoga de Chriſto admiratur.*

Sextò. D. Bonauentura hîc, *Dominus*, ait, *durè reſpondit, & dedit nobis exemplum, & formam humilitatis, vt malimus corripi, quàm laudari.* Eccleſ. 7. n. 6. *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* Illud, quod eſt neceſſarium, in veritate dicendum, & non diſſimulandum. Septimò. Ita parum blandè reſpondit; quia nemini fit iniuria, quando res maioris ponderis, ac vtilitatis communis, vt erant, quæ ad Patrem ſuum pertinebant, anteponuntur minoris momenti negotiis, eſto inde temporalium parentum, amicorumque reſultet incommodum. Octauò. Vt explicat Ioannes Nouatus *de Eminentia Virg. tom.* 1. *cap.* 16. *quæſt.* 5. Virgo in illis verbis. *Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te*; occaſionem dederat circunſtantibus, dum patrem Ieſu vocauerat Ioſeph, exiſtimandi ſe ipſam modo ordinario non illibata virginitate concepiſſe, & peperiſſe, deinde dum Ioſeph patris nomen tribuit, occultat ſe eſſe matrem Dei; verùm filius eius, cuius eſt humiles exaltare, declarauit eiſdem, quia Virginem audierant, ſe non habere patrem niſi Deum, & per conſequens fuiſſe genitum ex Virgine intacta, cui realiter Dei maternitas competebat.

Bonauent. Eccleſ. 7. Ioan. Nouat.

77. Nonò. Timotheus Præſbiter Hieroſolymitan. *orat. de occurſu Domini, circa finem*, ſic ait: *Quid eſt, quòd me quærebatis, atque etiam vbi quærebatis? In cælum non aſcendiſtis, in Infernum non deſcendiſtis, in cete Ionæ non commorati eſtis.* Ecce Dominus oſtendit locum, vbi inueniri poteſt. In cælo, vbi ſuos beatificat electos; in Inferno, vbi ſupplicio debito afficit iniquos; in vtero Ionæ, ceu cete, in qua afflictus, multiſque laboribus oppreſſus deſignatur, ita vt videatur à miſeriis quodammodo deuoratus, ibi adeſt Deus, & facilè à quærentibus inuenitur. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Geneſ. 1. num. 2. Sed cur tertia Deitatis perſona ſedem ſibi collocat ſuper aquas? non verò in cælo, vbi Beati reſident, de quo dicitur: *Cælum mihi ſedes eſt.* Et iterum: *Cælum cæli Domini*, Paſm. 113. num. 16. Per *aquas* in Sriptura intelliguntur afflictiones, & tribulationes. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*, n. 2. Et iterum, *De profundis aquarum*, n. 5. *Et non me demergat tempeſtas aquæ*, num. 16. Quid ergo mirum ſi Spiritus ſanctus in aquis ſedeat, & reſideat, vbi tribulationes, & afflictiones adumbrantur? D. Bernardus in Pſalm. 90. ſerm. 16. *Omne gaudium*, ait, *exiſtimemus, cùm in tribulationes varias inciderimus, fratres mei: non modò, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; ſed quoniam iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde*, Pſalm. 33. n. 19.

Timoth. *Ibi adeſt Chriſtus, vbi afflicti.* Geneſ. 1. Pſalm. 113. Bernard.

Qvæstio XXIV.

Quare Chriſtus Dominus hîc Deum patrem ſuum primò eſſe dicat?

78. RESPONDETVR primò, vt dixi in expoſitione. Quia Virgo loquebatur de patre ſuo putatiuo: *Ego, & pater tuus dolentes*; ipſe verò recurrit ad Patrem Deum, cuius mandatis potiùs erat obediendum. Secundò. Quia erat hic in templo, tractanſque de rebus religionis, ac proinde diuinum aliquid relucebat in eo. D. Epiphanius

Epiphan.

in Catena Græca hîc, dum argumentatur contra hæreticos, dicentes Chriſtum Dominum non eſſe Deum niſi à Baptiſmo, quando Spiritus ſanctus in eum deſcendit. Horum falſitatem conuincit S. Pater, & ſic ait. *Audiat & Bion, quòd ab anno duodecimo, non tantùm poſt trigeſimum, Chriſtus reperiatur mirabilis in ſermonibus gratiæ, adeò vt nefas ſit dicere, quòd ex quo ſuperuenit in eo Spiritus ſanctus, factus ſit Chriſtus. Etenim cùm ab infantia ſua, & templum & patrem cognouerit, non vtique merus homo fuit; nec poſt delapſam in eum columbam Chriſtus eſt appellatus.* Ingenioſè argumétatur S. Pater, quòd Chriſtus ab initio ſit Deus, cùm ab infantia ſua reſideat in templo de religione agens; ac proinde aliquid iam ſupra humanam naturam videatur in eo. *Cùm ab infantia ſua templum cognouerit.*

Aſſiſtentia in templo ſupra naturam nos extollit.

79. Secundò. Chriſtus Dominus totus hîc deditus erat docendo, & inſtruendo homines in rebus Patris ſui, noſtræque ſalutis negotiis; & prædicando Patris adimplet præceptum, ſuumque, ad quod miſſus erat, perficit opus, *Ioan.* 4. *num.* 34. & 5. *num.* 36. Tunc incipit patrem vocare Deum, & filius eius declarari. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion mõtem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Pſalm. 2. n. 7. vbi ſermo eſt de Chriſto Domino in Eccleſia Euangelium prædicante, vt explicant D. Hieron. D. Remigius, D. Thomas, Incognitus, & alij. Sed cùm Chriſtus Dominus ab initio ſit Deus, cur quando Pater eum in Eccleſia Euangelium videt docentem, tunc de eo ait: *Filius meus es tu*: Quanuis ſemper à Patre ſubſtantialiter genitus ſit: tunc tamen ab eo filius publicatur, quando totus in præcepto Patris occupatus noſtræ ſalutis prædicabat opus. D. Brunonius ſic ait: *Prædicans præceptum eius: hoc eſt, Euangelium in Eccleſia, & tunc Dominus, ſcilicet Pater, ait: Filius meus es tu, & in Euangelio, Hic eſt filius meus dilectus: dicendo autem, hodie, coæternitatem ſuæ maieſtatis oſtendit.* Similiter dum in transfiguratione Chriſtus cum Moyſe, & Elia de exceſſu loqueretur, hoc eſt, de morte ſua, Pater alta voce filium ſuum eſſe clamat: *Hic eſt filius meus dilectus*, Matth. 7. num. 5.

Pſalm. 2. — Hieron. Remig. D. Thom. Incogn — *Chriſtus cùm docet, filius Patris declaratur.* — Brunonius. — Matth. 7.

QVÆSTIO XXV.

Quidnam fuerit maius in Beatiſſima Virgine, dolor de puero amiſſo, an lætitia de inuento?

80. DICENDVM eſt multo maius fuiſſe gaudium, dum puerum deperditum inuenit, quàm dolorem, dum ipſum amiſit. Primò. Quia, vt ait Simon Caſſianns *lib.* 2. *cap.* 24. vehementius eſt gaudium cùm res inuenitur deperdita, quám dum poſſeſſa antequam deperderetur: inuenta enim maximè delectant. Secundò. Virgo, dum filium perdidit, triſtabatur ex motiuo particulari, nempe ex abſentia ſui dilecti ſibi facta; cùm verò ipſum inuenit, gaudebat ratione tam ſui, quàm noſtræ ſalutis, de qua eum tractare iam viderat: & iuſtus plus de communi gaudet bono, quàm de particulari damno dolet. Ita ait D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* quòd anima Chriſti Domini plus exultabat de ſalute generis humani, quàm triſtabatur de morte Crucis.

Caſſian. — *Iuſtus gaudet de communi bono.* — Paſchaſ.

Tertiò. Dolor in amiſſione filij cauſa merendi extitit; gaudium verò quando repetit, rationem habuit præmij; & Deus in præmiando multo eſt liberalior, quàm nos in promerendo. Iacob de morte Ioſeph accipiens nuntium flebat, dicens: *Deſcendam lugens ad filium meum in infernum*, Geneſ. 37. n. 35. Poſtea verò audiens eum viuere, ac dominari in terra Ægypti, quaſi è graui ſomno euigilans, dicebat: *Sufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit*, Geneſ. 45. num. 28. Vtrumque locum comparat D. Chryſoſt. *homil.* 65. *Geneſ.* & ſine dubio in ea eſt ſententia, quòd multò maior lætitia fuerit, quando accepit ipſum viuere, cùm hoc ei à Deo in præmium fuerit datum; & ita ait S. Pater: *Hæc autem omnia eò deſtinabat, & diſponebat Deus, vt iuſtus laborum ſuorum conſolationem acciperet.* At verò quando ipſum mortuum exiſtimauit, illam tentationem Deus in merendi occaſionem dedit: & Dei præmium noſtrum meritum maximè excedit ſemper. 81.

Deus liberalior in præmiando, quã nos in merendo. — Geneſ. 37. — Geneſ. 45. — Chryſoſt.

De filiis, ac filiabus Iob dicitur, quòd ea inter ſe charitate erant connexi: *Quòd ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas*, Iob. 1. n. 4 In quib. apparet mutuus inter ſe amor, & eximia in Deum religio, vt notant D. Gregorius, Olympiodorus, & alij. Nam conuiuia illa ſacrificia erant, quæ in Dei honorem offerebantur. Poſtquam autem Iob hos amiſit filios, alioſque accepit, de horum virtutibus nulla fit mentio, & tamen conſtans eſt ſententia Patrum, D. Hieronymi, Gregorij, Origenis, Bedæ, quòd fuerint multo meliores prioribus. Sed cur textus ſacer hoc nobis non exprimit? Sine dubio vt manifeſtum ſupponit: nam primi filij occaſione meriti conceſſi ſunt; ſecundi verò, veluti patientiæ, tamquam præmia, fuerunt accepti; Deus autem obſequia, ac merita noſtra longè præmiando ſuperat, vt ait D. Gregorius Nazianzenus de pauperum amore. *Numquam*, ait, *Dei liberalitatem; & magnificentiam vinces, quamuis omnium tuarum facultatum iacturam feceris, ac etiam facultatibus te adiunxeris.* 82.

Iob. 1. — Gregor. Olympiod. — Hieron. Gregor. Origenes. Beda. — Nazianz.

Lucæ 2. *n.* 50. Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.

VERSIO.

Syriacus. Illi verò non intellexerunt ſermonem, quẽ dixerat eis.

EXPOSITIO.

EVTHYMIVS tenet, quòd non intellexerunt rem patris ſui eſſe templum; at hæc expoſitio minimè placet. nam per rem patris ſui opus noſtræ ſalutis intelligitur, vt patet ex ſuperiori expoſitione. Sicut etiam non placet ſententia eorum, qui hæc ad auditores referunt; nam illud relatiuum *Ipſi*, perſonas proximas indicat. Deinde ſequenti verſu ait Euangeliſta, *Deſcendit cum eis.* Ergo hæc referuntur ad Chriſti parentes. Et ſicut Beatiſſima Virgo, quamuis magnam habuerit gratiam, tamen quandiu vixit, ſemper in illius proficiebat augmentum; ita etiam creſcebat in ſacrorum myſteriorum intelligentia. Et licèt Virgo, & Ioſeph optimè agnouerint, vt notant Carthuſianus, Maldonatus, & alij, Chriſtum, per Patrem ſuum, intelligere Deum, non tamen intellexerunt myſterium, quarè in illa ætate inter Doctores ſe reuelauerit. Cur autem Beatiſſimæ Virgini datum non fuerit, vt hæc intelligeret? Ratio à priori; diuina voluntas, quæ reuelat ſingulis ſingula, prout vult. Et quia tunc non erat tempus, vt hæc myſteria reuelarentur. Secundò, hoc maximè fuit ad conſolationem noſtram, ſi omnia non penetramus, ſed vt imitemur Beatiſſimam Virginem, conſeruando verba Chriſti in corde, vt ea capere poſſimus: nam quamuis tunc Virgo non penetrauerit circunſtantias myſterij, de ea dicitur: *Conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Tertiò. Ob magnam Virginis commendationem hoc permiſſum eſt; nam quamuis non intellexerit omnes circunſtantias myſterij; tamen quieuit, & vlteriùs filium de hoc non quæſiuit: nam vbi cognouit illud eſſe opus paternæ voluntatis, nihil amplius interrogauit, ſed magna reſignatione diuinæ diſpoſitioni ſe conformauit, ex quo habes quantum debeamus noſtrum intellectum ſubmittere diuinæ ordinationi. 83.

Euthym.

Carthuſ. Maldon. — *Cur Virgo nõ intellexit.* — *Intellectus ſubmitiẽdus diuinæ ordinationi.*

Lucæ 2. *n.* 51. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.

VERSIONES.

Syriacus. Et ſubiectus erat eis. Mater verò ipſius conſeruabat hos omnes ſermones in corde ſuo.

Textus Hebraicus. Conſeruabat has omnes res

D. Ephrem de virtute, c. 2. Venit Nazareth, & erat ſubditus parentibus ſuis.

EXPOSITIO.

84. CVM Nazareth in inferiori loco eſſet à Hieruſalem, vt notat Hugo, quantum ad ſitum loci, ideo dicitur, quòd Ieſus deſcenderit; quantum verò ad myſterium, exprimitur modus illius humilitatis. Vnde eleganter exclamat D. Antonius Vlyſſiponenſ. ſerm. in infra Octauam Epiphan. *O rigida ſuperbia, quæ ſuper altitudinem nubium moliris aſcendere, ſupra aſtra cæli ſolium tuum exaltare, in monte teſtamenti ſedere, deſcendere, obſecro, quia Ieſus deſcendit.* Et erat ſubditus illis. Ex alta conſideratione hæc ait Euangeliſta, ne quis putaret, ex ſuperiore reſponſione, quòd Chriſtus parentes ſuos contempſerit: nam, vt ait Caietanus, quamuis ad breue tempus ſe exemerit à parentibus, vt velut præludium futurorum oſtenderet, ac præceptum Patris impleret, tameñ regreditur ad ſolitam ſubiectionem à filiis illius ætatis parentibus debitam. Dicitur, *ſubditus*, ſecundùm naturam humanam, vt explicant D. Auguſtinus *tom.* 6. *lib.* 3. *contra Arrium*, *cap.* 18. D. Hilarius *lib.* 11. *de Trinitate*, D. Hieronymus *Epiſtola ad Amandum*, & alij innumeri.

Hugo. — Ant. Vlyſſip. — Caiet. — Auguſt. — Hilar. Hieron.

85. *Et mater eius conſeruabat omnia.* Hæc eadem ait Euangeliſta de Beatiſſima Virgine, *cap.* 2. *num.* 19. Et ideo videnda ſunt quæ diximus *hoc lib. cap.* 2. *num.* 13. & *quæſt.* 4. Quamuis Beatiſſima Virgo exactè non intelligeret omnia verba, & facta Chriſti Domini. Et ita clariùs habet textus Hebraicus, *has omnes res*; illa tamen conſeruabat, ac retinebat in mente. *Omnia verba hæc*; hîc Boſtrenſis intelligt omnia dicta Paſtorum, ac Simeonis. Sed illud relatiuum *hæc*, proximè facta reſpicit. Et ſanctiſſima Virgo etſi præſentia non penetraret myſteria, tamen vt diuina, & ſupernaturalia maximè obſeruabat. Vnde ait Carthuſianus, *Verba, & facta filij ſui in corde, tamquam optima, ac docillima ſapientiæ æternæ diſcipula, ſaporis capaciſſima, ac auidiſſima, quidquid filius eius de cætero fecit, aut dixit, cum ſumma veneratione penſauit, ac inde eminenter profecit. In corde*; quia non erat loquax, ſed tantùm ſecreta ſupremi Regis ſecum conferebat.

Boſtrenſis. — Carthuſ.

QVÆSTIO XXVI.

Quare Chriſtus Dominus ſubditus erat parentibus ſuis?

CHRITVS Dominus, non vno, vel altero anno, ſed per longum tempus ad annum vſque trigeſimum parentibus ſuis ſubditus erat. Et ita ait Brixianus, quòd *hæc dicit Euangeliſta admirans maieſtatem illam filij Dei tot annis fuiſſe ſubiectam Mariæ, & Ioſeph.* Cauſa tanti myſterij, ac ſubiectionis hîc inquirimus. 86.

Brixian.

Primò. Ne à parentum poteſtate ſe ſubduxiſſe videretur, vt dixi in expoſitione, ideo hæc dicit Euangeliſta. Secundò. Chriſtus Dominus in ſuis actionibus continuò ita ſe habebat, vt ſemper manifeſtaret, qualis eſſet, ſcilicet Deus, & homo; vt Deus, repertus eſt docens in templo; vt homo, virginiſque filius, parentibus ſuis ſubditur. Tertiò. Vt relinqueret nobis exemplum obediendi parentibus noſtris, vt inquiunt D. Ambroſius, Beda, Euthymius, Theophylactus, & alij. Et vt etiam præberet excitamentum præſtandi obedientiam parentibus adoptiuis, illiſque qui loco eorum ſunt, vt adnotarunt Euthymius, Origenes homilia 20. *Quòd ſi patres non fuerint, ſubijciamur his, qui patrum ætatem habent.* Imò Religioſi habent hîc documentum obediendi Prælatis ſuis, vt notat Hugo, quamuis literis, & virtute inferiores ſint. Vnde ait citatus Origenes; *Videat ergo vnuſquiſque quòd ſæpe melioribus præpoſitus ſit inferior, & nonnunquam accidat vt ille, qui ſubditus eſt, melior ſit eo, qui ſibi videtur eſſe præpoſitus.* Et vt generaliter dicamus, omnibus dedit exemplum obediendi, & maximè verecundum, & indigniſſimum eſt, quòd ſupremus omnium Dominus ſit obediens, & vermiculus inſoleſcat detrectans obedire. Elegant[er] D. Bernardus homilia 1. ſuper Miſſus eſt, *Diſce*, ait, *homo, obedire; diſce, terra, ſubdi; diſce, puluis, ob-* 87.

Ambroſ. Beda. Euthym. Theophyl. — Euthymius. Origenes. — Hugo. — Origenes. — *Exemplum obedientiæ.* — Bernard.

temperare, de authore tuo loquens Euangeliſta, & erat, *inquit*, *ſubditus illis. Erubeſce, ſuperbe cinis: Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori? Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum, ſequi authorem tuum.* Et maximè ſuauiter, vt ſolet. Et idem habet *ſermon. 3. de reſurrectione*, ac D. Antonius Vlyſſiponenſ. *ſermone in infra octauam Epiphaniæ.* De hac obedientia optimè loquitur D. Nyſſenus *in Catena D. Thomæ*, ſic dicens, *Cùm pertigiſſet duodecimum annum, paret parentibus: vt oſtendat, quòd quidquid per promotionem perficitur, antequam ad finem perueniat, obedientiam tanquam perducentem ad bonum, vtiliter amplexatur.* Erat Chriſtus Dominus docens in templo ac in domo Patris ſui, & tamen ad nutum matris deſcendit, & venit cum eis Nazareth. Quomodo Domine relinquis docendi munus, & cum matre petis in propriam ciuitatem, ac locum? Ibat Dominus præmonente obedientia; & quidquid per obedientiam fit, ſemper in bonum, & rectum finem ordinatur. *Obedientiam tamquam perducentem ad bonum, vtiliter amplexatur.*

Ant. Vlyſſip. — Nyſſen.

88. Quartò. Vt ſuo nos inſtruat exemplo, quàm prompti in obſequium parentum debeant eſſe filij, ob tanta ab eis accepta beneficia. D. Ambroſius hîc: *Quid magiſter*, ait, *niſi officium pietatis impleret? Et miramur, ſi defert patri, qui ſubditur matri. Diſce, quid parentibus tuis debeas, tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis diſpẽdium, partus periculum, matri longa faſtidia, matri longa diſcrimina, & quid anxios patrès loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis vſibus, cenſus, iactaque ſemina poſteriorum ætatibus profutura? Nónne pro his ſaltẽ obſequiũ oportet rependi?* Quantum filij debeant parentibus, quamtamque erga eos gratitudinem oſtendere oporteat, etiam hîc proſequitur Haymon. Quintò. Semper exterior apparentia interiori correſpondet. Et ſicut Chriſtus in corde valde humilis erat, ita vt de ſe aſſeruerit: *Ego ſum vermis, & non homo*; ita etiam, dum creaturæ ſubditur, talis voluit apparere. Carthuſianus, *Sicut in ſe ipſo humillimus fuit, vt homo; ſic vſque profectum in exterioribus humiliauit ſe ipſum non ſolùm matri, ſed etiam nutritio.*

Ambroſ. *Filij obediãt parentibus.* — Haymon. — *Interiori reſpõdeat exteriùs.* — Carthuſ.

89. Sextò. Dixerat Saluator parentibus ſuis: *Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad ipſos.* Dum enim Chriſtus Dominus, vt illis ſuarum operationum proponat ſublimitatem, ad diuinam ab æterno parente generationem conuertit ſermonem, ipſi nihil percipiunt, aut penetrant. Deſcendit ergo, & ſubditum ſe illis præſtat, vt ex ipſa humilitate facillimè intelligant nobilitatem, tantarúmque actionum ſublimitatem. Acutè Beda homil. 2. *Cùm arcem, ait, tanti myſterij aſcendere intelligendo non poſſent, deſcendit ipſe cum ipſis ad inferiora conuerſationis eorum, cœpitque manere in his, quæ illorum erant, & erat eis piâ diſpenſatione ſubiectus, donec proficiente humilitatis magiſterio, quantum omnibus creaturis eſſet præferendus, agnoſcerent.* Abiectione eos in ſuis cognitionem deducit? vniuſcuiuſque enim maieſtatem magis oſtendit humilitas, dum deſcendit, quàm altitudo, dum aſcendit. Septimò. Erat ſubditus illis, cùm eſſent Virgines: nam virginitas Deum maximè attrahit, & qui virginitati conſecrantur, Deum quodammodo ſibi deuictum, ac ſubditum habent. Simon Caſſianus lib. 2. cap. 24. *Magna*, ait, *Virginibus eſt dignitas prorogata, quia Chriſtus duobus virginibus factus eſt ſubditus; vt nouerint hoc Sacramentum homines, quod illorum Chriſtus complet vota, deſideria perficit, qui ſe puritati, & munditiæ tradiderunt. Et ſpes magna facta eſt amantibus cæleſtem vitam, quanta eis ſit Chriſtus in illa patria familiaritate donandus, qui duobus caſtis in hac vita factus eſt ſubditus.*

Ex humilitate, cognoſcitur ſublimitas. — Beda. — *Virginitas Deum attrahit.* — Caſſian.

90. Octauò. Chriſtus Dominus omnium magiſter, cùm eſſet duodenus, ſapientiæ ſuæ theſauros coram Doctoribus aperuit, eoſque de magnis inſtituit, ac docuit myſteriis, dicens: *In his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe*; tamen breuiter facit finem docendi; & cum parentibus ſuis venit Nazareth: *Et erat ſubditus illis.* Quomodo, bone Ieſu, tam citò deſiſtis, & tuæ doctrinæ clauſulam ponis, diuinique Patris negotium relinquis? Nónne decreueras in eis eſſe? Quomodo tam citò omittis? Vt facto ſuo nos doceat, non immobiliter proprio adhærere conſilio, ſed aliquando propter nouas circunſtantias, illud mutare, neceſſarium, & conueniens eſſe. D. Bernardus ſermon. 3. in die Paſchæ. *Attende*, ait, *quid fecerit magni conſilij Angelus. Quomodo conſilium ſuum poſtpoſuerit conſilio, vel magis voluntati mulieris vnius (Beatiſſimam Virginem loquor) & fabri pauperis, ipſe eſt Ioſeph. Bonum erat illud conſilium: In his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe; ſed quià illi non intellexerunt, mutauit conſilium, vt nos mundaret ab ea lepra, quæ proprij conſilij eſt; exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Quis enim non erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando ſuum ſapientia ipſa deſeruit.* Et ſatis eleganter. Magnæ prudentiæ eſt, aliquando mutare conſilia. De quo vide ſuprà *cap. 9. quæſt. 7. num. 27.* Vnde ait Sapiens Prouerb. 15. num. 12. *Diſſipantur cogitationes, vbi non eſt conſilium, vbi verò ſunt plures conſiliarij, confirmabitur.* Aliqui apud Salazar ita legunt: *Frange cogitationes, quando non eſt conſilium, & in multitudine conſiliorum ſtabis.* Hoc eſt, Decreta, & reſolutiones tuæ voluntatis infringe, & noli eas firmiter ſectari, quando aliorum conſilio non es vſus, ſeu alij tua non approbant conſilia. Nota illud verbum, *frange*, nam ingenia in ſententiis ſuis obfirmata, rigida ſunt, & flecti neſcia, vt appellauit Seneca *Epiſtol. 32.*

Proprio conſilio non eſt immobiliter adhærendum. — Bernard. — Prou. 15. — Salazar. — Seneca.

91. Nonò. Erat ſubditus in honorem, ac reuerentiam Mariæ, & Ioſeph, vt eorum magna dignitas innoteſceret. Vnde ait D. Bernardus: *Deus, cui Angeli ſubditi ſunt, erat ſubditus Mariæ.* Poſtquam Abraham Angelos hoſpitio ſuſcepit, ait textus Geneſ. 18. num. 16. *Hi cùm ſurrexiſſent inde, direxerunt oculos contra Sadomam, & Abraham ſimul gradiebatur deducens eos.* Angeli ſancti, in quibus iuxta multorum ſententiam, vnus erat Deus qui omnibus ducatum præſtat; requirebant ductorem, ne à via aberrarent? Minimè ſane, præcipuè cùm Abrahamus in Angelis Deum recognoſceret. Ea mihi nunc eſt ratio, quòd Deus voluit à iuſto deduci, eique veluti obedire, vt iuſtum honoraret. D. Chryſoſtomus homil. 42. in Geneſ. *Vide, ait, Domini miſericordiam; quanta obſequela vſus eſt! Simul, & iuſto honorem impendit.*

Deus Mariã honorat, & Ioſeph, Bernard — Geneſ. 18. — Chryſoſt.

Lucæ 2. n. 52. Et Ieſus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines.

VERSIONES.

Syriac. Arabicus. Porrò Ieſchua creſcebat ſtatura, & ſapientia ſua.

D. Athanaſ. lib 5. contr. Arrian. Ieſus proficiebat ſapientia, & proceritate.

EXPOSITIO.

92. BREVITER attingit Euangeliſta quæ Chriſtus Dominus egerit ab anno duodecimo vſque trigeſimum; & triplicem eius deſcribit progreſſum, ſcilicet ætate, ſeu ſtatura, vt legit Syriacus, ſapientia, & gratia, non ſecundùm habitus, ſed ſecundùm operationes, quæ exteriùs, & coram hominibus operabatur. Et hoc *apud Deum, & homines*; nam multa apparent in hominum præſentia, quæ non ita ſunt vera ante Deum. Et è contra multa ſunt vera ante Deum, quæ non vt talia recipiuntur ab hominibus. Euangeliſta hîc repetit ſententiam hanc, quam dixerat ſuprà hoc *cap. 2. num. 40.* Primò dictum eſt ab Euangeliſta, quòd puer *erat plenus gratia, & ſapientia*, ab infantia vſque ad annum duodecimum; hîc verò loquitur, à duodecimo vſque ad trigeſimum, & addit, *apud Deum, & homines*; quia iam verè incipiebat ſapientiæ ſuæ coram hominibus ſigna dare, vt factum eſt hîc inter Doctores. Et prius dicit, quòd proficiebat ſapientia, quàm ætate; in illa enim, vt moraliter dicam, homo, vt rectè viuat, ante omnia creſcere, & proficere debet.

Syriacus. — *Primus profectus in ſapientia.*

QVÆSTIO XXVII.

Quomodo dicatur, quòd Chriſtus Dominus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia?

93. BREVITATIS cauſa miſſis multorum hæreticorum erroribus, qui de more ſuo ſiniſtrè hunc locum interpretantur, quorum errores latè impugnant Theologi *3. part. q. 7. art. 12.* Quantum ad Catholicos tres interpretationes referri poſſunt.

94. Prima eſt, quam tradit D. Damaſcenus *lib. 3, de fide cap. 22.* D. Gregorius Nyſſenus *homil. 3. in Catena*, Haymon. Hæc verba referunt ad profectum Chriſti Domini in nobis, ita vt dicatur profeciſſe ſapientiâ, non in ſe, ſed in ſuo corpore myſtico, hoc eſt, in ſuis fidelibus, quorum augmentum ipſe reputat proprium. Hæc tamen explanatio non cohæret cum textu; nam ſermo eſt de Chriſto Domino, non in ſuo corpore myſtico, ſed in ſe; hoc enim apertè indicat illud, *proficiebat ætate.*

Damaſcen. Nyſſen. Haymon. *Chriſtus augmentum noſtrum reputat ſuum.*

95. Secunda ſententia intelligit præſentem locum de ſcientia acquiſita, ſeu experimentali, quæ præter diuinam, & infuſam in Chriſto datur, temporiſque progreſſu ſenſuum exercitio augebatur, ac proinde dicunt, quòd Chriſtus Dominus proficiebat ſapientia, non quòd aliquid denuo ſciret, ſed nouo tantùm modo, nempe experiendo. Hanc ſententiam tradunt Richardus Victorinus *lib. 2. de Emmanuele, cap. 18.* & in hac videtur eſſe D. Ambroſius *lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 7.* At hæc ſententia non videtur accommodata; nam Euangeliſta æqualiter loquitur de ſapientia, & gratia; & Chriſtus in gratia non proficiebat experimentaliter, vt gratiæ habitus augeretur. Deinde cùm in Chriſto Domino ſit triplex ſcientia, ſcilicet beata, infuſa, & acquiſita, quæ eſt inferior; non videtur conueniens, quòd Euangeliſta de hac tantùm loquatur.

Rich. Vict. Ambroſ. — *In Chriſto triplex ſcientia.*

96. Tertia interpretatio iſtius loci. Quòd hæc verba intelligenda ſint non de augmento ipſius gratiæ, & ſapientiæ in ſe, ſed in oſtenſione, ac manifeſtatione ſuâ. Ita communiter ſancti Patres. D. Gregorius Nazianzenus *oratione 20. in laudem D. Baſilij*, D. Athanaſius *orat. 4. contra Arrium*, D. Cyrillus Alexandrinus *in 1. Ioan. cap. 17.* D. etiam Damaſcenus *lib. 3. de fide, cap. 22.* D. Bernardus *homil. 2. ſuper Miſſus eſt.* Hîc Titus Boſtrenſis, Theophylactus, & alij, S. Thomas *3. part. quæſt. 7. artic. 12. ad 3.* Si verò obiicias, quòd de Chriſto dicitur, creuiſſe in gratia, ſicut in ætate, ſed in ætate non ſolùm oſtendebat augmentum, ſed illud verè comparabat: ergo & in gratia. Reſpondemus ex D. Thoma citato, Chriſtum Dominum non ſolùm creſcere, oſtendendo gratiam ſuam, & ſapientiam, ſed etiam progredi in effectibus, excellentiora ipſius gratiæ opera exteriùs faciendo.

Nazianz. Athan. Cyrill. Damaſcen. Bernard Boſtrenſis. Theophyl. D. Thom.

97. Quarta explanatio huius rei magis explicans proximam interpretationem ſanctorum Patrum, eſt, quam tradunt hîc Cardinales Caietanus, Toletus *annotat. 89.* quòd quando Euangeliſta ait: *Ieſus proficiebat ſapientia, & gratia*; per *ſapientiam*, non ſignificatur ipſe habitus ſapientiæ reſidens in intellectu, ſed ipſum operum, & verborum exercitium, quæ à Chriſti ſapientia proueniebant, in quibus Chriſtus Dominus, prout in dies ſecundùm ætatem creſcebat, etiam proficiebat; nam quamuis Chriſtus Dominus à primo inſtanti ſuæ conceptionis omnem ſapientiæ, ac gratiæ plenitudinem in ſe intus haberet, exteriùs tamen pro ætatis incremento verba, & opera ſapientiora proferebat; & ſatis frequens eſt in Scriptura, verba, & opera æterna, quæ à ſapientia procedunt, ſapientiam appellari. De Regina Saba dicitur, *Lucæ 11. num. 31.* quòd *venit audire ſapientiam Salomonis*, Prouerb. 2. num. 2. *Audiat ſapientiam auris tua*, 1. Corinth. 2. num. 7. *Loquimur Dei ſapientiam.* Vbi dicta, & facta prouenientia à ſapientia, eius nomine ſapientiæ appellantur. Ita verba, & opera Chriſti Domini dicuntur ſapientia. Et hanc doctrinam optimè explicat D. Vincentius Ferrera *ſerm. in infra Octauam Epiphaniæ.* Sicut enim Sol eandem claritatem, ac calorem in ſe habet

Caiet. Tolet. — *Vera explanatio.* — Luc. 11. Prou. 2. 1. Cor. 1. — Vinc Ferrer.

habet prima, tertia, & nona hora; tamen quo ad effectus proficit, & lucis, ac caloris maiores effectus cauſat hora tertia, quàm prima; & in meridie, quàm tertia. Ita Chriſtus Dominus Sol iuſtitiæ, licèt à primo conceptionis inſtanti omnem ſcientiæ plenitudinem in ſe intus haberet; tamen quo magis creſcebat ætate, eo maiores ſapientiæ, & gratiæ ſuæ prodebat effectus.

Qvæstio XXVIII.

Quid Chriſtus Dominus egerit vſque ad Baptiſmum?

98. Hac in re tria ſunt certa. Primum, quòd Chriſtus Dominus toto hoc tempore parentibus ſuis ſubditus erat, ſapientiáque, & gratia proficiebat. Secundùm, quòd in otio Chriſtus Dominus toto hoc tempore minimè vixit, nec enim qui otium deteſtabatur, abſque vlla occupatione ageret. Tertium, quòd in Cana Galilææ primum Chriſtus Dominus miraculum edidit. Ita ait Ioannes 2. numer. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam.* Et ita Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap.* 9. D. Epiphanius *hæreſi.* 51. D. Ambroſius *ſermon.* 19. S. Thomas 3. *part. quæſt.*43.*art.*3.

Ioan. 2. Tertull. Epiphan. Ambr. D.Thom.

99. Aliqui graues authores dicunt, quòd cùm Chriſtus Dominus eſſet filius fabri Ioſeph, fabrilem artem exercebat. Hanc ſententiam tenet Caietanus ad illa verba Marc. 6. num. 3. *Nónne hic eſt faber?* Et ibi hoc probabile indicat Lyranus, & D. Dionyſius Carthuſianus, & Abulenſis *Matth.* 13. *quæſt.* 18. Eam indicat D. Baſilius *cap.6. Conſtitut. Monaſt. circa finem,* & D. Iuſtinus *in Dialogo cum Thryphone*. Chriſtum fabrilia opera, aratra, & iuga confeciſſe. Et Baronius *anno* 12. *Chriſti.* Quod ideo, *tractant* enim *fabrilia fabri*, fortè ſub iugi, & aratri ſymbolicis verbis Euangelium propoſuit. *Tollite iugum meum ſuper vos,* Matth.11.num.30. Et, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum,* Lucæ 9. numer. 62. Et hæc ſententia probabilis eſt.

Caiet. Marc 6. Lyran. Carthuſ. Abulenſ. Baſil. Iuſtin. Baron. Matth. 11. Luc. 9.

Secunda, & mihi probabilior, quam tradit Burgenſis *in cap. 6. Marci in additionibus,* quòd Chriſtus Dominus vitam tranſegerit in altiſſima contemplatione, meditatione, ieiuniis, admirabilique ſanctorum operationum exercitio; in eadem ſententia eſt Simon Caſſianus *lib.* 4. *cap.* 2. vbi ait: *Operari erat oratio, & ſubleuatio ineffabilis, & tota Deifica erat vita.* In hanc ſententiam inclinat hîc maximè Barradas. Fortè etiam laborantem Ioſeph Chriſtus adiuuabat. Nec obſtat citatus locus Marci, vbi Chriſtus dicitur faber; ita enim eſt appellatus, quia erat filius fabri, vt ex Auguſtino, Chryſoſtomo, & aliis Patribus dicam ſuo loco. Chriſtus autem Dominus ſuſtentabatur, tum ex lucro Ioſeph, tum ex hæreditate parentum Virginis; nam cùm ipſa eſſet vnigenita, & parentum ſuorum hæres, ideo nuptiis tradita eſt Ioſeph, vt dixi hoc *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 39. Et cùm Euſebio, Nicephoro, & aliis tradit Suarius *tom.*2. *ad* 3. *partem diſput.* 71. *ſect.* 3. §. *ſecundò hinc colligo.* 100.

Burgenſis. *Verior ſententia.* Caſſian. Barradas. Auguſt. Chryſoſt. Suarius.

LIBER

LIBER TERTIVS

Ab exordio prædicationis Ioannis vſque ad eius de Chriſto teſtimonia.

Capvt Primvm.

JOANNES PRÆDICANS.

Lucæ 3.n.1. Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris; procurante Pontio Pilato Iudæam; tetrarcha autem Galilææ Herode; Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis: & Lyſania Abylinæ tetrarcha.

VERSIONES.

Syriacus. Anno autem decimoquinto regni Tiberij Cęſaris, ſub præfectura Pontij Pilati in Ihoudæa dum eſſet tetrarcha Herodes, *&c.*

Tertull. lib. 4. *cont. Marc. cap.*7. Anno quintodecimo principatus Tyberiani.

Pagn. Arias. Præſide Pontio Pilato.

Text. Græc. Gubernante Pontio Pilato.

EXPOSITIO.

1. Cvm Chriſtus Dominus vigeſimumnonum expleuiſſet annum, trigeſimúmque eſſet ingreſſus, & tempus adeſſet iam, vt ſuæ prædicationi initium daret, miſſus eſt Ioannes ætatis iam triginta annos habens; (nam apud Iudæos Doctoris, ac Prædicatoris nomen antè habere licitum non erat) tamquam aurora ante Solem ad parandam viam; cuius prædicationis tempus hîc deſcribit Euangeliſta, memorato imperij Romani Imperatore, & illis, qui Iudæam in quatuor partes diuiſam obtinebant; ſecutus morem Prophetarum, qui ſemper Iudææ Regum, ſub quibus ſcribebant, adnotabant tempus. At in deſcriptione, vt inquiunt Origenes & Carthuſianus euangelicæ reuelationis, ac prædicationis toto mundo nuntiandæ, imperium Romani Dominatoris, qui toto orbi dominari videbatur, deſcribitur. Cùm in omnium ſalutem eſſet Euangelium.

Origenes. Carthuſ.

Qvæstio I.

Quinam ſint dominatores iſti ab Euangeliſta memorati?

2. Extincto nomine Regis odioſo apud Romanos, eorum principes Imperatores dicebantur. Primus, cuius hîc meminit Euangeliſta, eſt Tiberius Cæſar tertius Romanus Imperator; nam primus fuit Iulius Cæſar: ſecundus Auguſtus: tertius iſte Tiberius, quo regnante, anno decimooctauo, Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit. Hic Tiberius, cùm primò principatum obtinuiſſet, ab omni faſtu alieniſſimum ſpecimen dedit, ita vt referente Suetonio *in eius vita, c.* 27. ſe dominum dici prohibuerit, alta Dei prouidentia ſic ordinante; aderat enim tunc totius orbis Dominus Chriſtus Ieſus; cuius admiranda facta cùm accepiſſet Tiberius, eum ad Senatum retulit, vt inter Deos haberetur, vt teſtantur Tertullianus *in Apologetico aduersùs Gentes*, Oroſius *lib.7.c.4.* Euſebius *lib.2.Hiſtor.cap.*2. Sed Senatus non approbauit, nec recepit, Saluatore noſtro Ieſu ſic ordinante; nam, vt ipſe honoretur vt verus Deus, humana non indiget approbatione: nec inter falſos, fictitioſque Deos poterat numerari; ſed inter Patrem, & Spiritum ſanctum, cum quo eſt vnus verus Deus. Tandem Tiberius extitit crudeliſſimus, & in omnium hominum genus maximè ſæuit, tantuſque ab eo eſt interfectus Senatorum numerus, vt iam qui magiſtratum gererent, vix reperirentur, & ſorte educti prouinciarum præfecti in plures annos præficerentur, cùm non ſuppeterent ſucceſſores: ita bonos omnes ipſe peremit, vt latè tractant Tacitus *annal. lib.*6. Suetonius *in eius vita, cap.* 61. Baronius *anno Chriſti* 36. *in Epit. Spond.* 16.

Sueton. Tertull. Oroſius. Euſebius. *Tiberius crudeliſſimus.* Tacitus. Sueton. Baron.

3. Secundus numeratus ab Euangeliſta eſt Pontius Pilatus. Cùm Herodes Aſcalonita moreretur, tres filios reliquit, vt iam dixi, Archelaum natu maiorem; Herodem, qui nomen patris ſortitus erat; tertium Philippum. Inter hos Auguſtus Cæſar, omiſſo nomine regni paternam diuiſit

ſit poſſeſſionem, Archelao Iudææ medietatem dedit; alteram verò medietatem inter alios duos fratres diſtribuit. Tamen cùm Archelaus iniquè ſe gereret, poſſeſſione priuatus in Galliam miſſus eſt in exilium; de quibus latè Ioſephus *lib.17. Antiquit. cap.17.* tunc tota illa pars, quam Archelaus regebat, in prouinciam ſub Romano imperio redacta eſt, quæ ab illo gubernabatur, & Præſides ad certum tempus mittebantur: & iuxta veram computationem primus Præſes extitit Coponius; ſecundus Marcus Ambiuius; tertius Ruffus; quartus Valerius Gratus; quintus Pontius Pilatus; & hîc plus temporis, quàm omnes alij præfecturam tenuit. nam durauit in illa per decem annos; miſſus eſt enim in Iudæam anno Chriſti 28.& præſidentiam obtinuit vſque ad annum 38.vt conſtat ex Baronio *citatis annis.* Fortaſſe, quia pretioſa munera Romam mittebat,& maximè Cæſari adulabatur. Hic nocte intempeſta opertas Cæſaris Hieroſolymam intulit imagines, ſed propter ingentem Iudæorum tumultum eas iuſſit auferri,& clypeos in honorem Cæſaris dedicauit. Ioſephus *lib.18.Antiquit.cap.3.& 4.& 2.de Bello Iudaico, cap.8.* Philo *de legat.ad Caium*, qui etiam ibi de ipſo Pilato ait: Solitus erat ſententias vendere,cuncta rapere,innocentes cruciare, & occidere, aliaque huius generis patrare; ac proinde à Caio Tiberio in exilium pulſus in Viennam Galliæ ſumma deſperatione poſt biennium propria manu ſibi necem intulit,vt teſtatur Euſebius *in Chron.* Oroſius *lib.7.cap.5.* & alij cum Baronio *anno Chriſti 38. in Epit.Spond. num.1.*

Ioſephus. Baronius. Ioſephus. Philo. *Pilatus valde ambitioſus.* Euſebius. Oroſius. Baronius.

4. Tertius eſt Herodes Antipas filius prioris Herodis Idumæi, cui Auguſtus partem quandam, ſcilicet Galilæam, paterni regni dedit,ſub nomine Tetrarchæ.Hæc vox eſt Græca,& illi dicebantur Tetrarchę,qui quartam partem alicuius regni gubernabant. Herodes turpiſſimè adulter legitima coniuge reiecta fratris ſui viuentis vxorem ſubintroduxit; ea de cauſa à Ioanne Baptiſta reprehendebatur, quem in carcerem miſit, & decollauit, *Marc. 6. à num.* 14. Et Chriſtum Saluatorem contemnens ad Pilatum remiſit, *Luc.23. num.11.* Tandem in exilium miſſus apud Lugdunum vrbem Galliæ magno animi mœrore miſerrimè motuus eſt. Exiſtimant aliqui eum in Hiſpaniam veniſſe. de quo plura Baronius *anno Chriſti 40. in Epit. n.2.*

Herodes impudicus. Baronius.

5. Quartus, eſt Philippus frater Herodis Antipatæ,ac filius Herodis Idumæi; hic erat ab Imperatore Iturææ Tetrarcha conſtitutus, quæ erat regio ad radices montis Libani ſita, ſpectabâtque ad ſortem Tribus Nephthalim. Ad huius Philippi ditionem, ac tetrarchiam etiam pertinebat regio Trachonitides, quæ erat vltra Iordanem, ac ſortis Tribus Manaſſes. Et quamuis hic Philippus aliàs eſſet bonus, vt tradit Ioſephus *lib. 18. Antiq. cap. 6.* eius tamen vecordia notatur maximè; nam cùm Herodes frater eiús vxorem ſuam Herodiadem tuliſſet, nullam de hoc apud Imperatorem inſtantiam feciſſe legimus.

Ioſeph. *Philipi vecordia notatur.*

6. Quintus eſt Lyſanias Tetrarcha Albinæ, quæ erat regio propinqua ad Philippi tetrarchiam iuxta montem Libanum. Quis autem hic Lyſanias fuiſſet,valde incertum. Nam D. Auguſtinus *lib.quæſt.noui,& veteris Teſtamenti. cap.11.* Beda, Caietanus *hîc* exiſtimant fuiſſe filium Herodis Idumæi fratrem Archelai, & alterius Herodis, ac Philippi. Sed hoc non conſtat. Et ideo communiter hodie reiicitur à Recentioribus, nam Ioſephus, diligentiſſimus illius temporis ſcriptor, *lib.2. de bello Iudaico cap. 21.* inter filios Herodis hunc non numerat. Alij dicunt ipſum eſſe Lyſaniam illum, qui communiter ab Authoribus refertur, quòd à Cleopatra occiſus fuerit; ſed apertè conſtat ex Ioſepho. *lib. 15. Antiq. cap.4.* illum non fuiſſe, ſed eſſe diuerſum. Ad hiſtoriam Euangelicam ſatis eſt, quòd extitit quidam Lyſanias Albinæ regionis Tetrarcha, vt notant Hugo, & alij.

Lyſanias. Auguſt. Beda. Caietanus. Ioſeph. Hugo.

QVÆSTIO II.

Quare Euangeliſta hos Gubernatores hîc deſcribat?

7. EVANGELISTA hîc apponit omnes,qui in exordio prædicationis Ioannis principabantur.Primò. Vt antiquum ſuæ gentis, ac Propheratum morem retineret, qui Regum, ac principum,ſub quibus ſcribebant, tempora notabant ſemper, vt pater *Iſai.1.num.1. Hierem.1.num.1.* & ex aliis. Secundò. Vt veritas hiſtoriæ his tam publicis, & diligenter notatis circunſtantiis maximè commendaretur, nam ex omnibus narratis maximè manifeſtatur.

8. Tertiò. Hic apponit imperium Tiberij Cæſaris, alienigenarumque gubernationem, vt illud eſſe aduentus Meſſiæ tempus comprobaret,vt hîc notant Boſtrenſis, Euthymius, D. Bonauentura. Prædixit enim Iacob Geneſ.40.num.10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda,& dux de femore eius,donec veniat qui mittendus eſt.* Atqui iam regnum,& ſceptrum à Iudæis erat ablatum, & ad Romanos ſub Tiberio tranſlatum; ergo iam aduentus Meſſiæ tempus erat, ac proinde inter homines ipſe iam conuerſabatur. Hoc etiam probat hîc D. Bonauentura ex altera prophetia *Daniel. 2. à n. 31.* vbi magnam illam vidit ſtatuam quatuor conſtantem metallis, in quibus quatuor deſignabantur Imperia, ſcilicet Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum. In tempore autem huius vltimæ monarchiæ aduentus Chriſti tempus à Daniele explicatur. *In diebus*, inquit, *regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & quod alteri populo non tradatur.* Optimè ergo D. Lucas Romanum Imperium memorat, vt illud eſſe Meſſiæ tempus indicaret. Quartò. Non ſolùm narrantur qui in Republica Iudææ clauum tenebant,ſed etiam qui in Romano Imperio principabantur; adueniebat Chriſtus Dominus, vt totius orbis Princeps & Rex, & noluit ſingularis, ac veluti particularis apparere, ſed in omnium protectionem, & remedium ſe manifeſtare, & ideo non ſolùm Iudæa, ſed totus orbis deſcribitur, quia vt verus Rex in omnium ſalutem deſcendebat. Origenes hîc, *Quando*, ait, *ad Iudæos tantùm ſermo propheticus mittebatur, Iudaici Reges ponebãtur in titulo: quãdo verò Sacramentum Euangelÿ prædicandum erat & in toto orbe Euangelium diſſeminandum, cuius Princeps Ioannes in eremo fuit, Orbem Romanum Tiberÿ regebat Imperiũ, tunc in quintodecimo anno verbum Domini ad Ioannem factum deſcribitur. Et ſi tantùm ÿs, qui de nationibus credituri erant, annuntianda*

Boſtrenſis. Euthymius. Bonauent. Idem. *Rex non ſit ſingularis, ſed omnibus communis.* Origen.

nuntianda ſalus fuiſſet, & penitus excludendus Iſraël, ſufficeret dicere quintodecimo anno Tiberÿ Cæſaris. Quia verò, & de Iudæa, & de Galilæa multi credituri erant, idcirco & hæc regna ponunt in titulo. Similiter Diuus Gregorius Magnus *homilia 20.in Euangel.* Antequam Deus manifeſtè adueniret in mundum, & ſub vmbris, ac figuris erat, tunc ſermo erat in Prophetis ad particularem populum, quia Deus in ipſis vmbris latebat: at quando ipſe apertè, ac patenter apparet, ſingularitatem reſpuens in omnium ſalutem deſcendit. Vide *lib. 1. cap. 1. numero 75. & 139. & lib. 1. cap. 9. num.5.*

Gregor. *Rubore afficiatur Rex ſi ſingularis.*

9. Quintò. Vt miſerrimus Reipublicæ deſcribatur ſtatus, vbi tot venenoſi dominabantur ſerpentes, malaque inundabant, & peccata; in Tiberio enim exprimitur crudelitas, qua probos Senatores interfecit. In Pilato ad Cæſarem adeſt reſpectus, quo eius imagines ad regnum tranſtulit, vtque ei placeret, iudicium ſubuertit; audito Cæſaris nomine Chriſtum iubens occidi; nam cùm Iudæi clamaſſent: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari*, Ioann. 19. num. 12. ſtatim Chriſtum Dominum morti tradidit. Et tandem omnia, quæ iuſtitiæ erant, ipſe vendebat. In Herode repræſentabatur laſciuiæ turpitudo, qua fratris vxorem ſuſtulit; ac magna delitiarum indulgentia pro ſaltu puellæ caput Ioannis amputari iuſſit. In Philippo vecordia, qua ablatam ſuam videbat vxorem, nullamque pro tam graui cauſa inſtantiam faciebat. In Anna, & Caipha per munera, & dona inter ſe alternatim Pontificatum habentibus ambitio maxima explicatur. Tandem totius populi mala denotantur, & peccata, tum talia Reipublicæ capita, & principes numerantur; ſemper enim populus viuendi modum ſui principis ſequitur. Eccleſiaſt. 10. num. 2. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius.* Et qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Vide *lib. 2. cap.9. num.15.*

Iudæa miſerrimus ſtatus. *Omnia vitia in dominatoribus Iudææ.* Ioann.19. *Qualis princeps, talis populus.* Eccli.10.

10. Sextò. Tot principes in Iſraël, vt magis appareat Reipublicæ Iudaicæ ſtatus miſerandus, malitiaque Romanorum, qui totum Iudaicum regnum in quatuor partes diuiſum habebant, vt quælibet pars debilis eſſet, atque infirma; nam virtus vnita fortiùs agit; diuiſa autem facilè corruit. Septimò. Vt nobis declararet Euangeliſta quòd tempora ſemper in peius reunt. Conſidera tempus, quo hæc præſentis textus contigerunt; nam anteactis annis, quando ſcilicet Chriſtus natus eſt, regnabat in Iudæa vnus impiiſſimus Herodes, cuius mortem omnes vehementiſſimè deſiderabant, vtque alius Reipublicæ regimen obtineret; vt colligitur ex Ioſepho *lib. 17. Antiq. cap. 8.* ab eo tamen emortuo tyranno euadentes, in quatuor crudeliſſimos inciderunt, ſcilicet Pilatum, Herodem Antipatem, Philippum, Lyſaniam. Hæc eſt hominum miſera conditio, qui dum meliorem fortunam præſtolantur, peiorem inueniunt. Iſraëliticus populus oppreſſus Salomone, qui multis eum vexauerat tributis, incidit in manus Roboam, & Ieroboam, qui mala multo maiora, atque tributa ſuper eum adduxerunt, 3.*Regum cap.12.num.13.*

Vbi diuiſio, ibi infirmitas. Ioſeph. *Tempora in peius ruunt.*

11. Octauò. Vt fiat manifeſtum magnum à Deo inflictum in Iſraël ſupplicium, eo quòd ſuæ viſitationis tempus non cognouerit. Et quæ miſerabilior pœna eſſe poterat, quàm dum reſpublica Iudaica, quæ olim ſceptrum tenuerat, & Gentium colla pedibus ſuis calcauerat, modò à ſe alienatam poſſeſſionem ſuam, atque ad inimicorum manus tranſlatam videbat? Nempe ad Tiberium Cæſarem, ac Pilatum Romanos; ad Herodem, & Philippum cuiuſdam Idumæi filios, ac ad Albinam alienigenam? Hoc magno dolore, vt expendit Tertullianus aduerſùs Iudæos cap.13.lamentabatur Iſaias 52.num.7. *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.* Elegantiſſimè dixit Petrus Cluniacen. in tract. contra Iudæos, quòd *plus torquebat Saul præſentia Dauidis, quàm Spiritus Dei malus.* Nam iſte torquebat, vt Diabolus; ille verò tamquam hoſtis, à quo videbat occupandum ſuum regale ſolium, vt ipſemet confeſſus eſt 1. *Regum cap. 24. num. 21.* Et nullum tam rigidum ſupplicium tota inferni multitudo infligere valet, quàm dum homo à ſuo ſe videt loco depoſitum, & ſuum inimicum in eum introductum. Dicebat Dauid Pſalm.12. num.1. *Vſquequò Domine obliuiſceris me in finem?* Seu, vt legit D.Chryſoſtomus, *Omninò, vſquequò auertis faciem tuam à me?* Pſalmus hîc à Dauid eſt compoſitus, vt tenent Theodoretus, Nicephorus, Euthymius; quando fugiebat à facie Abſalon, qui ingreſſus Hieruſalem, ac domum regiam, dormiuit cum concubinis patris ſui, 2. *Regum cap. 16. num. 21.* Et ideo Dauid ſe ab auxilio Dei, illiuſque memoria omnino deſertum lachrymatur, dum æmulum ſuum in domo, ac loco ſuo vidit gloriantem.

Magna pœna propria bona ad inimicum tranſlata. Tertull. Iſai.52. Cluniacen. Pſalm.12. Chryſoſt. Theod. Niceph. Euthymius.

QVÆSTIO III.

Quare Euangeliſta hos tali annumeret ordine?

12. PRIMÒ annumeratur Tiberius. Secundò Pilatus, deinde Herodes, Philippus, & Lyſanias. Quare ita deſcribuntur? Ratio literalis. Qui maiori eminebant poteſtate, locum occupant primum: Tiberius ſummus erat Imperaror, Pilatus dimidiam regni partem gubernabat. Alij verò alteram. Deinde pars Pilati præſtantior, vtpote Iudæa, quàm pars Herodis; & hæc excellentior, quàm adminiſtratio Philippi; & hæc nobilior, quàm Lyſaniæ.

13. Altera ratio, & moralis. Deſcribebat Euangeliſta miſerrimum ſtatum, ad quem Reſpublica Iudaica deuenerat; & ideo in extrema illius terminatione, atque vltima concluſione Herodem, Philippum, ac Lyſaniam ponit: nam hi tres, iuxta D. Auguſtinum, Bedam, Caietanum citatos *quæſt.1.* fratres erant, filiique Herodis Idumæi;& Reipublicæ,in eo ſtat vniuerſalis ruina, quòd totum illius regimen inter conſanguineos, & amicos ſit diuiſum; alij namque partes horum non ſequentes, ad iuſtitiam habere aditum minimè valent. Tertiò. Quia Tiberius,& Pilatus extranei erant; hi verò tres, vt conſtat ex Ioſepho ſuprà citato, vtpote herodis filij, in Hieruſalem na-

Auguſt. Beda. Caiet. *Ruit Reſpublica, quando inter conſanguineos eſt regimen.*

ti : & numquam maior totius regni iactura, quàm dum patritij ambitioſi totum illius regimen occupant : meritò ergo hi gubernatores in vltimo loco ponuntur, tamquam Iſraëlitici populi ruinæ totalis conſummatio.

13. Ezechieli mandatum eſt, vt ſumat planctum, & lamentum ſuper Tyrum, *cap.27.n.2.* Et nauem illius latè deſcribit, & ait num. 8. *Habitatores Sidonis, & Aradi*, (qui iuxta D. Hieronymum, erant inſulæ Tyri, ſub illius Dominio, vel ſitæ erant iuxta ciuitates Tyri) *fuerunt remiges tui : ſapientes tui Tyre, facti ſunt gubernatores tui.* Deinde ait Propheta, quòd Perſæ, & Libyes erant in exercitu. Pygmæi in turribus, Carthaginenſes negotiatores, Syrus in multis operibus, filij Iuda, & Iſraël inſtitores de Græcia, Arabia, & Meſopotamia in nundinis. Et tandem concludit num. 26. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui : ventus Auſter contriuit te in corde maris.* Hi autem remiges, vt notat D. Hieronymus, erant habitatores Sidonis, & Aradi, ac ſapientes Tyri. Sed quæro : Quomodo cùm ad hanc nauem conuenerint omnes totius orbis nationes, Perſæ, Arabes, Syrij, Græci, Iſraëlitæ, Meſopotamij, Carthaginenſes, tamen ſolùm ad aquas multas, per quas intelligitur calamitas, ac deuaſtatio, vt explicant Theodoretus, Lyranus, Tyrij habitatores eam adduxerint ? Sanè in maiori miſeria Rempublicam concluſerunt eius filij clauum nauis tenentes, quàm alienigenæ regentes, & gubernatores.

Ezech. 27.

Patricij rempublicam deuaſtant.

Hieron.

Theodor. Lyran.

QVÆSTIO IV.

Quare Euangeliſta numerum annorum deſcribat hîc, non verò in natiuitate Chriſti, ac deſcriptione orbis?

14. APVD ſcriptores etiam Canonicos celebris eſt conſuetudo in rebus memorabilibus obſeruare tempus, & annum, quo euenerunt. Iſai.6.n.1. *Anno, quo mortuus eſt Rex Oſias.* Hieremiæ 1. num.2. *In tertiodecimo anno regni eius*, ſcilicet Ioſiæ ? Ezech.1.num.1. *Factum eſt in trigeſimo anno, in quarta, vel quinta menſis*, & ſæpe. Ideoque Euangeliſta hîc in Baptiſtæ prædicatione memorat Imperij annum. Sed præſens quæſtio inquirit : Quare hic noſter Lucas in prædicatione Præcurſoris notet, non ſolùm Imperatorem, verùm etiam illius dominationis annum : *Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris*; at in natiuitate Chriſti, quæ multo excellentior erat, ſolùm commemorat Imperatorem: *Exijt edictum à Cæſare Auguſto*, Luc.2. num.1. Huius rei cauſam inueſtigamus.

Iſai 6. Hierem. 1. Ezech. 1.

Luc. 2.

15. Reſpondeo primò, quòd in natiuitate Chriſti tempus, & annum Euangeliſta non ſignat, vt nobis manifeſtum fieret, quòd in Chriſto, & à Chriſto Domino anni omnes, ac dies numerandi, & incipiendi erant, omniſque in ipſo vita noſtra renouanda. Secundò. In natiuitate Chriſti non dicitur annus ; maximè verò in eius prædicatione quæ paulo poſt vocem Baptiſtæ clamantem ad pœnitentiam habuit exordium ; quia in natiuitate maieſtas Domini, ac plenitudo virtutum Chriſti particularibus innotuit tribus paſtoribus, tribus Regibus : at in eius prædicatione omnibus illuxit, ac reſplenduit. Vnde ipſe dicebat : *Venite ad me omnes*, Matth. 11. Et tunc celſitudo, ac ſplendor magis eminet, atque irradiat, cùm non paucis ſolùm, & peculiaribus, verùm omnibus ſe ſe diffundit.

Virtus omnibus communicata illuſtrior Matth. 11.

16. Tertiò. Hîc in Baptiſtæ prædicatione apponitur annus; non verò in deſcriptione totius orbis, de qua incepit agere Euangeliſta, tunc enim Auguſto ſe omnes ſubditi tributo profitebantur. Enim verò quando Baptiſta prædicans apparuit in orbe, tamquam quid nouum, & miraculoſum, maximè annus ille notatu dignus erat : at verò quando Imperator tributum à populis exquirebat, tempore illo nil rarum, atque inauditum erat ; ſed ille annus cæteris correſpondebat, in quibus omnibus tributa à ſuis Reges expoſcere ſolent : & ideo tamquam quid ſolitum ille annus non notatur. Apud Babylonios duo extabant idola, vnum nomine Bel : *Et impendebantur per dies ſingulos, ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex. Rex quoque colebat eum*, Daniel. 14. num. 2. Alterum idolum erat Draco magnus, & colebant eum Babylonij, *ibid. n. 22.* Sed cur primum adorabat Rex, non verò ſecundum ? Quantum colligo ex textu : Ea, quæ idolo Bel apponebantur ad deuorandum, à populo per tributum exquirebantur, & ideo Rex honorabat eum, vt ad imitationem idoli, ac Dei ſui, liberum eſſet ei tributa imponere. Sed [illegible] noſtram Daniel, cùm eſſet temporum maximè notator, vt ſcribit D. Hieronymus, cur non commemorat tempus, & annum, in quo Bel à Babyloniis colebatur ? Nam quando ei Gabriel apparuit, vt magna prædiceret myſteria, tempus obſeruat : *Anno tertio Balthaſſar Regis*, cap.8.n.1. Et iterum : *Anno primo Darij filij Aſſueri*, cap.9.n.1. Et ſimiliter quando ei Michaël ſe manifeſtauit, cap.10.num.1. *Anno tertio Cyri Regis Perſarum* ; cur his locis tam minutim deſcribuntur tempora, non verò in hiſtoria Bel ? Quia tunc Rex à populis tributum colligebat, ac proinde nihil inuſitatum erat, vt peculiariter annus notaretur, ſed res valde frequens. At quando duo Angelici Prædicatores, ac annuntiatores, Gabriel, & Michaël in orbe illuxerunt, vt quid nunquam auditum memorentur dies, & momenta ; ita ſanè in præſenti, quando tributa exquiruntur, nato Chriſto, annus non memoratur; maximè verò quando mirabilis Prædicator intonat in mundo.

Omni anno Reges tributa poſcunt.

Daniel. 14.

Reges affectant tributa ponere.

Hieron.

Daniel. 8. 9. & 10.

QVÆSTIO V.

Quare in prædicatione, & non in natiuitate Baptiſtæ ſcribatur annus?

17. VT patet ex initio ſuperioris quæſtionis, celebris eſt conſuetudo in ſcribendis magnæ conſiderationis rebus, annotare tempus, & annum. Cùm autem natiuitas Baptiſtæ mundo adeò miraculoſa apparuerit, vt vnuſquiſque diceret : *Quis puer iſte erit?* Lucæ cap.1.n.6. Cur ibi Euangeliſta tempus non deſignat, hîc tamen in prædicatione maximè ? Reſpondeo, quòd in natiuitate Baptiſtæ virtutes illuxere in illius authoritatem, & honorem, vt magna de eo conciperent omnes, & ita dicebant vicini, *Quis putas puer iſte erit?* At in prædicatione toto orbi lucem dedere in commodum, vtilitatemque eius ; & tunc illuſtrior reſplendet virtus, quando in omnium emolumentum proficit, quàm dum in particulare bonum irradiat.

Luc. 1. *Virtus illuſtrior, dum in commune bonum, quàm in particulare fulget.*

18. Dauid potum aquæ, quæ eſt in ciſterna, quæ eſt in Bethleem, affectauit maximè ; *Irruperunt tres viri fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquã de ciſterna Bethleem, quæ eſt iuxta portam, & attulerunt ad Dauidem*, 2.Reg.23.num.26. Cùm verò Dauid fugeret à facie Abſalon, Berzellai Galaadites attulit Regi frumentum, hordeum, & farinam, & polentam, 2.*Reg.*17.*num.*28. quod obſequium ita gratum accepit Dauid, vt moriens in vltimo teſtamento præceperit filio ſuo Salomoni : *Filijs Berzelai Galaaditęs, reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua. Occurrerunt enim mihi*, &c.3.Reg.2.num.7. Illud ingerit mihi quæſtionem. Cur Dauid fortiſſimis militibus per medium hoſtilium caſtrorum irrumpentibus, vt aquam Regi attulerint, nec verbum gratiarum actionem ſonans apud eos habet ; filiis verò Berzellai ob parua cibaria oblata maximè addictiſſimum ſe ſe præbet : obſequium Berzellai in vtilitatem totius populi redundabat ; ait textus: *Suſpicati enim ſunt populum fame, & ſiti fatigari in deſerto*, 2. Reg.17.num.29. At verò aqua à militibus aſportata authoritatem Regis conciliabat, qui ſuis ita charus erat; & virtus, quæ vniuerſale totius populi commodum reſpiciebat, apud Dauid plus præualuit, quàm quæ maieſtatem declarabat. Vnde ait D. Cyrillus ad Reginas, *Bonus Rex in corde habet, non quæ ſibi placent, ſed quæ populo ſeruiunt.* Vide *lib.*1.*c.*7.*n.*38.*& lib.*2.*c.*1.*n.*82.

2. Reg 23.

3 Reg 2.

2. Reg 17.

Cyrillus.

QVÆSTIO VI.

Quare ante Baptiſtæ prædicationem hos principes enumerat Euangeliſta?

19. QVÆSTIO præſens inquirit : Cur diuinus Euangeliſta tam diſcrepantia extrema inter ſe connectit ? Hos nefandos principes apponit, & ſtatim magnum Baptiſtam introducit: *Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Reſpondeo. Vt diuinus Lucas ſignificaret, quàm latum inter Dei, ac Diaboli miniſtros ſit diſcrimen ; nam Tiberius, Pilatus, Herodes, & alij, vt crudeliſſimi tyranni dulcedinem regiminis, atque imperij, ſibi accommodabant, tributorum verò, vexationum, crudelitatumque rigorem, & amaritudinem ſubditis remittebant. E contra diuinus Baptiſta, vt à Deo datus, pœnitentiæ aſperitatem, ſeueritatemque deſerti, zonæ pelliceæ, & locuſtarum ſibi adaptabat ; confluenti autem populo Baptiſmi, illiuſque ſanctiſſimi balnei ſuauitatem communicabat ; & ſi aliqualis pœnitentia neceſſaria erat, Baptiſmatis aqua leniebat, prædicans baptiſmum pœnitentiæ.

Bonus miniſter ſibi aſpera, alijs ſuauia eligit, malus è contra.

20. Cùm Moyſes vitam ſibi iam finiri agnoſceret, populum extrema benedictione donans, de Ioſeph ait. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius*, Deuteron.33.n.17. Cùm verò acceſſiſſet ad Dan, ait ; *Dan catulus leonis*, num. 22. Sed iam inſurgit dubitatio, Quomodo Ioſeph tauro, Dan leoni comparantur, cùm leo ſit tauro multò præſtantior : Ioſeph verò nobilitate Dan maximè antecedat ; nam Ioſeph filius eſt pulchræ Rachelis ; Dan filius ancillæ ; Ioſeph dignitate totius Ægypti Prorex, virtute, ac moribus præclariſſimus ; Dan valde ignobilis, omnique vitio deditus, & tandem ab ipſo Antichriſtus oriturus. Quare ergo Ioſeph tauro, Dan verò leoni conferuntur? Taurus collum iugo premit, vt aliis emolumentum acquirat, totus labori incumbit, vt aliis fructuoſus ſit: leo verò è contra alios in fruſta cædit, vt ventrem ſatiet ; meritò igitur ſanctus Ioſeph tauro comparatur. Et ita ait Gloſſa Interlinealis : *Ioſeph bonus, actiuus inter alios, pulcher apparet ex pietatis operibus.* Dan autem Satanæ miniſter leoni proportionatur; nam Ioſeph incõmoditates ſibi appropriat, vt aliis ſuauis euadat; Dan verò in delitiis, vt viuat, alios laboribus, ac miſeriis opprimit. Chriſtus Dominus, ac Roboam vterque flagellum habet, ſed magna differentia. Nam cùm Rex Roboam maxima in populum congereret tributa, & ab eo poſtularetur, vt aliquid de eorum rigore remitteret, reſpondit Rex populo, & ait: *Pater meus cæcîdit vos flagellis: ego autem cædam vos ſcorpionibus*, 3.Reg.12. num.14. Erat enim quoddam inſtrumentum ferreum ad verberandum, vt explicant Caietanus, & alij. Cùm Dominus Ieſus ingrederetur templum, videretque vendentium menſas, eas ſubuertit : ac cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, *Ioann.*2. *num.*15. Verber autem illud fuiſſe lineum, ſatis eſt recepta ſententia. Cur Roboam ferreo, Dominus verò lineo vſus eſt inſtrumento ? D. Ambroſius lib. 5. epiſt. 32. *Pius Dominus flagello exturbat ſacrilegos, nequaquam proſequitur ferro.* Impius Roboam, vt in opulentia, ac delitiis viuat, plumbatum in manu ad affligendum habet loſum ? Chriſtus verò Dominus Rex à Deo conſtitutus hominibus lini lenitatem, ſibi verò in paſſione ferri duritiem accommodat.

Deuter. 33.

Interlin.

3. Reg 12.

Caietanus.

Ambroſ.

QVÆSTIO VII.

Quare in Romano Imperio vnus regnabat; in Iudæa verò quatuor præerant?

21. HVIC quæſtioni optimè reſpondet D. Gregorius Magnus homilia 20. in Euangelia. *Quia*, ait, *Gentilitas colligenda erat, & Iudæa pro culpa perfidiæ diſpergenda, ipſa quoque deſcriptio terreni principatus oſtendit, quoniam in Romana Republica vnus præfuiſſe deſcribitur, & in Iudææ regno per quartam partem multi principabantur. Voce enim noſtri Redemptoris dicitur* : Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur ; *liquet ergo, quòd ad finem regni peruenerat, quæ tot Regibus diuiſa ſubiacebat.* Quaſi hac deſcriptione diuinus denotet Euangeliſta, quòd Gentilitas, in qua erat Eccleſia ædificanda, eſſet in æternum permanſura; Iudæa verò ob incredulitatis culpam deſtruenda; ideo in gentilitate vnus, in Iudæa verò multi regnare dicuntur ; nihil enim res magis creſcit, quàm vnione ; nihil magis in præceps ruit, quàm ſui diuiſione. Regius Vates *Pſalm.*77. loquens de

Greg Magn.

Vnione augetur Reſpublica, diuiſione perit.

Pſalm 77. Eccleſia Chriſti ait: *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum, in Eccleſiis benedicite Deo Domino*, n.26. Et poſtea ad infideles ſermonem dirigẽs, ait n.32. *Diſſipa gentes, quæ bella volunt.* Seu, vt legit Caſſiodorus, Vatablus in ſcholiis, *diſperge gentes.* Caſſiodor. Vatablus. Cur Propheta in Eccleſia omnes coniunctos, in inimicis diſperſos deſiderat? Vt ita Eccleſia in æternum ſtet; infidelitas verò facilè ruat. Ita præſentem expendit Pſalmum Petrus Bleſenſis *epiſt.*78. Bleſenſis. & ait. *Vos, quibus vnicum, & præcipuum votum eſt initiatæ Eccleſiæ videre profectum, certiſſimè noueritis, quòd non, niſi per vnitatem habitura eſt incrementum.* & multis probat latè. Vide *lib.*1. *c.*6. *num.*36. *lib.*2. *cap.*1. *num.*106.

QVÆSTIO VIII.

Quare Euangeliſta cognomen hîc in aliquibus ponat, non verò in alijs?

22. DIVVS Lucas quinque perſonas, ſeu, vt veriùs dicam, ſeptem hîc nominat, Tiberium, Pilatum, Herodem, Philippum, Lyſaniam, Annam, & Caipham. In duobus primis vtpote Romanis, ac Gentilibus cognomentum ſcribitur. *Anno imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato.* At verò in aliis, cùm Iudæi eſſent, vt Herodes, Philippus, Lyſanias, Anna, & Caiphas, nudum nomen apponitur ſine vllo cognomine; honoris, ac nobilitatis ſignum cognomentum eſt, ideo illud in gentibus, non verò in Iudæis ſcribitur, quia honor, ac nobilitas deferebatur Gentilibus, à qua excluſi, ac denudati remanebant Iudæi. *Gentibus datus honor à quo Iudæi excluſi.* Enarrans ſacer textus Chriſti natiuitatem, ait, *Exijt edictum à Cæſare Auguſto*, Luc.2.n.1. & iterum. *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem in diebus Herodis Regis*, Matth.2.num.1. Luc.2. Matth.2. Maximè ponderandum, quòd in Romano Imperatore, non ſolùm nomen, ſed etiam cognomen declaratur, *A Cæſare Auguſto.* At in Herode ſolitarium nomen exprimitur. Et magis accreſcit difficultas, quòd in Romano Imperio vnus tantùm extitit Auguſtus; in Iudæa verò tres Herodes dominium tenuerunt; vt dixi *lib.* 1. *cap.*4. *n.*1. & quilibet ad diſtinctionem ſuum ſortitus eſt cognomen, vnus dicebatur Aſcalonita, alius Antipas, & ſacer textus paſſim de eis facit mentionem. De primò in Chriſti natiuitate, de ſecundo in eius paſſione, de tertio in morte Iacobi; & tamen in eis nunquam cognomen affingitur, vt in Romano Imperatore, cùm vnus eſſet Auguſtus, nam omni decore gentes extollebantur, cùm Iudæi abiecti ſine honore remanerent, vt ponderat D. Ambroſius demonſtratione, quòd Chriſtus ſit Deus, ad medium, ad illa Ambr. verba Deut.33.n.22. *Ego prouocabo eos in eo quòd non ſit Populus, & in gente ſtulta irritabo illos.*

Lucæ 3.*n.*1. Sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha.

VERSIONES.

Syriacus. In principatu ſacerdotij.
Vatablus. Sub Pontificibus Anna, & Caipha.

EXPOSITIO.

23. QVIA Chriſtus Dominus Rex erat, & Sacerdos, ideò in aduentu illius notat Euangeliſta, vt ait D. Bonauentura, regimen Principum ſæcularium, & Sacerdotum; hoc autem tenebant Annas, & Caiphas, ſocer, & gener. Bonauent. Et primùm mentionem facit de Anna, quia tempore, quo Ioannes prædicare incepit, ipſe principatum tenebat. *Prudentis eſt aliquando tacere.* Et hîc extrema Reipublicæ Iudaicæ notatur miſeria, quòd tam in ſæculari, quàm Eccleſiaſtico nemo erat, qui pro Reipublicæ bono ſtaret, ac loqueretur, & hoc etſi aliquando, dum mala inundant, ac omni remedio carent, ex prudentia ſit; tunc autem ex eorum conſummata fiebat nequitia.

QVÆSTIO IX.

Quare Annas, & Caiphas dicantur principes Sacerdotum, cùm eſſent Pontifices?

24. PRo explicatione præſentis difficultatis videnda *quæſt.* 19. *lib.*2. *cap.* 4. vbi explicaui, quòd principes Sacerdotum plures erant, ſcilicet vigintiquatuor capita familiarum Aaronis, & inferiores Sacerdote maximo; ita ipſi in paſſione Domini populum contra Chriſtum Saluatorem commouebant, *Matth.*26.*num.*59. & 27.*num.*20. Summus autem Sacerdos dignitate multò præſtantior, ac excellentior erat; & hanc præcellentiam Annas, & Caiphas obtinebant, vt eſt communis ſententia, & conſtat ex *Ioan.*11.*n.*51. Cur ergo Euangeliſta eos appellat, non Pontifices, & Sacerdotes maximos, ſed principes Sacerdotum, quod erat quid inferius?

25. Reſpondeo primò, quòd Euangeliſta eos principes Sacerdotum dicit, vt mitiori hoc nomine, ac vocabulo eorum ambitionẽ cooperiat, ac peccatum. nam principes Sacerdotum erant multi, & filij primogeniti in familia Aaronis, vt *citata quæſt.* dixi; Summus autem Sacerdos ſecundùm legem, vnus, & perpetuus erat. Secundò. Quia Anna, & Caiphas verè erant principes Sacerdotum, cùm eſſent primogeniti familiarum capita, ideo hæc dignitas propriè eis competebat, ac ſua erat; at Pontificatum ſiniſtro medio, & mala arte ambibant; & ideo Euangeliſta tali eos honore indignos iudicat; nam ſicut probè poſſeſſa honorant, ita iniuſtè obtenta dedecorant. *Iuſtè poſſeſſa honorant; ſecus dedecorant.* Cùm Daniel Nabuchodonoſorem alloqueretur, ſæpe ſæpiùs eum Regem appellat. Daniel 2.n.27. & 31. *Tu Rex videbas*, & frequenter. Daniel.2. Sed hinc mihi inſurgit quæſtio. Nabuchodonoſor Imperator erat, & ex quatuor imperiis obtinuit vnum, vt explicant *citato cap.*2. D.Hieronymus, Theodoretus, S. Thomas, Lyranus, & alij. Hieron. Theod. S.Thom. Lyran. Cur ergo Daniel, non Imperatorem, ſed Regem appellat, cùm denominatio à principaliori parte ſit dicenda? Nabuchodonoſor ex patris hæreditate regnum habuit, vt teſtantur Beroſus *in hiſtoria Chaldæorum.* Ioſephus 10. *Antiq. cap.*12. & 13. Beroſus. Ioſeph. Imperium verò orbis tyrannicè obtinuit, iniuſtè enim terras Iſraël, & alienigenarum poſſedit. Propheta, vt eum honoraret, non Imperatorem, ſed

Regem dicit; ſicut enim Regis dignitas, quæ ex paternis obuenerat bonis, eum illuſtrabat, ita imperium iniquè adeptum obſcurabat. Vide *lib.*1. *cap.*5. *num.*135.

QVÆSTIO X.

Quomodo hi duo in Pontificatu numerentur?

26. VT dixi *cit. quæſt. lib* 2. *cap.*4. vnus tantùm erat ſecundùm legem Sacerdos ſummus; hîc tamen Euangeliſta numerat duos, quod in varias ſententias fecit abire expoſitores. Primò dixerunt aliqui graues Recentiores, quod probabile iudicat Barradas, ideo ab Euangeliſta duos eo anno principes Sacerdotum eſſe nominatos, Barradas. quia duos illo anno contigit Pontificatu fungi. At hæc ſententia multis, & mihi, non placet: in Iudaica enim Republica Sacerdotes ſummi duo ſimul numquam fuere, nec Ioſephus diligentiſſimus illorum temporum ſcriptor tale commemorat.

27. Baronius. Secundò. Cæſar Baronius *anno Chriſti* 31. tenet Caipham anno illo ſummum eſſe Sacerdotem, & cum eo ab Euangeliſta Annam coniungi, non quòd eſſet ſummus Sacerdos, ſed quia princeps, & caput magni Concilij Sanhedrim; & ideo Chriſtus Dominus in paſſione primò ductus eſt ad Annam, *Ioan.*18.*num.*13. At hæc ſententia eſt improbabilis, nec Chriſtus Dominus ductus eſt primò ad Annam, ex ea ratione: aliam enim aſſignat Euangeliſta; *Quia erat ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Deinde omnes ſeniores Concilij illius Sanhedrim interfecti fuere ab Herode, excepto ſolo Baba filio Rota, quadraginta annis ante deuaſtationem templi, hoc eſt, anno Chriſti trigeſimo primo, ac initio prædicationis eius, vt ex Ioſepho, ac multis Iudæorum libris colligunt Galatinus *lib.*4.*cap.*5. & 6. Paulus Burgenſis 1. *part. ſcrutorij, diſt.*3. *cap.*2. Hieronymus à S.fide *lib.*1. *contra Iudæos cap.*1. imò & ipſe Baronius *anno Chriſti* 31. *in Epitome Spond. n.*5. Galatin. Burgenſis Hieronym. à S.Fide. Baron. Igitur interfectis omnibus, vno excepto Baba, ſi Annas caput eſſet illius Concilij, etiam interfectus eſſet: atqui ipſe ſuperuixerat in paſſione Chriſti; ergo non erat de illo Concilio. Deinde hoc dato, adhuc non videtur, quomodo cum ſummo Pontifice numerandus eſſet.

28. Euſebius. Lyran. Carthuſ. Tertia ſententia Euſebij *in hiſtor. cap.*10. Lyrani, D.Dionyſij Carthuſiani. De his, inquiunt, duabus facit Euangeliſta mentionem, quia ad Chriſtum magis pertinebant; nam cùm eſſet Annas ſummus Sacerdos, incepit Ioannes prædicare; cùm verò eſſet Caiphas Pontifex, Chriſtus paſſus eſt. Hanc tamen rationem non probo; quia Lucas intendit certum indicare annum, quo Ioannes ſuam exorſus eſt prædicationem: ad quid ergo Pontificis illius, ſub quo Chriſtus paſſus eſt, mentionem faceret?

29. Auguſt. Beda. Bonauent. Caietanus. Ianſen. Maldon. Beaulxam. Quarta ſententia eſt D. Auguſtini *tractat.*49. & 113. *in Ioannem*, Bedæ, D.Bonauenturæ, Caietani, Ianſenij, Maldonati, Beaulxamis, & aliorum. Et hæc mihi probabilior videtur, quòd hi duo dicuntur ſummi Sacerdotes, quia à populo ita communiter appellabantur. Primò vt tradunt authores *citati*, quia alternis annis Pontificatum fun-

gebantur; vnus enim alteri reciproca viciſſitudine ſuccedebat: à Romanis namque Pontificatum ſimoniacè impetrabant, à quibus non generis ſucceſſione, ſed pecunia diſtribuebatur, apud quos omnia venalia, vt ſæpe indicat Ioſephus: ac proinde de tempore hoc illud dicere poſſumus, quod Scriptura de Roboam: *Quicumque volebat, implebat manum, & fiebat Sacerdos*, 3.Regum 13. num.33. Ioſephus. 3.Reg.13. Si verò obiicias quòd Annas Pontificatu priuatus eſt à Præſide Valerio Grato, qui ante Pilatum fuit; & quòd Caipham creauerit in Pontificem, qui dignitate illa functus eſt toto tempore, quo Pilatus extitit Iudææ Præſes, vt teſtatur Ioſephus *lib.*18. *Antiq. cap.*4. & 6. Ioſeph. Reſpondemus, quòd licèt Caiphas toto illo tempore Pontifex eſſet: tamen Annas etiam Pontifex dicebatur; vel quia proximè in dignitate præceſſerat; vel quia aliis authoritate præſtabat; vel quia ad Caipham affinitate proximus accedebat; vel quia Caiphæ coadiutor erat. Euthymius tamen exiſtimat, quòd Annas Pontifex erat, & Caiphas eius adiutor. Euthym.

30. Tandem in hac ſententia, & moraliter dico, quòd, cùm Caiphas pro illo tempore ſolus Pontifex eſſet, vt ait Ioſephus; Ioſeph. tamen Annas ita dicebatur: imò & prior ipſe nominatur, quam Caiphas, quia apud ipſum gratia, & authoritate multum valebat; ita vt nihil, eo inconſulto, ageretur, & aliquando in Republica eò miſeriæ deuentum eſt, vt apud homines, ille qui intimus à ſecretis eſt Regis, æſtimetur pluris, quàm ipſe Rex. *Pluris æſtimatur Regis amicus, quã Rex.* Chriſto Domino à Iudæis comprehenſo ait Ioan.18. num. 13. *Adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Ioan.18. Cur Dominus Ieſus priùs adducitur ante alium, quàm ſummum Sacerdotem, cùm cauſa illius ad Religionem pertineret; dicebant enim: *Quia filium Dei ſe fecit?* Enim verò Annas erat, qui gratia, & amicitia apud Pontificem plurimùm valebat, ideoque ad ipſum Saluator primò defertur. D.Auguſtinus *ibi* ait: *Nec enim tacet cauſam, cur primùm Dominus Ieſus ductus ſit ad Annam*, Auguſt. *ſubdens: erat enim ſocer Caiphæ.* Cùm Hieremias lamentaretur deſolationem Hieruſalem, ait: *Defixæ ſunt in terra portæ eius, perdidit, & contriuit vectes eius*, Thren.2.n.9. Thren.2. Vbi D.Paſchaſ. Rupert. & alij, per portas, Reges, per vectes, intimos familiares intelligunt. Paſchaſ. *Si quæras*, ait Rupert. *quas portas in terra defixit; quos vectes perdidit, & contriuit? Regem eius, & Principem in Gentibus.* Sed cur Reges, portis; cubicularij à ſecretis, vectibus comparantur? Vt extrema Reipublicæ miſeria innoteſcat, nulla enim maior poteſt conſiderari, quàm quod ad hoc vt Rex aditum alicui concedat, vt eius poſtulata audiantur, opus ſit, vt priùs ſeras intimus familiaris aperiat.

QVÆSTIO XI.

Quare Sacerdotes in hac deſcriptione in vltimo loco ponantur?

31. SATIS notum, quantum ſæcularem Eccleſiaſtica dignitas antecedat; tamen Euangeliſta priùs commemorat Principes ſæculares, & vltimo in loco ſummos Sacerdotes. Ad quod reſpondeo primò, quòd eorum peccata dignitatem

ita minuerunt, vt qui primi, nouiſſimi eſſent; peccata enim à dignitate maximè expellunt nos, Secundò. In vltimo ponuntur loco Eccleſiaſtici, vt ita ad Deum diuinumque verbum ſuper Ioannem factum maximè accedat.

Sacerdotum peccata à Deo ſolo emendantur.
Greg. Magn.

Sacerdotum delicta ſolùm diuina manus emendare valet. Ita ait D. Gregorius Magnus in 1. Reg. cap.2. num.25. *Peccata ſubditi populi Sacerdotum precibus delentur; cùm Sacerdos in culpam labitur, ſuperior perſona non eſt, cuius precibus expietur.* Similiter

Auguſt.

D. Auguſtinus *in Pſalm.* 36. Tertiò. Pro laicorum peccatis orabit Sacerdos, & ipſos poterit emendare; at dum Sacerdos delinquit, ſolùm Dei manus eos poteſt reducere. Et vt hoc ſignificaret Euangeliſta, hos iniquos Sacerdotes tanquam ad medicinam, ad Verbum Dei approximat, vt ibi remedium conſequi valeant. Inquit Regius Va-

Pſalm.49.

tes Pſalm.49. num.5. *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Per

Chryſoſt.

Sanctos ibi D. Chryſoſtomus intelligit Sacerdotes peccatores, eoſque honoris gratia Sanctos appellat. D. Auguſtinus verò iuſtos ſignificari vult. Et tamen Angelis præcipitur, hos iuxta Chriſtum Dominum ſiſti, vt inde maiorem indulgentiam, atque gratiam impetrent. D. Auguſti-

Auguſt.

nus, *Congregate illos, vt conſeruet eos Dominus, & viuificet illos.* Vt ad Deum accedant, affectat Regius Vates, vt inde peculiariter indulgentiam percipiant.

Lucæ 2. *n.* 2. Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.

VERSIONES.

Syriacus. Factus eſt ſermo Domini ad Iouehanon.

Theophylact. Factum eſt verbum Dei ſuper Ioannem.

Text.Hebraic. Dominus allocutus eſt Ioannem.

EXPOSITIO.

32. IN tantarum miſeriarum tempore apparuit in orbe verus Meſſias Chriſtus Ieſus, & ante illum eius prænuntius Baptiſta, qui ab Origene ſuper hoc cap. tertium Lucæ, appellatur princeps prædicationis Euangelicæ, cuius magnalia breuiter deſcribit Euangeliſta, vt tanti Prædicatoris authoritas ſit irrefragabilis.

Oſeæ 1.

Factum eſt verbum, phraſis Hebraica eſt. *Verbum Domini, quod factum eſt ad Oſeam* 1.num.1. Idem

Carthuſ.

valet, Dominus locutus eſt. Vel per miniſterium Angelorum, vt ait Carthuſianus: vel per internam reuelationem, & inſpirationem diuinam; vt etiam ipſe tenet cum Lyrano, & aliis, & mihi eſt probabilius. Dicitur, *ſuper Ioannem,* vt vult

Bonauent.

Diuus Bonauentura; quia iſta inſpiratio deſuper venit à Patre luminum; Diuus Chryſoſto-

Chryſoſt.
Theophyl.

mus verò *homilia.* 10. *in Matthæum,* Theophylactus per *verbum* intelligunt præceptum, mandatum ad Ioannem. Vnde bene ait Titus Bo-

Boſtrenſis.
Bonus miniſter non ſe ingerit.

ſtrenſis: *Hæc verba clarè oſtendunt, Ioannem ad Baptiſmi, & verbi miniſterium ſe non ingeſſiſſe, ſed à Deo vocatum & miſſum fuiſſe.*

QVÆSTIO XII.

Quare non dicatur: Dominus locutus eſt? ſed, factum eſt verbum?

VTERQVE hic loquendi modus idem valet, vt clariùs patet ex textu Syriaco, *factus eſt ſermo*; & ex Hebraico, *Dominus allocutus eſt.* 33.

Cur ergo Euangeliſta hoc modo tam facili non vtitur, ſed hoc circumloquio, *Factum eſt verbum?* Ad hoc iam in expoſitione reſpondi.

Magiſter quæ docet, in ſe adimplet.

Deſtinabatur Baptiſta, vt prædicaret, alioſque erudiret, priùs verbum prædicationis in eo fit, atque in ſe adimplet, quod docturus eſt; vt hoc exemplo talis ſit magiſter, qui ad alios inſtruendos egreditur, vt prius in ſe dicta opere exequatur, quàm verbo proferat.

Duabus tabulis eſt tradita lex dupliciter, ſemel 34.
digito Dei, iterum manu Moyſis conſcripta. Primæ ſunt confractæ, nulloque modo comparuere, *Exod.* 32. *num.* 19. Secundæ manu Moyſis exaratæ populo ad ſeruandam legem datæ ſunt, *Exod.* 34. *n.* 1. & in Arca ad memoriale perenne ſunt reconditæ. Sed cur, comminutis primis tabulis, ſecundæ integræ manent, ac filiis Iſraël ad obſeruandum porriguntur? D. Auguſtinus, *Se-* Auguſt.
cundas tabulas per adiutorium Dei homo fecit, ac conſcripſit, & in arca repoſuit. Dei nutu ita diſpoſitum eſt, vt, cùm Moyſes promulgator, legiſlator eſſet, prius manu, & opere ſcriberet, ac conficeret, quàm lingua diceret, ac ore proferret. *Factum eſt verbum Domini in manu. Æggæi,* c.1.n.1. Verba ad aures pertinens, quomodo in manibus ponuntur? Ille ad erudiendos populos Prædicator conſtituebatur, ideo verba prius opere exprimuntur, quàm ore formentur. Caſſianus collat.

Caſſian.

11. cap. 4. *Numquam,* ait, *erit efficax inſtituentis authoritas, niſi eam affectu operis ſui cordi affixerit audientis.* Vide *lib.* 1. *c.* 1. *q.* 11. *n.* 29. & *lib.* 2. *c.* 1. 45.

Secundò. Ad quæſtionem valde allegoricè 35.
D. Petrus Chryſologus *ſermone* 137. explicat

Chryſol.

hunc locum. *Factum eſt,* inquit, *verbum Domini ſuper Ioannem. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Super Ioannem; quare non ad Ioannem, ſed ſuper Ioannem? Quia quod de ſurſum eſt, ſuper omnes eſt. Quia Ioannes vox eſt, Deus verbum, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Deus ſuper Ioannem, ſuper ſeruum Dominus, ſuper vocem verbum.*

Chriſtus Ioãne ſuperior.

Ac ſi dicat. Præuidit Euangeliſta, quòd Ioannis virtutes in prædicatione ſua fulgores maximos ſparſuræ erãt, ne aliquis cogitaret pluſquam fas eſt, ideo explicat, quòd Verbum caro factum, ſcilicet Chriſtus Dominus, ſuper Ioannem eſſet, in omnibuſque eũ præcelleret. Et ait in deſerto, ibi enim Ioannis virtutes maiorem habuere nitorem.

QVÆSTIO XIII.

Tres quæſtiunculæ ad hanc dictionem, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.

QVÆSTIVNCVLA prima. Quare noſter 36.
Euangeliſta aliorum dignitates, qualitateſque

teſque commemorat, ſcilicet quòd Tiberius eſſet Imperator; Pilatus Præſes; Herodes, & Philippus Tetrarchæ; Annas, & Caiphas ſummi Sacerdotes; de Ioanne verò omnia ſubticuit, cùm de eo dici poſſent multa: nimirum, quòd eſſet Angelus, pluſquam Propheta, homo miſſus à Deo; omnia præteriit Euangeliſta, nihil de eius perſona dicit; ſed tantùm intonat: *Factum eſt verbum ſuper Ioannem?*

Magna laus alios docere.

Reſpondeo primò. Quòd noſter Euangeliſta multa de Ioannis dignitate toto ſuo cap. 1. dixit, ideo hîc non repetenda, ſed tantùm ſupponenda fuere. Secundò. Quia Ioannes virtute animi, qua factum eſt verbum ſuper ipſum, erat multo ſuperior, omni præexcellenti dignitate, nulla enim maior datur, quàm verbo, & opere alios docere.

37. Quæſtiuncula ſecunda. Quare, cùm D. Matthæus tantus ſit in explicanda Ioannis abſtinen-

Matth 3.

tia c. 3. n. 4. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erant locuſtæ, & mel ſilueſtre;* de his tamen operibus D. Lucas nec verbum habet, ſed tantùm ait: *Factum eſt verbum ſuper Ioannem?*

Ambroſ.

D. Ambroſ. hîc. *Factum eſt verbum, vox ſecuta eſt: verbum intus priùs operatur, ſequitur vocis officium. Vnde & Dauid dicit: Credidi, propter quod locutus ſum; priùs credidit, vt loqui poſſet.* Et poſt pauca addidit: *Bene igitur ſanctus Lucas compendio vſus eſt, vt Ioannem declararet Prophetam, dicens: Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, vt alia non adderet. Vnum dixit, & omnia declarauit.* Lucas nihil de externa pœnitentia, ſed tantùm ait: *Factum eſt verbum ſuper Ioannem,* hoc eſt, interna Dei inſpiratio illuminãs mentem eius, gloriam ipſius multo magis extollens, dum, non externis operibus, ſed de internis animi virtutibus Ioannem commendat; vera enim laus ab his, non quæ hominibus apparent, ſed quæ tantùm ſoli Deo innoteſcunt, coaleſcit.

Vera laus ex animi virtute.

38. Quæſtiuncula tertia. Quare ſacer textus non explicat, quæ verba Ioanni dicta ſint, vt paſſim videmus in aliis Prophetis, dum arcana eis reuelata ſcripta conſpeximus.

Iſai. 1. & 6.

Iſai. 1. num. 1. *Viſio Iſaiæ, Audite cœli.* Et cap. 6. num. 8. *Audiui vocem Do-*

Hierem. 1.
Ezechiel. 1.

mini, dicentis: Quem mittam, Hieremiæ 1. num. 4. Ezechielis 1. num. 3. & ſic de cæteris. Cur ergo, quæ Deus locutus eſt Ioanni, non commemorantur? Reſpondeo primò, quòd hæc tacentur, & ſolùm dicitur, venit in omnem regionem Iordanis; vt excellens Ioannis deſcribatur obedien-

Perfecta obedientia declaratur facto, non auditione.

tia; hæc enim, cùm ſit perfectiſſima, potius operibus factis, quàm verbis auditis declaratur: & idem erat, quòd ei aliquid præciperetur, ac quòd ipſe exequeretur: & Ioannis voluntas Deo erat adeò addicta, vt ad nihil manus applicaret, niſi ad id, quod Deus præciperet: *Neque ſuſcitetis,* ait,

Cantic. 2.

Sponſus, *neque euigilare faciatis dilectam, quoad vſque ipſe velit,* Cantic. 2. num. 7. Sed quomodo. In manu dormientis eſt, à ſomno excitari? Minimè. Cur ergo dicitur: *Quoad vſque ipſe velit?*

Origenes.
Nyſſen.

Origenes *homil.* 3. D. Gregorius Nyſſenus homilia 4. *Donec ipſe velit,* ſcilicet Sponſus. Tam conformis inter ſe Sponſi, & ſponſæ voluntas erat,

Ghiſler.

vt explicat Origenes *citatus* apud Ghiſlerium, quòd ipſa ad Sponſi nutum dormiret, vel vigilaret; ac proinde ſuſcitabatur, vel requieſcebat, prout Sponſus diſponebat. Reſpondeo ſecundò. Non recenſentur verba Ioanni facta; quia ſupremi Regis ſecreta, quæ inter vtrumque mediabant, minimè poſſunt diuulgari, in publicumque proferri; ſed ille tantùm qui reuelabat, ſolus agnoſcit. Vide *lib* 1. *cap.* 4. *num.* 49. Circa hanc rem vide aliam quæſtionem ſuprà *lib.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 20. *num.* 44.

QVÆSTIO XIV.

Quare dicatur filius Zachariæ ſine Sacerdotis cognomento?

COMMVNIS ſolutio eſt, quòd dicitur filius 39.
Zachariæ, ad demonſtrandam nobilitatem Baptiſtæ, vtpote qui à tanto parente genitus erat, vt dixi *lib.* 1. *c.* 4. *in principio.* Deinde, quia in animi ſplendoribus, vt illius filius ſe ſe gerebat. Tandem

Anton. Vlyſſ.
In prædicatore memoria paſſionis.

D. Anton. Vlyſſipon. *ſerm. in Dominica* 4. *Aduentus,* ita ait: *Ioannes Prælatum, vel Prædicatorem ſanctæ Eccleſiæ ſignificat, qui debet eſſe filius Zacharia, qui interpretatur memoria Domini, vt ſemper habeat in memoria, quaſi in quodam memoriali, paſſionem Domini.* Vnde ait Iſaias 26. n. 8. *Nomen* Iſai. 26.
tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ.

Præſens verò quæſtio inquirit: Cur non dici- 40.
tur filins Zachariæ Sacerdotis; nam in multis aliis hoc ponitur, tamquam generis ſtigma præclariſſimum, Hieremiæ 1. n. 1. *verba Hieremiæ filij* Hierem. 1.
Helciæ, de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth.
Ezechiel. 1. n. 3. *Factum eſt verbum Domini ad* Ezechiel 1.
Ezechielem filium Buzi Sacerdotem. Cùm hæc apud prophetas celebris eſſet conſuetudo; cur S. Lucas in deſcribendo baptiſtæ parente illam non obſeruat; Dixerat Euangeliſta, quòd Annas, & Caiphas tenebant Sacerdotum principatum, & dum perditiſſimos homines in illa dignitate commemorat, ſanctiſſimum Zachariam cauet nominare Sacerdotem; dignitas enim nec ſemper nobilitat, dedecorat namque dum ſimul à peſſimis, deprauatiſque hominibus poſſidetur.

Dum impius regnat, gloria eſt ſceptrum non habere.

Ait Matthæus 2. num. 1. *In diebus Herodis Regis,* Matth. 2.
ecce Magi ab Oriente venerunt, Sed cur hi ſapientes regali non decorantur dignitate, cùm in illa eminerent, vt dixi *lib.* 2. *cap.* 4? Dixerat Euangeliſta, Herodem regali præeſſe corona; & dum tam impius ſceptrum tenet, nullum videtur decus ſimul conregnare. Quæſtionem mouet Ru- Rupertus.
pertus. Cur regnante Roboamo pars magna regni diuiditur, & ad Ieroboamum tranſit, 3. *Regum* 12. *num.* 20. Cùm verò Saul ſceptrum Iſraël teneret, vſque ad mortem in manu eius perſeuerat, 1. *Reg. vlt.* Et tunc Dauid Rex conſtituitur. Cur non antea viuente Saul; nam ille peior erat Roboamo; & ſic eius nomen Saul infernum ſi-

Greg. Venet.
Mendoça.

gnificat, vt explicat Gregorius Venetus *tom.* 1. *de hiſtoria ſacra, ſect.* 8. *problem.* 453. Vnde ait P. Mendoça *tom.* 3. *lib.* 1. *Reg. cap.* 9. *verſ.* 2. *num.* 5. quòd ſicut infernus nullis vnquam malis ſatiatur: ita Saul erat immenſus quidam gurges, ac profundum barathrum vitiorum. Nam Saul ſacerdotale munus vſurpauit, 1. *Reg.* 13. *num.* 9. Deo inobediens extitit, 1. *Reg.* 15. *num.* 8. Sacerdotes ſacros occidit, 1. *Reg.* 22. *num.* 18. Inuidia, atque ira Dauidem perſequebatur, aliaque innumera perpetrauit mala. Cur ergo ipſo viuente non ſcinditur regnum ab eo, ſicut à Roboamo, & ad Dauidem defertur, *Vt videat in cunctis proſperis Iſraël æmulum ſuum,* &, vt prædixit Samuel 1. *Reg.* 13. *num.* 14.

Septuag.

num.14. Regnum tuum vltrà non conſurget. Legunt Septuaginta : *Non ſtabit tibi.* Ratio huius rei ea mihi eſt, quòd imperante nequiſſimo Roboamo clauum regni teneat ſimilis ei Ieroboam; at verò dum purpurâ nitet impiiſſimus Saul, indecens eſt, vt ſimul regnet ſanctitas, innocentiaque Dauid. Ex quo S. Seuerian. Bituricenſ. Archiepiſcopus in ſuo Dialogo maximè laudat, atque probatos iudicat Epiſcopos, qui conſorte B. Martino cum ipſo ſimul in Epiſcopali cathedra ſedebant.

Seuerian.

QVÆSTIO XV.

Quare dicatur factum verbum in deſerto?

41. POSTQVAM diuinum mandatum Ioanni factum, eiuſque perſonam Euangeliſta explicauit, locum deſignat, in quo erat, ſcilicet in deſerto. Primò. Quia à primis annis in illo Ioannes erat, vt explicat noſter Lucas *cap.1.num.*80. Nam, vt tradunt graues authores ex Nicephoro *lib.1.hiſtor.cap.*14. in perſecutione Herodis, dum infantes occidit, cum filio ſuo Elizabeth in deſertum confugit, in quo ipſe vſque ad diuinum hoc mandatum perſeuerauit, in eoque, non in vrbibus, nec in hominum frequentia prædicat, ne ſæculum, quod ſemel renuntiauit anima, iterum repetat. Vide *lib.1.cap.2.*

Niceph. *Ioannes ad deſertum cõfugit.*

42. Secundò. Theophyl. ita ait : *Per totum tempus præteritum vſque ad ſui oſtentationem occultus fuit in deſerto, & hoc eſt, quod ſubditur,* in deſerto : *vt nulla ſuſpicio pullulet hominibus, quòd gratia affinitatis ad Chriſtum, vel conſeruationis à teneris annis talia de ipſo teſtaretur. Vnde ipſe teſtificans dicebat Ego neſciebam illum.* Ioan.1.n.31. Verbum Ioanni fit inter antra deſerti, vt de Chriſto teſtimonium perhibeat, ne vlla etiam parua ſuſpicio ſit, quòd gratia familiaritatis, vel conſeruationis cum Chriſto, de eo teſtificaretur. Et expende illa verba, *neſciebam illum.* Si ignorabat eum, quomodo de ipſo tot teſtatur mirabilia? Exiſtimauit diuinus Præcurſor teſtimonij ſui authoritatem plus minui poſſe fama amoris, animique affectione, quàm aliquali ignorantiæ nota. Et ideo ait, *neſciebam illum.* quoad omnia myſteria, antequam mihi eſſent reuelata, de quo vide *cap.5.*

Theoph. *Verum teſtimonium, non affinitatis gratia.* Ioann. 1.

43. Tertiò. Origenes, D. Ambroſius, Boſtrenſis, per deſertum intelligunt Eccleſiam Catholicam ex Gentilitate congregatam, in qua prædicabat Ioannes, vt latiùs infrà dicam. *quæſt.*21. Ratio quarta. Vt euidens fiat diſcrimen magnum inter Ioannem, ac Tiberium, Pilatum, alioſque regnantes in principio huius capitis annumeratos; hi enim omnes ſæculo dediti, omnium bona propter nimiam ambitionem vſurparent, ac ſibi acquirerent? Ioannes verò à mundi delitiis procul in deſerto, tamquam verus Dei miniſter, vt omnia renuntiaret.

Origenes. Ambroſ. Boſtrenſ.

44. Quintò. D. Gregorius Nyſſen. citatus in catena D. Thomæ, *Simul etiam,* ait, *qui in ſpiritu, & virtute Eliæ hanc vitam ingreſſus eſt, amotus à conuerſatione humana, inuiſibilium ſpeculationi vacans, ideo ad tantum diuinarum gratiarum eleuatus eſt apicem, vt pluſquam Prophetis ſibi gratia infunderetur, quia mundum, & expers cuiuſlibet naturalis paſſionis deſiderium ſuum à principio vſque ad finem diuinis aſpectibus obtulit.* Et ſimiliter D. Hieronym. *Epiſtol. ad Ruſticum,* dicitur, *in deſerto,* in quo habitabat, vt puritas, ſanctitaſque Ioannis vndique illibata probetur. Et huc venit ſolutio cuiuſdam quæſtionis, quam excitat Cardinalis Hugo *in c.1. Ioann.* ad illa verba: *Fuit homo miſſus à Deo.* Cur ſcilicet Iſaias, quando ad prædicandum mittitur, calculo purgatur, *Iſai.6.n.6.* non autem hic Ioannes? Quia Iſaias inter hominum frequentiam viuebat, à qua Ioannes in deſerto ſeparatus erat; ideoque illum mundari maximè, hunc verò minimè neceſſe erat. In deſerto nitent virtutes, excellentiæque omnes. Et in præſenti ita ait D. Antonius Vlyſſiponenſis ſermone in Dominica 4. Aduentus. *In deſerto,* inquit, *vbi deſertum, ibi verbum Dei, de quo ait Regius Vates,* Pſal.62.n.3. *In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa: ſic in Sancto apparui tibi. Notantur virtutes, quæ ſanctificant homines, & ad contemplandum Deum mentem illuminant. Terra deſerta, ideſt, paupertas, via, ideſt, caſtitas : inaquoſa, ideſt, abſtinentia.* Ita D. Antonius. Omnes hæ virtutes deſertum concomitantur.

Nyſſenus. *Ioannis puritas ſæculum fugit.*

Hieron. Hugo. *Omnis virtus reſplendet in deſerto.* Anton. Vlyſ.

Lucæ 3.n.3. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

VERSIONES.

Theophylact. In omnem regionem finiti- *Pagninus* mam Iordani.
Textus Hebraicus. Vt eos anteactæ vitæ pœniteret, & lauarentur aqua.

ALTER TEXTVS.

Matth.3.n.1. & 2. Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens : pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.
Marci 1.n.3. Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionẽ peccatorum.

EXPOSITIO.

45. ECCE prompta Ioannis obedientia, nam diuino accepto mandato ſtatim venit, vt ait D. Chryſoſtomus homil. 10. in Matth. *Venit Ioannes quaſi magni Regis præparator, & nuntius fidelis.* Text. *In omnem regionem Iordanis,* quæ deſertum Iudææ etiam dicebatur, vt notat D. Matthæus; eius enim habitatoribus propinqua erat. Et dicitur, *in omnem regionem finitimam Iordani*; vt ait D. Bonauentura, vt ſignetur vera obedientia, quæ excipit nihil, ſed eſt ad omnia prompta. *Ad omnia, quæ mittam te, ibis,* Hieremiæ 1. n.6. *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Ecce Prædicatoris thema; prouocare ad lauacrum, quo ad pœnitentiam, & dolorem homines excitabantur. *In remiſſionem peccatorum.* Non quòd efficacia Baptiſmatis illius conſequeretur, ſed quòd virtute pœnitentiæ, ac vi doloris hæc remiſſio haberetur, de quo latiùs quæſt. 16. *Appropinquauit regnum cælorum*; nempe Chriſtus Dominus, cuius virtute erat aperiendum cælum clauſam. Et Ioannes omnium primus regnum cælorum prædicat, vt ex D. Hieronymo notaui *lib.1.cap.8.quæſt.6.num.*14. Et, vt ait D. Paſchaſius lib.2. in Matth. *Neque aliquis,* inquit, *paruipendat pœnitentiæ fructum, poſt cuius præconium cælorum regnum prope fore annuntiatur : nec debet contemni pœnitentia, per quam gratis ad regnum cælorum venire nos inuitat.* Vbi enim vox pœnitentiam intonuit, regnum cælorum ſtatim manifeſtatur apertum. Inter pœnitentiam igitur, & regnum cælorum nihil eſt medium, ait Petrus Damianus *ſermo.* 50. Quare Chriſtus Dominus voluit habere teſtimoniũ à Ioãne, vide *lib.1.c.1.q.*33.

Chryſoſt. Bonauent. Hierem.

Hieron. Paſchaſ. *Per pœnitentiã cælo maximè appropinquamus.*

QVÆSTIO XVI.

Quare omnes Euangeliſtæ de Ioanne mentionem faciant?

46. EVANGELISTÆ omnes de Ioanne Baptiſta valde accuratè tractant. Matthæus, Marcus, Lucas *hîc*, & aliis locis; Ioannes verò *cap.1.* Quidam apud Abulenſem citandum dicunt hoc fuiſſe propter Ioannis ſanctitatem, maximè enim in eo reſplenduit; ideoque de eo maior, quàm de omnibus aliis mentio fieri debuit. Ita authores apud Abulenſem, Guerricus Abbas *ſerm.3.* ait de Baptiſta; *vt commendabilius redderetur Euangelium.* Et hoc latè retuli *lib.1. cap. 8. quæſt. 35. num.*36. Hæ rationes, licèt in laudem Baptiſtæ à deuotis ſuſtineri poſſint, non tamen propriæ, ac germanæ ſunt; nam Beatiſſima Virgo incomparabiliter eſt multo ſanctior Baptiſtâ, de ipſa tamen Euangeliſtæ pauca dixere.

Abulenſ. Guerric. *Ioãnis Euangelium commendatur.*

47. Abulenſis *in cap.3. Matth. quæſt.*19. hanc quæſtionem latè tractat, quorum ſumma hæc eſt. Omnia Euangeliſtarũ narrata ad Chriſtum pertinent, quædam aliis magis neceſſaria ſunt; quæ non maximè neceſſaria, licèt valde vtilia, quidam tetigere, omiſere alij : at quæ omnino neceſſaria, nullus eorum tacuit; verbi gratia, Chriſti paſſionem, qua nos redemit. Similiter quòd Chriſtus Dominus verus eſſet Deus, veruſque Meſſias; quia nullus alius nos redimere poterat. Quòd autem Chriſtus Dominus verus ſit Deus, veruſque Meſſias, triplici probatur medio, ait citatus Abulenſis, per Scripturam, per eius miracula, & per Ioannis teſtimonium. Scripturæ authoritas, etſi maior, quàm omnium hominum ſimul ſumptorum, ait Abulenſis, non eſt tam determinata, ſicut Ioannis erat teſtimonium; in Scriptura enim ſolùm dicitur de loco, tempore, aliiſque Meſſiæ conditionibus, & quamuis eius perſonam maximè determinet, poterat tamen intellectus de determinata adhuc dubitare poterat, quam dubitationem Ioannes ſuſtulit perſonam digito oſtendens, & dicens: *Ecce agnus Dei,* Ioann. 1. num. 29. ita vt nullus deprauatus intellectus de alio, quàm de Chriſto, intelligere poſſet. Probatio per miracula, licèt teneat ipſe Abulenſis; quod eſſet efficacior, quàm Ioannis teſtimonium, tamen ita concludit, quòd Iudæi maximè perſuadebantur per teſtimonium, ita vt potius credere vellent Ieſum eſſe Meſſiam, quia Ioannes dixerat, quàm quia miracula faciebat. Ideo tam exactè omnes Euangeliſtæ de Ioanne; quia ad probandum Chriſtum Ieſum eſſe verum Deum, & Meſſiam, eius teſtimonium, ſaltem contra Iudæos efficaciſſimum erat. Præcellit Scripturas, dum Chriſtum digito oſtendit, præcellit miracula omnia, nam à Iudæis calumniata fuere: *In Beelzebub eijcit Dæmonia,* Luc.11.num.19. At Ioannis authoritas in populo tanta erat, vt contra eius teſtimonium nihil poſſet opponi : quo apertè conuincebatur, Ieſum verum eſſe Deum, verumque Meſſiam.

Abulenſ. Ioan. 1. *Ioannis teſtimonium efficacius Scriptura & miraculis.* Luc. 11.

QVÆSTIO XVII.

De Baptiſmo Ioannis, & quomodo erat in remiſſionem peccatorum.

DE Baptiſmate Ioannis latè tractat D. Thomas *3. part. quæſt.*38. & 39. *ibi* Expoſitores. Breuiter dicimus, quòd Ioannes in orbe terrarum primus omnium Baptiſmo vſus eſt, vt latè probat Abulenſis *cap. 3. Matth. quæſt.* 38. & ideo Baptiſta dictus eſt. Vnde ait D. Auguſtinus, vt ipſe refert : *Nulli præcedentium Prophetarum fuit datum baptizare, niſi ſoli Ioanni.* 48.

D. Thom. Abulenſ. Auguſt. *Ioannes prior vtitur Baptiſmo.*

Eius cauſa proxima efficiens Ioannes, inſtitutor quo ad ritum Deus Opt. Max. vt probat D. Thomas *quæſt.38. art.2.* Sotus *in 4. diſt. 2. q.2. art.1.* Caniſius *lib. de Bapt. Ioannis cap.7.* Et conſtat ex verbis Ioannis, *Qui me miſit baptizare in aqua*, Ioann.1. num. 33. Eius mtaeria, aqua naturalis ſub nulla verborum forma dabatur, vt eſt veriſimilius, & probat Suar. *3. part. tom. 3. diſp.25. ſect.* 1. ideoque tota eſſentia eius in exteriori ablutione conſiſtebat. Effectus Baptiſmi huius, non erat gratiam immediatè conferre ex opere operato, hoc enim proprium eſt Baptiſmatis Chriſti, vt docet D. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioann. cap.*56. D. Hieronymus *contra Luciferian. c.3.* D. Damaſcenus *lib.4. fidei, cap.*10. D. Gregorius Magnus *homil.7. & 10. in Euangelia.* Et ideo dicebat ipſe Ioannes: *Ego aqua baptizo vos, ipſe,* ideſt, Chriſtus, *vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni,* Luc.3. num.16. hoc eſt, in gratia, & charitate Spiritus ſancti. Et hæc veritas definita eſt in Tridentino ſeſſ.7. can.1. *Si quis dixerit, Baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Ideoque, vt notat D. Auguſtinus *lib.5. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, cap.9.* baptizatos à Ioanne, iterum, legimus, baptizatos à D. Paulo Chriſti lauacro, *Actor. 19. num.4. & 5.* 49.

D. Thom. Sot. Caniſius. Ioan. 1. Suarius. Cyrill. Hieron. Damaſcen. Greg. Magn. Luc. 3. Trident. Auguſt.

Quomodo ergo dicitur Ioannem prædicare Baptiſmum in remiſſionem peccatorum? Duplex expoſitio. Prima ait; duo Baptiſmata indicari; vnum, quod Ioannes dabat : alterum, quod prædicabat, ſcilicet Baptiſmum Chriſti. Et de hoc dicitur, *In remiſſionem peccatorum.* Ita D. Gregorius *homil.10. in Euangelia,* Beda *in Marcum.* Sed hæc expoſitio non eſt tenenda; tum, quia Baptiſmus Ioannis dicitur in Scriptura Baptiſmus pœnitentiæ, vt patet ex citato loco Actorum: tum : quia Ioannes ſuum Baptiſma prædicabat, ad illudque excitabat; & ita dicitur Marc. 1.n.4. 50.

Gregor. Beda.

Fuit

Marc. 1. *Vera explicatio.* *Fuit Ioannes baptizans, & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Secunda, & vera expoſitio eſt, quòd Baptiſmus Ioannis homines ad pœnitentiam inducebat, eratque quædam quaſi proteſtatio, quia homines profitebantur ſemetipſos pœnitentiam acturos, in cuius teſtimonium dabatur Baptiſmus, & virtute ipſius pœnitentiæ comparabatur peccatorum remiſſio. Ita docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 28. *art.* 3. *ad* 1. & *ibi* expoſitores.

51. *Noſtra ſanctificatio Deo eſt in magno pretio.* Illud hîc maximè notandum, quòd Ioannes in exordio ſuæ prædicationis non incipit prædicare Chriſti Domini diuinitatem, vel eius eximiam poteſtatem, ſed Baptiſmum in remiſſionem peccatorum, ſcil. hominum, Deo ſic diſponente. nam noſtrum bonum, ac noſtra ſanctificatio ei valde iucunda, ac in magno pretio eſt. Deinde vt homines depoſitis terrenis ad cæleſtia mentes erigentes maximè aptentur ad diuina myſteria percipienda. *Ildeph.* D. Ildephonſus *ſermon.* 5. *de Aſſumptione*, ſic ait: *Quia totum inuenit mundum criminibus obnoxium, omnibus medicinæ indixit remedium; in ſuo aduentu appropinquare dixit regnum cælorum.* Ait ſacer textus *Exod. 3.* Exod. 3. n. 1. *Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian, cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb.* *Abulenſ.* *Deponantur terrena vt cæleſtia percipiantur.* Vt notat *ibi* Abulenſis. Moyſes ducebat gregem ad remotiora loca, quæ non frequentabantur; & tunc ibi in flamma ignis; ac in rubo videt Deum, vbi alta myſteria circa Incarnationem diuini verbi, corpus Chriſti, ac B. Virginem repræſentata ſunt. Sed cur hæc non manifeſtantur dum eſt in proprio rure, ac agro ſoceri ſui, vel dum in aliis locis conſuetis gregem paſcebat? Moyſes tendit ad interiora deſerti, vt dimiſſis terrenis altiùs cæleſtia contemplaretur, & ideo tunc tantam Dei viſionem inuenit. Lyppoman. *Lyppom.* *Minat gregem.* ait, *ad interiora deſerti, quo mente quietiore, quæ Dei erant, meditaretur homo Sanctus à Deo electus. His medijs peruenitur ad montem Dei, ad locum exauditionis.*

Qvæstio XVIII.

Quare fuerit conueniens, vt Ioannes ante Chriſtum baptizaret?

52. Novvm baptizandi ritum Ioannes ante Chriſtum introduxit. Huius rei ratio à priori diuina voluntas. Congruentias inquirimus. *Abulenſ.* Reſpondet primò Abulenſis *in* 3. *Matth. quæſt.* 36. Quia cùm Ioannes prioribus omnibus veteris Teſtamenti Patribus debuerit tamquam excellentior oſtendi, conueniens fuit ab ipſo aliquem admirandum introduci ritum, per quem ad ipſum concurrerent omnes, quòd in prioribus ſæculis iſtud numquam vidiſſent; & hoc ad manifeſtationem Chriſti valde conueniebat; ſic enim plus manifeſtaretur, quàm alij Prophetæ. Vbi duplicem rationem inculcat; tum ob Ioannis ſanctitatem; tum ob magnum populorum concurſum: & vt ſic notitiam de Chriſto haberent. Et hanc vltimam rationem tradit D. Chryſoſtomus homil. 10. in Matth. *Chryſoſt.* *Neque enim*, ait, *dignum erat, vt beatus Ioannes ſingulas domos adiret, & quaſi apprehenſa manu circunduceret Chriſtum: propterea igitur venit ad Baptiſma; nam & Baptiſmatis exiſtimatio, & rei propoſitum totam ciuitatem pellicebat, adque Iordanem vocabat.* Etenim ſapientiſſimi magiſtri induſtria eſt, vt doctrinam ſuam facilè inſinuare valeat, recens aliquid inuenire, quo ad ſe homines poſſit attrahere: nam res noua, & numquam viſa hominum ingenium maximè allicit. *Res noua homines allicit.*

53. *Greg. Magn.* Secundò. D. Gregorius Magnus *homil.* 20. *in Euangelia*, ita ait: *Vt ſicut incarnatum Patris Verbum præcurrebat verbo prædicationis; ita Baptiſmum pœnitentiæ, quo peccata ſoluuntur, præcurreret ſuo Baptiſmate.* Ioannes vt ad Chriſtum, eiúſque doctrinam hominum animos ſua prædicatione diſponeret, atque aſſuefaceret, venit: & ſicut Ioannes doctrina ſua ante Chriſti doctrinam præcedebat; ita etiam Baptiſmate ſuo ante noſtrum ſanctiſſimum lauacrum, ne tam ſubita rei nouitate animi non aſſuefacti trepidarent. *Magna non ſubitò, ſed paulatim aggredienda.* Magna non ſubitò, ſed paulatim aggredienda. Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. & *cap.* 10. *num.* 2.

54. *Auguſt.* *Nobilitatur Baptiſta.* Tertiò. D. Auguſtinus *tract.* 4. *in Ioann.* ita ſoluit præſentem quæſtionem. Conueniens fuit Ioannem baptizare, vt Ioannes ad eam dignitatem eleuaretur, nempe ad Chriſtum baptizandum, ac ad illas aquas ſanctificandas. Quartò. Vt nouo, & numquam antea viſo in orbe modo ſanctificarentur homines, ad nouamque in Chriſto factam ſanctificationem recipiendam diſponerentur. Quintò. D. Leo ſerm. 1. de Domini natiuitate, *Leo.* *Deponamus ergo*, ait, *veterem hominem cum ſuis actibus: & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renunciemus operibus: & diuinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire.* Et D. Bonauentura de meditationibus Chriſti. *Bonauent.* Si iuſſum eſt populo ſanctificari vſque in diem tertium, *Exod.* 19. *n.* 15. vt legē Domini in tabulis lapideis reciperet, quanto magis nos debemus ſanctificari, qui properamus ad natale Domini inſitum verbum in carne noſtra ſuſcipere.

Qvæstio XIX.

Quare Ioannes baptizet in Iordane potius, quàm alio in loco?

55. *Hieron.* *De origine, ac nomine Iordanis.* Iordanis fluuius eſt toto in orbe celebris valde: & vt refert D. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis *in Geneſ. & in Matth.* 16. iuxta Libani radices è duobus fontibus exoritur; vni nomen *Ior*, alteri *Dan*, qui ſimul Iordanem nomine, & re efficiunt, etymologia nominis idem ſonat, ac latinè fluuius iudicij, vt teſtatur D. Hieronymus *in Ezechiel.* 47. *Hieron.* *Origen.* Origenes verò *homil.* 21. ait, quòd Iordanis idem eſt, ac deſcendens. Quæſtio eſt: Quare in hoc fluuio Ioannes baptizat?

56. *Abulenſ.* Reſpondet primò Abulenſis *in cap.* 3. *Matth. quæſt.* 39. quòd Ioannes, non ſolùm in Iordane, ſed etiam aliis in locis baptizabat, vt dicitur *Ioann.* 3. *num.* 13. *Ioan 3.* quòd *Ioannes erat baptizans in Ænnon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic.* Frequenter tamen in Iordane baptizabat ob magnam aquarum copiam, quæ ad totius populi Baptiſmum neceſſariæ erant. Secundò. Factum eſt hoc in loco propter ilius commoditatem; nam, vt patet ex Brocardo *in deſcriptione Terræ ſanctæ*, ex Iudæa, Galilæa, Samaria, ex omnique terræ promiſſionis parte homines ad ſe ſe baptizandos illuc facilè concurrere poterant; *Condeſcendendum ſubditorum commoditati.* bonus enim magiſter quoad fieri poteſt, omnem amouere difficultatem maximè procurat. *Origenes.* Et ideo ait Origenes *homil.* 21. *in Lucam*, quòd Ioannes venit in omnem regionem Iordanis. *Quæ autem loca*, inquit, *decebat perambulare Baptiſtam, niſi Iordani circumadiacentia: vt ſi quem pœnitere contingeret, protinus occurreret fluenti humiditas ad recipiendum pœnitentiæ Baptiſmum.* Et hæ duæ rationes videntur literales.

56. *Chryſol.* *Magna neceſſitas magnum remedium requirit.* Tertiò. D. Chryſologus ſerm. 137. *Venit ad Iordanem*, ait, *quia Iudaicas ſordes non poterat hydria iam lauare, ſed flumen.* Non ad paruum fontem, ſed ad copioſiſſimum aquarum acceſſit fluuium, vt Iudæorum nequitias mundaret: tot, tantaque peccata magnum, altumque exigebant remedium. *Ant. Vlyſ.* Quartò. D. Antonius Vlyſſiponenſis ſerm. in Dominica 4. Aduentus, *Iordanis*, ait, *interpretatur humilis deſcenſus. Prælatus, vel Prædicator deſcendat, & condeſcendat, vt proximum iacentem erigat.* *Prælatus ſubditis proportionetur.* Prædicator infirmitati, atque imbecillitati auditorum proportionem, vt accommodatam eis tradat doctrinam. *Beaulxam.* *Tolet.* Quintò. Beaulxames, Toletus, & alij propter loci celebritatem hoc factum exiſtimant; nam ad tranſitum filiorum Iſraël Iordanis diuiſus eſt; Elias, quando raptus eſt, ſiccis pedibus eundem pertranſiuit; Naamam Syrus ibi iuſſu Eliſæi ſepties lotus, à lepra mundatus eſt.

57. *Gloſſ. Ord.* *Deus ex vno beneficio ad aliud dandū obligatur.* Sextò. Gloſſa Ordinaria, *Ioannes baptizat in Iordane, vt ibi aperiretur ianua regni cæleſtis, vbi datus eſt aditus filijs Iſrael terram promiſſionis intrandi.* Veluti ab ipſo loco, in quo vnum largitus eſt beneficium, induceretur Deus ad aliud excellentius communicandum. Septimò. Elias, & Ioannes iuxta Iordanem, ille de cælo ignem adducebat, hic regnum cælorum annuntiabat, digitoque ſuo Agnum Dei oſtendebat. Et quid in aquis Iordanis operati ſunt. Dum Eliſæus, inuocato Eliæ nomine, eiuſque pallio percutit aquas, diuiduntur. *4 Reg. 2.* *Percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt huc, atque illuc*, 4. Regum cap. 2. num. 8. Ad Ioannis autem vocem, non ſolùm non diuiduntur, verùm & homines illis coadunantur. *Matth. 3.* *Exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo*, Matth. cap. 3. n. 4. Cur audito Eliæ nomine fugiunt aquæ, ad præſentiam verò Ioannis, & congregantur, & hominibus copulantur? *Ad fugam rigor, ad vnitatem lenitas prouocat.* In Elia percuſſio, & rigor viſebatur; in Ioanne diuini Agni lenitas, ſalutiferæque ſuauitas aquæ: vbi ſeueritas, fugiunt, & ſcinduntur omnes; vbi benignitas, conuolant, magnoque fœdere adſtringuntur cuncta. Hanc ponderationem inſinuat D. Ambroſius in cap. 1. Luc. *Ambroſ.* *In deſerto Elias, in deſerto Ioannes; ille Iordanem diuiſit, hîc ad lauacrum ſalutare conuertit.*

58. *Aranda.* *Abulenſ.* Octauò. Ioannes in ea fluminis parte baptizat, vt teſtatur Aranda *cap.* 27. Abulenſis *in* 3. *Matthæi, quæſt.* 60. per quam filij Iſraël de Ægypto aſcendentes promiſſionis terram ſunt ingreſſi ſiccis pedibus. *Rupert.* *D. Thom.* Imò vt Rupertus, D. Thomas *in* 3. *Matth.* tenent, quòd Ioannes eo in loco circa Iordanem prædicauerit, in quo, iubente Deo, *In quo loco Ioannes baptizabat.* de medio Iordanis alueo duodecim lapides erecti ſunt, vt ad præſentiam, memoriamque beneficij tanti hominis, vt diuino obſequio ſe ſe ſubmitterent, magis excitarentur, atque de peccatis pœnitentiam agerent. Olim Propheta lachrymabatur maximè: *Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis*, Iſai. 6. num. 5. *Iſai. 6.* Sed cur tantus Propheta, dum immunditia ſua ante oculos ſibi obiecta, proprias lamentatur ſordes; cur, inquam, Dei etiam proponit præſentiam. *Et Regem Dominum vidi oculis meis?* Quia ab ipſa, tamquam ab eximio beneficio maximè in Dei obſequium inflammabatur. D. Chryſoſt. ad citatum Iſaiæ locum, *Chryſoſt.* *Ob hoc*, ait, *ingemiſco, & lamentor, quia tanto ſum honore cohoneſtatus, alioquin eo indignus, meum meritum tranſcendente, naturæ meæ conditionem prætergrediente.* Vide *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4.

Qvæstio XX.

Quare Chriſtus Dominus ijſdem Ioannis verbis ſuam exordiatur prædicationem?

59. Svam Ioannes in deſerto his verbis prædicationem auſpicatur. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Suam poſtea Chriſtus Dominus è deſerto egrediens iiſdem initiauit verbis: *Matth. 4.* *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*, Matth. 4. n. 17. Sed quomodo omnium magiſter doctrinam ſuam diſcipuli argumento exorditur? Nónne multa alia noua à quibus auſpicari valebat, themata eſſe poterant? Cui quæſtioni reſponſione triplici ſatisfacit Caietan. ad cit. locum Matth. *Caietan.* *Aduertendum eſt*, ait, *quòd Ieſus ab eadem materia inchoat ſuam prædicationem, à qua inceperat Ioannes; tum quia Ioannes præparatione, Ieſus verò perfectiuè hanc materiam prædicabat: tum ad confirmandam prædicationem Ioannis: tum ad exemplum noſtrum, vt non dedignemur inchoata ab alijs, etiam minoribus, bona proſequi.* Vbi hac in tertia ratione Chriſti Domini modeſtiam maximè explicat, *Aliorum dicta à nobis repetenda.* qui cùm nouos, inauditoſque ſapientiæ ſuæ modos aperire, ac profundere poſſet, in exemplum tamen noſtrum, Ioannis dicta repetere maluit, ne aliorum ſectari doctrinam, noſtriſque iterum verbis decantani vereamur. Salomon, cui datum eſt, vt omnes, qui fuerunt ante eum, & poſt eum, ſapientia antecederet. 3. *Reg.* 3. *num.* 13. dum primum ſuum inchoat opus ad quod attentos conuocat omnes, ait: *Timor Domini principium ſapientiæ*, Prou. 1. num. 7, *Prou. 1.* Numquid tanto viro nota deerant argumenta, ſiquidem à Dauid parente ſuo iam dicta *Pſalm.* 110. *num.* 10. iterum decantat? At tam ſapiens, aliorum ſcit proloquia ſibi eligere, eorumque veſtigiis inhærere, vt maiorem inde dictis ſuis reconciliet authoritatem, ſicut de ſanctis Apoſtolis loquitur Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 2. *Tertull.* *Quoniam*, ait, *prædicatio diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet, de gloriæ ſtudio: ſi non aſſiſtat illi authoritas magiſtrorum.*

Lucæ 3. *n.* 4 Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ: vox clamantis in deſerto: parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius.

VER

VERSIONES.

Textus Hebr. Vox clamans.
Tertull. lib. 5. cont. Marc. cap. 3. Vox clamantis in Eremo, parate vias Domini.
Syriacus. Patate viam Domini, & dirigite in planiciem ſemitas Dei noſtri.
Chaldaic ad c. Iſai. 40. Repurgate viam Domini.
Cornel. ad locum Iſaiæ. Exactè complanate viam Domini.

ALTER TEXTVS.

Matth. 3. *n.* 8. Idem habet, ſicut Lucas.
Marc. 1. *n.* 3. Idem.

EXPOSITIO.

Hugo. Ioan. 1. Beda. Theophyl. Hugo. Iſai 42.

60. NOSTER *Euangeliſta*, vt notat Hugo, *commendat Ioannis prædicationem teſtimonio Prophetæ, vt magis authentica habeatur.* Et citat vaticinium Iſaiæ *c.* 40. *n.* 3, qui textus intelligitur de Ioanne, vt exponunt Euangeliſtæ citati, & de ſemet explicat ipſe *Ioann.* 1. *num.* 23. Et Propheta prædixerat: *Conſolamini, conſolamini, populе meus*, ad Ioannis vocem conſolatio apparuit. *Vox clamantis*, intelligitur, erit, vel audietur; clamantis, ideſt, Dei, vel Chriſti Domini, vt exponunt Beda, Theophylactus, Hugo, & alij. Nam Deus per os Ioannis loquebatur. Vel vox clamans; quia ipſa prædicatio, ac Ioannis vita clamabat. Quare autem Ioannes dicatur *vox*, dicam *c.* 4. latè. Dicitur autem Ioannes, alta, non ſubmiſſa intonare voce; tum ob libertatem ſuam, qua vllo abſque humano timore reprehendebat: tum ob audientium ſurditatem; ſurdi enim peccatores, ac Iudæi ad monita ſalutis percipienda. *Quis ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi*, Iſai. 42. num. 19.

Cyrillus. Tertull. Boſtrenſis. Gregor. Carthuſ. Bonauent.

61. *Parare viam Domini.* Non loquitur cum vno, vel altero, ſed cum omnibus, vt ait D. Cyrillus Hieroſolymitan. Catech. 3. *Omnes ſimpliciter congregat, quoniam liberalis eſt gratia.* Et inquit, *Parate, & rectas facite*; vt noſtram in cauſa ſalutis propriæ libertatem, ſudorem, ad laborem inſinuet. *Parate viam Domini*; ita expendit Tertullianus lib 5. contra Marcionem c. 3. *Parate legis difficultates in Euangelij facilitates.* Titus Boſtrenſis: *Parate*, hoc eſt, legis veteris vmbra dimittite. *Et ſemitas rectas facite*, per iuſtitiam gradiendo; ſiquidem malitia, & improbitas res obliqua, & ſinuoſa eſt. D. Gregorius *homilia* 21. Per *viam* opera fidei, per *ſemitas*, cogitationes. D. Carthuſianus, D. Bonauentura per *viam* mandata, per *ſemitas* conſilia interpretantur. Hæ omnes expoſitiones probabiles; illam ego dicerem, qua per viam intelligitur obſeruantia legis, per ſemitas opera conſilij.

QVÆSTIO XXI.

Quomodo dicitur Ioannes vox clamantis, ſcilicet Chriſti, cùm eius prædicatio adhuc inchoata non eſſet?

Veritas, & iuſtitia clamat.

62. BAPTISTA, vt in expoſitione patet, dicitur vox clamantis, ſcilicet diuini Verbi, ſeu Chriſti Domini per ſuum loquentis præconem. Et tota difficultas eſt, quia tempore, de quo hîc agit Euangeliſta, Chriſtus Dominus nec prædicacabat, nec docebat, ſed in magno vitam ducebat ſilentio; nam quinque, vel ſex menſes poſt Ioannem in deſerto clamantem, Chriſtus D. prædicare cœpit. Quomodo ergo *Ioannes* dicitur vox Chriſti clamantis? Reſpondeo, quòd, quamuis in Præcurſoris prædicationis initio Incarnatum Verbum in magno ſilentio eſſet; tamen veritas Scripturarum, circunſtantia temporis, omneſque actiones Chriſti ipſum eſſe verum Meſſiam, & Saluatorum in lege promiſſum, alta voce clamabant: enim verò etſi omnes taceant, in plateis veritas, & iuſtitia clamitat.

Hebr 5. Ambr. Anſelm. S. Thom. Hugo. Chryſoſt. Theoph. Primaſius. Daniel. 13. Hieron.

63. Inquit D. Paulus ad Hebr. 5. num. 7. de Redemptore noſtro: *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamare valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* In præſenti textu ſtatim inquirendum ſe offert, quænam eſſet hæc petitio per Chriſtum Dominum tanto affectu, atque clamoribus à Patre expoſtulata? Communis Patrum ſententia, S. Ambroſij, S. Anſelmi, S. Thomæ, Hugonis, & aliorum tenet reſurrectionem corporis ſui ab ipſo eſſe obſecratam. Tamen, vt notat D. Chryſoſtomus, ac Theophylactus, in toto Euangelio non legitur quòd Chriſtus Dominus eiuſmodi clamorem erga Patrem emiſerit; nec ſimiliter, quòd gloriam corporis exorauerit. Quomodo ergo ait Apoſtolus, quòd cum clamore valido, & lachrymis petierit? Quamuis Chriſtus Dominus taceret, eius tamen egregia merita, facta, & opera ſui corporis reſurrectionem magnis vocibus expoſtulabant. Primaſius in citatum locum Pauli ita ait. *Omnia autem, quæ ipſe,* ſcilicet Chriſtus, *egit in carne, preces, ſupplicationeſque fuerunt: ſacra verò ſanguinis eius effuſio, clamor validus.* Cùm ſenes turpiſſimi contra Suſannam opponerent accuſationem, voce omnes contenderunt, ait textus Daniel. 13. n. 24. *Exclamauit voce magna Suſanna: exclamauerunt autem & ſenes aduerſùs eam.* Sed cur vox clamoris in tenui paruæ puellæ gemitu magna dicitur, non verò in vociferatione ſenium, qui multi erant, & maximè præſumebant? Quia viri iſti ætate prouecti lingua tantùm vocem edebant; in illa autem & iuſtitia loquebatur, ideo totam vehementi voce ciuitatem implebat. D. Hieronymus ibi: *Magna vox erat, non clamore faucium, ſed pudicitiæ magnitudine, per quam clamabat ad Dominum: vnde & ſancta Scriptura in exclamatione ſeniorum non appoſuit, magnam vocem.*

***

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXII.

Quare Ioannes clamet in deſerto?

Ambroſ. Boſtrenſis. Iſai. 35. Anton. Vlyſ.

64. NON ad ciuitates Ioannes venit, ſed in deſerto prædicat. Communis eſt, & germana ratio, quia ibi habitabat, & baptizabat: myſticæ plures ſunt. Et primò D. Ambroſius, Titus Boſtrenſis, *Deſertum*, inquiunt, *ſignificare Eccleſiam congregatam ex Gentilitate, quæ erat deſerta, ſed per gratiam Chriſti facta eſt fœcunda multitudine filiorum ſpirituali.* Iſai. 35. n. 1. *Lætabitur deſerta, & inuia* Ac proinde in deſerto, hoc eſt, in Eccleſia prædicans. Secundò. D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm. in Dominica 4. Aduentus, ait, quòd *deſertum, in quo Ioannes prædicat, crux Chriſti fuerit, in qua ipſe extitit derelictus, ac nudus, & ſpinis coronatus*; quia omnis prædicatio in cruce Chriſti, eiuſque meditatione debet eſſe defixa.

Origenes. Hilar. Tolet. *Vt Deum audias humana relinquenda.*

65. Tertiò. Origenes *homilia* 21. ita explicat. In deſerto clamat, qui infructuosè prædicat. quod magis explanat D. Hilarius in cap. 3. Matth. *Per hoc indicatur*, ait, *quòd Iudæa, in qua Ioannes prædicabat, plena peccatis, & vacua Dei gratia eſſet.* Quamuis enim bonorum afluentia, populorumque multitudo adſit, tamen ſi Dei gratia deſit, locus eſt verè vacuus, & deſertus. Quartò. Toletus *à num.* 15. Qui in deſerto prædicat, ait, non auditur niſi ab his, qui proprias deſerunt habitationes: quo ſignificatur, illos eſſe veros, & perfectos auditores verbi Dei, qui proprios ſenſus, & affectus negantes ad ea, quæ Deus præcipit, ac loquitur, totos ſe conuertunt.

Iuſtus non regreditur ad ſæculum. *Abſentia maximè veneramur.* Tertull.

66. Quintò. Non ad ciuitates declinat, ſed in deſerto Prædicator noſter perſeuerat, ne ſemel relictum ſæculi ſtatum iterum repetere videatur; hoc enim inconſtantis animi eſt. Sextò. In deſerto prædicat, & perſeuerat diuino Spiritu dictante, vt pluris æſtimarentur: nam abſentia admiramur, præſentia verò non ita veneramur. Saturnus, cùm eſſet homo, vt Deus eſt veneratus, atquæ vt cæli filius habitus. Vnde homo ſibi diuinitatis venerationem acquiſiuit? Quia in terra raró, vel repentè viſus eſt, & ipſa ab hominibus ſeparatio Numinis æſtimationem conciliauit. Tertullianus *in Apologetico cap.* 10. ita reſpondet præſenti quæſtioni; *Ex conſuetudine*, ait, *humana, qua ignota, vel ex inopinato, apparentes, de cælo ſuperueniſſe dicuntur. Proinde Saturnum repentino aduentu vbique cælitem contigit dici,*

Lucæ 3. *n.* 5. Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.

VERSIONES.

Syriacus. Omnes valles implebuntur, omneſque montes & colles deprimentur: & fiet tumulus humilis, & aſpera regio plana.
Vatablus. Omnis mons, & collis reddetur humilis, vertentur que obliqua in rectum.
Theophylact. Fient, quæ obliqua ſunt, directa.

EXPOSITIO.

67. SVMPTA metaphora à viis, quarum tota difformitas reſultat à montibus, & collibus, quos aſcendere oportet, & à vallibus, ad quos deſcendere cogimur; explicat diuinus Baptiſta quòd Chriſti prædicatione, ac doctrina ableganda eſſet, & deſtruenda omnis ſæculi difformitas.

QVÆSTIO XXIII.

Quid per montes, & valles intelligat Ioannes?

Theoph. Caietan. Tertull.

68. VARIA in hac re ſunt authorum placita. Prima, & mihi probabilior ſententia eſt Theophylacti, Caietani, & aliorum, qui per valles infirmas, tenueſque hominis intelligunt potentias Chriſti gratia implendas: per montes verò, & colles, diaboli poteſtates, ſeu noſtræ mentis præſumptiones deprimendas; & ſic erunt praua in directa, omnia ſcilicet erunt adæquata; & omnis ad legem Euangelicam difficultas excluſa, ad quod tendit Tertullianus lib. 5. contra Marci. *Chriſtus*, ait, *colles æquabit vallibus, & obliqua diriget in rectitudines, & campos; quià omnes legis difficultates in Euangelij facilitates, & æquitates conuertet.*

Boſtrenſ. Euthymius. Auguſt. Chryſoſt. Gregor. Leo. Luc. 14.

69. Secundò. Titus Boſtrenſis per *valles* difficultates in via virtutis occurrentes; per *montes*, & *colles* malignos ſpiritus, ac internas, externaſque perturbationes interpretatur. Hæ tamen partes inter ſe coincidere videntur; nam hæc ſunt offendicula in via virtutis. Tertiò. Euthymius, *Impletur*, ait, *omnis vallis, iniecto eo, quod deerat, videlicet, pietate, ac virtute: deprimitur verò omnis mons, & collis, ablato ſuperfluo, puta impietate, ac prauitate.* Ac ſi dicat, quòd magna in Chriſto erit æqualitas à quibuſdam ſuperflua auferendo, aliis neceſſaria dando. Quartò. D. Auguſtinus *ſerm.* 36. *de Sanctis* Chryſoſtomus *homil.* 10. *in Matth.* D. Gregorius *hom.* 20. *in Euangel.* S. Leo *ſermone* 7. *de Quadrag.* dicunt, quòd ſententia hæc idem valet ac illa Chriſti Domini Lucæ c. 14. n. 11. *Qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur.*

Chryſoſt. *Superbi ſteriles, ac deſperati ad virtutem.*

70. Quintò. D. Chryſoſtomus eleganter citatus in Catena D. Thomæ; per *montes*, & *colles* intelligit ſuperbos, *Colles autem*, ait, *deſperatos appellat: non ſolùm autem ob ſuperbiam mentis ſuæ, ſed propter deſperationis ſterilitatem: collis enim nullos fructus producit.* Elatos deſperatos, ſteriles dicit; eſt enim ſuperbia quædam ad omne virtutis bonum deſperatio, quædamque ad iuſtitiam ſterilitas nulli vtilis, & omnibus nociua. Sextò. Aliqui Recentiores per montes, & colles Iudæos interpretantur; per valles verò Gentiles, qui veluti erant in peccatorum abyſſo, & ſine fidei luce.

Hieron. *Elatus ſæpè valde eſt humilis.*

71. Septimò. D. Hieronymus *in cap.* 40. *Iſaiæ*, per *montes*, & *valles* Gentiles intelligit: montes, & colles, quia ſuperbiâ elati, valles verò, quia vitiis, ac idololatria depreſſi tenebantur. Et ita ſæpe contingit, vt multi æſtimatione

ſui montes ſint inacceſſibiles; virtute verò, animique conſtantia abiectiſſimæ valles. Superbiſſimi Holofernis milites, virtuti ſuæ nihil poſſe reſiſtere, vt certiſſimum autumabant, ita vt comparatione ſui Hebræos mures eſſe exiſtimarent, & ita dixerunt, cùm viderent Iſraëlitas procede-
Iudith 14. re contra ſe. *Egreſſi mures de cauernis ſuis auſi ſunt prouocare nos ad prælium*, Iudith cap.14.num.13. Seu, vt eſt in textu Græco, *Auſi ſunt deſcendere ſuper nos ad bellum, vt diſperdanter in finem*. D.
Carthuſ. Dionyſ. Carthuſ. ibi. *Tam aſpernantur locuti ſunt Aſſyrij de Iſraëlitis ex magnitudine elationis*. Et tamen irriſores ipſi ſolo Hebræorum ſtrepitu audi-
Iudith 15. to, tamquam metu agitati mures, *Fugæ præſidium ſumunt*, Iudith cap.15.n.1. De his ait D.Bernard.
Bernard. lib.5.de conſideratione ad Eugenium. *Docuerunt linguam ſuam grandia loqui, cùm operētur exigua.*

Lucæ 13.*n*.6. Et videbit omnis caro ſalutare Dei.

VERSIONES.

Text. Iſai. 40. *n* 5. *ſecundum Hebr.*	Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro, quod os Domini locutũ eſt
Syriacus.	Videbit omnis caro ſalutem Dei.
Septuaginta ad locum Iſaiæ.	Videbit omnis caro ſalutare Dei, quia Dominus locutus eſt.

EXPOSITIO.

72. PROSEQVITVR Ioannes, & amplius explicat proſperitatem Meſſiæ aduentu in mundum introductam. *Videbit omnis caro*; quamplurimi enim à Deo factum de Verbo Incarnato promiſſionem propriis oculis videbunt. In Iſaia iuxta radicem Hebraicam habetur, quòd *os Domini locutum eſt*; quod idem valet, ac videre id, quod Deus per Prophetas ſuos promiſerat; præcipua autem promiſſio Dei, omniumque excellentiſſima eſt Chriſtus Dominus, ad quem ordinata ſunt omnia. Dicitur autem *Salutare Dei*; quia noſtram Ieſus operatus eſt ſalu-
Iſai.4. tem, quam Deus reputat ſuam. *Omnis caro* iuxta phraſim Scripturæ, *carnis* nomine intelligitur homo. *Omnis caro fœnum*, Iſai.40.num.6. Et non dicitur omnis homo, ſed *omnis caro*, vt notat D.Hie-
Hieron. ronymus in cit.c. Iſai. *Quæ propterea*, ait, *appellabatur caro, quia prius*, ſcilicet ante Chriſti aduentum, *Spiritum ſanctum non habebat.*

QVÆSTIO XXIV.

Quomodo dixerit Ioannes, quòd omnis caro Chriſtum videbit?

73. CARNIS nomine, vt dixi, intelligitur *homo*; non tamen omnis homo Chriſtum in carne vidit; quo modo ait Ioannes, *Videbit omnis ca-*
August. *ro*? Reſpondet primò D.Auguſtinus *lib.2. de ciui-*
Gregor. *tate cap.29*. D.Gregor. *hom.20. in Euangel.* S.Re-
Remig. migius *Epiſt.2. ad Theſſalonicos c.4*. S. Antonius
Ant.Vlyſ. Vlyſſipponenſis *ſerm. in Dominica 4. Aduentus*. Hanc viſionem interpretando de illa in extremo iudicij die facienda, quando ante tribunal Chriſti nos omnes oportet maifeſtari. Sed Ioannes hîc agit tantùm de primo, non verò de ſecundo Chri-
Caiet. ſti aduentu. Secundò. Caietanus ita explicat, vt dicatur, Chriſtum Dominum omnes viſuros; quantum enim eſt ex parte ſua, ab vniuerſis oculis videri poterat, ſed Ioannes non loquitur de
Bonauent. potentia, ſed de actu videndi. *Et videbit omnis caro*. Tertiò D.Bonauent. ita ait: *Videbit omnis caro, id eſt, de omni carne, vt fiat diſtributio pro generibus ſingulorum*. Ac idem eſt. De omni natione, atque hominum genere aliquis Chriſtum vidit. Sed valde difficile eſt, quòd ex omni remotiſſima parte aliquis ibi eſſet, vt Chriſtum Dominum propriis oculis videret. Vnde illud Actor.2. n.5.
Actor.2. *Viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*; per
Lorin. hyperbolem eſſe dictum exiſtimat ibi Lorinus.

74.
Boſtrenſis. Quartò. Titus Boſtrenſis interpretatur omnes viſuros ſalutare Dei, quia fructus legis Euangelicæ, ac prædicationis Chriſti ad omnes, etiam remotiſſimas gentes perueniet. quæ expoſitio mihi probabilis eſt. Quinta, & vltima, in qua magis quieſco. *Omnis caro*, id eſt, quamplurimi; nam nomina vniuerſalia pro aliquibus, ſeu multis ponuntur. *Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum,*
Geneſ.41. *vt emerent ſibi eſcas*, Geneſ.41.n.57. Ideſt, quamplurimæ. *Non eſt gens, aut regnum, quò non miſerit*
3.Reg.18. *Dominus meus te requirens*, 3.Reg.10.num.10. Videantur *ibi* Lyranus, Abulenſis q.9. & 1. Reg.7.
Lyran. q.32. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes*
Abulenſ. *gentes ſeruient ei*, Pſalm.71.n.11. Et ita dicitur
Pſalm.71. omnis caro, quia quamplurimi ex omnibus nationibus Chriſtum viderunt.

Matt.3.*n*.4. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre.

VERSIONES.

S.Paul. Epiſt. 10. *ad Seuer.fr.*	Pili camelorum hirto tegmine veſtiebant.
Imperfectus homilia 3.	Zona pellicea ſuper lumbos eius.
Vatablus.	Et zonam coriaceam circum lumbos ſuos.
Arias.	Circa lumbum ſuum.
Tertull. lib. de Idolat. c. 19.	Cingebatur loro.
Syriacus, Theophyl.	Cibus autem eius erant locuſtæ, & mel agreſte.
Ægyptiacus.	Cibus eius erant cicadæ.

ALTER TEXTVS.

Marc.1.*n*.6. Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locuſtas, & mel ſilueſtre edebat.

EXPOSITIO.

75.
Chryſoſt. RESPLENDET Ioannes, vt ait D. Chryſoſtomus *hom.10. in Matth.* angelica vita mortali in carne; non de cibo, non de potu, non de veſtitu ſollicitus, ſed ab his omnibus alienus contemplationi rerum diuinarum totus intentus: & ideo indumentum, eſca, ac potus erant ea, quæ deſertum ſine vlla cultura per ſe ferebat: tali veſte, zona, & cibo vtebatur Ioannes,
Anſelm. vt ait Anſelmus ad hunc locum Matth. *Erat ille habitus pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus eſſet, & cibos ſilueſtres comederet*. Deinde Ioannes, quia pœnitentiam prædicabat, ipſam in cibo, & potu prætendebat. Vnde eleganter ait D. Maxi-
Maxim. mus homilia 2. in natiuitate Baptiſtæ. *Vt increpaturus hominum mala, nullam penitus haberet vel*
Paſchaſ. *in veſte, vel in epulis voluptatem*. D. Paſchaſius
Prædicator prius, quæ docet, faciat. lib. 2. in Matthæum. *Exhibet Ioannes viuendo, quod docet, vt omnes inſtruat doctores in ſe priùs damnare, à quibus & alios cohibent, atque operibus expedire, quæcumque nouerint, vt agantur.*

QVÆSTIO XXV.

Circa veſtem Ioannis quatuor quæſtiunculæ

76. PRIMA: Quare Ioannis veſtis potius ex pilis camelorum, quàm aliorum animalium erat? Et ante ſolutionem ſuppono perperam aſſeruiſſe hæreticos, Ioannis veſtes fuiſſe vndulatas, Luſitanè *de chamalote*. Sed habitus miræ, extraordinariæque pœnitentiæ erat, vt docent D.
Chryſoſt. Chryſoſtomus *homil.10. in Matth. & hîc* D.Tho-
D.Thom. mas, Albertus Magnus, Carthuſianus, Beda, D.
Alb Magn. Paſchaſius *lib. 2. in Matth.* Er patet ex verbis
Carthuſ. Chriſti Matth.11. n.7. *Quid exiſtis in deſertum*
Beda. *videre? Hominem mollibus veſtitum?* Et ideo hæc
Paſchaſ. veſtis potius erat de pilis camelorum, quàm alio-
Matth.11. rum animalium; tum ob magnum rigorem, vt dixi in expoſitione; tum quia proprius hic erat habitus vitam parentis Eliæ imitantium, vt ad-
Abulenſis. uertit abulenſis *hîc quæſt. 29*. Tandem tertiò, &
Theophyl. moraliter, Theophylactus. *Dicunt*, ait, *camelum medium eſſe inter munda, & immunda animalia: nam quia ruminat, mundum eſt: quia autem vngulas non diuidit, eſt immundum. Ioannes autem, quia ad Deum ducebat populum Iudaicum, qui videbatur mundus eſſe, & Gentilem, qui immundus, eratque mediator veteris, & noui Teſtamenti, idcirco*
In exteriori proprium munus repræſentandum. *ferebat pilos camelorum*. Cùm Ioannes mediator eſſet inter vetus, & nouum Teſtamentum; inter populum Iudaicum, & Gentilem; nam etiam milites conuertebat, de quo infrà, vt in veſte ſuum exprimeret munus, camelo vſus erat.

77. Quæſtiuncula ſecunda. Quare hæc veſtis non de lana, ſed de camelorum pilis erat? Suppono
Abulenſ. cum abulenſi 4. *Reg. cap.1. quæſt.* 15. quòd veſtis facta de groſſis camelorum pilis ſine arte compoſita erat: ſed cur potius de pilis, quàm de lana? Ad eius magnam pœnitentiam indicandam, quæ illis tantùm vtebatur, quæ ad vitam humanam in ſummo rigore, ac magna patientia tranſigendam Prælatis omnibus neceſſaria erant, vt explicat
Imperfect. Imperfectus homilia 3. in Matth. *Non lana*, ait, *cameli habuit veſtimentum, ne ipſa mollities veſtimenti delicata faceret membra, & ipſa delicioſitas*
Omnis delicioſitas in Prædicatore vitanda. *virtutẽ patientiæ emolliret: ſed de aſperioribus ſetis cameli, vt ipſa aſperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret: ideo non dixit de lana cameli, ſed de pilis cameli. Nam omne veſtimentum ad tres pertinet cauſas, aut ad vanam gloriam, aut ad delectationem corporis, aut ad tegumentum nuditatis; ſed quid tantum in Ioanne ad tegumentum nuditatis*. Similiter D.Thomas hîc. *Alij de lana, Ioannes*
S.Thom. *de pilis: reputabat veſtimentum de lana mollitiem, quæ non conuenit Prædicatori.*

78. Quæſtiuncula tertia. Quare hæc veſtis erat potius de camelorum ſetis, quàm de pellibus: nam primi parentes pellibus induti ſunt, *Geneſ.3.n.21.* Similiter & alij Sancti vſi ſunt, *ad Hebr.11.n.37.*
Abulenſ. Abulenſis 4. *Reg.1. quæſt.14.* probabile exiſtimat de pellibus. Sed veritas præſentis textus aliud ſuadet. Ideo ſecundò, ipſe *ibi*, & hic *quæſt.29.* exiſtimat de pilis, propter imitationem parentis Eliæ. Sed ſemper quæſtio redit: Quare pilis, & non pellibus vſi ſunt? Ad quod reſpondeo primò. Propter magnam auſteritatem pœnitentiæ; nam in pilis ſetæ maximè pungunt. Secundò. Quia primi parentes per actuale peccatum in ſpiritu
Ioannes viuidus in gratia. mortui ſunt, Ioannes ſemper viuidus gratiam in vtero datam per actuale nunquam deperdidit. Pellis extrahitur ab animali mortuo, pili maximè à viuo. Illi ergo, vt ſpiritualem, in quam aliquando prolapſi ſunt, mortem adumbrarent, à mortuo operimentum habent; hic verò vt viuidam gratiam exprimeret, ab animante viuo accipit veſtimentum.

79. Quæſtiuncula quarta. Quare in ſacro textu nulla fit mentio de qualitate veſtis Chriſti Do-
Ioannes in veſtitu mirabilis. mini; maximè verò hîc de Ioannis veſtitu? Reſpondeo, & eſt communis ſolutio, quòd veſtis Chriſti, quamuis inconſutilis, tamen in qualitate communis, & vulgaris erat; Ioannis verò mira, & extraordinaria, & ita ab Euangeliſta peculiariter exprimitur. Quantum veò mirabilis eſſet Ioannes in his, breuiter dicit D. Paſcaſius lib.2.
Paſchaſ. in Matth. *Non niſi*, ait, *per gratiam, hanc ſeruari vitam poſſe natura confiteri ſuadet, quod imitari non audet.*

QVÆSTIO XXVI.

De Zona pellicea Sancti Ioannis.

80.
Ioannes Eliæ imitator. DIVVS Ioannes Baptiſta ad parentis Eliæ imitationem veram religioſam vitam ob-
Hieron. ſeruauit, vt docet D. Hieronymus *Epiſtola ad*
Hugo de S. Victore. *Paulinum, & Epiſtola ad Demetriad.* Hugo de S. Victore *ſermone* 7. ad illa verba: *Specioſa deſerti.*
D.Thom. Diuus Thomas *lect.12. ſuper cap.1. Ioann.* Beda,
Beda. Theophylactus ad illa verba Luc.1. *In ſpiritu, &*
Theoph. *virtute Eliæ*, & alij quamplurimi. Et zona pellicea deſcribitur hîc ſuccinctus ad Eliæ imita-
Chryſoſt. tionem 4. *Reg.1. num.7.* vt docent D.Chryſoſtomus *homilia 10. in Matth. & in Imperfecto hom.3.*
Paſchaſ. D. Hieronymus, Diuus Thomas, D. Paſchaſius,
Alb.Magn. Beda, Theophylactus, Albertus Magnus *hîc*,
Abulenſis. Abulenſis quæſt 29. & 4. Reg. cap.1. quæſt.15. *Ioannes Baptiſta ſecutus eſt per omnia vitam Eliæ, ita vt à Iudæis putaretur eſſe Elias.* Et poſtea ſubdit *Ioãnes habuit habitum omnino conformem habitui*

Eliæ,vt patet Matth.3. *Zona pellicea circa lumbos eius.*

81. An verò hæc zona eſſet ſuper veſtes, an immediatè iuxta carnem? Dubium eſt, vtroque enim modo dicitur circa lumbos. Aliqui aſſirmant, quòd nullo intermedio eſſet proxima carni, aliter enim non mortificantur lumbi, niſi illis cilicium adhæreat. (Idem.) Abulenſis verò *hîc q.29.* exiſtimat, quòd zona eſſet ſuper veſtem; hoc enim modo Elias habebat zonam; nam viri, qui eum viderunt,dixerunt, quòd *eſſet vir piloſus, & accinctus renibus zona pellicea*, 4. Regum. 1. n.7. Illi autem viri, quòd Elias iuxta carnem, habebat, non videbant, cùm eſſet indutus. Et addo, quòd ipſa zona ſuper veſtem adhuc mortificabat, dum ipſos cameli pilos,atque ſetas carnis adſtringebat.Et confirmatur ex Imperfecto *homilia* 3.vbi (4.Reg.2.) ait:quòd *conſuetudo erat apud Iudæos,vt zonis laneis vterentur,Ioannes autem indicabat habitu veſtem religioſiorem,nõ mollem,ſed cilicinam,ac conterentem corpus.*Et addit,quòd ipſa zona erat circa lumbos, in quibus ſunt voluptates omnium peccatorum, vt tamquam in cauſa conſtringerentur, ac reprimerentur.

QVÆSTIO XXVII.

De Ioannis eſca.

82. AIt Euangeliſta: *Eſca autem eius erant locuſtæ,& mel ſilueſtre.* Maximè dubitatur, quid ſint locuſtæ, quas Ioannes edebat? Quidam primò putant,piſces eſſe marinos, quos cancros vocamus.Sed hoc ſine fundamento;quia huiuſmodi piſces ſunt maximè delectabiles. Deinde, quia Ioannes in deſerto continuè manebat: ergo non ſemper illis vti poterat. Secundò. (Lyran.) Lyranus tenet cum aliis,quòd locuſtæ ſunt illa animalia parua,quæ ſegetes deſtruunt;de quibus dicitur: *Reſiduum erucæ comedit locuſta.* Et de iſtis ait quòd inueniuntur in deſerto Iudææ, & frixæ cum oleo ſunt pauperum cibus. Sed hoc non eſt veriſimile, quia non videtur, quòd Ioannes cum iſto ſumptu cibos comederet. Tertiò,& ſatis probabile (Peluſiot.) D.Iſidorus Peluſiota *lib.1.epiſt.*132.Euthymius, (Euthymius. Carthuſ. Alb. Magn. Brocard. Abulenſis.) Carthuſianus, Albertus Magnus teſtantur, quaſdam eſſe herbas, ſeu arborum folia, quæ in illis partibus dicuntur locuſtæ. Et Brocardus *in lib.ſuo de Terra ſancta,* vt refert Abulenſis,aſſeuerat ſe in Palæſtinæ monaſteriis,quæ Iordani ſunt vicina,herbas ſæpe ediſſe,quas ibi monachi *locuſtas* appellant. illis verò locuſtis ſolitum veſci (Hierom. Hilar. D.Thom. Theoph. Beda.) Ioannem aſſerebant. Quartò. D. Hieronymus, *lib.2. aduerſus Iouinianum*, D.Hilarius, D.Thomas, Theophylactus,Beda, & alij aſſerunt locuſtas, quas Ioannes edebat, fuiſſe animalia ſatis nota; nam inter cibos mundos lex locuſtas numerat *Leuit.*11.*n.*22.& illis Iudæi vtebantur cum ſale, Ioannes verò tantùm ſole exſiccatas comedebat. Et hæc vltima mihi videtur probabilior.

83. (*Quid mel ſilueſtre.*) Mel ſilueſtre aſſerunt graues authores quòd ſit quidam paruus humor in aliquarum arborum foliis repertus dulcis ſicut mel. Sed cùm humor hîc quædam res ſit delicata, non videtur eſſe in ea quantitate ſufficiens ad ſuſtentationem. Secundò (Beda. Rabban. Lyran.) Beda,& Rabbanus tenent eſſe quarundam folia arborum.Sed hoc in nullo authore antiquo habet fundamentum. Tertiò. Lyranus aſſerit quòd mel iſtud ſit veluti quædam reſina, quæ in arborum truncis reperitur,& eſt dulcis ſicut mel. Quartò. Iſidorus Peluſiota *Epiſtola* 132. dicit, (Peluſiota.) eſſe mel montanum, non dulce, ſed amarum. Quintò. Aliqui apud D. Thomam dicunt quòd eſt canna mellis, & id, quod intus in carnis inuenitur, valde dulce. Sextò, Abulenſis *in comment.* (Abulenſ.) tenet mel hoc Ioannis eſſe commune, & eiuſdem ſpeciei cum noſtro; dici verò ſilueſtre, ait, quia in ſyluis reperiebatur, & quòd Ioannes pro abſtinentia illud comdebat ſimul cum cera ac fauo; vel quia licèt comedere parum mellis ſit valde delectabile, illo tamen quotidie vti pro cibo valde durum, & prouocat nauſeam. Septimò. Probabilius exiſtimo cum Barrada Baptiſtam ediſſe mel, quod in illa ſolitudine apes ſilueſtres conficiebant, quod non amarum, ſed dulce erat, & in regione illa, quæ lacte, & melle manabat, magnam fuiſſe multitudinem credibile eſt. (Barradas. *Eadem eſca quotidiana vti valde moleſtum.*)

84. (Abulenſ. *Quare nulla mentio de potu.*) Quare de potu Ioannis nulla hîc fit mentio? Reſpondet primò. Abulenſis hîc *quæſt.* 31. Quia non eſt tanta diuerſitas auſteritatis in potu,ac in cibo; nam in magna abſtinentia ſolùm bibitur aqua, in cibo verò poteſt eſſe varietas, cùm multæ ſint auſteritatis differentiæ; & ne daretur (*De potu Ioannis.*) ignorantia, circa quem gradum parcitatis Ioannes tenuerit, ideo Euangeliſta illum explicat. Secundò. Quia Ioannes ſine humana conuerſatione in deſerto erat; ſine hominibus autem vinum habere non poterat,ideoque Euangeliſta, vt manifeſtum, ſupponit. Tertiò. Quia ab Angelo iam explicatum erat Luc.1.num.15. *Vinum, & ſiceram non bibet.* (Luc.1.)

QVÆSTIO XXVIII.

Quare Ioannes his potiùs alimentis, quàm aliјs vtebatur?

85. COmmvnis ſolutio eſt,quia hæc magnæ erant abſtinentiæ, tum propter illorum qualitatem, tum quia illis ſine vlla varietate vtebatur. Secundò, quia hæc ſine cura, ac ſolicitudine vlla, quæ contemplationem impediret, vaſta illa in ſolitudine tenebat. Tertiò pulchrè noſter D. Cyrillus Hieroſol.Catecheſ.3. *Vides*, ait, (Cyrillus.) *quantum hominem huius gratiæ ducem elegit,nihil omnino poſſidentem, ſolitudinis ſtudioſum, ſed non inhumanum: locuſtas manducantem animæ, melle veſcentem,& dulciora melle,vtilioraque loquentem* Ioannes communis vitæ ſpiritualis dux, ac magiſter animaliola alata melque edebat; quia ipſe (*Prælatus ſuos dulciter reprehendat.*) in conuerſatione, ac reprehenſione, non inhumanus, ſed totus dulcis, ac affabilis erat: totuſque pennatus, dum ſuos ad cæleſtem contemplationem euolare faciebat. Quartò. D. Hieronymus ad Agaſiam quæſt. 1. *Quia omnis*, ait, (Hieron.) *pædicatio falſa ſectatur lucra, & gloriam quærit humanam: aſſerit, eum camelorum veſtitum pilis nulli poſſe adulationi ſuccumbere: & qui locuſtis veſcitur ac melle ſilueſtri,nec opes,ne calias delicias quærere,rigidaque,& auſtera vita aulas vitare palatij.* Diuinus Prædicator,vt falſam reprobaret doctrinam, ſeque oſtendat omnino alienum ab his, (*Prædicator à vitijs palatij alienus.*) quæ adulationi deſeruiant, ea in veſtitu, ac cibo elegit,quæ in viſu nũquam fuerint iis, qui palatia frequen

frequentant, vbi omnis vitij eſt, mendaciique palæſtra. Quintò, & vltimo. Mel delicias adumbrat, atque illecebras; locuſtæ verò, cùm ſint herbarum, terræque præſentanea peſtis, peccata populi ſignificant: his Ioannes veſcitur, vt Prædicator, ac Prælatus ſtomachum habeat, quo omnium ſubditorum vitia, ac peccata deglutire poſſit,vt ea diſſimulare valeat. (*Prælatus ſubditorum vitia aliquando diſſimulet.*)

*Matth.*3.*n*5. Tunc exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.

VERSIONES.

Syriacus. Tunc exiuit ad eum Ouriſchlem,& tota Iehoudæa, totaque regio ambiens Iordanem.

Theophylact. Tunc egreſſa eſt ad illum, *&c.* Et omnis regio vndique finitima Iordani.

Vatablus. Totaque regio circuniecta Iordani.

ALTER TEXTVS.

Marci 1.*n.*5. Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Hieroſolymitæ vniuerſi.

EXPOSITIO.

86. CIrcvnspecta Ioannis eximia virtute, ac cibo, veſtituque abſtinentia, qua ſui oblitus erat, atque hominum intendebat ſaluti, commouebantur omnes, vt ad eum confluerent; hoc enim poſt deſcriptam eius vocem: *Parate viam Domini*; ac rigidam auſteritatem,indicat illud *Tunc*. Et addit: *Exibat*, tripli- (D.Thom.) ci motiuo, vt ait D. Thomas, inuitabantur homines, vt Ioannem adirent; primò noua prædicatione; nunquam audierant de regno cælorum (*Nouitas prouocat animos.*) mentionem fieri. Secundò propter ſuam eximiam vitam, vt dixi:tertiò, quia Iudæa priuata erat inſtructione Prophetarum: (Pſalm.73.) *Signa noſtra non vidimus,iam non eſt Propheta*; Pſalm.73.n.9. Et non ſolùm exibant de loco; verùm etiam de priſtina occaſione, conuerſatione, & vitiis, vt meliores in vita fierent. *O fugite de terra Aquilonis,dicit Dominus. O Sion fuge, quæ habitas apud* (Zachar.2. Apoc.18.) *filiam Babylonis*, Zachar.2.num.6. *Exite de illa populus meus:vt ne participes ſitis delictorum eius,* Apocal.18.num.4.

87. Hieroſolyma continens pro contento; id eſt, habitatores Hieruſalem, vt expreſſit Marcus: *Hieroſolymitæ vniuerſi.* Et hæc ciuitas regia pertinebat ad Benjamin, Ioſuæ 18.num.28. (Ioſue 18.) *Et omnis Iudæa*; quamuis pro omnibus Terræ promiſſæ habitatoribus accipi poſſit, pro ſorte tamen Iudæ ſtrictè accipitur, vt aduertit Abulenſis. (Abulenſ.) Ibant omnes principes, magnates, ciuitatem, voluptates, ac ſuas commoditates ſpernebant; & valde delectabiter difficultates, ac labores itineris, & eremi amplexabantur, tantum deſide- (*Maximè tenebantur omnes deſiderio videndi Ioãnem.*) rium erat omnibus videndi Ioannem, ac fruendi eius ſuaui collocutione. Nilus Abbas in Aſcetico (Nilus.) *Ioannes quidem Baptiſta in ſolitudine verſabatur, & ciuitates ipſæ cum hominibus ad eum confluebant: & qui ſericis veſtibus induebantur, ad Zonæ pelliceæ ſpectaculum concurrebant; ſub dio incommodè manere non recuſabant, qui domos auratas incolebant;omnia illis erant tolerabilia, nã videndi viri cupiditas omnem moleſtiæ ſenſum abſtergebat*; proſequitur textus. *Et tota regio circa Iordanem.* vbi variæ Tribus habuerunt ſortem. Et licèt hæc regio proximior eſſet loco,vbi Ioannes prædicabat, cùm eſſet iuxta Iordanis alueum; tamen Hieruſalem nominatur primò,tum propter ſuam nobilitatem;tum quia, vt ait Hugo, maximè ſpe- (Hugo.) ctat commendationem Ioannis quòd ciues celeberrimæ ciuitatis in regia, ac palatio enutriti vitia relinquentes ad nouam virtutis viam accurrerent. Tandem Hieruſalem, etſi remotior, (*Mirum,quòd palatini ad pœnitentiam currant.*) prior nominatur, quia ſæpe fama remota loca priùs, & magis occupat. Et dicitur; *Omnis Iudæa,omnis regio*;non quia omnes, nullo excepto, adirent; ſed quia maiori ex parte omnes ibant, vt explicant Abulenſis, Caietanus, & alij. Et (Abulenſ. Caietan.) ibant omnes, etiam Phariſæi, quia pro honore, ac reputatione habebant, vt Ioannis fierent diſcipuli, ac deuoti. Ibant etiam iuſti omnes, quia,vt ait Albertus Magnus, *Tantum ſanctitatis* (Alb.Magn.) *nouæ apparuit in Præcurſore, vt nullus, quantumcunque eſſet iuſtus, ſe iuſtum in comparatione Præcurſoris reputaret.* Et ſimiliter Imperfectus *homilia* 3. (*Comparatione Ioannis nullus videbatur.* Imperfect.)

*Matth.*3.*n* 6. Et baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua.

VERSIONES.

Syriacus. Et baptizabantur ab eo in Iourdemõ flumine poſtquam peccata ſua fuerant confeſſi.

*Tertull.lib.de Baptiſ.c.*20. Tingebantur confitentes delicta ſua.

Text.Græcus. Immergebantur aquâ confitentes quædam peccata ſua.

ALTER TEXTVS.

Marci 1.*n.*5. Et baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua.

EXPOSITIO.

88. DE Ioannis Baptiſmo dixi iam *q.*16. 17. *&* 18. *Confitentes peccata ſua.* tempore Ioannis non erat Sacramentum Pœnitentiæ, cùm hoc ſit proprium legis gratiæ à Chriſto Domino inſtitutum; *Ioann.* 20. *num.* 22. Quomodo, & ad quid confitebantur? Abulenſis (Abulenſ.) *quæſt.*54. quòd omnes ad præſentiam ſanctitatis Ioannis ſe peccatores confitebantur, ac dicebant. Sed textus ampliùs ſignificat, dum ait,

Caiet. *Confitentes peccata ſua.* Citatus Abulenſis,& Caietanus *in* 1. *Marci* aſſerunt quòd tantùm in genere ſua peccata dicebant. Tertull. Baſil. Tertullianus verò *lib. de Baptiſmo*, D. Baſilius *eodem lib.*& alij tenent, quòd ſigillatim ea dicebant. Et hoc indicat textus Græcus: *Confitentes quadam peccata*; nam,vt ait Cyrill. D.CyrillusHieroſol.Catecheſ.3.*Oſtendebant vulnera,deinde Ioannes ponebat medicamenta.* Et hæc confeſſio non erat *in remiſſionem peccatorum*, ſed tantùm in diſpoſitionem ad illam, & vt homines ad ſacramentalem confeſſionem paulatim aſſuefierent. Et valde mirum quòd homines ſuperbi, atque arrogantes ſeſe peccatores confiterentur; nec enim erubeſcebant; nam, vt ait Imperfectus Imperfect. homilia 3. *Perfectus timor ſoluit omnem pudorem.* Baptizatis autem Ioannes aliqua opera ſatisfa- D.Thom. ctoria imponebat, vt docet D. Thomas *in* 4.*diſtinct.*2. *quæſt.*2. *artic.*2. quod ſaltem ex conſilio à Ioanne fieri mihi perſuadeo.

*Matth.*3.*n.*7. Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad Baptiſmum ſuum,dixit eis:Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?

VERSIONES.

Syriacus.	Venientes, vt baptizarentur,ait illis:Generatio viperarum,quis vobis indicauit.
Didym. Alex. cõt. Manich.	Serpentes genimina viperarum.
Text. Hebr.	Filij viperarum.
Text. Græc. Theophyl.	Quis ſubmonſtrauit vobis?
Imperfect. homil. 3. Vat.	Quis docuit vos?
Rabbanus, S. Thomas.	Quis demonſtrabit vobis.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 3. *n.*7. Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, vt baptizarentur ab ipſo:Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à vẽtura ira?

EXPOSITIO.

89\. *Quales Phariſæi,& Sadducæi.* PHARISÆI homines erant à communi multitudine ſeparati, opinione ſcientiæ, ſancti- tis ac honoris maximè inflati, & multa circa legem falſa dicebant. Sadducæi verò hæretici erant, neque reſurrectionem, neque animarum immortalitatem credentes. Et de his duabus ſectis Iudæorum latè tra- Iſidor. Abulenſ. ctant D.Iſidorus *lib.*8. *Etymolog.cap.*4.Abulenſis hoc cap.3.Matth.quæſt.63.*Ad Baptiſmum ſuum*; ſcilicet vt baptizarentur ab eo. Et non dicitur abſolutè Baptiſmus, ſed ſuus, hoc eſt, Ioannis, quia ab eo inſtitutus erat, & à Chriſti Baptiſmo qui gratiam immediatè conferebat, quàm proximè Ioannis non dabat, maximè diſtinctus. *Progenies*,id eſt, *generatio*, vt habet Syriacus,*viperarum*; ita dicitur hoc animal,quaſi vi pariens, vt explicat Albertus Magnus. Alb. Magn. Et Phariſæos, ac Sadducæos viperas vocat, quia ſpirituales parentes ſuos necare intendebant. *Quis demonſtrauit vobis*? per admirationem loquitur Ioannes. Quis docuit vos, ad hunc venire Baptiſmum ad effugiendam venturi Dei iram? *Bonus Prælatus pungit,& laudat.* Et diuinus Magiſter ſi eos pungit, dum viperas appellat, ſtatim in fugienda ventura ira diligentiam laudat.Theophyl. Theoph. *Durè eis loquitur, ſciens peruerſitatem illorum,tametſi aliquantulum laudat,dicens: Quis ſubmonſtrauit vobis?* Euthymius. Euthymius. *Miſcet*,ait,*reprehenſionis aſperitati laudem, vt inde quidem humilientur, hinc autem conſolationem accipiant. Submõſtrauit*; hoc eſt, latenti ſigno. Vel vt aliqui legunt: *Demonſtrabit*;tamquam Ioannes hoc eis optet.

QVÆSTIO XXIX.

Quomodo Matthæus, & Lucas in hac hiſtoria narranda conueniant.

QVOMODO Matthæus hæc ad Phariſæos, 90.
ac Sadducæos dicta narret; Lucas verò ad turbas? dubium eſt. Idem. Euthymius exiſtimat, Ioannem bis hæc dixiſſe. Probabilius tamen eſt ſemel tantùm hæc fuiſſe locutum, dum omnes ſimul aſſiſtebant, ad Phariſæos verò, & Sadducæos intentionem ſuam in his verbis dirigendo; ſolent enim prædicatores in concione ſæpe multa dicere, quibus aliquos tantùm comprehendunt, vt ſit ſuauior reprehenſio: nam Ioannes turbas, quæ veniebant, vt baptizarentur confitentes peccata ſua, benignè recipiebat, vt ait Chryſoſtomus *homilia* 11. Phariſæos, ac Sadducæos animo calumniandi acriter pungebat, vt tenent idem Chryſoſtomus, Lyranus, & alij. Chryſoſt. Lyran. Et notetur hîc libera Ioannis authoritas, Phariſæos, *Authoritas Prædicatoris.* ac Sadducæos primos, & optimates, non blando, ſed reprehenſiuo ſermone monentis: in quo egregium Prædicatoribus, ac Prælatis dedit exemplum. Imò eleganter ponderat D. Gregorius *in lib.*1. *Reg. cap.*4. Gregor. quòd Ioannes durus erat in ſe, & durus in alios, in alios quidem ſolis verbis, Genimina viperarum appellabat; in ſe verò factis, & operibus; *Euangelicus Prædicator ſibi durior, quàm alijs.* carnem ſuam zona pellicea conſtringebat, locuſtas, ac mel ſilueſtre tantùm edebat, ſuo exemplo Euangelicos Prædicatores docens, quòd ſibi, quàm aliis ſe duriores exhibeant.

QVÆSTIO XXX.

Quare Iudæi progenies viperarum à Ioanne vocentur?

VIPERA è venenatis animantibus vnum, 91.
matre occiſa prodit in lucem, vt teſtantur Plinius. Plinius *lib.*10.*cap.*62. Paſchaſ. D.Baſilius *homil.*9. *Hexaëmeron*, Auguſt. D.Auguſt.*ſerm.*1. *Dominica* 3. *Quadrageſ.* D.Hie-

Hierem. ronymus *Epiſtola ad Præſidium.* Qui etiam teſtatur,quòd *viperæ per os coitum faciunt:maſculi mortem contemnunt,ſed fœmina in ipſo coitu,magna,dum ſemen abſorbet, exagitata dulcedine,caput maſculi abſcindit, & ſic eum occidit; ſed cùm conceperit, viſcera illius ab ipſis, quos concepit,comeduntur; & ſic matrem occidunt.* Et idem referunt Epiph. D.Epiphanius *hæreſi* 26. Galen. Galen. *lib.de antidot.*& alij multi. Quare ergo Ioannes viperas appellat? Beda. Non approbo rationem Bedæ dici viperas, quia erat mala ſoboles è venenoſis parentibus genita, Hilar. nec rationem Hilarij *can.*19.*in Matth.* quia omnia veneno ſuo inficiebant; hoc enim non ſolùm viperæ,ſed cuiuſlibet venenati ſerpentis proprium eſt. Peculiarem inquirimus rationem, ob quam dicantur viperæ.

92\. Chryſoſt. Prima, & veriſimilior ea eſt, quam tradit D.Chryſoſt. homil.11. *Bene eos*, ait,*genimina viperarum vocauit, ſiquidem id ſerpentum genus ita parentis feſtinat exitum,vt alueo,qua portatur exeſa,in vitam prodeat more gignentis;quod iſti quoque faciebant patrum ſanguine,ac matrum madentes,& ſceleratis manibus eos,à quibus ad veritatis lumen ducebantur, interficientes magiſtros.* Ideo Ioannes eos viperas appellat; nam Iudæi illis ſimiles, ſuos ſpirituales parentes,à quibus in veritate, & doctrina ſancta gignebantur, interficiebant. Et ideo Ioannes eos videbat venientes ad ſe,vt eum calumniare,ac corrodere poſſent,ipſum enecandi occaſionem quærentes. Hanc etiam ra- Athan. Euthym. tionem inculcat D. Athanaſius *q.*56. *ad Antioch.* Euthymius,& alij.Et hoc ſtatim Chriſti teſtimonio corroborabitur.

93\. Chryſoſt. S.Thom. Abulenſ. Bonauent. Secunda.D.Chryſoſtomus *homil.*3.*in Imperfecto*,D.Thomas,Abulenſis *hîc*, D.Bonauentura *in cap.*3.*Lucæ*, tres tradunt rationes. Et verba ſumo ex D. Bonauentura. Viperis eos comparat ob triplicem proprietatem.Prima.Vipera cùm momorderit hominem, ſtatim currit ad aquam,& ſi non inuenit, moritur; ſic iſti cùm haberent peccata Pſalm.72. in Deum, & in proximum: *Poſuerunt os ſuum in cælum,& lingua eorum tranſiuit in terram*, Pſalm. 72.num.9. vt viuerent, recurrebant ad aquas Baptiſmi. *Recurrẽdum ad Baptiſmi fontem, vt viuamus.* Et ita dixit Ioannes: *Quis vos demonſtrauit fugere à ventura ira?* Secunda. Genimina viperarum rumpendo viſcera materna naſcuntur.ſic iſti perſequendo Prophetas materna viſcera violabant. Et ita dixit Chriſtus Dominus Matth.23. Matth.23. n.21.*Filij eſtis eorum,qui Prophetas occiderunt,& vos implete menſuram patrum veſtrorum: ſerpentes,genimina viperarum*, &c. Tertia. Viperæ ſunt foris ſpecioſæ, & quaſi pictæ, ſed intus veneno repletæ: iſti ſunt pulchri exteriùs quadam ſimulata iuſtitia; interiùs verò habentes peccata. Idem. Matth.23.num.27. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi; qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa,intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum,ac omni ſpurcitia.*

94\. Quintò. D.Paſchaſ. *lib.*2.*in Matth.* dum ponderat naturam viperarum eſſe, quòd quando fœmina concipit,feruore libidinis caput maris proprio ore deglutit;& dum parit à ſuo fœtu interi- Paſchaſ. mitur,ita ait ille:*Iudæi caput viri, quod eſt Chriſtus ore liuido perimentes, matrem ſuam,videlicet Synagogam Prophetarum, vel eorum,de qua naſci debuerant,cruentis manibus occiderunt. Quos fortè videns adhuc ſuæ fraudis venena intrinſecus occultare, cenſura ſeueritatis eos increpat: quare priùs callidas doli aſtutias non euomuerint,& ſic ſine felle amaritudinis intrarent ad ſortem columbæ.* Sextò. D.Iſidorus Peluſ.*lib.*1.*Epiſt.*105. Peluſiot. Hæc viperarum natura perpenſa eorum inter omnia vitia ingratitudinem arguit, *Ingratitudo.* qua Deum,qui eos genuit,dereliquerunt, atque omnem ſibi conceſſam gratiam extinxerunt. *Meritò proinde*, ait, *eos venatis animantibus confert, per ingratitudinem accepta beneficia obliterantibus,ne dicam corrodentibus.*

Septimò. D.Auguſtinus *cit.ſerm. Dominicæ* 3. 95.
Quadrageſimæ hîc, Phariſæorum inuidiam pungit. Auguſt. *Sicut*, ait, *viperas,dilacerato, & dirupto materno vtero,in quo conceptæ ſunt,naſci aiunt,ita inuidia illam animam, à qua concepta eſt,conſumit, & perdit.* Inuidia in ipſis Iudæis nata,quà Baptiſtam ſibi maiorem agnoſcebant,eorum viſcera dilacerabat. *Inuidia conſumit hominem.* Octauò. Cardinalis Petrus Damianus Damian. nimiam parentum indulgentiam in filios *lib.*8. *Epiſt.*11.*ad Florentinos*, ſic ait: *Quia viperarum more,dum filios pariunt ſibi,moriuntur.* *Parentes pro diuitijs congregandis moriuntur.* Sunt enim multi parentes, qui filios ita diligunt, vt amplas in eis domos creent, non dubitantes in æternam damnationem incidere. Nonò. Eorum Ioannes exprobrabat malitiam. D.Chryſologus ſerm.137. Chryſol. *Progenies viperarum*, ait, *quia quos Deus creauerat homines,fecerat filios Abrahæ;malitia peperit, & conuertit in viperas.* Qualis ſit homo ex Deo, *Qualis homo ex Deo, qualis ex ſe.* qualis ex ſe? ex Deo habet, quòd ſit filius Abrahæ,ſcilicet gratiæ;ex ſe verò, quòd reptet in terra,ac omni grauetur peccati veneno.

Decimò. D.Cyrillus Hieroſol.*Catech.*3. verba 96.
hæc in laudem, conuolantium ad pœnitentiam explicat. Genimina viperarum quis monſtrauit vobis fugere à futura ira? Cyrill. *Non igitur*,ait,*ſis deinceps vipera,ſed cùm eſſes aliquando genimen illius, exue, inquit, primæ illius iniquæ vitæ perſonam. Quilibet enim ſerpens in anguſtum intrans, depo-* *Vt fugias irã Dei ad pœnitentiam accede.* *nit ſenectutem, & vetuſtatem per extruſionem exuit;ſic & tu intra per anguſtam portam, & ſtrictam,affligenſque ipſam per ieiunium,expelle tuam perditionem. Exue veterem hominem,& dic illud: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa*, Cant.5. Cant.5.num.3. Vbi explicat quomodo fugerint a futura ira; nam veluti ſerpentes intrantes per anguſtam portam pœnitentiæ, confitentes peccata ſua imminentem Dei iram euaſerunt.

Vndecimò. D. Ambroſius *in cap.*3.*Luc.* Poſt- 97.
Ambroſ. quam ait, hîc arguit malitiam Iudæorum, hæc Ioannis verba ad eorum prudentiam refert, iuxta illud Matth.10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Matth.10. Serpens enim per prudentiam præuidet futura, venenum tamen non deſerit; *ſic oſtenditur eis*,ait ſanctus Pater,*Dei miſeratione infuſa prudentia,vt gerant ſuorum pœnitentiam delictorum,futuri terrorem iudicij metuentes,ſed adhuc noxia non relinquebant.* Ac proinde dum ex prudentia venturam Dei iram fugere intentant, eos ſerpentibus comparat; nam inter omnia animantia, hæc omnes occurrentes circunſtantias circunſpicere, notareque ſolent, vt aduertunt authores ad citatum locum Matth. Sed ſicut ad venenum ſuum ſerpentes,ita ad falſam doctrinam erant affecti, vt nunquam ad eam ſepararentur.

Duodecimò. Vipera aſtutum animal in locis, 98.
vbi minimè putatur, deliteſcit, in ore reconditum habet venenum, ac falſis verbis primos parentes fefellit. Meritò Phariſæi,aut Sadducæi,viperarum progenies dicuntur, dum Ioannis ſanctitatem,quæ in omnium admiratione, ac veneratione erat, intendebant calumniari: & veluti

 ſerpen-

ſerpentes venenum in ore geſtabant,dum ſimulata ſanctitatis,ac doctrinæ ſpecie, falſis dogmatibus omnia inficiebant : erant enim in lege magiſtri, & vanis traditionibus omnes ad ſe trahebant. Phariſæi parentibus debitum negabant honorem; Sadducæi reſurrectionem corporibus inficiabantur; & ideo viperas appellat, in eorum cathedra,atque magiſterio notant venenoſa peccata, vt ita perpetuæ commendarentur memoriæ. Geneſ.49. Inquit Iacob de Ruben. *Primogenitus meus: Tu fortitudo mea, & principium doloris mei : prior in donis,maior in imperio. Effuſus es ſicut aqua,non creſcas,quia aſcendiſti cubile patris tui*,Geneſ.49. num.3. Sed ad quid, dum ſanctus ſenex Ruben peccatum exprobrat, dignitatem, & primogenituram eius in memoriam vocat? Niſi vt ex ipſa dignitate in hominum memoria maximè perpetuetur. Chryſoſt. *Ex dignitate memoria perpetuatur.* D.Chryſoſtomus ibi,*Volens*,ait,*accuſationem magis intendit, priùs dixit priuilegia ei à natura conceſſa, & dignitatem, quam tenebat, quòd principium filiorũ, & primogenituræ honore clarus ſit,& poſtea voluntatis peccata illius,quaſi in ænea columna inſcribit.*Vbi dignitas fulget,ibi maximè peccata relucent,ac apparent.

Qvæstio XXXI.

Quomodo Ioannes venientes ad ſe tam grauiter reprehendat?

99. PHARISÆI, ac Sadducæi labores, atque ærumnas ſuperabant multas, vt dicam ex D.Nilo *cap.ſequenti.* Ciuitates, vt ad Ioannem venirent,relinquebant;negotia, vt eremum peterent,omittebant; & tamẽ Ioannes adeò durè excipit,vt primogenies viperarum dicat?Reſpondet primò Author Imperfectus *homil.* 3. cognouiſſe Ioannem eos non ſincero, ſed ficto, ſimulatóque animo veniſſe: & ideo eos grauiter increpat; nam animus fictus minimè ferri poteſt. Imperfect. *Animus fictus non poteſt ferri.* Secundò.Albertus Magnus, *Iſtos autem ſolos*, ait, *acriter reprehendit,quia iſti,non ex deuotione exierint,ſed potiùs ex indignatione,tentantes potius, quàm credentes,& magis coram hominibus facientes:eo quòd multitudo tota fecit, & indignationem multitudinis ſuſtinuiſſent, ſi non veniſſent ad Baptiſmum Ioannis.* Alb. Magn. *Qui Ioannis non erat deuotus, malè opinabatur.* Non deſiderio ſanæ doctrinæ, ſed vt ſuam apud populum opinionem retinertẽ, Ioannem iſti requirebant;tanta enim erat Ioannis authoritas,vt qui ad eum non accederet,malè haberetur,eſſetque apud omnes in odio,ac contemptu,& mala opinione.Tertiò D. Chryſoſt.*homil.* 11.eleganter ait: Chryſoſt. *Nec enim peccantes viderat, ſed poſt peccata conuerſos, propter quod nec increpare debuerat,ſed laudare.Quid ergo dicemus?Non vtique illum abſque ratione tãta ſeueritate fremuiſſe; nam quia,reuelante Deo,cordis eorum occulta perſpexerat, eoſque ſuperbum ſapere de parentum nobilitate cognouerat,hanc illis perditionis cauſam,& hinc in vltimam eos præcipitatos ſciebat eſſe deſidiã ſatis neceſſariò radicẽ arrogantiæ huius indicit.* Ex Dei reuelatione agnouerat diuinus Baptiſta, totam ruinæ, ac perditionis eorum cauſam eſſe nimiam de parentum ſuorum nobilitate ſuperbiam, volens hanc tollere inflationem, viperarum progeniem vocat eos, vt hac humilitate, ignobilitatéque obiecta,nimiam eorum arrogantiam eradicare ſanaréque poſſit.

100. Quartò.Origenes *hom.*22.ideo exiſtimat,quòd eos tam acriter increpabat, quia deprauatas peccandi conſuetudines, veteremque non abiiciebant ſtatum, ſed adhuc obdurati perſiſtebant in erroribus,ac ſceleribus ſuis, atque malas peccandi, ſuoſque ſpirituales parentes perſequendi artes non deponebant. Origenes. In eadẽ ſententia eſt D.Ambroſius dum ait, quòd licèt vtilia præuiderent: noxia tamen non relinquebant. Ambroſ. Idem habent D.Gregorius *lib.*15.*Moralium cap.*9.Euthymius, & alij. Gregor. Euthymius. Et hæc mihi videtur germana expoſitio; hæc enim erat Prophetarum conſuetudo;imò & Chriſti Domini,vt dixi *ſuperiori quæſtione*,ex *cap.*23.*Matthæi*,vt quos in peccatis obduratos agnoſcebat, duriùs increparet. Vt ait D. Auguſt. de peccatorum meritis. *Multoties durities cordis aſperitate emollitur.* Auguſt. *Vt ipſa aſperitate verborum duritiam cordis emollirent.*Eorum autem obdurationem, cordiſque ſecreta ex Dei reuelatione Ioannes cognoſcebat, vt patet ex D. Chryſoſtomo *proximè citato*, & dixit *lib.* 1. *cap.*8.

Qvæstio XXXII.

Quomodo Ioannes dicat: Quis demonſtrauit vobis fugere à futura ira?

101. PRÆSENTIA verba per modum laudis eſſe dicta interpretantur D. Ambroſius, Theophylactus, Euthymius, & alij. Ambr. Theophyl. Euthym. Sed cùm Ioannes deprauatam eorum cognoſceret intentionem,vt conſtat ex ſuperiori quæſtione, verius cum D.Chryſoſtomo *homil.*11. exiſtimo per modum admirationis eſſe prolata: Chryſoſt. ac ſi admiretur Ioannes quòd demiſſis peccatis ſuis, vt fugiant futuram iram, confitentes peccata ſua acceſſerint ad Baptiſmum. Per iram autem Dei Euthymius intelligit deſolationem Hieruſalem per Romanos factam. Euthym. Tamen D. Chryſoſtomus *citatus*, D.Gregorius *homil.*20.*in Euangelia*, D.Ambroſius,D.Bonauentura, Albertus Magnus, & etiam Euthymius interpretantur eam, quæ in die iudicij impœnitentibus eſt infligenda. Chryſoſt. Gregor. Ambroſ. Bonauent. Alb Magn. Et in hoc ſenſu inquirit Chriſtus Dominus, *Quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Matth. cap.23.num.33. Matth.23. Et de hac ita, quæ eſt in futuro ſæculo, peccatoribus loquitur.

102. Grauis tamen eſt difficultas: Quomodo Ioannes, cùm eos in peccatis ſuis videret obduratos, vt patet ex ſuperiori quæſtione, dicat: *Quis vobis demonſtrauit fugere ab ira ventura*; illa enim pœnitentia falſa, fictóque animo iram hanc non euadebant,ſed in nouam incidentes culpam, maiori ſe ſe implicabant pœnæ atque ſupplicio.Hac de cauſa Rabbanus fortaſſe, ac D. Thomas legunt: *Quis demonſtrabit*, tamquam hoc Ioannes deſideraret. Rabban. D.Thom. Sed noſtra vulgata non habet in futuro, ſed in præterito, *Quis vobis demonſtrauit.* D.Bernardus *ſerm.*20.*in Pſalm.*per iram interpretatur pœnitentiam. Bernard. Ac ſi diceret: Quis vobis demonſtrauit fugere à pœnitentia.Sed hoc infert vim textui. D. Paſchaſius *lib.*2. *in Matthæum*, ac ſi patenter diceret,ait,*Nemo niſi vnicus Dei filius, quem vobis annuntio.* Paſchaſ. Senſus horum verborum hîc eſt,vt exiſtimo. Tamquam ſi dicat Ioannes:Quis demonſtrauit, ſeu indicauit vobis, ſeu docuit hunc errorem; falſa pœnitentia, & ficto animo fugere

fugere à ventura ira? Nemo ſanè: nam falſa pœnitentia,ira Dei non vitatur,ſed potiùs in nouam inciditur.De his ait Oſeas cap.10.num.13. Oſeæ 10. *Araſtis impietatem,iniquitatem meſſuiſtis.*Arare,idem eſt, ac ſeminare; & peccatis ſuis hæc fecerunt; falſa verò pœnitentia nouam iniquitatem receperunt, & ideo ait ſtatim Ioannes ſequenti verſu:

Matth. 3.*n.*8.Facite ergo fructũ dignum pœnitentiæ.

VERSIONES.

Syriacus. Facite igitur fructus dignos.

Aliqui ex Græco. Oſtendite,vos non ſimulatè venire.

Alter Textvs.

Lucæ 3.*n.*8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.

EXPOSITIO.

103. FACITE *ergo*. Illatio eſt ex præcedentibus, vt fugiatis ab ira ventura, ac vt vos profiteamini peccatores; *facite ergo fructus.* quod vt fiat, ait D.Chryſoſtomus homil.11. in Matthæum, Chryſoſt. *Non ſufficit à malignitate fugere, niſi ad virtutis ſtudia tranſeatis.*Et non ait:Oſtendite fructum in veſte,v g.vel in barba; ſed facite in ſinceritate cordis coram Deo. Vnde D. Gregorius *lib.*6.*in* 1.*Reg.cap,*15. ait: Gregor. *In fructu ergo, non in folijs,aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. Vnde Dominus arborem folijs decoram, fructu ſterilem maledixit; quia confeſſionis ornatum non reſpicit ſine fructu afflictionis.* Et ait Ioannes iuxta Lucam,*fructus dignos pœnitentiæ*; quæ poteſt eſſe in genitiuo,vel datiuo. D.Gregorius homil.20.in Euangelia: Idem. *In quibus verbis notandum eſt, quòd non ſolùm fructum pœnitentiæ, ſed dignos fructus pœnitentiæ admonet faciendos. Si quis in culpa lapſus eſt,tanto à ſe debet illicita abſcindere, quanto ſe meminit illicita perpetraſſe.* *Pœnitentia proportionata culpæ.* *Vniuſcuiuſque ergo conſcientiæ conuenit,vt tanto maiora quærat bonorum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora ſibi intulerit damna per culpã.*Hic autem fructus pœnitentiæ, vt notat Albertus Magn.debet eſſe in gaudio. Alb Magn. 1.Paral.29. *Populum tuum, qui repertus eſt,vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus, cuſtodi hanc voluntatem*, 1. Paralip.29. num. 17. Ioannes ſuprà reprobauerat eorum fictam pœnitentiam,nunc ad veram exhortatur.

Matth 3.*n.*9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

VERSIONES.

Syriacus. Neque cogitetis, & dicatis in animabus veſtris: Eſt nobis pater Abrahã, *&c.* ſuſcitare filios ipſi Abrahamo.

Pagninus. Et ne ſitis illius opinionis, vt dicatis intra vos ipſos.

Ex Græco quidam apud Salmeron. Ne exiſtimetis dicere.

Euthymius. Ne videamini dicere.

Theophylact. Ne ſitis in hac mente,vt dicatis.

Text.Græcus. Deſinite dicere.

Imperfect.homil. 3. Nolite dicere.

S.Proſp Epiſt. ad Rufin. Potens eſt Deus de lapidibus Abrahæ filios excitare.

Vatablus. Liberos ipſi Abrahæ excitare.

Arias. Natos Abrahæ.

Alter Textvs.

Lucæ 3.*n.*8. Et ne cœperis dicere: Patrem habemus Abrahã. *Cætera vt Matthæus.*

EXPOSITIO.

104. QVIA Ioannes eos ad futuram iram fugiendam, dignoſque pœnitentiæ fructus producendos excitare intendebat; eos ideo ad humilitatem, omnium virtutum fundamentum, diſponebat, explicat ita Rabbanus: Rabban. *Quia ergo præco veritatis ad dignum pœnitentiæ fructum faciendum eos incitare volebat,ad humilitatem prouocabat, ſine qua nullus pœnitere poteſt.* Viperarum filios appellauit ad eorum reprimendam ex maiorum nobilitate ſuperbiam. Et ne dicerent: Non ſumus ſerpentum genus, ſed ex Abrahæ alta proſapia; ideo ait: Ne velitis, ſeu ne cogitetis,ſeu ne cœperitis dicere, *Patrem habemus Abraham.* Nam parum prodeſt maiorum nobilitas,vbi dedecorant propria facta.Seu,ne ſitis in hac mente,vt dicatis:Ab Abrahamo ſumus progeniti; non patietur Deus chariſſimi Patriarchæ perire filios. *Dico enim vobis,quia de lapidibus iſtis poterit excitare filios Abrahæ.* Tanquam quid difficillimum poſuit. Lapides ſignificabant gentes,ex quibus Deus procreauit filios Abrahamo. Et eſt in datiuo, vt patet ex textu Syriaco; nam bonitas filiorum vtilitas eſt parentis, tamquam ſi dicat, ſuſcitare filios ad commodum ipſius Abrahami.

Qvæstio XXXIII.

Quare Ioannes eos prohibeat filios Abrahami vocari?

105. MAXIME verum eſt, quòd Iudæi eſſent ab Abrahamo progeniti:quomodo ergo Præcurſor eos vetat, ne illius filij nominentur? Prima,& communis ſolutio D.Chryſoſtomi, Lyrani,D.Thomæ, D.Bonauenturæ. Chryſoſt. Lyran. S.Thom. Bonauent. Ne de parentum nobilitate ſuperbirent, qui in moribus viperas imita

Nil prodeſt generis nobilitas, vbi adſunt vitia.
Cyrill.
Chryſoſt.

imitabantur. Et ideò non ſolùm dixit: Ne velitis, ne cogitetis; ſed etiam, narrat Lucas: *Ne cœperitis dicere*; quia non ſolùm vana gloria, verùm etiam ipſa prima ad iactantiam aggreſſio aliena eſt ab eo, qui paternas virtutes non exprimit. Et ideo ait D. Cyrillus in Catena: *Quid confert carnalis generoſitas, niſi conſimilibus ſtudijs fulciatur? Vanum eſt igitur extolli de bonis prædeceſſoribus, & deficere ab eorum virtutibus.* Similiter D. Chryſoſtomus. Quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara: aut quid nocet Illi generatio vilis, quem mores adornant.

Idem. Euthym. Abulenſ.
Ioan. 8. Cyrill.
Non prodeſt parentum nobilitas, vbi adeſt peccatum.
Ambroſ.
Luc. 13.
Ambroſ.

106. Secundò Idem D. Chryſoſtomus *homil.* 11. Euthymius, Abulenſis, & alij. Eos remouet Ioannes ab ea cogitatione, qua ipſi maximè tenebantur, ne Abrahæ meritis confidentes, eiuſque à Deo factis promiſſionibus fulciri, nulla eos comprehendere poſſe æterna ſupplicia arbitrentur. Et ideo Chriſtus Dominus dixit eis Ioan. cap. 8. n. 37. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Et D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 9. Amos. *Eò dementiæ miſeri proceſſerunt, vt ſibi ad felicem ſtatum, & ad gloriam ſatis fore arbitrarentur, ex radice Abrahami prodyſſe.* Hanc vanam Iudæorum fiduciam Ioannes excludit; vbi enim deſunt virtutes, parentum merita non ſufficiunt. Et ob delicta propria nati redduntur indigni his, quæ patres compararunt. D. Ambroſius in Lucæ 3. *Admonet claritatem ſibi magis vendicare operis, quàm nobilitatem generis vendicare, quod nulla in ſucceſſione prærogatiua ſit, niſi fidei adſtipuletur hæreditas.* Et hac de cauſa, vt explicat ſanctus Pater, dixit Chriſtus Dominus Luc. cap. 13. num. 16. *Hanc filiam Abrahæ alligauit Satanas.* Vnde D. Ambroſius ſerm. 2. in Pſalm. 118. *Si dicas*, ait, *Abrahæ, ſum filia, Abraham quidem ſaluatur, ſed te nobilitas generis non iuuabit, niſi fides ſeruauerit.* Hæc ratio & prima ſunt maximè literales.

Imperfect. Cyprian.
Præſumptio ex natalibus ſuperbiam generat.

107. Tertiò. Non ſinit D. Ioannes, vt de tanto progenitore glorientur, qui enim alterius quærit virtutes, proprias non habet; & qui in alienis diteſcit, in propriis pauper eſt. Illi ſolùm de maiorum virtutibus iactantur, qui in moribus inopes ſunt. Imperfectus homil. 3. in Matthæum, *Ipſe*, ait, *ſe vacuum ab omnibus actibus oſtendit, qui gloriatur in patribus.* Quartò. D. Cyprian. *lib. de Idololat.* ſic ait: *Iudæis primum erat apud Deum gratia: ſic olim iuſti erant, ſic maiores illorum religionibus obediebant. Inde illis & regni ſublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit: ſed illi negligentes, indiſciplinati, & ſuperbi poſtmodum facti, & fiducia parum inflati; dum diuina præcepta contemnunt, datam ſibi gratiam perdiderunt.* Preme illa verba: *fiducia parentum inflati.* Præſumptio ex proſapia, ac natalibus, vbi opera deſunt, nihil aliud gignere ſolet, niſi ſuperbiam, ac lethalem inflationem: vnde Apoſtolus de genealogiis agere prohibebat. Vide *lib. 1. cap. 2. quæſt. 4.*

Hierem. 2.
Qui patrem non imitatur, eius non ſentiet patrocinium.

108. Quintò & moraliter Iſraëlitæ in tantam inſaniam deuenerunt, vt inſenſibile lignum, durumque lapidem parentes vocauerint. Hierem. cap. 2. num. 26. *Confuſi ſunt domus Iſrael ipſi, & Reges eorum, principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuiſti.* Qui vt liberam peccandi facultatem obtinerent, ne maiorum exemplo reprimerentur, Abrahamum patrem negarunt. Ait ergo Ioannes meritò: Ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham; ſic enim ipſe, vt genitor, vobis non fuit propoſitus, vt eiuſdem veſtigia ſequeremini, nec talis erit, vt vos protegat.

QVÆSTIO XXXIV.

Quare Ioannes non Iſaac, nec Iacob, ſed tantùm nominauerit Abraham;

Abulenſ.
In quo quis obſequitur, præmiatur.

109. DIFFICVLTAS eſt, cur Ioannes Abrahami tantùm mentionem facit, cùm populus non ſolùm ab illo, verùm etiam ab aliis progenitoribus ſuis nobilitatem haberet, Iſaac ſcilicet, & Iacob; ob quorum etiam merita ſimul cum meritis Abrahami à periculis liberatus eſt, vt patebit ex quæſtione ſequenti in principio? Multipliciter reſpondet Abulenſis *quæſt.* 61. Et primò. Abrahamus extitit aliorum pater, & dum ipſum nominat, alios includit. Secundò. Abrahamus fuit caput totius populi; & primus qui ſeparatus eſt à populis nationum, & dictus eſt Hebræus, *Geneſ. cap.* 14. *num.* 13. Tertiò. Abrahamus erat cæteris honorabilior; nam ipſi promiſſa ſunt omnia bona, quæ Iudæi habebant, ſcilicet Meſſiam, *Geneſ.* 12. *num.* 3. Et quoque dictum eſt, quòd Dominus ipſi, & filiis eius vniuerſam terram Chanaam daturus eſſet, *Geneſ.* 13. *num.* 14. & alia multa. Quartò. Quia ipſe erat in ſanctitate valde illuſtris; non dubitauit enim ſe ſe diſponere ad occidendum Iſaac vnigenitum filium, *Geneſ. cap.* 22. *num.* 10. vt Deo obediret: & quia decreuit ſe ſe priuari proprio filio, ideo meruit, vt omnes eius filij de ipſo gloriarentur, Hebræique ab eo dicerentur. Quintò. Ioannes, vt magiſter optimus, ſe ſe auditoribus ſuis maximè accommodabat: & quia in ore totius populi Abrahamus tantùm pater dicebatur, de eoque tantùm fiebat mentio; ideo illis condeſcendens Ioannes eum tantùm expreſſit, ſicut Chriſtus Dominus paſſim *Ioann.* 8. & Beatiſſima Virgo *Lucæ cap.* 2. *num.* 55.

QVÆSTIO XXXV.

Quare viuente Moyſe ſufficientia extiterint Abraham merita, vt populum ab ira liberarent, non verò Ioannis tempore?

110. CVM populus de Ægypto egrederetur, & in vituli adorationem, aliaque turpiſſima prolaberetur peccata, ob quæ ipſum extinguere populum Dominus minabatur; placatus eſt tamen ad preces Moyſis proponentis merita Abrahæ, Iſaac, & Iacob, *Exod.* 32. *num.* 13. *Deuteron.* 9. *num.* 27. Cur ergo tempore Ioannis ob tantorum patrum protectionem ab ira ventura non liberabantur; & ideo ait: *Ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham*; quod idem eſt: ne exiſtimetis, quód propter illius merita euadetis æterna ſupplicia, vt dixi *quæſt.* 31. *in* 2. *ſolut.* ex mente ſanctorum Patrum.

Cyrill.
Ad Euchariſtiæ præſentiã ab omni malo redduntur ſecuri.
Cant. 8.
Hieron. Gregor.
Ghiſler.

111. Reſpondeo primò, quòd in deſerto ob præclaras Abrahæ virtutes temporales pœnas effugerunt: Ioannes verò hîc loquitur de æternis, vt dixi

dixi iuxta multos *quæſt.* 31. Secundò. Reſpondeo ex D. Cyrillo ad Reg. quòd ſi Deus vno peccatori, grauiter delinquenti aliquando pepercit, ne inde liberiùs delinquamus, confidentes, quòd ſimilem gratiam inueniemus; nam Deus dat vnicuique, prout vult. Tertiò. In hoc Ioannis tempore Abrahami tantùm merita interueniebant; in deſerto verò ipſa erant cum cæleſtis panis præſentia, ſcilicet manna Euchariſtiam ſacram adumbrantis: & id, quod iuſtorum preces per ſe ſolum non impetrant, cùm tanti ſacramenti præſentia facilè obtinent. Dilectæ animæ ait diuinus Sponſus: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, Cant. 8. n. 6. Vbi Chriſtus Dominus ſuam inſtruit dilectã Eccleſiam, vt eum tamquam ſcutum, & munimen, vt explicant D. Hieronymus *Epiſtol.* 2. *ad Euſtochium*, D. Gregorius *lib.* 29. *Moralium c.* 4. ponat ſuper cor, brachiumque ſuum, ideſt, ſuper contemplatiuos, & actiuos, vt ait Ghiſler. *expoſ.* 2. vt omnem euadam inimicorum impetum, Deique iram. Sed ad hoc ipſa iuſtorum merita non ſufficiebant? Minimè, niſi in Euchariſtia, cuius præſentia ſecuri redduntur omnes, Chriſtus adſit.

QVÆSTIO XXXVI.

Quos lapides oſtendebat Ioannes, & quid per eos ſignificabat?

Rupert.
Remig. Paſchaſ. D. Thom. Abulenſ. Lyran. Alb. Magn.
Remig.
Rom. 9.

112. AIT Ioannes: *Potens eſt Deus de Lapidibus iſtis*; non tantùm dixit, de lapidibus, vt bene notat Rupertus; ſed de iſtis lapidibus: aliquos peculiares digito demonſtrans. Quinam hi eſſent, dubitatur. Communis eſt ſententia, Sancti Remigij, Sancti Paſchaſij, Sancti Thomæ, Abulenſis, Lyrani, Alberti Magni, lapides, quos Ioannes domonſtrabat, duodecim illos eſſe, quos Iudæi, præcipiente Domino, in Iordanis tranſitu poſuerant, quando per ſiccum tranſierunt, & ad tanti memoriam beneficij ibi manſerunt, *Ioſue cap.* 4. *num.* 9. & Ioannis tempore adhuc extabant, eorumque cacumina videbantur, vt tradit D. Remigius. Hos Ioannes intuens dicebat. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*; non ſecundùm carnalem generationem; quamuis enim Deus de lapidibus homines procreare poſſit; non tamen filios Abrahæ, vt docent communiter Pphilophi, ac Theologi; ſed de filiis Secundùm ſpiritum, atque fidem loquitur Ioannes: quæ in Chriſtianis eſt præcipua filiatio, vt ait Paulus ad Roman. 9. n. 6. *Non omnes, qui ex Iſraël ſunt, hi ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen; ideſt, non qui filij carnis, ij filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.*

Chryſoſt. D. Thom.
Iſai. 51.
Chryſoſt.

113. Quid ergo per hos lapides ſignificat? Dubium eſt. Prima, & literalis intelligentia eſt, quòd per lapides Ioannes ipſoſmet lapides intelligebat. Ita D. Chryſoſtomus *homil.* 11. Sanctus Thomas, & alij. Nam Præcurſor eorum iactantiam, ac fiduciam reprimere intendebat, ne ſibi perſuaderent, quòd cùm tanti Patriarchæ eſſent Filij, Deus eos perire non ſineret, ne ſobole ſua chariſſimus orbaretur amicus. Ideo ait: Sinite hæc cogitare, poterit Deus facere de iſtis lapidibus homines, qui in fide ſint filij Abrahæ. Sicut Abrahamus, & Sara ob ſterilitatem lapides dicuntur ab Iſaia. 51. num. 1. *Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præſciſi eſtis*, vt aduertit D. Chryſoſtomus. Qui etiam eleganter ponderat, quomodo Præcurſor eos terreat, vt non in deſperationem inducat; & ideo inquit. non dixit: Iam ſuſcitauit; ne ſemetipſos deſperare cogantur; ſed, poteſt, ait, ſuſcitare.

Hilar. Cyprian. Auguſt. Gregor. Ambr. Paſchaſ. Bonauent.
Origenes.
Qui lapides adorat, lapis ſit.
Imperfect.
Fides in Gentibus durabilis.

114. Secunda interpretatio eſt D. Hilarij *Can.* 2. *in Matthæum*, D. Cypriani *Epiſtol.* 63. ad Cæcilium, D. Auguſtini *ſermon.* 24. *de natiuitate*, D. Gregorij *homil.* 20. *in Euangelia*, Ambroſij, Paſchaſij, D. Bonauenturæ *hîc*, & aliorum. Qui per *lapides* Gentes intelligunt, de quibus Deus ſuſcitauit filios Abrahæ in fide. Per *lapides* Gentes deſignat, cùm enim Deos, ac magiſtros lapideos venerarentur, vt in moribus lapides fierent, neceſſe erat, Origenes homil. 22. in Lucam, *Non vtique lapides*, ait, *irrationales corporeoſque monſtrabat Ioannes, ſed homines inſenſibiles, & quondam duros; qui quia lapides, & ligna adorabant, impletum eſt illud quod in Pſalmo cantabatur: ſimiles illis fiant, qui colunt ea, & omnes, qui confidunt. Verè qui colunt idola, ſimiles ſunt Dijs ſuis abſque ſenſu, ſine vlla ratione.* Quòd etiam per lapides Gentes ſignificentur, aliam rationem reddit Imperfectus *homil.* 3. Quia ſculptura in lapide firma manet, ſic & fides in Gentibus. *Lapis quidem*, ait, *durus eſt ad opus; ſed cum factum fuërit opus ex eo, deficere neſcit: ſic & gentes cum difficultate quidem crediderunt, tamen credentes permanent in æternum in fide.* Hæc verò expoſitio ſatis probabilis, & tot Patrum authoritate ſatis eſt firma; non tamen procedere poteſt in literali, ſed tantùm in morali ſenſu; nam ad literam per *lapides* non intelliguntur Gentes. Deinde, quia Ioãnes ait, *de lapidibus iſtis*; ergo de illis, quos ipſe oſtendebat, tamquam quid magnum, & miraculoſum, homines fieri indicabat. Alias expoſitiones merè morales proferamus.

Rupert.
Euthymius.
Qui dolet Chriſti mortem, aptus ad vitam.
Bonauent.

115. Tertiò. In ſenſu myſtico Rupertus per *lapides* intelligit Apoſtolos, & Prophetas lapides fundamentales Eccleſiæ, ex quibus Deus multos filios Abrahæ in fide ſuſcitauit. Quartò. Euthymius ex aliis refert, quod per lapides illi demonſtrantur, qui paſſionis tempore propter petrarum ſciſſionem crediderunt; hi enim ex lapidibus in filios Abrahæ videntur ſuſcitari. Quintò. De lapidibus, ait Ioannes, poterit Deus ſuſcitare filios Abrahæ. Quare non de aquis, vel arboribus, vel ferro, vel ære? Quid peculiare lapides habent? Inter omnia, dum Chriſtus Dominus pateretur, illius mortem maximè ſenſerunt, & nunquam in orbe viſum, dum petræ ſciſſæ ſunt, *Matthæi cap.* 27. *num.* 51. dederunt mœſtitiæ ſignum; quod numquam alibi legitur: quo innuitur, quòd illi, qui paſſionem Chriſti Dominus maximè deplorant, illiuſque doloribus tanguntur, aptiſſimi ſunt, vt in filios Abrahæ, hoc eſt, in vitam æternam, ſuſcitentur. Vnde ait Diuus Bonauentura de meditatione.

Lachrymæ ex Chriſti paſſione, non ſunt lachrymæ, ſed pretioſæ gemmæ, quæ diteſcunt, & exornant animam.

QVÆSTIO

Qvæstio XXXVII.

Quare Ioannes non dixerit, de lapidibus tantùm; ſed de iſtis lapidibus?

116. Ioannes non dixit: de lapidibus poterit Deus ſuſcitare filios Abrahæ; ſed, *de iſtis lapidibus.* Quid lapides illi peculiarius habebant? Reſpondeo primò. Quia lapides, quos Ioannes oſtendebat, in medio Iordanis erant, vt dixi ſuperiori quæſtione in principio; Iordanis aquæ Baptiſmum adumbrant; de illis ait, *Poterit Deus ſuſcitare filios Abrahæ*; quia peccatores lapidei, ſi aqua baptiſmali intinguntur, ex eis Eccleſiæ filij procreantur. Secundò lapides illi, erant duodecim, quos præcepit Ioſue duriſſimos eligere, ponereque in Iordane, vbi ſteterunt pedes Sacerdotum, qui arcam fœderis portabant, *Ioſue cap.4.num.9.* Et peccatores, quamuis duriſſimi, ſi aqua Iordanis, ſcilicet pœnitentiæ, madefacti ſe ſe ad pedes Sacerdotum demittant confitentes peccata ſua, inde in Abrahæ, Deique filios maximè exurgunt.

Confeſſione ex obdurato peccator fit gratiæ filius.

117. Tertiò Ioannes dixit: *De lapidibus iſtis poterit ſuſcitare filios*; tamquam quid diffiicillimum: ſed multo difficilius erat, ſi diceret abſolutè: Poterit creare. nam ſuſcitatio ex lapidibus, eſt ex præſuppoſito ſubiecto; creatio verò ex nihilo, quæ tantùm diuinam arguit Omnipotentiam. Ad quid ergo ait, *ſuſcitare*; tamquam quid maximè operoſum? Lapides illi à Ioſue in Iordane poſiti ſunt, vt patet ex loco proximè citato, in memoriam, ac monumentum accepti beneficij, quod ad tranſitum filiorum Iſraël aquæ Iordanis receſſerint & ex lapidibus, qui gratitudinis ſymbolum proferebant, homines ex natura ſua beneficiorum immemores procreari, omnium miraculorum maximum indicat Ioannes. Condidit Deus hominem de limo terræ, *Geneſ.1.* Sed cur non potiùs de aqua, vel aëre procreauit, ſed de terra? Vt ex principio ſuo gratum eſſe diſceret homo; nam terra acceptum ſemen in genere ſuo iterum reddit; homo verò ita factus eſt ingratior, vt his, quæ à Deo accipit, reſpondere neſciat. D. Ambroſius lib.3. Hexaëmeron cap.7. *Tritici granum, ait, ſparſum terræ generis ſui gratiam reddit; & tu degeneras: fruges non adulterant ſinceritatem ſui ſeminis, tu verò adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis caſtitatem.*

Homo maximè ingratus.

Ambroſ.

Matth.3.n.10. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non fecit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

VERSIONES.

D.Paſch.lib.2. in Matth. Iam enim ſecuris ad radices arborum.

D. Chryſoſt. Euthymius. Securis ad radicem arboris.

Tertull. de coron.mil.c.13. Securis ad caudices arboris poſita.

Syriacus. Ecce autem poſita eſt ſecuris ad radicem arborum: omnis igitur arbor, quæ bonos fructus non facit, exciditur, & in ignem cadit.

Vatablus. Arbor non faciens fructum bonum exciditur, & in ignem coniicitur.

Arias. Iam ſecuris ad radicem arborum adiacet.

Alter Textvs.

Lucæ 3 n.9. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciẽs fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

EXPOSITIO.

118. Ivdæi Ioannem audientes dicere poterant: Super nos aliqua modò non veniet ira, ſed multùm tardabit; & quia Abrahæ filij ſumus, ab ea liberabimur; ac proinde nobis pœnitentia neceſſaria non eſt; hæc Ioannes ab eorum remouet mente, vt notant D.Thomas, & Abulenſis. *Iam ergo ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*; illa particula, *ergo*, quandam ex dictis conſequentiam infert, *Iam ſecuris*; iam iudicium, iraque Dei inſtant; & ideo pœnitentia non differenda, ſed mox facienda eſt. Et quamuis omnes ferè doctores conueniant, quòd per *arbores* homines intelligantur, maximè tamen diſcrepant, quid per *ſecurim* Ioannes dicat. Nam D.Gregorius *homil.20. in Euangelia*, D. Athanaſius *in quæſtionibus ad Antiochum, quæſt. 43.* per *ſecurim* interpretantur Chriſtum Dominum, qui veluti ex manubrio & ferro, ex humanitate, & diuinitate conſtat. Euthymius mortem, D. Hieronymus Euangelici verbi prædicationem, quod acutiùs eſt omni gladio, D.Hilarius, Author imperfectus, D.Chryſologus *ſerm.106.* Theophylactus, Iudicium diuinum, Origenes *homil. 23. in Lucam*, D. Iſidorus Peluſiota *lib. 2. Epiſtol. 64.* S.Theodor. Studita *ſerm.103* Abulenſis, per *ſecurim* intelligunt Dei iram ſeparantem Iſraël à ſemine Abrahæ. Ac ſi dicat: Maximè vos gloriatis, quòd filij Abrahæ eſtis: ſcitote, quòd in propinquo eſt Dei ira, vt vos deſtruat, ab ipſoque benedicto Abrahæ ſemine vos diuidat, ac præcidat. Et non ait, Securis iam ſcindit; ſed *poſita eſt*; vt eos terreat, & cognoſcant adhuc eſſe pœnitentiæ tempus.

S.Thom. Abulenſ. Gregor. Athanaſ. Euthym. Hieron. Hilar. Imperfect. Chryſolog. Theophyl. Origenes. Peluſiota. Studita. Abulenſis.

119. Et ait, *ad radices*; quod idem eſt, ad caudices vt legit Tertullianus; ac etiam eius Paraphraſis. Quia, vt explicat D.Thomas, in radice fit præſciſio vniuerſalis, eius etiam quod eſt in ramis. Item, quia quod in radice exciditur, non germinat, vt ita fiat omnium malorum extirpatio. Vnde ait Imperfectus homil.3. *Vide autem, quòd non ad ramos poſita dicitur eſſe ſecuris: ſed ad radices, vt irreparabiliter extirpentur.* Quod moraliter intelligitur, vt explicant D. Paſchaſius, Abulenſis, non ſolùm de Iudæis eſſe dictum, verùm etiam de omnibus

D.Thom. Imperfect. Paſchaſ. Abulenſ.

omnibus hominibus, quòd ſi mala extirpare velint, à radice incipiant.

120. *Omnis arbor.* Sumpta metaphora ſecuris, proſequitur Ioannes, *omnis arbor*, id eſt, omnis homo, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis, vt explicat S. Thomas; quæ non facit bonum fructum. Quod explicat Euſebius *in ſermon. Caſtigat.* Quia apud Deum non ſolùm non eſt faciendum malum, ſed & bonum operandum. *Exciditur.* Ecce pœna temporalis. *Et in ignem mittitur*; deſcribitur pœna æterna. Syriacus legit: *In ignem cadit.* Quia peccator pondere ſuo in Infernum demergitur. Aliqui minus probabiliter hæc intelligunt per Titum factam Hieroſolymitanam deſtructionem.

S.Thom. Syriacus.

Matth.3.n.11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare. Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.

De hoc verſu latè capite quarto in Expoſitione, & ſequentibus.

Matth.3.n.12. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

VERSIONES.

Syriacus. In manu ipſius, & repurgat areas ſuas: & triticum cogit in horrea ſua, paleamque comburit.

Theophylact. Repurgauit aream ſuam.

Vatablus. Perpurgabit aream ſuam, paleam autem exuret

Diuus Cyrill. Alexandr. lib. 1. Theſaur. Congregabit in horreis ſuis.

Alter Textvs.

Luca 3 n.17. Idem, ac Matthæus.

EXPOSITIO.

121. Postqvam diuinus Præcurſor Chriſti Domini explicauit baptizandi, & purificandi ſuos dignitatem, ſermonem conuertit ad eius iudiciariam poteſtatem, quam per *ventilabrum* intelligit; & dicitur *in manu eius*; quia *Pater omnia dedit ei in manus.* Et *Pater omne iudicium dedit filio*, Ioan.5. num.22. *Area* eſt Eccleſia, iuxta omnium Patrum ſententiam, in qua paleæ inueniuntur tritico, permixtæ, reprobi ſcilicet cum Electis, impij cum iuſtis. *Triticum*, hoc eſt, Electos *congregabit in horrea ſua*, in cæleſtem Patriam, vbi æterna felicitate donantur immunes ab omni malo. *Paleas comburet igni inextinguibili*; hoc eſt, gehennæ igne in æternum duraturo. Et nota, quòd cæleſtis Patria, vbi iuſti regnant, dicitur horreum ſuum, hoc eſt, Dei; non verò Infernus dicitur horreum eius vbi reprobi puniuntur, hoc eſt enim horrendum chaos noſtrorum peccatorum.

Ioan. 5.

Qvæstio XXXVIII.

Quid per triticum, quid per paleas repræſentetur?

122. Ivxta ſententiam omnium ferè Patrum in tritico iuſti, in paleis reprobi deſignantur. Electi verò pulchrè in tritico exprimuntur; cùm Chriſtus eorum caput ſe ſe grano frumenti comparauerit. Triticum habet pondus, & firmitatem, qua reſiſtat aduerſis; & vbi ſeminatur, germinat, & fructificat; quæ omnia iuſtis bene conueniunt. In paleis verò bene improbi deſignantur. Paleæ ſunt leues, debiles, beſtiarum pabulum, aptæ vt igni comburantur. Ita improbi imbecilles, cum Spiritus ſancti virtute careant, qualibet leui tentatione cadunt, eſca Dæmonum, fomentum ignis. Tandem hæc concludat Diuus Gregorius Nazianzenus oratione in caput. 3. Lucæ. *Ventilabrum habet, quia repurgat aream, & quidquid leue eſt, vento obnoxium, reijcit: quidquid verò graue, in horrea ponit.* Omne enim, quod leue eſt, in via virtutis reiicitur: quod ponderoſum, ac firmum grauitate rationis in domo Dei introducitur.

Leuis in via virtutis reiicitur.

Gregor.

123. Tertullianus lib. de fuga in perſecutione, cap.1. *Domini iudicium, ait, eſt perſecutio, per quam quis aut probatus, aut reprobatus iudicetur. Hæc eſt palea illa, quæ & nunc dominicam aream purgat Eccleſiam, ſcilicet confuſum aceruum euentilans, frumentum Martyrum, & paleas negatorum.* Iuſti cum reprobis in Eccleſia ſunt, tamen per tribulationes, atque afflictiones tamquam per ventilabrum ſegregantur ab illis, eorumque virtus clareſcit, & veluti ab imperfectionum purgantur paleis. *Dediſti nos*, ait Regius Vates, *tamquam oues eſcarum, & in Gentibus diſperſiſti nos*, Pſalm. 43. num. 12. Aquila, Symmachus ita transferunt, *Et in Gentibus ventilaſti nos.* quod verbum ponderans D.Ambroſius ad locum Pſalm. ait: *Sicut triticum, ſi ventilatur, & à paleis ſeparatur, mundum eſt: ſi autem ventilatum non fuerit, mundum eſſe non poterit; ſed eſt paleis concretum, atque permixtum: ita etiam homo, ni tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque, veluti paleas, a ſe non poteſt ſeparare.*

Tertull. Pſalm. 43. Aquila. Symmach. Ambroſ.

***

CAP. XII.

Chriſtus Ieſus baptiZatur.

Matthæi 3. num. 13. Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem vt baptizaretur ab eo.

VERSIONES.

Pagninus, Arias. Tunc accedit Ieſus à Galilæa baptizari.
Theophylact. Vatablus. Tunc aduenit.

ALTER TEXTVS.

Marc. 1. n. 9. Factum eſt autem, in illis diebus venit Ieſus à Nazareth Galilæa.

EXPOSITIO.

1. SEx hîc breuiter aſſignat Euangeliſta, ſcilicet, Quando, quis, vnde, quo, ad quem, ad quid venit. De primo. *Tunc*, ſcilicet, quando Ioannes venit ad Iordanem, & prædicabat, ac baptizabat; nam quamuis antea Ioannes, præclariſſimis virtutibus perfulſiſſet, tamen tunc maximè attraxerunt Chriſtum, quando aliis proficiunt. *Venit Ieſus.* Ecce quis venit, Saluator noſter non ex indigentia, ſed ſe ipſum humiliat, vt nobis medeatur. *A Galilæa Nazareth.* Ecce vnde; non tantùm ait quòd venit ad Ioannem, ſed explicat vnde venerit, in quo magnum myſterium ſignificat; *Galilæa* enim idem eſt ac tranſmutatio; nam qui baptizantur, vt explicant D. Remigius, Albertus Magnus, D. Thomas, debent tranſmutari à vitiis, ac antiqua vitâ; *Nazareth*, id eſt, flos, & ita in contemptum reputabatur. *Nunquid à Nazareth poteſt aliquid boni exire?* Ioan. 1. num. 46. præter omnium ſpem egreditur hîc flos viuus gratiæ. *In Iordanem.* Ecce quò venit; vbi Ioannes baptizabat, & Deus olim magna myſteria operatus eſt; ad quem venit, ad Ioannem, qui baptizabat, & in quo erat gratia, docens nos, quòd talis miniſter Dei ſit quærendus, non verè qui poſſit miniſtrare mortem, & damnationem, vt eſt Satanæ miniſter; ad quid venit, vt baptizaretur ab eo, de quo multa in ſequentibus.

Virtutibus, quæ alij communicantur, delectatur Deus.

Remig. Alb. Magn. S. Thom. *Tranſmutandum ab antiqua vita.*

QVÆSTIO I.

Quare Chriſtus Dominus baptiZetur?

2. RESPONDETVR primò, vt virtutem daret aquis purgandi animas à peccatis, ſicut poſtea operatus eſt in Baptiſmo ab ipſo inſtituto, ita D. Auguſtinus *ſerm. 29. de tempore*, Gregorius Nazianzenus *orat. in Chriſti natiuitate*, D. Leo *ſerm. 4. de natiuit.* D. Hieronymus *hîc*, D. Ambroſius *in cap. 3. Luc.* D. Maximus *ſerm. 7. de Epiphania*, vnde ait D. Auguſtinus ſerm. 36. de tempor. *Saluator ideo baptizari voluit, non vt ſibi munditiem acquireret, ſed vt nobis fluenta mundaret.* Secundò. Vt eſſet manifeſtum quantum peccatum committerent homines, qui Baptiſmum à Chriſto inſtitutum contemnerent, cùm ipſe Baptiſmum hominis ſuſcipere non recuſaret. D. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 9. *Baptizatur*, ait, *vt intelligerent omnes, quanto ſuperbo ſacrilegio quiſque contemneret Baptiſma, quod à Domino deberet accipere, quando ipſe Dominus accepiſſet, quod ſeruo, vt proprium dare poſſet, ipſe præſtiterat.* Baptizatur ad humilitatis exemplum: ita D. Chryſoſtomus *homil. 22. in Matth.* D. Bernardus *ſerm. 4. de Epiphan.* Tertiò. D. Auguſtinus citato lib. 5. de Baptiſmo cap. 9. *Baptizatur Chriſtus*, ait, *vt inter omnes humillimus inueniretur, quia eius ſe Baptiſmo ſubiecit, qui ſe profitebatur non eſſe dignum, vt illius calceamenti corrigiam ſolueret.* Ex citatis verbis hanc rationem colligo, Ioannes non ſe reputabat dignum, vt calceamenta pedum Chriſti attingeret; Chriſtus verò ſe ſe Ioannis pedibus proſternitur, vt ait Auguſtinus citato loco. *Quàm ille humiliter ingreſſurus, & ſe humiliter ſequentes ad excellentiam deducturus; ſicut enim ſeruis pedes lauit, ita ſerui Baptiſmo tingi voluit. Sicut enim ſe ſubiecit pedibus eorum, quos ipſe dirigebat, ſic Ioannis muneri quod ipſe donauerat.* Vt ex hoc clareſcat quantum honorem habeamus à Deo in his, quæ pro ipſo contemnimus, & quomodo præmia accipiamus in iiſdem obſequiis, quæ præſtamus. Quartò. Idem Auguſtinus ſerm. 1. de Epiphania, *Inſinuauit*, ait, *nobis Chriſtus muneris ſui beneficium, per ſecundæ natiuitatis exemplum, & quod facere nos voluit, prior ipſe facit.* Hoc eſt præclariſſimi paſtoris ingenium, prius facere, quàm imperare. Vide *lib. 1. cap. 1. num. 29. & cap. 6. n. 30. lib. 2. cap. 5. num. 46.*

August. Nazianz. Leo. Hieron. Ambroſ. Maxim. Auguſt. Idem. Chryſoſt. Bernard. Auguſt.

Chriſtus extollit nos dum humiliamur. Auguſt. Idem.

Quintò. D. Chryſoſtomus *homil. 4. in Imperfecto.* Vt turbis ad Baptiſmum confluentibus Ioannes Meſſiam oſtenderet, & ad Baptiſmum Chriſti viam ſterneret, *Ioan. 1. n. 31.* Sextò. Vt Chriſtus Ioanni authoritatem adderet, ac, vt ait D. Ambroſius, *vt hoc ſuo lauacro Chriſtus Ioannis baptiſma comprobaret.* Ita D. Hieronymus *hîc.* Septimò. D. Bonauentura *Luc. 3.* Vt ſuo exemplo nos doceat Chriſtus, quòd quamuis ſuperiores ſimus, non dubitemus nos inferiori miniſtro gratiæ ſubiici. Octauò. Hugo, *Chriſtus antequam prædicet, venit ad Baptiſmum, vt te doceat, quòd prius quilibet ſe debet opere pœnitentiæ lauare, & tunc prædicare.* Nonò. Zacharias Epiſcopus, *Vt Ioannis baptiſma comprobaret, & in lauacro credentium aduentum ſancti Spiritus monſtraret.* Decimò. D. Auguſtinus *ſerm. 1. de Epiphania*, aliàs *24. de tempore. De illo*, inquit, *guttæ Baptiſmatis fluebant, ſed noſtra in guttis crimina influebant. O miſericordia ſimul, & potentia! nec dum eramus in mundo, & iam abluebamur in Baptiſmo. Mundati in illo ſumus antequam nati.* Magnum & ſingulare Dei beneficium non expectare poſtulationem, ſed præuenire petituros, & antequam nati eſſemus, & aliquid rogaremus, iam in ipſo munditiei beneficium ſumus adepti. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis*, Pſalm. 20. num. 4. Sed quæ benedictio dulcedinis eſt iſta? Ipſe Propheta explicat, *Præueniſti.*

3. Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. Bonauent. Hugo. Zachar. Auguſt.

Magnum beneficium non expectare petitionem. Pſalm. 20.

Bene

beneficentia enim, quæ ante petitionem parat benedictionem, in dulcedine eſt. D. Bernardus ſermon. 39. de Paruis. *Meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur ea, quæ præuenit.*

Bernard

4. Vndecimò. D. Auguſtinus *lib. 3. de mirabilibus ſacræ Scripturæ c. 3.* ita ait. *Ad baptiſmum deſcendit Dominus Ieſus, non quòd baptiſmi Sacramento, & lauacro egeret, ſed vt aquas, quas quamuis in delicto Adæ Deus non maledixerit, terræ, quæ continebantur, maledictione infectas purgaret.* Et ſatis eleganter; venit Chriſtus Dominus ad Baptiſmum non propter ſui munditiem, ſed vt aquas mundaret; nam quamuis propter peccatum Adæ terra, & non aquarum congregatio maledicta fuerit, *Maledicta terra in opere tuo*, Geneſ. 3. num. 18. quia tamen aquæ maximè proximæ, ac contiguæ ſunt terræ maledictæ, inde tamen aliquam labem contraxerant, ideo neceſſe fuit à Domino purgari, ac purificari. Vide *lib. 2. c. 4. num. 97. &* 102. Duodecimò. Chriſtus D. totius puritatis fons nullas maculas habebat, & tamen vult baptizari. D. Chryſoſtom. *tom. 5. Oratione* 2. de Baptiſmo Chriſti in eius perſona ſic loquitur. *Legiſlator ego ſum, & legiſlatoris filius, neque oportet primum per ea omnia, quæ conſtituta ſunt, venire.* Chriſtus ait, quòd vult ſuſcipere Baptiſmum, quia legiſlator, & filius legiſlatoris eſt; ipſemet Dominus Dixit Petro, *Quid tibi videtur Simon; Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis*, Matth. 17. n. 26. Reges terræ non quærunt tributa à filiis, & tamen legiſlatoris filius vult ſoluere tributum Baptiſmatis? Perpende verba, intellige myſterium. Ait Chriſtus, *Reges terræ*, nam aliter philoſophandum de Regibus Cæli, ac ſpiritualibus. Nam Reges Terræ ipſi & filij eius ratione poteſtatis ſe exiſtimant liberos, ac exoneratos à lege, nam principatum non onus, ſed exemptionem, ac licentiam viuendi reputant. At Reges ſpirituales, & conſtituti à Deo, quia tales, ſe ſubdunt legi, nam dignitatem, non feriationem, ſed ſarcinam; principatum, non dominationem, ſed ſplendidam ſeruitutem iudicant; ſe ad tantum apicem euectos agnoſcunt, non vt deliriis indulgeant, ſed vt magnis curis ſe exerceant, & vt totius populi onus ſuper humeros ſuos aſportent; vnde bene colligit Chryſoſtom. quòd Chriſtus voluerit Baptiſmum amplexari, *quia legiſlator ſum, & filius legiſlatoris.* Vide *lib. 1. cap. 5. n. 161.*

Auguſt. Geneſ. 3. *Ex approximatione malorum labes.* Chryſoſt. Matth. 17. *Dignitas ſarcina & onus.*

5. Decimotertiò. Lauatur Chriſtus Ioannis Baptiſmo, vt à natura humana hoc paruum obſequium accipiat, à nobis parua, ac minuta obſequia exigit, vt nobis magna beneficia largiatur. Quamuis Deus parentem Adamum in tanto conderet honore, non tamen ei conceſſit in eſcam omnia animalia, volucres, ac piſces maris, ſed tantùm hæc Noë dantur. *Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum*, Geneſ. 9. n. 2. Quare verò hæc reſtauratori, non verò primo parenti dantur: *Noë ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus obtulit holocauſta ſuper altare*, Geneſ. 8. n. 20. Quia parum conſecrauit in Dei holocauſtum, ab ipſo ita largè muneratur, vt omne animal volatile, terreſtre, & aquatile ei tradatur tamquam olera virentia in cibum. D. Chryſ. hom. 26. *Cùm*, ait, *egreſſus eſſet ex arca, facta gratiarum actione, etiam tunc maioribus beneficijs diuina gratia ipſum cumulauit. Mos enim diuinæ miſericordiæ eſt, vt ſi nos tenuia quædam, & vilia obtulerimus, multa liberalitate nos remuneratur.* Quod eleganter ponderat Sanctus Pater, quia noſtræ gratiarum actiones ſunt verba, beneicia verò Dei opera, ita ait. *Nos ſi quid voluerimus offerre, quid amplius offerre poſſumus, quàm quantum verbis gratias referimus? Et ſanè quæ ipſe exhibet, opere præſtat. Quàm imparia ſunt verba & opera.* Deus à Patribus antiquis voluit ſibi oferri ſacrificia, in quorum recompenſationem ſemetipſum obtulit in holocauſtum in ara crucis, ac quotidie in ſacrificio Altaris; vt inde innoteſcat infinita diſtantia inter præmium, ac obſequium. Deodorus in Caten. ad c. 8. Geneſ. *Permiſit*, ait, *Deus ipſe, Abel, & Noë, & Abraham, Iſaac, & alios ſanctiſſimos Patres ſibi ſacrificia offerre, quia quandoque & ipſe pro ſalute mundi immolandus erat.*

Ob paruum obſequium Deus magna largitur. Geneſ. 9. Geneſ. 8. Chryſoſt. *Cur ſacrificia à Patribus antiquis.* Deodor.

QVÆSTIO II.

Quare admirabile opus Baptiſmi à Ioanne, & non ab alio ſuſcipiat Chriſtus?

6. QVATVOR fuere actiones, in quibus præ cæteris ſuam modeſtiam, ac animi ſubmiſſionem Chriſtus Dominus maximè declarauerit, ſcilicet, Circunciſio, Baptiſmus, lotio pedum diſcipulorum, & in cruce ſuffixio. Inter hæc admirabilia maximè reſplendet diuina humilitas in Baptiſmo. Multo grauius eſt crimen perſonale originali. nam hoc parentum culpa, illud verò noſtra voluntaria nequitia contrahitur; ergo quamuis Chriſtus omni labe fuiſſet immunis, dum tamen in forma ſerui extitit, multo profundius humilitatis ſignum exhibuit, tam actualem, quàm originariam maculam in ſe repræſentari paſſus eſt? Baptiſmus ille Ioannis erat in remedium actualium peccatorum, ſi quidem diſpoſitio ad pœnitentiam erat, vt dixi *c. 1. q. 16. n. 50.* Circumciſio verò ad mundandum ab originali inſtituta fuit; deinde, quanto maius argumentum humilitatis eſt mundari ab aliis, quàm mundare, tanto amplius Chriſti exemplum lauari in Baptiſmo, quàm lauare pedes diſcipulorum. nam qui lauatur, ſordidum ſe profitetur; qui verò lauat, mundum, ſeu mundantem ſe dicit. In crucifixione Chriſtus Dominus ſe voluit reputari pro delinquente contra Cæſarem. Vide *lib. 2. cap. 3. q. 7. num. 29.* In Baptiſmo verò Chriſtus Dominus qui peccatum non fecit, in opinione vulgi peccatorem contra Deum non recuſat reputari. Tamen Chriſtus baptizatur tum ob noſtram vtilitatem ob rationes datas ſuperiori quæſtione, tum ob honorandum ſuum Baptiſtam: de qua re latè loquitur D. Gregorius Thaumat. ſermon. de Chriſti Baptiſmo. *Quod minus eſt, à maiori, ac potiore benedicitur; non autem quod potius à minore benedicitur & ſanctificatur. Lucerna à ſole vndique illuſtratur, non ſol à lucerna illuminatur.* Et latè diſcurrit Sanctus Pater, tamen author benedictionum, vt Ioannem extolleret, ab eo vult habere benedictionem.

Baptiſmus præclariſſimū Chriſti opus. Greg. Thau. *Ioannes extollitur.*

7. A Ioanne baptizatur Chriſtus, & non ab alio, tum quia Ioannes extitit primus in toto orbe terrarum, qui vſum baptizandi introduxit, vt dixi *ſuperiori cap. quæſt. 17.* tum vt teſtimonium haberet à Ioanne, à quo erat oſtendendus populo

de

Magna ſanctitas Ioãnis.

de quo ſtatim dicam. Iandem, & tertiò. Ioannes ob ſuam eximiam ſanctitatem, ac puritatem meruit carnem Chriſti manibus tractare, ac ſanctum eius verticem attingere. D.Iſidor. Peluſiota lib.1.

Peluſiota.

Epiſt.69. *Vitæ ſanctitas*, ait, *hoc Ioanni præſtitit, vt incarnatum Deum baptizaret: vt qui dignam tanto ſacramento puritatem aleptus eſt.* In tantum enituit virginalis puritas carnis Ioannis, vt ipſum Deum tangeret, ac manibus deprehenderet, quod elegantiſſimè in magnum Ioannis elogium ex-

Tertull.

pendit Tertull. lib. de Monogamia cap.8. *Qui*, inquit, *non tantùm prædicauit, aut demonſtrauit coram, verùm etiam baptizauerit Chriſtum. Quis enim corpus Domini dignius initiaret, quàm eiuſmodi caro, qualis & concepit illud, & peperit.*

Ioannis caro carnem Virginis adumbrat.

Quamuis Virginis Mariæ caro tranſcendat omnem puram creaturam in ſanctitate, ac puritate, vt nulla alia caro ei poſſit comparari; tamen Doctor comparat aliqualiter carnem Ioannis cum carne Virginis, quia ad hoc vt Præcurſor Chriſtum manibus haberet, exigebatur, vt eſſet caro Virgo, quid præſtantius dici poteſt in laudem Ioannis? Et quid mirum cùm de ipſo dicat Euſebius ho-

Euſebius.

mil.1. de S. Baptiſta, *Ioannes humanorum fugit menſuram meritorum.*

Qvæstio III.

Quare Chriſtus baptizatur potius in Iordane, quàm alio loco?

8. Rationes, ob quas Ioannes potius baptizabat in Iordane, quàm alio loco, latè explicaui ſuperiori c. *quæſt.*18. & etiam; vt ibi dixi, *num.*56. Ioannes in aliis locis baptizabat. Vt di-

Ioann.3.

citur *Ioan.3. num.*23. quòd *Ioannes erat baptizans in Ænnon iuxta Salim.* Cur Chriſtus hoc lauacrum ſuſcipit potiùs in Iordane.

9. D.Paſchaſius *lib.2. in Matth.* & S. Chromat. in illa verba, *Ego à te debeo baptizari.* Reſpondet primò. Quia populus Iudæorum circunciſus per Iordanem, imò per illum locum vbi Ioannes baptizabat, ingreſſus eſt in terram promiſſionis. *Rectè ergo*, ait, *vt eo baptizaretur fluuio, in quo iam figura baptiſmi, præceſſerat.* Secundam rationem

Paſchaſ.

aſſignat idem Paſchaſius. *Vt ex nomine*, ait, *quid in eo geſtum ſit apertiùs deſignetur. Iordanis namque deſcenſus eorum dicitur. Quorum? Niſi eorum*

Qualis Baptiſmus.

qui de ſupercilio ſuperbiæ ad Chriſti humilitatem deſcendunt, & ſuis ibi abluuntur criminibus. Satis itaque prouidè per Iordanis nomen totius Baptiſmi operatio prædicatur. Ex Iordane, qui ſignificat deſcenſus, innuitur qualis debeat eſſe acceſſus ad Baptiſmum, deſcendendo ab omni faſtu ſuperbiæ ad Chriſti humilitatem. Tertiò. Idem Sanctus Pater inquit. *Iordan, vt aiunt, duobus conſtat fluminibus, ex Ior videlicet, atque Dan, quibus ita iunctis Iordan faciunt. In quo Chriſtus inter reliqua ideo myſticè baptizatur, vt duas ſibi leges ſimul iunctas daret.* Ad ſignificandum quòd duo populi per Baptiſmum in vna fide vniebantur, ideo in hoc flumine baptizatur.

10. Quartò. Vt illuſtrius eſſet Ioannis teſtimonium de Chriſto, nam in Iordane confluebat magna frequentia populorum ad Baptiſmum Præ-

Matth.3.

curſoris. Matth.3.n.5. *Exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.*

Quintò. Circa hoc flumen maximè veneratus eſt D. Ioannes: nam ibi ad eum exibat omnis Hieroſolyma, & omnis regio circunuicina, & Chri-

Honoratur Ioannis locus.

ſtus Dominus ita deuotus erat ſuo Baptiſtæ, vt non ſolùm ipſum velit extollere, ſed etiam locum in quo ille honoratus eſt, intendit nobilitare. Crucifigitur Chriſtus in monte caluario *Ioan.19. num.*17. & cur non in alio loco? In illo obtulit Abrahamus ſuum filium in holocauſtum Deo, vt docent Lyranus, Lyppom. *ad c.22. Geneſ.* ideo ille locus ad Chriſti mortem eligitur, vt ob tantum obſequium non ſolùm Abrahamus, ſed etiam ipſe locus condecoretur. Procopius, *ibi*, ſcilicet in caluario, *Crux Chriſti affigitur, vt ex eius pretioſo ſanguine mons ille maiorem haberet amplitudinem.*

Lyran.
Lyppom.
Procop.

Qvæstio IV.

Quare Chriſtus venerit ad Ioannem, & non ille potiùs ad Chriſtum?

Manifestvm eſt quòd ſeruus debebat venire ad Dominum; cur ergo Dominus ad illum venit? Reſpondeo primò, quòd quamuis Ioannes Chriſtus adoraſſet in vtero, & certò ſciret ipſum iam veniſſe, & eſſe inter homines, tamen modò non cognoſcebat eum determinatè quis eſſet; vt ſtatim dicam *quæſt.*5. ex Scriptura, & ſanctis Patribus, & ideo conuenienter non poterat quærere Chriſtum. Secundò. Chriſtus venit ad Baptiſmum ad Ioannem, vt docent Imperfectus *homil.*3. D.Paſchaſius, Euthym. D.Bonauent. Abulenſis *q.*72. vt haberet teſtimonium à Ioanne, quod erat miræ excellentiæ, & authoritatis, vt dixi *ſuperiori cap.q.15.n.*58. *Si* autem Ioannes veniret ad Chriſtum, eſſet in aliquo loco occulto, & ſeparato; vt ergo Chriſtus manifeſtaretur omni populo, venit ad locum in quo erat Ioannes, ad quem confluebat omnis Iſraël, & tanta auiditate, vt omni labori parcerent, vt ad Ioannem venirent, vt notat S.Nilus in Aſcetico. *Nam videndi viri cupiditas omnem ſenſum moleſtiæ abſtergebat, virtutiſque ſpectaculum laboris, & incommoda leniebat.* Tertiò. Chriſtus hoc Baptiſmate voluit ſuum Præcurſorem condecorate; ergo Chriſtus in quo erat honor, venit ad Ioannem, quia honores vt extollant, nos debent quærere, non verò è contra nos illos perſcrutari.

11.
Imperfect.
Paſchaſ.
Euthymius.
Bonauent.
Abulenſ.
Nilus.
Honores vt honorent nos quærant.

12. Quartò. In Ioanne repræſentatur humana natura, Chriſtus ad ipſum venit, quia adeò tardus homo eſt, vt niſi Deus ad illum deſcendat, ac veniat, minimè ipſe Deum exquiret, ac ad illum accedet. Dum Chriſtus doceret diſcipulos ſuos orare, ait vt petant à cœleſti Patre, *Adueniat regnum tuum*, Matth.6.num.10. Nónne facilius erat dicere, adueniamus in regnum tuum? Nunquid exorandum eſt, vt ipſummet cælum inclinetur, vt nos in ſe recipiat? Ita piger eſt homo, vt niſi cælum ad ipſum deſcendat, minimè ille ad Deum velit aſcendere. Pulchrè D. Laurentius Iuſtinian. *Torpori noſtro*, ait, *conſentaneam poſuit petitionem, nec enim voluit regnum à nobis quærendum, ſed quòd ipſum nos quærat.* Cùm Iacob tenderet in Meſopotamiam, & obdormiſſet in itinere, *Vidit in ſomnis ſcalam, cacumen illius tangens cælos: Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes,*

Matth.6.
Niſi Deus quærat hominem, ipſe non ſe mouebit ad illum.
Laurent.

& Dominum innixum ſcalæ, Geneſ.28. num.12. Cur Iacob Angelos non intendit comitari, ac eorum exemplo excitari, vt etiam per gradus ſcalæ velit conſcendere, erat homo, & ita piger, vt affectaret, quòd Angeli ad ipſum venirent, & ſuis manibus aſportarent in cælum, abſque eo quòd ipſe aliquem greſſum faceret. D. Brunus eleganter, *Non ſatis erat*, ait, *aſcenſuro, vt Deus vtroque humero firmaret ſcalam, niſi vt portaretur ab Angelis, ne ipſe vellet pedem mouere.* Et hac de cauſa, vt notat B.Pater, quando Deus tranſtulit parentem Eliam in paradiſum, 4. *Reg.*1. non ſcalam, ſed currum obtulit, in quo ſedens Elias portaretur, ne ſicut olim Iacob, ſi calcaret gradus ſcalæ, reſpueret paradiſum.

Brunus.

Matthæi 3. num.14. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

Versiones.

Syriacus. Ego quidem neceſſe habeo baptizari à te.

Pagninus, Vatablus. Mihi opus eſt, vt à te baptizer.

Arias. Ego vſum habeo à te baptizari.

Fauſtin. Presbyt. lib. cont. Arrium. A te debeo baptizari, & tu veniſti ad me.

Expositio.

13. Vt ait D. Gregorius Thaumat. ſermone de Chriſti Baptiſmo, *Quaſi vnus è vulgo acceſſit Chriſtus, ſéque ipſum inter captiuos refert Redemptor, ſéque ouibus perditis coniungit Paſtor bonus.* Cernens Saluatorem Ioannes tam ratione excellentiæ Chriſti, quàm ratione ſuæ eximiæ humilitatis, *prohibebat eum*; & rationem huius prohibitionis apponit diuinus Præcurſor, (nam omnia non voluntate, ſed ratione diſponenda ſunt.) *Ego à te debeo baptizari*; & quamuis bene cognoſceret Ioannes, ſe ab omni macula originali eſſe in vtero ablutum, ac ſanctificatum, tamen ſibi Baptiſmum opus eſſe, ac ſe immundum haberi profitetur; tum ob præſentiam diuini verbi, tum propter venialia peccata, vt ait ait Albertus Magnus, vel propter infectionem naturæ humanæ, vt ait S.Thomas; vel loquebatur de Baptiſmo ſpirituali ſanguinis Chriſti, quo redimendus erat, & fortè ad hoc reſpicit lectio Arias. *Ego vſum habeo è te baptizari*, quia iam virtute ſanguinis Chriſti anticipatè mundatus erat ab originali, vt de gratia data Patribus antiquis dicitur, *Tu venis ad me*, non veniſti, vt legit Fauſtus, ſed venis de præſenti; nam animus gratus beneficia accepta ſemper habet, & conſiderat in præſenti.

Thaumat.
Alb.Magn.
Gratus ſemper beneficia habet ante oculos.

***

Qvæstio V.

Quomodo Ioannes cognouerit Chriſtum dum hæc verba profert.

14. Magna difficultas eſt in hac quæſt. Quia quamuis Ioannes Chriſtum in vtero, ex vtero adorauerit, tamen cùm poſt natiuitatem Chriſtus cum matre abiiſſet in Ægyptum, & Ioannes in deſertum vſque in diem oſtenſionis ſuæ in Iſraël, *Lucæ 1. num.*80. Et hac de cauſa dicebat ipſe Ioannes de ſe, Ioan.1.n.33. *Ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Cùm ergo Ioannes bene agnouiſſet Chriſtum eſſe in mundo, tamen determinatè eum non nouerat, & ideo datum eſt ei hoc ſignum, & tamen antequam videret ſpiritum deſcendentem, hic loquitur, & prohibebat eum, & dicebat: *Ego à te debeo baptizari.* Ecce tota difficultas.

Ioan.1.

15. Abulenſis *hîc quæſt.*76. conſtanter tenet, quòd quando Ioannes hæc verba dicebat, non cognoſcebat determinatè illum hominem Chriſtum verum eſſe Meſſiam, quia hoc erat antequam videret ſpiritum deſcendentem ſuper eum: ſi verò prohibebat eum, & dicebat Ioannes, quòd ab eo debebat baptizari, ait Abulenſis, quia ex apparentia, ac modeſtia videbat eum virum ſanctiſſimum, & ex vrbanitate hæc dicebat, ac ei deferebat hunc honorem, *Ego à te debeo baptizari*, iuxta Apoſt. ad Rom.12. num.10. *Honore vos inuicem præuenientes.* Deinde ratione humilitatis, quia humiles in ſe nihil vident, niſi defectus; in aliis verò multa magna conſiderant.

Abulenſ.
Inter iuſtos vrbanitas.
Rom.12.

16. Nihilominus mihi videtur vera ſententia, quòd quando Ioannes hæc dicebat, clarè agnouerit illum hominem Chriſtum determinatè verè eſſe Meſſiam, & Saluatorem, ita D.Chryſoſt. *homil.16. in Ioan.* D. Gregorius Thaumat. S. Chromatus *de Chriſti Baptiſm.* D.Anſelmus, Euthym. & alij *hîc.* Quia quamuis viri iuſti accederent ad Ioannem, tamen non prohibebat eos, ſed baptizabantur ab illo, vt dixi ſuperiori cap. *n.*87. Deinde Ioannes ad nullum alium poterat verè dicere, *Ego à te debeo*, ſeu opus habeo, *baptizari*, niſi tantùm ad Redemptorem mundi. Quomodo ergo Ioannes de ſe dixit, *Ego neſciebam eum.* D. Auguſt. *lib.2. de conſenſu Euang. c.10. & lib.5. de Baptiſmo, c.*13. explicat, neſciebam eum antea, quantum ad vim remiſſiuam peccatorum per Baptiſmum. Tamen non multum cohæret cum textu, quia Ioanni dictum erat, *Ipſe eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto*; ergo iam cognoſcebat vim Baptiſmatis Chriſti. Beda *in c.2. Ioan.* quòd licèt Baptiſta cognouiſſet Chriſtum, tamen quando vidit ſpiritum deſcendentem ſuper eum, tam alta & abſcondita myſteria ei fuerunt reuelata, vt omnis notitia, quam antea habebat, reſpectu illius eſſet veluti quædam inſcientia.

Chryſoſt.
Thaumat.
Chromat.
Anſelm.
Euthym.
Auguſt.
Beda.
Quãta Ioannes cognouerit in Baptiſmo.

17. Germana intelligentia eſt, quam tradunt Lyranus *hîc*, Toletus *in cap.1. Ioan. annot.*72. Salmeron *tom.4. part.1. tract.*7. quòd Ioannes ante Baptiſmum non agnouerat determinatè perſonam Chriſti, & de hac re ei duplex reuelatio facta eſt; vna de Spiritu ſancto ſuper ipſum veniente, de qua eſt ſermo Ioan. 1. num. 32. *Vidi ſpiritum*

Lyran.
Toler.
Salmer.

deſcendentem, de quo infrà *in hoc cap.* Secunda facta eſt, quando vidit Ioannes hîc Chriſtum venientem ad ſe, nec enim fieri poterat, vt Chriſtus, & Ioannes eſſent ſimul, & ſe non agnoſcerent intimè. Et ſignum datum eſt ad maiorem confirmationem cognitionis Baptiſtæ de Chriſto. Sed quare de ſecunda reuelatione tantùm fit mentio *Ioan.*1. & non de prima, quando vidit Chriſtum venientem ad ſe. Reſpondeo primò, tum propter multitudinem myſteriorum, quæ in ſecunda aperta ſunt; tum quia prima reuelatio quòd ille homo eſſet Chriſtus, erat communis multis, vt Apoſtolis, diſcipulis, & aliis piis hominibus, vt cæco à natiuitate, *Ioann.9. num.* 38. Centurioni, *Matth.27.num.*54. Nathanaeli, ac multis. Secunda verò reuelatio, dum cæli aperti ſunt, vox Patris audita eſt, Spiritus ſanctus viſus eſt, extitit valde mirabilis, & extraordinaria, vt nulli legatur conceſſa, & magnalia Ioannis, adeò ſunt ſuperexcellentia tot, & tanta, vt in eis narrandis Euangeliſtæ ſolùm commemorent quæ ei peculiaria ſunt, & nemini data. De hac quæſt. latiùs *cap.5.quæſt.9.& 10.*

Ioannis magnalia valde peculiaria.

QVÆSTIO VI.

Quare Petrus bis decertet, ne à Chriſto lauetur, Ioannes tantùm ſemel, ne cum baptizet.

18. IN cœnaculo Petrus bis contendit ne à Chriſto abluatur. *Domine, tu mihi lauas pedes*, Ioan.13.num.6. & iterum, *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Ioannes verò quantum ex litera colligitur, ſemel prohibuit, ſemel dixit, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quare hoc? Reſpondeo primò, quòd cùm Apoſtoli ante aduentum Spiritus ſancti haberent aliquales imperfectiones, ideo Petrus tanta concertatione, licèt aliàs ob humilitatem, reſtitit his, quæ à Domino fiebant: at Ioannes cùm eſſet in magna gratia, ac perfectione, quamuis ſuæ abiectioni hoc maximè repugnaret; tamen facilè ſe ſubmittit, ac obtemperat Domini mandatis. Sicut & Beatiſſima Virgo cum maxima demiſſione animi ſemel dixit Angelo Incarnationem annuncianti, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* D.Carthuſianus, *Ioannes cùm eſſet tam iuſtus, & ſanctus, non erat contentioſus, ſed promptè mandatis obedit.* Deinde, vt optimè ait D.Paſchaſius in præſenti. *Ioannes refugit ex ſua infirmitate pauidus, & obedit ex diuina inſtitutione ſecurus. Nihil enim poteſt mortalitas formidare ex merito, vbi Deus totum cooperatur ex dono.*

Ioan.13. *Magna ſubiectio Ioãnis.* Carthuſ. Paſchaſ.

19. Secundò. Petrus pro tunc non capiebat cæleſtia myſteria, quæ Ioanni iam erant patefacta. D.Paſcha.ſ lib.2. in Matth. *Quia profectò, quamuis Ioannes ſciret, quantus & qualis eſſet Chriſtus, multa dumtaxat in momento didicit, quæ antea neſciebat.* Quantum verò D. Ioannes penetrauerit diuina myſteria, & ad quam altitudinem ſcientiæ peruenerit, explicat D.Bernardus ſermon. de priuileg. Ioan. *Hoc Ioannes legitur in vtero aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem longiori promiſſione meruit obtinere.* Quod per longum tempus cum Chriſto, ac in die Pentecoſtes, de hoc loquitur S.Pater, Apoſtoli ſunt aſſecuti, hoc totum habuit Ioannes in vtero, quid & quantum erit, quod poſtea cognouerit? Tamen vt eius fides, ac obedientia manifeſtetur, recuſat Dominum baptizare. D.Maximus homil.8. de Epiphania. *Non ignorabat*, ait, *Prophetarum ille præcipuus à ſe Dominum baptizandum, ſed miniſterium ſuum noluit ſine confeſſione complere; itaque & fides confeſſa eſt Dominum, & obedientia impleuit obſequium.*

Idem. *Ioannes maximè cognouit cæleſtia myſteria.* Bernard. Maxim.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Ioannes à Chriſto fuerit baptizatus, & cur hoc non explicent Euangeliſtæ?

COMMVNIS ſententia eſt affirmatiua, D.Chryſoſt. *homil.4. in Imperfecto*, D. Auguſt. *ſermon.4. de S. Ioann.* Euthymij, Carthuſ. & aliorum *hîc*, & res manifeſtè, meo iudicio, colligitur ex textu; tum quia Ioãnes ait, *Ego à te debeo baptizari*; cur hoc non fieret? Aut quis prohiberet, tum quia Chriſtus dixit, *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam*; non enim ait, decet me, ſed *decet nos implere omnem iuſtitiam*; ergo dicencendum eſt quòd poſtquam Ioannes Chriſtum tinxit aquâ, ab illo ſalutari lauacro ablutus eſt. 20.

Chryſoſt. Auguſt. Euthym. Carthuſ.

Quare ergo ſacri Euangeliſtæ Ioannem à Chriſto eſſe baptizatum non exprimunt, cùm Chriſti lauacrum à præcurſore miniſtratum declarent? Reſpondeo quòd Baptiſmus, ordinariè loquendo, ſupponit peccatum, ac imperfectionem, à quo homo abluitur; Euangelium autem ſcribebatur Eccleſiæ fidelibus, quibus erat manifeſtum, quòd cùm Chriſtus eſſet Deus, & homo, baptizabatur, non quia infectus eſſet aliqua macula, ſed vt totam legem impleret, ac ob exemplum noſtrum, ſicut & circuncidi voluit; at præcurſor cùm ſit purus homo, qui baptizatum legeret, poterat ſuſpicari eum aliqua graui labe propria maculatum, aqua mundari hoc lauacro eſſe neceſſarium; ne quis ergo in aliquam ſiniſtram ſuſpicionem circa puritatem, ac ſanctitatem Baptiſtæ incideret, ideo eum eſſe baptizatum ſiluerunt ſacri Euangeliſtæ. 21.

In præcurſore tacetur id quod poteſt maculam denotare.

In tanta veneratione extitit diuinus præcurſor, vt quamuis purus homo, nunquam de eo legitur id quod ſuſpicionem defectus innuit, ſed tantùm id quod eximiam puritatem, ac magnitudinem declarat. Apparet Angelus Zachariæ in templo deferens fœliciſſima nuntia de Præcurſore, & ait, *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium*, Luc.1.num.13. cur non dixit concipiet, & pariet, ſicut & B.Virgini dictum eſt, *Concipies, & paries filium*, Luc.1. num. 31. Conceptio natiuitatem antecedit; ergo illa prior erat exprimenda. Conceptio Ioannis originariam maculam importabat, natiuitas verò gratiam, & magnum præſagium cæleſtium donorum; & dum de Ioanne tractabatur, non eſt auſus Angelus dicere quæ maculam denotabant, ſed tantùm in medium affert quæ gratiam, & magnitudinem publicabant. Cùm ſanctiſſima Virgo ſalutaſſet Elizabeth, ipſa exclamauit, ac dixit, *Exultauit infans in vtero meo*, Luc.1.n.41. In quibus verbis, vt communiter docent Patres, ac Doctores, & nos ſuprà diximus, Ioannis ſanctificatio, ac emundatio à peccato originali denotatur. Sed cur hoc non expreſſit 22.

Luc.1. Idem.

D.Euang.

Iſai 6. Ezech.16.

D.Euang. ſicut dictum eſt Iſaiæ 6.num.7. *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Et Ezech.16.num.30. *Mundabo cor tuum*, & ſæpe de aliis; ſed tantùm *exultauit infans.* Mundatio, & purificatio innuit, ac præſupponit ſordes: exultatio lætitiam, gratiam & magnitudinem. Alta Dei prouidentia omiſit Euangeliſta dicere de Ioanne, quæ labem, ac imperfectionem poterant deſignare, & ſolùm quæ celſitudinem declarabant, alta voce diuulgauit.

QVÆSTIO VIII.

Quare Ioannes dixerit Chriſto: Tu venis ad me; *& non:* Tu baptizaberis à me?

23. NON ait Ioannes, tu baptizaberis à me, quod erat conſequentius ad id quod dixerat, *Ego à te debeo baptizari.* Sed, venis ad me; ad quod eleganter reſpondet D.Chryſoſtomus *homil.12. in Matth.* Theophylact. *Non auſus fuit dicere*, inquit, *& tu baptizaberis à me, ſed tu venis? Tam pius erat.* Quòd Chriſtus veniret ad Ioannem, ſingulare erat beneficium erga ipſum, quòd verò Ioannes Saluatorem baptizaret, aliquale erat obſequium: & animus gratus Ioannis ſolum recordatur, & loquitur de beneficio accepto, non verò de miniſterio, ac ſeruitio exhibendo. Vide *lib.1. cap.5. num.169. & lib.2. cap.1. num,99.*

Chryſoſt. Theoph. *Gratus recordatur de his quæ accipit, non verò exhibet.*

24. Secundò. Quòd tantus Dominus veniret, & quæreret ſeruum, & non ſeruus illum, poterat videri aliqua reprehenſionis nota in Ioanne; at quòd tantum Dominum baptizaret, index erat eximij honoris, ac præclaræ maieſtatis. Animus autem humilis, ſemper quod defectuoſum apparet conſiderat, quod magnum, & excelſum eſt, neſcit.

Humilis defectus conſiderat, dignitatem ignorat.

25. Tertiò. Titus Boſtrenſis *ad cap. 1. Luc.* dum conſiderat verba Eliſabeth, *Vnde hoc mihi?* ita ait, *cuiuſmodi verba ſuo poſtea tempore depromptusrus erat Ioannes, eiuſmodi ferè hoc loco depromit mater illius Eliſabeth, vt ille indignum ſe pronunciabat, qui Chriſto proximè aſſiſteret: ita hæc quoque Deiparæ Virginis præſentiæ indignam ſe pronunciabat.* Cùm Eliſabeth in vtero haberet Ioannem, Virginis viſitatione ſe indignam reputans, ait, *Vnde hoc mihi, vt veniat ad me Mater Domini mei*, Luc.2.n.43? Eadem verba ſecundùm ſenſum habet Ioannes, dum ad ſe accedens videt Verbum Incarnatum, ſolet enim bona indoles parentum virtutes maximè referre, & ſemper filius verbis, ac factis parentes ſuos imitatur. Dixit Chriſtus Dominus Iudæis, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, Ioann. 8.n. 58. cùm tamen iuxta rigoroſum modum loquendi dicendum erat, antequam Abraham fieret, ego eram. Æternus Pater de ſe loquens ad Moyſem ait, *Ego ſum qui ſum*, Exod.3. num.14. Chriſtus vt ſui patris ſe filium declaret, eodem verbo, ac methodo vtitur. D. Chryſoſtomus homil. 54. in Ioann. *Sed cur*, ait, *non dixit, priuſquam Ababam fieret, ego eram; ſed, ſum? Quẽadmodum pater hoc verbo*, ſum, *vtitur, ita & Ieſus.* Cùm iunior Tobias comitante Angelo ingreſſus eſſet ad Raguelem, dixit bonus vir vxori ſuæ Annæ. *Quàm ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo*; ſcilicet, Tobiæ ſeniori, *Tob.7.num.* 2. Raguel penitus ignorabat, quiſnam eſſet ille adoleſcens, vt patet *ibidem num.5.* nam ideo dixit, *Vnde eſtis iuuenes? Noſtis Tobiam fratrem meum? Cui Angelus dixit: Tobias de quo interrogas, pater eſt iſtius, quo audito, ille expauit.* Vnde ergo deprehendit adoleſcentem Tobiam ſeniorem exprimere, cùm modò ad illum eſſet ingreſſus? ex nullo alio, niſi ex verbis, & moribus, & ita iuuenis parentem ſuum referebat, vt qui videret vnum, videret alterum. Lyran. *Similis eſt iuuenis iſte conſobrino meo, ſcilicet, Tobiæ ſeniori, cuius filius erat, valde ſimilis mente.*

Boſtrenſis. *Bonus filius correſpondet paternis virtutibus.* Luc.2. Ioan.8. Exod.3. Chryſoſt. Tob.7. Lyran.

Matthæi 3. *num.*15. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Sine modò; ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Tunc dimiſit eum.

VERSIONES.

Syriacus. Sine nunc, ſic enim decet nos adimplere omnem rectitudinem: & tunc omiſit eum.

Pagninus. Omitte nunc, ſic enim iam decens eſt nobis, vt impleamus omnem iuſtitiã.

S. Chrom. de baptiſmo. Sic enim oportet nos implere.

Arias. Sine interim, *&c.* Implere omnem iuſtificationem.

Petr.Bleſenſ. ſerm. 3. de S.Nicol. Implere omnem humilitatem.

Vatablus. Complere omnem iuſtitiam. Tunc ſiuit illum.

Arabicus. Perficere omnem, *&c.*

ALTER TEXTVS.

Marc.1.n.9. Et baptizatus eſt à Ioanne in Iordane.

EXPOSITIO.

IOANNES dixerat, *Ego à te debeo baptizari.* Chriſtus ait, *ſine modò*; ac ſi dicat, nunc non eſt tempus iſtius humilitatis, & poſtea ego te baptizabo, ita explicant D.Hieronymus, D.Thomas illud aduerbium, *modò, ſic decet nos*, ſcilicet, me & te, vt clariùs explicat D.Anſelmus. Vnde eleganter ait D. Hieronymus in perſona Chriſti, *vt qui ſerui formam aſſumpſi, expleam & humilitatem eius.* Qui enim ſerui formam ſibi copulauit, illius abiectiones non reſpuit. Et ne quis ſibi perſuaderet, quòd ad Baptiſmum accedebat affectu voluntatis, & non iudicij pondere; ideo, vt aduertit D. Anſelmus, ſubdit rationem, quare venit ad Baptiſmum. *Implere omnem iuſtitiam*, id eſt, omnem obſeruationem legis, & ſanctæ conuerſationis: *& tunc dimiſit eum*, his auditis Ioannes deſtitit à ſua humilitate, & permiſit Chriſtum baptizare, & ita omnis iuſtitia implera eſt à Chriſto Domino, non 26.

Hieron. S.Thom. Anſelm. Hieron. Anſelm. *Ratione operandum.*

tantùm

Chryſoſt. *Sacramẽtum Baptiſmi inſtituitur.* D.Thom. Caiet. Nugn. Peſant. Bellarm. Suarius.

tantùm verbis, ſed etiam factis, vt ait D. Chryſoſtomus *homil.3.in Imperfecto.* In hoc autem lauacro ſacramentum Baptiſmi nouæ legis fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino communis eſt ſententia, D. Thomæ 3.*quæſt.66.art.2.in corpor.* Caietani, Nugn. Peſanti.*ibi*, Ballarm. *tom. 3. lib. de Baptiſmi.cap.5.* Suarij *tom.3. ad 5.diſp.19. ſect. 2.* Vaſquij *diſp.140.cap.6.*& aliorum.

QVÆSTIO IX.

Quare dum Diuus Petrus contendit non lauari à Chriſto, reprehendatur? Ioannes verò minimè, dum prohibet baptiZare?

27. VT iam notaui *q. 6.* bis Petrus recuſat in cœnaculo lauari à Chriſto, quem Dominus ſeuerè neſcientis nota reprehendit, ac grauem pœnam contra eum comminatur, niſi deſiſtat à ſua contẽtione. *Quod ego facio tu neſcis; ſi non lauero te, non habebis partem mecum*, Ioann. 13.à num.7. Præcurſor verò dum ſemel ſe excuſat Chriſtum baptizare, non ſolùm non redarguitur, ſed tum magna modeſtia, ac vrbanitate (ita enim agebant inter ſe, vt notat Abulenſis *quæſt. 76.*) Chriſtus ei loquitur, *ſine modò*, ideſt, permitte, *ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.*

Ioan.13. Abulenſ.

28. Cui quæſtioni reſpondeo primò, quòd cùm Petrus eſſet adhuc in cœnaculo imperfectus, conſtituta pœna, inducitur, vt à Saluatore abluatur; Ioannes verò cùm eſſet valde ſublimis in ſanctitate, diſponitur ad Chriſtum baptizandum amore iuſtitiæ, vt illam impleat. Secundò. Quia Petrus erat cum magna contentione, ne aqua ablueretur à Chriſto, Ioannes verò cùm non eſſet contentioſus, ſed maximè obediens, parere non diſtulit, vt ait Chryſoſtom.*homil.12.* Ideò ille reprehenditur, hic verò minimè. Tertiò. Ioannes cùm eſſet amicus ſponſi *Ioann.3.num.29.* imò, vt ait D. Bernard. ſtatim citand. *ſingularis Chriſti amicus*, & intimè à ſecretis, maximè amicabiliter tractatur, & ideo ei dicitur, ſine modò.

Imperfectus exercetur pœna, perfectus iuſtitia. Chryſoſt.

29. Quartò. Ioannes ſemel contendit non baptizare Chriſtum, Petrus bis, non lauari ab ipſo, ideo reprehenditur, ait Petrus Damianus, *tamquam ſanctior Ioanne*; nam ſanctitatem, ac excellentiam virtutum Ioannis velle excedere, & non illam imitari, graue vitium, magnuſque defectus eſt. In Ioanne enim eſt omnis celſitudo meritorum, quantùm fas eſt puro homini attingere, B. Virginem ſemper excipio, ita vt Angelorum choros ſupertranſcendat. Hoc magnum myſterium Chriſti Baptiſmatis ponderat D. Bernard.*ſerm.de priuil.Ioan.*& ita ait. *Deſcendunt Angeli, & cælorum agmina tota reuerentia currunt ad creatorem, baptizantem, & baptizatum numina dominantia circuncingunt. Infundit aquã capiti creatoris creatura nobilior, & Dei verticem mortalis dextera contrectat, & contingit.* Expende verba S. Patris. *Infundit aquam capiti creatoris creatura nobilior*, quæ eſt D. Ioannes, nam ille Chriſtum baptizauit, & ſuper caput aquam perfudit; ſed quæro quomodo cum adſunt omnes exercitus Angelorum, Archangeli, Poteſtates, Cherubim, ac Seraphim, Ioannes dicitur creatura nobilior, non natura, nam de hoc ait Regius Vates, *Minuiſti eum paulominus ab Angelis*; excellentior ergo gratia, ſanctitate, ac dignitate, tam præclara ſunt Ioannis merita, vt inter Angelorum choros ipſe ſit nobilior, vnde eleganter Cardinalis Petrus Damianus *ſerm.2.de Baptiſta*, appellat eum limitem meritorum, ita ait. *Ioannes humanorum limes eſt meritorum. Quantumcumque enim Apoſtolici Senatus excellat authoritas; quantumcumque vel Patriarcharum fides in diuina cognitione proficiat, vel Prophetarum oracula, ad reſeranda myſteria arcana conualeſcant: quantumcumque certè cumuletur triumphantium gloria Martyrum, quantumuis effloreat vernans pudicitia Virginum, vel in verbis vitæ ſe exerceat lingua Doctorum; circa metam Ioannis omnia cohibentur, nihilque virtutis humanæ, nihil religionis, nihil perfectionis vltra progreditur.*

Damian. *Ioannis ſanctitatẽ velle excedere, & non imitari vitium.* Bernard. *Ioannes meritis ſuperior Angelis.* Damian.

QVÆSTIO X.

Quare Chriſtus hoc modo loquatur de ſe ac Ioanne, & tam diuerſimodè de alijs?

30. CVM enim Saluator de ſe, ac Ioanne fatur, vtitur hac dictione, *nos, ſic decet nos.* Cùm verò de aliis eſt ſermo, ego & tu, ſic cum cæleſti clauigero loquitur, *Ego dico tibi: tu es Petrus*, Matth.16.n.18. Sic & Abrahamo, *Gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, tu autem ibis*, Geneſ. 15. num. 14. Quænam huius rei cauſa, niſi magna excellentia Ioannis ſuper cæteros, Solent enim Principes, ac dynaſtæ, cùm de ſe, ac ſuis loquuntur, hanc dictionem, *nos*, vſurpare, vt Luſitanè dicitur, *Nos el Rey*; cùm verò de aliis, *Ego, & tu*; ſic tres diuinæ perſonæ inter ſe loquuntur apud Iſai.6.num.8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Poſtea verò cum Propheta agitur iuxta radicem Græcam, *Vade & tu, & dices populo.* Tres diuinæ perſonæ dum inter ſe loquuntur, aiunt *nos*; *Quis ibit nobis*, in laudem etiam Ioannis aliqualiter dicamus, quòd Chriſtus Dominus de ſe, ac Ioanne pronunciat, *nos*, cùm in hoc myſterio Baptiſmatis non aſſiſtat Ioannes Trinitatis throno, vt alij Beati, ſed inter diuinas perſonas medius ſtat. D. Bernardus ſermone de priuilegiis Ioann. *Vides*, ait, *quia ad ſacrorum nominum nouitatem cælorum palatia reſerantur. Pater auditur in voce, filius baptizatur in flumine, Spiritus ſanctus demonſtratur in columba. Adeſt Ioannes totius medius Trinitatis.* Poſtquam ſanctus Pater deſcripſerat quomodo omnia agmina Angelorum circuncingebant Chriſtum Dominum, & tota Trinitas ſe ſe manifeſtabat, tunc ait, *Adeſt Ioannes medius.* Apoſtoli, ac diſcipuli dicuntur *operarij*, Matth.9. num. 13. *Miſſi*, Matth. 10. num. 5. *Nuntiatores Euangelici*; Ioannes verò dicitur, *clamantis vox*, ſcilicet, diuini Verbi incarnati; operarius, miſſus, nuntius, propria ſeruorum vocabula ſunt; vox verò magnam coniunctionem cum clamante habet, hanc inter omnes aſſecutus eſt Ioannes cum diuino Verbo Incarnato.

Matth.16. Geneſ.15. *Præclara Ioannis excellentia.* Iſai.6. Bernard. Matth.9. Matth.10.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XI.

Quid hîc intelligatur nomine omnis iuſtitiæ?

31. AIT Chriſtus Dominus, *ſic decet nos implere omnem iuſtitiam*; quid hîc nomine *iuſtitiæ* intelligatur variæ ſunt interpretum ſententiæ. Prima eſt D.Chryſoſt.*homil.10.in Matth.* Euthym. per *iuſtitiam* aiunt ſignificari omnia legis præcepta, vnde ait Euthym. *Vetus Adam vnicum non impleuit præceptum, ego nouus Adam omnia pro ipſo adimpleam.* Si verò obiicias, quòd Baptiſmus non erat præceptum legis veteris, vt docent D.Iuſtin.Martyr.*q.36.ad Orthodox.* Nazianz.*orat.36.* D.Thomas 3.*part.quæſt.38. art.1. & 2.* Poteſt pro Chryſoſtomo reſponderi, dici opus legis veteris, non quòd à lege præciperetur, ſed quòd lege viuente, dabatur.

Chryſoſt. Euthym. Iuſtin. Nazianz. D.Thom.

32. Secundò. Imperfectus homil.4. *ſine modò*, ita ait in perſona Chriſti, *vt iuſtitiam Baptiſmatis, non verbis, ſed factis adimpleam, priùs ſuſcipiam, & poſtea prædicabo.* Idem ferè S. Chromatius *de Baptiſ.* tãtùm exigitur exemplum Prælati ad ſuos ſubditos in via ſalutis componendos, vt Chriſtus, & Ioannes omnem iuſtitiam adimpleant, ac perfectè ſuum opus expediant, non ſolùm requiritur vt verbis doceant, ſed etiam opere, ac exemplo ſubditos præcedant; & ita ait D. Cyprianus ſermon, de Baptiſm. *Decet nos implere omnem iuſtitiam, per quam exemplum præcedit doctrinam: & qui maior eſt, ſit ſicut minor.*

Imperfect. *Maximè neceſſarium vt Prælatus doceat exẽplo, & non verbis.* Cyprian.

33. Tertiò. Abulenſis interpretatur per *iuſtitiam* obedientiam, & ita ait, cùm autem Chriſtus, & Ioannes implerent ſuas obedientias, implebant omnem iuſtitiam. Obedientia Chriſti erat vt baptizaretur à Ioanne, obedientia Ioannis, vt Chriſtum baptizaret. Quartò D. Iſidorus Peluſiota lib.5. Epiſtol. 66. *Verè*, ait, *pro hominibus Chriſtus ſuſcipit Baptiſmum, qui & ipſorum peccata ſoluat, & eorum in ſe ſtatum ab omni corruptione alienum ſignificat.* Ferè ſimiliter D.Ambroſius *lib.1.de Sacram.cap.5.* D.Remigius, S. Thom.*hîc.* Ac ſi dicant quòd tunc Chriſtus impleuit omnem iuſtitiam, quando ſignauit, in ſuo Baptiſmo omnem iuſtitiam, & virtutem largiri.

Abulenſ. Iſidor. Ambroſ. Remig. S.Thom.

34. Quintò. D.Auguſtinus tract.4.in Ioann. *Quid eſt*, ait, *impleatur omnis iuſtitia? Impleatur omnis humilitas. Propterea venit Ioannes baptizans, vt Domini humilitas demõſtraretur.* Similiter D.Bernard. *homil.4.de Epiph.* D.Remigius, S. Thomas, Lyranus *hîc*, S. Bonauentura in cap. 3. Luc. *Qui*, ait, *quòd triplex humilitatis gradus ſit, primus dum ſe ſubdit maiori, ſecundus æquali, tertius minori, & hunc adimpleuit Chriſtus, dum Ioanni ſubijcitur.*

Auguſt. Bernard. Remig. Lyran.

35. Tamen in hac ſententia grauiſſimorum Patrum grauis inſurgit difficultas, quomodo Chriſtus, & Ioannes adimpleant in hoc opere omnem humilitatem, de illis enim dicitur, *decet nos*, quòd Chriſtus ad infimum humilitatis gradum deſcendat, dum ſe peccatorem profitetur, & quodammodo minorem ſe Ioanne exhibet, planum eſt; at quòd Ioannes in hoc exerceat abiectionem, valde difficile. nam dum vniuerſi opificem baptizat, ad ſupremum euehitur apicem dignitatis, dum exteriùs creatura ſuperior apparet creatore ſuo, miles duce, lucerna ſole, vt latè ponderat Diuus Gregorius Thaumat. *ſermon. de Baptiſm.* Et tamen æqualiter de Ioanne, ac Chriſto dicitur, *decet nos implere omnem humilitatem.* Reſpondeo primò, quòd Ioannes poſtquam baptizauit Chriſtum, baptizatus eſt ab ipſo, & in hoc oſtentauit humilitatem, nam maxima eſt, dum è ſupremo faſtigio dignitatis deſcendit homo, & ad ima profunditatis ſe ſe contrahit. Secundò. In ipſa præclara dignitate dum Chriſtum baptizat, in corde ſuo retinuit magnam modeſtiam, & humilitatem, & hæc eſt valde æſtimabilis, Tertiò. Præclarus Ioannes dum Chriſto lauacrum miniſtrat, ſupra humanum captum tranſcendit, dum creatura ſuperior videtur creatore, quantum ſuperius eſt baptizari, & baptizare, & dum ſinit ſe hunc gradum conſcendere, magnam exercet humilitatem, nulla enim maior eſt illuſtri viro, quàm ad illam dignitatem duci, cui in ſe agnoſcit merita inæqualia, tunc faciliùs exiſtimat humanam vtilitatem denudari, & ideo ait D.Ennodius lib.9.Epiſt.31. *Nec plus aliquid humiliat potiſſimos, quàm obtenta ſublimitas.*

Thaumat. *Magna humilitas dum homo ex dignitate deſcendit.* *Dignitas ſine meritis humilitas.* Ennod.

36. Sexta. Verior mihi expoſitio, vt iuſtitia accipiatur hîc pro eo quod iuſtum, & ſanctum eſt, & ita habet Syriacus *rectitudinem*, Arias, *iuſtificationem*, ac proinde, implere omnem iuſtitiam, id eſt, adimplere omnem actionem virtuoſam, ſiue ritum, ſiue cæremoniam ſanctam. nam quamuis Baptiſmus non eſſet opus legis; erat tamen inſtitutus à Deo, & in magna veneratione habebatur, & ideo Chriſtus Dominus noluit illum prætermittere, ſed acceptare. Et ita non dixit Chriſtus, oportet nos, ſed *decet nos*; ac ſi diceret, non ſolùm debemus facere, quæ præcepta ſunt in lege, ſed etiam omne illud quod conuenit honeſtati, ac ſanctitati. Huic explicationi fauent D.Iſidorus Peluſiota *lib. 1. Epiſtol. 66.* D. Hieronymus, & alij hîc, & maximè cohæret cum textu Græco.

Syriacus. Arias. Peluſiota. Hieron.

Matthæi 3. num.16. Baptizatus autem Ieſus cõfeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.

VERSIONES.

Pagnin. Vatablus. Ieſus aſcendit protinus ab aqua.

Aliqui ex Græco. Cæli aperti ſuper eum.

Syriacus. Suſpexit Spiritum Dei deſcendentem, & venientem ſuper ipſum.

Arnob. lib. 2. de Deo vno. Vidit Spiritum ſanctũ deſcendentem de cælo, & manentem in eo.

Corderius ex Græco. Deſcendentem quaſi columbam.

ALTER TEXTVS.

Marc.1.n.10. Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit cælos apertos,

&

& ſpiritum tamquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo.

Lucæ 3.n.21. Factum eſt autem, cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cælum: & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut colũba in ipſum.

EXPOSITIO.

37. CVM Chriſtus Dominus baptizaretur, ſimul erat orans, ita intelligo text. Lucæ, *Ieſu baptizato, & orante*; tamen oratio perdurauit poſt Baptiſmum, vt patet ex textu Lucæ. *Cur Chriſtus orauerit.* Chriſtus orauit, vt virtutem iuſtificandi impetraret ſuo Baptiſmo, qui ab illo inſtituendus erat. Deinde vt ſe præpararet, ac gratias ageret Patri pro tanto teſtimonio, ac beneficio quod ab eo erat accepturus. *Euthymius. Beda.* Tertiò. Euthymius, & Beda dicunt, vt ſuo exemplo baptizatos inſtrueret ad orandum. *Confeſtim aſcendit de aqua.* Quod ita explicat Euthymius, quia qui baptizabantur, in aqua vſque ad collum detinebantur, quo vſque confiterentur ſua peccata, quæ cùm Chriſtus non haberet, non eſt detentus. D. Chryſoſtomus homil. 12. *Chryſoſt.* *Per hoc denotari*, ait, *quòd illi qui Baptizantur in Chriſto, ſtatim de hoc mundo aſcendunt ad cæleſtem patriam.* *Abulenſis.* Probabilius Abulenſis exiſtimat dictum aſcendere, eo quòd alueus fluuij, in quem deſcendebant qui baptizabantur, eſſet depreſſior, quam littus; *Et ecce aperti ſunt cæli*, ſeu, vt habet Lucas, *cælum*, hoc eſt, in cælis apparuit quidam ſplendor, tamquam ſi facta eſſet apertura in cælo, vt deſcenſus Spiritus ſancti in columbæ ſpecie manifeſtaretur: cælum autem apertum ſignificabat, quod per Baptiſmum Chriſti erat reſerandum nobis. *Vidit*; aliqui referunt ad Ioann. 1. num. 33. *Super quem videris deſcendentem Spiritum ſanctum, ipſe eſt.* Sed in hoc fit magna vehementia textui. nam dicitur, *Vidit venientem ſuper ſe*; eſt ergo Chriſtus Dominus de quo hîc loquitur Euangeliſta, cum quo ſtat, quod etiam Ioannes, ac circunſtantes viderint cælos apertos, ac Spiritum deſcendentem, vt infrà dicam. *Et venientem ſuper ſe*, ſeu, vt habet Marcus, *manentem in ipſo.* *Carthuſ.* Quod explicans Carthuſianus, ait, *Quòd columba ſedit ſuper caput Chriſti, vt ſupra Apoſtolos ſedit ignis in linguis.*

QVÆSTIO XII.

De ætate, ac tempore, & modo quo Chriſtus baptizatus eſt.

38. *Qua ætate Chriſtus eſt baptizatus. Luc. 3.* CVM Chriſtus Dominus inciperet annum trigeſimum, vt clarè patet ex Luc. 3. n. 23. *Erat Ieſus incipiens quaſi annorum triginta*, ſexta die Ianuarij, vt docent Patres, & celebrat Eccleſia, hoc eſt, cùm Chriſtus Dominus annum vigeſimum nonum ætatis ſuæ expleuiſſet, & trigeſimum iam per dies tredecim eſſet ingreſſus; hoc multi eleganter colligunt ex text. *Erat incipiens*; tunc baptizatus eſt Ioannes, quarto, vel quinto menſe poſt inceptam Præcurſoris prædicationem, & eo in loco, per quem filij Iſraël tranſierunt Iordanem, & ingreſſi ſunt in terram promiſſionis. nam ibi baptizabat Ioannes, vt dixi ſuperiori cap. *quæſt. 18. num. 59.*

Baron. Eccleſia. De die quo Dominus baptizatus eſt, quidquid in contrarium dicat Baronius, baptizatus eſt Dominus die ſexta Ianuarij, vt canit Eccleſia in officio Epiphaniæ ad Magnificat. *Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus. Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium; hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias; hodie in Iordane Chriſtus baptizari voluit.* *Auguſt. Maxim. Bernard. Rupert.* Quod etiam tradunt D. Auguſtin. *ſerm. 1. de Epiphania*, D. Maxim. *homil. 6. de Epiph.* D. Bernardus *ſerm. 1. de Epiphan.* Rupertus *lib. 3. de Offic. c. 24.* Ac proinde eodem die, quo Chriſtus, vt Deus, adoratur à Regibus, *Matth. 2. n. 13.* *Matth. 2. Ioann. 2.* Vt filius agnoſcitur à Patre, *hîc eſt filius meus*, eodem die conuertit aquam in vinum. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam*, Ioann. 2. num. 21. Vt hac die Chriſtus Rex totius vniuerſi declaretur, adeſt adoratio Magorum, vox Patris delapſa de cælo, & primum ſignum, ac miraculum Chriſti, vt quem voces Regem indicabant, ipſe operibus, ac virtutibus talem ſe demonſtraret. *Opera maieſtatem indicant. Chryſol.* D. Chryſologus ſermon. 160. *Hodie*, ait, *Chriſtus initium dat ſignorum cæleſtium, dum conuertit aquas in vinum, vt quem Pater voce filium iam probauerat, ipſe ſe Deum virtutibus approbaret.* Nulla enim præclaræ maieſtatis publicatio fit, niſi virtutes, ac opera concomitentur, expende verba, *ſe Deum virtutibus approbaret.*

39. *Quomodo Chriſtus baptizatus.* Hîc breuiter inquirimus quem modum tenuit Ioannes in Chriſti Baptiſmo? Et certum, eſt quòd Chriſtus Dominus denudatus ſuis veſtibus, ob ſui humilitatem deſcenderit in fluuium. Hoc patet ex Matth. dum ait, quòd Chriſtus baptizatus aſcenderit de aqua. *Euthym. Abulenſ.* Euthymius videtur aſſerere, quòd Chriſtus ingreſſus eſt in aqua vſque ad collum. Abulenſis ait, quòd Dominus immerſus eſt in aquam ad hoc vt baptizaretur. *Caietan.* Caietanus tenet quòd non per aſperſionem, aut deſuper effuſionem, ſed per immerſionem baptizatus eſt Chriſtus à Ioanne. *Vera ſententia.* Mihi tamen probabilius eſt quòd Chriſtus ingreſſus eſt in aquam vſque ad medium corporis, verbi gratia, vſque ad renes, & quòd Ioannes deſuper vaſe quodam effuderit aquam. hîc modus videtur importare maiorem decentiam, illum probat antiquiſſima pictura Eccleſiæ, & id quod canit in hac ſolemnitate. *Non audet Ioannes tangere ſanctum Dei verticem*; ergo conſuetus modus erat, vt Ioannes tangeret caput baptizandorum; quod licèt primò recuſauerit, tamen ex obedientia Chriſto præſtitit, & aqua tripliciter mihi videtur effuſa in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis.

QVÆSTIO XIII.

Quare ad præſentiam arcæ Teſtamenti aquæ Iordanis fugiant, non verò ad tactum Chriſti baptizati?

40. CVM populus Iſraël perueniſſet ad Terram promiſſionis, vt tranſiret Iordanem, Sacerdotes

cerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, pergebant ante populum, *Ioſue 3. num. 15.* tunc aquæ inferiores fugientes deſcenderunt in mare, aliæ verò conuerſæ ſunt retrorſum. Dum tamen Chriſtus baptizatur, multo maiora miracula videntur, cælum apertum, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, vox Patris auditur, & tamen aquæ Iordanis non diffugiunt, ſed conſueto curſu tendunt in mare; ratio literalis, & germana eſt, quia cùm populus perueniſſet ad Iordanem, aquis eius impediebatur, ne tranſiret ad Iericho. At in Baptiſmo, aquæ celerato curſu defluebant, vt tanto myſterio inſeruirent; ac materiam miniſtrarent.

41. *Chryſolog.* Secundò. D. Petrus Chryſologus ſerm. 160. *Quid eſt*, ait, *quòd Iordanis qui fugit ad præſentiam legalis arcæ, ad totius Trinitatis præſentiam non refugit? Quid eſt? Quia pietati obſequitur, incipit non eſſe timori. Hîc Trinitas exercet gratiam totam, totam ſecum loquitur charitatem: ibi elementa corripit, vt ſeruulos inſtituat ad timorem.* Coram legali arca vbi lex, quæ rigidas pœnas hominibus imponebat, includebatur, aquæ concitato curſu fugam inierunt: at coram Chriſto baptizato, quando tota Trinitas charitatem loquitur, vndæ Iordanis maximè inter ſe coadunantur; *Seueritas deiungit, benignitas vnit.* nam quos ſeueritas terret, ac diſſecat, benignitas trahit, & vnit. Tertiò. Dum arca adeſt, Iordanis fluenta reſiſtebant diuino mandato, ne populus obtineret terram ſibi à Deo promiſſam; cùm verò Chriſtus baptizatur, aquæ inſeruiunt, ac materiam præbent, qui Deo præcepto obſiſtit, maximè pauidus, ac facilè retrocedit. *Qui Deo reſiſtit timet, qui obedit ſecurus. Chryſol.* Qui verò Deo obſequitur, ſummè ſecurus nil timet, nec retrogreditur. Huic cogitationi aliqualiter fauet idem Chryſologus, *Ad totius Trinitatis præſentiam non refugit? Quid eſt? Quia pietati obſequitur, incipit non eſſe timori.*

42. *Cyprian.* Quartò. D. Cyprianus orat. de Baptiſmo Chriſti: *Baptizatur Chriſtus*, ait, *nec vltra Iordanis retrorſum conuertitur, aruerunt vnctiones Iudaicæ, cæremoniæ putruerunt, perpetuò Baptiſmi gratia emanat ad poſteros: nec vlla vetuſtate ſiccatur.* Viſa Teſtamenti arca fluenta Iordanis areſcunt, ac apparet arida baptizato Domino, placito amne creſcit, ac illabitur fluuius; nam in lege veteri plenitudines, ac torrentes cæleſtium donorum extenuatæ, ac penè exſiccatæ apparebant, at vbi Chriſtus aduenit, omnis gratiarum plenitudo ſuperabundauit, ac totam terram repleuit, & inundationes cæleſtes totum occuparunt orbem.

43. *Ambroſ.* Quintò. D. Ambroſius ſerm. 15. & 4. de Epiphania, *Multa*, ait, *mirabilia in hoc flumine ſæpiùs facta eſſe Scriptura commemorat. Puto autem eſſe mirabilius, quod Domino Ieſu Chriſto ibi poſito, factum eſt.* *Multo maius errores cohibet, quàm impetum aquarum.* *Antè enim retrorſum aquæ conuerſæ ſunt, modò retrorſum peccata conuerſa ſunt. Et ſicut tunc impetus fluminis alueum ſui curſus perdidit: ita & tunc impetus peccatorum Dominum ſui erroris amiſit.* Si ad conſpectum arcæ ſteterunt aquæ, cur ad præſentiam Chriſti non retrocedunt, ſed pleno amne percurrunt? Maius ſanè operatur à Domino, non vt aquarum, ſed peccatorum, ac errorum præceps impetus reprimatur; quis dubitat, quòd multo maius ſit hominum mores refrænare, quàm aquarum curſum continere; nam non tam rapide ruunt flumina in mare, quàm homines in vitiorum barathrum. Et concludit S. Pater, ac alludit ad diuiſiones aquarum, quam fecit parens Elias cum Eliſæo, 4. Reg. 2. n. 8. *4. Reg. 2.* *Elias ſtare fluenta præcepit, Chriſtus ordinauit. Et ſicut ſub Elia fluctus primordia fontium, de quibus exierant, petiuerunt; ita ſub Chriſto Domino homines ad originis ſuæ infantiam, de qua fuerant exorti, ſunt reuerſi.*

44. *Geneſ. 1.* In prima creatione Orbis, *dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & factum eſt ita*, Geneſ. 1. n. 6. In vniuerſali inundatione, cùm aqua totum occuparet orbem, dicitur, *Reuerſæ ſunt aquæ euntes*, Geneſ. 8. num. 3. *Geneſ. 8.* quod ad præceptum Domini factum eſſe tradunt *ibi* D. Chryſoſtomus, Abulenſis, & alij, *Chryſoſt. Abulenſis.* & tamen cùm Noë, vt notat idem Chryſoſtomus *homil. 25.* prædicaret hominibus ante diluuium eorum miſerum ſtatum, minimè illius vox auditur. Quomodo hæc? Vt ad vocem Dei aquæ fluant in locum vnum, non verò homines redeant ad iuſtitiam? Multo faciliùs ſanè omnem multitudinem aquarum in vno loco retineri, ac cohiberi, quàm petulantium hominum naturam à vitiis retrocedere, ac inter virtutis limites contineri. Cùm populus murmuraſſet contra Moyſem & Aaron, in vltionem egreſſus eſt ignis à facie Domini, & plaga maximè deſæuiit. *Num. 16.* *Cùm verò cucurriſſet Aaron ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, plaga ceſſauit*, Num. 16. num. 47. & ita ait D. Gregorius relatus in Gloſſa. *Gregor.* *Aaron thuribulum accipiens occurrit vaſtationi, & ſtans in medio lethalem plagam obiectu ſuo quaſi quidam murus excludit.* Ad præſentiam Aaronis quieſcit ignis, non verò ira inſurgentium contra Dominum; multò facilius eſt voracem ignis naturam cohiberi, quàm excandeſcentium hominum ingenium refrænare.

QVÆSTIO XIV.

Quare potiùs in hoc myſterio, quàm in alio totius vitæ Chriſti appareat tota Trinitas?

45. *Auguſt. Hieron. Abulenſ.* IN hoc ſacro Baptiſmatis myſterio tota Trinitas manifeſtatur, vt notant D. Auguſtinus *ſerm. 37. de tempore*, D. Hieronymus, Abulenſis, & alij. Nam filius baptizatur, & in Baptiſmate demonſtratur, Spiritus ſanctus apparet in columbæ ſpecie; Patris teſtimonium in voce auditur; & in nulla alia vitæ Chriſti actione tam manifeſta totius Triadis propalatio inuenitur; nam in Thabor, licèt vox de nube intonet *Matthæi 17. num. 5.* non tamen vlla ſpiritus ſit clara expreſſio. Quare ergo in Baptiſmo? Et licèt ſint rationes particulares, vt dicam dum de qualibet perſona fuerit ſermo, tamen aliquas communes conuenientias ad omnes tres perſonas hîc ponamus.

46. *Abulenſis.* Primò. Abulenſis *quæſt. 96.* ait, quòd conueniens fuit, vt hîc appareret tota Trinitas, tum propter Chriſtianam religionem, quæ in Chriſti Baptiſmo incipiebat; tum propter Baptiſmum, qui eſt Sacramentum fidei, quia in illo fidem profitemur, & in fide præcipuus articulus eſt Trinitatis; tandem ad oſtendendam formam, quæ tenenda erat in Baptiſmo ſub expreſſa inuocatione totius Trinitatis.

47. Secundò. S. Auguſtinus ſerm. 1. in Dominica infra

infra octauas Epiphaniæ, aliàs 36. de tempore. *Gloriemur*, ait, *in vtroque feſto* ſcilicet natiuitatis, & Baptiſmi, *quia filium genuit mater, & caſta eſt, & quia Chriſtus vnda lauit, & ſancta eſt. Niſi quòd penè maiori munere, quàm Maria, vnda ditata eſt, illa enim ſibi tantùm meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem. Illa meruit ne peccaret, iſta vt peccata purgaret. Illa propria delicta à ſe repudiat, iſta in ſe per Dei gratiam aliena condonat: illi collata eſt virginitas, iſti donata fœcunditas. Natalis ergo hodie quodammodo eſt Saluatoris. Nam eiſdem cum ſignis, eiſdem miraculis cognoſcimus genitum, ſed nunc maiorem myſterio baptizatum. Denique Spiritus ſanctus qui tunc illi in vtero affuit, modò eum in gurgite circunfulſit. Qui tunc Mariam caſtificauit, nunc fluenta ſanctificat. Pater qui tunc obumbrauit in virtute, nunc clamat in voce, & quaſi maturiore conſilio qui tunc vmbram præſtitit natiuitati, modò teſtimonium perhibet veritati. Præclarior planè eſt ſecunda, quàm prima natiuitas.* Et latè proſequitur. Manifeſtioribus ſignis hîc apparet Trinitas, quàm in alia Chriſti actione, ac etiam eius conceptione ſanctiſſima, nã ibi condecorabatur Virgo gratia, ac caſtitate, hîc verò totum genus humanum; in conceptione dabatur principium ad ineffabile Incarnationis arcanum, ad vnionem hypoſtaticam, ac ad eſſe naturale Chriſti; hîc verò in Baptiſmo ad regenerationem in gratia totius generis humani; & tunc magis reſplẽdet Deitas, ac ſe manifeſtat Trinitas, quando cæleſtia munera in omniũ incrementum ſe ſe oſtendunt, quàm dum particularibus communicantur, ideo hæc dies valde celebris Trinitasi, præclarior enim ſecunda, quàm prima natiuitas maximè ad præſtantiam facit, quod multis profecit; hæc tamen moraliter accipe dicta.

August.

Tunc maximè reſplendet Trinitas quãndo omnibus communicatur.

48. Tertiò. D. Baſilius Seleucus orat. 39. *Fluuius*, ait, *Chriſtum circundedit, baptizatum verò ſupernè fauſta acclamatione proſequebatur. Et ne eum ipſum, qui Baptiſma in Iordanis fluento primò inſtituit, gratia inopiam ſecum detuliſſe verbis vrgeas. Ideo Pater cum clamore præconium fecit, ſpiritus volatu iudicium.* Cur tot ſignis apparet Trinitas potius in Baptiſmo, quàm natiuitate, circunciſione, ac pueri præſentatione? In his aderat Angelorum obſequium; nominis magnitudo, ſeniorum Canticus: at ad lauacrum cum aliis de populo veniebat Chriſtus, ne exiſtimaretur, quòd vt cæteri, egens gratia veniret ad Baptiſma, ideo tota Trinitas tam præclaris ſignis, ac indiciis ſe exhibet, vt manifeſtum ſit Chriſtum nulla inopia vexari, quem diuinitatis celſitudo repleuerat.

Baſil.

In Chriſto omnis plenitudo, & nulla inopia.

49. Quartò. D. Chryſoſtomus homil. 11. in Ioann. *Verùm, ait, cùm ſe ipſum magis oſtendit, longè prioribus maiora miracula apparuerunt. Siquidem non amplius ſtella, non cælum, non Angeli, non Archangeli, non Gabriel, non Michael, ſed ipſe eum cælitus Pater prædicauit: & cum Patre ipſe Paraclitus vnà cum voce in ipſum deſcendens, & manens ſuper eum*, Præclariora miracula in Baptiſmo relucent, quàm antea dicantur facta, nec poſtea coram Apoſtolis edita; valde enim celebres fuerunt Chriſti aduentus ad Ioannem, nam cùm primò ſe ſe ad illum confert in virgineo thalamo, eum ab originali emundat, ac ſanctificat, & ſe ſe illi manifeſtat; ac ipſe puer mirabiliter ſaltat in vtero; cùm verò ſecundò hic aduenit, tota Trinitas feſtum agit, ac viſibiliter apparet, in tantum exiſtimabatur Baptiſta à Chriſto Domino, vt ſemper miro, ac extraordinario modo eius præſentiam ſolemnizaret: mens tamen S. Doctoris eſt quòd cùm Chriſtus inciperet hîc maiorem ſui notitiam dare, ideo hîc maiora ſigna apparent.

Chryſoſt.

Valde celebres Chriſti aduentus ad Ioannem.

50. Quintò. D. Ambroſius ſerm. 4. de Epiphania, aliàs 15. *Adeſt ergo*, ait, *Deus Pater cùm baptizatur Dominus, adeſt Spiritus ſanctus. Vide Saluatoris beneuolentiam, qua ſolus ſe in paſſione contumeliys ſubdit, in lauacro ſolus gratiam non quæſiuit, vult participes eſſe gloriæ.* Cùm Chriſtus pendet in cruce, ſolus eſt, ita vt ipſe dicat: Conſolantem me quæſiui, & non inueni; ac tandem ad Patrem clamat: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* At dum ad Iordanem venit plenitudinem gratiarum largiens, aquas ſanctificans cum Patre, & Spiritu ſancto ſociatus apparet. nam in pœnis, ac dolore ſolus, in gloria, ac manifeſtatione donorum cum aliis eſſe decreuit. Sextò. Quia in Baptiſmo Chriſtus ad ſummam humilitatem ſe ſe deiecit, ideo Deus ad oſtenſionem tantæ maieſtatis ipſum ſubleuauit. Septimò. In omni actione Chriſti præclarum virtutis ſignum cum maxima ſingularitate enituit, nam ſolus concipitur de Spiritu ſancto, naſcitur ex Virgine, adoratur à paſtoribus, & Regibus; ac in Baptiſmo non ſolus ſed cum omni populo ad illum venit, vt ait D. Luc. *Factum eſt dum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato*; & dum communes virtutis vias inſequitur, ſpecialiter à Patre, & Spiritu ſancto prædicatur.

Ambroſ.

Chriſtus ſolus in dolore, in gloria aſſociatus.

Virtutis viã communem ſequi maximè placet Deo.

51. Frequenter Chriſtus Dominus in Ioann. Apocal. apparet, & ſub nomine filij hominis, vel Agni. Inter candelabra autem videntur, *eius pedes ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti*, per quod multi intelligunt vnionem diuinitatis cum humanitate; & tamen filius hominis dicitur *Apocal. 1. num. 13.* ſimiliter *cap. 14. num. 14.* paſſim verò dicitur Agnus dum in throno eſt maieſtatis, *cap. 5. num. 6. & cap. 6. num. 1. cap. 7. num. 9.* & multoties. At dum exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum, illico dicitur, *Vocatur nomen eius Verbum Dei*, cap 19. num. 13. Cur hîc modò publicatur Filius Dei, ac ſecunda Trinitatis perſona, qui antea dicebatur filius hominis, vel agnus; in aliis elucebat mira ſingularitas Chriſti in eius Incarnatione, in redemptione, in poteſtate iudicaria, ac in gloria. At hîc ſe oſtendebat in illis operibus, in quibus eum ſunt ſequuti Apoſtoli, diſcipuli, ac Martyres, & dum has communes vias ingreditur, tunc Dei filius, ac Verbum publicatur. Aretas Cæſareæ Epiſcop. ait: *Hoc nunc loco Verbum nominatur, cùm Imperator ſit cæleſtium virtutum, vt ipſe oraculo Ieſus Naue dixit; meritò conſortes habuit, qui iuxta militarem diſciplinam, cuneos compleant, eos, inquam, qui nunc potiſſimum in prælium contra impios irruant.* Vide *lib. 2. cap. 1. num. 34.*

Apoc. 19.

Aretas.

Qvæstio XV.

Quomodo cælum apertum viſum fuerit?

52. Freqvens eſt loquutio Scripturæ, vt de D. Stephano dicitur *Actor. 7. num. 55.* quantùm ad præſens. D. Chryſoſtomus *hom. 13.* videtur

Chryſoſt.

innuere cælos realiter fuiſſe apertos. Author Imperfectus *homil. 4. in Matth.* D. Hieronymus; *Dicuntur cæli aperti*, inquit, *non reſeratione elementorum, ſed ſpiritualibus oculis.* ideſt, oculi mentis reuelata myſteria cæleſtia contemplati ſunt. D. Thomas verò 3. *part. quæſt. 39. art. 5.* hoc refert ad imaginariam viſionem, tamquam ſi Chriſtus ſua imaginatione cælos apertos viderit. Tamen longè probabilior mihi videtur ſentẽtia Abulenſ. *hîc quæſt.* 80. Lyrani, qui dicunt, quòd in ſuperiori regione apparuit quidam ſplendor, tamquam ſi in cælis facta eſſet quædam apertura. Nam quòd cælum fuerit realiter reſeratum, non habet ſolidum fundamentum, vt latè probat Suarius *tom. 1. n. 2. diſput. 27. ſect. 1.* Nec hæc viſio fuit tantùm intellectualis, & imaginaria, vt in Prophetis, nam quid excellens factum eſt in Chriſto.

Hieron.

D. Thom.

Abulenſ.
Lyran.

53. Dubitatur, an ſolus Chriſtus viderit cælum apertum. Nam in textu dicitur, *aperti ſunt ei cæli.* Tamen primò dicendum eſt, quòd Ioannes viderit cælum apertum, & ſpiritum deſcendentem ſuper Chriſtum, vt dicitur *Ioan. 1. num. 33.* deinde circunſtantes etiam viderunt, vt docent Chryſoſtomus *in Imperfecto hom.* 4. Abulenſis *quæſt.* 82. Toletus *in 3. Luc. annot.* 47. nam hæc apertura in cælo erat in teſtimonium Chriſti, ſicut miſſio Spiritus ſancti, ac vox Patris; teſtimonium autem honorificum debet multis conſtare, & manifeſtari; deinde ſi Chriſtus Dominus ſolus cælum videret apertum, hoc erat quid fruſtraneum, cùm per hoc nihil nouum poterat ei innoteſcere, cùm aliàs omnia noſceret à principio.

An ſolus Chriſtus viderit cælum apertum.

Chryſoſt.
Abulenſ.
Tolet.

Qvæstio XVI.

Quare in Chriſti Baptiſmo cæli aperti videantur?

54. Ratio prima, & valde germana huius rei eſt, quam tradit Abulenſis *quæſt.* 81. Dicitur cælum apertum propter ea, quæ geſta ſunt circa Chriſtum Dominum, nam viſum eſt quòd Spiritus ſanctus veniret, & deſcenderet ſuper Chriſtum, vox etiam Patris audita eſt: atqui Spiritus ſanctus, & Pater creduntur eſſe in cælo à communi opinione vulgi; ergo vt Spiritus ſanctus videretur deſcendere de cælo, & vox Patris de cælo audiri, conueniens fuit vt cælum reſeratum appareret. Secundò. D. Auguſtinus *ſerm. 29. de tempore*, ait, *Quòd hoc ſpiritualiter pertinet ad Chriſti Baptiſmum, quia per id oſtenditur, quòd quando homo egreditur de Baptiſmo, tunc ianua regni cæleſtis ei aperitur.* Et hoc magis explicat D. Chryſoſt. *in Imperfecto hom.* 4. quia qui baptizantur, rectè in Chriſto merentur accipere Spiritum ſanctum, ac apertis cælis videre diuina myſteria. Tertiò. Idem Chryſoſtomus *citato loco* aliam affert rationem. *Cæli, inquit, ſunt Scripturæ diuinæ Prophetarum, & Apoſtolorum, in quibus habitat Deus, de quibus ſcriptum eſt, Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum; ergo qui baptizatur, & meretur accipere Spiritum ſanctum, adaperiuntur ei omnes Scripturæ, vt intelligat; quæ ibi poſita ſunt, myſteria veritatis.*

Abulenſ.

Auguſt.

Chryſoſt.

Idem.

Qui baptizatur intelligit myſteria.

55. Quartò. Petrus Damianus ſermon. de S. Ioanne Baptiſta, *Vide*, ait, *quia cæli aperiuntur, ibi & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in Chriſtum, & vox Patris audita eſt, Hic eſt filius meus dilectus. Vides, quia ad ſacratiſſimorum nominum nouitatem cælorum palatia reſerantur.* Ad nomina nunquam antea audita diuini parentis, ac dilectiſſimi filij incarnati, cælorum portæ reſerantur, nam cùm nomen dilectiſſimi filij incarnati inter homines auditur, nullum eſt obſtaculum in cælum, vt homo aſcendat, & tranſeat ad illud.

Damian.

Ex quo Deus ad nos deſcẽdit homo, aſcendis in cælum.

56. Quintò. D. Auguſt. ſerm. 37. de tempore, aliàs in Appendice 29. *Aperti ſunt*, inquit, *cæli, exiſtimo vt in cæleſtibus eſſet miraculum de his, quæ gerebantur in terris, ſicut ait Scriptura, in quem concupiſcunt Angeli proſpicere. Quomodo enim poterant non mirari virtutes cælorum, & dominationes, Cherubim, & Seraphim, cùm viderent Dominum Sabbaoth, in fluuio à Ioanne baptizari?* Quãuis cæleſtes Spiritus omnia intueantur, & proſpiciant, tamen dum tantum miniſterium à Ioanne Chriſto exhibetur, dicitur cælum apertum, vt in cæleſtibus eſſet miraculum, de his quæ fiebant in terris, & quod maius miraculum, quàm quod ſuper caput illius, in quem deſiderant Angeli proſpicere, Ioannes manus ſuas imponat? Vt ergo humilitas Saluatoris, & Ioannis dignitas ſpecialiter innoteſcat, & omnibus diuinis Spiritibus pateat in admirationem, ruptis obicibus cæleſtia æthera reſerantur.

Auguſt.

Chriſti humilitas, & Ioannis dignitas omnibus manifeſta.

57. Sextò. Dicitur cælum apertum, vt clarum ſit, quòd per manus Ioannis, à Chriſto Domino nobis cælum aperitur. nam hîc inſtituitur Baptiſmus, qui eſt ianua fidei, & cæli, vt ex ſanctis Patribus dixi in ſecunda ratione, & ideo in glorioſa Chriſti Aſcenſione Angeli non dicunt, aperite portas, ſed, *tollite Portas*, Pſal. 23. n. 7. cùm iam interueniente Ioanne eſſent apertæ in Baptiſmo à Chriſto Domino. Chryſoſtomus in Imperfecto hom. 4. *Ecce, ait, baptizato Chriſto, aperti ſunt ei cæli. Poſtquam verò tyrannum vicit per crucem, & reſurgens ab Angelis portabatur in cælum: videntes potiores Angeli, non dicunt, aperite portas, & introibit Rex gloriæ, iam enim erant apertæ: ſed, tollite portas principes veſtras.* Sæpè loquentibus Angelis, diuinus Euangeliſta audiuit vocem de cælo, *Apocal. 10. num. 4. & 8. cap. 11. num. 12. c. 12. num. 10.* & ſæpè. Tamen *cap. 4.* ait num. 1. *Ecce oſtium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui.* Hanc primam vocem eſſe Ioannem Baptiſtam iam dixi ex Petro Damiano *ſermon. 1. de Baptiſta lib. 1. c. 8. q. 2. num. 5.* ſed cur dum Angeli loquuntur, cælum non videtur apertum, niſi tantùm dum Ioannis vox intonat, hoc enim ei fuit peculiare, vt ad eius vocem per Chriſti efficaciam, ac eius Baptiſmum cælum aperiretur, & ideo dicebat Chriſtus Dominus quòd *à diebus*, ſeu initio prædicationis *Ioannis Baptiſtæ, regnum cælorum vim patitur*, Matth. 11. n. 12.

Per Ioannem aperitur cælum.

Pſalm 23.

Chryſoſt.

Damian.

Matth. 11.

Qvæstio XVII.

Quomodò dicatur quòd Chriſto aperti ſint cæli, cùm hoc habeat à principio?

58. Præſens difficultas eſt, quomodo dicitur de Chriſto Domino, *Aperti ſunt ei cæli*, cùm vt Deus æternam beatitudinem ſine principio poſſideat, cùm vt homo ab inſtanti ſuæ

Remig. Incarnationis ea gaudeat? quod notans D.Remigius ſic ait. *Sed nunquid tunc primò aperti ſunt ei cæli, etiam ſecundùm humanam naturam? Fides enim Eccleſiæ & credit, & tenet, quòd non minus aperti ſunt ei cæli ante, quàm pòſt.* Ergo ſi ante Baptiſmum cæleſtia palatia erant ei patefacta, quomodo tamquam quid nouum dicitur hîc, *aperti ſunt ei cæli*? Reſpondeo primò, quòd quamuis Chriſti anima à primo momento cæleſtem beatitudinem penetret, & ei in clara viſione ſit manifeſta; quia tamen hîc coram omnibus de ipſo paterna vox teſtatur, & Spiritus ſanctus in eum deſcendit, ideo dicuntur & cæli reſerati. nam tunc gloria feliciſſimè auſpicatur, quando non in occulto, ſed cum omnium notitia percipitur, & dum omnes agnoſcunt te eſſe beatum.

Gloria felicior quando in conſpectu omnium.

Secundò. Hîc inter Ioannis manus eximiam humilitatem, ac præclara merita exhibet Chriſtus Dominus; & tunc dicuntur ei cæli aperti, quia poſt tot virtutum opera, quaſi quodammodo ipſa cæleſti gloria felicius fruitur, & gaudet.

Meritò nouo iure acquiritur gloria.

Tertiò. Quia licèt antea cæli eſſent Chriſto reſerati, tamen nobis erant clauſi. At hîc in Baptiſmo nobis ipſe aperuit, & cùm noſtra ſua reputet, ideo dicuntur ei cæli aperti. Quòd Paradiſi ianua antea per peccatum recluſa, nobis nunc per Baptiſmum ſit detecta, optimè comprobatur antiquo huius rei typo. Primus Parens ob ſuum peccatum commiſſum eiicitur de Paradiſo, & ad prohibendum ingreſſum apponitur Cherubim cum flammeo gladio *Geneſ.3. num.24.* Cur oſtium non clauditur lapide; vel cur aliud inſtrumentum non eligitur? ſed flamma ignis intercluditur ingreſſus. Inſtituendum erat Sacramentum per aquam ad aperiendam cælorum ianuam, vt ipſe aquæ extinguentes ignis flammam, paradiſus eſſet reſeratus, & illius aditus ſine vllo impedimento patefieret; quod eleganter dixit Beda ad cap.1. Marci. *Etiam hoc, quod apertos cælos vidit poſt Baptiſma, noſtri vtique gratia factum eſt, quibus per lauacrum vndæ regenerationis ianua panditur Regni cæleſtis, quæ peccantibus quondam Protoplaſtis, ac Paradiſo eiectis, toti generi humano, interpoſitis Cherubin, & flammeo gladio, clauſa eſt: extinguitur namque hæc flamma cuique fidelium cùm aquis vitalibus tingitur: adeò vt ſi percepta fidei Sacramenta puro corde, & corpore ſeruauerit, mox ſolutus carne, regna poſſit intrare cæleſtia.*

Per Baptiſmum aperitur regnum cælorum.

Beda. *Aquæ Baptiſmales extinguunt flammã prohibentem paradiſum.*

59\. Quæres, quare dicitur hîc cælum apertum in Baptiſmo, & non in Chriſti paſſione? Reſpondet Abulenſis *quæſt.81. §. ad ſecundum*, quòd per paſſionem Chriſti apertum fuit cælum omnibus hominibus, tamquam per cauſam generalem apertionis, & quia non omnes ſaluantur, neceſſe eſt quòd aliquid ſit, per quod fructus paſſionis hominibus applicetur, & ſic in cælum introeant; iſtud autem eſt per Baptiſmum iuxta illud ad Rom.6. num.3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*; paſſio ergo fuit cauſa meritoria, Baptiſmus cauſa applicans, ita Abulenſis. Secundò. In Baptiſmo fuerunt portæ apertæ, in paſſione totaliter ablatæ, vt dixi ſuperiori quæſt. ex Chryſoſtomo.

Abulenſ. *Cur cælum dicitur apertum in baptiſmo, & non in paſſione.* Rom.6.

60\. Dico quòd in Baptiſmo videntur cæli aperti in ſolemnitatem, & feſtiuitatem manifeſtationis Chriſti Domini, & quòd ipſe ſuum Baptiſmum in ianua cæli inſtitueret. At in paſſione, erat dies iræ, & vltionis Domini, quando vindictam ſumpſit de peccatis noſtris in filio ſuo, dicitur enim *dies vltionis, annus redemptionis*, Iſai. 63. num. 4. & ideo ſol obſcuratus eſt, terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt, ac proinde ſignum tam feſtiuæ lætitiæ non fuit ibi manifeſtandum. Iſai.63.

Qvæstio XVIII.

Quare non dicatur cælum, ſed cæli aperti?

61\. Svfficienter ſatis exprimebatur, ſi diceretur cælum apertum, ad quid dicuntur in plurali, *cæli*? Prima ſolutio & germana eſt, quòd frequenter ponitur plurale pro ſingulari, & idem valet. Stephan. Actor.7.n.55. *Video cælos apertos.* Iob.37. num.3. *Subter omnes cælos ipſe conſiderat.* Reſpondet ſecundò Origenes hom.1. in Ezechiel. *Aperti ſunt,* ait, *cæli: non ſufficit vnum cælum aperiri, aperiuntur plurimi, vt deſcendant non ab vno, ſed ab omnibus cælis Angeli ad eos, qui ſaluandi ſunt. Quando enim viderunt principem militiæ cæleſtis in terreſtribus locis commorari, tunc per apertam viam ingreſſi ſunt, ſequentes Dominum ſuum, & parentes voluntati eius.* Tanta multitudo cæleſtium ſpirituum deſcendit ad terram, vt non ab vno cælo, ſed à pluribus videantur Angeli auolare, tum quia Chriſtus manifeſtabatur in terris, & vbi ipſe adeſt, ibi omnis Angelorum copia adſtat; tunc quia ibi parabatur Baptiſmus, ac ianua æternæ vitæ hominibus ſaluandis, ideo omnes occurrunt, & magna vigilantia, ac affectu in noſtram ſalutem.

Actor.7. Iob.37. Origenes. *Vbi Chriſtus ibi omnes Angeli.* *Angeli volãt ad noſtram ſalutem.*

62\. Quæres, quando Chriſtus Dominus aſcendit ad æternum thalamum ad dexteram Patris, cur dicitur tantùm cælum. *Et Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in cælum,* Marc.16. n.19. Act. 1. num.10. & 11. hîc verò in plurali dicuntur *cæli. Cæli aperti ſunt ei*? Reſpondeo, quòd quando Chriſtus eleuatus eſt ad paternam gloriam, vt iure hæreditario eam poſſideat, dicitur cælum; quando verò hîc in Baptiſmo eam hominibus aperit, cæli appellantur; quamuis enim nihil ibi accreſcat, amplior quodammodo videtur ipſa ſedes, dum hominibus eam Chriſtus aperit, ac illius participes fiunt, quàm dum tantùm ipſe ibi regnat, ac eam obtinet. De Deo Opt. Max. ait Dauid, *Dominus in cælo ſedes eius*, Pſalm.10.n.5. *Dominus in cælo parauit ſedem ſuam*, Pſalm.102. num. 19. At cùm Deus ad nos venit, quærens homines vt ad cæleſtem patriam duceret, ait, *Inclinauit cælos, & deſcendit*, Pſalm.17.num.10. cur tam diuerſimodè loquitur Regius Vates, nam cùm Deus in ſuo æterno throno regnat, dicitur *parauit in cælo ſedem ſuam*; cùm verò homines ad illam diuinam curiam deſtinantur, dicuntur *cæli cælorum inclinati*? Niſi, vt moraliter dicam, quia cæleſte palatium glorioſus, ac maiori amplitudine ſpatioſum quodammodo videtur, cùm hominibus communicatur, quàm dum ipſe ſolus Deus ibi commoratur.

Marc.16. Actor.1. *Amplior gloria dum nobis communicatur.* Pſalm.10. Pſalm.102. Pſalm.17.

* * *

Qvæstio XIX.

Circa columbam, in qua Spiritus apparuit, multa reſoluuntur?

63\. Tria hîc certa ſunt. Primum, quòd Chriſtus Dominus viderit ſuis oculis corporalibus columbam venientem ſuper ſe; ita habet textus, *Vidit venientem ſuper ſe.* de quo ſic ſcribit D. Auguſtinus lib.2. de Trinit. cap.6. *De illa columba nullus vnquam dubitauit, quòd oculis viſa ſit.* Secundum quòd non ſolùm Chriſtus, ſed etiam Ioannes illam viderit, Ioan.1. num.33. Tandem tertium, columbam ita deſcendiſſe, & ab omnibus fuiſſe conſpectam, ita docent D. Auguſtinus *citat.* Chryſoſtomus *homil. 56. in Ioannem*, nam illa venit in Chriſti teſtimonium; ergo ad hoc erat neceſſarium, vt à circunſtantibus videretur.

Quividerunt columbam. Aug ſt. Auguſt. Chryſoſt.

64\. Tria etiam hîc mihi ſunt probabiliora. Primum, quòd illa columba non erat verum animal, ſed tantùm ex aëre formata, ita docent D. Ambroſius *lib.1. de Sacrament. cap.5.* Nazianzen. *orat.39.* D. Auguſtinus *epiſt.102.* Abulenſis *q.84. & 85.* & expoſitores communiter, nam dicitur in text. quòd Spiritus venerit tamquam columba, *ſicut columba*; ergo quemadmodum *Actor.2.* de Spiritu ſancto dicitur, quòd venit tamquam ignis, quod intelligitur non de verò igne, ſed in externa ſimilitudine, ita etiam de columba dicendum eſt, & ita clariùs legit Corderius ex Græco, *quaſi columba*, quæ expleto officio ſuo redit in eandem materiam, de qua ſumpta eſt. Vnde mihi minus probabile eſt, id quod docent D. Auguſtinus *lib. de Agone Chriſti cap.22.* Chryſoſtomus *homil.12. in Matth.* & alij fuiſſe verum animal denuo creatum à Deo; fundamentum horum Patrum apponit D. Thomas 3. *part. q.29. art.7.* Quia non decebat vt Spiritus ſanctus, qui eſt Spiritus veritatis, vteretur aliqua fictione. Ad quod reſpondetur etiam ex D. Thoma 3. *part. quæſt. 76. artic. 8.* ac ex D. Auguſtino *lib.2. quæſtionum Euangel. quæſt. vltima*, quòd quando aliqua ſpecies diuinitus efformatur ad aliquam veritatem ſignificandam, nullam eſſe deceptionem, vt cùm Chriſtus apparuerit diſcipulis euntibus in Emaus in ſpecie peregrini, nulla interuenit deceptio, etiam ſi contigerit, vt alij deciperentur occaſionaliter, quia illa repræſentatio verè datur.

Columba non erat verum animal. Ambroſ. Nazianz. Auguſt. Abulenſ. Corder. Auguſt. Chryſoſt. D. Thom. S. Thom. Auguſt.

65\. Secundò. Mihi eſt valde probabile, & certum, quòd iſta columba non deſcenderit de cælo Empyreo, ſed ſolùm de aliqua parte regionis aëris, in qua formata eſt, & vbi apparuit aliqua ſimilitudo apertionis, ſeu hiatus ſenſibilis. Tertiò. Vt notat Abulenſis *quæſt. 85.* quòd aliquis Angelus illam ſimilitudinem columbæ fabricauerit de aëre, & mouerit eam vſque ad Chriſtum, & fecerit manere ſuper eum, quamdiu conueniens fuit, patet de columna ignis, & nubis præcedente Iudæos, quæ ſimiliter erat opus formatum de aëre, & mouebatur per Angelum, *Exod.14.*

Ex quo loco deſcendit. Abulenſis. *A quo mouebatur.*

* * *

Qvæstio XX.

Quare Spiritus ſanctus hîc deſcenderit ſuper Chriſtum?

66\. Certvm eſt, quòd Spiritus ſanctus in ſua ſubſtantia non deſcenderit, tum quia vbique eſt, tum quia ſpecialiter per omnia dona ſi a fuerit in anima Chriſti Domini à primo inſtanti Incarnationis vt docent Theologi cum D. Thoma 3. *p. quæſt.7. art.5.* neque enim Spiritus ſanctus viſus eſt à Ioanne, nec oculo corporeo videri non poteſt, ſed deſcendere dicitur ratione ſigni, quia columba ſignum erat Spiritus ſancti; & hæc deſcendebat: & eadem ratione viſus dicitur, ſicut olim Deus videri à Prophetis dictus eſt, ratione figurarum, quæ Deum repræſentabant: eſt enim Metonymia, per quam ſignum pro ſignato vſurpatur. Quærimus ergo cur Spiritus ſanctus hîc deſcendere viſus eſt?

D. Thom.

67\. Reſpondent primò Abulenſis *quæſt.90.* & alij, quòd conueniens fuit vt Spiritus ſanctus forma viſibili appareret ſuper Chriſtum, vt cognoſceretur à Ioanne; quia licèt Ioannes cognoſceret Meſſiam iam eſſe natum, cuius viam ipſe diſponebat, tamen non cognoſcebat eius perſonam determinatè, & ideo ipſe ait, Ioan.1.n.33. *Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit mihi: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Ideo, vt Chriſtus cognoſceretur à Ioanne, debuit Spiritus venire. Quamquam hoc verum ſit, tamen adhuc inquirenda eſt cauſa cur venerit; non enim ideo Spiritus deſcendit, quia illud ſignum datum eſt Ioanni, ſed quia conueniens erat, vt ipſe veniret, ideo illud ſignum datum eſt. Cur ergo fuit conueniẽs. vt obiter dicam ad oſtendendum Chriſtum Ioanni, nulla enim creatura erat ſufficiens ad eum inſtruendum, & docendum, niſi Spiritus Dei. Alij multa didicerunt ab Angelis, vt *Daniel c.9.n.21.* à Gabriele, & *cap.10. num.10.* & Apoſtolus Euangeliſta in tota ſua Apocal. *cap.5. num.2. cap.7. n.1.* & ſæpiſſimè, & Apoſtoli *Actor.5. num.19. & c.10. num.26.* & tamen vt Ioanni aliquid oſtendatur, venit Spiritus ſanctus, diſcipulus minor eſt ſuo magiſtro, & alij poſſunt eſſe inferiores Angelis, & ab eis multa ediſcere, at Baptiſta diuini Spiritus deſignatur diſcipulus.

Abulenſis. Ioan.1. *Ioãnes ſolum Deo inferior.*

68\. Secundò. Idem Abulenſis aliam reddit cauſam, Ioannes dixerat quòd Meſſias erat excellentior quàm ipſe; quia ipſe ſolùm baptizabat in aqua, Meſſias verò baptizaret in Spiritu ſancto, *Matth.3. num.11. Marc.1. n.8.* Ad oſtendendum, quòd ille erat, qui baptizabat in Spiritu ſancto, conueniens fuit vt appareret ſuper eum. Tertiò, vt Docent Diuus Chryſoſtomus, D. Remigius, D. Thomas, id quod factum eſt in Chriſti Baptiſmo, pertinet ad myſterium omnium, qui poſtea baptizati fuerunt; omnes autem, qui ritè baptizantur in Chriſto, recipiunt Spiritum ſanctum; ergo magna diſpoſitione factum eſt, vt ſuper Chriſtum baptizatum Spiritus ſanctus appareret. Quartò. D. Epiphan. *in Anchorato*, tenet Spiritum ſanctum deſcendiſſe, vt ſignificaret aquas eſſe iam puras iis, qui baptizandi erant in Chriſto.

Abulenſis. Chryſoſt. Remig. S. Thom. Epiph.

69\. Irenæus. Quintò. D. Irenæus lib. 3. cap. 19. *Spiritum ſanctum*, ait, *promiſit Deus per Prophetas effundere ſe in nouiſſimis temporibus, ſuper ſeruos, & ancillas, vt prophetent, vnde & in filium Dei filium hominis factum deſcendit, cum ipſo aſſueſcens habitare in genere humano, & requieſcere in hominibus; operans in ipſis, & renouans eos à vetuſtate in nouitatem Chriſti.*

A Chriſto omne bonum. Vt diuinus Spiritus diffundatur ſuper homines, priùs hîc deſcendit viſibiliter ſuper Chriſtum, cum quo erat à principio, vt ab ipſo nobis communicetur, omne enim cæleſte donum ab illo dimanat, & ipſe eſt omnium bonorum fons. Sextò. D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 2.

Cyrillus. Ioël. *Datus eſt ſpiritus Adamo in principio, ſed non manſit naturæ humanæ. Poſtquam autem factus eſt pauper, qui erat diues, vnigenitus, inquam, & nobiſcum vt homo eſſe cœpit, & proprium ſibi ſpiritum, vt aduentitium accepit, manſit ſuper eum, vt in nobis quoque in poſterum habitet.* Conſidera vltima verba, *& proprium ſibi ſpiritum, vt aduentitium accepit.*

Dona ſi non ex iure debita conſiderẽtur, maximè proficiunt. Chriſtus Dominus, vt verus Deus, maximè ei erat intimus Dei ſpiritus, ita vt impoſſibile eſſet, vt ab eo ſepararetur, & tamen dum extrinſecè viſibili forma columbæ vt aduentitium accipit, fit eius diuinitatis publica teſtificatio à Patre, & vt ipſe ſpiritus in nobis habitet, indulget; tunc enim dona in nobis maximè relucent, ac augentur, quando non vt naturalia, nec vt ex iure debita, ſed vt aduentitia conſideramus, ac veneramur. Iudæi cùm gratiam, & cæleſtia dona vt ſibi ingenita exiſtimarent, cùm eſſent filij Abrahæ, illa perdiderunt, & ideo eis dicebat Ioannes, ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham, de quo ſuperiori cap. *quæſt* 22. Chriſtus verò Dominus, dum ſibi ſpiritum intimum, tamquam quid aduentitium videt, maximè eius maieſtas patefit hominibus.

70\. Tertull. Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 8. *Tunc*, ait, *ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata, & benedicta corpora libens à Patre deſcendit, ſuper Baptiſmi aquas, tamquam priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit.*

Cyrill. Et ferè ſimiliter D. Cyriil. Hieroſolym. *Catech.* 3. Aquæ in exordio Mundi Deo ſeruierunt. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Geneſ. 1. num. 2.

Geneſ. 1. *Illud aptum inſtrumentũ de cuius ſubiectione habetur experientia.* Vt aquæ, quæ poſt tam longa tempora in Dei obſequio perſiſtebant, ac perſeuerabant, magnâ gratiarum plenitudine ditarentur; tum quia aquæ, quæ in creatione totius mundi promptè, & faciliter ſe ſe ſubiecerant Deo, etiam in reſtauratione alacriter, & ſine cunctatione inſeruirent, & ideo ad renouationem, ac ianuam totius fidei præparantur;

Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*, Ioan. 3. num. 5. Cur non potiùs aliud elementum, terra, vel aër, vel aquæ proferunt, v. gr. aurum, & argentum, ad tantum myſterium deſtinatur? dixit Deus in primordio,

Geneſ. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram*, Geneſ. 2. num. 20. ideo ergo ad tantum Sacramentum eliguntur aquæ; quæ enim fuerunt promptæ ad creationem animantium, facillimè ſe ſe accommodabant ad earum renouationem.

Tertull. Tertullianus lib. de Baptiſm. *Primus liquor*, ait, *quòd viueret edidit, ne mirum ſit, ſi in Baptiſmo aquæ animare nouerunt.* Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 12. Ad quæſtionem aliam rationem maximè literalem vide infrà *quæſt.* 22.

QVÆSTIO XXI.

Quare Spiritus ſanctus apparuerit in forma columbæ, non verò in altera ſpecie?

71\. Anſelm. PRIMÒ Reſpondet D. Anſelm. hîc, *Rectè Spiritus ſanctus*, ait, *corporali ſpecie apparet, quia filius aſſumendo corporis veritatem iam deſcenderat.*

Exemplum efficax Deum mouet. Tam efficax eſt exemplum, ac ſimilitudo, vt non ſolùm homines attrahat, ſed etiam diuinas perſonas excitet, ac proinde cùm filius Dei aſſumpſerit naturam humanam, ac deſcenderit ad nos, ita etiam Spiritus ſanctus voluit naturam columbinam oſtentare, & deſcendere. Ratio moralis eſt, & procedit cur in ſpecie corporali apparuerit, non verò de forma columbæ probat, quod noſtrum eſt intentum.

72\. Secundò. Cur non apparuit in ſpecie, ac forma ignis, ſicut venit ſuper Apoſtolos, *Actor.* 1.

Paſchaſ. D. Paſchaſius lib. 2. in Matth. *In columba meritò apparuit*, ait, *vt per eam nos doceret, quid ipſe in nobis gerat, vel ipſi in eo quales eſſe debeamus. Solet itaque nidificare in foraminibus petræ, ſeu cauerna maceriæ: petra autem eſt Chriſtus, in cuius lateris foramine omnis Eccleſia nidificat, dum eius ſanguinis pretio conſecratur*,

Cant. 7. Cant. 7. num. 11. *Veni columba mea in foraminibus petræ*, &c. Columba oſtenditur Chriſtus, & publicatur in orbe, vt inde manifeſtum ſit, qualis ipſe erga nos ſe habeat, & nos erga ipſum eſſe debeamus.

In meditatione paſſionis Chriſti commorandum. Columba ſciſſuras petrarum quærit, vt ibi nidificet, ac habitet. Chriſtus verò petra in ſuis foraminibus, ac plagis nos regenerauit, ac procreauit, & hæc ſanctiſſima foramina quærenda ſunt, & ibi per meditationem paſſionis debemus habitare, vt illius fructus participes ſimus.

Paſchaſ. Tertiò. Idem S. Paſchaſius *citato loco*, aliam reddit rationem, quia *columba* in Scriptura deſignat Spiritum ſanctum, ita ſignificat columba, quam emiſit Noë ex arca, ſimiliter illa, de qua dicitur

Cant. 6. Cant. 6. num. 8. *Vna eſt columba mea*; vnde ait S. Pater, *Officioſiſſimum fuit Spiritum ſanctum apparere per eam, ex cuius iam olim ſpecie illa cognominabatur, & per quam in diluuio iuxta myſterium Sacramenti fuerat figuratus.* In ſpecie in qua olim fuerat repræſentatus, etiam modò voluit figurari, vt veritas vtriuſque paginæ conſtaret.

73\. Alexandr. Quartò. D. Dionyſ. Alexandr. contra Samoſaten. q. 5. *Cur*, ait, *Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit? Scilicet vt nos doceret, qui miſit illum, quique eum, quem miſit, accepit. Sicut enim Noë dimiſit ex arca columbam, & ipſe illam recepit, ad eandem ſimilitudinem intelligendum nobis eſt ipſius Chriſti eſſe Spiritum ſanctum, & quod erat ipſius, hoc dediſſe nobis, diuidens, & effundens ſuper omnem carnem.*

Quæ pro ſalute aliorum dantur, cum vſura acquiruntur. Ad figuram columbæ Noë venit Spiritus ſanctus; nam ſicut ille emiſit columbam, & cum nouo ramo oliuæ recepit: ita Chriſtus Dominus, qui emiſit Spiritum ſanctum, ſibi intimum ſuper omnem carnem, cum nouo munere reconciliationis, ac pacis venientem ad ſe vidit in ſpecie columbæ, quæ enim pro ſalute proximorum dantur, cum emolumento comparantur. D. Cyrill. Hieroſol. *Catech.* 10. ait, quòd ſicut columba venit ad Noë ad veſperam qui per lignum ſaluabat genus humanum, ita ait, *Deſcendit in*

columba in Baptiſmo, vt oſtenderet hunc eſſe qui per lignum crucis ſaluat credentes, qui ſub veſperũ per mortem ſuam effecturus ſit ſalutem.

Auguſt. Quintò D. Auguſt. *tract.* 7. *in primam Epiſt. Ioan. ad finem, tom.* 9. ſic ait. *Species illa columbæ eſt, in qua ſpecie venit Spiritus ſanctus, quo nobis charitas infunderetur? Quare hoc? fel columba non habet: tamen roſtro, & pennis pro nido pugnat, ſine amaritudine ſæuit.*

Prælatus pũgat ſine ira & odio. *Hoc fecit & Pater quando filium caſtigat: ſi ad diſciplinam caſtigat, ſeductor vt vendat, cum amaritudine blanditur: pater vt corrigat, ſine felle caſtigat.* In figura columbæ venit Spiritus ſanctus ſuper caput Chriſti, deſignantem Eccleſiæ Patres, ac Prælatos; columba habet roſtrum & pennas, vt pro ſuis nidis, ac pullis pugnet, hoc tamen ſine felle amaritudinis. Prælatus vt Pater aliquando habeat aculeos, vt pungat, hoc tamen vt ſuos illæſos cuſtodiat, ac tueatur, non verò vt ira & odio perſequatur, hoc non munus eſt parentis, ſed ſeductoris, & inimici.

74\. Auguſt. Sextò. D. Auguſtinus tract. 6. in Ioannem, *Cùm mitteret*, ait, *Spiritum ſanctum, duobus modis eum oſtendit viſibiliter. Per columbam ſuper Dominum baptizatum, & per ignem ſuper diſcipulos congregatos, ibi ſimplicitas, hîc fauor oſtenditur.*

Bonus Prælatus non viuit de alieno ſanguine. *Ergo ne Spiritu ſanctificati dolum habeant, in columba demonſtratus eſt, ſunt paſſeres breuiſſimi, qui vel muſcas occidant, nil horum columba. Non enim de morte paſcitur. Qui laniarunt Eccleſiam de morte paſcuntur.* In forma ignis, & columbæ apparuit Spiritus ſanctus, quia in ſuis feruorem, ac zelum legis, & ſimplicitatem, ac lenitatem requirit: ſola columba inter alias auiculas de alterius morte non ſaginatur, ſed tantùm electa grana veſcitur. Perfecti Chriſtiani, ac Prælati nota eſt, non aliorum ſanguine ali, nec eorum ruinis paſci, ſed tantùm ſalutiferi corporis Chriſti grano. Septimò. D. Cyrillus Hieroſoly-

Cyrill. mitan. Catecheſi 50. *Deſcendit*, ait, *Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ mundæ, vt aliqui dicunt, tanquam ſimplicis propter pueros innocentes, & pueros paruulos, qui naſcuntur ex Baptiſmo.* Maximè ſimplicitate, & puritate delectatur diuinus Spiritus, & ideo in hac auicula, quæ eam exprimit, apparet, præcipuè dum venit ſuper Chriſtum, quid enim melius conuenit agno, quàm columba; quod agnus in animalibus, hoc columba in auibus eſt, ſumma vtriuſque innocentia, ac ſimplicitas.

75\. Origenes. Octauò. Origenes homil. 2. in Cantica, *Quia*, ait, *Saluator noſter hominem dignatus eſt aſſumere, & venit ad terras, multique tunc circa Iordanem peccatores erant: idcirco non turtur, ſed columba venit, & inter nos propter hominum multitudinem auis manſuetior conuerſatur.* Cur Spiritus ſanctus non in forma turturis apparet, de qua dicebat olim diuina ſponſa,

Cantic. 2. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, Cantic. 2. num. 12. *Turtur* auis eſt ſolitaria aliorum conſortium fugiens; *columba* verò auicula aſſociabilis, gregatim volat, aliarum ſocietatem amat; in hac forma videtur Spiritus ſanctus, ex quo declaratur quantum

Amicitia, ac conuerſatione humana etiã delectatur Deus. humana conuerſatione, ac amicitia delectatur, & quantum illi placeat inter fratres habitari, ac commorari.

Chryſoſt. Hoc etiam in columba notat D. Chryſoſtomus homil. 26. in Geneſ. *Columba*, ait, *animal eſt mite, & noſtra familiaritate gaudens, idcirco redit ad Noë.*

76\. D. Thom. Nonò. D. Thomas propter quatuor, ait Spiritus ſanctus apparuit in effigie columbæ. Primò propter charitatem, columba eſt animal amoroſum,

Cantic. 5. Cantic. 5. *Aperi mihi ſoror mea, columba mea.* Spiritus ſanctus charitas, & amor eſt. Ergo meritò hanc figuram elegit.

Magna fœcunditas Spiritus ſancti. Secundò propter innocentiam, & ſimplicitatem, de quo iam dixi. Tertiò, quia habet gemitum pro cantu, & hanc rationem reddit etiam D. Auguſti-

Auguſt. Rom 8. nus tract. 6. in Ioan. *Spiritus autem poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Roman. 8. n 26. *Docet nos*, ait Auguſtinus, *Spiritus ſanctus gemere: inſinuat enim nobis, quia peregrinamur, & docet nos in patriam ſuſpirare, & ipſo deſiderio gemimus*, Quartò propter fœcunditatem, vnde etiam præcipiebatur in lege, poſt partum offerri columbas. Ad repræſentandam influentiam donorum Spiritus apparuit in columba. Decimò.

Theoph. Theophylactus, *Vbi fœtor eſt*, ait, *columba ibi non manet; ſic Spiritus ſanctus.* Sicut enim quando iniucundus odor adeſt, ibi non eſt columba, ita etiam Spiritus ſanctus procul abeſt ab ſqualore peccati. Euthymius in 3. Matth. *Columba*, ait, *bono gaudet odore.* Sic & Spiritus ſanctus fragrantia virtutum delectatur.

77\. Chryſoſt. Paſchaſ. Vndecimò. D. Chryſoſtomus, D. Paſchaſius. In ſpecie columbæ, videtur Spiritus ſanctus, eſt enim valde manſuetum animal, & cùm Chriſtus

Benignitate omnia trahuntur. Dominus hîc princeps, ac Dominus Regum terræ manifeſtaretur, ſtatim eius manſuetudo, ac lenitas, fuit declaranda, vt facilè omnes ad ſe traheret.

Anſelm. Quod eleganter ponderat D. Anſelmus in cap. 3. Luc. *Rectè*, ait, *ſicut columba Spiritus in eum deſcendit, vt eius manſuetudinem nobis intimaret, homo pro hominibus factus mitem ſe hominibus præbuit: noluit peccatores ferire, ſed colligere. Priùs voluit per manſuetudinem colligere, vt haberet quos poſtmodum in iudicio ſaluaret.* Nihil enim potentius eſt manſuetudine, ac benignitate, vt omnes ad ſe alliciat.

D. Thom. Nam cùm Deus olim, vt notat D. Thomas appareret in igne in rubo, *Exod.* 3. *num.* 2. & in legis latione in fulgure, & tonitruo, *Exod.* 19. *num.* 20. & Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos in igne, ad Chriſti Baptiſmum in columba deſcendit, per alios durities, & rigor diſpergitur; Chriſto verò tantùm manſuetudo reſeruatur. vt facilè ſubiiciat orbem.

Gregor. Quod ponderat D. Gregorius *homil.* 30. *in Euangelia*, & ideo in Chriſto videntur cæli aperti; in Apoſtolis verò auditur ſonus vehementis Spiritus de Chriſto Domino, ait

Abac. 3. Abacuc cap. 3. n. 5. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.*

Drogo. Drogo lib. de paſſione. *Quæ eſt autem fortitudo tua, niſi manſuetudo tua.* Alij Sancti habeant fortitudinem in igneo ſupplicio, Chriſtus tantùm in lenitate, & manſuetudine. Apoſtoli licèt multos beneficiis, vita ac ſalute donauerint, alios rigida pœna caſtigauerunt. D. Petrus Ananiam interfecit, *Actor.* 5. *n.* 5. D. Paulus Magum Elimam cæcitate vulnerauit, *Actor.* 13. *num.* 11. Chriſtus verò Dominus mortuos ad vitam reuocauit, ægros ſanauit, nullum verò nec morte, nec morbo percuſſit.

Tertull. Quod eleganter expendit Tertullianus lib. de pudicitia cap. 21. *Apoſtoli*, ait, *mortuos ſuſcitarunt, quod Deus ſolus; & debiles redintegrauerunt, quod nemo niſi Chriſtus. Imò & plagas inflixerunt, quod noluit Chriſtus, non enim decebat eum ſæuire, qui pati venerat.* Vide *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 27.

Qvæstio XXII.

Quare Spiritus ſanctus requieuerit ſuper caput Chriſti?

Carthuſ. Hugo.

78. Spiritvs ſanctus deſcendit,& venit ſuper Chriſtum,& manſit in ipſo, vt clariùs habet Marcus, quod ſignificat aliquam diuturnitatem *ſtandi*, quod explicant Carthuſianus, Hugo,& alij, quòd columba ſedit ſuper caput Chriſti, vt ignis ſuper Apoſtolos; quærimus cur ſuper caput Chriſti requieuit columba, & non ad manus aduolauerit, vel ſuper humeros, ſeu ad aures,vt de multis Sanctis legitur, S.Gregorio Magno,S.Thoma,S.Thereſia.

Syriacus.

79. *Super caput ſedit.* Primò, vt oſtenderetur, quòd Spiritus ſanctus totum Chriſtum,& omnes eius potentias repleuerat, ac occupauerat, & vt ita facilè ab omnibus videretur. Secundò,& moraliter. Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ reſidet ſuper caput Chriſti, veluti quandam excellentiam oſtendens,& ideo dicitur in textu, *Vidit venientem ſuper ſe*,& Syriac.habet,*Inſpexit*,quod ad ea quæ ſunt in eminentiori loco dirigitur.Sed quare maiorem excellentiam Spiritus ſanctus hîc viſibiliter oſtendit, cùm in diuinitate æqualis ſit perſonæ Verbi? *Deſcendit ſicut columba*,& in hoc apparet maior maieſtas; venit ad nos diuinum Verbum, & aſſumpſit naturam humanam. Venit hîc Spiritus ſanctus, & in ſpecie, ac repræſentatione columbæ videtur. Natura humana multo nobilior, ac præſtantior, quàm columbina, vt per ſe patet; dum ergo Spiritus ſanctus in hac inferiori natura repræſentatur, maiorem ſubmiſſionem, ac humilitatem exprimit; quanto ergo in intuitu noſtro humilior apparet, tanto in excellentia, ac loco eminentior videtur, licèt aliàs ſecundùm naturam, & eſſentiam ſit æqualis. D. Anſelmus, *Hic dicitur autem*,ait,*Spiritus ſanctus aliter deſcendiſſe, quia ſe humiliauit,cùm per tam humilem ſpeciem præſentiam ſuam manifeſtauerit.*

Humilitas maximè exaltat.

Anſelm.

Hieron. Hilar. Anſelm. Euthymius. Abulenſ.

80. Tertiò.Et eſt vera ratio literalis D.Hieronymi. *Sedit*,ait,*columba ſuper caput Ieſu:ne quis putaret vocem Patris ad Ioannem factam, non ad Dominum.*Idem ferè D.Hilarius, D.Anſelmus, Theophylactus,Euthymius,Abulenſis. Dum Chriſtus, & Ioannes adſtant,ſimul vox Patris intonat, *Hic eſt filius meus dilectus.* Ne quis putaret,vel dubitaret dictum eſſe de Ioanne, & non de Chriſto, præcipuè cùm Ioannes in magna opinione eſſet apud Iudæos; ideo Spiritus ſanctus deſcendit ſuper caput Chriſti, vt ait Chryſoſtom. hom.12.in Matth. *Extenti quodammodo vice digiti filium Dei demonſtrat*, &c.omnibus perſpicuum faciens Chriſtum eſſe Filium Dei,& licèt hæc vox Patris, *Hic eſt filius meus dilectus*,intonat hîc,& in Thabor, *Matth.* 17. *n.*5. tamen hîc tantùm apparet Spiritus ſanctus,quia non inter illos tres Apoſtolos, & Chriſtum, ſed inter ipſum, & Ioannem, poterat eſſe dubitatio, de quo Pater loqueretur; ad hoc ergo dubium excludendum hîc Spiritus apparet.

Chryſoſt.

Ioannes valde ſimilis Chriſto.

81. Sed cur ad oſtendendum Chriſtum Dominum non ſufficit aliquod ſignum cæleſte factum ab Angelo,vt ignis ſuper Apoſtolos, globus igneus ſuper caput D. Martini, fulgor quidam ſuper Diuum Gregorium? Reſpondeo primò, quòd Spiritus aduenerit ad maiorem maieſtatem & gloriam Chriſti Domini,vt patet ex dictis. Secundò, & moraliter, aderat Saluator cum ſuo Baptiſta,inter quos eſt tam intima ſimilitudo,vt vnum diſtinctum oſtendere ab alio,nulla videatur ſufficiens creatura, niſi ipſa perſpicacia diuini intellectus, & ideo hîc adeſt diuinus Spiritus, & non vt in Thabor vox tantùm de nube auditur, ſed hîc cæli aperti videntur, & vox Patris hîc primum,vt dicam *q.*23.de cælis intonat.*Hic eſt filius meus*,tot & tanta requirebantur, vt non Ioannes, ſed Chriſtus verus filius Dei agnoſceretur,& quid mirum cùm in Ioanne tanta vitæ ſanctitas reluceat, vt Verbum Incarnatum videatur imitari: dum Saluator venit ad Præcurſorem, vt ab eo baptizaretur, ait D.Bernardus ſermon.de S.Ioanne.*Stupet*,ait,*Ioannes,& timore concutitur,ac Patriarcharum infinitus horror inſiluit.*Expende illud verbum,*infinitus horror*, ſeu timor inſiluit,timor ille naſcebatur ab Spiritus ſancti dono,quo Sancti Deum venerantur; ſed quomodo ait S Pater, quòd eſſet infinitus; habere actiones infinitas & infiniti valoris, proprium eſt Chriſti Domini, hyperbolica eſt loquutio hîc ſancti Patris, licèt enim actiones Ioannis eſſent limitatæ, tamen ad exaggerandam eius intentionem, & quantum Chriſti opera imitabantur, timor infinitus dicitur. Ait Chryſoſtomus, Matth.11.n.11. *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Vbi iuxta mentem D. Hilarij, Ruperti, Euthymij, ac Theophylacti, eſt ſenſus. Ego quamuis videar minor in Eccleſia, maior ſum illo, ſcilicet Ioanne; ſed cur Chriſtus diſertè ſe dicit Ioanne maiorem? Vt ait Euthymius, tanta erat illius ſanctitas, vt ne quis aliter putaret, neceſſe fuit, quòd ipſa veritas proprio ore hoc explicaret, & diſcerneret;ſed cur ſolùm ſe dicit maiorem Ioanne?talis, & tantus eſt Ioannes, quòd dum Chriſtus teſtatur ipſum præcellere omnibus, eſſe maiorem ſe manifeſtat. nam, vt ait D.Auguſt. *quidquid Ioanne maius eſt,non homo,ſed Deus eſt.*

Solus diuinus intellectus valet diſtinguere Ioãnẽ à Chriſto.

Bernard.

Matth 11. Hilar. Rupert. Euthym. Theophyl.

Ioannes omnibus maior.

Auguſt.

Matth. 3 *n.*17. Et ecce vox de cælis, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

VERSIONES.

Syriacus. Hic eſt filius meus dilectiſſimus.

Text.Græcus. Hic eſt ille filius meus vnigenitus maximè dilectus, in quo bene complacitum eſt.

*D. Aug. lib.*2. *de Conſenſ. Euang.c.*14. *D.Hilar. lib.* 11. *de Trin.* Vox dicens, Tu es filius meus, ego hodie genui te.

Text.Hebraic. Filius meus vnicè dilectus, in quo placatus, ſeu reconciliatus ſum:ſeu conquieſco.

*D.Athan.li.*3. *contr.Arr.* In quo mihi congratulor.

D.Ire

D.Iren. lib 3. *c.*11. *D.Cyprian. lib.*5. *contr. Iudæ. cap.*10. In quo bene ſenſi.

*D.Cypr. lib.*2. *de Baptiſm.* In quo bene ſenſi, ipſum audite.

Sà ex Græco. Tu es filius meus vnicus vnicè dilectus, qui mihi ſingulariter eſt gratus.

Alter Textvs.

*Marc.*1.*n.*11. Et vox facta eſt de cælis: Tu es filius meus dilectus,in te complacui.

Lucæ 3.*n.*22. Et vox de cælo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

EXPOSITIO.

Iſidor. Chryſoſt. D.Thom.

Auguſt. Hilar. Iuſtin.

Syriacus.

82. Manente Spiritu ſancto ſuper Chriſtum,adeſt proteſtatio Patris: *Et ecce vox de cælis,dicens:Hic eſt filius meus*;ſi populus exiſtimabat Ioannem maiorem Chriſto, quod poterat corroborari, quòd Chriſtus ad eius Baptiſma ſuſcipiendum veniſſet, teſtificatur Pater Chriſtum multò eſſe præſtantiorem Ioanne,cùm eius ſit filius naturalis,ad diſtinctionem noſtram; qui ſumus filij adoptiui,vt notant D.Iſidorus Peluſiota *lib.*1. *Epiſt.*97. D.Chryſoſt. D.Thom.*hîc*, & ita in text. Græco ſunt duo nomina maximè expreſſiua,vt articulus,*Hic eſt ille filius meus*,ſcilicet,quem ab æterno generaui, & nomen correſpondens dictioni *filius*, non ſolùm ſignificat filium, ſed etiam vnigenitum; quod vt clariùs explicarent D.Auguſt. D.Hilarius, D.Iuſtin. Martyr *in Dialogo contra Tryphonem*, legunt ex Pſalmo,*Tu es filius meus,ego hodie genui te. Dilectus* per antonomaſiam, quod tantùm conuenit filio Dei, quod clariùs exprimit Syriacus, *Dilectiſſimus*,& textus Hebraicus,*Vnicè dilectus*.Nam per gratiam,& adoptionem multi amantur à Deo,per naturam, & eſſentialiter vnicè dilectus eſt,vt filius,Chriſtus Dominus. Dilectum filium appellat; at cur non dicitur,filius meus bonus,ſapiens, omnipotens? Sed *dilectum* vocat. Aderat iam tempus,vt Chriſtus ſuam prædicationem inchoaret, vt ægrotos ſanaret, & homines inſtrueret de via ſalutis,& qui talibus ſtudiis incumbunt, maximè Deo chari ſunt, ideo aliis nuncupationibus prætermiſſis, filium dilectum appellat; quamuis enim filius æterno parenti ſemper ſit chariſſimus; tamen in illis functionibus alta voce intonante filium ſibi eſſe dilectum, Pater declarat, & manifeſtat, vt his nos doceat quâm chari ſunt ei qui de aliorum ſalute, opere, ac doctrina agunt. Caietanus hîc, *Geſta autem*,ait, *ſunt hæc tempore Baptiſmi Chriſti ad monſtrandum officium prædicantis, & redimentis mundum; Ieſus ſiquidem vſque ad tempus ſui Baptiſmi,conuerſatus, & habitus eſt,ſicut vnus de populo, à tempore autem Baptiſmi incepit exequi officium, pro quo venerat; quia itaque Baptiſmus Chriſti, initium erat officij Chriſti,ideo officij tanti exordium,conſecratum eſt tot myſterijs, cælum apertum eſt, Spiritus ſanctus columbæ ſpecie venit ſuper ipſum*,&c.

Maximè chari Deo,qui de aliorum ſalute opere ac doctrina agunt.

Caiet.

Pſalm.149. Hieron. Carthuſ. Athan. Irenæus. Cyprian.

83. *In quo mihi complacui.* Modus loquendi eſt frequens in Scriptura. *Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo*, Pſalm.149.n.4. D.Hieronymus legit, *Complacet ſibi Dominus in populo ſuo.* Et ait Pater,*in quo mihi complacui*,id eſt,hic filius maximè mihi placet, quia nihil eſt in eo,quòd diſpliceat; tanquam ſi dicat, vt explicat Carthuſianus, *De eius perfectione complacentiam delectationémque habeo,tamquam qui talem filium genui;tam ſpecioſum,tam ſanctum, & mihi omnino ſimillimum.* Et ita legit D.Athanaſius *in quo congratulor*,hoc eſt, magnam lætitiam,ac gaudium oſtendo: & etiam in illo placet Pater, quia eum poſuit in reconciliationem generis humani,& ita habet Hebraicè, in quo reconciliatus, placatus ſum, ſeu conquieſco in ira mea.Irenæus, & Cyprianus habent, *in quo bene ſenſi*; ſed noſtra Vulgata, & omnes ferè Patres, *in quo complacui*, in præterito; nam quod de præſenti Pater maximè ſibi placeret in filio, manifeſtabat cælum apertum, Spiritus in ſpecie columbæ, & vox ipſa teſtificans; ne verò de præterito aliquis dubitaret, an Patri placeret, quòd filius factus eſſet homo,& in tanta humilitate, ideo ait,*in quo mihi complacui, ipſum audite*, non eſt in hoc text. Cyprianus ſumpſit illud ex ſimili voce facta in Thabor, de quo dicam ſuo loco.

Cur in præterito.

Qvæstio XXIII.

Circa hanc vocem prolatam à diuino Parente varia dubia reſoluuntur.

84. Prima quæſtio. Quomodo hæc vox tribuatur perſonæ Patris; nam hæc eſt vna ex actionibus ad extra, quæ communes ſunt toti Trinitati,& inſeparabiliter ab vno vero Deo Trino procedunt. Reſpondetur cum D. Auguſtino *ſerm.*63.*de verbis Domini*, D.Fulgentio *lib.de fide ad Petrum*, *cap.*9. D.Thoma 3.*part.quæſt.*39. *art.*8.*ad* 2. quòd quamuis illa vox à tota Trinitate ſit formata, tamen ſoli diuino parenti tribuitur, quia tantummodo illius perſonam loquentem indicabat; ſicut enim columba ad repræſentandam perſonam Spiritus ſancti ſpecialiter eſt deſtinata, ita etiam hæc vox ad indicandam perſonam Patris loquentem; nam ſignificatio iſtius vocis,*hic eſt filius meus*, tantùm ad patrem pertinet; & pulchrè diuinus parens per vocem manifeſtatur,cuius proprium eſt dicere,ac dicendo filium gignere, ac proinde per externam vocem declarat id quod per internam dictionem producit in realitate.

Quomodo hæc vox ſit Patris?

Auguſt. Fulgent. D.Thom.

Illud manifeſtatur in voce quòd fit in opere.

85. Quæſtio ſecunda. An hæc vox ſit producta immediatè à Deo, videntur affirmare D.Cyprianus *orat. de Baptiſmo*, Arnobius Carnotenſis *in Pſalm.*41. Probabilius tamen eſt,vt docent Abulenſis *q.*91. Carthuſianus, & alij, quòd hæc vox fuerit formata in aëre miniſterio alicuius Angeli, & hæc vox tribuitur Patri tantùm, quia nomine eius, ac ad illum ſolum oſtendendum intonuit, ſicut paſſim in ſcriptura Angeli loquentes cum Abrahamo, Moyſe, ac aliis dicunt, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, quia nomine Dei loqoebantur.

An vox ſit producta immediatè à Deo?

Cyprian. Arnob. Abulenſ. Carthuſ.

86\. Caiet. Ianſen. Quæſtio tertia. An iſta vox fuerit audita ab omnibus circunſtantibus? Caietanus, & Ianſenius dicunt, quòd Chriſto, & Ioanne excepto, ab aliis licèt vox fuerit audita, non tamen intellecta; tamen vtrumque habuit vox per reſpectum ad omnes, qui fuerunt in Iordane, audita eſt, & eius ſignificatio percepta; ita D. Chryſoſtomus *homil.12. in Matth.* D. Hilarius, Theophylactus, Euthymius *hîc*, Abulenſis *quæſt.93.* Suarius 3.*par. tom.2.diſp.27.ſect.3.§*...Hinc neceſſariò probatur, quia vox illa verus erat ſonus realis, & ſenſibilis; ergo magnum miraculum neceſſarium erat, vt ad aures Ioannis, & non aliorum perueniret; atqui ſine fundamento hoc miraculum eſt aſſerendum. Ergo ſecundò hæc vox facta eſt in teſtimonium diuinitatis Chriſti Domini; ergo non ſolùm à Ioanne, ſed etiam ab aliis audita, & intellecta eſt.

Chryſoſt. Hilar. Theophyl. Euthym. Abulenſ. Suarius.

Qvæstio XXIV.

An hæc vox fuerit formata in cælo, vel in aëre?

87\. Carnot. Qvod hæc vox fuerit delapſa è cælo, expreſsè affirmat Carnotenſis, & habet fundamentum in litera; nam dicitur, *facta eſt vox de cælo.* Tenendum tamen eſt cum communi ſententia, quòd hæc vox formata fuerit in aëre ſuperiori, qui etiam frequenter cæli nomine venit; hinc vocamus, *volucres cæli, aues cæli*, & quòd hæc vox non fuerit facta in cælo Empyreo, eſt manifeſtum, quia cælum à terra longiſſimo diſtat interuallo, & magnum miraculum neceſſarium erat, vt vox ex cælo in terra audiretur? Tum vt tanta diſtantia ſuperata breuiter perueniret ad nos. Deinde in cælo non eſt aër, quo ſonus, & vox excitari ſolent. Deinde hæc vox ſimilis eſt illi, quæ facta eſt in Thabor. *Hanc vocem*, inquit D. Petrus 2.cap.1.num.18. *nos audiuimus de cælo allatam cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.* Et tamen illa vox non facta in cælo, ſed in nube, vt conſtat ex *Matth.17.num.5.* ergo ſimiliter *hîc*.

2.Petr.1.

88\. Auguſt. Quandam rationem moralem huius rei aſſignat D. Auguſt. lib.3. de mirabilib. cap.3. *Dum in terra*, ait, *filius in Baptiſmi myſterium aquæ creaturam elegiſſet, neceſſum fuit, vt & Pater per aquaticam nubem intonaret, & Spiritus ſanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum eſt, ex illa nube acceptum ſimularet.* Cùm inter tres diuinas perſonas ſumma ſit vnio, ac concordia, cùm filius eſt in aquis, etiam Pater, & Spiritus ſanctus apparent in natura familiari aquis, & tunc Pater teſtatur ſibi complacere in filio, quando illi in externa repræſentatione ſe ſe aſſimilat, ac accommodat, ille enim maximè Deo applaudit, ac appropinquat, qui illi conformis fieri nititur. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, ait Regius Vates, *Pſalm.16. num.15.* H. Hieronymus, *Implebor*, ſeu, vt habetur apud Lorinum Hebraicè, *Satiabor cum euigilauero ſimilitudine tua*, tamquam ſi dicat Propheta, ſe veluti à ſomno excitatum impleri, ac ſatiari omni bono, cùm ipſe ſimilitudine, ac limitatione operum Dei effloruerit, quod latè proſequitur Clemens Alexandrinus *lib.3. Pædag. cap.2.*

Vt Deo placeas, illi aſſimilare.

Pſalm.16. Hieron.

Clem. Alex.

Qvæstio XXV.

Quare tripliciter hæc vox de cælo ſonet, hîc tamen primùm in Baptiſmo?

89\. Ter vox venit de cælo ſuper Chriſtum Dominum. Primò hîc. Vt eius innocentia, ac excellentia in tanta humilitate eſſet conſpicua, & quòd nos omnes per eius Baptiſmum renaſcimur, ac filij adoptionis Dei conſtituimur. Secundò. In monte audita eſt hæc vox, *Hic eſt filius meus*, & additum eſt, *ipſum audite*, Matth.17. num.5. Ibi enim officium Doctoris, ac Prædicatoris conſtituti à Deo ſuper Sion montem ſanctum eius, quoad vtrumque teſtamentum in Apoſtolis, ac Prophetis præfiguratum exercebat Chriſtus Dominus, & ideo dictum eſt ei, *filius meus es tu*, Pſalm.2.num 7. & quia nos audiendo eius doctrinam cum exequutione in filios Dei generamur. Poſtremò prope paſſionem hæc vox intonuit de cælo, *Clarificaui, & iterum clarificabo*, Ioan.12. n.28. Dum enim pro noſtra redemptione pati voluit, maximè ſe filium Dei declaranit, & quia nos etiam per eius paſſionem renaſcimur in filios adoptionis Dei: & ita, vt vno verbo dicam, Chriſtus Dominus cæleſti voce tripliciter declaratur filius Dei, primò, in eximia humilitate in Baptiſmo; ſecundò, in admirabili ſaſapientia in monte; tertiò, in magna tolerantia, ac patientia dolorum paſſionis.

Matth.17. Pſalm.2. Ioan.12.

Chriſtus declaratur filius Dei in humilitate, doctrina, ac patientia.

90\. Sed quæres curioſè, cur quando vox facta eſt primò in Baptiſmo, diſtinctè percipitur à circunſtantibus, vt dixi ſuperiori quæſtione in fine, ex communi ſententia. Similiter quando ſecundò facta eſt in monte, clarè illam audiunt Apoſtoli, vt patet ex *epiſt. 2. Petri cap.1. num.18.* Tamen dum vltimo de cælo tonat vox, diſtinctè à circunſtantibus non percipitur, vt patet ex litera *Ioan. 12. num. 28.* & ideo alij ſonitum magnum audierunt, idcirco tonitruum eſſe exiſtimarunt; alij diſtinctiùs, vt notant *ibi* Tolet. & Caietan. voces humanas agnouerunt; ſignificationem verò non intellexerunt; aſtabant hîc impij Iudæi, & obturatas aures habebant ad cæleſtem vocem percipiendam; ſed cur aſtantes in Baptiſmo audiunt ſicut Apoſtoli chariſſimi in monte; circunſtantes in Baptiſmo fortè erant diſcipuli, ac deuoti Ioannis Baptiſtæ, ac pœnitentiâ ſuorum peccatorum compuncti, & hac de cauſa ad Baptiſmum veniebant, & ideo fauore, ac indulgentia dilectiſſimorum Apoſtolorum Chriſti Domini munerantur; deinde ne aliquis exiſtimaret in Baptiſmo Chriſtum Dominum inferiorem Ioanne, ideo ab omnibus auditur vox, *Hic eſt filius meus.*

Tolet. Caiet.

Ioannis deuoti, ac pœnitentes maximè munerantur.

91\. Sed iam ad ſecundum quod inquirimus in quæſtione, Cur primum hîc vox cæleſtis parentis ſonat, deueniamus? Quod dubium excitat D. Cyprian. orat. de Bapt. Chriſti Dom. *Hucuſque*, ait, *Domine ſancte Pater, nõ audiuimus te loquentem, qui multifariè olim patribus locutus es in Prophetis, & per Angelos ſanctos, quibus ad diuerſa ſæpe myſteria à te legatio eſt iniuncta. Te ipſum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus, vt perſonaliter tibi aſſignetur locutio, quam profers. Hanc vocem à paternitate tua delatã nemo eſt, qui ambigat.* Nuſquam antea intonat vox, quæ tantùm Patri adſcriba

Cyprian.

adſcribatur, hucuſque ſæpe Deus per Angelos, & Prophetas locutus eſt, qui nomine Dei verba proferebant: at vbi Chriſtus Dominus in Baptiſmo aquas fœcundauit, vt nos immeritos Filios Dei, ac fratres ſuos parturirent, tunc paterna vox reſonat, & eum filium agnoſcit, dum ſimul fratres vult habere, ita pergit citatus D. Cyprianus. *Hoc teſtimonium auditum eſt, quia Filius Dei, quem Ioannes tenebat in manibus, verus homo, verus Deus, vnicus Patris, dilectus à Patre immeritos nos dilexit.* Quamuis eſſet vnicus filius per naturam, ita nos dilexit, vt eſſemus filij per gratiam. nam, vt ait D. Auguſtinus, *Vnicus natus eſt, & noluit manere vnicus*, de quo latè dixi *lib.1.c.1.q.45.*

Præclarum ingenium nolle eſſe ſolum in dignitate.

Auguſt.

Qvæstio XXVI.

Quare vox Patris in Baptiſmo audiatur ſuper Chriſtum.

92\. Hilar. Ad hanc quæſtionem pertinent omnia, quæ ſuprà dicta ſunt de Spiritu ſancto, *q.20. & 21.* Tamen claritatis gratiâ aliqua hîc dicamus. D. Hilar. 1. *in Pſal.138.* expendens de Chriſto illa verba, *Domine probaſti me, & cognouiſti me*, humilitate probatus à Patre tamquam legitimus filius ſit cognitus. *Demonſtrandum*, ait, *autem in Euangelio, vbi & probatus, & cognitus eſt. Humilitatis itaque eius probatio eſt, Vnigenitus namque Deus baptizari ſe tamquam peccator expoſcit*, &c. *Et probatus in iſtis omnibus.* Baptizato Ieſu confeſtim aſcendit de aqua, & vox de cælo, dicẽs, Hic eſt filius. *Probationẽ mox conſecuta eſt cogitatio, & quem humilitas probabilem fecerat, hunc paterna vox filiũ oſtendit.* Ex ipſa humilitate Pater filium ſibi cõſubſtantialẽ agnouit.

Humilitate probatur filius.

93\. Idem. Theophyl. Secundò. Idem D. Hilarius *can. 2. in Matth.* Theophylactus, & alij inquiunt hoc teſtimonio paternæ vocis indicari nos per Baptiſmum regenerari in filios Dei per adoptionẽ. Tertiò. D. Cyprianus *lib. 1. de Quirinum cap.* 10. Auditam eſſe vocem Patris, Hic eſt filius meus dilectus, quia iam tunc finiebatur lex vetus, quæ erat ſeruitutis, & initiabatur ſtatus Euangelicus filiorum Dei, de quo dicitur, Roman. 8. num. 15. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater* Quartò. Et valde communis ratio ſanctorum Patrum, D. Auguſtini *ſerm.63. de verbis Domini*, D. Hieronym. D. Paſchaſ. D. Anſelm. Chryſoſtomi, Bedæ *hîc*, D. Thom. 3. *part. q.39. art.8. in Corpore.* quòd in Chriſti Baptiſmo, tanquam in exemplari demonſtratur, quòd in noſtro Baptiſmo fit expreſſa profeſſio Trinitatis, ideo expreſsè tota Trinitas in Chriſti lauacro manifeſtatur, Pater in voce, filius in carne aſſumpta, Spiritus ſanctus in columba.

Cyprian.

Lex vetus ſeruitutis, lex gratiæ filiorum.

Rom.8.

Auguſt. Hieron. Paſchaſ. Anſelmus. Chryſoſt. Beda. D.Thom.

94\. Quintò. Vt teſtimonium Ioannis, quod de Chriſto perhibebat, vt patet ex toto hoc *cap. 3. Lucæ, & Matth. ac Ioannis* 1. cæleſti teſtimonio confirmaretur, vt ponderat D. Auguſtinus *ſerm. 37. de tempore*, ibi. Tanta erat authoritas Ioannis, quòd vt populus maiorem conciperet opinionem de Chriſto, neceſſe fuit, vt cæli aperirentur, Spiritus in columbæ ſpecie deſcenderet, & vox Patris teſtificaretur, *Hic eſt filius meus.* Sextò. Retenta lectione D. Auguſtini, Hilarij, ac aliorum Patrum, qui legunt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed quomodo Chriſtus Dominus, qui vt Deus ab æterno genitus eſt à Patre, ipſe tamen teſtificatur, *Ego hodie*, hoc eſt, in Baptiſmo, *genui te?* Acutè D. Method. apud Photium de caſtitate, ſic ait: *Oraculum cælitus à Patre Chriſto in Iordane datum eſt. Obſeruandum illud: Ego hodie genui te, voluit, inquit, eum qui priùs iam inde ante ſecula in cælis fuerat, etiam mũdo generare, hoc eſt, prius ignotum, notum reddere; nimirum ijs, qui multimodam Dei ſapientiam nondum intelligunt. numquam adhuc natus eſt Chriſtus, hoc eſt, numquam cognitus, & reuelatus.* Duplicem generationem filij ab æterno parente agnoſcit S. Doctor, vnam ante ſæcula, & æternam; alteram temporalem ab ore paterno, qua vt Filius Dei declaratus, ac publicatus eſt hominibus; nam vſque ad hunc diem Baptiſmatis Chriſtus Dominus erat ignotus mundo, & eius maieſtas in occulto, ac cùm Pater intonat, *Hic eſt filius meus*, eius præclara dignitas omnibus aperitur, ac manifeſtatur; bene ergo dicitur, *Ego hodie genui te*, quantum ad publicationem diuinitatis, nam explicatio, ac declaratio excellentiæ, & eminentiæ alicuius, qua è tenebris ignorantiæ prodiit, comparari poteſt aliquali modo, cum eſſe exorto: dignitas enim, quæ deliteſcit, ac inſcientiæ inuolucris tegitur, pro nulla appretiatur, ac æſtimatur.

Auguſt.

Magna Ioãnis opinio.

Method.

Dignitas occulta pro nulla reputatur.

95\. Septimò. Dum abluitur Saluator vt cunctis eius puritas aliena ab omni ſorde patefiat, Pater alta voce teſtificatur, *Hic eſt filius meus dilectus.* nam, vt ipſe & Matth. ſcribit 11.n.27. *Nemo nouit filium niſi Pater; neque Patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Solus genitor cognoſcit filium, ideo ipſe Pater gnati laudes teſtificatur, & clara voce intonat. D. Chryſol. *ſerm.* 160. ſic ait. *Hodie vox Dei ſuper aquas, quia Pater Deus, vt probaret generis fidem, ipſe ſui teſtis Filij, ipſe aſſertor aſſiſtit: Hic eſt filius meus dilectus; quia alterum qui teſtimonium diceret, non habebat; arcanum Patris arbitrum non habebat, teſtem generatio neſcit diuina, diuinitas externam non recipit notionem, ipſo filio dicente: Nemo nouit filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi filius.* Perpende illa verba, *Quia alterum qui teſtimonium diceret, non habebat.* Videlicet quaſi non vſurpaturus ſibi vt teſtificaretur, ſi alius daretur. Moraliter etiam in laudem Baptiſtæ aliquid hîc dicamus. *Alterum qui teſtimonium diceret, non habebat.* Dices, Baptiſta venit vt de Chriſto Domino ſuum daret teſtimonium. *Venit vt teſtimonium perhiberet de lumine*, Ioan.1.n.7. Cur ergo Ioannes hoc loco non profert ſuam aſſertionem de Chriſto, ipſum digito oſtendendo, *Ecce Agnus Dei*, vt in multis aliis occaſionibus præſtitit, *Ioann.1. à n.29.* Reſpondeo. Chriſtus Dominus venit hîc ad Ioannem, & magno honore ipſũ ſublimauit, vt ab illo baptizaretur; ne ergo falsò quis cogitaret quòd Ioannes his ineſcatus de Chriſto teſtificabatur; ideo Magnus Baptiſta Deo ſic ordinante, ſuum teſtimoniũ in tempora reſeruat; & ſi tunc decens erat, vt Ioannes non proclamaret, *Ecce Agnus Dei.* Tunc Pater laudes Chriſti celebrans à cælo intonat, *Hic eſt filius meus dilectus.* Quia ſi tunc conueniebat vt Ioannes ſuam præclaram publicam aſſertionem de Chriſto non diceret, tunc Pater adeſt, & teſtificationem dat de filio. *Quia alterum qui teſtimonium diceret, non habebat.* Vide ſuprà *lib.1. cap.8. quæſt.8. in fine num.20.*

Matth.11.

Chryſol. *Filium nemo nouit niſi Pater.*

Ioan.1.

Idem.

Ioannes teſtificando ſupplet vicem Patris.

Octauò.

96. Abulenſ. Octauò. Et eſt ratio valde germana, Abulenſis *quæſt.* 94. ait quod Chriſtus Dominus in Baptiſmo cœpit ſe manifeſtare vniuerſo populo Iudæorum, & ad hoc venit ad Baptiſmum. *Tunc ergo*, ait, *quando toti populo oſtenſus eſt, debuit maximè illud teſtimonium audiri, vt à principio Iudæi tenerent Ieſum in hac æſtimatione honoris, ſcilicet, quòd eſſet Filius Dei, nam facilius eſt hominem teneri in honore ſi à principio, quando cognoſci incipit, in ſtatu honoris, quam ſi inueniatur in ſtatu humili, & poſtea ſibi honor accreſcat.*

Quantum valet prima opinio concepta. Prima enim æſtimatio, & opinio, quæ concipitur de homine, multum iuuat, vt in magno habeatur; valde mirũ eſt, quòd ſanctiſſimos Patriarchas Deus his nominibus inſigniuerit, quæ eorum præclara facta maximè exprimerent; vt Henoch, ideſt, dedicatus: Elias, Deus Dominus, Dauid dilectus, Iob gemens, & alia ſexcenta; ad quid hæc? Lactantius. Lactantius Firmianus lib. de falſa religione diuinarum. *Vt ab ortu*, ait, *in nomine ſcriberetur eorum ingenium, & dignitas.* Quos Deus magnos facere decreuerat ab ortu in omnium animis magnam eorum ingerit æſtimationem Cùm Dauid ſe præpararet exire in prælium aduersùs Goliath; intendebat Saul eum auertere ab illa cogitatione, & dicebat ab Dauid. *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, hic vir bellator* 1. Reg. 7. *eſt ab adoleſcentia ſua.* 1. Regum cap. 17. n. 33. Cur verò non ait, hîc Philiſthæus ingentem habet molem corporis, magnum robur in membris, incredibilem dexteritatem in armis, quibus omnes dilacerat, ſed tantùm ait, *Vir bellator ab adoleſcentia ſua*, tamquam ſi diceret, quòd plus timebatur ob primam opiniónem, quam de eius fortitudine omnes conceperant, quàm ob inſuperabiles vires, ac egregia facta quæ omnes in eo experiebantur, & ita explicat Abulenſis, Abulenſ. quòd Saul dicebat hæc verba propter fortitudinem, & experientiam armorum Goliath, quam omnes in eo agnoſcebant,

QVÆSTIO XXVII.

Quomodo Euangeliſtæ cohæreant inter ſe, licèt diuerſimodò ſcribant hanc vocem Patris?

97. DIVERSIS verbis hanc vocem deſcribunt Euangeliſtæ. Nam Matth. ait. *Hic eſt filius meus.* Marcus, & Lucas, *Tu es filius meus.* Aliqui exiſtimarunt vocem bis prolatam eſſe à Patre ſemel, vt Marcus, & Lucas referunt, iterum verò vt tradit Matth. Communis tamen ſententia Patrum eſt verba ſemel fuiſſe dicta in Baptiſmo, ſicut & ſemel vox inſonuit in Thabor, quænam vox audita fuerit in Baptiſmo, an quam Matth. vel Lucas tradunt? Valde incertum; certiſſimum tamen in eis nullam eſſe contrarietatem, quia Euangeliſtæ ſæpe ſæpiùs eandem rem diuerſis verbis ſcribunt, quia non curant de verbis, ſed de ſententia, ac ſenſu rei; & ideo Marcus, & Lucas ſcribunt verba, vt directè dicta ad filium, *Tu es filius* propter aſtantes nam Chriſtus Dominus optimè ſciebat ſe eſſe Filium Dei, Matthæus verò ſcribit vt verba directè dicta propter circunſtantes, tamquam filium eis demonſtrando, *Hic eſt filius meus*, quæ erat intentio dicentis, ita D. Auguſt. Auguſtinus *de conſenſu Euangeliſt. hîc* D. Paſchaſius, D. Thomas, D. Bonauentura. Paſchaſ. D. Thom. Bonaueat.

98. Matthæus ait, *in quo complacui*, Marcus, & Lucas, *in te complacui*; ſed hoc à præcedenti pendet, vt notat Abulenſis *quæſt.* 91. Abulenſ. quia Matthæus ponit vocem factam in tertia perſona, Marcus, & Lucas in ſecunda. Matthæus & Marcus habent, *in quo mihi conplacui.* Lucas verò *in te.* Si legas cum duobus primis Euangeliſtis *in quo*; explicant D. Auguſtinus *de conſenſu*, D. Thomas, & alij. Auguſt. D. Thom. Quia pater in filios complacet ſibi. *Complacui mihi*, ait D. Thomas, *ad honorem meum, quia aliqui videntes filium glorificauerunt Patrem.* Vel in te, vt ait D. Lucas, quia in filio Pater adimpleuit, & complacuit placitum ſuum.

QVÆSTIO XXVIII.

Quare hîc in Baptiſmo dum hæc vox ſonat, nullus timeat, & in Thabor Apoſtoli ſint timore perculſi?

HANC quæſtionem mouet D. Chryſoſtomus homil. 57. in Matth. 99. Chryſoſt. *Cùm iam*, ait, *antè ſimilis vox in Iordane audita fuerit, nemo ex turba, quæ aderat, expauit; quomodo nunc timore Apoſtoli perculſi ceciderunt?* Cui quæſtioni reſpondet, primò S. Pater. *Gloria, ne ſolitudo timorem mouet.* *Quoniam videlicet ſolitudo, & altitudo montis ingens, & transformatio plena horroris, lux fulgentiſſima, magnum vndique illis pauorem inferebant.* In Iordane cùm eſſet omnis populus, nulla gloria videretur, nullus extitit timor; at in monte ipſa ſolitudo, & ingens altitudo, ac ſpecies gloriæ corporis Chriſti magnum timorem ingerebant.

100. Secundò. Conſidera latum diſcrimen inter aſtantes in Baptiſmo, ac in monte; omnes, qui erant circa Iordanem, incumbebant operi ſancto, ac tingebantur aqua, ait D. Luc. Luc. *Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus.* At in Thabor Apoſtoli, dum Chriſtus transfiguratus loquebatur cum Moyſe, & Elia, de ſua morte, ac redemptione generis humani, dormiebant. D. Lucas c. 9. Luc. 9. num. 32. *Petrus vero, & qui cum illo erant, dormiebant.* *In opere ſancto nullus timet, in ſomno verò omnes.* Qui autem operi ſancto incumbit, nullius timore percutitur; qui verò ſomno, ac quietudini indulget, dum de ſalute animæ tractatur, facilè timet, & pauet, vt de eis ait D. Marcus cap. 9. num. 5. *erant timore exterriti*, D. Bonauentura in Bonauent. cap. 9. Luc. *Grauati erant ſomno, & ita omnes deficiebant, nimirum quia infirmitate circundati erant.* Tertiò. *Vbi præſumptio mali, ibi timor.* Cùm baptizaretur omnis populus, & Chriſto baptizato venit ſuper eum vox Patris, ideo omnes ſereno vultu, ac intrepido ſtant, magnum bonum ex Chriſti Babptiſmo ſibi promittentes. At Apoſtoli cùm viderint Chriſtum cum Moyſe, & Elia receptum in nube, timuerunt ſibi aliquod malum, vt explicat Toletus *in cap. 9. Lucæ annot.* 76. Toletus. Ne Chriſtus ab eis abeſſet, & ideo vbi aliquod malum, & iniucundum ſuſpicatur, facilè trepidat homo.

101. Chryſolog. Quartò. D. Chryſologus *ſerm. 5. de Epiphania*, aliàs 140. *Inter hæc, ait, tãta, ac talia intrepidus ſtat Ioãnes, quia timere non poteſt, qui totus ad Dei amorem natus Angelico teſtimonio comprobatur.* Quòd populus

populus non timore opprimatur, fortè myſterium non agnouerat, at quod Ioannes pauore non concidat, valde mirum, dum tota Trinitas viſibili ſpecie ei manifeſtatur, Patrem audit in voce, & optimè intelligit, Verbum Incarnatum tenet in manibus, Spiritum ſanctum in forma columbæ cum cælo aperto videt, *Ioannes Dei amore firmus vbique ſtat.* in tanta præſentia, ac propinquitate diuinorum myſteriorum timori non ſuccumbit Ioannes, ſed firmus ſtat, & Apoſtoli in monte, Match. 17. *Ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde*, Matth. 17. num. 6. Sed quomodo tanto pauore proſterneretur Ioannes, qui totus natus, ac conſecratus ab vtero erat ad Dei amorem, ac diuino Spiritu, ac eius chariſmatibus repletus. Luc. 1. *num.* 15. *Ioannes Virginem adumbrat.* Adſtat Ioannes diuinæ maieſtatis cæleſtibus donis impinguatus, veluti quandam Virginis ſanctiſſimæ vmbram repræſentans, & ita Chriſtum ſuſcipit Baptiſta in manibus, ac ipſa vterum ſuum Verbo diuino præſtitit. Ita nomine Chriſti loquitur D. Gregorius Thaumat. orat. de Dei apparitione, ſeu Baptiſmo, Thaumat. *Commoda mihi*, ait, *Baptiſta, ad præſentem diſpenſationem dexteram tuam, vt mihi ad generationem commodauit ſuum vterum Maria. Immerge me fluentis Iordanis: ſicut quæ me genuit, infantilibus inuoluit faſcijs. Confer mihi Baptiſmum, ſicut Virgo lac præbuit.* Et ob maximam Ioannis ſanctitatem maximè delectabatur Chriſtus, dum cum Ioanne erat, & ideo, quando ab eo ſeparatur vt tendat in deſertum, ait D. Marcus cap. 1. Marc. 1. num. 12. *expulit ſpiritus*, quod quandam fortitudinem ac impetum inſolitum indicat, de quo *cap. ſequenti.*

CAP. III.

Tentatur Chriſtus Dominus.

Matth. 4. n. 5. Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo.

VERSIONES.

Syriacus. Tunc Ieſchua ſubductus eſt à Spiritu ſanctitatis in deſertum, vt tentaretur ab accuſatore, ideſt, diabolo.

Pagninus. Tunc Ieſus reductus eſt in deſertum.

Arias. Tunc Ieſus actus eſt in deſertum à Spiritu, tentari à diabolo.

S. Iſaac Preſbyt. de mundi contemp. Poſt Baptiſmum eduxit Ieſum ſpiritus.

Textus Greg. apud Salm. Ieſus ſubuectus eſt, ſeu ſurſum euectus eſt.

D. Hilarius Can. 3. in Matth. Vt tentaretur à Zabulo.

Sà ex Græco Ductus eſt ab illo ſpiritu.

ALTER TEXTVS.

Matth. 1. n. 12. Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum.

Lucæ. 4 n. 1. Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à ſpiritu in deſertum.

EXPOSITIO.

1. CIRCA Chriſti tentationes, quinque ponderantur hîc ab Euangeliſta, vt aduertit Albertus Magnus. Alb. Magn. Tempus videlicet, nomen tentati, ſpiritus ducens, locus, & intentio. Circa primum ait: *Tunc*, quando ſcilicet poſt Baptiſmum, & vox Patris de dilecto, & complacito filio perſonuit, quod clariùs expreſſit Marcus, & Marcus. *ſtatim*, id eſt, ſine vlla dilatione, ac proinde eadem ſexta die Ianuarij, qua baptizatus deſertum petiuit; nomen tentati, hoc eſt, Ieſus Saluator noſter, vt ait Lucas, *plenus Spiritu ſancto*, de quo ait D. Paſchaſius, tamquam dux, prior proceſſit ad Paſchaſ. pugnam, vt ſui eum valeant imitari, *ductus ab Spiritu*, ſcilicet, ſancto, vt clariùs expreſſit Syriacus. Syriacus. Seu, vt habet Luc. *agebatur*, ſeu vt Marcus, *expulit*, quod non violentiam, ſed quendam inſolitum impetum, ac impulſum ſpiritus mouentis Chriſtum in deſertum ad pugnam indicat, *Chriſtus celer in noſtrã ſalutem.* omnem enim tarditatem in noſtram ſalutem ſemper reiecit Chriſtus; *ductus*, Græcè habetur *ſubiectus*, hoc eſt, ſequeſtratus, ſeu ſeparatus, ſeu ſurſum euectus, hæc omnia ſignificat, quia deſertum, quod Chriſtus petiuit, erat valde montoſum: vel moraliter, quia per ærumnas, tentationes, ac ieiunia ſemper ſurſum animus tollitur ad altiora. Græcè habetur, *ductus eſt ab illo ſpiritu*, de quo Euangeliſta dixerat ſuprà; locus deſertum erat, de quo modò eſt dictum, erat enim valde aſper, plenus feris, vt ait Marcus, *erátque cum beſtijs*, & hoc deſertum, in quo Dominus ieiunauit, interiacet inter Iericho, & Hieruſalem, vt notant D. Thomas, D. Thom. & alij. Intentio cur Dominus hîc venit, vt tentaretur à diabolo.

QVÆSTIO I.

Quare poſt Baptiſmum Chriſtus pergat ad pugnam?

2. POTERAT Chriſtus Dominus ante Baptiſmum tentari, ſed noluit, niſi poſt ipſum ſuſceptum in noſtrum documentum. Cuius rei multas rationes aſſignat D. Chryſoſtomus *homil.* 13. Chryſoſt. *in Matth.* quem ſequitur D. Thomas *hîc*, D. Paſchaſius. Primò. *Vt vnuſquiſque cùm baptizatus fuerit, ſi poſt Baptiſma maioribus tentationibus vrgeatur, non vtique turbetur. Idcirco enim accepiſti arma, non vt otieris, ſed vt pugnes. Propterea Deus in tribulatione te irruere permittit.* *Chriſti milites nõ in otio, ſed in pugna.* Ad hoc enim datur nobis gratia in Baptiſmo, vt pugnemus, non vt ſimus in otio, & torpore, hoc enim maximè deteſtatur Dominus, & ideo poſt Baptiſmum, in quo regeneramur in Chriſto, tendit ad bellum, ieiunium, ac tentationem: à ſuis Dominus expellit otium.

Secundò.

3\. Chryſoſt. Secundò. Idem Chryſoſtomus. Vt dicas quoniam Chriſti Baptiſma multo te fecerit fortiorem. Tertiò. *Vt in egregia illa animi mediocritate permaneas, neque donorum magnitudine eucharis, dum ſcilicet, te tentationes cohibent, & refrenant.* Voluit enim Dominus ſuos continere in humilitate, & eliminare ab eis ſuperbiam, 2. Corinth. 12. n. 7. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ.*

Superbia eliminanda à Chriſti diſcipulis. 2 Cor 12. S. Thom.

Quartò. D. Thomas ad confundendum diabolum vt ſciat quanta ſit virtus Chriſti, vt eum ſuperare non poſſit. Quintò. Idem S. Thomas. *Vt fortior reddatur Chriſtianus, ſicut milites fortes redduntur per experientiam.* Maximè enim prodeſt vt virtus exerceatur; & ideo in exercitium noſtrum Deus permittit vt Chriſtianus tentetur, hac de cauſa in Terra promiſſionis reliquit Dominus varias gẽtes, *vt poſtea diſcerent filij eorũ certare cũ hoſtibus & habere cõſuetudinẽ præliandi*, Iudic. 3. n. 2.

Exercitium, ac experientia, neceſſaria. Iudic 3.

4\. Hilar. Sextò. D. Hilarius *can.* 3. *in Matth.* Poſt Baptiſmum tentatur eo quòd in ſanctificatis maximè diaboli tentamenta graſſantur, quia victoria maximè exoptanda eſt de Sanctis. Tunc ergo Satan vniuerſas tentationum ſuarum machinas colligit, vt illum, qui compedes eius euaſerat, in priſtinam redigat ſeruitutem. Septimò. D. Chryſoſtomus homil. 13. *Vt accipias*, ait, *grande documentem theſaurorũ tibi à Domino creditorum, Neque enim ſuperueniret tibi, neque aduersùs te diabolus irrueret, niſi in maiori te poſitum honore conſpiceret. Hinc enim aduersùs Adam inſurrexit, hinc aduersùs Iob*, &c. Hæc eſt enim noſtra miſera conditio, vt quanto magis quis in honorem, ac dignitatem ſubleuatur, tanto maiora oppugnamenta, ac acriora tela in eum mouentur. Vide *lib.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 8. *num.* 39. Octauò. Imperfectus *homil.* 9. *in Matth.* ſic ait: Tunc ductus eſt; quando? quando Pater clamauit de cælo: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui. Vides ergo, quia nemo baptizatur in igne tentationis, niſi qui factus fuerit filius Dei.* Poſtquam Chriſtus Dominus baptizatus eſt, ac declaratus filius Dei paterna voce, ad quod Euangeliſta refert aduerbium hîc poſitum, *Tunc*, ſcilicet ad narrata *cap.* 3. de Baptiſmo, ducitur in deſertum ad tentationem, famem, inediam ſupportandam, ac ad loci, & temporis incommoditates ſuſtinendas. Ex quo diſcant Chriſtiani, ac ſpirituales, ſi ſe videant perſequi, affligi, ac multis laboribus peſſundari, & vias iniquorum proſperari, cogitent Dei filium ſummè dilectum fame, inedia, tentatione, ac multis preſſuris circundatum, & conſolationem accipiant, exiſtimantes his ſe declarari Dei filios, dum ſe tot laboribus vexatos viderint. Herodes regnabat in palatio; Ieſus, Maria, Ioſeph per laborioſa itinera fugiunt in Ægyptum.

Chryſoſt. *Quanto quis extollitur, tanto magis impetitur.* Imperfect. *Dilecti Dei laboribus vexantur.*

5\. Chryſol. Nonò. D. Petrus Chryſologus *ſerm.* 11. ac primò de tentationibus, vt tentaretur à diabolo, ait, *Diabolus ſemper primordia boni pulſat, tentat rudimenta virtutum, Sancta in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſciens, quòd ea ſubuertere fundata non poſſit.* Statim poſt Baptiſmi aquas omne præliandi genus parat diabolus; ſemper enim antequam virtutes adoleſcant, ipſas inuadit, difficilius eſt in principio deſiſtere, quàm cùm peruenerit homo ad incrementum perfectionis, de quo vide *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 25. Abulenſis *cap* 4. *Matth. quæſt.* 9. ait quòd ante Baptiſmum parua eſt occaſio Dæmoni ad tentandum, quia hominem ſuo iure poſſidet; at verò cùm baptizatur, è manibus eius fugit, & ideo omnibus modis tentat. Eccleſiaſt. 2. n. 1. *Fili, accedens ad ſeruitutem Deo ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Decimò, poſt Baptiſmum immediatè exoritur tum rigida tentationum tempeſtas, qui a homo baptizatur ac Chriſtianus fit, non vt delitiosè viuat, ſed vt tribulationem, ac tentationes ſuſtineat. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*, ad Romanos 6. num. 3.

Oppugnamẽta in exordio virtutis. Abulenſ. *Chriſtianus ad labores.* Rom. 6.

6\. Vndecimò. Valde mirum, quòd poſtquam in Baptiſmo tot ſigna apparuerint Chriſti diuinitatem publicantia, cælum apertum, Spiritus ſanctus deſcendens, vox Patris intonans, *Hic eſt filius meus*; diabolus dubitet de Chriſti Deitate, & ipſum tentet; nam ex illis prodigiis Angeli recognouerunt, ac adorauerunt. Baptiſta cum cognouit, *Ioann.* 1. *num.* 33. & tamen ex his diabolus ſumit occaſionem ad eum in pugnam prouocandum, nam non tentauit, quia ieiunantem vidit; hoc enim fecerunt Moyſes, & Elias, ſed quia tot ſignis præclarum cognouit, ideo determinat multis modis (vt dicam infrà) tentare. O mira amoris vis, & odij! Vbi amor, ac bona voluntas interuenit, facilè recognoſcitur maieſtas; vbi verò odium, nulla euidentia ſufficit. Cùm Chriſtus Dominus eſſet in Thabor cum Apoſtolis, vox Patris de nube clamauit, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſũ audite, & audientes diſcipuli ceciderunt*, Matth. 17. num. 6. Cùm verò Chriſtus Dominus ſimul eſſet cum turbis, ac ad Patrem oraſſet, venit vox de cælo, *Et clarificaui, & iterum clarificabo, turba verò quæ ſtabat, & audiebat, dicebat tonitruum eſſe factum*, Ioan. 12. n. 29. Sed quomodo diſcipuli audiunt, & percipiunt æterni parentis loquelam, venerantes ceciderunt in terram; turba verò cæleſtem vocem non intelligit, nec vllam reuerentiam exhibet? In illis amor, ac beneuolentia acuebat mentem, vt illius magnalia caperent; in iſtis verò odium obturabat aures ne intelligerent. Non procul abeſt ab hac conſideratione D. Paſchaſius lib. 8. in Matth. *Sed quid eſt*, ait, *quòd ibi tonitruum audiens turba non cadit? Hîc autem audita voce, diſcipuli in faciem cadunt? Niſi quia ibi ſuperbia tumet, hîc autem humilitas pauet.*

Matth. 3. *Odium neſcit dignitatem quam amor recognoſcit.* Matth. 17. Ioan. 12. Paſchaſ.

7\. Ezech. 3. Ad Ezechielem ait Dom. cap. 3. n. 9. *Vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam.* Sed quomodo his comparatur Propheta, cùm ad populos prædicaturus mittitur? Adamas candidus pulcher, ac pretioſus eſt; ſilex deformis, niger, ac vilis. Quomodo ergo hæc? Talis ſuis auditoribus futurus erat. Qui eum benignè reſpicerent, ac diligerent, velut Adamas ipſis videbatur. Qui eum contemnerent, ac odio haberent, velut ſilex incompoſitus erat. D. Gregorius Magnus homil. 10. in Ezechielem, *Adamas, & ſilex*, ait, *vnum horum pretioſum eſt, alterum vile. Adamas ad ornamentum ſumitur; ſilex ab itinerantibus calcatur. Dicitur ergo, dedi faciem tuam vt Adamantem, id eſt, ſi ab auditoribus honoraris. Dedi faciem tuam vt ſilicem, ſi ab auditoribus conculcaris, & deſpiceris.* Orientales Magi veniunt Hieroſolymam, & dicunt, *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matth. 2. num. 2. Herodes verò ait illis, *Ite, & interrogate diligenter de puero.* Magi Regem publicant, Herodes puerum dicit. Illi vt Chriſtum diligentes eius celſitudinem recognoſcunt, iſte vt inimicus,

Gregor. Matth. 2.

Maxim. vt ait D. Maximus, magnitudinem neſcit, ſed ſolùm paruitatem videt.

QVÆSTIO II.

Quare cùm omnes Chriſti actiones eſſent ab Spiritu ſancto, hîc dicatur ductus ab illo potius, quàm in alijs actionibus?

8\. ANTE quæſtionem notandum, aliquos fuiſſe Authores, qui exiſtimauerint Chriſtum ductum in deſertum à diabolo, ac proinde cùm dicitur, ductus eſt ab ſpiritu, id eſt, diabolo. Ita tenent aliqui apud Abulenſem *quæſt.* 2. & ita exponere nullum reputat inconueniens Euſebius Emiſſenus *hom. in Dominica Quadrageſ.* cùm Lucas Euangeliſta eum in Hieruſalem, in montem excelſum valdè à diabolo non aſſumptum, ſed ductum apertiſſimè ſcribat, dicens: *Et eduxit illum diabolus in montem altiſſimum.* Tamen omnes Patres tenent ductum fuiſſe ab Spiritu ſancto, ita D. Athanaſius *Epiſt. ad Serapionem Epiſcop.* D. Chryſoſt. *homil.* 13. *in Matth.* D. Cyprianus *orat. de ieiunio*, D. Auguſt. *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 15. D. Gregor. *hom.* 16. *in Euang. hîc* D. Thomas, Beda, Theophylactus, Euthymius. Nam quidquid ſit de poſſibili, ad quod tendit ratio Euſebij, tamen de facto ductum eſſe ab Spiritu ſancto apertè colligitur ex textu Luc. vt expendunt. D. Athanaſius *citat.* D. Antonius Vlyſſip. *ſerm. in Dominica* 1. *Quadrag.* ait Luc. *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane, & agebatur ab ſpiritu in deſertum.* Ergo ab illo Spiritu agebatur in deſertum, quo erat plenus. Deinde ſi per Spiritum intelligeretur diabolus, dicendum erat: Ductus eſt ab ſpiritu vt tentaretur ab illo, & non mutaret terminum, vt tentaretur à diabolo. Si autem diabolus poſtea eum duxit in montem, hoc auſus eſt, poſtquam vidit Chriſtum permittere ſe tentari, & portari ab illo, & non antea, cùm timeret ad illum accedere, ita Abulenſis *quæſt.* 2. *ad ſecundum.*

Abulenſ. Euſebius. Athan. Chryſoſt. Cyprian. Auguſt. Gregor. D. Thom. Beda. Theoph. Euthym. Ant. Vlyſ. Abulenſis.

9\. Quæſtio præſens eſt, quomodo Chriſtus Dominus dicatur hîc ſpecialiter ductus ab Spiritu ſancto, hoc eſt, motus, & excitatus ab ipſo in deſertum, imò quando mouebatur in deſerto, ductus erat ab Spiritu, vt ait D. Lucas *agebatur ab Spiritu*, cùm omnes Chriſti actiones fuerint cooperante Spiritu ſancto; quomodo ergo hîc dicitur ductus ab Spiritu, & non in aliis actionibus.

10\. Chryſoſt. Abulenſ. Reſpondent primò D. Chryſoſtomus *hom.* 13. *in Matth.* Abulenſis *quæſt.* 4. & 8. dicitur Chriſtus hîc ſpecialiter motus ab Spiritu ſancto, vt intelligatur actus iſte laudabiliter, & diſcretè factus, quia ſi non conſtaret Chriſtum eſſe Deum, non eſſet aliquis actus, inter omnes actus eius, de quo magis poſſet quis Chriſtum arguere, quàm de hoc, quia ipſe voluit ire in deſertum, vt tentaretur, & ſic exponabat ſe periculo: prudentis autem eſt potius fugere, quàm ſe tradere periculo; vt ergo, ait Abulenſis, nemo poſſet prima facie Chriſtum arguere, ideo dicitur ab Spiritu ſancto. Secundò. D. Hilarius *can.* 3. *in Matth.* ait, quia non aliter Diabolus eum auderet tentare, niſi Spiritus ſancti facultate permiſſa. Ferè ſimiliter D. Gregor. *in Euangel.* Tertiò. D. Ambroſius in Lucam. *A Spiritu ſancto agitur in deſertum conſilio vt Diabolum prouocaret, nam niſi ille certaſſet, non mihi iſte viciſſet, myſterio, vt Adam illum de exilio liberaret: exemplo vt oſtenderet nobis Diabolum ad meliora tendentibus inuidere. Et tunc magis eſſe cauendum, ne myſterij gratiam deſerat mentis infirmitas.* Dicitur ductus ab Spiritu, quia non caſu, ſed conſilio proceſſit, myſterio, vt Adamum liberaret, quia ſolùm à Deo eſt victoria, exemplo, vt nos doceret inuidiam, ac Diaboli tentationes ſolùm virtute Spiritus ſancti conculcari poſſe.

Prudentis fugere periculum. Hilar. Gregor. *Conſilio, ac ratione operandum.*

11\. Quartò. Quia Chriſtus, poſtquam ſe publicauit in Iordane, inchoauit hîc opus noſtræ redemptionis, ideo dicitur duci ab Spiritu ſancto, vt totum opus, & tota ſanctificatio noſtra in ipſo facta intelligatur. Ita Abulenſis *quæſt.* 3. Toletus *in cap.* 4. *Luc. annot.* 2. Quintò, Quia quamuis Chriſtus Dominus, à primo inſtanti ſuæ conceptionis eſſet plenus Spiritu ſancto, tamen in Iordane viſibiliter ſuper ipſum deſcendit: vt ergo in externa apparentia, ac viſibiliter ipſe deſcenſus Spiritus ſancti fructuoſus videretur in noſtrum documentum, ideo dicitur duci ab Spiritu ſancto. Sextò, quod ipſe certus de victoria procedebat, dum non voluntatem humanam, ſed Spiritus ſancti inſtinctum ſequitur, & quos Spiritus in pugna, ac lucta conſtituit, cum victoria in tuto ponit. Dicebat Debora ad Barac. *Surge, hæc eſt enim dies in qua tradit Dominus Siſaram in manus tuas; en ipſe ductor eſt tuus*, Iudith 4. n. 14. Sed vnde cognouit Debora, quòd in illa die hoſtis debellandus erat? Habuit ex diuina reuelatione, quòd Dominus erat ductor; & vbi Dominus auxiliabatur, certa erat victoria; & hac de cauſa, & cum tanta certitudine egreditur ad pugnandum, vt notat Abulenſ. *q.* 14. quod confirmat ex eo quod dictum eſt Dauidi 2. Reg 5. n. 24. *Cùm audieris ſonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam.* Theodoretus q. 19. *Suadet Dauidem*, ait, *ne ſuis fidat viribus, ſed eius expectet auxilium*, &c. Nam vbi virtus diuina præit, ſecurus tendit ad bellum, certus de victoria.

Abulenſ. Toletus. *Gratia data non ſit in nobis fruſtranea.* *Qui non voluntatem ſuã, ſed Deum ſequitur, ſecurus de victoria.* Iudith 4. Abulenſ. 2. Reg. 5. Theod.

QVÆSTIO III.

Quare dicatur Chriſtus ductus ab Spiritu ſancto, cùm fuerit à tota Trinitate?

12\. CERTVM Theologorum axioma eſt, omnes actiones ad extra eſſe communes, & indiuiſibiles à tota Trinitate, ac proinde motio, & impulſus quo Chriſti voluntas mouebatur in deſertum à tota Triade procedebat. Quomodo ergo hîc dicitur ductus ab Spiritu ſancto; de hac difficultate varias expoſui rationes, cùm de Incarnatione Verbi diuini ageremus, *lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 47. *num.* 48. Nunc ſpecialiter ad hanc dubitationem.

13\. Reſpondeo primò, quòd motiones, ac actiones noſtræ voluntatis, ad actus virtuoſos, & ſupernaturales ſancto Spiritui tribuuntur, 1. *Reg.* 16. *num.* 13. *Pſalm.* 142. *num.* 1. *Luc.* 2. *num.* 27. Secundò. Quia licèt Chriſtus Dominus à principio ſuæ conceptionis habuerit Spiritum ſanctum, tamen in Baptiſmo in eum deſcendit viſibiliter, & nouo

ſigno cœpit conſtare Chriſtum habere Spiritum ſanctum; ideo ab illo dicitur ſpecialiter ductus. Tertiò. Hæc ductio Spiritui ſancto tribuitur, ne quiſquam quadraginta dierum ieiunium, in quibus,vt ait Lucas, nihil manducauit,ſine ratione, aut diſcretione factum interpretetur.

14. Alb.Magn.

Quartò. Vt notat Albertus Magnus, Spiritus ſanctus in Iordane viſibili ſigno ſe manifeſtauit ſuorum donorum copiâ in Chriſtum deſcendere, quamuis aliàs ſemper cum ipſo eſſet, & ideo quem,hominum æſtimatione, impleuerat, ducit in deſertum, ac ad pugnam, vt habeamus morale documentum,quòd quando princeps ſuos munificentiſſimis donis ditat,& impingueſcit, maximè ſecurus eos poteſt excitare, & prouocare ad bellum, quanto enim magis miles ex regalibus muneribus accepit,tanto magis ſe exercet in armis,ac illuſtriora facta reſolutus intendit. Dixit Ioſue, Rubenitis, & Gaditis,& dimidiæ Tribui Manaſſe. *Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini: Vos tranſite armati ante fratres veſtros, & omnes fortes manu,& pugnate pro eis,donec Dominus det requiem fratribus veſtris,ſicut & vobis dedit*,Ioſue 1.n.14.Sed quare huiuſmodi Tribus cæteras præcedunt, & de eis concipitur ſpes,quòd forti manu debellaturi ſint hoſtes? Quare non anteibit Tribus Iuda,vel Leui? Rubenitis, & Gaditis,ac dimidiæ tribui Manaſſe datæ fuerunt terræ, & poſſeſſiones ad habitandum à Moyſe,*Num.32.num.29.* ante tranſitum Iordanis,& cum huiuſmodi Tribus inter cæteras, iam obtinerent ſuam ſortem, ac habitaculum ad manendum, ideo eis mandatum, vt tamquam milites anteſignani reliquas turmas antecedant, forti animo, ac ingenti robore contra hoſtes pugnent. Vnde elegantiſſimè D.Syneſius lib.de regno, *Quòd militibus neceſſaria ſunt arma, ac Regis munificentia. Nàm illis interficitur hoſtis,hîc fouetur animus.*Tanto enim plus quis ſe exercet in obſequio, quanto magis ſe obligatum videt in beneficio. In vltima cœna, ait Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis: *Vos amici mei eſtis,ſi feceritis,quæ ego præcipio vobis*, Ioan.15.n.14. Quo modo hæc ait Saluator, *Amici eſtis*,de præſenti;*ſi feceritis*, de futuro, conſequenter videbatur dicendum,Vos amici mei eritis,ſi feceritis? At noſter Ieſus, eis ſuam amicitiam, quæ eſt ſuprema dignatio,vt *ibi* ponderant D.Auguſt. & Euthym. actualiter confert; vt tanto beneficio ad ſui miniſterium, ac ad omnia ſuſtinenda pignerentur. D.Cyrillus Alexandrinus *lib.10. in Ioan. cap.23. Amicitiam ſuam*, ait, *pectoris opponit periculis,vt eius magnitudine, atque gloria nihil penitus pericula videantur. Dulces enim admodum labores ſunt,quum merces copioſa proponitur.*

Rex milites quos munerat deſtinat ad bellum. Ioſue 1. Syneſius. Ioan.15. Auguſt. Euthym. Cyrill.

QVÆSTIO IV.

Quare Chriſtus Dominus ſeceſſerit in deſertum?

15. *Ad orandum ſolitus.*

RATIONEM germanam huius rei aſſignat D.Matth. *Ductus eſt in deſertum,vt tentaretur à diabolo*. Illud enim, vt, cauſam motiuam indicat, de quo erit ſermo *quæſt.6.*huius verò rei alias inquiramus cauſas;& prima. Quia Chriſtus Dominus frequenter pernoctabat in deſerto propter orationem, quæ requirit quandam mentis quietem, & eleuationem in Deum,& ſic dicitur Luc.6.n.16.*Factum eſt in illis diebus exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Et hanc Chriſti conſuetudinem notant *ibi* D. Ambroſius, Beda, & D. Bonauentura. Voluit ergo Chriſtus eſſe in deſerto,hoc tempore,vt ibi liberiùs,& ampliùs orationi vacaret.

Luc.6. Ambroſ. Beda. Bonauent.

16. Abulenſ.

Secundò.Abulenſis *quæſt.5.* ait,quòd Chriſtus aliquando ibat in deſertum propter corporalem quietem,qui cùm maneret inter turbas,ſæpe non concedebant ei locum ad neceſſariam refectionem; & ita dixit Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis Marc.6.n.31.*Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Et aſſignatur ſtatim ratio: *Erant enim qui veniebant, & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant.* Et in hoc etiam Prædicatores inſtruuntur, vt ſi eos interdum populus propter deuotionem in operibus ſpiritualibus frequentet & vexet, ita vt non ſit eis locus ad neceſſariam corporis quietem, quòd ſubtrahant ſe paululum à plebe. Et ſimiliter ad locum Marci Euthymius; hæc tamen ratio licèt optimè deducatur ex loco Marci,tamen non bene quadrat præſenti quæſtioni; tendebat Chriſtus non ad quietem,ſed ad pugnam.

Marc 6. *Miniſtri habeant ſuas vacationes.* Euthym.

17. Abulenſ.

Tertiò.Idem Abulenſis *cit.*tendit in deſertum Chriſtus, qui modò prædicare intendebat, vt exemplum daret Prædicatoribus, vt aliquando à populo ſe ſubtrahant. Quod multis de cauſis conuenit. Primò, ait propter authoritatem Verbi Dei. Quia ſi Prædicator fuerit familiaris populo, contemnetur verbum eius, cùm familiaritas nimia generaliter contemptum pariat, & maximè apud indoctos. Quia ea quæ inſolita ſunt, & rara apud eos iudicant eſſe aliquid excelſum, & ſupra ſe: quòd verò in aſſiduam venerit conuerſationem, pro nihilo reputant. Secundò. Vt per conuerſationem non contrahant mores populi. Tertiò. Quia vita Prædicatoris mixta eſt ex actiua, & contemplatiua: contemplatio autem ſolitudinem requirit. Quartò. Quia neceſſe eſt vt Prædicator meditetur in lege Dei die,ac nocte,& ideo ſolitaria quærat.

Prædicatores ſeparati à populo.

18. Tertull.

Quartò. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem,*In ſolitudinem pergit*,ait,*ſolemnis eſt eiuſmodi regio creatoris.Oportebat ſermonem illic quoque videre in corpore,vbi egerat aliquãdo,& in nube.*Qui ſub velamentis abſconditum Deum venerantur, illius clara viſione munerantur; abiit Chriſtus in deſertum, vt montes,& campeſtria (quæ Deum aliquando in nube occultatum reuerenter ſuſceperant. Exod.29. num.18. *Totus mons fumabat*, cùm Deus ſcilicet deſcenderet in nube) eius clara præſentiâ in corpore aſſumpto nobilitarentur. Quintò.D.Ambroſius *in Luc.hîc*,agebatur Chriſtus in deſertum myſterio, vt Adam de exilio liberaret, qui de paradiſo in deſertum eiectus eſt, quod magis explicans D.Paſchaſ.*lib.3.in Matth.* ait, vt quia Adam in illa terreſtri amœnitate, victus eſt per ſerpentem, Chriſti milites aſperitate eremi correpti diſcerent cum ſuo capite,omnes concupiſcentias carnis refrænare. Sextò. D. Anſelmus, Gloſſa Ordinaria, D. Thomas teſtantur hoc deſertum, in quod tendit Chriſtus, conſtitutum eſſe inter Hieruſalem, & Iericho, vbi ille homo incidit in latrones,de quo *Luc.10.num.30.* qui gerebat figuram Adæ, & dæmonibus conuictus eſt. Conueniens ergo fuit, vt ibi Diabolum

Clara viſione Dei fruitur, qui eum occultum coluit. Exod.19. Ambroſ. Paſchaſ. Anſelm. Gloſſa. D.Thom.

Chriſtus

Chriſtus ſuperaret, vbi Diabolus hominem ſub figura ſuperaſſe dictus eſt. Septimò. Ad ieiunium eligit Dominus deſertum, in magnum noſtrum documentum, vt ad abſtinentiam, ac mortificationes remotiora loca quæramus, vbi non ſunt gulæ irritamenta, vt ſi manducandi ardor excitetur, defectus rerum abſtinentiam perſuadeat.

Ad ieiunium gulæ irritamenta fugienda.

19. Cyprian.

Octauò. D.Cyprianus orat.de tentat. *In deſertum,ait, Chriſtus ingreditur,locus ſecretus eligitur, quia ſolius Dei iudicio ieiunia ſunt agenda. Ieiuniorum ſudoribus laus importunata ſe ingerit: & ſubtiliſſimis aculeis penetrãs animam dum extollit emollit.* Vt diuinus magiſter nos doceret, vanam gloriam ac hypocriſim fugere, ideo ipſe ad orandum, ac ieiunandum in occultum, ac deſertum ſe confert. Taliter fiant noſtra opera, ne fures vanæ gloriæ furentur ea, *Matth.9.num.19.* Cùm nuntij Regis Babyloniæ veniſſent ad Ezechiam, in manifeſtationem ſuæ potentiæ, ac opulentiæ eis aperuit omnes theſauros ſuos; ſtatim factum eſt verbum Domini per Iſaiam, qui ait ad Ezechiam, *Ecce dies venient,& auferentur omnia,quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, vſque in diem hanc in Babylonem: non remanebit quicquam*,4.Reg.20.num.17.Sed cur oſtentationi Ezechiæ, quam vanæ gloriæ aſcribit Theodoretus,non imponitur pœna ignis,mortis, peſtis,ſed tantùm directionis. *Auferentur omnia*, vbi vana gloria interueniebat, nihil in maiori conſequentia poterat venire, quàm latrocinium, ac omnium directio. Rupertus in allegat.in lib.4. Reg. cap.19.*Theſauros noſtros*,ait,*ſcilicet virtutes interiores, vel etiam bona exteriora propalare, & in publicum hominibus, propter inanem gloriam alijs oſtendere,ſeu reuelare non debemus: aliàs occaſionem ſurripiendi, & ſubtrahendi ipſa, Dæmonibus daremus.* Ille homo qui veniebat à Iericho in Hieruſalem,de quo ſuprà dixi, præfigurabat, vt præter Patres citatos teſtatur D.Paſchaſius *lib.3. in Matth* Adamum,ſeu genus humanum in ſtatu innocentiæ, ac in illa opulentia cæleſtium donorum; hic autem vt tendit in regalem, ac publicam ciuitatem Hieruſalem,ſtatim incidit in latrones,ſcilicet Dæmones, qui diripuerunt eum, vbi enim interuenit vana gloria, deeſſe non potuere latrones,& ita ait Phil.lib.de Ioſeph.*Homini inſidiatur inanis beſtia vana gloria corripere,ac deuorare tales ſolita.*

Vana gloria furatur virtutes. 4.Reg.20. Theod. Rupert. Paſchaſ. Philo.

QVÆSTIO V.

Quare Chriſtus Dominus ſe permiſerit tentari?

20. Ambroſ.

OMNIA Chriſtus Dominus alto conſilio operabatur,& ita ait D.Ambroſius.*Conſilio ductus eſt in deſertum,vt diabolum prouocaret.*Rationem huius rei, quantum inueſtigare fas eſt, inquirimus. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 20. *Tentatus eſt*, ait, *ac ſuperauit,vt nobis victoriam compararet, naturæque noſtræ frangendi aduerſarij vim tribueret.* Similiter D.Auguſtinus *in Pſal.90. concione 2.* D. Gregorius *in Euangelia.* Victoria enim Chriſti noſtra eſt. Vnde ipſe dicebat Ioan. 16.num.33. *Confidite,ego vici mundum.* Secundò. D. Ambroſius in Luc. *Vt oſtenderet*, ait, *nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere,& tunc magis cauendum ne myſterij gratiam deſerat mentis infirmitas.* Indicatur hoc facto quò magis operibus ſanctis intendimus, eo acriora tela in nos iniiciuntur. Vnde ait Hilarius can.3. in Matth. *In ſanctificatis maximè diaboli tentamenta graſſantur quia victoria ei eſt magis exoptata de Sanctis.*

Damaſcen. Auguſt. Gregor. Ioann.16. Ambroſ. *Vbi maior ſanctitas, ibi maior impetus.* Hilar.

21. Euthymius.

Tertiò. Euſeb. Emiſſenus homil.in Dominica prima. *Tentatur ſcilicet*,ait,*vt in nulla noſtra virtute, vel ſapientia confidamus: quoniam inimicus noſter diabolus, qui ipſum Dominum noſtrum tentare præſumpſit, tamquam leo rugiens*, &c. Conceſſum eſt diabolo vt Chriſtum inuaderet ad tentandum,vt nulla ſanctitate,ac virtute ſe homo ſecurus exiſtimet, ſemper vigilet,ac Deum inuocet, & eius auxilium imploret, & ideo multi dicunt in exercitium noſtrum permiſſum eſſe à Deo diabolum nos tentare.

Exercitio virtutis vigilandum.

23. Chryſoſt.

Quartò. D. Chryſoſtom. homil. 13. in Matth. *Occaſionem*,ait,*Diabolo adeundi præbet, vt prius ipſe congreſſus quomodo ab alijs etiam vinci poſſet, oſtenderet. Sic etiam faciunt athletæ, qui cùm diſcipulos ſuos vincere docent, data opera in paleſtris cum alijs certamen exercent, vt luctantium corporibus faciant artem ſpectare vincendi, & modum, viamque victoriæ adipiſcendæ monſtrent.* Quintò. D.Paſchaſius homil.3.in Matth. *Ex quo*,ait, *non debet incredibile videri Dominum ad tentationem diabolum excitaſſe,vt ibi vinceretur in veritate ſecundùm hiſtoriam, vbi figurabatur primum viciſſe Adam iuxta allegoriam.* Adamus in terreſtri paradiſo, vbi cæleſtis præfigurabatur, exiſtens victus eſt tentatione Dæmonis, & ab illo eiectus in deſertum huius mundi; Chriſtus Dominus agens in deſerto Satanæ tentamenta calcans, humanum genus in cæleſtem paradiſum, è deſerto huius mundi transfert. Et quia primus Adamus, in quo omnes inueniebantur, per tentationem armis diaboli ſuccubuit; conueniens erat vt Chriſtus omnium caput per aliam tentationem Dæmonem expugnaret, & vt glorioſior eſſet victoria, per id vinceretur,per quod vicerat.

Paſchaſ. *Diabolus per quod vicerat vincitur.*

Sextò.D.Leo ſerm.1.de Quadrageſ.*Ob hoc*,ait, *ſe Dominus tentari à tentatore permiſit, vt cuius munimur auxilio,eius erudiamur exemplo; vincit enim aduerſarium teſtimonijs legis, non poteſtate virtutis, vt hoc ipſo & hominem plus honoraret, & aduerſarium plus puniret,cùm hoſtis generis humani non ſolùm quaſi à Deo.ſed etiam quaſi ab homine impugnaretur,& vinceretur. Pugnauit ergo iſte tunc,vt & nos poſtea pugnaremus, vincit ille,vt & nos ſimiliter vinceremus.* Elegantiſſimè cùm militia ſit vita hominis, vt Dominus ſuos inſtrueret ad pugnam non ſolùm illos firmauit auxilio, ſed etiam exemplo; hoc enim maximè efficaciſſimũ: vnde ait D. Auguſtinus in Pſalm.63. *Parum erat Dominum hortari Martyres verbo, niſi firmaret exemplo*,de quo *lib.2.c.7.n.21.& 22.*& non ſolùm voluit Dominus deiicere diabolum,ſed etiam naturam humanam exaltare, dum non diuina poteſtate, ſed Scripturæ teſtimonio debellauit, vt natura, quæ erat victa, vinceret, & vt Diabolus maximè torqueretur, dum ab illa ſe cognoſcit proſtratum, & ita ait D.Cyprianus *lib.de ieiunio*, quòd Dominus voluit tentari,vt diaboli præſumptio confunderetur.

Quantum efficax exemplum. Auguſt. Cyprian.

24. Abulenſis.

Septimò.Abulenſis *quæſt.4.*ait,*Conueniens fuit Chriſtum tentari à Diabolo,vt nobis contra tentationes auxilium ferret.*Neſcio quid habet experiri

miſeriam, cùm enim Chriſtus Dominus ſit clementiſſimus Pater, tamen dum noſtras tentationes, ac dolores ſuſtinuit, maximè ſe pigneràuit, vt nobis auxiliaretur, ac ſubueniret. ita ait Paulus ad Hebræos 4.n.15. *Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et iterum c.2.n.18. *In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.* Vnde ait *ibi* D. Ambroſius, *In eo in quo paſſus eſt, potens eſt vinctos liberare, tentatoſque adiuuare, ne vincantur, quia tentationes noſtras non ſolùm ſicut Deus, ſed etiam ſicut homo, in ſe ipſo per experimentum cognouit.* Ex eo enim quòd Chriſtus noſtras imbecillitates ſuſtinuit, maximè pronus eſt ad miſerandum. Octauò D. Damaſcenus lib. 3. de fide, cap.2. *Tentatus eſt, & vicit, vt nobis victoriam pararet, & naturæ daret virtutem vincendi aduerſarium.*

Qui ſuſtinuit miſeriam, facilè miſeretur.
Hebr.5.
Ambroſ.
Damaſcen.

25. Nonò. Paſſus eſt Chriſtus ſe tentari, vt Dæmonis audacia infringeretur. Quis enim poſſet furentem impetum diaboli ſufferre, niſi eum priùs Chriſtus in ſe confregiſſet? Decimò. Chriſtus Dominus docturus erat homines, vt eſſent in tentatione conſtantes, neque à Dei obedientia diſcederent, neque Satanæ ſuaſioni ſe ſe ſubmitterent; decreuit ergo in ſe adimplere, quæ docturus erat. Vndecimò. Permiſit ſe Dominus tentari, vt nobis innoteſcat quantum efficax ſit inimici odium; viderat diabolus Chriſtum in natiuitate à paſtoribus mirabiliter vocatis fuiſſe adoratum, Magos ab Oriente ſtella duce cum vt Deum veneratos eſſe, audierat Canticũ Simeonis, ac vocem de cælo tonantem, *Hic eſt filius meus,* audierat; & tamen adhuc dubitat, an ſit Deus; cùm enim eſſet valde contra proprium ingenium, & inclinationem Dæmonis, vt iam in terris adeſſet Deus, & ille homo eſſet verus Meſſias, à quo omnes eius vires erant confringendæ, nulla facti euidentiâ ſe poterat perſuadere ad eius agnoſcendam excellentiam. Cùm Angeli præcepiſſent Lot vt cum omnibus, quæ ad ſe pertinebant, diſcederet à Sodoma, ne ſimul inuolueretur in incendio. Dixit Lot generis ſuis: *Surgite, egredimini de loco iſto; quia delebit Dominus ciuitatem hanc, & viſus eſt eis, quaſi ludens loqui,* Geneſ. 19. num.14. Sed quomodo in re tanti ponderis fidem non adhibent probato ſeniori, ac Angelis, qui cæcitate percuſſerunt habitatores ciuitatis, ita vt oſtium non poſſent inuenire, *ibid. num.*10. Cur talibus non credunt? Mandatum recedendi à ciuitate eorum propriæ affectioni, ac voluntati repugnabat, & ideo non potuerunt ei acquieſcere, & ita ait Chryſoſt. homil.43. in Geneſ. *Cùm audirent à iuſto terribiles illas minas, quaſi ſubſannabãt, & putabant deliramenta eſſe, quæ dicebantur; veruntamen iuſtus voluit eos eripere à plaga: at illi noluerunt, ſed in moribus ſuis manſerunt.*

Chriſtus fregit audaciã diaboli.
Difficiliter crediturquod eſt cõtra proprium appetitum.
Geneſ.19.
Chryſoſt.

26. Capitur Achior à militibus Aſſyriis, & multa verba profert in laudem populi Iſraëlitici, & corroborat teſtimoniis Prophetarum, portentis factis in Ægypto, & deſerto, quæ in toto Orbe erant valde notæ; tamen ait text. Iudith 5. n.26. *Factum eſt cùm ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes magnates Holophernis.* Poſtea verò adducitur Iudith ad Tabernaculũ Principis exercitus, multa mẽdoſa, & falſa, vt vult Lyranus, pollicetur, quod ciuitas ſine vlla contradictione tradenda ſit, omnes captiui adducendi, & cùm hæc audiunt, cuncti duces, ac milites applaudunt. *Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holopherne, & coram pueris eius,* Iudith 11.n.18. Sed quomodo Achior dicta tam truculento vultu excipiuntur, Iudith verò tam blandè, & feſtiuè. Lyranus, ad proximè citat. locum, *Placuerunt verba,* ait, *quia portendebant Holopherni, & exercitui eius proſpera.* Quamuis enim viderentur mulieris blandimenta, ac lenocinia; cùm tamen proprio affectui adularentur, facilè omnes attraxere; at Achior proloquia, quamuis multis diuinis prodigiis & miraculis ſtabilita, tamen militum deſideriis ſe ſe opponebant, & ideo omnes impugnant, ac contradicunt.

Iudith 5.
Lyran.
Iudith 11.
Lyran.

QVÆSTIO VI.

Quare Chriſtus non tentetur in oppidis, ac vrbibus, ſed in deſerto?

27. POTERAT Chriſtus Dominus in ciuitatibus, in media hominum frequentia has tentationes ſuſtinere; cur ergo ducitur in eremũ, vt tentatori locum præbeat? Reſpondet primò D. Chryſoſtom. hom.13. in Matth. *Conſidera,* ait, *quoniam illum aſſumens ſpiritus duxerit, non in vrbem, neque in forum, ſed in eremum. Tunc quippe aliquos diabolus aggreditur, cùm ſolos viderit, atq; ab aliis ſegregatos; ſic denique mulierem ab initio aggreſſus eſt, ſolam illam excipiens,* Gen.3. *Quando enim viderit aliquos copulatos, haud ſimiliter audet accedere.* Et idem ferè Theophyl. Tanta temeritatis audacia ſubit in mentem diaboli, vt non vereatur adoriri hominem, quem antea in Iordane filium Dei eſſe audierat; tamen cùm ſolitarium viderit, non timet ipſum vehementiſſimè inuadere, in ſolum quilibet audet, *Væ ſoli.* Antea erat Dominus in ciuitatibus, inter turmas populorum, ac Regis militum, inter ſcribas, & phariſæos, qui crudeli odio Dominum perſequebantur; & tamen tunc ipſum non audet impetere, niſi cùm ſolùm viderit, plus auxilij ſibi promittens tentator à ſolitudine, ac deſertione, quàm ab hoſtili inimicorum odio.

Chryſoſt.
Quilibet audet in hominẽ ſolitarium.

28. Secundò. D. Ambroſ. lib.3. de Spiritu ſancto, c.18. *Ieiunaturus,* ait, *ab ſpiritu, ſicut legimus, ducitur in deſertum, vt euacuaret diaboli tentamenta; nam etſi in abundantia copiarũ continenter vixiſſe laudandum eſt; tamen in diuitiis, & amœnitatibus frequentior tentationis illecebra eſt.* Ad pugnam ducitur Dominus in deſertum, vt nullum eſſet tentationis genus, quod non experiretur; nam in oppidis, ipſi populorum congreſſus, hominum conuerſatio, opulentia ciborum, ac delitiæ diuitiarum per ſe tentationes ſunt; vt ergo tentamenta diaboli euacuaret, & omnem tentationem conculcaret, tendit in eremum, vt ibi diaboli impetus infringeret.

Ambroſ.
In hominum frequentia frequens tentatio.

29. Tertiò. Alb. Magn. *Ductus in deſertum,* ait, *ecce locus tentationi congruus. Ibi enim non habet adiutores diabolus. Inter mundanos inuenit concupiſcibilia, per quæ trahit affectus, & linguas malorum, per quas ſubuertit aliquando intellectum;* & ideo præcipitur Lot, Geneſ.19.n.17. *Non ſtes in omni circà regione, ſed in monte ſaluum te fac.* Glomerata diaboli amicorum manus maximè timenda, & ideo deſerti locus eligitur ad pugnam, in noſtram eruditionem, ibi Diabolus non habet fautores. Quartò, D. Chryſoſtomus homil.5. ex variis in Matth. *O incomparabilis Domini patientia, & admirandæ humilitatis exemplum. Tentari à Diabolo Dominus patitur, qui tentantem ſe in deſerto iam dudum mortifero ſerpentum morſu percuſſerat.* Ad tentationem in deſerto pergit Dominus, ibi tentationum victor, ac triumphator olim extiterat. *Nolite obdurare corda veſtra; ſicut in irritatione ſecundùm diem tentationis in deſerto; vbi tentauerunt me patres veſtri,* Pſalm.94.n.8. Dominus qui in deſerto ſerpentum morſu tentatores deuicerat, vt diabolum tentantem verbo ſuo deuicat, ad deſertum venit.

Alb.Magn.
Geneſ.19.
Inimicorum manus timenda.

Chryſoſt.
Ex vna victoria ad maiora eundum.
Pſalm.94.

30. Quartò. D. Marcus ait. *Spiritus expulit eum in deſertum; & erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à Satana; eratque cum beſtiis.* Quod explicans Euthymius hîc in Matth. ait. *Tunc enim magis irruit diabolus, quum hominem magis viderit ſolitarium, omnique priuatum conſolatione.* Cùm diabolus videret Chriſtum veluti eiectum ab hominibus, inter beſtias, ac feras commorantem, fame, ac penuria vexatum ſine vllo ſolamine, ſtatim ipſum aggreditur, nam diabolus cùm agnoſcit hominem ærumnoſum, ac deiectum, tunc promittens ſibi victoriam inuadit, & ideo modò hîc in deſerto ſua machinamenta in Chriſtum parat. Vnde ait Tertull. lib. de oratione cap.7. quòd *tentatio Diaboli infirmitas eſt.*

Euthymius.
In hominem deiectum omnes inſurgãt.
Tertull.

31. Quintò. D. Ambroſ. ſerm.39. *In deſerto,* ait, *Saluator implet Dei mandatum, vt ibi Adam ſaluaret errantem, vbi fuerat de paradiſi poſſeſſione deiectus. In deſerto ergo primùm homini ſalus refunditur, vbi non ſunt epulæ, vbi deſunt deliciæ, vbi, quod eſt omnium malorum cauſa, deeſt mulier. Videte rem miram, in paradiſo cum Adam diabolus decertat: in deſerto cum Chriſto diabolus dimicat, vbique inſidiatur homini, vbique congreditur, ſed vbi mulierem inuenit, victus abſcedit.* Elegantiſſimè, & moraliter conſiderat S. Pater, cur homo in Adamo deuincitur, in Chriſto verò glorioſè triũphator exiſtit; nam cum primo homine erat mulier, quæ in deſerto, vbi Chriſtus ieiunabat deerat; & vbi mulier eſt, homo ſæpe proſternitur à diabolo, vbi verò fœmina abeſt, ſæpe Satanas ab homine conculcatur. Dixi *moraliter,* quia mulieris lenocinium Chriſti mentem mordere nõ poterat.

Ambroſ.
Vbi mulier, ibi homo vincitur.

32. Octauò. D. Paſchaſ. lib.3. in Matth. *Cur,* ait, *idem tentandus ad deſertum ducitur, præſertim cum omnis mundus laqueorum tentamentis ſit plenus? niſi fortè quòd vbi ſeruiendo Deo maior eſt quietudo, ibi maior exhibeatur neceſſe eſt virium colluctatio, quia ibi numquam deerit fraudulenta oblectamentorum perſuaſio.* Per deſertum enim ſignificatur vita à mundi tumultibus ſeparata, & ſoli Deo vacans, & tamen ibi ingreditur tentator; quia quo ipſe viuendi modus purior, ibi maior erit pugna, & maiores exoptantur vires: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorũ acies ordinata,* Cant 6. num.9. Sed quomodo mitis, ac affabilis ſponſa formidoloſo, ac bene diſpoſito exercitui comparatur? Per Auroram, Lunam, Solem præclariſſimas virtutes humilitatis, caſtitatis, ac charitatis intelligit D. Bernard. *ſerm. 60. ex paruis.* Et vbi anima ſancta tantis virtutibus exornata agnoſcitur, ſtatim ei iniungitur, vt ad pugnam, & tanquam acies armetur. D. Paſchaſ. cit. *Quæ nimirum,* ait, *idcirco, vt caſtrorum acies contra hoſtes ordinata narratur aſcendere, quæ illi viam ad cælum eundi obſident; vt in nullo frangantur conamine.*

Paſchaſ.
Cantic.6.
Bernard.
Paſchaſ.

33. Regius Vates Pſalm.54.n.8. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine: expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.* Seu, vt legit D. Auguſtin. *Manſi in deſerto.* Cùm ipſe Regius Vates ſe cognoſcat in eremo, ac ſegregatus ab hominum frequẽtia, adhuc non ſe ſecurum exiſtimat, ſed præſtolatur Dei auxilium, quo liberatus eſt à nimia deiectione, ac pauore animi, ac tempeſtatum huius ſæculi æſtu. D. Paſchaſius citat. *Ex quo,* ait, *liquidò monſtratur, quòd ideo ſolitudinem petit, ne mundi premeretur anguſtiis. Sed tamen, necdum in ſolitudine liberum ſe intelligit à periculo, dum adhuc ſe flagitat, liberandum. Quippe quia non ante ſe hoſtis erexit ad pugnam, quàm ille vellet exire de ſæculo.*

Pſalm.54.
Auguſt.
Paſchaſ.

Matth.4.n.2. Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.

VERSIONES.

Vatablus. Cùm ieiunaſſet dies quadraginta, totidemque noctes, tandem eſuriit.

Arias. Ieiunans dies quadraginta, poſtremùm eſuriit.

ALTER TEXTVS.

Marci 1.n.13. Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, erátque cum beſtiis.

Lucæ 4.n.2. Diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo, & nihil manducauit in diebus illis, & conſummatis illis, eſuriit.

EXPOSITIO.

34. HIc ponitur aliquid, quod ſonat fortitudinem, & aliquid quod dicit infirmitatem quòd ieiunauerit quadraginta diebus, & noctibus, & nihil manducauerit, vt exprimit D. Lucas; ſignum fortitudinis eſt, & dum dicitur poſtea, eſuriit, ſeu, vt habet D. Lucas, *Conſummatis illis poſtea eſuriit;* bene colligitur Chriſtum antè non eſuriuiſſe, diuinitate ſcilicet corpus ſine eſurie conſeruante, & ſuſpendente actionem caloris naturalis, aliorumque contrariorum agentium. Ita Origenes, D. Hilarius, D. Chryſoſtomus *hîc,* & Corderius *in Lucam.* Quòd verò poſtea eſuriet, infirmitatem exprimit, ſolet enim Deus magna humilibus permiſcere. His autem diebus tranſegit Chriſtus Dominus in alta contemplatione, ac oratione. Orabat autem Chriſtus Dominus, non pro ſe, ſed pro me. Et notandum quòd Chriſtus ieiunat in

Origenes.
Hilar.
Chryſoſt.
Corder.
Magna humilibus.

in deſerto,comedit, & bibit in ciuitatibus. Hypocritæ autem è contra faciunt, in occulto comedunt, in publico ieiunant. Dicitur autem quòd ieiunauerit noctibus, propter Hebræorum ieiunia, qui diebus ieiunabant, noctibus comedebant. Haymon, *Cùm verò dixiſſet, ieiunaſſe Dominum quadraginta diebus;addidit,& quadraginta noctibus: quod ideo facere voluit, ne aliquis putaret quòd Dominus quidem diebus ieiunaret,noctibus verò reficeretur, iuxta noſtram conſuetudinem.*Chriſtus ieiunat die,& nocte,& homines ſæpè ob vanam gloriam captandam, in die, ac manifeſto ieiunant, & à cibo abſtinent, in occulto autem tenebris patrocinantibus comedunt, ac epulantur. *Eratque cum beſtijs*, vt ait Marc. quia in illo deſerto multæ feræ paſcebantur, eò quòd eſſet inuium hominibus, vt notant D. Chryſoſt. S. Thomas.3.*p.quæſt*.41.*art*.3.*in corpore.*

Haymon.

Simulatio,ac hypocriſis fugienda.

Chryſoſt. D.Thom.

QVÆSTIO VII.

Quare Chriſtus ieiunauerit?

45. Salmer. *Chriſtus ſæpè ieiunauit.* Zach.8.

ANTE hoc ieiuniũ Chriſtum Dominum ſæpe ieiunaſſe bene obſeruat Salm. *tom.*4.*p.*1.*tract.*10.nam in lege veteri, quam Chriſtus Dominus non venit ſoluere,ſed implere,erant multa ieiunia præſcripta.Zachar.8.n.19. *Hæc dicit Dominus exercituum,ieiunium quarti,& ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium*, &c. Tamen Euangeliſtæ de hoc ſolùm ieiunio quadragenario faciunt mentionem,quia alia ieiunia pertinebant ad obſeruationem legis veteris, hoc verò ad initium legis gratiæ. Deinde, quia illa ieiunia erant veluti perſonalia, & veluti particulariter ſpectabant ad Chriſti perſonam, prout ſub lege voluit eſſe, hoc verò quadrageſimale ad exemplum totius populi Chriſtiani.

36. Ambroſ.

Ad quæſtionem verò,reſpondet primò D.Ambroſ.ſerm.39. *Sed videamus*, ait, *quæ cauſa fuerit, vt ieiunia Saluator indiceret, & ipſe ſibi primum,vt bonus humani generis Medicus, poculum, quod ægro daturus eſt,prior guſtat,vt peritiam artis ſuæ ante in ſe ipſe demonſtret,& experimentum æger accipiens ſecurus ſit de poculo, ſecurior de ſalute.* Similiter Abulenſ.q.10. *Ieiunat Chriſtus*, ait, *vt nobis ieiunandi exemplum tribueret; nam cùm ipſe fuerit pleniſſimus legiſlator, debuit nos de omnibus inſtruere*; multum enim iuuant maiorum exempla,vt ſubditi animentur ad difficilia.Vnde etiam ait ipſe Abulenſ. quòd ieiunauit vt exemplum præbèret Prædicatoribus,quòd antequam prædicent,debent ieiunare.

Abulenſ.

Chriſtus nos ſuo exemplo excitat.

37. Ambr.

Secundò.Idem D.Ambroſ.citat.loco.*Arbitror*, ait,*hanc cauſam eſſe ieiunij, vt quia primus Adam in paradiſo conſtitutus, per intemperantiam gulæ, gloriam immortalitatis amiſerat, eandem immortalitatem ſecundus Adam Chriſtus per abſtinentiã repararet; & quia contra mandatum Dei guſtans de interdicta arbore peccatum mortis inciderat, nũc ſecundùm mandatum Dei ieiunans, vitæ iuſtitiam mereretur.* Contrariis enim mediis, quibus mors introducta fuit, ſalus ingreditur, ſi enim per intemperantiam hominis deperdita eſt iuſtitia, per ieiunium recuperetur. Tertiò. Poſt Baptiſmum, ſtatim Chriſtus tendit in deſertum ad ieiunandum,vt doceat quòd poſt acceptam gratiam Baptiſmi non eſt otiosè viuendum, ſed toto pectore incumbendum, vt acceptam poſſimus conſeruare gratiam.

Salus contrarijs medijs recuperata.

Quartò. D. Maximus homil. 3. de ieiunio, *Moyſes enim*, inquit, *editor veteris legis eſt, Chriſtus conditor noui Teſtamenti: ieiunat Moyſes, vt præſentis vitæ mandata ſuſcipiat:ieiunat Chriſtus, vt æternæ ſalutis ſacramenta conſtituat.* Ante promulgationem vtriuſque legis, quæ abſtinentiam continebat,ieiunat vterque legiſlator, quia legis adimpletio in legiſlatore debet præire: deinde ſanctus Pater multas differentias conſiderat inter vtriuſque ieiunium.Ait enim. *Ieiunat Moyſes,vt Deum videret: ieiunat & Chriſtus,vt vnum ſe eſſe cum Deo, dum de diabolo triumphat, oſtenderet. Moyſes poſt ieiunium ſcriptas Dei digito tabulas, populo præuaricante, confregit, Chriſtus poſt ieiunium manſurum per ſæcula Euãgelium conſecrauit.* 38. Maxim.

Legiſlator præcedat exemplo.

Quintò.D. Baſilius *hom.*1. *de laudibus ieiunij*, ait, *Dominus noſter non prius in carne, quam pro nobis aſſumpſerat, diaboli inſultus excepit, quàm eam ieiunio communiſſet, ſimul & nos erudiens vt noſmet aduersùs tentatoris conflictus exemplo palæſtrarum vngamus, & exerceamus.* Antequam Chriſtus ad pugnam diaboli deſcendat,ſe ieiunio armauit,quanuis à primo ſuę conceptionis inſtanti vnione hypoſtatica,ac omni ſupernaturali dono eſſet inexpugnabilis, tamen ſe ieiunio communiuit ad certamen, non pro ſe,ſed pro me, vt nos ſuo exemplo inſtrueret, vt nulla ſanctitate ſecuri, ac ſiſi omittamus ieiunij arma, & ita D.Chyſoſtomus *ſerm.*2. *de ieiunio*, illud appellat murum, ac arcem inexpugnabilem. 39. Baſil.

Ieiunio muniendus eſt homo.

Chryſoſt.

Præcipit Deus Adamo. *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedes*, Geneſ. 2. n.17. Sed cur Deus primo parenti præceptum abſtinendi,ac ieiunandi imponit,optimè enim ſciebat Deus quòd Diabolus ſub figura ſerpentis inſidias eſſet moliturus, cur aliud non præcipit? v.g. Sacrificium, holocauſtum, vel aliud? Præuidebat optimus conditor,quò dnihilo meliùs homo poterat in illo ſtatu innocentiæ cõmuniri,niſi ieiunij lorica.D.Chryſoſt.ſerm.11.de ieiun.*In paradiſo*,ait,*ieiunium pro magna commoditate indicitur, & cùm ante conflictum ad reſiſtendũ libidinoſis voluptatibus clypeus nobis abſtinentiæ fuit: multo magis in ipſo noſtro certamine, ieiunij auxilium ad noſtram victoriam flagitandum eſt.* Tanta eſt enim ieiunij vis vt homines armet contra fortiſſimos dæmones bellatores. Cùm Holophernes cum ſuis pugnatoribus accederet ad Hieruſalem, Iſraëliticus exercitus deficit ac timet:Sacerdotes orant, populus lachrymatur, & omnes cilicio induuntur. Iudith verò erat intra cubiculum domus ſuæ, *Ieiunant omnibus diebus viæ ſuæ*,cap.8.n.6. Ipſa tamen ſola fortiſſimos virorum exercitus eluſit,& caput Holophernis amputauit;*erant omnes fatigati à vino*, cap.13.n.2. Sed cur tanta victoria, & tam copioſiſſimos exercitus vna mulieris manus valuit expugnare? Erat enim ieiunio munita, & plus ſubiecit vnius fœminæ ieiunium, quàm orationes Sacerdotum, fletus totius ciuitatis ac bellatores totius Regni.D.Ambroſ.lib.de Viduis cap.81.*Iudith ſolo titulo ſobrietatis deſperatum lacertis viribus reportauit triumphum; & exemplum euidens, quod & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria ſua emolliuit, & hanc fœminam temperantia cibi fortiorem viris fecit, & Regem ſuperbum ſuis inclinauit ieiunijs.* 40. Geneſ.2.

Chryſoſt.

Iudith 8.

Ambroſ.

QVÆS

QVÆSTIO VIII.

Quare Chriſtus Dominus elegerit ad ieiunandum numerum quadrageſimum?

41. Chryſoſt. *In pœnitentia requiritur terminus.*

CHRISTVS Dominus ieiunans in ſua abſtinentia ponit terminum, quod expendens D.Chryſoſt. *in Imperfect.homil.*5. ait, *Vt quadrageſimi ieiunij noſtri poneret menſuram.* Omnis enim vitæ rigor, & abſtinentia modum debet habere; cur ergo Chriſtus hanc metam conſtituit potius in quadragenario, quàm alio numero, eſt præſens difficultas.

42. Abulenſis.

Abulenſis *quæſt.*11.Chriſtus ieiunauit tali tempore, vt diabolus eum non agnoſceret, ſed tentandi occaſionem haberet: deſiderabat diabolus ſcire, an Chriſtus eſſet filius Dei, vel purus homo; cùm autem Chriſtus ieiunauerit quadraginta dies,non poterat diabolus cognoſcere eum eſſe Filium Dei; nam etiam Moyſes,& Elias quadraginta dies ieiunarunt: ſi autem ieiunaſſet plures, poterat diabolus pro certo habere eum eſſe filium Dei, & non auderet eum tentare. Hæc tamen ratio non eſt efficax, nec mihi placet, quia abſtinentia ſine vllo cibo in Moyſe, & Elia, non potuit fieri ſine virtute ſupernaturali; ergo ſicut ratione huius, tot dies abſque alimento tranſacti ſunt, multo plures etiam poterant pertranſiri. Imò, vt tenet ipſe Abulenſis 3. *Reg. cap.*19. *q.*8. Vbi probat Eliam numerum quadragenarium ieiunando ſuperaſſe, quadraginta dies vſque ad montem, & in monte ieiunium ſeruauit, non erat enim ibi,qui eſcam miniſtraret, deinde redit in Damaſcum, vel in Iudæam,& tunc non erat in deſerto, qui cibum ſuppeditaret; ergo per totum hoc tempus ieiunauit; quod ferè nonaginta dierum numerum implet.

Idem.

43. Prima ſolutio. Ieiunando adimpleuit Chriſtus numerum quadraginta dierum, vt ſuo exemplo noſtro ieiunio quadrageſimali initium daret, ita ait D,Ambroſ.ſerm.34.*Quadrageſimam nobis Dominus ſuo ieiunio conſecrauit.* Et D. Hieron. *hîc*, D.Maxim. *homil.*3.*de ieiun.* D.Chryſol.*ſerm.*11. D.Ant.Vlyſ.*ſerm.*2.*in Dom.*1.*ſolut.*2. D. Auguſt. Epiſt.119.cap.11.*Quadrageſima ieiuniorum habet authoritatẽ,& in veteribus libris ex ieiunio Moyſis,& Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit,demonſtrans Euangelium non diſſentire à lege,& Prophetis.*Hos dies adimpleuit Chriſtus, ne diſcederet ab antiquis moribus maximè approbatis,& vt maiorum veſtigiis maximè laudatis ſe ſe conformaret.

Ambroſ. Hieron. Maxim. Chryſol. Ant.Vlyſ. Auguſt.

Mores antiqui obſeruandi.

44. Chryſoſt.

Tertiò.D.Chryſoſt.homil.13.*Ipſe*,ait, *quadraginta dies ieiunat;nec tamen vltrà progreditur, ne ſcilicet rei admirandæ exceſſus incredibilem faceret ſuſcepti hominis veritatem,quia priùs Moyſes, & Elias in hanc ieiunij longitudinem peruenire potuerunt*,&c.Vbi duplicem rationem nobis tradit S.Pater: prima eſt ad oſtentationem veritatis humanæ naturæ; ſecunda ne exceſſus ieiunij admirationem ingerat, & quid inauditum introducat; poterat enim Chriſtus ieiunium Moyſis, & Eliæ tranſcendere, ſed pro ſingularitate vitanda noluit excedere: maximè enim in omni negotio à viris prudentibus fugienda eſt ſingularitas.

Singularitas vitanda.

45. Quartò. Tertullianus lib. de Baptiſm, cap.20. *Dominus*,ait, *de figura Iſraëlis exprobrationem in ipſum retorſit. Namque populus mare tranſgreſſus, in ſolitudinem tranſlatus,cùm diuinis copijs aleretur,nihil minus ventris, & gulæ meminerat,quàm Dei. Deinde Dominus poſt aquam ſegregatus in deſerta,quadraginta dierum ieiunia emenſus,oſtendit tentationes plenitudine,& immoderamine ventris appoſitas abſtinentiâ elidi.* Duo nobis etiam hîc innuit Tertull.Primò,quòd populus exiens de Ægypto, dum mare tranſgreditur,in quo Baptiſmus præfigurabatur; dum voluptatibus ſe committit,in idololatriam prolabitur,& ideo Chriſtus poſt Baptiſmum ad deſertum tendit.Qui enim de mundo exit,caueat,ne reuertatur ad illum. Sic & Rupertus *hîc*.Secundò,populus cum gula,ac idololatriis ambulauit quadraginta annis per deſertum,& dixit ſemper,hi errant corde.Chriſtus pro nobis ſatisfaciens quadraginta ieiunat dies, vt pœnitentia, ac mortificatio proportionetur culpæ,ac delicto,pro quo ſatisfit. Tertull.

Non reuertendum ad mundum.

Pœnitentia correſpondeat culpæ. Rupert.

Quintò. D.Proſper de promiſſionib.p.1.cap.7. *Quòd*,ait,*quadraginta diebus, & quadraginta noctibus diluuium factum eſt ſuper terram, non tantum præteriti in hoc numero, quantum etiam præſentis temporis animarum diluuium oſtendit: quæ in ſcopulis ſæculi atque gurgite flagitiorum, diuerſarumque voluptatũ naufragiis fluctibus ſubmerguntur. Propter quod quadraginta diebus Elias, quadraginta diebus & ipſe Saluator ieiunia cõſecraſſe monſtratur.*Sicut enim temporibus Noë,vt mundus purgaretur à peccatis extitit diluuium quadraginta diebus, ſic etiam vt animus noſter ab omni inquinamento purificetur,totidem dies pœnitentiæ nobis ſunt neceſſarij. 46. Proſper.

Diluuium peccatorum pœnitentia.

Sextò. Quandam rationem deſumo ex D.Cyrillo lib.de Adorat.*Ferunt igitur*,ait,*fœtum in vtero ad figuram noſtri corporis tunc accedere, cùm ipſe numerus quadraginta dierum expletus fuerit: ideoque aiunt Moyſem illum virum optimum cum Iſraëlis populum ad vitam ſecundùm legem ducendam iterum quodammodo parturiret, ac reformaret, cibo, & potu abſtinuiſſe, panem,inquit, non comedit, & aquam non bibit quadraginta diebus.* Deut.9.n.9. Vt Moyſes legem acciperet, quadraginta dies ieiunio conſecrauit, totidémque Chriſtus Dominus antequam legem Euangelicam promulgaret, per hos enim dies ſexus virilis in vtero formatur; vt inde cognoſcatur quòd non pauciores dies requiruntur ad animalem vitam formandam, quàm ad heroicos virtutum partus in abſtinentia, ac aſperitate edendos. 47. Cyrill.

Deut.9. *Tantũ tempus ad reformationem, quantum ad delicias.*

Septimò.Numerum quadragenarium eſſe myſticum, communiter docent Patres. D. Baſilius *homil.Quadrag.* D.Auguſt.*lib.*2.*de conſenſ.Euangeliſt.cap.*4.D.Ambroſ.*in cap.*4. *Luc.ibi.* D.Bonauent.*hîc*,Beda, D.Thomas qui ait,quòd numerus quadragenarius conſurgit ex denario ducto per quaterdenarium. Denarius ſignificat legem,quia in decem præceptis tota lex continetur. Quaternarius ſignificat compoſitionem carnis,quia caro compoſita eſt ex quatuor elementis. Quia igitur nos per ſuggeſtionem carnis tranſgreſſi ſumus legem diuinam, iuſtum eſt, vt carnem noſtram affligamus diebus quadraginta. 48. Baſil. Auguſt. Ambroſ. Bonauent. Beda. S.Thom.

Octauò. Alcuin.in c.8.Geneſ.*Poſt quadraginta dies*,ait,*Noë feneſtram aperuit,ſignificans ieiunantibus cælum aperiri:ideo Moyſes, & Elias,& ipſe Saluator quadragenario numero ieiunia conſecrarunt tanquam tribus temporibus neceſſariò ante legem,* 49. Alcuin.

Ieiunium cælum aperit.

gem, ſub lege, ſub gratia. Poſt quadr aginta dies Noë aperuit feneſtram,& cælum aſpexit, *Gen.8. num.6.* Cur non poſt plures,vel pauciores dies? Hoc enim tempus ieiunium ſignificat, & ideo Chriſtus Dominus ſuo ieiunio illud dedicauit,vt credatur quòd ieiunantibus cælum aperitur, &

Baſil.

ita ait D. Baſilius homil. 1. de ieiunio: *Quoniam non ieiunauimus,exulamus à paradiſo; ieiunemus igitur vt ad illum reuertamur.* Et hac de cauſa poſt ieiunium quadraginta dierum, Moyſes *Exod.24. n.10.* & Elias *3.Reg.19.num.13.* Deum viderunt,

Chryſol.

vt expendit D. Chryſologus *ſerm.166.* imò ideo hi duo ex omnibus eliguntur, vt in monte gloriæ cum Chriſto aſſiſtant, *Matth.17.num.3.* vt ait

Tertull.

Tertullianus aduersùs Phychicos, cap.7. *Meritò in carne ſe Dominus oſtendit collegæ ieiuniorum ſuorum.* Vterque ieiunando adimpleuit numerum quadrageſimum, ideo comites in gloria cum Chriſto reperiuntur. Venit puer Ieſus in templum, & tamen inter magnam frequentiam Sacerdotum,ac populorum Anna eum agnouit; cur

Luc.2.

illa? Ait Luc.2.num.36. *Et erat Anna filia Aſer filia Phanuel,quæ non deſcendebat de templo,ieiunijs, & obſecrationibus*; quæ erat ieiuniis dedita, ita habuit viſum acutum, vt facilè Chriſtum

Tertull.

agnouerit. Tertull.citat. cap.8. *Oſtendens à nullis magis intelligi Chriſtum, quàm à ſemel nuptis, & ſæpe ieiunis.*

QVÆSTIO IX.

Quare de Chriſto Domino dicatur quòd eſurijt,non verò de Moyſe,& Elia ieiunantibus?

50. PER quadraginta dies, quos Chriſtus ieiunauit, non habuit famem cibi, vel tus,ſed poſtea,vt dixi ex Matth. *Cùm ieiunaſſet quadraginta dies,poſtea eſuriyt*,& ex Luc. *Conſummatis illis eſuriyt.* Et patet,quia ſi Chriſtus per tam longum tempus habuiſſet appetentiam cibi, & potus, intolerabilem famem ſuſtinuiſſet;

Ignat. Cyrill Chryſol.

& ita docent D. Ignatius *Epiſt.8. ad Philipp.* D. Cyrillus *lib.2.ad Reg.* D.Chryſolog.*ſerm.11.* Cum quo tamen bene ſtat,quòd licèt Chriſto ieiunium non attulerit notabilem aliquam debili-

Abulenſ. Barradas.

tatem, tamen Chriſtus verè ieiunauit, vt docet Abulenſis *quæſt.19.* & Barradas, quia de ratione ieiunij tantùm eſt abſtinentia à cibo: Chriſtus autem ſimpliciter abſtinuit,nihil enim manducauit illis diebus,tamen Chriſtus multas alias ſuſtinuit hîc afflictiones,vt notat Abulenſis *cit.* Primò, erat ſegregatus ab omni humana conuerſatione, homo eſt animal ſociabile. Secundò ratione loci,erat locus terribilis,ac aſperrimus, *erátque cum beſtijs*,vt ait Marcus: tertiò, propter intemperiem aëris, cùm ibi non eſſent domicilia, nec tuguria.

51. Difficultas eſt, cur dicatur de Chriſto, quòd eſuriit, non verò de Moyſe & Elia ieiunantibus,

Hilar. Druthmar. Maxim.

vt notant D.Hilarius, Druthmarus *hîc in Matth.* Reſpondet primò D.Maximus homil.3. de ieiun. *Quid eſt*, inquit, *quòd cùm vterque*,ſcilicet Moyſes,& Chriſtus, *quadragenarios ieiunauerit dies, non vterque poſt ieiunium eſuriſſe perhibetur? Moyſes vtique non eſuriuit, vt in homine fragili operata diuinitas probaretur: eſuriuit Dei filius,vt aſſumptionem carnis noſtræ fragilem ſuſcepiſſe hominem reuelaret.* idem docent D. Hilarius *citat.*

Ambroſ. Origen.

D. Ambroſius *in cap.4.Luc.* & ex hoc Origenes *homil.29.* rationem aſſignat, cur Ioannes Chriſti tentationes non ſcripſerit,cæteris tribus Euangeliſtis narrantibus, quia Ioannes præcipuè Chriſti diuinitatem explicauit, & ab ea initium auſpicatus eſt; cæteri verò ab humanitate: tentatio autem tantùm ad humanitatem ſpectat.

Secundò. Idem D. Maximus cit. *Hinc eſt*, inquit, *quòd Chriſtus,vt homo eſurit, & eſurientes paſcit,vt Deus: hinc eſt,quòd fatigatur itinere,& claudis virtutem tribuit ambulandi.* Chriſtus vt homo eſuriit, vt tamquam Deus nos ſatiet, qui enim famem pertulit, fameſcentibus facilè ſuccurrit. Tertiò. D. Ambroſius ſerm. 36. in Quadrageſ. *Quomodo ergo*,inquit, *poteſt fieri,vt qui tot dierum numero famem,ſitimque non ſenſerit poſtea eſuriyt? Eſuriyt enim non cibum hominum,ſed ſalutem,non eſcarum ſæcularium epulas concupiuit,ſed animarum deſiderauit cæleſtium ſanctitatem.* Et idem habet D.Hilarius *hic.* Poſt tam longa ieiunia, poſt tam aſperum deſertum fameſcit Dominus non cibum corporalem,ſed ſalutem ſpiritualem animarum.

52. Maxim.

Ambroſ.

Chriſtus ſitit noſtram ſalutem. Hilar.

Quartò. D.Chryſoſtomus homil.13.in Matth. *Multos igitur*,inquit, *ſtultorum nunc etiam audire poſſumus, qui dicant mala propter ventrem innumera committi; ſed Chriſtus oſtendit,quòd amatorem virtutis nihil tyrannus iſta indicens facere compellat. Denique eſuriyt,& non obedit imperanti:nos profectò erudiens, vt numquam diabolo credamus.* Suo facto nos docet Dominus, quòd ob famem depellendam nil turpe, ac inhoneſtum ſit committendum: amator enim virtutis potiùs vult ſe ſubmittere neceſſitati victus,quàm diaboli mandato. Quintò. Palatius hoc colligit documentum, quòd nulli carni, quantumuis mortificatæ, & exhauſtæ ſit fidendum, corpus enim Chriſti poſt tam longa ieiunia eſuriit.

53. Chryſoſt.

Ob famem vitandam nõ ſunt turpia facienda.

Palat.

Sextò.D.Ambroſius *hic*,ait, *Fames Domini pia fraus eſt, vt in quo diabolus maiora metuens iam cauebat,famis ſpecie lactatus tentaret vt hominem.* Appetit Dominus cibum,vt diabolo præberet occaſionem ipſum tentandi, vt ita eius aſtutia ipſa fame magis deuincatur;huc tendit D.Cypr.lib.de ieiun. *Expoſuit ſe Dominus tentandum diabolo,nõ vt diuinitatis integritas probaretur,ſed vt tentatoris confunderetur præſumptio,dum fame,& laſſitudine poſt ieiunium veritas humanitatis pateret.*

54. Ambroſ.

Cyprian.

Septimò.Idem D.Ambroſ.ſerm.37.in Qudrag. *Videte*,ait, *artem Domini,qua aduerſarium fraude circumuenit. Poſt multa ieiunia eſurire ſe ſimulat vt diabolum, quem ieiunando iam vicerat iterum eſuriendo ſolicitet. Spem illi congrediendi ex infirmitate famis quodammodo tribuit, vt dum contra imbecillem congreditur, glorioſiùs ſuperetur.* Vbi duo S.Pater nobis inculcat,primò,quòd in fame in qua diabolus ſibi promittebat triumphum, ibi ſuperatur, ac deiicitur; ſecundò, non permittit Chriſtus ſe tentari quando extra neceſſitatẽ erat, ſed quando egeſtate laborabat, vt ita glorioſior eſſet victoria Chriſto, & inde maior confuſio,ac ignominia inimico comparetur, dum ab humanitate fame oppreſſa vincitur ac proſternitur: & ideo in maiorem ſui ſplendorem mundanas poteſtates infirmitati ſubiecit Chriſtus; exiit noſter dux in bellum cum diabolo, non armauit exercitum Angelorum, non conuocauit principatus cæleſtes

55. Ambroſ.

In quo diabolus ſe ſperat victorem, ibi vincitur.

cæleſtes, ſed occultata diuina potentia, oſtenſa debilitate mortis, ac doloris, totum ſubiugauit orbem. D. Leo ſerm.8.de Paſſione. *Tenuit itaque diſpoſita manſuetudo patientiam,& cohibita famulantium ſibi Angelicarum virtute legionum,hauſit calicem doloris, & moris, totumque ſupplicium tranſtulit in triumphum, victi ſunt errores, ſubactæ ſunt poteſtates.* Cùm Dus poſuiſſet Sanſon in oſtenſionem ſuæ virtutis, & pugnaret aduersùs Philiſthæos, *Inuentam mxillam, ideſt,mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros*, Iudic.15.n.15.ut non aliter profligantur hoſtes, niſi tantùm in vna maxilla, & valde debilis animalis? Vt ita vide glorioſior eſſet victoria Sanſon, & magna confuſio inimicorum, dum tam vili inſtrumento ſuperantur, Rupertus in lib.Iud. c.19. *Maxilla aſini*,ait, *in manu Chriſti illa ſunt ſtulta,ac infirma,& contemptibilia mundi, de quibus Apoſtolus; non mlti ſapientes ſecundùm carnem,inuentos eos,qui erat cõtemptibiles mundo cõfudit,& deſtruxit inimice.* Vide *lib.2.c.2.q.2.n.5.*

Leo.

Iudic.15.

Rupert.

Matth.4.n.3. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es,dic vt lapide iſti panes fiant.

VERSIONES.

Syriac. apud Lucam. Accedens criminator.

Theophylact. Acceditille, qui tentat.

Vatablus. Si filius Dei es, iube vt lapides hi panes fiant.

Iulius Firmatus de errore prophanorum c.15. Si filius Dei es, fac, vt lapides iſti

Text. Hebraicum,apud Sà. Verbo effice vt lapides iſti.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 4. n. 8. Dixit autem illis diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic,vt panis fiat.

EXPOSITIO.

56. CVM Chriſtus Dominus voluntariè permiſiſſet naturæ, vt eſuriret ad dandum diabolo occaſionem accedendi,& congrediendi ſecum, aduenit diabolus, hoc eſt, tentator ille generis humani, ſeu, vt habet Syriacus apud Lucam, *criminator*; hîc autem tentator erat Lucifer, princeps dæmoniorum,vt exiſtimat D.Auguſtinus *lib.9. de ciuit cap.21.* propter eminentiam ſanctitatis Chriſti, nullus alius auderet accedere:deinde agebatur hîc de principatu diaboli euertendo; ad hoc Chriſtum venturum ſciebat diabolus, ideo principi dæmonum incumbebat exire cum eo in bellum: tentauit autem non interiùs,ſed exteriùs, nacta occaſione per inopiam, *ſubdola profeſſione*,vt inquit Cyprianus lib.de ieiunio, *quare compatiens ei ſubuenire periclitanti naturæ adhortatur.*

Tentator Lucifer. Auguſt.

Cyprian.

57. *Si filius Dei es.* Nouerat diabolus ex Scripturis Filium Dei futurum hominem, & in Chriſto hoc iam probauerat vox Patris, ac teſtimonium Ioannis, è contra verò fames hominem demonſtrabat,accedit ambiguus diuinitatem exploraturus,& ait, *Si filius Dei es,dic vt lapides.* exiſtimabat diabolus Chriſtum, ſi filius Dei erat,conuerſurum lapides in panes, & ita diuinitatem eius ſe agniturum, quin aliter ſi purus homo erat, à ieiunij propoſito eum auerſurum, ac ad inordinatum gulæ appetitum prouocaturum, & ait, *Dic*, quod multò verius iuxta phraſim Scripturæ legendum eſt,quàm *Iube*,vel *fac*,vt alij vertunt, vt ſicut Pater in exordio verbo ſuo creauit omnia, *ipſe dixit, & facta ſunt*, ita & eodem filius faciat panes, vt ex verbo, & ore filius ſui patris agnoſcatur. *Vt lapides iſti*; in illo enim deſerto, quod *Quarentena* vocatur,erant multi,& magni. Matthæus ait, *vt lapides iſti panes fiant*; Lucas verò, *Dic lapidi huic,vt panis fiat*;in hoc enim nulla eſt contradictio;ſæpe enim in Scriptura ponitur ſingulare pro purali, vel è contra, eſt enim Sylleplis, ita dicitur Matth. 26. num. 8. quòd dum mulier fregit alabaſtrum vnguenti, *videntes diſcipuli indignati ſunt*;cùm tamen ſolùm fuerit Iudas, vt obſeruant D. Hieronymus, Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Beda, & hi exiſtimant verba hîc prolata à diabolo fuiſſe in numero plurali.

Matthæus, & Lucas, quomodo cohæreant.

Matth. 26.

Hieron. Chryſoſt. Euthym.

QVÆSTIO X.

An Chriſti tentationes fuerint tantùm tres, vel plures?

58. DRVTHMARVS *cap.4. in Matth.* tenet, quòd poſtquam Dominus iuuenis factus eſt, in ciuitate Nazareth, multis tentationibus à Dæmone impetitus fuerit. Origenes verò *homil.29..in Luc.* affirmat Chriſtum Dominum his quadraginta diebus ieiunij multas,& graues tentationes paſſum eſſe à diabolo, præter tres narratas ab Euangeliſtis Matthæo & Luca, & illas fortè ſilentio prætermiſſas aſſerit, quia maiores erant,quàm vt litteris crederentur; in eadem ſententia eſt Euthymius: fundatur hæc ſententia primò,quòd Marcus, & Lucas ſcripſerunt, quòd hîc *quadraginta diebus tentabatur à diabolo.* Secundò Lucas ait,quòd *conſummata omni tentatione,diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus.* Tertiò. Quia D.Paulus ad Hebr.4.num.15. *Non habemus Pontificem,qui non poſſit compati in infirmitatibus, tentatum autem per omnia.* Ergo omne genus tentationum pertulit Chriſtus.

Druthmar.

Origenes.

Euthym.

Hebr.4.

59. Tamen communis, & vera Patrum ſententia eſt, Chriſtum Dominum non fuiſſe tentatum, niſi poſt quadraginta ieiunij dies, & tantùm tribus tentationibus ſcriptis à Matth. & Luc. ita D.Cyprian. *de ieiunio*, D.Hilarius *can.3.in Matth.* D.Chryſoſtomus *homil.13.* D.Ambroſius *lib.1.de Cain,& Abel,cap.5.* D. Auguſtinus *lib.3.de mirabilibus,cap.6.* Probatur manifeſtè ex textu Matth. *Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus,& quadraginta noctibus, poſtea eſuriyt, & accedens tentator.* Ergo antea non acceſſerat. Secundò. Quia Chriſtus non poterat tentari interiùs, nam tentatio fit interiùs, per excitationem cupiditatum,vel per deceptionem, vel per errorem, ſeu ignorantiam; atqui

Cyprian. Hilar. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt.

atqui nullo modo potuit habere locum in Chriſto, non interiùs ſuggerendo cogitationes, quia omnes eius potentiæ erant maximè ſubordinatæ rationi, & ei conformes; ergo Chriſtus non poterat tentari nec à carne, nec à mundo, nec etiam à diabolo interiùs. Nec in Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, fuit vlla deceptio, ignorantia, ſeu error, vt definitum eſt in VI. Synodo *art.*11. imò nec de potentia abſoluta potuit eſſe, vt docent Patres, & Theologi, quos latè referunt M. Petrus Cornejo *tom.*2. *oract.*2.*quæſt.*9,*diſp.*2.*dub.*12.*&* 13. Suarius *d.*14. *ſect.*3. Vaſquius 3.*part. diſp.*61.*cap.*9. ergo ſolùm exteriùs poterat tentari.

Petr.Corn. Suarius. Vaſquius.

60. Tertiò. Diabolus agnoſcebat eminentiam ſanctitatis Chriſti Domini, viderat tot mirabilia in eius natiuitate, infantia, ac educatione, vocem Patris, & teſtimonium Ioannis perceperat; ergo non audebat ad ipſum tentandum accedere, niſi poſtquam ipſe eſuriendo locum dedit diabolo, niſi enim Dominus ſe humiliaſſet, ac ſubmitteret, nec diabolus eum auderet tentare, nec Iudæi crucifigere. Dum enim ad eum comprehendendum procedunt, ac ad eius interrogationem. *Quem quæritis?* dicunt, *Ieſum Nazarenum, & dixit eis, Ego ſum,* Ioann. 18. n. 6 quod propium diuinitatis nomen eſt. *Statim illi abierunt, & ceciderunt retrorſum,* at vt Dominus reſpondens ait: *Dixi vobis; quia ego ſum; ſi ergo me quæritis ſinite hos abire*; tunc vbi Dominus ſe humiliauit, ac permiſit, tamquam in hominem debilem omnes manus iniiciunt, ac eum comprehendunt, vt ibi ponderat D. Auguſtinus; ſicut ergo neceſſe fuit, vt altitudo diuinitatis ſe ſubmitteret, vt à Iudæis caperetur, ita etiam neceſſe fuit vt ſe deiiceret per famem, vt à diabolo tentaretur

Dum Dominus ſe humiliat tẽtatur. Ioan. 18. Auguſt.

61. Cum hoc tamen ſtat, vt ex Beda probabile exiſtimat D. Thomas 3.*part. quæſt.*41.*art.*3.*ad* 2. Abulenſis *quæſt.*21. quòd præter iſtas rres tentationes, quas Chriſtus ſuſtinuit poſt ieiunium, in ipſo abſtinentiæ tempore à diabolo paſſus fuerit, v. gr. quaſdam viſiones terrificas per aëra, & deſerta.

Beda. D.Thom. Abulenſ.

62. Ad primum argumentum dicimus, quòd. Marcus narrat, veluti in compendio, quæ geſta ſunt in deſerto, ita enim ait. *Et erat in deſerto quadraginta diebus, & tentabatur à Satana, eratque cum beſtijs, & Angeli miniſtrabant illi.* Marc. 1. n. 13. & tamen miniſtratio Angelorum non fuit, niſi poſt tentationes. Similiter Luc. priùs in genere, ac ſummatim, vt mox ex Scriptura narrat quæ facta ſunt in deſerto, & poſtea ſpeciatim, ac diſtinctè explicat quales fuerint tentationes, de quibus in genere dixerat. Ad ſecundum, quòd conſummata omni tentatione, quam Chriſtus voluit pati, diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus, non quòd poſtea eſſet reuerſurus ad eum tentandum, ſed ad eum impugnandum, & perſequendum per membra ſua, ſcilicet Iudæos, vt explicant D. Ambroſius *lib. in Lucam*, D. Thomas *cit. quæſt. ad* 3. Ad obiectionem tertiam dicitur, Chriſtus tentatur per omnia pro ſimilitudine abſque peccato; non ergo Chriſtus fuit tentatus per opera carnis, & mundi, ſed dicitur tentatus per omnia, id eſt, per omne genus perſecutionum, & vexationum, vt ibi explicant D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius, & alij.

Marc. 1. Ambroſ. D.Thom. Chryſoſt. Ambr.

QVÆSTIO XI.

Quo motiuo diabolus Chriſtum tentauerit?

63. CIRCA Chriſtum Dominum in magna hæſitatione verſabatur diabolus, & ideo ad tentandum accedit, ſed quo fine, impulſiuo? An vt in aliquod peccatum præcipitaret? An vt eius diuinitatem exploraret? Prima ſententia tenet diabolum hac tentatione Chriſtum Dominum voluiſſe allicere ad peccandum, ita D. Baſilius *ſerm. de abdicatione rerum temporalium*, vbi ait, quòd eodem modo, cut Adam, diabolus ſperabat Ieſum ſupplantatrum; idem docent D. Ignatius *Epiſt.*8.*ad Philip.* D. Cyprianus *ſerm. de ieiun.* D. Gregor. Naziaz. *orat. in laudem D. Cypr. & orat. in ſanctum Batiſma.* D. Chryſoſt. *hom.*13. *in Matth.* ad hoc enim agitabatur diabolus inuidia, vt omnia ſua tentamenta in Chriſtum diſſoluerit, cùm eum ſibi excellentiorem agnoſceret; ita ait D. Chryſoſtomus cit. *Neque enim,* ait, *ſuperueniret tibi, neque aduersùs te diabolus irrueret, niſi in maiore te poſitum honore conſpiceret: hinc enim aduersùs Adam inſurrexit ab initio.* In eminentiorem omnes iacula ſua acuunt. Vide *lib.*2.*cap.*10.*num.*66.*&* 67.

Baſil. Ignat. Cyprian. Nazianz. Chryſoſt. *In excellentiores bellum.*

64. Et quamuis in Chriſto Domino omnes præclariſſimæ virtutes in excellentiſſimo gradu relucerent; tamen cùm hominem videret, eum ad peccatum trahi poſſe, ac ſibi victoriam comparare ſperabat, tam debilis eſt noſtra natura. D. Leo ſerm. 3. de Quadrageſ. cap. 2. *Viderat,* ait, *ſuperbiam ſuam baptizati Domini eſſe humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis excluſam, & tamen non deſperauit de artibus ſuæ malitia ſpiritualis improbitas, tantum ſibi de natura noſtri mutabilitate promiſit, vt quem verum experiebatur hominem, præſumeret poſſe fieri peccatorem.* Expende vltima verba, ad magnum documentum, quòd nullus cùm ſit homo, ſe promittat ſecurum, ſed facilè præſumat labi poſſe.

Leo. *Homo facilè labi poteſt in peccatum.*

65. Secunda ſententia, quòd diabolus tentauerit ad explorandum, an Chriſtus Dominus eſſet verus filius Dei, ita D. Hieronym. *hîc*, D. Auguſt. *lib.*9. *de ciuit. cap.*22. D. Gregor. *homil.*16. Euthym. Beda & alij *hîc.* Quia licèt ipſe videret in Chriſto omnia ſigna contenta in Scriptura de Filio Dei, ac Meſſia, & quòd illud eſſet tempus deſignatum, tamen non poterat capere quomodo Filius Dei voluiſſet pati famem, & neceſſitatem; ex ſe coniecturabat de Chriſto, quia ſicut ipſe ſemper reſpuit humiliari, ita exiſtimabat Filium Dei numquam ad abiecta deſcenſurum, tanta eſt ſuperbia creata, vt ex ſe velit menſurare diuinam altitudinem, & de illa ex ſe præſumere; eleganter D. Anſelmus hîc: *Non putabat Deum, quem fragilem videbat; viderat ſtellas, viderat Magos, viderat Ioannem clamantem, Hic eſt Agnus Dei; audierat de cælo forſitan vocem Patris, ſed putauit eum vocari filium adoptiuum, ſicut & alios Sanctos, audierat Prophetas, ſciebat Chriſtum venturum. Sed quum omnia iſta vidiſſet ſigna; non tamen credidit eſſe Deum, & hoc faciebat eius ſuperbia. Credidit enim quòd ſicut ipſe numquam voluit pati infirmitatem, ſed voluit etiam ſuper omnia exaltari; ſic non credidit*

Hilar. Auguſt. Gregor. Euthymius. Beda. *Superbia creata ex ſe coniecturat de Deo.* Anſelm.

credidit Deum velle vllam pati infirmitatem, iudicans eum ex animo ſuo, & ideo eum eſſe Deum nullo modo credidit, & tamen explorat.

66. Tertia ſententia tenet, diabolum acceſſiſſe ad explorandum Chriſti diuinitatem, & ad eum tentandum, ita D. Hilarius *can.*3. *in Matth.* D. Ambroſius *cap.*4. *Luc.* D. Gregorius *citat.* D. Paſchaſius, & D. Hieronymus *hîc*, vnde inquit. *Duobus contrarijs teneris, diabole, ſi ad imperium eius poſſunt lapides panes fieri, fruſtrà tentas eum, qui tantæ potentiæ eſt: ſi autem non poteſt facere, fruſtrà Filium Dei ſuſpicaris.* Deprauatus animus diaboli contra ſe agit, & loquitur, & tentare affectat, ac inducere ad peccandum eum, quem Filium Dei, ac proinde impeccabilem, ſuſpicatur.

Hilar. Ambroſ. Paſchaſ. Gregor. Hieron. *Peruerſus ſibi cõtrarius.*

67. Ita rem explico, per diuinam reuelationem à Deo acceptam, antequam diabolus à cælo caderet, agnoſcebat Filium Dei Incarnandum, dubitabat tamen an hîc eſſet Chriſtus Dominus, & quamuis omnia quæ viderat, manifeſtè eius diuinitatem indicabant; vt inimicus tamen ſiniſtra expoſitione interpretabatur, hoc voluit diabolus explorare, & ideo Chriſtum tentat, & non panes, ſed lapides offert, ac ait, *Si filius Dei es, dic vt lapides,* &c. Tam obcæcata erat mens diaboli, vt ſibi perſuaderet Deum in aſſumpta natura peccare poſſe, ad quod fortè reſpicit dictum Hieronymi, vel, quod eſt probabilius, dæmon explorare Chriſti diuinitatem decreuerat, & ſi homo tantùm eſſet, eum ad peccandum allicere intentabat.

68. Bene tamen notant Caietanus *in cap.*4. *Luc.* & Barradas *cap.*3. *de tentat.* quòd licèt fortè diabolus audierit colloquium Virginis cum Angelo in conceptione, vocem Patris, & teſtimonium Ioannis, & omnia alia ſigna contenta in Scriptura de Meſſia, eſſent in Chriſto Domino; tamen apertè eum non cognouit, quia eius intellectus diuina virtute fuit impeditus, ne id intelligeret. Sicut etiam illius vis ad nobis noſcendum refrænatur à Deo, vel quia diabolus ob ſuam malignitatem, & ſuperbiam adeò obcæcatus erat, vt Chriſti magnalia capere non poſſet.

Caiet. Barradas. *Superbia excæcat mentẽ.*

69. Ait Saluator. *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*, Ioann. 14. num. 30. D. Ambroſius *lib. de fuga ſæculi, cap.*4. ſic legit, *& in me inuenit nihil.* Sed quomodo mens huius principis adeò eſt obnubilata, vt nihil reperiat in Chriſto, in cuius manus omnia Pater dedit, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. *Quomodo,* ait D. Ambroſius, *nihil inuenire potuit in eo, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, de quo virtus exibat, & ſanabat omnes. Non ergo ille vacuus, ſed tu cæcus, & inanis, princeps iſtius mundi, qui neſcit niſi ſua cernere, neſcit niſi ſua inuenire, & ea quæ Chriſti ſunt, neſcit agnoſcere.* Hoc eſt enim maligni ſuperbientis ingenium, vt in aliorum excellentiis luce meridiana clarioribus cæcutiat, & neſciat percipere; poſtquam electus eſt Saul in Regem, de quo dicitur, quòd *altior fuit omni populo ab humero, & ſurſum,* 1. Reg. 10. n 23. & de quo dixit Samuel, quòd *non ſit ei ſimilis in omni populo,* num. 24. & tamen *filij Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum,* ibidem n. 27. Filij Belial, Chaldai. *Filij improbitatis.* Sed quomodo cum propriis oculis videretur eminentia corporis Saul, & eius probitas morum, eum tamquam paruulum, & contemptibilem deſpiciunt? filij Belial agitabantur ſuperbiâ, & ideo clara, ac manifeſta non percipiebant. D. Gregorius pulchrè ibi, *Quaſi* ait, *deſpiciendo interrogant, à tam paruo, tam grandia ſperanda ſunt? Iſte tam paruus, nos tam magnos tam debiles, tam fortes ſaluare poſſe credendus eſt? Num quid aliud quod dicunt: Iſte, & nos niſi quòd ſuperbi & arrogantes inſpicientes alios, ſemper paruos, & debiles eſſe credunt: ſe autem magnos, fortes, atque ſapientes? Meritò igitur filij Belial dicuntur: quia ſuperbiendo ſe extollunt, illi ſe conformant, qui eodem modo cecidiſſe de cælo dicitur.*

Ioan. 14. Ambroſ. 1. Reg. 10. Chald. Gregor.

QVÆSTIO XII.

Quo argumento diabolus voluerit Chriſtum tentare?

70. DVo diabolum intendiſſe reſolui quæſtione ſuperiori. Et quantum ad tentationem hanc primam conueniunt Patres, gulæ fuiſſe, ita D. Chryſoſtomus *homil.*13. D. Gregorius *hom.*16. D. Paſchaſius, Beda, Haymon, Druthmarus, Euthymius, D. Thomas 3.*part. quæſt.*41.*art.*4.*ad primum.* Sed difficultas eſt, quia vti neceſſariis ad vitam nullum eſt peccatum, & ſi Chriſtus poſt tam longum ieiunium cùm eſuriret, feciſſet panes, & comediſſet, nullum videbatur vitium voracitatis, vt obſeruat Ianſenius; quomodo ergo gulæ eſt iſta prima tentatio.

Chryſoſt. Gregor. Paſchaſ. Beda. Haymon. Druthmar. Euthym. D.Thom.

71. Reſpondetur, quòd cùm iſta tentatio verſaretur in materia cibi, ideo gulæ tribuitur, & variis modis explicatur. Et primò. Theophylactus dupliciter, *Iam rogas,* ait, *& quod peccatum erat, facere de lapidibus panes? Audi igitur, quia audire diabolum in aliquo, peccatum eſt. Vide autem & aliud. Non dixit, vt lapis hîc panis fiat, ſed lapides: volens Chriſtum ad ſuperflua inſtigare. Eſuriẽti enim vnus panis ſufficit.* D. Thomas tamen citat. art. ad primum, & eius expoſitores ſic explicant hanc tentationem; diabolus inducebat Chriſtum ad ſubueniendum fami modo indebito, ac extraordinario, in quo includitur nimius cibi appetitus, & maximè diſconueniens, non ex parte materiæ, ſeu quantitatis, quæ reuera non exceſſiſſet medium temperantiæ in homine ſic eſuriente, cui nec manducatio, nec talis ſpecies cibi prohibita erat; ſed inordinatio in eo ſtabat, quòd vbi poteſt recurſus haberi ad humana ſubſidia, pro ſolo corpore ſuſtentando, miraculosè quæratur cibus, & ideo reputabat diabolus, quòd Chriſtus peccaret, ſi ad ſubueniendum fami miracula feceret; & quamuis hoc aliàs poſſet eſſe veniale, hoc ille intendit, vt ex minimis malis ad maiora prolabatur homo.

Theophyl. *Superflua vitanda.* D.Thom. *Miracula vitanda.*

72. Notant etiam citati Patres quòd hæc prima tentatio quandam vanitatem præ ſe ferebat, tum vt Chriſtus vſurparet ſibi nomen filij Dei, vt intentaret miraculum, quod neque ad Dei gloriam pertinet, neque ad alium finem eſt neceſſarium, ſed ſolùm ad quandam oſtentationem, quod vanitatis eſt proprium. Eleganter D. Chryſoſtomus homil. 13. *Non dixit, quandoquidem eſurias: ſed ſi filius Dei es; videlicet exiſtimans poſſe illi aliquid per laudũ blandimenta ſuffurari. Idcirco nõ commemorauit eſuriẽ, ne hoc ei quaſi exprobrare, atque obijcere videretur, propter quod doloſa illũ adulatione palpando, ſolius mentionẽ facit dignitatis.* Inimicus non

Chryſoſt.

Dignitas, & honor alliciunt hominẽ ad magna.

non propoſuit, nec reuocauit in memoriam famem, ac humilitatem, ſed tantùm maieſtatem, ac magnitudinem, *ſi filius Dei es*, vt ipſa dignitate ineſcatus blandimenta honoris quæreret, ipſa enim rerum dignitas ſolet viros præſtantiſſimos allicere, vt ad magna aſpirent; ſic ait D. Gregorius Nazianzenus orat de S. Baſilij encomiis: *Quarum enim rerum laudes noui, earum quoque rerum haud dubiè incrementa explorata habeo.* Mardochæus videns edictum de nece Iudæorum, quod pendebat in ciuitate, deprecatur Eſther, vt ad Regem ingrediatur, ac pro populo ſuo oret, quæ ſe excuſat vniuerſali lege, quòd ſi quis non vocatus ingrederetur atrium Regis, interficeretur; cui iterum inſinuat Mardochæus, vt pro populo loquatur, & ait: *Et quis nouit, vtrùm idcirco ad regnum veneris, vt tali tempore parareris*, c.4. n.14. Sed cur eam mouet, vt populo ſuccurrat, regali dignitate propoſita ad quam erat euecta, & non obiecto periculo mortis, quod eminebat, ſibi perſuaſit maiorem impulſum habiturum Eſther ab honore, quo præfulgebat: quam à diſcrimine vitæ, in quo verſabatur. Caietanus, *Senſus eſt, ideo Regina effecta es, vt tali tempore populo ſuccurreres.*

Nazianz. — Eſther 4. — Caietanus.

Qvæstio XIII.

Quo argumento voluerit diabolus Chriſti diuinitatem indagare?

73. Qvomodo diabolus his verbis, *Si Filius Dei es*, voluit Chriſti diuinitatem explorare; nam purus homo multa maiora miracula diuina virtute poteſt operari, quàm conuertere lapides in panes: multo mirabiliora ſunt, quæ fecit Moyſes, Elias, & Eliſæus; & tamen nullus eorum reputatus eſt Filius Dei? Reſpondeo quòd quadruplici argumento diabolus hanc veritatem voluit apprehendere. Et primò. Lucifer fecit hanc conſiderationem. Si Chriſtus eſt Filius Dei, cognoſcit eum, qui cum illo loquitur, eſſe principem dæmoniorum, ac proinde meis dictis nullo modo acquieſcet; ſi verò quæ dico facit, homo, & non Deus eſt, cùm diaboli voce ab incepta abſtinentia deſiſtat. Secundò. Diabolus his principiis vſus eſt; ſi Chriſtus facit hanc conuerſionem, hoc tantùm virtute diuina fit, tum ob eximiam Chriſti ſanctitatem, tum quia cùm Lucifer eſſet princeps dæmoniorum, manifeſtum ei erat hoc non fieri ope diaboli. Alterum principium erat, diuinam virtutem non operari miraculum in confirmationem alicuius falſitatis, ſed tantùm ſolius veritatis; diabolus autem petebat miraculum in teſtimonium quòd Chriſtus eſſet filius Dei; non enim dixit, cùm eſurias, dic vt lapides iſti panes fiant; per hoc non poterat deprehendere id quod intendebat; ſed tantùm dixit, *Si Filius Dei es, dic vt lapides*, hoc eſt, in confirmationem quòd ſis Filius Dei, fac hanc tranſformationem, quod ſi falſum erat, diuina virtute non poterat operari, cùm Deus non det ſpecialem ſuum concurſum ad falſitatem comprobandam; ſi verò miraculum faceret, verè Filius Dei demonſtrabatur.

Deus non concurrit ad falſitatem.

74. Paſchaſ. Tertiò. D. Paſchaſius lib.9. in Matth. *Nouerat*, inquit, *cæcus Scripturarum inſpector Deum in principio dixiſſe: Fiat; & ſic omnia feciſſe ex nihilo. Nec tamen intellexerat quòd hîc eſſet illud Verbum, per quod Pater cuncta crearat. Quod volens formidoloſus explorare, perſuaſit eo tenore dicendum, vt lapides panes fierent, quo didicerat Moyſem litteris mandaſſe Deum cuncta creaſſe.* Non ait malignus hoſtis, fac, vel iube, ſed tantùm, dic, hac enim voce Pater in primo molimine rerum per filium omnia produxit, ac procreauit: deſiderans ergo diabolus deprehendere, an Chriſtus ſit Filius Dei, ad idem verbum vult eum inſtigare, vt ex ſimili, vel diſſimili voce, id quod optat apprehendat, & cognoſcat, an ille ſit Filius ſui patris. Et ideo non dixit Satanas: Ora Deum, vt hi lapides panes fiãt; ſed, dic, iube, tuo imperio conuerte ſaxa in panes Imperio autem, abſque diuini nominis iuuatione miracula facere, prorium Dei eſt.

Tunc homo cognoſcitur filius ſui Patris, quando eum imitatur.

75. Quartò. Et etiam moraliter, diabolus intentat eum inducere, vt lapides conuertat in panes, vt inde eius ingenium demonſtretur. nam ſi pro ſui commodo, & ſaturatione miracula, & mirabilia facit, non Deus, ſed homo apparet, cuius proprium eſt totam ſuam potentiam in ſuorum vtilitatem conuertere; hoc argumento vtebatur D. Anaſtaſ. *ſerm.3. contra Arrian.* vt Chriſti diuinitatem comprobaret, dum pro ſuorum ſalute, de cælis ad terram deſcendit. *Si ergo*, inquit S. Pater, *non ſui, ſed noſtri causâ venit, fieri non poteſt, quin ſit Deus.* Conqueritur Deus maximè de ſuo populo, & ait: *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*, Pſalm. 105. n. 20. Sed quid nouum dicitur, quòd comedebat fœnum, ſi enim vitulus, manifeſtum quòd tali cibo vteretur. Lorinus, *Exaggeratur egregiè peccatum, deſcribendo animal eſca vtens & nihil veluti beatius habens quã veſci, cùm, arare, irriturare plauſtrum trahere labor ſit ipſi.* Paſci, ac comedere vtilitas eſt ipſius vituli; aratro verò proſcindere terram, labor ipſi, commodum verò aliorum; inde ergo aggrauatur culpa, & quæ maior poterat eſſe, quàm pro Deo colere illum, qui ad ſui & non aliorum emolumentum, ac opportunitatem totus erat intentus; nihil enim magis diuerſum à Dei natura eſt excogitabile.

Anaſt. — *Deus nõ ſuũ, ſed ſuorum commodum quærit.* — Pſal. 105. — Lorin.

Qvæstio XIV.

Quare diabolus tentationem ad comedendum excitet?

76. *Ipſa neceſſitas grauis tentatio.*

Nvmqvam ad Dominum accedere Satanas auſus fuerat: at vbi eſurientem vidit, ſtatim appropiat, & tamquam ex validiſſimo loco eum oppugnare intentat, vt bene notat Theodoretus ſerm. 10. de prouidentia. *Famem*, inquit, *conſpicatus, ex illa, ſeu edito loco, tela immittit.* Cùm fameſcentes homines videt diabolus, ſtatim ſua iacula aptat, & mittit, nihil enim magis nos ad extremam miſeriam impellit, quàm ipſa neceſſitas: & ita Satanas cùm Iob diuina protectione munitum agnoſceret, non affectauit vt à Dei auxilio deſereretur, ſed vt in neceſſitate conſtitueret. *Tange cuncta quæ poſſidet*, Iob 1. num. 11. vt ita ſe victorem promitteret, ac facilè à ſua innocentia eum deiicere ſperaret. D. Gregorius lib.2. moral. cap.6. *Si enim ea, quibus delectatur, non habuerit, fauorem tuum etiam maledicendo contemnet.*

Theodor. — Iob 1. — Gregor.

Cur

77. *Vbi propria voluntas ibi magnum periculum.*

Cur ergo diabolus Dominum ad comedendum prouocat? Et primò, non tentauit, vt à deſerto exeat, in quod ductus, ac conſtitutus erat ab Spiritu ſancto; ſed vt ieiunium frangeret, quod videbatur ei opus propriæ voluntatis, quod in nobis magno diſcrimini eſt expoſitum, nam in quibus homo ponitur à Deo, maximè tutus; in quibus verò à propria voluntate, maximè periclitatur. Secundò. Nota quòd occaſione famis diabolus ad commedendum eum tentat, & hæc eſt communis ſententia patrum. Tertiò. D. Petrus Chryſolog. ſerm.13. *Signum panis petit*, inquit, *vt ieiunium ſibi tremendum refugiat, panem malus ingerit conſolator, vt virtutem mutet, vt propoſitum violet ieiunantis.* Ad cibum prouocat, vt ieiunium omittat, nullam virtutẽ ita pertimeſcit diabolus, ac ipſum ieiunium. Similiter D. Hilar. *can.3.* quod præclara conſideratione confirmat idem Chryſologus *citato loco*, inquiens. *Sentit diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Dei filium credidit, quem liberum à mentis conſpexerat ſeruitute. Ioannem viderat vrbium delitias; ſqualentis eremi habitatione mutaſſe, molliciem carnis veſtis aſperitate calcaſſe: agreſti cibo mundi totam frænaſſe luxuriam: & quod ſolum Deitatis inſigne eſt, hominibus dimiſiſſe peccata. Et tamen non ei dixit, ſi filius Dei es; at vbi vidit Dominum iugiter ieiunantem, proclamat: Si Filius Dei es.* Chriſtum, & non Ioannem ſuſpicatus eſt Satanas eſſe Deum, quamuis in hoc tot ſigna apparerent, quia ſolùm in Chriſto vidit longum ieiunium quadraginta dierum ſine vllo cibo; & nulla maior deitatis nota, quàm ieiunium.

Chryſoſt. — *Diabolus timet ieiuniũ.* — Hilar. — Chryſol. — *Diuinitatis index ieiunium.*

78. *Prudens ſequitur viam quam ſibi felicem agnoſcit.*

Quartò. Dum diabolus fructus ac poma primis parentibus oſtendit, ac præbet, eos ad peccandum traxit; ideo & Chriſto, dum tentat, conuerſionem panis offert, & vt cibum ſumat, ſuadet; magnæ ſagacitatis, ac ingenij eſt, viam cibi familiarem, ac opportunam ſequi, & ab ea non deſiſtere. Miris & variis modis Deus ad ſe peccatores vocauit, Magdalenam per conuerſionem lachrymarum; Chananæam dum contemnitur; Matthæum dum tranſit, & ipſum vidit. At cùm ingrederetur Iericho, & Zachæum, ad ſe voluiſſet allicere; ait illi, *Hodie in domo tua oportet me manere*, Luc. 19. n. 5. Et cur ad Zachæi conuerſionem hoſpitalitas eligitur, D. Bonauentura, ait. *In Iericho, aliquis non eſt ſaluatus, niſi Rahab meretrix, quæ credidit nuntijs Ioſue, & ipſos recepit*, Ioſue 6. *Veniens Ieſus quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, &c. In illa ciuitate Rahab, dum hoſpitalitate excepit exploratores, liberata eſt ab incendio, ac deuaſtatione illius oppidi: Chriſtus etiam cùm vnum eius ciuem ad ſe trahere decernat, hoſpitalitate vult ineſcare, quam nouerat Iericho habitatoribus ſemper in felicitatem cedere. Poſtquam Iacob ductu matris benedictionem à patre impetrauit, quod valde ægrè tulit frater eius, & ei mortem minabatur. Rebecca vocans filium ſuum, dixit ad eum: *Ecce Eſau frater tuus minatur, vt occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum*, Geneſ. 27. num. 43. & ſtatim viam arripit; ſed quomodo non videtur ei aſperum, quòd relinquat domum paternam tot, ac tantis difficultatibus longi itineris ſe ſe exponat, & in habitationem ignotam proficiſcatur. Exploratum erat Iacob, quòd matris conſilio feliciſſimas patris benedictiones ſit adeptus, ideo eius dictis parere non diſtulit. D. Chryſoſtomus hom.54. in Gen. *Experientia*, ait, *te docet, quòd vtilia conſulo, Et ſicut dudum, audita voce mea, magnas illas à patre benedictiones aſſequutus es: ita & nunc audi vocem meam, vt effugere poſſis fratris manus. Sic enim temetipſum à periculis liberum reddes.* Et in perſona matris loquitur S. Pater, Sapiens ſempèr ſequitur viam ſibi vtilem; ſic etiam fugit ab ea, quæ ſibi infeſta, ac noxia viſa eſt. In curtu Ezechielis de myſterioſis animalibus dicitur. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Sed cur ſpiritus Angelici ſapientia pleni nolunt greſſum facere, niſi ad nutum Dei, nouerant enim quòd plurimi eorum, dum voluerunt ſe ad Dei thronum extendere, ſtatim prolapſi ſunt; quod factum adeò cauere, vt nec parum motum intenderint niſi ad iuſſionem Dei.

Luc. 19. — Bonauent. — Geneſ. 27. — Chryſoſt. — Ezech. 1.

Qvæstio XV.

Quare diabolus offerat Chriſto Domino non panes, ac cibaria, ſed lapides?

79. *Cur non terram offert; ſed lapides.*

Magna impudentiâ acceſſit diabolus, & dixit. *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Non aërem, non arbores, non terram, ſed tantùm lapides ad hanc conuerſionem oſtendit, tum quia ſub pedibus fortè erant; tum quia cum pane magnam habent contrarietatem, & ideo dixit Chriſtus, *Quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius panem, numquid laquidem porriget ei?* Matth. 7. n. 9. Præſens quæſtio eſt. Dum diabolus intendit Chriſtum Dominum ad gulam prouocare, cur non aliquid allectiuum homini famelico proponit? cur non offert ſuaues cibos, delicatos panes, dulcia poma? Facile poterat inimicus hæc adducere, ſed tantùm duros lapides?

Matth. 7. — *Cur lapides & non panes.*

80. Germana, & vera ſolutio patet ex quæſt. 13. diabolus enim volebat hac tentatione diuinitatẽ Chriſti indagare, cui intentioni nihil tales cibi profuiſſent. Secundò reſpondet D. Petrus Chryſ. ſerm. 11. *Miſer malus vis eſſe, ſed non potes: cupis tentare, ſed neſcis; eſurienti tenera offerra, non dura debuiſti; famem non aſperis palpare, ſed blandis, inediam non horridis debueras vrgere, ſed guloſis. Ad præſentiam Chriſti deperire tibi artes tuas; tentator, intellige.* Calidiſſimus humani generis hoſtis cum omni ſua malignitate Chriſtum intentat appetere, at vbi ad ipſum acceſſit, omne artificium ſuarum machinationum infatuatur, ac ad præſentiam Saluatoris omnes doloſæ artes perierunt. Tertiò. D. Maxim. *homil. prima de ieiunio* ita ait. *Humani corporis forma hoſtem callidiſſimum prodire ſuaſit ad prælium. Propter quod errabundus, & anceps tentator mollia, ſuſpenſaque tentamenta rimatur: quia licèt carnalis viri ſpeciem contemplaretur in Chriſto; præſentia tamen diuinitatis eius concitatus, ſuſpicabatur eum plus eſſe, quàm hominem.* Diabolus maximè pendulus hæſitabat; nam corpus, fames, frigus & alia hominem ſuadebant in Chriſto, & ideo dulcia, ac blanda, vt homini decreuerat ei exhibere; at vbi ad eius congreſſum venit, diuinitatem, quæ in Chriſto latebat, ſubodoratus, pluſquam de re merè naturali concipit, & ideo non audet, vt homini tantùm ſuauia, ſed vt Deo in oſtenſionem ſuæ potentiæ maiora apponere, magnũ documentum ad

Chryſol. — *Ad Chriſti præſentiam doli pereunt.* — Maxim. — *Chriſtus in Euchariſtia reuerentiam exhalat.*

ſacram

ſacram Euchariſtiam, in qua diuinitas latens ſub ſpeciebus inſtillat cultum, & venerationem tanti myſterij.

81. Paſchaſ. Quartò. D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *E lapidibus*, inquit, *aptè elegit panem poſcere, vt quàm durus ſit, qui loquitur, tali ſignaretur exemplo.* Beda. *Bene*, ait, *de lapidibus panem facere ſuaſit, vt qui durus eſt mente, duritiam oſtenderet ſermone.* Crudelis, ac inhumanus inimicus non dulcia, quæ delectarent, ſed rigida, & aſpera, quæ vexarent, exhibet, vt duritiem, quam mente retinebat, verbis proferret. Quintò. Iſaac Preſbyter apud Tilmannum *in Allegor.* ſic inquit. *Torpentem ſpiritum à deſiderio, & meditatione cæleſtium, tamquam à pane Angelorum, ad lapidem frigidum, durum, & ſiccum inuitat. Non autem, quòd Dei Filius talis erat, ſed tales illa ſignabat eſuries.* Cùm in Chriſto Domino ſit ſumma fortitudo, ac omnium virtutum perfectio, tamen in eius fame, noſtra fames ſignificatur, & eius infirmitas noſtram infirmitatem portat; Chriſto eſurienti diabolus non panem, ſed lapidem præbet, vt deſignetur ibi, quòd ſi homo torpeſcit in via virtutis, non dulcia, ſed aſpera inuenit: & ideo lapides offeruntur Chriſto, non propter ſe, in quo nulla poterat eſſe defectio, ſed propter nos.

Beda. Durus mente durus verbis. — Iſaac Presb. — Qui deficit à virtute, duritiem inuenit.

82. Ambroſ. Sextò. D. Ambroſius ſerm. 37. de ieiunio. *O miſera Satanæ, & extrema congreſſio: diabolus in deſerto tentationis ſolida arma non inuenit, deeſt illi de paradiſo amœnitas arborum, deeſt illi conſiliatrix Eua, deeſt illi pomorum ſpecioſa deceptio, & quia non inuenit cibum, quem offerret eſurienti, poſtulat in cibum ſaxa mutari, vndique excluſus, vndique defraudatus ad pauimenta ſe confert.* In arido, & horrido deſerto, vbi non eſt amœnitas paradiſi, nec ſpecioſa iucunditas arborum, ac pomorum, vndique excluſus inimicus ad pauimentum ſe confert, hoc eſt, ad lapides, qui ſub pedibus calcantur; & ideo lapides offert, quia fortaſſe in illo arido deſerto aliud non apparebat; & ita ſæpe ſæpiùs contingit in religioſo clauſtro, vbi deeſt ſpecioſa deceptio voluptatum, ac diuitiarum, ad ea quæ ſub pedibus ſunt, ſe recipit Satanas, v. gr. ad quædam parua, inania, & contemptibilia, vt ibi laqueos, ac retia tendat. Septimò. Euthym. *Quia ergo nullus aderat cibus, eo quod deſertus nimis eſſet locus: ſciebat autem fami conuenientem eſſe panem; ipſe quidem non adfert, eo quòd ab aduerſario Chriſtus ſumpturus non erat; ſed iubet, vt de lapidibus panes efficiat*, quæ ab inimico valde ſuſpecta ſunt, & ideo non aſportat panem, quia credebat Chriſtus à tam nefario hoſte non accepturum, ſed tantùm lapides oſtendit vt ſuum efficiat.

Diabolus religioſo in paruis tendit tentationes. — Euthym. — Quæ ab inimico ſuſpecta ſunt.

84. Nyſſen. Octauò. D. Nyſſen. orat. 4. de Beatitud. *Tentationum inuentor, cùm intellexit affectum famis, conſuluit, vt de lapidibus exciperet appetitum: hoc autem eſt detorquere appetitum à naturali cibo ad ea, quæ à natura aliena ſunt.* Satanas non cibos præbet, non conſulit, vt quærat, ſed vt è lapidibus panes efficiat, volens eum ad inuſitata, ac extraordinaria deducere, nullibi enim magis periclitatur virtus, quàm dum extra communem viam abit. Nonò. Galfridus in allegoriis apud Tilmannum. *Ille dicit, vt lapides panes fiant, qui duritiam diſciplinæ, quam profeſſus eſt, conuertit ad commoditatem vitæ, non recolens in Verbo Dei ſibi potius eſſe viuendum.* Grauem tentationem hîc ingerit diabolus, dum non panes, ſed lapides profert; ſaxa inſeruiunt ad rigorem pœnitentiæ, aliquando pro lectulo habentur, & graue malum eſt viro religioſo, dum duritiem perfectionis ad commoditatem propriæ vitæ vult conuertere.

Qui ad extraordinaria diuertit periclitatur. — Galfrid. Graue malũ vt durities religionis ad commoditates transferatur.

84. Decimò. Diaboli malignitas ſuadet ad peccatum, & tamen laborem, & opus relinquit homini, vt ab eo fiat, tentat ad gulam, & tamen panes non præbet, ſed tantùm ait, *Dic vt lapides panes fiant*; tu potentiam appone, conuerſionem fac, accipe, frange, comede, & ſerua; ita multoties contingit, vt multi tibi conſilium dent, nihil tamen de ſuis præbeant. Vndecimò. Non blanda, ſed dura ſaxa diabolus offert; viderat Chriſti ingenium, quod non ſuauibus, ac mollibus, ſed rigidis, & aſperis delectabatur, ideo non tenera poma, vel dulces fructus, ſed obduratos lapides præbet, vt ſua propenſione eum facile poſſit ineſcare, & ad ſe trahere; hæc enim eſt vafri noſtri hoſtis machinatio, vt ait Procopius in cap. 3. Geneſ. *Diabolus haud nobis nolentibus peccatum ingerere poteſt, ſed vt aliquid promoueatur, vtitur affectibus nobis inſitis, inſtar mali conſiliarij, & ſic nos in peccatum pertrahit.* Serpente decipitur mulier *Geneſ. 3. num. 1.* In paradiſo erant diuerſi generis animalia, & tamen dæmon nullius effigie induitur, niſi ſerpentis, *Sed & ſerpens erat callidior.* Nónne erat leo generoſior, ouis manſuetior? Serpens, ait citatus Procopius, erat gratus mulieri, erat ei in delitiis, ac cum illo maximè delectabatur; non erat mirum, quòd cùm mulier eſſet tam propenſa, & inclinata ſerpenti, eo diabolus vteretur ad eam decipiendam. Procopius Gaz. *Eam ob rem, vel in primis idoneus viſus eſt diabolo, vt eo ſuo inſtrumento, & organo abuteretur ad id malum, quod machinabatur homini.* Et ideo fortaſſe Tertullianus *lib. de pallio cap. 3.* Dæmonem chamæleontem appellat, quia omnium moribus ſe ſe accommodat.

Diabolus tẽtat, ita tamẽ vt labor tuus ſit. — Procop. Diabolus quemque trahit ſua inclinatione. — Procop. — Tertull.

QVÆSTIO XVI.

Quare diabolus dixerit Chriſto: Si Filius Dei es?

85. Abulenſis. NOTANDVM eſt cum Abulenſi *quæſt. 25.* quòd quando diabolus quærebat de filiatione in Chriſto, non loquebatur de filiatione adoptiua, quia omnes iuſti, & Sancti ſunt Filij Dei adoptiui, & diabolus in Chriſto videbat præclara ſigna ſanctitatis, & non magis à Chriſto quæreret de hac filiatione, quàm à quolibet viro iuſto; de filiatione ergo naturali interrogabat, dubitabat enim, an Chriſtus eſſet verus Meſſias, & verus Filius Dei, vt ex Scripturis colligebat.

86. Prima, & vera ſolutio huius rei conſtat ex quæſtione 13. intẽtabat diabolus videre, an Chriſtus Dominus faceret miraculum in confirmationem, quòd eſſet Filius Dei, vt *ibi* dixi. Secundò. D. Chryſoſtomus homilia 13. *Non dixit. Si eſuris, ſed, ſi Filius Dei es, videlicet exiſtimans poſſe aliquid per laudum blandimenta furari.* Ad oppugnandam Chriſti ſanctitatem non alias tentationum machinas adhibet, niſi laudatorias voces, exiſtimans poſſe per has aliquid furari. Tertiò. D. Chryſolog. *ſermone 17. de dæmoniaco*, ſic ait. *Modò*, ſcilicet diabolus accedit, *vt adulator*, non vt deuotus, & obſequens hîc adorat, *euadere*

Chryſoſt. — Vana gloria multum furatur. — Chryſolog.

cupiens pœnam, prædam perdere pertimeſcens. Expende vltima verba. Accedit diabolus ad Chriſtum, & Dei filium dicit, non ex deuotione, ac religione, vt ipſum adoret, ſed fingit callidè modeſtiam, ac ſubmiſſionem, eius excellentiam in ore aſportans, ac publicans, vt fortiùs ipſum valeat vexare, ac magis, & magis affligere.

87. Chryſoſt. Geneſ. 3. Quartò. Idem Chryſoſt. *cit. homil.* paulò pòſt ſic ait: *Cur ad ſingula tormenta proponit, ac dicit: Si Filius Dei es? Id ipſum etiam non facit in primis, ſicut etiam tunc de Deo detrahens, ait, Scit Deus, quia quacumque hora manducaueritis, aperientur oculi veſtri, per hec oſtendere volens illos circumuentos eſſe à Deo, atque deceptos, nullúmque ab eo beneficium conſequutos. Ita hîc quoque id ipſum profectò ſignificat quodammodo, dicens: Fruſtrà te nominauit filium ſuum, talîque donatione decepit.* Nihil diabolo magis fixum eſt in mente, quàm nobis proponere Deum non vt beneficum, ſed rigidum, ac aſperum, & tamquam de nobis nullam habentem curam, ſed etiam ſuis promiſſionibus nos decipientem; & vt odioſum faceret Patrem, ait: *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Tu de te ipſo age, tibi conſule, ac fac panes; nam ille fruſtrà te filium in Iordane nominauit, cùm te fameſcentem, ac eſurientem nulla benignitate, ac auxilio proſequatur.

Non cenſetur pater qui non ſubuenit filio.

Qui debita indulgentia filios non proſequuntur, cùm maximè laborant, à parentum conditione videntur alieni. Cùm miſeram deuaſtationem Hieruſalem deploraret Hieremias, ait: *Vulnerati in plateis ciuitas: cùm exhalarent animas in ſinu matrum ſuarum*, Thren. 2. n. 12. indulgentiam matrum in filios explicat. Poſtea verò ait: *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. Adhæſit lingua lactanti ad palatium eius in ſiti, paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, Thren. cap. 4. num. 3. & 4. Vbi iuxta mentem ſanctorum Patrum, D. Paſchaſij, S. Thomæ, S Bonauenturæ, Ruperti, Lyrani, accuſat Propheta duritiem matrum; nam illæ veluti ſtruthio, quæ oua ſua, ac natos deſerit, nec recolit, de qua ait Iob: *Induratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui*, 39. num. 16. ita deficientibus paruulis, nec lac ſugebant, nec panem præbebant; ſed cur hæ mulieres dum natos in amplexu tenebant, dicuntur matres? *Cùm exhalarent animas in ſinu matrum ſuarum.* Cùm verò ſaxea viſcera oſtendebant, nomen matris abſconditur, & filiæ dicuntur: *Filia populi mei crudelis, nec erat qui frangeret panem?* Nam quæ in illa miſeria, ac morte natos amplexũ fouebant, matres dicuntur; quæ verò in illa extrema conditione nullum leuamen, nec lactis guttam, nec buccellam panis dabant, nomine matris indignæ reputabantur; ita ait Diuus Paſchaſius lib. 4. in Lamentat. *Crudelis filia, quæ amorem matris abſcondit.* Agar à domo expulſa errabat in ſolitudine, & ne videret morientem puerum præ ſiti, *abiecit eum ſubter vnam arborem*, Geneſ. 21. num. 16. poſtea verò apparuit Angelus, qui præcepit vt manibus teneret puerum, ac oſtendit aquam, *deditque puero bibere*, ibidem 20. ex radice Hebraica legitur, *deditque filio ſuo*; & tandem ait text. num. 21. *Accepit illi mater ſua vxorem de terra Ægypti.* Sed cur modò dicitur puer, modò filius, modò ipſa appellatur mater; cùm ipſum abiecit ac deſeruit, puer tantùm dicitur, & non filius: cùm verò ipſum ſiti morientem potat, in quo, vt ait D. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis, *ſolitus maternus affectus monſtratur*; ac illum opulentiſſima vxore ditat, ſtatim relatio matris, ac filij publicatur, & mater illius dicitur, ac Iſmaël filius eius appellatur.

Thren. 2. — Thren. 4. — Paſchaſ. S. Thom. Bonauent. Rupert. Lyran. Iob 39. — Paſchaſ. — Geneſ 21. — Hieron.

QVÆSTIO XVII.

In qua ſpecie apparuerit diabolus? Circa quod aliqua expendo.

88. ACCESSIT diabolus in forma viſibili, vt communiter tenent omnes Doctores, & ideo in his tribus tentationibus diuerſam formam, pro qualitate vniuſcuiuſque, præſumitur aſſumpſiſſe. In prima verò, quia de gula tentabat, hominem ſe finxit, compaſſionem quandam ſimulans, imò ait Carthuſianus, quòd venit diabolus in forma hominis religioſi, ſimulata ſanctitate. In ſecunda tentatione creditur quòd apparuit in forma Angeli, vt ad grauius peccatum tentaret, ſcilicet ad vanam gloriam, ambitionem, & Dei tentationem, & niſi ſe Angelum oſtendiſſet, non aſſumpſiſſet Chriſtum in templi pinnaculum. In tertia, in qua promiſit omnia regna mundi, habitum cuiuſdam principis, ac Regis potentiſſimi induit; vt vult Salmeron *tom. 4. tract. 12.* quod mihi videtur probabilius. Toletus tamen *in cap. 4. Luc. annotat. 11.* exiſtimat, quòd diabolus ſe Satanam ipſum, & principem dæmoniorum prodiderit, ac manifeſtauerit.

In qua figura venit diabolus. Carthuſ. — Salmer. Tolet.

89. Geneſ. 3. Quæſtio prima. Cur in tentatione Euæ figura dæmonis exprimitur, *ſed & ſerpens erat callidior*, Geneſ. 3. num. 1. non verò in Chriſti tentationibus? Reſpondeo primò, quòd tentatio in forma ſerpentis eſt minus vſitata, & ideo Scriptura eam non tacuit. Secundò. Quòd ideo figura Dæmonis declaratur in congreſſu mulieris, non verò Chriſti Domini, quia Eua præſentiâ, ac varietate colorum ſerpentis delectabatur, vt notant Procopius *cap. 3. Geneſ* D. Damaſcenus *lib. 2. de fide cap. 20.* & ideo ad ſolam extremam apparentiam aduertit, non verò ad id, quod erat intrinſecum, quomodo brutum animal loqui poſſit. At Chriſtus Dominus, non attendit ad viſibilem formam, ſed ad id, quod erat internum, & quòd ille, qui loquebatur, erat tentator; & ideo Eua deuicta eſt, Chriſtus verò victor, ac triumphator euaſit. Vis glorioſè incedere, reſpice non quæ exteriùs apparent, ſed quæ interiùs latent. Tertiò. In tentatione Euæ forma aſſumpta à diabolo damnata eſt, non verò in tentatione Chriſti; & ideo vbi pœna ſerpentis diuulganda fuit, *Quia feciſti hoc, maledictus inter omnia animantia*, &c. Geneſ. 3. num. 14. neceſſe fuit, vt & culpa exprimeretur, quæ in eo ſtabat, vt inſeruiret pro inſtrumento, & organo diaboli, vt ponderat Rupertus *lib. 3. in Geneſ.* & latius D. Chryſoſtomus *homil. 17. in Geneſ.*

Procop. Damaſcen. — Non exteriora, ſed interiora conſideranda. — Geneſ. 3. — Rupertus. Chryſoſt.

90. Secunda quæſtio. Quare diabolus non timet ad Chriſtum accedere, ad eum tentandum, & non audet cum Adamo manum conſerere, ſed per Euam eum oppugnat? Reſpondeo, quòd Adamus erat in feliciſſima forma, ac apparentia ſtatus innocentiæ: Chriſtus verò in habitu vili ſub forma peccatoris, & hominis fameſcentis; dia-

bolus ab innocentiæ forma fugit, ad peccatoris figuram non recuſat accedere: externa præſentia eminentis viri multum iuuat ad authoritatem, ac veneratione m reconciliandam. Cùm Pythoniſſa ad preces Saul, ſuſcitaſſet Samuelum, ait ad Saul. *Deos vidi aſcendentes de terra. Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio*, 1.Reg.c.28.n.13. Si erat homo qui ſe manifeſtabat, quomodo ait, quòd viderit Deos? *Vir ſenex & amictus pallio.* Ipſa externa apparentia tantum valuit, vt homo pro Diis recoleretur. Caietanus dixit, *Video Elohim aſcendentes: cùm tamen vnum viderit, ſed veneranda ſpecie, & propterea honorabiliter loquens appellat eum in numero plurali, Elohim aſcendentes.* E contra verò humilis, & abiecta repræſentatio multa contemptibilia parit. Adeò Sanſon erat formidoloſus Philiſthæis, vt ante eum non auderent apparere, *Iudicum cap.16. num.8.* Tamen apprehenditur, & mille opprobria in eum coniiciunt, oculos eruunt, alapas dant, capillos è barba euellebant; cùm vir tam grauis, & timendus eſſet captiuus, omnes in eum audebant. D. Ambroſius Epiſt.70. *Statuitur*, ait, *Sanſon in conſpectu populi, grauibus in eum inſultant conuicijs, circumagebant ludibrijs, quod deterius eſt, & vltra ipſam captiuitatis ſpeciem.*

Multum valet externa forma ad venerationem — 1.Reg.28. — Caiet. — Ambroſ.

Matth.4.n.4. Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

VERSIONES.

Syriacus in Lucam. Non pane tantummodo viuit filius hominis, ſed in omni Verbo Dei.

Theophylact. Vatablus. Non pane ſolo victurus eſt homo, ſed in omni verbo egrediente per os Dei.

Chaldaica, Deuter.8. Sed in omni, quod egreditur à verbo Domini.

Hebraic. apud Corn Deuteron.8. Super omne, quod egreditur os Domini, viuet homo.

Arias. Sed in omni verbo exeunte per os Dei.

Sà ex Græco. Viuit homo.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 4. n. 4. Et reſpondit ad illum Ieſus: Scriptum eſt, quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.

EXPOSITIO.

91. NON reprehendit, nec arguit Dominus audaciam diaboli? quia ad eum tentandum acceſſerat, cùm ad hoc eum admiſiſſet, ac facultatem dediſſet; & ita eum ſuperat, vt omnes tentatoris conatus infringeret, optabat diabolus ſcire, an Christus eſſet Filius Dei; & miro artificio reſpondet Saluator, quod notat D. Ambroſius, ita vt non poſſet diabolus indagare id, quod intendebat explorare; nec ei dicit, vt ait D. Maximus *homilia 2.* quòd cùm ipſe ſit panis viuus, non indigeret pane, nec ei affirmauit, vel negauit eſuriem, vt aduertit idem *homilia 4.* Sed ita reſpondit. *Non in ſolo pane viuit homo.* Cùm ſit Deus, & homo, hominem hîc ſolùm ſe dicit, vt notat D. Thomas, vt diabolum magis ſuſpenſum reddat; & in magnum tui documentum, quia aduerſario nec omnia dicenda, nec omnia tua magnalia aperienda. Ait, *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei*; locus deſumptus eſt ex *Deuteron.8. num.3.* Et ſenſus germanus eſt, quòd non ſolùm cibo corporali, hunc enim ibi ſignificat panis, ſed omni alio, quod Deus dixerit, voluerit, ac iuſſerit, nam Moyſes præſenti textu intendebat docere panem non eſſe neceſſarium ad vitam, cùm abſque illo Deus populum ſuum in deſerto cæleſti manna, per quadraginta annos ſuſtentauerit; & in hoc ſenſu loquitur Chriſtus Dominus; diabolus dicebat, vt de lapidibus faceret panem corporalem, hunc dicit Chriſtus non eſſe neceſſarium ad vitam. His auditis abiit diabolus, vt eleganter ait Chryſologus ſerm.11. *Acceſſit peius impudens, quàm receſſit.* Maiorem iniuriam commiſit criminator dum acceſſit ad Chriſtum, quàm dum recedit, ingreſſus eſt præſumptione, regreſſus eſt confuſione.

Cur Chriſtus non iraſcatur in diabolum. — Ambroſ. — Maxim. — D.Thom. — *Aduerſario omnia magnalia non aperienda.* — Chryſol.

QVÆSTIO XVIII.

Quid intelligatur hîc per Verbum Dei?

AIT Chriſtus, *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo.* Variè explicant Doctores, quid Chriſtus Dominus hîc per *Verbum* intelligat. Primò. D. Cyprianus *ſerm. de ieiunio*, D. Hilarius *can.3.* D. Ambroſius *hîc*, & *Epiſtol.82.* D. Carthuſianus, & alij per *Verbum* ſacram doctrinam intelligunt, quia ſicut cibo materiali paſcitur corpus, ita ſpirituali doctrina anima reficitur, ac proinde docet quòd non ſolùm de corpore cura ſit habenda, ſed etiam de anima, & ita ait Diuus Ambroſius *lib. 3. in Lucam cap.4.* dum hîc loquitur de Chriſto Domino. *Non quaſi Deus vtitur poteſtate, ſed quaſi homo commune ſibi arceſſit auxilium, vt diuina pabulo lectionis intentus famem corporis negligat, alimentum verbi cæleſtis acquirat.* Expende quòd ſacram doctrinam appellat commune auxilium, quo fames expellitur, gula extinguitur, anima recreatur, ac vita ſuſtentatur. Imò ait Diuus Hieronymus hîc. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Si quis ergo non veſcitur verbo Dei, iſte non viuit.* Nec enim inter viuos numerandus eſt, qui ſpirituali doctrina caret, & ſolùm ſe temporalibus committit, & de ſpiritualibus minimè agit. 92.

Cyprian. Hilar. Ambroſ. Carthuſ. — Ambroſ. — *Doctrina ſacra viuit homo.* — Hieron. — *Non eſt vita ſine doctina.*

Secundò. Alij ita explicant, *in omni verbo*, hoc eſt, in omni mandato Dei exequendo, tamquam ſi dicat Dominus; non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni præcepto diuino, dum illud obſeruat, ac cuſtodit. Vnde ait Diuus Chryſoſtomus in Imperfecto homilia 4. *Non in vſu rerum ſolo* 93.

viuit homo perfectè, & ſi viuit, ſecundùm corpus viuit, non ſecundùm animam. Pleniſſimè autem viuit in obſeruatione mandatorum Dei. Et ſi omnium temporalium rerum copia fluat, & diuinorum mandatorum obſeruantia non interſit, ipſamet vita deficit, etſi ſecundùm corpus adſit, valde tamen diminuta eſt.

In obſeruatione legis vita ſtat. — Chryſoſt.

94. Tertiò. D. Bonauentura, D. Antonius Vlyſip. *ſerm.1. in Dominica 1. Quadrageſimæ*, Albertus Magnus, Hugo. *Verbum* hîc referunt ad generationem æternam, tamquam ſi dicat Chriſtus Dominus: Non in ſolo pane viuo ego, qui ſum homo, ſeu filius hominis, vt habet Syriacus apud Lucam, ſed in omni, quod procedit ab ore Dei, ſcilicet per generationem æternam, per quam mihi, vt Deo, communicatur natura diuina. At proinde nomine *Verbi*, intelligitur Chriſtus, quo noſtra anima ſuper omnia paſcitur, vt ampliùs non eſuriat. D. Ambroſius *ſermon.37. de ieiunio*, ita ait. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei, hoc eſt, non in pane terreno, ſed in verbo Dei, in quo ſunt vitæ alimenta cæleſtis: Verbum autem Dei Chriſtus eſt Dominus, ſicut ait Euangeliſta: In principio erat Verbum. Quiſquis ergo verbo Chriſti paſcitur, terrenum pabulum non requirit. Nec enim poteſt ſæculi panem cupere, qui pane reficitur Saluatoris.* Diabolus autem hunc ſenſum non intellexit, & expoſitio eſt multum moralis, ſicut & ſuperior.

Bonauent. Ant.Vlyſ. Alb. Magn. Hugo. — *Chriſto paſcitur anima.* — Ambroſ.

95. Tertia, & vera explanatio eſt, quam tetigi in expoſitione, tamquam ſi diceret Chriſtus Dominus: Non eſt neceſſe vt faciam hoc miraculum quod petis, & lapides conuertam in panes, quia non in ſolo cibo corporali viuit homo, ſed omni alio modo, quo Deus diſpoſuerit, ac voluerit. Ita Abulenſis, Caietanus, Ianſenius, Beaulxames, & alij. Vnde ait Tertullianus lib. de Reſurrection.cap.26. *Domino pronuntiante, ne in pane quidem victurum hominem. Sic Iudæi terrena ſolummodo ſperando cæleſtia amittunt.* Docet nos quòd non ſolùm non ſit ſperandum in rebus temporalibus, ſed in Dei auxilio confidendum. Aliud graue documentum hîc ponderat D. Chryſoſtomus hom.13. *De veteri*, ait, *teſtimonium protulit teſtamento, nos docens, vt ſiue famem, ſiue aliud patiamur, numquam tamen Dominum relinquamus.* Neceſſitatis prætextu Deus non eſt derelinquendus, ipſe enim, vt optimus pater, ſemper prouidet.

Vera ſententia. — Abulenſ. Caietanus. Beaulxam. Tertull. — *In terrenis nō eſt ſperandū.* — Chryſoſt.

QVÆSTIO XIX.

Quare Chriſtus Dominus in omnibus iſtis tentationibus authoritate Scripturæ ſe defendat?

96. OMNES Dæmonum impetus teſtimonio legis compreſſit Chryſtus Dominus. Ad quod reſpondet primò D. Hieronymus hîc. *Ideo autem ſic reſpondit Dominus: quia propoſitum erat ei humilitate diabolum vincere, non potentia.* Idem D. Leo *ſerm.2. de Quadrageſima*, maiora acquiruntur humilitate, quàm potentia; & Chriſtus Dominus ob ſuam modeſtiam voluit ſuperare diabolum non potentia, ſed ratione, & ideo ſacram Scripturam adduxit, vt dicam quæſtione ſequenti ex Abulenſi. Secundò. D. Maximus ait, quòd Chriſtus non vt Deus, ſed vt homo ſuperauit diabolum, ideo non potentia vtitur quæ eſt propria Dei, ſed Scriptura, vt ita victoria magis cederet in honorem humanitatis, dum per eam vincitur diabolus. Tertiò. D. Gregorius homil.16. *Conſiderare debemus*, ait, *quia tentatus à diabolo Dominus, ſacri eloquij præcepta reſpondit, & qui tentatorem ſuum mergere in abyſſum poterat, virtutem ſuæ potentiæ non oſtendit, ſola diuinæ Scripturæ præcepta edidit: quatenus nobis ſuæ potentiæ præberet exemplum, vt quoties à prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam potius excitemur, quàm ad vindictam.* Docet nos Dominus exemplo ſuo, vt quoties ab iniquis hominibus impetimur, non in eos iram, & vindictam retorqueamus, ſed potiùs blando, ac ſuaui eloquio demulcere, ac domeſticare intendamus.

Hieron. — Leo. — *Omnia cum ratione facienda.* — Maxim. — Gregor. — *Ira inimicorum demulcenda.*

Quartò. Abulenſis *quæſt.28.* Diabolus intenderat Chriſtum fallere per rationem, conuincitur, & ſuperatur rationibus, vt per illud falleretur, per quod fallere intendebat. Debuit ergo teſtimoniis ſacræ Scripturæ vti, quibus mens acquieſcit. Quintò Chriſtus Dominus volebat reſpondere ita efficaciter, vt diabolus eſſet confuſus, & conuictus, quod optimè factum eſt teſtimonio Scripturæ. Sextò. Chriſtus ita decreuit reſpondere, vt diabolus eſſet concluſus, ac neſciret, an Chriſtus eſſet Deus, vel quis eſſet: dum autem per authoritates Scripturæ conuenientes reſpondit, diabolus ignorabat, an Chriſtus occultare ſe vellet, quis eſſet? Sed ita reſpondebat, quia putabat per ſacram Scripturam teneri ad hoc faciendum, quia teſtimonia adducta hoc ſignificabant. 97.

Abulenſ. — *Diabolus per id quod fallit fallitur.*

Septimò. Notant D. Hieronymus, Haymon in homilia, quòd *Dominus omnia teſtimonia contra diabolum de Deuteronomio ſumpſit. Deuteronomiū ſecunda lex dicitur, & deſignat Euangelium, datq; hoc facto Dominus exemplum, vt quoties à dæmonibus, vel malis hominibus impugnamur, ad ſancti Euangelij authoritatem confugium faciamus.* Sacra Scriptura, ac præcipuè ſanctum Euangelium remedium eſt contra omnes tentationes, ac aduerſitates, nulla enim poteſt eſſe tam aduerſa calamitas, contra quam non habeamus leuamen, ac ſubterfugium in Sacra Scriptura, ſi ipſam diligenter euoluamus. *Scuto circundabit te veritas eius*, Pſal. 90.n.5. Sed quomodo ſacra Scriptura ſcuto comparatur? Sicut enim ſcutum ad omnes partes corporis tuendas inſeruit, ita ſacra Scriptura omnes animi virtutes cuſtodiuntur, & ad nos in hac veritate confirmandos, Chriſtus Dominus ſacra Scriptura omnes aduerſarij conatus infregit. Burgenſis, *Cùm enim*, ait, *aduerſarius tentando circumiret per diuerſa vitia, Chriſtus circundedit ſe ſcuto veritatis. Quamlibet enim tentationem contra eum commiſſam euacuauit per authoritatem ſacræ Scripturæ, quæ eſt veritas diuina.* 98.

Hieron. Haymon. — *Euangelium remediū contra omnes aduerſitates.* — Pſalm 90. — Burgenſ.

QVÆSTIO XX.

Quare Dominus noluerit de lapidibus facere panes?

AD quæſtionem variè reſpondent ſancti Patres, & primò D. Cyprianus *ſermone de ieiunio*, 99.

Cyprian.

Isidor. — Operandum eum menſura, ac neceſſitate. — In nullo diabolo credendum. — Chryſoſt. — S.Thom.

nio,ait. *Quia non erat digna reſponſione quæſtio malignantis.* Non egit Dominus miraculum, quia indignum erat, vt petitioni diaboli, propter ſuam malignitatem aliquid concederetur. Secundò. Idem D. Cyprianus *citato loco*, D.Iſidorus Peluſiota lib.1.Epiſt.76. *Quòd*,ait,*lapides à Chriſto in panes minimè conuerſi ſunt, non idcirco factum eſt, quòd edendorum miraculorum tempus nondum adeſſet, quemadmodum malè feriati homines garriunt: ſed quia petitio vana erat,& petitore digna. Deus enim omnia cum pondere,& menſura,& neceſſitate largitur. Vbi autem quod quæritur ſuperuacaneum eſt, illic quoque miracula edere prorſus intempeſtiuum eſt.* Idem habet Euthymius. Miraculum hoc erat omnino ſuperfluum, quia diabolus nullam inde erat relaturus vtilitatem, nec erat neceſſarium ad Chriſti famem depellendam, quia voluntariè poterat cohibere famem, vel alio modo habere cibum. Tertiò. D. Chryſoſtomus *homil.*13. hanc aſſignat rationem, vt nos erudiamur, in nulla re credere diabolo, etiamſi vtile aliquid dicere videatur. Et ita ait D. Thomas. *Magnum documentum vt homo nihil faciat ad arbitrium diaboli. Nihil vmquam ſapiens dux debet facere ad arbitrium ſui hoſtis, etiamſi bonum videatur, & ideo Dominus lapides in panes commutare noluit, quia ille ſuggerebat.*

August. — Diabolus cõtemnendus. — Iacob.2. — Tolet. — 1 Cor.2. — Ambroſ.

100. Quartò. D.Auguſt.ſerm.41.de Verbis Domini, *Non fecit*,inquit,*de lapidibus panes: qui vtique ſic potuit facere, ſicut de aqua vinum, ſed non fecit, vt voluntatem contemneret tentatoris, aliter tentator non vincitur niſi contemnatur. Qui tanta poterat, quare iſtud non fecit? Lege, imò recole quod audiſti, qui fecit de aqua vinum, quid addit Euangeliſta? & crediderunt in eum diſcipuli eius. Numquid diabolus fuerat in eum crediturus?* Non operatur miraculum, vt contemnat diabolum, deinde quia ipſe non erat crediturus, loquitur ſanctus Pater de fide perfecta, ac formata, nam diaboli habent quandam credulitatem, de qua ait Iacobus cap.2. *Credunt,& contremiſcunt.* Quintò. Toletus *in c.*4. *Luc. annot.*13. quæ eſt ratio germana, non commutauit Dominus lapides in panes, ne diabolus eum agnoſceret, nec eſſet impedimento, quo minus à Iudæis crucifigeretur. nam, vt ait Paulus 1. Corinth.2.n.8. *Quem nemo principum huius ſæculi cognouit, ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, quod de Dæmonibus exponunt D.Ambroſius,& alij Patres.

Homo non debet agere vt Deus. — Iob 19. — Gregor. Odolon. Cyprian. — Inuidia nullis ſignis frangitur.

101. Sextò, & moraliter. Non tranſmutauit Chriſtus Dominus lapides in panes, nec vnum panem ad ſuam famem depellendam creauit; nam hîc occultabat diuinitatem, & vt hominem ſe exhibebat,& Chriſtus Dominus ad noſtram eruditionem non permiſcet ſtatus, dum homo non agit vt Deus, & vt Deus non operatur vt homo, in magnam confuſionem principum huius ſæculi, qui cùm ſint homines, ita in multis ſe habent, ac ſi eſſent Dij, & ita conquerebatur Iob de amicis ſuis. *Quare perſequimini me ſicut Deus*, Iob c.19. n.22. Ita enim eum affligebant, ac arguebant in ſua miſeria, ac ſi ipſi more Dei de infirmitate nihil haberent; ita D.Gregorius, S.Odolonius *ibi*. Septimo. D.Cyprianus ſerm. de ieiunio, & tent. *Nec opus erat*,ait, *vt hoc facto inſidiatori innoteſceret; quia nullo ſigno eius poterat inuidia commutari.* Repellitur Satanas, & ſuæ petitioni non annuit Dominus Ieſus, quia ita obcæcata erat diaboli mens inuidia, ac liuore, quia nullis ſignis, nullis miraculis, ac operibus eius inuidia erat frangenda, ſed immobilis perſeueratura. Octauò. Euthymius. Quaſi nomine Chriſti loquens, ait: *Ad quid mihi opus eſt panes ex lapidibus facere propter famem, quæ me vrget, vt illis viſis alliciar eſca.* In Chriſti poteſtate erat ſaxa in magnas dapes conuertere, & nullus ciborum viſus poterat eius popoſitum mutare, tamen non vult panes facere, in magnum noſtrum documentum, vt nos doceat, quòd ſi deſideramus gulæ non ſuccumbere, illius irritamenta fugiamus, nam qui fugit occaſiones, tentationes vincit.

Euthymius. — Qui vult vincere fugiat occaſiones.

S.Thom. — Vilitas conſideranda, non altitudo. — Matth.8. — Bernard. — Geneſ.35. — Auguſt.

Nonò. Diabolus dixerat, *Si Filius Dei es*, Chriſtus ait. *Non in ſolo pane viuit homo.* Vnde aduertit D.Thom. *Chriſtus primò vitat iactantiam. Tu vocas Filium Dei. Ego nomino hominem.* Quamuis Chriſtus Dominus eſſet verus Deus,& homo; tamen hoc miraculum non operatur; ſublimitatem diuinitatis omnino abſcondit, & tacuit, ad magnum noſtrum documentum, vt ad vitandam iactantiam, non attendamus ad id, quod eſt excelſum in nobis, ſed quod eſt humile, & abiectum. Grauiter peccauit Dauid, dum regni numeratæ multitudini ſe prælatum agnoſcit, & ideo grauis peſtilentia miſſa eſt in populos, 2.*Reg.*13. *n.*15. At Centurio dum ſibi conſcius eſt, quòd ſub ſe habeat milites, nullius criminis reus, ſed potiùs petitionem ſuam, ac ſanitatem pueri valuit impetrare; ſed quænam huius rei cauſa? Ille dum propriæ naturæ oblitus principatus maieſtatem conſiderat, in magnam indignationem incurrit; hîc verò ait de ſe, *Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites*, Matth. cap.8.n.9. Primò, & per ſe non conſiderat dominatum, ſed ſubiectionem, & quòd homo ſit, & ideo Dauid vana gloria deliquit; Centurio, hac vitata, multum meruit. D. Bernardus Epiſtol. 42. *Homo ſum*, inquit,*& homo ſub poteſtate, iam quid ſubinferas, ſuſpectam non habemus iactantiam; præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne altitudo præcipitet.* Poſtquam Iacob luctatus eſt cum Angelo, vel cum ipſo Deo in figura, ac forma viri, vt aliis placet. Et dicitur, *Non vocaberis vltrà Iacob; ſed Iſraël erit nomen tuum*, Geneſ.cap.35.num.10. Et tamen ipſe poſtea frequenter vocatur Iacob, vt ait D. Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Geneſi. *Quæritur autem cùm ſemel dictum ſit: Non vocaberis vltrà Iacob; cur legatur poſtea Iacob vocatus?* Et omiſſa ratione S.Patris, alibi danda. Iacob nomen humile paſtoris eſt? Iſraël verò eximiam magnitudinem importat; ſignificat enim, *Videns Deum.* Quid ergo mirum, quòd tantus Patriarcha Iacob dicatur? Erat valde humilis, & ideo quòd excellentiam præ ſe ferebat, occultabat; quod verò paruitatem, ac abiectionem publicat, & ideo in tot, ac tantis cæleſtibus fauoribus magno merito creuit.

*Matth.*5 *n.*5. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.

VERSIONES.

Syriacus. Tunc tranſtulit eum accuſator ille ſuper ſacroſanctam ciuitatem.

Vatablus

Vatablus. Statuit eum ſuper pinnaculum templi.

Multi ex Hebræo. Statuit eum in extremitate tecti, ſeu frontiſpicij.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 4 *n.*9. Et duxit illum in Hieruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam templi.

EXPOSITIO.

Malignus ex vna licentia ad maiora tendit. — *Inimicus non videt aduerſam gloriam.*

103. MALIGNI ſpiritus eſt ex qualibet facultate data ad multo altiora ſe extendere. Diabolus, cui conceſſum eſt in prima pugna, vt ad Chriſtum accederet ad ipſum tentandum, modò non ſolùm accedit, ſed ipſum Dominum aſportat, ac ducit, ita Domino permittente in exemplum ſuæ patientiæ,& quia adhuc anceps erat ex prima Chriſti victoria, inimicus numquam aduerſarij triumphum apertè videt, ſed ſemper alterius virtutem intendit variis rationibus obfuſcare, ideo non veretur ad alterum certamen procedere, & maiora tentamenta in Chriſtum parat, ac in figura Angeli lucis apparet.

Chryſoſt. Alb.Magn. S.Thom. Bonauent. — Iſai.1. — *In nullo ſtatu homo ſecurus.*

104. *Tunc*, id eſt, tranſacta prima tentatione, quamuis non fuerit immediatè pòſt, *aſſumpſit eum Diabolus*, hoc eſt, aſportauit eum, vel ſuper ſe, vel exhortando, ac ducendo,& volebat diabolus, vt, inſpectante populo, Chriſtus Dominus videretur ab omnibus per aëra iter faciens, ſed diuina virtute factum eſt vt Chriſtus Dominus, à nullo videretur, vt notant D. Chryſoſtomus, Albertus Magnus, S.Thomas, D.Bonauentura. *In ſanctam ciuitatem*; ecce locus, in quem defertur Dominus, in Hieruſalem, & dicitur ciuitas ſancta, quia ibi erat templum, & cultus Dei, & quamuis ab Iſai.1.*n.*21.citatur *ciuitas meretrix*; tamen poſtea dicitur, *Vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis*, & Euangeliſta conſiderauit ſanctitatem loci,& non peccata illius, *Statuit eum ſuper pinnaculum*, hoc eſt, in eminentiſſimo loco templi, ac extremitate illius, ad eum tentandum. Nullus eſt locus, nec rerum ſtatus, in quo aduerſarius nos non perſequatur, tentat Chriſtum in deſerto, in monte, id eſt, in mundo, ac templo,& Eccleſia.

QVÆSTIO XXI.

Quo ordine tentationes factæ fuerint?

Maxim. Abulenſis. — *Magna connexio inter auaritiam, & inanem gloriam.*

105. TOTA difficultas eſt, quia Matthæus,& Lucas diuerſo ordine narrant; nam hanc tentationem de pinnaculo ponit Matthæus ſecundam; Lucas tertiam; & ſcriptores canonici ſæpe in narrando non obſeruant ordinem rei, imò vt ex D.Maximo notat Abulenſis *quæſt.*31.ex induſtria Euangeliſtæ hîc ordinem mutarunt, quia vnus propoſuit tentationem inanis gloriæ de pinnaculo, alius tentationem auaritiæ de monte, quia interdum vna ex alia, & interdum alia ex alia naſci ſolet. Inanis gloria, & auaritia, vel ambitio ad inuicem ſe gignunt. In re vna tamen tentatio fuit prior, quàm alia; quænam hæc ſit, inquirimus.

Tentationes contigiſſe, vt narrat D.Lucas, ſcilicet, de monte excelſo ſecundam, de pinnaculo tertiam eſſe, tradunt D.Paſchaſius, D.Anſelmus, Albertus Magnus,& alij, & poteſt fundari, quia tentatio de ieiunio, & de monte excelſo fuerunt in deſerto, de pinnaculo in Hieruſalem; ergo illæ fuerunt priores, videtur inconueniens quòd diabolus deduceret Chriſtum ad ciuitatem, & de ciuitate iterum in deſertum,& ideo dicunt iſti Authores, quòd Lucas in ordine tentationum ſequitur veritatem hiſtoriæ, ſed quia Chriſtus in his tentationibus intendit in eiſdem vincere diabolum, in quibus ipſe vicit Adam, ideo D. Matth. proſequitur ordinem tentationum Adæ; dixit diabolus primis parentibus, Geneſ.3. num.5. *In quacumque die comederitis ex eo*, ecce gula; *eritis ſicut Dij*, ecce inanis gloria, *ſcientes bonum & malum*, ecce auaritia, quæ non eſt tantùm pecuniæ, ſed etiam ſcientiæ: & ita penes intentionem victoriæ, quam Chriſtus habuit, tentationum ſumitur ordo. 106.

Paſchaſ. Anſelm. Alb. Magn. — *Cur tres tentationes.* — Geneſ.3.

Nihilominus mihi probabilius eſt, quòd D.Matthæus obſeruauerit ordinem in tentationibus deſcribendis, & quòd tentatio de pinnaculo fuerit prior, quàm tentatio de oſtenſione Regnorum; ita tenent D. Cyprianus *ſerm. de ieiunio*, D.Ambroſ,*lib.*1.*de Cain & Abel*,*cap.*5. D.Chryſoſtomus *homil.*13. poſtquam agit de tentatione pinnaculi, ait, *tertium certamen ingreditur Chriſtus.* D.Maximus ſimiliter *homil.*2.*de ieiunio*, & hunc ordinem tenet D.Thomas 3.*part. quæſt.*41. *art.*4.*in corpore*. Probatur primò. Quia D.Matth. in narrandis tentationibus tenet ordinem; nam poſtquam deſcribit tentationem conuerſionis lapidum, ait: *Tunc aſſumpſit eum diabolus*, id eſt, poſt illam tentationem aſſumpſit, & quando venit ad certamen de monte excelſo, ait: *Aſſumpſit eum iterum diabolus*; ergo hæc non fuit prima aſſumptio, ſed ſecunda, præcedente illa, quæ erat ad pinnaculum templi, nulla enim alia poterat eſſe; in textu autem Lucæ, nulla eſt particula, quæ notet huiuſmodi connexiones. Secundò. Quia in tentatione de monte excelſo dixit Chriſtus diabolo, *Vade retrò Satana*; ergo non videtur, quòd iterum rediret, & quia D. Lucas non obſeruabat ordinem, & aliam tentationem erat deſcripturus, hæc verba, *Vade retrò*, non ſcripſit, & ideo in quibuſdam antiquis codicibus idem ordo ſeruatur in textu Lucæ, vt in commentario Ambroſij, ſicut in text. Matth ſed hoc factum eſt vitio ſcriptorum; nam in noſtra vulgata eſt, vt Euangeliſtæ ſcripſerunt. 107.

Cyprian. Ambroſ. Chryſoſt. — Maxim. S.Thom.

Nec fundamentum oppoſitæ ſententiæ habet vim, quòd diabolus de deſerto veniret in vrbem, & iterum de vrbe in deſertum ad tentationem de monte, quia cùm ipſe ſit valde inſipiens, ac inconſtans, & ſe videret concluſum, repetit quæ antea reliquerat; de diabolo ait D. Petr. 1.cap.5. num.8. *Circuit quærens, quem deuoret*, & Iob 1. num.7. *Circuiui terram, & perambulaui eam*; & de impiis ait Dauid: *In circuitu impij ambulant*, Pſalm.11. n.9. Quid ſit autem ambulare in circuitu, explicat Pinto, de perſecutione, quam in iuſtum moliuntur iniqui; qui verſatur in circuitu à puncto, ac circumferentia, quam relinquit, iterum in illam redit; ſic diabolus, ac impij eaſdem nequitiæ artes, à quibus videbantur deſiſtere, iterum repetunt aduersùs iuſtum, ac ſanctum. 108.

Inſipiens repetit relicta. — 1.Petr.5. — Iob 1. — Pſalm.11. — Pinto.

QVÆSTIO XXII.

Quare diabolus victus in prima tentatione non vereatur iterum Chriſtum aggredi?

109. HVIVS rei iam quandam rationem attigi in expoſitione; aduerſarius numquam ſuam virtutem agnoſcit, ſed ſemper variis rationibus ſuam debilitatem intendit excuſare. Secundò. Acutè reſpondet Imperfect. homil. 4. *Mitte te deorſum. Nec timuit, cogitans, ne fortè ſi inuentus fuerit filius Dei, inueniat illi feciſſe iniuriam. Sed nihil dubitat dicere, nec facere, qui nihil ſibi relinquit, quod ſperet.* Cùm ſpes ſit omnino omiſſa, & nihil malignus metuat ſibi poſſe augeri, vel minui, acquirere, vel perdere, nullum turpe factum fugit, ſed omnes auſus animosè aggreditur.

Imperfect.

Qui nihil ſperat, nihil turpe fugit.

110. Grauis difficultas eſt circa peccatum Angelorum. *Dicebas in corde tuo. In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo,* Iſai. 14. num. 13. Angelus ſemper eſt in cognitione ſui, & Dei, vt docet D. Thomas 1. *part. quæſt.* 56. *art.* 3. cognoſcit ſe vt effectum, & Deum vt cauſam, vnde iuxta communiorem ſententiam Angelus ab hac cognitione non poteſt ceſſare; de quo latè Suarius *tom. de Angelis, lib.* 2. *cap.* 19. *à num.* 5. euidens erat intellectui Angelico implicare contradictionem ſe eſſe Deum, quomodo potuit in illam cognitionem venire, vt ſe eſſe Deum appareret; & ita ait D. Anſelmus lib. de caſu diaboli, cap. 4. *Si Deus cogitari non poteſt niſi ita ſolus, vt nihil illi ſimile cogitari poſſit, quomodo potuit diabolus velle, quod non potuit iudicare?* Lucifer iuxta grauiſſimorum Patrum ſententiam peccauit parui faciens Chriſti humanitatem, & appetens ſuæ naturæ vnionem hyſtaticam, & dum in hoc peccatum contra Filium Dei labitur, per ſuperbiam non recuſat in aliud incidere, vt ſibi vellet Dei naturam, ac thronum, cùm omnem ſpem amiſiſſet recipiendi bona è manu Dei, nullum malum, ac peccatum contempſit, ac reſpuit, quamuis hoc iudicaret impoſſibile. Per gradus ſpei creſcunt augmenta, vt dixit Socrates, ſi ſpem concipimus magna aggredimur; ſi ſpes cadit, cadit animus. Dum Philiſthæi conſiſterent in loco inacceſſibili, Ionathas cum ſuo armigero in eorum exercitu grauem cædem perpetrauit, 1. *Regum* 13. *num.* 14. ſuccedentibus rebus cùm Saul, & Ionathas cum magno exercitu exirent in pugnam contra Philiſthiim, interfecti ſunt magna plaga, ac nullo nobili facinore edito, 1. *Rogum cap.* 13. Cur ille, qui antea forti animo ſe gerebat, modò tam debilis apparet? Ea mihi eſt ratio. In primo euentu exiſtimabat ſe Ionathas regni hæredem, & ſucceſſorem; at in vltimo iam hanc ſpem depoſuerat, ſciebat certiſſimè quòd Dauid eſſet regnaturus, & dum ſpes regni viguit, viguit animus; cùm verò cecidit, cecidit & animus.

Iſai. 14. D. Thom. Suarius. Anſelm. Socrates.

Spes dat animum.

***

QVÆSTIO XXIII.

Quomodo Chriſtus Dominus aſſumptus fuerit in ciuitatem, & in pinnaculum?

IN ſecunda, & tertia tentatione ait Euangeliſta, quòd diabolus aſſumpſerit Chriſtum, ideo hoc explicandum eſt. Primò. D. Cyprianus *ſerm. de ieiunio*, reputat inconueniens, quòd corporaliter diabolus tulerit Chriſtum; ideo ait, quòd à proprio ſpiritu ductus eſt in pinnaculum, & in montem, & ita ait ſanctus Pater, quòd *Diabolus Ieſum tulerit, videtur inconueniens, quòd humeris eius Saluator inſederit, & pro vehiculo vſus ſit, quem præcipitatorem ſciebat.* Cùm enim diabolus vt omnium præcipitator eſſet agnitus, non eſt ſuſtinendum, quòd Ieſus illi ſe crederet, vt ad pinnaculum, ac ſanctam ciuitatem per ipſum portaretur, in documentum noſtrum; non enim fidendum eſt ei, quem vt omnium malorum præcipitatorem agnoſcimus, & ideo ait ſanctus Doctor, quòd à proprio ſpiritu ductus ſit in pinnaculum, & in montem. Hæc ſententia expreſsè repugnat cum text. ait enim Matth. *Tunc aſſumpſit eum diabolus.* Secundò. Ianſenius exiſtimat hanc aſſumptionem, ſicut & tertiam non fuiſſe veram, ſed per imaginationem. Hoc etiam vim infert textui ſecundùm mentem ſanctorum Patrum, qui de aſſumptione corporali intelligunt; & quando diabolus dicebat, *Mitte te deorſum*, non ſuadebat niſi deſcenſum corporalem: deinde hæ cogitationes ſunt valde indignæ Chriſto Domino, vt cogitaret ſe eſſe in pinnaculo, cùm non eſſet, & in eius mente nulla falſa cognitio poterat eſſe, vt iam dixi. Tertiò. Origenes *homil.* 31. *in Lucam.* exiſtimat Chriſtum ductum à diabolo non corporaliter, ſed monitu, & quòd ipſe diabolus præiret, & Chriſtus ſequeretur. Hæc ſententia etiam non placet, quia Euangeliſta ait: *Aſſumpſit eum diabolus, aſſumere* autem ſignificat quòd ipſe eum portauerit. Secundò. Dicitur quòd diabolus ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi; ergo Chriſtus non aſcendit, ſed diabolus eum illuc duxit. Tertiò. Quia ſi Chriſtus aſcendit per gradus, non erat occaſio diabolo, vt diceret, *Mitte te deorſum*, quia ipſe facilè poterat deſcendere. 111.

Cyprian. Idem.

Deprauato non eſt credendum.

Ianſen. Origenes.

Quartò, & vera ſententia, quòd diabolus corporaliter Chriſtum Dominum portauerit, ita docent *hîc* D. Hieronymus, D. Gregorius *homil.* 16. *in Euangel.* Imperfectus *homil.* 5. Euthymius *hîc*, Beda *Luc.* 4. Abulenſis *quæſt.* 34. & 35. Probatur hæc ſententia ex proprietate verborum text. & ex refutatione aliarum, & quia nullum eſt inconueueniens, quòd Dominus portaretur à diabolo, vt ait D. Gregorius citat. *Nec mirum eſt, ſi ſe ab illo permiſit in montem duci, qui ſe pertulit ab illius membris crucifigi.* Deinde ſi Dominus veniret pedeſter, multi dies conſumerentur in hac tentatione, vt Dominus veniret à deſerto in ciuitatem, quòd ſatis longè diſtabat ab illa. 112.

Vera ſententia. Hieron. Gregor. Imperfect. Beda. Gregor.

QVÆS

QVÆSTIO XXIV.

Quomodo Chriſtus Dominus ferebatur per aëra?

113. ASPORTABAT diabolus Chriſtum vel in manibus, vel ſuper ſe, ſeu ſuper ſuos humeros, vt ex aliquibus refert *hîc* D. Thomas *c.* 4. *Matth.* quamuis hoc nec approbo, nec eſt neceſſarium, ſed poterat diabolus mouere Chriſtum Dominum imprimendo impulſum in quadam parte eius corporis per ſe primò, & illa mediante mouere, & ita in motibus factis miniſterio Angelorum factum eſt Habacuc. *Daniel.* 14. & *Ezech.* 8. in cincinno capitis, vt explicant Theologi cum Suario *tom. de Angel. lib.* 4. *c.* 31. *num.* 2. deferebatur Chriſtus Dominus per aëra, & diabolus, quantum eſt ex ſe, aſſumebat Chriſtum vt ab omnibus videretur. Ipſe autem, neſciente diabolo, ſic agebat, vt à nemine videretur, vt notant D. Chryſoſtomus *in Imperfecto homil.* 5. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 41. *art.* 4. *ad* 7. Diabolus volebat Chriſtum ab omnibus videri per aëra euntem, vt ipſum pignerareт, ac obligaret, vt pro conſeruanda opinione populi, ſe ipſum præcipitaret, vt ab Angelis aſportaretur; ſed Chriſtus decreuit non videri, vt ita diabolus fruſtraretur in omnibus ſuis intentionibus, ac ſudoribus.

D. Thom. Suarius. Chryſoſt. S. Thom.

Homo pigneratus opinione multa aggreditur:

124. Deferebat diabolus Chriſtum per aëra maximo cum gaudio, promittens ſibi victoriam, dum eum à deſerto abſtulit, vbi eum ſpiritus Domini collocauerat, quod ſaltem à diabolo ſuſpicari poterat. Nullum maius diſcrimen poteſt ſubire homo, quàm recedere à loco, in quo Dominus eum conſtituerat. Dauid in regio ſolio, in quo Dominus eum collocauerat, rectè ſe habebat, cùm verò ſurgeret de ſtrato ſuo, & aſcenderet ad ſolarium domus regiæ, grauiter inde in peccata prolapſus eſt, 1. *Reg.* 11. *num.* 2. Senes dum ex Dei imperio aſſiſtunt in cathedra, iudicando populo, in iuſtitia ſe continent; at cùm ingreſſi eſſent oſtia pomarij, in quo erat caſtiſſima Suſanna, turpiter delinquunt. *Daniel.* 13. *num.* 18. Angeli dum in cælo reſident, in quo creati ſunt à Deo, in gratia, & ſanctitate ſe exercent; at verò cùm affectauerint exaltare ſolùm ſuum ſuper aſtra Dei, ac ſedere in monte teſtamenti, *Iſai.* 14. *num.* 13. in ſuperbiam, ac in infernum ceciderunt. Tandem ait Paulus, *Si Angelus de cælo euangelizauerit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit*, ad Galat. 1. num. 8. Sed quomodo Paulus audet Angelos anathemate ferire? Angeli ordinati ſunt à Deo in miniſterium, & dum ſuum locum relinquunt, & cathedras aſcendunt, in omnem maledictionem incurrunt. S. Proclus Epiſtol. de recta fide, ad Armeni. *Miniſtrare namque, ait, præceptum eſt Angelis, non dogma componere. Et periculoſum nimis eſt ſingulis, non in his, quibus ordinati ſunt, permanere.* Sed hæc non potuerunt contingere Chriſto Domino, quamuis diſcederet à deſerto, in quo ab Spiritu ſancto ductus erat; quia non homo tantùm, ſed Deus eſt, & omnes eius actiones à Patre erant prædefinitæ, vt iam dixi.

Maximum periculum eſt homini dum deſcendit à loco ordinato à Deo.

Galat. 1. Proclus.

QVÆSTIO XXV.

Quid ſit pinnaculum, & quare diabolus potius conſtituit Chriſtum in eo, quàm in alta turri?

HÆc quæ hîc inquirimus, permixtim tractanda ſunt. Palatius *hîc in Matth.* & Didacus Stella *in cap.* 4. *Luc.* exiſtimant *pinnaculum* eſſe laminam ex metallo confectam, poſitam ſuper tectum ad diſcernendas differentias ventorum, & in hoc indice ventorum, inquiunt, quòd diabolus conſtituit Chriſtum, quia in hoc loco non poterat Chriſtus naturaliter ſiſtere, nec ab eo naturaliter deſcendere, & ibi ſolet diabolus, ſuos conſtituere. Sed ſententia non eſt probabilis, quia in nulla authoritate fundatur, quòd in templo, ac eius tecto, talis parua ala eſſet. 115.

Palat. Stella.

Diabolus ponit in loco in quo non poteſt ſiſtere homo.

Secundò. D. Regimius, S. Paſchaſius, S. Anſelmus, S. Carthuſianus, Albertus Magnus, Hugo *hîc*, D. Bonauentura *cap.* 4. *Luc.* & alij dicunt quòd prinnaculum erat ſedes doctorum, & quòd templum habebat culmen erectum, & acutum, ſicut domus noſtræ habent; ſed planum erat deſuper, vt ſunt tecta domus in Palæſtina; pinnaculum erat pauimentum planum ſupra templum, vbi doctores prædicabant, & docebant. Albertus Magnus vult eſſe præeminens *pecturile*, ſeu deambulatorium circa parietes templi, ex quo magiſtri concionabantur ad populum, & cùm diabolus affectaret tentare Chriſtum de iactantia ſuperbiæ, non ducit eum ad turrim altam, vel ad palatia principum, ſed ad ſedem doctorum. D. Anſelmus, *Ideo*, ait, *diabolus duxit eum ſuper pinnam templi, quum vellet de vana gloria tentare, quia ibi in cathedra doctorum multos deceperat inani gloria: & ideo putauit, iſtum poſitum in ſede magiſterij inani gloria extolli poſſe.* Dum diabolus vult Chriſtum Dominum ad iactantiam, ac ambitionis faſtum allicere, in ſuggeſtu, ac cathedra doctorum conſtituit, ſolent enim litterarum honores maximè pungere, ac piſcari animos inani gloria. 116.

Remig. Paſchaſ. Anſelm. Carthuſ. Alb Magn. Hugo. Anſelmus.

Honores literarij inducũt ad inanem gloriam.

Hæc tamen ſententia multis, & mihi fecit difficultatem, primò, quia pinnaculum iuxta radicem Hebraicam dicit ſummam extremitatem. Secundò. Quia non videtur conueniens quòd populus, relicto templo, aſcenderet ſuper tectum ad audiendas conciones, in loco expoſito aëri; & Chriſtus Dominus prædicabat in templo; ergo hîc erat locus conſuetus: quando Chriſtus Dominus dixit, *Quæ audiſtis, dicite ſuper tecta*, hoc eſt, alta voce, in loco publico; ſi verò dicatur, quòd pinnaculum ſit deambulatorium prominens à pariete, ex quo Doctores docebant, tunc non eſſet multum eleuatum à terra, vt magiſtri vox audiretur; diabolus autem intendebat præcipitare Chriſtum ex loco alto, & eminenti, vt ab omnibus videretur. 117.

Tertiò. Mihi vera ſententia eſt Theophylacti, Abulenſis *quæſt.* 33. Toleti *à num.* 22. & aliorum, qui dicunt *pinnaculum* eſſe ſummam extremitatem recti, ſeu frontiſpicij; & ibi diabolus conſtituit Chriſtum ad ſe præcipitandum, vt facilè videretur ab omnibus, qui erant in vrbe, locus ille valde publicus erat, & hæc eſt prima ratio, ob quam ibi conſtituit Chriſtum; maximè affectat diabolus, 118.

Theophyl. Abulenſ. Toletus.

diabolus, vt noſtri defectus publicentur, ac diuulgentur.

119. *Inimicus deiungit ab his à quibus auxiliari poſſumus.*

Secundò. Ideò conſtituit in pinnaculo templi, & non in Regum domibus, vel alta turri. Quia cognoſcebat Chriſtum virum ſanctiſſimum eſſe, ac ſuſpicabatur filium Dei, & templum erat eius proprius locus, ad quem ſaltem, vt iuſtus, tamquam ad aſylum debebat confugere, & hac de cauſa ab illo præcipitari ſuadet, nihil magis intentat, quam ſegregare nos ab his, ex quibus auxilia venire poſſunt. Tertiò. Vincentius Lirienſis, Author Antiquiſſimus, *de Antiquit, fidei Cathol. comment.* 1. *cap.* 37. Duxit diabolus Chriſtum in pinnaculum templi, & ait, *mitte te deorſum*, quia maximè deſiderabat, vt eius membra ex doctrina, & traditione ſublimitatis Eccleſiæ demitterentur. Quartò. S. Thophylact. *lib* 2. *comment.* ait per *templum* ſignificari hominem. *Templum Dei vos eſtis*, 1. Corinth. 3. num. 6. per *pinnaculum* ſublimitatem naturæ; diabolus maximè intentat ducere noſtram conſiderationem in ſublimitatem naturæ, vt inde nos in profundum deiiciat. Quintò. Per aërem ſupra templum duxit, quia dum homo ad dignitates Eccleſiaſticas, non per gradus aſcendit, manifeſta eſt ruina, certus lapſus.

Lirienſis.

Diabolus ſegregat ab Eccleſia.

Theoph.

1. Cor. 3. *Ad dignitates per gradus.*

120. *Eccleſiæ ſubiiciendum.*

Sextò. Nullum locum aptiorem ad præcipitium inuenit diabolus, quàm pinnaculum templi. Homo Eccleſiaſticæ obedientiæ tenetur ſe ſubmittere; vt verò ſi præſumit ſupra ipſam ſe extollere, omnium malorum occſio, ac ianua ei aperitur. Ait Hierem. 12. n. 10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam: conculcauerunt partem meam; dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis.* Vbi Propheta loquitur ad litteram de conculcatione templi, ac Eccleſiæ, & ſtatim in hoſtes *à n.* 13. omnem congeriem malorum prænunciat. Vnde ait D. Cyrillus in c. 11. Iſai. *Semper perſequutoribus Eccleſiæ, conatus ipſorum in caput reciderunt.* Cùm Saul maximè vrgeretur ab exercitu Philiſthinorum, dixit Amalecitæ. *Sta ſuper me, & interfice me quoniam tenent me anguſtiæ*, 2. Reg. 1. n. 9. multi ex radice Hebraica legunt, *tenent me equites tunica phrygonica, ſeu ocellata*, quæ erat propria veſtis Sacerdotum. Saul Sacerdotes Domini interfecit, ac ſuam ciuitatem percuſſit in ore gladij, 1. *Reg.* 22. *num.* 19. & eorum bona, ac veſtes per ſuos milites diſtribuit; cùm verò impius Rex vltimo ſpiritu ageretur, cognoſcit, ac fatetur omnia illa mala ſuper ſe venire ob conculcata ſancta, ac ſacrilegam bonorum Eccleſiaſticorum direptionem, & ita ait, tenent me equites tunica ocellata, ſeu ſacerdotali, quam prophanando Sacra à Sacerdotibus diripuit, & ſuis militibus dedit.

Hierem 12.

Cyrillus.

2. Reg. 1.

Res Eccleſiaſticæ non ſunt ſubſidiũ regibus ad bellum.

Matth. 4. *n.* 6. Et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum.

VERSIONES.

Syriacus.	Deorſum te dede præcipitem
Vatablus.	Proiice te ipſum deorſum.
Euthymius.	Præcipita te deorſum.
Tertullian. lib. aduerſ. Praxeam c. 1.	Si tu es Filius Dei, deiice te hinc.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 4. *n.* 9. Si Filius Dei es, mitte te hinc deorſum.

EXPOSITIO.

EXPROBROSE, vt notat Albertus Magns, *hæc dixit diabolus Chriſto, vt prouocet, quia prouocatus animus citius inclinatur ad malum.* 121. Alb. Magn.
Ac ſi diceret diabolus: Si huc veniſti, quare vis deſcendere conſueto modo? & quid à me expectas aſportari, cùm hoc per te ipſum valeas facere? & ideo ait, *mitte te deorſum*; hæc dicebat diabolus vt indagaret, quiſnam eſſet Chriſtus; nam, vt ait Abulenſis *quæſt.* 38. ſi ſe præcipitaret, & nihil læderetur, putaret diabolus ipſum eſſe Deum, & haberet ſuum intentum. Si autem eſſet homo purus, diabolus volebat eum perire ſe præcipitando; vel dato quòd nollet ſe proiicere de pinnaculo, intendebat in eo gignere opinionem, quòd ipſe erat Filius Dei, vt ſtatim dicam.

Abulenſ.

QVÆSTIO XXVI.

Quare diabolus hîc tentationem vanæ gloriæ armet in Chriſtum?

HANC tentationem fuiſſe inanis gloriæ, communis eſt omnium Patrum ſententia. 122
Ita docent S. Ignatius *in Epiſtol. ad Philip.* S. Hieronymus, S. Thomas *hîc*, S. Gregorius *homil.* 16. *in Euangelia*, Interlineal. Haymon, Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij. Erat autem hæc vana gloria quoddam deſiderium, quo affectaret ſe eſſe filium Dei, vt coram populo ſe à ſummitate templi illæſum mittens magnificaretur ab omnibus.

Ignatius. Hieron. S. Thom. Gregor. Interlin. Haymon. Theophyl. Beda.

Sed quomodo diabolus audet iactantiâ, ac vana gloria tentare Chriſtum, quem tantis virtutibus præclarum agnoſcebat, ac tanta conſtantia famem ſuſtinere, & ſuam iam primam tentationem repellere videbat? Reſpondet D. Chryſoſtomus homil. 5. in Imperfecto, *Sicut diabolus*, ait, *concupiſcentia vanæ gloriæ ipſe ruit de cælo; nam cùm eſſet Angelus, volens ſe oſtendere Deum, perdidit & illud quod erat, dum voluit appetere quod non erat; ſic putauit & Chriſtum concupiſcentia vanæ gloriæ ferri. Nam ſicut difficilè aliquem ſuſpicatur malum qui ipſe eſt bonus; ſic difficile aliquem ſuſpicatur bonum, qui ipſe eſt malus* Ex ſe diabolus fecit præſumptionem de Chriſto, & ſicut ipſe appetitu iactantiæ ferebatur, ita indicauit de Chriſto. Secundò. D. Cyprianus ſerm. de ieiunio, *Hoc*, ait, *generale malum in humano genere, Satanas putabat ſuggerere Saluatori, vt popularibus laudibus vellet attolli, ſi vectoribus Angelis ſuſtentatus ſe Filium Dei comprobaret. Huiuſmodi conſilijs filios hominum corrumpere conſueuerat.* Per laudes humanas retia tetendit Chriſto, & per quas erat expertus homines illaqueare, facilè cogitabat per illas poſſe Chriſtum piſcari: per inanem enim gloriam Adamum deiecit diabolus. 123

Chryſoſt.

Quilibet ex ſe iudicat de alijs.

Cyprian.

Tertiò. D. Ambroſius hîc, *Diabolus*, ait, *quoniã fortem ſenſit, iactantiam prætendit, quæ etiam fortes decipit.*

Iactãtia fortes ſuperat.

decipit. In alia tentatione magno robore ſe exhibuit Chriſtus, ideo eum exponit humanis laudibus, vt iactantia eum attrahat; nam hæc quoſque fortiſſimos ſuperat. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius*, Hierem. 11. n. 16. Per *oliuam* tam vberem, ac frugiferam intelligit Propheta populum Iſraëlem, teſte D. Hieron. & ſicut oliua fructifera eſt in toto ſuo robore, ita populus ille inter omnes nationes: at quænam ſit vox loquelæ grandis, ad cuius præſentiam ignis exarſit in ea? nulla alia, niſi vox iactantiæ per ſuperbiam, quæ totam oliuam deſtruxit, & deuaſtauit, ac ſicut ignis in cineres redegit. D. Gregorius *homil.* 21. *in Ezech.* ait, *Vox grandis loquelæ eſt fauor adulantis. Ad vocem verò loquelæ grandis exarſit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia oliuæ fruteta comburentur, cùm iam non amore Domini, ſed intentione tranſitoriæ laudis fiant.*

Hierem. 11.

Gregor.

QVÆSTIO XXVII.

Quare diabolus ſuaſerit Chriſto ſe præcipitare, & non volare, & aſcendere ſurſum?

125. ASTVTISSIMVS diabolus intendebat hac tentatione Chriſti diuinitatem indagare, ac ei blandiri appetitu vanæ gloriæ, quo affectaret ſe eſſe Filium Dei, vt coram populo ſe à ſummitate templi illæſum mittens magnificaretur ab omnibus; ſed cur ad hanc iactantiam proponit præcipitium, non verò volatum, vel aſcenſum in cælum per aëra.

126. Maxim.

Reſpondet primò D. Maxim. homil. 2. de ieiun. *Numquid, ait, rectiùs dixiſſet: Si Filius Dei es, aſcende in cælum Quod vtique ſi faceret Dominus, verè illum Dei eſſe filium comprobaret? ſed inimicus cæli nec tentando quidem aſcenſum vult ſuadere cœleſtem; ſed deorſum, & in ima prouocat.* Aduerſarius adeò cauet in hominibus cæleſtes aſcenſus, vt nec per tentationem hoc ſuggerat; tum quia maximè affectat, vt omnis humana cogitatio à cælis ſit deiuncta, & in terris affixa; tum quia eius animus contrarius non patitur cæleſtia bona quomodolibet in homine conſiderare. Hugo hîc: *Ita affligitur diabolus in exaltatione hominis, vt nec tentando aſcenſum perſuadeat.*

Diabolus non vult, nec cogitationem, nec aſcenſum cæleſtem.

127. Chryſoſt.

Secundò. Chryſoſt. in Imperfecto homil. 5. *Non dixit: Ambula per aërem; ſed tantùm dixit: Mitte te deorſum, ſi es filius Dei, vt ſciamus, quia omnis, qui obedit diabolo, ipſe ſe deponit deorſum.* Qui dictis diaboli obedit in profundum omnium malorum barathrum ſe proiicit, ideo ille vt tendat deorſum prouocat. Tertiò. D. Bonauentura in cap. 4. Luc. *Quia diabolus deorſum ceciderat, libenter omnes deorſum trahit.* Socios in ſua miſeria procurat diabolus, alios ad ruinam conatur adducere, quia ipſe è cælo ceciderat.

Qui diabolo obedit, cadit.

Bonauent.

128. Caiet.

Quartò. Caietan. *Diaboli ſuaſio tendebat ad hoc, vt manifeſtaret Ieſus ſe eſſe Filium Dei hoc miraculo, mittendo ſe deorſum, vidente populo; quia ſacræ Scripturæ congruebat, vt hoc ſigno Meſſias ſe manifeſtaret, vt citatus Pſalmus teſtatur: ſuadebat hoc diabolus in ſpecie hominis deſiderantis, vt Ieſus manifeſtaret ſe eſſe Meſſiam.* In forma ficti zelatoris apparet, & nulla efficacior occaſio ad decipiendum: non per aërem volatum, ſed præcipitiũ ſuadebat diabolus, quia exiſtimabat ex Pſalmo ſtatim adducendo, hoc ſignum conuenire Meſſiæ.

Forma ficti zelatoris decipit.

Quintò. D. Petr. Chryſolog. ſerm. 12. *Mitte te deorſum; ſatis hominem probare vult, cui non aſcenſum prouidit, ſed ruinã; humana conditio ad aſcenſum difficilis, facilis inuenitur ad lapſum.* Explorare naturam deſiderat diabolus, & ideo non vt ad ſuperiorem locum, ſed ad inferiorem ſe conferat, excitat, promptè homo mouetur ad lapſum. Sextò. Idem ſerm. 13. *Conuenientiùs dixerit, Si Filius Dei es, aſcende ad cælum; cùm ſit hominis vtique ad ima cadere, Dei ſit ad ſuperna conſcendere. Sic ſuis ſuadet, ſic ſuis prouidet ſemper, ſic ſuos eleuat, vt de alto præcipitet validiùs in ruinam. Conſilijs ſuis ſe diabolus prodit.* Quilibet iuxta ſuam ingenitam naturam loquitur, & quantumuis ſe occultari velit, ipſa vox eum manifeſtat, diabolus in aliena figura apparebat, ſed lingua eum prodebat, quæ neſcit aliud dicere, niſi quæ ad ima, ac deſcenſum tendunt, & ideo eius membra Iudæi, Domino pendente in cruce, dicebant, vt notat Ioan. Caſſianus lib. 7. de Incarnat. cap. 13. *Si filius Dei es, deſcendat de cruce*, Matth. 27. num. 41. & ſi aliquando in altum eleuat, ad hoc inimici intentio tendit, vt grauiori lapſu ruant.

129. Chryſol.

Homo facilis ad lapſum.

Idem.

Quilibet iuxta ſuum ingenium loquitur.

Caſſian. Matth. 17.

Septimò. Aſtutiſſimus diabolus explorat hominis inclinationem, & tunc ſuo ingenio vnumquemque allicit; cognouerat aduerſarius Chriſtum valde difficilem ad aſcenſiones, ac ſublimitatas, valde facilem, ac propenſum in abiectiones, & humilitates, ideo non ad volatum, ſed ad lapſum, ac ad ima tentat. de hoc vide ſuprà *in hoc cap.* Octauò. Chriſtus velociſſimè, & breui mora, ac non per gradus, & ſcalam aſcenderat ad pinnaculum, ideo præcipitium ſuggerit diabolus; nam qui per ſaltum ad apicem ſublimitatis aſcendit, citò etiam per ſaltum deſcendet. Nonò. Intentio diaboli ea erat, vt Chriſtus rueret è pinnaculo, ac periret, & in fruſta cæderetur, vt notat Abulenſis *quæſt.* 38. Sed quomodo hæc poterat eſſe mens diaboli? ipſe bene nouerat Dei promiſſionem fruſtrari eſſe impoſſibile, hanc autem extare in Pſalmis ipſemet fatetur. *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Quod non ſolùm de Chriſto, ſed de quolibet iuſto eſſe dictum ſtatim dicam; ergo ſi Chriſtus ſe demitteret è pinnaculo, non periret, ſed Angelorum manibus aſportaretur; cur ergo ad mortem Chriſti aduerſarius præcipitium ſuadet? Sciebat bene, quòd ille, qui incipit ruere, numquam ſiſtit quo vſque ad totalem iacturam deueniat, cùm omnis magnitudo in lubrico ſit, ſi ſe aliquantulum inclinat, nullus eſt qui manum ſupponat, ſed omnimodè præceps proſternitur. Ita dixit ſapientiſſima Zare vxor Aman, cùm iam ab intima Regis familiaritate aliquantulum caderet. *Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius*, Eſther 6. num. 13. ſeu, vt ex Hebræo legit Caietanus, *Cadendo cades ante eum.* Ac ſi diceret, numquam in lapſu ſiſtes.

130. *Diabolus tẽtat quemlibet ſua inclinatione.*

Qui citò aſcendit, citò cadit.

Abulenſis.

Qui incipit cadere, non ſiſtit.

Eſther 6.

Caietan.

Cùm Siſara pugnaret contra Iſraëlitas, victus aufugit, & peruenit ad tentorium Iahel vxoris Haber, à qua potatus lacte, ſe inclinauit paululum ad dormiendum. *Tunc Iahel vxor Haber poſuit ſupra tempus capitis eius clauũ, percuſſumque malleo defixit* 131.

Iudic. 4.

defixit in cerebrum vſque ad terram, Iudic.4.n.21. Sed cur fortiſſima mulier, gladio vel pugione hoſtem non interficit, ſed transfixit in terram? Siſara cœperat iam de ſua opulentia, ac felicitate cadere, & non ſiſtit quoaduſque clauis ſit defixus

Iud.5.

in terram. Sic ait Debbora de Siſara, *Inter pedes eius rnit*, Iudic.5. num.27. Quod explicans Abu-

Abulenſ.

lenſis, *Factus miſer*, inquit, *& qui quondam in tanta rerum celſitudine præſidebat, nunc inſtantanea calamitate dextera fœminea occubuit*, & ita eſt in Hebræo, *Cecidit, iacuit inter pedes ſuos*. Tamquam ſi vnus caſus non ſufficeret, niſi plures multiplicarentur vſque ad totalem iacturam. Magnam ſtatuam vidit Nabuchodonoſor ex quatuor metallis confectam, quam percuſſit lapis, & ſtatim:

Dan.2.

Contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & redacta quaſi in fauillam æſtinæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nullúſque locus inuentus eſt eis, Dan.2. n.35. non ſat erat quòd ſtatua iſta eſſet comminuta, ac fracta in partes, ſed in puluerem conuerti-

Rupert.

tur? Statua iuxta Rupertum *lib. moral. in Daniel. cap.2.* ſignificabat principes, dynaſtas, ac aulicos; & vbi hi à faſtigio ſuæ magnitudinis deturbantur, non ceſſat perſecutio, quoad vſque in puluerem, & nhilum redigantur.

Qvæstio XXVIII.

Quare diabolus non intentauerit Chriſtum præcipitare, cùm hoc auſi fuerint Iudæi?

132\. Diabolvs hîc in pinnaculo non eſt auſus manum leuare in Chriſtum, ſed tantùm præcipitium ſuaſit, ac dixit:

Luc.4.

Mitte te deorſum. At de Nazaræis dicitur Luc.4. num.29. *Duxerunt illum*, ſcilicet Chriſtum, *vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Ecce iſti non verbis tantùm excitant ad præcipitium, ſed de facto inferre moliuntur. Reſpondeo primò ex

Hieron.

D. Hieronymo *hîc*, quòd diabolus, cùm ſit valde debilis, ſuadere poteſt, præcipitare non poteſt. Se-

Inimicus ſi perſpicax dignum veneratur.

cundò. Diabolus, & Nazaræus vterque crudeli odio Chriſti aduerſarius, ſed diabolus perſpicax intellectu, ſcientiam enim non perdidit, homo verò ignorantia obcæcatus; ideo ille adhuc Chriſtum timet, & nihil eum audet; iſte verò, vt ignorantiſſimus Chriſtum contemnit, & nihil contra eum detrectat adoriri.

133\.
Ambroſ.

Tertiò, & ad quæſtionem maximè D. Ambroſ. lib.4. in Lucam: *Eſt peior magiſtro diſcipulorum hæreditas; ille verbo Dominum tentat, hi facto; iſte dicit, mitte te deorſum, illi adoriuntur, vt mit-*

Diabolus multa refugit facere, quæ homo exequitur.
1.Reg.18.

tant. Quod diabolus per ſe refugit, per ſuos miniſtros exequi non timet. Inuaſit ſpiritus Dei malus Saul. *Dauid autem pſallebat manu ſua, tenebatque Saul lanceam, & miſit eam, putans quod configere poſſet Dauid cum pariete*, 2.Reg.18.n.10.

Abulenſ.

cap.19. num.9.20. & ſæpe. Communis eſt ſententia Abulenſis, & aliorum, quòd diabolus timens egregias Dauid virtutes, vehementiſſimè eum perſequebatur vſque ad internecionem, & ideo Saul non mittebat lanceam contra Dauid, niſi quando ipſe ſpiritus malignus eum arripiebat; ſed cur diabolus inimicus Dauidem per ſe ipſum non aggreditur, ſed tantum Saul manum excitat? Non audebat nefarius hoſtis manum contra ſanctiſſimum virum leuare, & ideo in lacertis Saul aptum inſtrumentum ad id, quod optabat, parat.

Matth.4 n.6. Scriptum eſt enim: Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, & manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Versiones.

Syriacus. Angelis ſuis præcipiet de te, vt manibus ſuis te ſubleuent.

Vatablus, Pagninus. Mandabit de te, & in manibus ferent te: ne quando impingas ad lapidem pedem tuum.

Tertull. lib. aduerſ. Praxeam, c.1. Mandauit ſuper te, vt manibus tuis tollant, nec vbi ad lapidem, *&c.*

Syriacus Interpres. In vlnis portabunt te.

Chaldaica. Fortitudine ſua portabunt te, ne fortè impingat ad cupiditatem prauam ſimilem lapidi, pes tuus.

Pſalter. Rom. apud Caſſ. Ne vmquam offendas.

Alter Textvs.

Lucæ 4.n.10. Scriptum eſt enim, quòd Angelis ſuis mandauit de te, vt conſeruent te: & quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Expositio.

Astvtvs diabolus, vt facilè ſuadeat ruinam, Scripturam adducit, ac ſi dicat: Ne timeas præcipitium, quoniam ſcriptum eſt, quòd Angelis ſuis Deus mandauit, de quorum numero ego vnus ſum, ſi te præcipitaueris, in manibus te tollent, *&c.* Expendamus breuiter verba: *Quoniam Angelis ſuis*; non quibuſcumque, ſed Angelis ſuis confidentibus, tantum negotium, ſcilicet curam de te, præcepit; 134.

Syriacus. Hieron. Vatabl. Pagnin.

mandauit. Syriacus, D. Hieronymus, Vatablus, Pagninus, *mandauit*, phraſis Scripturæ præteritum pro futuro, *mandauit*, vel quia tanta vigilantia eſt Deo ſuper iuſtos, quod idem eſt *mandabit* de futuro, ac ſi iam mandauerit de præterito. *In*

Quantam vigilantiam Deus habeat de iuſtis.

manibus, ea dilectione te diligunt, ac cuſtodiunt, vt in palmis manuum te geſtent, ac cuſtodiant; *ne offendas ad lapidem*, id eſt, vt in nullum periculum incurras. D. Auguſtinus, Angelom. Hugo intelligunt per *lapidem*, legem ſcriptam tabulis lapideis.

Auguſt. Angelom. Hugo.

Qvæstio XXIX.

Quare diabolus hîc adducat Scripturam, & an in vero ſenſu?

135\.
Cur diabolus hic allegat Scripturam?

Commvnis omnium Patrum ſententia eſt, quia Chriſtus Dominus in prima tentatione diabolum allegatione Scripturæ ſuperauit, ideo ille etiam teſtimonio Scripturæ vtitur ad eum vincendum. Vnde eleganter ait D. Chry-

Chryſoſt.

ſoſt. homil. 5. ex variis. *O nefanda artis aſtutia, qui viderat ſe a Domino, reſponſo legis, fuiſſe percuſſum, iam non tantùm nequitiæ ſuæ armis vtitur, in quibus inutilis repertus eſt, ſed & ipſe legis teſtimonium mutuatur, & inde tentat vincere, vnde dolet ſe fuiſſe iam victum.* Hæc eſt crudelis inimici

Diabolus remedium in damnum intendit vertere.
Abulenſis.

aſtutia, quia ſacro textu, ac ſanctis rebus ſe proſtratum agnoſcit, eiuſdem nos deiicere intendit, ac eadem remedia in noſtram ruinam vertere ſatagit. Abulenſ. poſt datam ſuperiorem rationem, aliam apponit *quæſt.39.* Permiſit, ait, hoc Deus ad inſtructionē noſtram, ſcilicet vt videamus, quòd, licèt ſacræ Scripturæ bonæ ſint, tamen in malum trahi poſſunt, cùm malus homo earum ſenſum ad ſuum protegendum errorem deducit; valde ſancta eſt Scriptura, & tamen in ore diaboli retorquetur in malum; ac proinde hîc Satanas Scripturam apponit, vt hæreticorum Pater, qui illa vtuntur, non vt inſtruant, ſed vt decipiant, ac ſuos errores ſeminent, vt aduertunt D. Ambroſ. D. Paſchaſius, S. Thomas, D. Bonauentura.

Ambroſ. Paſchaſ. S.Thom. Bonauent.

136\.
Non peccandum confidentia miſericordiæ.

Deinde diabolus adducit Scripturam, vt in grauiſſimum peccatum Chriſtum Dominum impelleret dum confidentia diuinæ benignitatis, ac protectionis, ſe in præcipitium, ac ruinam daret, confidens de auxilio Angelorum; & nulla maior eſt iniquitas, quàm vt diuina miſericordia nobis ſit argumentum in lapſum, & ruinam. Vnde docet D. Gregorius Magnus in priori comment.

Gregor.

in lib.1. Reg. cap.3. num.18. *Peccare, & de Dei creatoris elementia præſumere, pelago iuſtitiæ eius exponi eſt.*

137\.
An germano ſenſu alleget Scripturam?

Ratione doctrinæ horum Patrum inquirendum eſt, an diabolus hîc adducat locum præſentis *Pſalm.90.num.11. & 12.* in germano & vero ſenſu? Affimant Pſalmiſtam de Chriſto agere, ad literam D. Auguſtinus *in dicto Pſalm.* D. Irenæus *lib.5. cap.21.* D. Ambroſius *lib.4, in Lucam*, Caietanus, Salmeron, & alij *hîc*, quia quamuis Chriſtus Dominus cuſtodia Angelorum non egeret, eorum tamen miniſterio ſæpe vſus eſt.

Auguſt. Irenæus. Ambroſ. Caietan. Salmer.

138\.
Origen. Chryſoſt. Hieron. Beda. Anſelm. S.Thom. Paſchaſ. Ignat. Cyrill. Beaulxam. Barradas. Maldon. Lorin. Tolet.

Verior & communior ſententia eſt, in Pſalmo *hîc* non agi de Chriſto Domino; ſed de quolibet puro homine iuſto, ac ſancto. Ita Origen. *hom.31. in Lucam.* D. Chryſoſtomus *homil.13. in Matth.* S. Hieronymus *hîc*, & *in Pſalm.* Beda, D. Anſelm. S. Thomas, D. Paſchaſius *hîc in Matth.* S. Ignatius *Epiſt.8.* S. Cyrillus Alexandrin 4. *contra Iulianum*, Beaulxames, Barradas, Maldonatus *hîc*, cum Abulenſi *quæſt.40. in Matth.* quia Chriſtus Dominus non egebat auxilio Angelorum, vt non ad lapidem offenderet pedem ſuum, ac vt eum cuſtodirent ab incurſu, & dæmonio meridiano, de quo latè Lorin. *in d. Pſalm.* Toletus *in cap.4. Luc. annot.23.* tenet noſtram opinionem, ſcilicet ſenſum literalem non eſſe de Chriſto, tamen ait, quòd Diabolus hæc dixit, quia ſperabat Chriſtum reſponſurum id teſtimonium non eſſe de ſe pronunciatum, ex quo deprehenderet eum eſſe Filium Dei.

Qvæstio XXX.

Cur diabolus in præſenti Pſalmo tria ſubticuerit?

Diabolvs cùm loquitur cùm muliere, in referendis verbis ac Scripturis diuinis, vt notat *hîc* Paſchaſ. mentitur, ait enim, *cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi*, Geneſ.3.n.1. vnum lignum tantùm prohibitum erat, & non omnia. At hîc coram Chriſto Domino eius magnam ſanctitatem, ac ſcientiam timens falſum non audet proferre; ſed in tribus ſupprimit veritatem text. 139.

Geneſ.3.

Primò ait: *Angelis ſuis mandauit de te*; & quamuis ita ſcriptum ſit in Pſalmo, tamen in ipſo contextu apertè intelligitur, quòd ille, qui mandauit, ſit *Deus*, vt patet *ibi* ex *num.2. & 9.* at quando aliquis numerus, & locus per ſe præcisè allegatur, explicanda eſt perſona, ſaltem per parentheſim, vt ſolet fieri; & dicendum erat: Angelis ſuis Deus mandauit de te. Reſpondeo, quòd hoc nomen *Deus*, ita erat formidoloſum diabolo, vt ſuo impuro, & hoſtili ore vereretur illud pronuntiare, ac dicere; è contra verò Chriſtus Dominus in omni tentatione hoc ſanctiſſimo nomine *Deus* ſe protegit, vt ſingula eius reſponſa conſideranti patebit. 140.

Diabolus non audet nomen Dei pronuntiare.

Secundò. Diabolus dimiſit mediam partem præſentis verſiculi; nam in textu ita eſt, *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Rectè obſeruat D. Hieronymus *in comment. Pſalm.* & Bernard. *citandus*, quòd diabolus tacuit illa verba, *vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*; hæc verba erant contra ſe, & ideo ſolùm dixit quòd pro ſe, ac pro ſua intentione faciebat; & quamuis in textu Lucæ ſint illa verba, *conſeruent te*; tamen ſemper deſunt illa, *in omnibus vijs tuis.* Præcipitium autem non erat via Chriſti, ſed diaboli, vt rectè ait D. Bernardus ſerm.14. in Pſalm. 90. *Quid, maligne, Angelis mandauit Deus? Nempe, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis: numquid in præcipitijs? Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere ſe deorſum? Non eſt via hæc, ſed ruina; & ſi via eſt, tua eſt, non illius, id eſt, Chriſti.* Et ideo hæc ſubticuit diabolus, ſed ignoranter, cùm ad tentandum Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, adducat textum, quo conuincebatur. 141.

Hieron. Bernard.

Idem.

Diabolus adducit textū quo conuincitur.

Tertiò. Conticuit Diabolus ſequentia verba Pſalmi, *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Cur ſolum auxilium Angelorum commemorat, & glorioſum triumphum à peſtiferis inimicis reportandum non obiicit, cùm maximè poſſet mouere animum? D. Hilarius hîc, *Sciebat quidem*, ait, *miniſteria Angelorum prompta eſſe Dei Filio, de his autem, quæ de ſe dicta ſunt, tacuit.* Nefarius hoſtis quæ ad alium ſpectabant, ſciebat, quæ verò ad ſe pertinebant, tamquam ignorans, tacet, 142.

Hilar.

Quæ aliorum ſunt cognoſcimus, noſtra ignoramus.

Quartò. Diuus Nazianzenus *oratione de ſancto Baptiſmo*, hoc dubium attingens, ſic ait: *O ſapiens ad malefaciendum, quid tibi accidit, vt* 143.

Nazianz.

Chriſti victorias non poterat proferre ore diabolus.

Dauidis dictum integrum non produxeris, verùm quod ſequitur, ſuppreſſeris, ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabo, & conculcabo iuxta Chriſti mei promiſſum, poteſtatem accipiam calcandi omnem potentiam inimici? Vafer diabolus, quæ ad decipiendum poterant aliquali verborum inuolucro conuenire, dixit; quæ verò contra ſe erant, & vbi ipſum vincendum profitebatur, omnino ſubticuit. Victorias enim Chriſti in ore non poterat capere. D. Hieronymus hîc. *De Angelorum auxilio quaſi ad infirmum loquitur, de ſua conculcatione quaſi tergiuerſator tacet.*

Inimicus quæ deprimunt cognoſcit; quæ exaltant ignorat.

144. Quintò. Hoc eſt inimicorum ingenium, vt in aliis ſolùm quæ deprimunt, ac limitationem dicunt, agnoſcant; quæ verò excellentiam, ac maieſtatem innuunt, omnino ignorant; quòd Chriſtus Dominus Angelorum miniſterium requirat, valde perſpicacem in hoc ſe exhibet diabolus, & vt manifeſtum publicat; quòd verò ſuper baſiliſcum ambularet, & curioſam victoriam conſequeretur, hoc tamquam ignorans non poteſt ore proferre; hoſtis mendax veluti indigentiam Angelorum commemorat, triumphum, ac ſublimitatem tacet: cùm Moyſes, & Aaron ingrederentur ad Pharaonem, vt dimitteret populum ex Dei mandato, dixit ſacrilegus Rex. *Quare Moyſes, & Aaron ſolicitatis populum ab operibus ſuis? Ite ad onera veſtra*, Exod. 5. num. 4. Valde mirum eſt, vt notant Lyranus, Abulenſis, quòd viri tam venerabiles, & qui Dei poteſtatem præ ſe ferebant, tam contemptibiliter æſtimarentur à Rege, vt nihil in eis agnoſcat, niſi ad vilia opera deſtinare. Et augetur difficultas, quia, vt ait Carthuſianus, ex Ioſeph. lib. 2. antiquit. c. 13. *Moyſes commemorauit tunc Pharaoni quanta fecit Ægyptijs oppreſſis ab Æthiopibus, & pericula, ac labores, quos pro Ægyptijs tolerauit, & quæ vidit in monte Sinai, ei narrauit. Quem Rex deridens, ſeruum ſuum fugitiuum vocauit, dicens: Ite ad onera veſtra.* Pharao, vt Moyſis inimicus, nec eius ſanctitatem, nec ſupremam dignitatem legationis diuinæ, nec ſublimitatem cæleſtium viſionum valuit in eo conſiderare, ſed tantùm illius cognitio limitatur ad ſubiectionem, ad vilia opera, ac ad faciendos lateres. Nec enim hoſtile os magna, ſed parua capit. Cùm perditus ille filius rediret ad paternam domum, & pater magna indulgentia excepiſſet, ſtola, annulo, couiuio, ac ſymphonia, ſenior frater indignatus dixit patri, quòd nunquam ſimile ei feciſſet, & addit. *Sed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum*, Luc. 15. n. 3. Sed quomodo hîc in fratre ſuo, non videt conuerſionem, non humilitatem, *fac me ſicut vnũ de mercenarÿs*; ſed tantùm luxuriam, ac diſſipationem bonorum? Eum eleganter ſic pungit D. Chryſologus ſerm. 4. *Hîc*, ait, *rediÿſſe fratrem dolet: & qui redeuntem de ſuo decorare debuit, non debuit de perdito ſic fœdare.* Concitatus erat animus inuidia ac odio, & ideo non conſiderabat egregia facta, quæ extollebant, ac honorabant; ſed turpia, quæ deprimebant, ac inhoneſtabant, non attendebat ad ea, quæ amorem paternum reconciliabant, ſed ad illa, quæ iram poterant prouocare.

Exod. 5. — Lyran. Abulenſis. — Carthuſ. Ioſeph. — Luc. 15. — Chryſolog.

Matth. 4 n. 7. Ait illi Ieſus rurſus: Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.

VERSIONES.

Chaldaica, *Deuteron. 6.* Non tentabis Dominum Deum veſtrum.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 4. n. 12. Et reſpondens Ieſus ait illi: Dictum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.

EXPOSITIO.

145. MAGNAM diaboli petulantiam ſuperat Dominus, non violentia, ſed ſapientia, vt ait D. Thomas; non fortitudine, ſed patientia, ac manſuetudine, vt notat D. Chryſoſtomus homil. 13. *Chriſtus verba eius audiuit, nihil vtique indignatus, nihilque commotus: ſed cum multa modeſtia Scripturarum ei rurſus voce reſpondet.* Et non dixit, vt notat idem Chryſoſtomus *in Imperfecto hom. 5.* Non tentabis me Dominum Deum tuum, ne ſe manifeſtaret; ſed ita: Non tentabis Dominum Deum tuum, quòd poterat dicere omnis homo tentatus à diabolo. Locus eſt ex *Deuteronom. 6. num. 16.* & ille Deum tentat, qui ſine neceſſitate per miraculum conſequi affectat, quod communi via obtineri poteſt. Ita Diuus Chryſoſtomus *homil. 13.* D. Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum, cap. 30. hîc* D. Paſchaſius, D. Anſelmus, D. Thomas, Euthymius, Beda, & alij. Chriſtus autem Dominus naturali modo poterat deſcendere è pinnaculo templi, vt communiter Iudæi deſcendebant; & Chriſtus ita reſpondet, ac ſi diceret: Non poſſum me hinc deiicere deorſum, quia cuilibet homini præceptum eſt, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* His verbis non in prima, ſed in hac ſecunda tentatione Dominus Dæmon reiicit. Quia, vt ait Chryſoſtom. homil. 5. in Matth. *Nam verè filius Dei Angelorum manibus non portatur, ſed ipſe magis Angelos portat: nec enim creatura portat creatorem, ſed creator creaturam.* Præſules docet Chriſtus, nam illi, qui magiſtratum gerunt tanquam baiuli ſubditos debent transferre ſuper proprios humeros, & non velle, vt à ſubditis aſportentur, & ideo Dominus noluit audire, vt Angeli ſuis manibus eum ſubuehant.

D. Thom. — Chryſoſt. — Auguſt. Chryſoſt. Paſchaſ. Anſelm. D. Thom. Euthymius. Beda. — Chryſoſt. — *Prælatus ſit baiulus ſubditorum.*

QVÆSTIO XXXI.

Quare Chriſtus Dominus noluerit ſe è pinnaculo præcipitare?

146. GERMANAM rationem huius difficultatis nobis appoſuit Saluator, & ideo ad hunc locum reſeruaui hanc quæſtionem, in his, quæ diabolo reſpondit, *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum*; minimè enim erat neceſſariũ miraculum, vt ſine læſione deſcenderet, vt dixi in expoſitione; quòd tentare Deum dicitur, vt ibi dixi. S. Petrus Cluniac. *li. 2. Epiſt. 7.* hanc tradit rationem. *Noluit Dominus ſpontaneo præcipitio interire, qui tamen venerat pro mundi ſalute animã ponere. Vt doceret*

Cluniacenſis.

vtiliter quidem carnem eſſe mortificandam, ſed non more homicidarum crudeliter perimendam. Quæ ratio ſimpliciter non eſt vera, quia Chriſtus Dominus cùm habeat virtutem infinitam, & quanuis ſe deiiceret, non interiret; tamen benignè eſt explicanda, quòd hoc facto docuit nos Dominus, vt in mortificatione carnis, non exponamus nos periculo mortis. Alias rationes morales videamus, de quo vide ſuprà *quæſt. 27.*

147. Secundò. D. Chryſoſt. *Deus*, ait, *nihil agit inutile.* Cùm autem hæc præcipitatio non eſſet alicui fructuoſa, ideo Chriſtus illam reiecit. Tertiò. D. Petrus Chryſolog. ſerm. 13. *Se vtique Dominum, ſe Deum vtique intelligi voluit; qui non de pinna templi tantùm ſe dedit ad terram: ſed de cælis ſe ad inferos vtique iactauit, vt non cadentium forma, ſed eſſet reſurrectio mortuorum.* Filius Dei oſtentauit ſuam potentiam, dum de cælis ad terram deſcendit; recuſat ergo illam propalare in ſaltu de pinna templi, nam ſublimis potentia ad ſui manifeſtationem magna amplectitur, parua contemnit.

Chryſoſt. — Chryſol. — *Magna potẽtia oſtẽditur in difficili, non in paruo.*

148. Quartò. Lege naturæ præcipitium cautum eſt, niſi ex magna cauſa, & ideo Deus legem, quam condidit, non vult infringere, ſed exactè obſeruare, ait Paulus ad Galat. 4. n. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Sed cùm ipſe ſit ſupremus Dominus, ac legiſlator, quomodo ſub pręceptis legalibus factus, ſeu natus, vt alij vertũt, ad nos deſcẽdit? Quia legiſlator inde ſub lege factus, vt fructum legis daret. D. Ambroſius ibi. *Vt ex Virgine factus quaſi homo naſceretur, ſubÿciens ſe legi, vt formam daret, quomodo peccatores abluti, & à iugo legis erecti, dignatione Dei, filÿ ei adoptarentur.* Nec enim aliter ad nos deſcendit filius Dei, niſi ſuis legibus ſe ſe ſubmittẽs, vt ex hoc diſcãt principes ſe ſuis legibus obſtrictos agnoſcere. *l. digna. C. de legib. Digna vox maieſtatis regentis legibus alligatum ſe principem profiteri.* Quod habetur etiam in iure Canonico, *c. cùm omnibus, de conſtit.* ex Platone, *Patere legem quam ipſe tuleris.*

Galat. 4. — *Prælatus obſeruet ſuas leges.* — Ambroſ.

Matth. 4. n. 8. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.

VERSIONES.

Syriacus. Iterum tranſtulit eum accuſator in montem admodum ſublimem.

D. Chryſoſtom. homil. 5. in Imperfecto. Et ſic aſſumpſit eum ſuper montem excelſum valde, quem ipſe diabolus circumiens omnem terram excelſiorem cæteris cognoſcebat, & oſtendit ei omnia regna mundi, & honores eorum.

Vatablus. Rurſum aſſumit illum diabolus in montem perquam excelſum, & commonſtat ei

D. Petr. Chryſol. ſerm. 13. Et poſuit eum ſuper montem.

Theophylact. Et monſtrat ei.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 4. n. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit ei omnia regna orbis terræ in momento temporis.

EXPOSITIO.

149. MALITIA nullis euentibus frangitur, & quamuis diabolus eſſet victus in prima, ac ſecunda tentatione, adhuc ad tertiam procedit, & quia frequenter loci mutatione mutatur affectus, ideo de vno loco ad alium transfert Chriſtum ad ipſum prouocandum. *In montem excelſum*; mons enim eſt locus, aptus ad multa oſtendenda. *Omnia regna mundi.* Origenes *homil. 30. in Lucam*, aſſerit quòd diabolus monſtrauerit Chriſto ſuum regnum, nempe homines peccatores, in quibus ipſe regnat. At hæc expoſitio eſt valde violenta, & contra ſanctos Patres, Hilarium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Ambroſium, Paſchaſium, D. Thomam, S. Bonauenturam, D. Maximum *homil. 2.* nam per regna intelligunt regna materialia, & expreſsè dicitur, *regna mundi, regna orbis terræ, & gloriam eorum*, hoc eſt, honores, & dignitates, & ita legunt D. Chryſoſtomus, & D. Maximus *homil. 2.* *Honores.* Diabolus hîc in principatu mundi ſolùm oſtendit gloriam, ſplendorem, ac diuitias, celauit verò moleſtias, ac labores; contrà verò Chriſtus Dominus quos ad ſuas dignitates obeundas vocat apertè, eis proponit perſecutiones, ac cruces perferendas. Matth. 16. num. 24. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Luc. 14. n. 33. *Niſi quis renuntiauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Origenes. — Hilar. Chryſoſt. Hieron. Ambroſ. Paſchaſ. S. Thom. Bonauent. Maxim. — Matth. 16. — Luc. 14.

QVÆSTIO XXXII.

De loco, modo, ac tempore, quo regna mundi fuerunt Chriſto oſtenſa.

150. TRIA hîc inquiro. Et primò, quiſnam fuerit mons, in quem diabolus aſſumpſerit Chriſtum Dominum? D. Chryſoſtomus *in Imperfecto homil. 5.* exiſtimat fuiſſe montem, quem diabolus in vniuerſa terra cæteris excelſiorem cognoſcebat. Beaulxames affirmat eſſe eundem montem, ex quo Deus Moyſi Terram promiſſam oſtendit, *Deuter. 33.* Vtraque hæc ſententia in nullo firmo fundamento nititur; ideo probabilior eſt opinio in hac re D. Bonauent. *cap. 17. in meditationibus vitæ Chriſti*, Abulenſis *quæſt. 48.* ex Brocardo, Vincentij cum Aranda, *c. 27.* Alberto Magno *hîc*, & aliis, hunc montẽ eſſe in deſerto, quod *Quarentena* vocatur, in quo Chriſtus quadraginta diebus ieiunauit, & diſtat duobus milliaribus à Iericho, & in cacumine huius montis in

Chryſoſt. — Beaulxam. — Bonauent. Abulenſ. Brochard. Alb. Magn.

honorem Chriſti eſt ſacellum ædificatum,vbi dicitur in tertia tentatione diabolum ſuperaſſe. Ita Aranda,& alij.

151. Secundò. Inquiro quomodo diabolus regna terræ Chriſto Domino demonſtrauerit? Primò. D.Chryſoſtomus *homil.5. in Imperfecto*, Euthymius,dicunt oſtenſa fuiſſe Chriſto,indicando,ſeu digito ſignando in hac parte eſſe regnum Perſarum, in illa Romanorum; ſed hæc ſententia habet difficultatem, quia in text. Lucæ dicitur, *Oſtendit ei regna terræ in momento temporis*.Deinde, quia magis mouent viſa,quàm audita. Secundò. Boſtrenſis vult quòd diabolus omnia mundi regna oratione delineauerit; ſed hæc ſententia etiam ex proximo fundamento excluditur. Tertiò.Theophylactus,D.Thomas tenent,regna hæc videnda oculis corporeis Chriſti obieciſſe, ſed quo pacto hæc regna fuerint oſtenſa, eſt explicandum. Toletus *in cap.4. Luc. à num.16.* aſſerit, virtute dæmonis fuiſſe productas ſpecies rerum viuiſibilium ad loca vicina, & propinqua oculis Chriſti, & hoc pacto omnia regna ei monſtrauit, ſic enim virtute diuina productis ſpeciebus, omnis terra promiſſionis oſtenſa fuit Moyſi *Deuteronom.cap.33*.Hæc ſententia eſt probabilis; tamen probabilius mihi dicendum videtur, quòd diabolus ſicut frequenter efformat ſibi corpus phantaſticum ex aëre, ita circa montem phantaſticè ex corporis aëreo fabricauit regna terræ, quæ ſui ſpecies emiſerunt, & peruenerunt ad oculos Chriſti, qui optimè agnouerat illa obiecta eſſe phantaſtica; tamen ita regna terræ ei diabolus oſtendit, nec enim aliæ ſunt diuitiæ, ac honores mundi,niſi tantùm apparentes.

Chryſoſt. Euthym. Boſtrenſis. Theophyl. D.Thom. Tolet. *Quo pacto regna fuerint oſtenſa.*

152. Tertiò. Quæro, quo tempore hæc fuerunt oſtenſa; *In momento temporis*, ait Lucas, ſeu, vt explicat Haymon, *in ictu oculi*. Sed cur diabolus tam breuiter hæc oſtendit? Eſt enim gloria, ac honor mundi tam inſipidus, vt ſi diu retineatur in poſſeſſione noſtra, ſtatim abeat in faſtidium. Vnicuique hominum inſitus eſt naturalis amor ſuæ libertatis, & tamen poſtquam populus Iſraëliticus eductus eſt de captiuitate Ægyptiaca, & conſtitutus in felicitate ſuæ poteſtatis ipſam miſeram ſeruitutem peroptabat. *Melius eſt reuerti in Ægyptum*,dicebat ille *Num.14.n.3.& 4.*

Quo tempore. Haymon. *Bona mundi in faſtidium.*

153. In momento oſtenduntur propter breuitatem mundialium rerum,D.Ambroſius lib.4.in Lucam. *Non tam conſpectus celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas poteſtatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & ſæpe honor ſæculi abijt antequam venerit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum, cùm ipſa diuturna non ſint ſecula.* Similiter Beda, & D. Bonauentura loquens de poteſtatibus ſeculi. Regius Vates *Pſalm.77. n.33.* ait,*defecerunt in vanitate dies eorum*.Thalmudici legunt,*In oris flatu*.Iſai.40.n.15.*Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt. Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus.* Seu, vt transferunt Septuaginta, *quaſi ſaliua*, ſeu alij ex Hebræo,teſte D.Hieronymo, *Minutiſſima fruſta pulueris*; his comparantur regna mundi, quæ multis laboribus concutiuntur, vt inſulæ vndis: gentes verò ſunt quaſi ſtilla, & momentum ſtateræ, quod, vt ait D. Hieronymus, leuiſſima re ſtatim in partem alteram inclinatur, Iob.20.n.6. *Quæ eſt enim vita veſtra, vapor eſt ad modicum parens*.D. Gregor.lib.6. moral.c.5. *Ad nubila fumus attollitur, ſed repentè in nihilum diſſipatur.*

Ambroſ. *Breuitas tẽporalium.* Beda. Bonauent. Iſai.40. Septuag. Hieron. Iob.20. Gregor.

Confirmatur, quia diabolus in hac tentatione oſtendit Chriſto regna mundi,& gloriam eorum, vt tentatio citò euaneſceret, nulla enim magis deficit, quàm vbi gloria mundialis interuenit. D.Chryſoſtomus in Pſal.2. *Quando Chriſtus*,ait, *aſcendit in montem,vt tentaretur à Diabolo, tunc Archidæmon in puncto cuncta regna mundi coëgit, & gloriam eorum,& cum omnibus viſus eſt,vt cum omnibus euaneſceret.* Chryſoſt.

Qvæstio XXXIII.

Quare diabolus aſſumpſerit Chriſtum in montem ad eum tentandum? & de hoc varia dubia.

154. Nvllvs eſt mons tam ſublimis, ex quo omnia regna terræ poſſint conſpici;cur ergo ad hæc oſtendenda diabolus in monte conſtituit Chriſtum? Reſpondet D. Anſelmus. *Tentaturus de auaritia in montem ducit, quia ambitio ſemper alta petit.* Interlinealis, *Super mõtem ſuperbiæ omnis erigitur. Mons* ſignificat ſuperbiam, ac ambitionem. Hieremias 51.num.25. *Ecce ego ad te,mons peſtifer, qui corrumpis vniuerſam terram.* Interlinealis,*Mons peſtifer ſuperbiæ.* Vt ad auaritiam prouocaret, ad montem ſuperbiæ intendit diabolus conſcendere.

Anſelmus. Interlin. Hierem.51.

155. D.Hieron. hîc. *Gloria mundi, quæ cum mundo peritura eſt in monte,& in ſupercilio demonſtratur; Dominus autem ad humilia deſcendit, & campeſtria,vt diabolum humilitate ſuperet. Porrò diabolus ducere eum feſtinat ad montes, vt per quos ipſe corruerat,etiam cæteri corruant.* Diabolus,dum ad altitudinem montis feſtinat leuari, dixerat enim, *Sedebo in monte teſtamenti; ad infernum detraheris*, Iſ.14.n.15. in miſerrimum præcipitium lapſus eſt;ad Chriſtum prouocandum ad montem ducit: vbi enim ipſe ceciderat, facilè alios in ruinã dari ſperat;deinde expẽde etiam prima verba S.Patris. *Gloria mundi in ſupercilio demonſtratur, Dominus autem deſcendit ad campeſtria.* Malus ſpiritus ſemper alta petit, vt ruat;bonus verò ſemper plana & campeſtria,vt ſecurè,ac tutè viuat.

Hieron. Iſai 14. *Vbi quis eſt lapſus, ibi alios cadere ſperat.*

156. Dubitabis primò ingenioſè, cur diabolus,dum præcipitium ſuggerit, conſtituit Chriſtum ſuper pinnaculum,*mitte te deorſum*. Hîc verò in monte ad adorationem prouocat,*ſi cadens adoraueris me*, cùm aliter diſponendum fore videatur; in templo, vt adoraret; in monte, vt præcipitaretur? At hæc exprimunt, quòd aliquando multi in templo, ac Eccleſiaſticis dignitatibus, grauiori lapſu ruunt, quàm ſeculares in monte ſuperbiæ, ac vanitatum. Duas præclaras dignitates obtinuit Core; primam vt eſſet ex ſupremo Concilio totius populi,vt colligunt Abulenſis, Carthuſianus, Oleaſter ex text. Num 15.n.2. *Viri proceres Synagogæ, qui tempore concilij per nomina vocabantur.* Alteram, quia ſacerdotio fungebatur, cùm eſſet in tribu Leui, & valde conſanguinitate propinquus Moyſi, & Aaroni; & cùm ad hanc ſecundam electus eſt,vt volunt Rabbini apud Lyranum, & Abulenſem, ad radices montis Sinai, vbi officia diſtributa ſunt, ſeditionem, cuius ipſe extitit caput,cum Dathan, & Abiron,ac aliis contra Moyſem, ac Aaronem mouit, ambiebat enim Core ſummum Sacerdotium, in quo ita grauiter

Incidens dubium. Abulenſ. Carthuſ. Oleaſter. Num.15. Lyran. *Aliquando maior lapſus in dignitate Eccleſiaſticæ quàm ſeculari.*

grauiter deliquit, vt ſupplicio inſolito, & nunquam antea viſo,rigoroſè punitus ſit à Deo; *aperuit enim terra os ſuum, & viuos deuorauit eos*, Num.15. num.21. In primo ſenatorio honore per multum tempus perdurauit, at in Leuitico principatu miſerrimè deliquit; prima dignitas erat ſecularis,nam ex omnibus ad magnum Concilium conueniebant; ſecunda verò Eccleſiaſtica; Core adumbrabat deprauatos Sacerdotes, vt ait Origenes *in cap.9. ad Roman.* qui ſæpiùs grauiùs ruunt, ac maiorem iacturam faciunt in Eccleſiaſtico,ac ſacerdotali honore, quàm ſeculares in mundano, ac temporali decore:& ſemper peccatum ex dignitate Eccleſiaſtica grauius præcipitium ſecum affert. Vnde ait D.Bernardus lib.2.de conſiderat. ad Eugenium. *Fugienda eſt otioſitas mater nugarum,nouerca virtutum: inter ſeculares nugæ ſunt;in ore Sacerdotis blaſphemia.*

Num.15. Origenes. Bernard.

157. Dubitabis ſecundò. Cur diabolus oſtendit Chriſto Domino digito ac manu omnia regna mundi. Nam Satanas dubitabat, an Chriſtus eſſet filius Dei,& ſi filius Dei exiſtebat, omnia manifeſtè intuebatur,& nihil ei occultabatur. Deinde diabolus certiſſimè credebat Chriſtum eſſe virum ſapientiſſimum, ac eminentiſſimum in omni ſcientia: ad quid ei oſtendit regna mnndi? Reſpondeo primò. Quia viſa maximè mouent. Secundò. Noſter inimicus agnoſcebat, omnes Chriſti actiones eſſe in Deum intentas, ac defixas? omnibus ergo viribus affectauit, vt ſi fieri poſſet, rebus mundanis obiectis, mens Chriſti, ac eius ſenſus à Deo auerterentur, vt ad temporalia, ac caduca ſe ſe inclinarent, ac intenderent, nam, ſi hoc daretur, diabolus ſe victorem, ac triumphatorem promittebat. Duobus potentiſſimis Regibus, Dauide, ac Salomone maximè floruit reſpublica Iudaica. Dauid etſi aliquando in peccata prolapſus ſit, tamen citiſſimè cum magno gratiarum fructu ſe ſe erigebat; Salomon verò multis peccatis,idololatriis,ac vitiis miſerrimè iacebat,vnde tanta differentia?Dauid dicebat, *Inclinaui cor meũ ad faciendas iuſtificationes tuas*, Pſalm.118.n.112. *Vnam petij à Domino, hanc requiram,vt inhabitem in domo Domini*, Pſalm.26. n.4.Salomon verò, dum ei facultas datur ad petendum quod velit, ait, *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit*, 3.Reg.3. n.9. Cùm cor Dauid eſſet à terrenis expeditum, maximè ad Deum euolabat; cùm verò Salomonis mens eſſet temporalibus depreſſa, facilè in barathrum peccatorum præcipitabatur.Rupert lib.4.de Victor.Verb.c.24. *Salomon*, ait, *tanta ſibi gratia oblata poſſet æternitatem gloriæ cæleſtis vna petitione adipiſci,ſed temporali gloria delectatus leue, ſeu mediocre bonum petiuit. Dabis*,inquit,*ſeruo tuo cor docile*, &c. *ſed cur non dicit, ſicut pater eius Dauid, Vnam petij à Domino, hanc requiram,vt inhabitem in domo Domini? Videlicet,quia nõ erat cor eius pefectum coram Domino,ſicut cor Dauid.*

Quare diabolus oſtendit. Chriſto regna. *Si mẽs auertatur à Deo, ad terrena labitur.* Pſalm.118. Pſalm.26. 3.Reg.3. Rupert.

Matth.4 n.9. Et dixit ei? Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.

VERSIONES.

D.Gaudent.de villico iniquitatis ſerm.19.	Hæc omnia mea ſunt, tu itaque.
D.Chryſoſt. homil.13.	Si procidens adoraueris me.
Pagninus, Vatablus.	Si proſtratus adoraueris.
Euthymius.	Si proſtratus, vel prouolutus adoraueris.

Alter Textvs.

Lucæ 4. n. 6. Et ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa. Tu ergo, ſi adoraueris coram me, erunt tua omnia.

EXPOSITIO.

158. Ostensis regnis mundi,ac temporalibus honoribus, diabolus in ſpecie potentiſſimi viri, ac Regis apparens ait Chriſto; & accedit diabolus mendax, ſuperbus, ac doloſus. Mendax, dum promittit quæ dare non poteſt; vt expendunt D. Irenæus *lib.5. cap.24.* D. Maximus *hom.4.* D. Chryſolog. *ſermon.13.* Superbus cùm adorationem Deo debitam ſibi vult; doloſus dum eum decipere intentat; & ait, *hæc omnia tibi dabo.* Pollicetur, quæ non habet; & quòd omnia ſint ſub vno, vt ſtatim pullulent diuiſiones, ac contentiones. Imperfectus homil. 5. *Gaudium enim, & poteſtas diaboli eſt in ſuperbia, & inuidia, & vana gloria. Vbi hæc exercentur, vnum regnum ſtare non poteſt, ſed neceſſe eſt, vt diuidatur in plura.* Superbus dum Dei adorationem affectat. In ſua malitia adhuc perſiſtit diabolus, & ſicut à principio deſiderauit adorari, ita hîc modò. Vide quomodo ſibi contrarius ſit Satanas, adorationem, tamquam Deus, ſibi optat, & ſtatim ſe inferiorem agnoſcit, dum ait,*mihi tradita*; à quoniam tradita? Nempe à Deo, vt ſupremo domino; ac proinde diabolus in tantis mendaciis ſui obliuiſcitur; & non ait iuxta text. D. Luc. mea ſunt omnia, *ſed mihi tradita*; non poteſtatem, ſed vſum ſibi aſcribit, ne fortè à tanto Domino in manifeſto mendacio deprehendatur, ideo aliquali ornatu verborum veritatem inuoluit. D. Cyrillus Hieroſolymit. *Catecheſ.octaua*, ſic loquitur: *Fortè & coactus à præſenti poteſtate dixit verum:non enim dixit, Hæc omnia dabo tibi, quia mea ſunt,ſed quia mihi tradita;non enim dominum ſibi arripit,ſed vſum tantùm, & diſpoſitionem confitetur.* Ac proinde tantùm vſum pollicitabatur dare, & ait iuxta textum Luc. *cui volo do*, proprium enim diaboli eſt, non pro meritis, ſed pro voluntate dare. *Si cadens adoraueris me.* Ambitione ad grauiſſimum facinus, ac idololatriam allicit; & vt doloſus vult adorari de præſenti, & tamen pro mercede recipienda de futuro, *dabo*, & ad tantum flagitium, ac ſui adorationem ſolicitat, dum ſe multa habere ad largiendum confidit.

Irenæus. Maxim. Chryſol. Imperfect. *Diabolus ſibi contrarius.* Cyrill. *Diabolus non vult deprehendi mẽdax.*

Qvæstio XXXIV.

Quænam fuerit intentio diaboli in hac tentatione?

159. Qvæstio præſens eſt,an diabolus in hac tentatione intenderit Chriſti diuinitatem indagare, an eum ad peccatum allicere;pro ſecunda parte ſtat Abulenſis *quæſt.*44. & in eam magis inclinat Toletus *annot.*17.*in cap.*4. *Luc.*& aiunt quòd non ad explorandum veniebat diabolus,ſed tantùm vt Chriſtum ad peccandum induceret: quia, inquit Abulenſis: Si diabolus vellet cognoſcere de Chriſto, an eſſet Deus,hoc eſſet per aliquod miraculum,hoc enim ad diuinitatem cognoſcendum erat medium aptum.

Abulenſ. Toletus.

160. Secundò. Communis, ac vera ſententia eſt, quòd diabolus in omnibus tentationibus voluit inueſtigare, an Chriſtus eſſet Filius Dei. Ita docet Imperfect.*homil.*5.D.Hieronymus apertè *hîc*, D. Maximus *homil.* 4. Probatur hæc ſententia, quia diabolus in primis duabus tentationibus affectauit cognoſcere, an Chriſtus Dominus eſſet Filius Dei; hoc enim patet ex verbis diaboli;dixit enim, *ſi filius Dei es*; atqui à Chriſti reſponſione eſt ſuperatus, & in maiori ambiguitate conſtitutus; ergo in re tanti ponderis, diabolus non deſtitit ab incepto, ſed occultiori arte id quod optabat ſcire, intentat conſequi, dum turpiſſimum nefas idololatriæ obiicit, vt ita Chriſti diuinitatem agnoſcat; ſi enim ipſum adoraret non Deus, ſed homo erat, & ita ait D.Hieronymus: *In omnibus tentationibus hoc egit diabolus, vt intelligat ſi Filius Dei ſit. Sed Dominus ſic reſponſionem temperat, vt eum relinquat ambiguum.* Rem eleganter explicat Caietanus,qui ait: Non intelligo hanc tentationem tendere ad id, quod ſonat. Quoniam non eſt veriſimile, vt diabolus virum tantæ perfectionis,quantam viderat in Ieſu, quem numquam potuit trahere ad minimum peccatum veniale,duxerit tentandum ad tam magnum ſcelus adorandi Dæmonem; ſed intelligo, quòd occultiore arte tentationem hanc intulerit, ad explorandum ſi Filius Dei eſſet: conſiderans enim tentator priores conatus de ſuggeſtione, *ſi Filius Dei es*, fuiſſe vanos; cogitauit occultè idem explorare tentando de ſupremo crimine, vt ſcilicet ſe adoraret, vt vel ſic prouocaret Ieſum ad increpandum tentatorem, dicendo: Ego à te debeo adorari, & tu tam inſanus vt petas adorari à me, & ſic exploraſſet ipſum eſſe Filium Dei. Ita Caietanus. Nec fundamenta Abulenſis aliquid probant, quia non erat neceſſarium,vt omnis indagatio de Chriſti diuinitate fieret per miraculum.

Vera ſententia. Imperfect. Hieron. Maxim. Hieron. Caiet.

Qvæstio XXXV.

Quare diabolus in primis duabus tentationibus dixerit: Si Filius Dei es; *non verò in hac tertia?*

161. In prima & ſecunda tentatione dixit diabolus Chriſto, *Si Filius Dei es*,vt patet ex text. non verò in hac tertia. Reſpondet primò Abulenſis *quæſt.*37 quòd diabolus iſtud adiunxit in primis duabus tentationibus, quia expoſtulabat perpetrari miracula à Chriſto; cùm autem iam diabolus neſciret quæ miracula ab illo rationabiliter petenda eſſent vt fierent; talia enim miracula debebant importare aliquam neceſſitatem, vel ad bonum habendum, vel ad malum vitandum, quia aliàs Chriſtus illa non faceret,& ideo in primis duabus tentationibus petiuit miracula, in vna ad expellendam famem, in alia ad effugiendum miraculum, ratione pinnaculi templi. Cùm autem non eſſet iam occaſio rationabiliter taliter procurandi miraculum, ideo diabolus ceſſauit petere à Chriſto, an filius Dei eſſet; hæc Abulenſis, & loquitur in ſua ſententia, in qua exiſtimat nullam fieri hîc explorationem diuinitatis,de quo ſuperiori quæſt.

Abulenſ.

Reſpondeo primò, ad hanc difficultatem ex his,quæ dixi antecedenti *quæſt.*34. Diabolus hîc voluit occultiori arte Chriſti diuinitatem indagare, & ideo omiſit præfationem illam, *ſi Filius Dei es.* Secundò. Diabolus intentabat Chriſtum inducere in turpiſſimum ambitionis vitium, quo omnium rerum dominium ſibi appeteret, hac de cauſa nomen filij Dei occultauit, maximè enim diſtat à bonitate diuina omnia ſibi affectare, & nihil aliis relinquere. Tertiò. Mens diaboli erat Saluatorem grauiſſimo peccato, ac maxima idololatriæ nequitia illaqueare, nomen filij Dei ſuppreſſit, vt occultata ingenij, ac naturæ claritate, & ab intellectu ſemota, facilè in execrandum ſcelus, ac grauiſſimam ruinam præcipitaretur. Nil magis magnos cohibet, quàm dum ſui præclara nobilitas conſideratur; ſi enim hæc à memoria excidit, nil inhoneſtum adoriri verentur. 162.

Alienum à bonitate Dei omnia ſibi procurare.

Magnitudo conſiderata cohibet à peccato.

Sæpe Chriſtus Dominus dicitur in Apocalypſi filius hominis, & agnus, dum ſeniores dabant ei gloriam, & honorem, ac benedictionem,ac mittebant coronas ſuas, *Apoc.*4.*n.*10.*& cap.*3.*n.*12. At cùm Chriſtus exiit in bellum, ducatum præbens militibus cæleſtibus,ait Ioan.Apoc.19.n.13. *Et vocatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui ſunt in cælo,ſequebantur eum.* Cur hîc dicitur Verbum Dei, ſeu Filius Dei, cùm tam frequenter dicatur agnus? in noſtrum documentum,dum ad prælium tamquam omnium dux egreditur, altitudo naturæ indicitur,vt ita glorioſè aduerſarios deuincat. Andreas Cæſar.Epiſc. *Verbum ob id certè dicitur, quòd paternæ ſapientiæ, & virtutis internuncius,& quaſi interpres exiſtat,& exercitus, qui ſunt in cælo,ſequebantur illum.* Maximè expendendum eſt mandatum, quod Deus dedit parenti Eliæ, 3.Reg 15.n.19. *Vnges*,ait, *Azaël Regem ſuper Syriam,& Iehu filium Namſi Regem ſuper Iſrael, Eliſæum autem filius Saphat,qui eſt de Abelmeula vnges Prophetam pro te.* Dei iuſſu tres vngi mandatur,& tamen in vno,ſcilicet Azaël,nomen patris prætermittitur, in aliis verò duobus exprimitur, Azaël in Regem Syriæ,vbi idololatria videbat, imò in illius deſolationem, vt ait ibi Abulenſis,conſtituebatur, & hac de cauſa nomen patris ſiletur, cùm eſſet electus Rex ad prouinciam in omni errore detentam. At alij duo duces,& capita, ac parentes ad dilectum populum Iſraëliticum deſtinabantur, & ideo eorum progenitores commemorantur,vt dum vnus,ſcil.Iehu,parentis nobilitatem, alter, id eſt, Eliſæus,maioris virtutem reſpiciunt, præclariſſimè ſuo munere ſe exerceant; 163.

Apoc. 19. Andreas. 3.Reg 15. Abulenſis.

ceant; vnde ait Phil. lib. de Moyſ. *Quòd claritas generis filiorum excitamentum ad magna eſt.*

Philo.

Qvæstio XXXVI.

Quare cùm Chriſtus Dominus eſſet contemptor temporalium, tamen diabolus ipſum tentet ambitione ac auaritia?

164. Valde mirum eſt, quòd cùm in Chriſto Domino nulla auidentia mundialium rerum videretur, imò eas maximè contemnere, ac parui pendere eſſet manifeſtum,tamen earum affectu ad ſui adorationem eum diabolus pellicere intentat.Reſpondeo primò,quòd cùm hamus ambitionis ſit grauiſſimus, & multi, qui in aliis vitiis fortes ſe exhibent,appetitu dominandi,ac diuitiarum cadunt, ita ipſe exiſtimauit, quòd ſi Chriſtus eſſet purus homo, hîc laberetur.Secundò.Fuit conueniens, vt Chriſtus permitteret ſe tentari de ambitione, ac auaritia,vt ad hæc ſuperanda nobis formam,& exemplũ daret.

Hamus ambitionis vehementiſſimus.

165. Tertiò. D. Cyprianus *ſerm. de ieiunio*, ſic ait. *Continentem, & humilem oblata aggreditur poteſtate, & oſtenſa mundi huius ſublimitate, & gloria: & dominatione vniuerſorum, vſque animum dignum honore ſolicitat,& daturum ſe omnia pollicetur,ſi ei pro tanto munere gratias agat,& procidens adoret tanti culminis largitorem. Solent viris virtutum huiuſmodi præſtigia ſe offerre,cùm ab alijs digni honoribus iudicantur facilè acquieſcunt,& tam proprio,quàm alieno faſcinati iudicio à rectitudine corruunt.* Tentat diabolus Dominum,in quo nullum ambitionis erat veſtigium;nam viri præſtantiſſimi magnis meritis inſigniti,dum eis honores offeruntur,facilè proprio,& alieno iudicio acquieſcunt ad eas acceptandas,ita frequenter grauiter præcipitantur.

Cyprian. *Homo aliquando ſuis meritis corruit.*

166. Quartò. D. Hilarius can. 3.in Matth. *Sed iam tertio*,ait,*tota diabolicæ poteſtatis commouetur ambitio;igitur aduersùs Dominum tota iam ſeculi poteſtate pugnatur; & creatori ſuo poſſeſſio huius vniuerſitatis offertur, vt tenens ordinem fraudis antiquæ quem neque cibo pellexerat, nec loco mouerat, nunc ambitio corrumperet.* Quamuis diabolus fame,ac pinnaculo non potuerit Chriſtum ſuperare;tamen tertiò ipſum tentat, ac omni ſeculi poteſtate impugnat,dum ambitionis arma in ipſum commouet,& tũc etiam præſumit ipſum corrumpere,ac ad turpiſſimũ idololatriæ nefas adducere.

Hilar. *Diabolus ambitione omnia audet*

167. Quintò.Rabbanus in Catena D.Thom. *Oſtendit*, ait, *diabolus Domino omnia regna mundi, & gloriam eorum. Non quòd ipſe viſum eius amplificare potuit, aut aliquid ignotum demonſtrare; ſed vanitate pompæ mundanæ,quam ipſe diligebat,quaſi ſpecioſam, ac deſiderabilem verbis oſtendens, in amorem, Chriſto ſuggerens, venire volebat.* Contemptori mundanæ pompæ eam diabolus offert, quia ſicut ipſe eam ardentiſſimè appetebat, ita præſumpſit ad eius auidentiam Chriſtum inſtigare poſſe,& quamuis omnis gloria mundi ſit valde futilis, tamen nimius diaboli amor ſperauit ſua eloquentia eam exaggerare, ac perſuadere poſſe.

Rabban. *Ex ſuo animo quilibet de alijs iudicat.*

168. Sextò. Non promittit hæc diabolus Chriſto in ciuitate,ac hominum frequentia,ſed in monte,ſeorſum, ac in deſerto. Nam, vt de aliis hominibus de Chriſto iudicauit,qui in magno honore ſe exiſtimant, minimè volunt aliorum dona in publico, ac aperto loco recipere; frequenter verò in occulto, ac ſecreto. Saul cum ſeruo ſuo decernens accedere ad virum Dei Samuelem pro quærendis aſinis,dixit ad puerum ſuum 1.Reg.9. num.7. *Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei? Panis deficit in ſiſtertijs noſtris: ſporculam non habemus, vt demus homini Dei. Nec quidquam aliud.* Rurſum puer reſpondit Sauli, & ait. *Ecce inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti,demus homini Dei.* Sed quomodo intendant munuſcula Samueli deferre, qui adeò à muneribus erat alienus, vt coram vniuerſo populo diceret, *ſi de manu cuiuſque munus accepi, reſtituam illud hodie*, 1.Reg.12.n.3. fortè perſuaſerunt ſibi, quòd quamuis Samuel eſſet incorruptus, ita vt in publico omnia munera contemneret,quòd tamen in occulto aliquod beneuòlentiæ ſignum non reſpueret.

Vir magnus non accipit munera in publico, ſed ſecretè. 1.Reg.9. 1.Reg.12.

Qvæstio XXXVII.

Quare diabolus audeat promittere Chriſto ſupremo Domino omnia regna?

Valde mirum,quòd cùm diabolus dubitet,an Chriſtus ſit Deus,non tamen veretur ad ipſum accedere, & pollicere omnia regna mundi. Reſpondeo primò, ex his quæ dixi *q.*30.diabolus,occulta arte,voluit Chriſti diuinitatem indagare. Secundò. D. Gaudent. ſerm.19.de Villico: *Diabolus*, ait, *Chriſto rerum omnium conditori auſus eſt regna mundi promittere,ſua illa eſſe impudenter aſſerendo. O effrænis diaboli mendacis audacia? Deum ſentit,& tentat. Dominum nouit vniuerſæ creaturæ, cui ſua eſſe regna mundi mentitur, & ei, ſe largiturum poſſeſſionem creabilium pollicetur, per quem creata eſſe omnia non ignorat.* Cùm iam diabolus perfricatæ frontis eſſet,ac pudorem depoſuiſſet,in mendacio deprehendi non recuſat, ac regna mundi, quæ Chriſti erant, tamquam ſua ei offerre præſumit. 169.

Gaud. *Qui depoſuit verecũdiam, mendacium non recuſat.*

Tertiò. D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil.5. *Hæc omnia tibi dabo. Conſidera, quomodo omnis promiſſio eius irrationabilis ſit, & mendax. Certè vni dare non poterat omnia, niſi ab hominibus omnia tolleret.* Promittit omnia Chriſto dare, non tantùm vt det,ſed vt aliis auferat,ac proinde dum vni promiſſionis ſpem ingerit, aliis rapinas minatur. Quartò: S.Nilus lib. Aſceticus, prope finem, *Nil igitur*,ait,*ex hoſte cupiamus, ne cum ſpolijs eius animam quoque noſtram perdamus. Vocat enim,& inuitat omnes ad ea,ſi cui valeat perſuadere. Nam ſi Dominum ipſum hortatus eſt,hæc omnia tibi dabo,& his quæ in hac vita iudicantur præclara,nihil indigentem decipere conatus eſt; quanto magis homines infirmos, & pronos ad ea perfruenda.* Duo nobis tradit S.Pater,& primò,quòd Dominus permiſit tentari ab hoſte in noſtrum documentum, vt inimicorum dona fugiamus. Secundò, vt viuamus cauti, nam ſi diabolus Chriſtum Dominum non timet aggredi,quanto magis nos infirmos audebit appetere. 170.

Chryſoſt. *Diabolus dat vni, dum ab alijs aufert.* Nilus. *Inimici dona fugienda.*

Quintò.Diabolus vniuerſa regna pro homine perdendo promittit, ac dat; diſcat ergo homo à 171.

Quantum ſit pretium hominis.

dæmone ſui pretium, ne ſe minoris æſtimet, quàm æſtimatur ab illo, vt pro breuibus, ac fictitiis honoribus, ſe ipſum deperdat. Sextò. Alto etiam Dei iudicio, hæc tentatio euenit, vt diaboli munera agnoſcas. Chriſto omnium regna mundi promittit, hæc eſt auari mens, quòd tibi offert non ſua, ſed tua, & proprio labore vnicuique, quæ ſui iuris ſunt, vendere ſatagit. Imò. dum diabolus omnia pollicetur, nihil dare in animo habet, & ideo Aſſuerus Reginæ Eſther, quam intimè diligebat, non vniuerſum regnum, ſed dimidiam partem promittit, *Eſther 5. num.3.* ſimiliter Herodes Herodiadi, *Marc.6.num.23.*

Qui omnia promittit, nihil dare intentat. Ruina certa, dum omnia dantur.

172. Septimò. Diabolus Chriſto, ſub cuius poteſtate vniuerſa ſunt regna, pollicetur, hoc tantùm ille intendit, vt omnia vni deferantur, vt ita cuncta corruant. Non durauit regnum Achab, ſed breui tempore finitur: ait enim Ioannes Maxentius *in ſuo dialogo*, Iezabel, ipſo annulo Regis obſignauit, & ſcripſit Epiſtolas 3. *Reg.21.num.8.* Et dum vna ſola vniuerſa molitur, emolitur regnum. At verò ſi ipſum regimen imperij per multos diuiditur, firmiſſimum ſtat regnum. Dixit Moyſes ad Deum quòd ſolus non poterat ſuſtinere pondus vniuerſi populi; ait ad eum Deus. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, & auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis, vt ſuſtentent tecum onus populi*, Numer.11.n.16. Locum hunc explicat Lyranus, *Auferam de ſpiritu gratiæ tibi datæ.* Sed difficultas eſt, cùm Deus habeat in ſuo theſauro infinita auxilia, immenſam multitudinem gratiarum, quæ ſunt validiſſimæ ad totam mundi machinam regendam, cur vt illis ſenioribus communicentur, inſtar ſpiritus Moyſis illæ gratiæ ſint producendæ? Loquor iuxta probabilem ſententiam, in vno ſolo Moyſe non erant efficaces ad populi gubernaculum; at verò cùm inter alios diuiduntur, ac aliis hominibus communicantur, efficaciſſima ſunt, & ideo, cùm aliis dantur, optimè & facilè totum pondus populi adminiſtratur ab eis.

Maxentius.
Num.11.
Lyran.

Qvæstio XXXVIII.

Quare pro vna adoratione offerat diabolus omnia regna Chriſto?

173. Valde mirum quòd diabolus in prima tentatione nec vnum panem habuit, vt Chriſto Domino offerret, & modò ei promittit omnia regna mundi dare. Satanas ſuis conſiliis ſe prodit; nam in eo, qui heri nihil poſſedit, nec habuit, & modò omnia largitur, ac expendit, ars diaboli latet; ſed modò hîc inqurimus, quomodo pro vna adoratione omnia regna pollicetur?

Nihil habere, & multa largiri, ars diaboli eſt.

174. Ratio literalis patet ex *quæſt.34.* Sed alias morales inquiramus. Et primò Origenes homil.30. in Lucam, *Dicit ergo ad Dominum diabolus: Ideo veniſti, vt aduersùs me dimices, & tollas de imperio meo quos nunc ſubiectos habeo. Nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando moleſtiam. Vnum eſt, quod precor, procidens adora me, & accipe regnum tuum, quod teneo: ſed Dominus, ac Saluator vult regnare iuſtitiâ, vt nihil faciat indecorum, & non vult abſque labore ſubiectos diabolo coronari.* Agnouit diabolus à Chriſto ſuperandum eſſe ſine paſſionis pugna, regnum vult demittere, ac dare, vt Chriſtus, ſine venuſtàte ac decore meritorum, imperium obtineat.

Origen.

Dona ſine meritis inuenuſta.

175. Secundò. S Thom. *Diabolus ſemper in id, quòd in principio oppetit, perſeuerat.* Iſai. 14. *In cælum conſcēdam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & propterea inducit ad idololatriam homines volens vſurpare ſibi quod Dei eſt.* Diabolus à principio procurauit ſibi acquirere gloriam, ac honorem deitatis, & ideo intentat, vt adoratio Deo debita ei deferatur. Tertiò. D. Ambroſius *lib. 4. in Lucam*, hîc ait. *A Deo poteſtatum ordinatio eſt, à malo ambitio poteſtatis. Non eſt, inquit poteſtas, niſi à Deo, Quæ autem à Deo, ordinatæ ſunt; non datæ, ſed ordinatæ.* Dat Deus; dat Dæmon; aliter, & aliter; Deus dat ordinatè, & ex meritis, diabolus verò dat ſine ordine, ac meritis, vt cupiditatem, ac ambitionem inflammet. Pro vna adoratione omnes vult ſpoliare, & omnia vni dare.

S.Thom.
Iſai.14.
Diabolus perſiſtit in intento.
Ambroſ.
Diabolus dat ſine ordine.

176. Elegans dubium; cur diabolus ad Euam tentandam vnum tantùm pomum oſtendit, ad Chriſtum verò, omnia regna mundi in medium affert? Tentabatur Eua, vt ab omnibus tamquam Deus honoraretur, dixit ei, *Eritis ſicut Dij*, Geneſ.3. num.5. At verò Chriſtus prouocabatur, vt Dæmonium adoraret, *Si cadens adoraueris me.* Facili, ac contemptibili re decipitur homo, vbi primùm ei in mentem venit quòd ab aliis ſupremo honore colendus ſit; at quod ipſe homo ſe ſubmittat, ac alium adoret, multum per omnem modum requiritur. Et ideo Eua paruo pomo, Chriſtus verò omnibus regnis oſtenſis, ab aſtutiſſimo dæmone impetitur. Nabuchodonoſor vidit ſtatuā ex quatuór metallis compoſitam, in qua mundi regna præfigurabantur, quæ omnia vno lapide abſciſſo de monte ſine manibus contrita ſunt in fauillam æſtiuæ areæ, *Daniel.2.num.35.* Tamen ex his in tantam dementiam venit, vt ſtatuam ſuam erexerit, & ſe, tamquam Deum, ab omnibus adorari præceperit; vt verò de tanto flagitio pœnas exolueret, Dei conſilio, per ſeptem annos eiectus eſt ab hominibus, *Et fœnum vt bos comedit, donec ſcias quòd dominetur exelſus ſuper regnum hominum*, Daniel.4.n.22. Cur ergo Nabuchodonoſor leui re, ac vno ſomno ducitur, vt ſibi diuinus honor deferatur, cùm fragilitas ſtatuæ ſatis in ipſo euentu demonſtratur: at verò vt cognoſcat, quòd dominetur Altiſſimus, ſeptem anni in rigida pœnitentia exiguntur? Vt Rex vſurparet ſibi adorationem, vnum ſomnium ſufficit, vt verò fateretur principatum omnipotentis Dei, ſeptem tempora neceſſaria ſunt. Theodoretus. *Somnias te Deum eſſe, imò verò etiam ſuperiorem Deo, adimet tibi Deus etiam humanam cogitationem, efficietque vt ſimilis euadas beſtijs feris, vt experientiâ percipias, quid homo, quid Deus, quid humana felicitas.*

Pulchrum dubium.
Geneſ.3.
Facilè decipitur homo quod ſit adorandus.
Daniel.4.
Theodor.

Qvæstio XXXIX.

Quare diabolus non ſolùm petat adorationem, ſed etiam vt cadens ipſum adoret?

177. Vera ratio eſt, quia diabolus apperebat, vt ſumma veneratione proſequeretur, & ideo ſolicitat eum, vt cadens ac proſtratus ipſum adoret. Secundò reſpondet D. Irenæus lib.5.

lib.5. cap.22. *Ipſe*, ait, *diabolus confitetur, quoniam adorare eum, & voluntatem eius facere, cadere eſt à gloria Dei. Et quid tot ſuaue, aut bonum participare poteſt, qui cecidit? aut quid aliud ſperare poteſt, qui talis eſt, niſi mortem? Ei enim, qui cecidit, proxima mors eſt.* Viam, ac iter ad mundanas dignitates conſequendas ruinam, ac lapſum eſſe diabolus inuitus proprio ore prodit; nam eius dictis, ac ſuaſioni acquieſcere, cadere miſerrimè eſt. Tertiò. D. Maximus *homil.4. Verè procidit*, inquit, *& cadit, qui non largiente Deo, ſed ad nutum diaboli, acquirit ſæculi dignitates.* Decus, ac honor, qui nutu ac arte diaboli venit, tantum abeſt, vt extollat, ac ſubleuet, vt potiùs caſus, ac præcipitia adducat, & cauſet.

Irenæus.
Seruire diabolo cadere eſt.
Maxim.
Ex dignitate mala arte comparata caſus.

178. Tertiò. D. Ambroſius lib.4. in Lucam, *Ambitio, vt dominetur alijs, priùs ſeruit. Curuatur obſequio, vt honore donetur: & dum vult eſſe ſublimior, fit demiſſior.* Cùm diabolus Chriſtum de ambitione tentaret, ipſum ad ſubmiſſionem, ac ſui adorationem ſolicitare non veretur; nam honores ambiens nullas ignominias recuſat. Valde ſuperbiſſimus erat Saul, & inexecrabili odio perſequebatur Dauidem [illegible]men ipſum aliquando appellat filium, ſe iu[illegible]m, ac tandem Regem, 1.*Reg.24.num.17.&* 18. Sed vnde prouenit tanta humilitas iniquo, ac elato animo? Adiunxit enim Saul ſtatim num.22. *Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meũ de domo patris mei.* Cùm ergo Saul habuiſſet negotium cum Dauid, nullum ei deferre honorem, ac ſibi adſcribere humilitatem detrectat, de his negotiatoribus loquitur Petr. Damian. lib.2. Epiſtol.3. *Humiliantur*, ait, *vt poſtmodum impunè ſuperbiant: ſed pediſſequos exhibent, vt præcedant: laboribus atteruntur, vt gaudeant; affliguntur inopia, vt nuptialis edulij continua poſtmodum epulatione turgeſcant; & veluti propoſita venalitatis menſa, fœnerando ſeruitium, mercantur imperium.*

Ambroſ.
Ambitioſus ſe ſe ſubmittens.
Damian.

Matthæi 4. num.10. Tunc dicit eis Ieſus: Vade Satana, ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

VERSIONES.

Græcè. Statim, ſeu continuò dicit ei Ieſus.
Syriacus. Abi tibi inimice: ſcriptum eſt enim: Dominũ Deum tuum adorabis, illúmque ipſum ſolummodo coles.
Imperf. hom. 5. D. Max. homil. 2. Vade retro, Satana.
Teoph. Arias. Vade poſt me, Satana.
Tertull. aduerſ. Gnoſt. cap.15. Recede, Satana, ſcandalum mihi es: ſcriptum eſt.
Hebraicè, ac Græcè. Dominum Deum tuum timebis.
S. Iuſtinus in dialog. cum Tryphone. Eique vni ſeruies.
Mariana, & Sà. Soli illi ſeruies cultu latriæ.

ALTER TEXTVS.

Marc.4.n.3. Et reſpondens Ieſus, dixit illi: Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

EXPOSITIO.

179. Cvm diabolus ſui adorationem peteret, Chriſtus *tunc*, id eſt, vt habet text. Græcus *continuò*, ac ſine vlla dilatione, eum reiicit, quia res ad honorem Dei ſpectabat. *Vade Satana*, nomen eſt Hebraicum, & idem valet, ac aduerſarius, quia quæ ſunt Dei, vſurpare volebat: & Chriſtus Dominus in hac tertia tentatione acriùs contra diabolum inſurgit, quàm in cæteris, & hîc eum ſolùm proprio nomine appellat, quia hîc diabolus ſemetipſum prodit, dum ſe contra Deum opponit, eius adorationem appetens, ac ipſi Deo detrahere auſus eſt, eius ſummam venerationem negans: & ait, *Vade Satana*, vt explicat D. Hieronymus, in ignem æternum, Beda, Haymon: Vade in æternam damnationem, & abyſſum. Vnde D. Chryſoſtomus *homil.13.* D. Maximus *homil. 2.* putant huiuſmodi verba continere præceptum, quo Dominus diabolum à ſe repulit, ac fugauit. Tamen D. Remigius *hîc*, Abulenſis *quæſt.54.* exiſtimant, verba eſſe dicta per modum cuiuſdam interpretationis, reducendo ei in memoriam à quanta gloria cecidit, & in quantam miſeriam deuenit; quòd verò non fuerit præceptum, ſed increpatio, mihi eſt probabilius, aliàs diabolus nouiſſet Chriſtum eſſe Deum, quod diabolus expetebat, & Chriſtus occultabat. *Scriptum eſt*, mendax diaboli verbum Scripturæ teſtimonio repellit. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Locus eſt ex *Deuter.6.n.13. & cap.10.n.12.* Petierat diabolus ſibi adorationem, hanc vni ſoli Deo eſſe dandam ait Chriſtus: in Hebræo eſt *timebis*. Adoratio enim timorem ſecum affert. Cætera in quæſtionibus.

Satanas quid ſignificet.
Hieron.
Beda
Haymon.
Chryſoſt.
Maxim.
Remig.
Abulenſis.

Qvæstio XL.

Quare Chriſtus Dominus in hac tertia tentatione tam acriter diabolum repellat?

180. Cvm diabolus ſibi omnia regna eſſe tradita affirmaret, non de mendacio eum arguit Dominus, nec ei obiicit, falsò ab eo aſſeuerari ſua eſſe, quæ tam liberaliter promittebat; poterat videri conueniens, quòd Dominus ei diceret: Quid tibi, & iſtis, nõ tua, ſed mea ſunt; à me facta, & creata; tamen tantus Dominus dedignatur diſceptare, ac contendere cum diabolo, de gloria, & honore mundi, ac eius impudicis dictis reſpondere. Cur ergo, hac contentione omiſſa, tam ſeuerè in hac tertia tentatione eum à ſe abire iuſſerit?

Non eſt diſceptandum cum contemptibili.

181. Reſpondent primò, communiter expoſitores, quia

quia Dominus volebat vt diabolus diſcederet, & amplius eum non tentaret; de quo infrà, & ita ait D.Chryſoſt. in Imperfect. homil. 5, *Firem tentandi diabolo imponit, ne progrediatur vlterius*. Secundò. Idem S.Doctor, Theophylactus, Euthymius: *In prima & ſecunda tentatione Chriſtus paſſus fuit tentationis iniuriam: non eſt exaſperatus, nec in increpationem, vel abiectionem eius eſt excitatus, ſed ſuſtinuit, & mitis permanſit; nunc autem quando diabolus Dei ſibi præſumpſit honorem, ac adorationem, exaſperatus, ac iratus eſt, & à ſe repulit, dicens: Vade Satana; vt nos illius exemplo diſcamus noſtras quidem iniurias illatas ab impijs, ſiue in dicto, ſiue in facto magnanimiter ſuſtinere; Dei autem iniurias, & contemptum, nec vſque ad auditum ſufferre: quoniam in proprijs iniurijs eſſe quempiam patientem laudabile eſt: iniurias autem Dei diſſimulare nimis impium*; ita Chryſoſtomus, Dei iniuria nullo prætextu diſſimulanda eſt.

Chryſoſt. Idem. Theoph. Euthym.

Iniuriæ Dei non ſunt diſſimulandæ.

182. Tertiò. D. Maximus homil. 2. de ieiun. *Dum nefanda tentator loquitur, dumque inconceſſa præſumit, quaſi ab homine victus obmutuit, & quaſi à Deo iuſſus abſceſſit*. Expendamus mentem S.Patris. Chriſtus ductus eſt ab Spiritu ſancto, vt tentaretur à diabolo, quomodo inimicum à ſe recedere mandat; conceſſum eſt diabolo, vt Chriſtum tentaret, quod adimplebat tentando ſemel, vel iterum; at dum tertiò eum prouocat, facultatem ſibi datam tranſgreditur, ac exceſſit; huc reuoca dicta S.Patris, *dumque inconceſſa præſumit*, & dum vult pluſquam ſibi permiſſum eſt, vt eum adoret, ideo vt retrocedat, ac vt abeat, ei dicitur.

Maxim.

Nullus excedat ſuũ munus.

183. Tertiò. Caietanus, *Quia diabolus*, ait, *manifeſtauerat ſe eſſe principem mundi, ideo Ieſus non reſpondet illi, ſicut homini, vt priùs, ſed expellit.* Quando diabolus venit in habitu contemptibili, vt in prima tentatione, ei blandè loquitur Chriſtus; cùm verò hic in ipſa poteſtate, ac muneribus confiſus accedit, ei rigoroſè reſpondet Dominus, paupertatis ſe oſtendens amatorem, ac diuitiarum contemptorem. Quartò. Palatius: Nota diligẽter, ait, quòd ad duas priores tentationes, ſolo verbo Scripturæ reſpondit; at cùm de ambitione regni, ac diuitiarum tentamur, hîc non verba Scripturæ ſola ſufficiunt. Conandum eſt, vt diabolus abeat retro cum ſuis opibus, & regnis, ne his appetitus ineſcatur, Deum ſolum ante oculos habeamus, nihil diabolicum, nihil terrenum patiamur coram habere, ſed hæc retro ſint.

Caiet.

Vir magnanimus non capitur muneribus.

Palat.

Munera ſint retrò.

184. Quintò. Dum diabolus primò, & ſecundò Chriſtum prouocat, tentationes ſuggerit, *Dic vt lapides panes fiant*; & iterum, *Angelis ſuis mandauit de te*, quod iuxta multos Patres de Chriſto intelligitur; at in tertia tentatione non ſolùm acceſſit diabolus, vt tentator, ſed etiam vt mendax multa falsò promittens; & Chriſtus Dominus paſſus eſt, ac ſuſtinuit diabolum, vt tentatorem, at vt mendacem ſtatim à ſe reiecit, ac excluſit. Sextò. Chriſtus Dominus conſtitutus eſt à Deo Patre iudex viuorum, ac mortuorum, & ab ipſo diabolus iudicandus eſt in extremo die; dum ergo munera offert, ſine dilatione à ſe expellit; in exemplum noſtrum, quia, vt dicitur Eccleſiaſtici 20. num. 31. *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum*. Cùm Regina Iezael vxor Ieroboam Regis ad Prophetam Ahiam accederet, vt pro vita filij grauiter laborantis rogaret, parua munuſcula, decem panes, cruſtulam, & vas mellis detulit; cúmque Propheta ſonitum pedum eius audiſſet, ait, *Ingredere vxor Ieroboam*, & multa infelicia pronunciat; *Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam, in ipſo introitu pedum tuorum in vrbe morietur puer*, 3. Regum 14. n. 12. Sed cur Propheta nulla vrbanitate excipit Reginam, nec eius verba audit, vt notat Abulenſis *quæſt.* 12. nec munera accipit, vt notat D. Hieronymus *in cap.* 3. *Michæ*. ſed ſtatim eam abire mandauit: *Surge, vade in domum tuam*. Propheta, cùm ex Dei mandato eſſet illi durus nuntius, ac contra eam rigidam ſententiam pronuntiaturus eſſet, ideo nullum permiſit ſpatium oblationibus, ſed ſtatim eam à ſe expulit, ac nullam moram facere paſſus eſt. Poſtquam Naamam à lepra mundatus venit ad Eliſæum munera aſportans, ait: *Obſecro vt accipias à ſeruo tuo hanc benedictionem*, 4. Reg. 5. num. 15. quæ Eliſæus noluit accipere, imò eum abire præcipit; cur Propheta qui alios hoſpitalitate excipiebat, hunc non excipit? aſportabat munera, & non eſt paſſus apud ſe commorari, ita ait D. Gregorius Nazianzenus orat. 32. *Bonus ſeruus quidquid ſplendidum conſequitur, ſtatim proijcit, ac reijcit.*

Mendax reijciendus.

Iudex non capiatur muneribus.

Eccleſ 10.

3. Reg 14.

Abulenſ. Hieron.

4. Reg. 5.

Nazianz.

QVÆSTIO XLI.

An verba dicta B. Petro ſint duriora, quàm hæc Satanæ?

185. QVAMVIS multi Patres, D. Chryſoſtom. D. Maxim. D. Paſchaſ. verba hoc loco dicta diabolo legant: *Vade retrò, vade poſt me*; imò Tertullianus, *Scandalum es mihi*; tamen noſtra editio vulgata, ac correcta tantùm habet, *Vade, Satana*, & ita tantùm legendum eſt; & non, vade retrò, Satana, vt etiam notant *hîc* D. Hieronymus, Origenes *in Matth.* 16. Ac proinde diuerſa eſt hæc ſententia ab ea, qua Dominus loquitur Petro Matth. 16. n. 23. *Vade poſt me, Satana, ſcandalum es mihi*, quæ aliquantulum videtur durior, vt ſuo loco dicemus.

Chryſoſt. Maxim. Paſchaſ. Tertull.

Matt 16.

186. Reſpondent primò citati Patres, Origenes, Hieronymus, Paſchaſius, S. Thomas, quòd diuerſa ſit ſententia dicta Petro, & Satanæ; nam Petro volenti impedire paſſionem; dictum eſt, *Vade poſt me*, vt mea ſequaris exempla, qui modò contrarius es meæ voluntati: veſtigia autem Domini imitari præclarum eſt: Satanæ autem dictum eſt, vade tantùm, id eſt, abi in abyſſum, ac infernum, quo nihil durius. Secundò. Moraliter exponamus verba. Diabolo venerationem, ac adorationem ſoli æterno parenti debitam vſurpare affectanti tantùm ait Dominus, Vade, Satana; at Petro dum eius morti, ac redemptioni generi humani obſiſtit, rigidus reſpondit, non enim ſolùm dixit, *Vade, Satana*, ſed addidit, *ſcandalum es mihi*; valde moleſtum, ac durissimum erat Chriſto Domino, vt eius mors, ex qua tota vita, ac ſalus humani generis pendebat, aliqualiter, etiam verbis retardaretur, ac minimum impedimentum ei imponeretur.

Patres citati.

Impedimentũ redemptionis Chriſto duriſſimum.

187. Tertiò. Vt ex hoc planum fiat, quod maius bellum diabolus per manum hominis excitat in hominem, quàm dum ipſe per ſe ſolùm in apertam pugnam deſcendit, & ideo dum per ſe ipſum pugnat, ei dicitur, *Vade Satana*; dum verò per hominem, duriùs reſpondetur, *Vade poſt me, Satana, ſcandalum es mihi*. Cùm duo primi filij Adæ exirent in campum, Cain *conſurrexit aduersùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*, Geneſ. 4. num. 7. Sed diabolus, qui ab initio eſt homicida, ac, vt valde cupidus, maximè gaudet humano ſanguine; cur hoc primum homicidium manu propria non perpetrat, ſed ad hoc mentem hominis, ac fratris excitat, qui amore inſito, ac naturali, à tam turpiſſimo ſcelere auerti poterat? Aptius ſanè miniſterium ad necem hominis in homine ſibi præparauit aduerſarius, quàm ſi ipſe exiret in bellum. D. Hilarius in Pſalm. 139. ad illum locum: Eripe me ab homine malo. *Omnes*, inquit, *inſidias, quoſcumque nobis ſpirituales nequitiæ prætendunt, maximè per homines aptantur: & occaſiones vitijs noſtris alienæ naturæ peruerſitas ſubminiſtrat.*

Grauiſſimè diabolus nos per homines impugnat.

Geneſ. 4.

Hilar.

QVÆSTIO XLII.

Quare Dominus reſpondeat diabolo, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies?

188. COMMVNIS omnium ſenſus eſt, quia diabolus adorationem Deo debitam ſibi appetebat, hanc ſoli Domino Deo eſſe dandam Chriſtus reſpondit, & ait, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Adoratio externam venerationem dicit; ſeruitus verò totius legis obſeruationem, & complementum. Alias rationes ex ſanctis Patribus proferamus.

189. Primò. D. Hilarius can. 3. in Matth. *Temeritatis tantæ*, ait, *congruum exitum tulit, & criminum ſuorum in Satana nomen audiuit, & Dominum ſuum adorandum in homine cgnouit*. Satanas, ideſt, Dei aduerſarius, in pœnam tantæ audaciæ, qua Dei adorationem ſibi adſcribi procurauit, ei dicitur, vt Dominum Deum adoret, nullum enim rigidius ſupplicium, quàm dum ambitioſus ſe expoliatum videt, ac aliis, imò & aduerſariis, deferri id, quod ſibi appetebat, ac deſiderabat.

Idem.

Magna pœna ambitioſo alijs dari quod ſibi deſiderabat.

190. Secundò. D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Bene igitur*, inquit, *Chriſtus nouerat illum hoc ſuo deuotionis officio non impleturum, ſed ex debita reciprocationis ſententia loquitur, vt ex contrario, quam, ille moliebatur, oſtenderet ſcriptum, quid ipſe magis iure debeat, qui ab omni pietatis negotio, ſuo prauitatis vitio eſt efferatus. Non enim iniuſtũ eſt cuique imperare, quod illi iuſtum eſt exhibere*. Manifeſtum erat Chriſto Domino præceptum illud, *Dominum Deum tuum adorabis*, &c. non eſſe adimplendum à diabolo, illud tamen ei intimauit, ac propoſuit, nos docens quòd Prælatus ac ſuperior, debet præcipere, ac mandare, quantum in ſe eſt, id quod iuſtum, ac ſanctum apparet, licèt ſubditorum nequitia non exequatur, nec fiat.

Paſchaſ.

Prælatus præcipiat quod iuſtum.

191. Tertiò. Diabolus ſolùm petiuit ſibi adorationem, *ſi cadens adoraueris me*; de ſeruitute verò nullam mentionem fecit, nec eam leuiter inſinuauit. Cur ergo Dominus non ſolùm de adoratione loquitur, ſed etiam de ſeruitute reſpondit, *illi ſoli ſeruies?* Quo ergo motiuo ſeruitus ſubiit in mentem Domini? Cur ergo extra interrogata reſpondit? Promittebat ille imperia, ac regna mundi ſe daturum, & regnare ſplendida quædam ſeruitus eſt, vt dixit ille alius Imperator; qui officium publicum moderatur, non ſui dominus, ſed muneris ſeruus conſtituitur, & ita ait Seneca Philoſoph. lib. 1. de clementia cap. 19. *Rempublicam non eſſe principis, ſed principem Reipublicæ*. Cùm populus petiſſet inſtanter à Samuele Regem; ſanctus Propheta ex Dei mandato prædixit populo quæ facturus erat Rex. Et ait. *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis: facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum*, 1. Regum cap. 8. n. 11. Sed quomodo tantus Propheta, vt aduertat cor populi ne ſibi quærat Regem, proponit munera, & officia, quibus filios ſuos afficiet, hoc ſine dubio acueret appetitum parentum, cùm nihil magis deſiderent, quàm filios ſuos condecoratos videre? Nouerat bene ſanctus Samuel quòd publica adminiſtratio non eſt tantum honor, quàm onus, & quos afficit, libertate expoliat, & in ſeruitutem redigit. Hugo, *Tribunus*, inquit, *& Centurio ſunt nomina dignitatum: numerantur autem inter angarias, & exactiones, & ſeruitutes; quia dignitatis prælatio humili ſeruitio angaria eſt. Et etiam omnis prælatio terrena ſeruitus eſt in ſe; vnde & Papa vocat ſe ſeruum ſeruorum*. Vnde Dominus promittente diabolo regna mundi, ſeruitutem eis neceſſariò annexam nominauit.

Imperare quædam ſeruitus.

Seneca.

1. Reg. 8.

Hugo.

Matth. 4. *n.* 11. Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

VERSIONES.

Syriacus. Tunc omiſit eum accuſator: & ecce Angeli acceſſerunt, illique miniſtrauere.

Pagninus, Vatablus. Tunc omittit illum diabolus: & ecce Angeli accedebant.

ALTER TEXTVS.

Marc. 1. *n.* 13. Eratque cum beſtiis, & Angeli miniſtrabant illi.

Lucæ 4. *n.* 13. Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus.

EXPOSITIO.

192. ADVERSARIVS generis humani tribus nominibus in hoc Euangelio appellatur. Tentator ab officio tentandi, tentare enim, vt ait Imperfectus *homil.* 5. eſt cibus eius, honor, & gaudium eius. Dicitur Satanas, hoc eſt, aduerſarius. Tandem appellatur diabolus, nomen Græcum, ideſt, criminator. *Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo*, ſeu, vt habet Syriacus in text. Luc. *Quumque abſoluiſſet criminator has omnes tentationes, ſeceſſit ab eo*; & dicitur, *conſummata omni tentatione*; non quia omnem tentationem fuerit expertus Chriſtus, nullam enim habuit

Triplex diaboli nomen.

Syriacus.

habuit luxuriæ, vel iræ; ſed quia de illis, quæ conſiſtunt in exterioribus actionibus, hæc ſunt principalia capita, ita Chryſoſtomus *homil.* 13. *in Matth.* ſic loquitur.

Chryſoſt.

Quomodo Lucas ait, quia omnem tentationem conſummauerit? Mihi quidem videtur ipſa tentationum capita ille cuncta dixiſſe: vt ea quoque omnia pariter intelligas. Hæc enim ſunt, quæ in ſe mala innumera comprehendunt, ſeruire ventri, inani appetitu gloriæ quidpiam facere, ac furioſo pecuniarum amore ſuperari. Similiter Euthymius, Theophylactus, & in Lucam D. Ambroſius, ac D. Bonauentura. Et diabolus ſemper proponit tentationem iuxta temporis opportunitatem, ac occaſionem. D. Gregor. *lib.* 14. *moral. cap.* 7. ait diabolum intueri mores, & propenſiones vniuſcuiuſque, & ea proponere, ad quæ nouit hominem faciliùs inclinari.

Euthym. Theophyl. Ambroſ. Bonauent. Gregor.

193\. *Vſque ad tempus*, ait D. Lucas, vt explicant D. Chryſoſtomus *homil.* 13, Theophylactus, Gloſſa, ſcilicet paſſionis; non quia tunc veniet ad tentandum Chriſtum, ſed *vt pugnet per Iudæorum inſidias*, vt inquit D. Ambroſius *hîc*. Aliter Albertus Magnus enucleat locum, receſſit diabolus in infernum, poſtea in membra eius cum Antichriſto pugnaturus. Sed prima expoſitio eſt communis, & germana; loquitur enim Euangeliſta de perſona Chriſti. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Ecce effectus victoriæ; miniſtrabant enim Angeli, non ex indigentia, ſed ex reuerentia.

Chryſoſt. Theoph. Gloſſa. Ambroſ. Alb. Magn.

QVÆSTIO XLIII.

Quare diabolus modò, & non antea receſſerit?

194\. NON in prima, nec ſecunda tentatione diſceſſit diabolus, ſed in hac tertia; communis, & vera ſolutio patet ex ſuperiori expoſitione. nam verba Domini, *Vade Satana*, vel continent præceptum, vel increpationem, vt ibi dixi, & hac de cauſa diabolus diſceſſit. Alias rationes morales, inquiramus, & de hoc iam aliqua dixit *quæſt.* 22.

195\. Primò. D. Bonauent. ait. *Proponitur confutatio præſumptionis ex parte diaboli recedentis. Quantum ad hoc dicitur, ſecundùm illud* Iacob. 4. num. 7. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Si tentamenta diaboli conculcantur, ac eius impetus infringuntur, ſtatim ipſe victus, ac erubeſcens fugit, & recedit. Et ita ait Albertus Magnus, diabolus victus ab aliquo, vt dicunt Sancti, non audet vlteriùs tentare. Secundò. D. Ambroſius lib. 4. in Lucam, *Vides ergo*, inquit, *diabolum ipſum non eſſe in ſtudio pertinacem, cedere ſolere virtuti; & ſi inuidere non deſinat, tamen inſtare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari.* Recedit diabolus, quia toties ſe victum confundit; deinde, quia in prima, ac ſecunda tentatione cum modeſtia Chriſtus allocutus eſt: *Non in ſolo pane viuit homo; non tentabis Dominum Deum tuum.* At vbi Chriſtus Dominus acri voce ait, *Vade retro, Satana*, ſtatim abſcedit, ac diſparet; hæc eſt enim miſera peruerſitatis conditio, vt ſi quem mitem, ac lenem inuenit, eum verbis, ac operibus laceſſere, ac dilacerare non deſinit; ſi verò rigidum, ac aſperum, ſtatim fugit, ac ibi ſtare non audet; iſti naturam crocodili imitantur, de quo tradunt Plinius, & Seneca lib. 4. quæſt. natural. *Fugax animal audaci, audaciſſimum timido.*

Bonauent. Alb. Magn. Ambroſ. *Mitis in rigidum, rigidus in mitē.* Plin. Senec.

196\. Tertiò. D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 180. *Nam*, ait, *neque vetus ille rebellis, propterea quòd diuina oracula memoria tenebat, cùm Dominum tentaret, ob eorum cognitionem laudem merebatur: verùm contra abyciendus, ac deteſtandus erat, quòd cùm ſcientiâ præditus eſſet, actionem inficiaretur, ac reſpueret.* Loquitur S. Pater iuxta ordinem textus D. Lucæ. In quo ſecunda tentatio de pinnaculo ponitur vltimo, & tertio loco; quæ eſt etiam multorum Patrum ſententia, vt dixi ſuprà *quæſt.* 21. In illa tentatione diabolus ſe doctum, ac ſapientem oſtentauit, Scripturam allegans. *Angelis ſuis mandauit de te*, &c. Et ſtatim abiicitur, ac expellitur, & cur non antea? In hac enim impugnatione aduerſarius ſe ſcientia, ac litteris multum pollentem exhibuit; ſtatim ergo excluditur in noſtram eruditionem, nihil enim magis vitandum, quàm magiſter deprauatis moribus deditus, hîc enim poteſt facile totam rempublicam inficere, ac corrumpere. *Tulit Thare Abraham filium ſuum, & Lot filium Aaron filij ſui, & Sarai nurum ſuam, & eduxit eos de Vr Chaldæorum*, Geneſeos cap. 11. num. 31. imò Deus pro ſingulari beneficio, ait ipſi Abrahamo, *Ego eduxi te de Vr Chaldæorum*, Geneſeos cap. 15. num. 7. Quodnam beneficium, quod de illa terra fuerit deductus Abrahamus, & veniſſet in terram Chanaam, & Meſopotamiam, & Ægyptum; ſi in Caldæa vigebat idololatria, ac omnium vitiorum abominatio, hæc etiam alias partes repleuerant; cur ergo de terra illa exiit? In aliis regnis varij idolorum cultus, ac peccata graſſabantur. Chaldæa verò non ſolùm his detinebatur, ſed etiam viri famoſi, ac maximè literati huiuſmodi errorum Magiſtri ibi morabantur, & nullum maius beneficium, quàm à talibus diſcedere, ac fugere. D. Ambroſius *in Pſalm.* 1. ad illa verba, Beatus vir, qui non abiit, *Chaldæi*, ait S. Pater, *ſunt, qui ſiderum curſus vanæ ſtudio ſuperſtitionis explorant, & impiæ ſerunt Gentilitatis errores. Ab his fuge, ne te capiant, ne te graui laqueo captiuitatis innectant. Abraham Chaldæus fuit, ſed fugit à Chaldæis.*

Iſidor. *Magiſter vitioſus fugiēdus.* Geneſ. 11. Geneſ. 15. Ambr.

QVÆSTIO XLIV.

Quare poſt pugnam acceſſerint Angeli; & in quo miniſtrauerint?

197\. IN quo Angeli miniſtrabant? Dicendum eſt cum D. Chryſoſtomo *in Imperfecto* hom. 5. D. Thoma *hîc*, Abulenſi *quæſt.* 62. quòd Angeli ſemper erant Chriſti miniſtri, & præſentes ad ſeruiendum, licèt ad horam ſe elongauerint de eius voluntate, ad hoc vt diabolus locum tnetandi haberet, & ideo dicitur, *acceſſerunt*, & non deſcenderunt de cælo; imò, vt bene notat Barradas, Matthæus loquitur per tempus imperfectum, non ait miniſtrauerunt ei, ſed *miniſtrabant*, videlicet tunc & deinceps. Et hoc ſeruitium exhibebant ex reuerentia tam in effugatione dæmonum, quàm in aliis mirabilibus operibus, vt notant idem, & D. Thomas, ac Abulenſis; tamen

Chryſoſt. D. Thom. Abulenſ. Barradas.

hîc poſt hanc tertiam tentationem miniſtrauerunt cibum, & potum, qui mirabiliter à Chriſto productus eſt; D. verò Bonauentura *c.* 14. *de vita Chriſti*, cibum hunc è domo Virginis, imperio Chriſti, ab Angelis allatum eſſe credit; ſed primum probabilius; ſicut & has omnes tentationes eodem die contigiſſe, vt tenet Abulenſis *quæſt.* 58. & Chriſtum poſt tertiam, refectionem ſumpſiſſe.

Bonauent. Abulenſ.

198\. Quare ergo poſt pugnam acceſſerunt Angeli, & non in ipſo conflictu, ſicut factum fuit in cælo quando Lucifer intentauit gloriam Dei vſurpare? *Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone*, Apocalyp. 12. num. 7. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus in Imperfecto. *Præcipiente Domino receſſerunt Angeli ab eo, vt locus diabolo aduersùs Chriſtum daretur, ne fortè Angelos videns circa eum, non appropinquaret ad eum.* Si enim diabolus vidiſſet Chriſtum Dominum Angelis concomitatum, non auderet accedere, ſed fugeret; nam, vt ait D. Chryſoſtomus, *Quandiu circa nos eſt Angelus bonus, numquam nos in tentationem poteſt impellere Angelus malus.* Secundò. Vt glorioſior eſſet victoria, ne adiutus per Angelos vincere videretur, nam cùm noſtra humanitas ſit debilis, ne aliquis in huiuſmodi ſuſpicionem incideret, ideo pugnæ tempore receſſerunt Angeli. Tertiò. Vt moraliter denotetur, quòd ille, qui à ſe expellit, ac vincit dæmonem, Angelorum conſortium meretur. Quartò. Acceſſerunt ad gratulandum Chriſto de victoria contra Satanam. Rupertus lib. 3. de Glor. & honore filij hominis, *Remoto*, ait, *Diabolo à participatione, vel præſentia refectionis, acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.*

Apocal. 12. Chryſoſt. *Auxilium Angelorum nobis vtile.* Rupertus.

199\. Nota hîc, quòd quando Chriſtus Dominus tendit in deſertum, dicitur, *Ductus ab Spiritu ſancto*, pergebat enim Saluator ad pugnam: deinde huius rei alias dedi rationes ſuo loco; nunc verò poſt aſſequutam victoriam, *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei?* Vt ex hoc habeamus documentum, quòd in multo maiori æſtimatione eſt homo apud Deum, dum pugnat, ac meretur, quàm dum victor requieſcit, ac glorioſè triumphat. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ei: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, ibique offeres eum in holocauſtum*, Geneſ. 22. num. 1. poſtea verò vt ſacrificium impediretur, *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit*, ibidem num. 10. Ad pugnam vocat Dominus, ad victoriam, ac præmium Angelus aſtat. Similiter Iacob, cùm tendit in Meſopotamiam, vt per multos labores probetur, *Vidit in ſomnis ſcalam, Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ*, Geneſ. 28. num. 12. Cùm verò victor regreditur ad patris hæreditatem poſſidendam, *fuerunt ei obuiam Angeli Dei*, Geneſ. 32. num. 1. Cùm ad quietem accedit Iacob, Angelorum tantùm viſione fruitur, at dum ad ſudorem, ac luctamen, vt die, nocteque, æſtu, & frigore probetur, præſentia diuinæ maieſtatis cum Angelis recreatur. Theodoretus ibi. *Longè manifeſtiùs in calamitatibus cura Dei erga nos cognoſcitur, quàm in felicitate, in qua bona à Deo nobis conceſſa, non ita grato animo cognoſcuntur, idcirco Iacob peregrè proficiſcitur, vt ditior reuertatur, & quanta ſit Dei prouidentia, liquidò cognoſcat.*

Glorioſior pugna, quàm victoria. Geneſ. 22. Geneſ. 28. Geneſ. 32. Theod.

CAP. IV.

Primum Ioannis teſtimonium coram Legatis Iudæorum.

Ioannis 1. *n.* 19. Hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu qui es?

VERSIONES.

Syriacus. Hoc eſt teſtimonium ipſius Ioannis.

Vatablus. Teſtimoniū Ioannis quando miſerant Iudæi.

Haymon. Tranſmiſerunt ad eum Sacerdotes.

S. Proſper de Prædictionib. part. 3. promiſſio. 1. Ad eum miſerunt principes Sacerdotum, interrogantes, vtrùm ipſe eſſet Chriſtus.

EXPOSITIO.

CVM Ioannes prædicaret, ac baptizaret prope ripas Iordanis, cuius fama totum impleuerat orbem, dedit hoc teſtimonium de Chriſto; in quo ſex notanda veniunt ad ſolemnitatem teſtimonij. 1.

Sex notanda

Primò. Authoritas teſtificantis, *teſtimonium Ioannis*, cuius tanta erat opinio, vt inquiunt D. Auguſtinus, D. Gregorius, vt Deus credi potuiſſet. Secundò. *Quando miſerunt Iudæi.* Ecce opportunitas temporis in teſtificando. Nam optimus teſtis, vt notat Albertus Magnus, non debet ſe ſponte offerre, & ingerere, ſed cùm quæritur, & rogatur, tunc reſpondere, vt fecit Ioannes. Tertiò. *Miſerunt Iudæi.* Ecce dignitas mittentium. Primi Iudæorum, ac nobiliſſimi de tribu Iuda; imò, vt multi volunt, ex magno Concilio, quod *Sanhedrin* vocant. Quartò. Ab Hieroſolymis. Ecce eminentia loci, ciuitas regia totius regni Metropolis, de qua ait Iſaias 2. num. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Quintò. *Sacerdotes & Leuitas.* Ecce prudentia, & dignitas nuntiorum, & ita ait Carthuſianus. *Mittunt Sacerdotes, & Leuitas nuntios ſolemnes, ac eruditos, qui videbantur zelare pro lege, ac Dei honore.*

Auguſt. Gregor. *Opportunitas in teſtificando.* Alb. Magn. Iſai. 2. Carthuſ.

Sextò. *Vt interrogarent eum, Tu qui es?* Ecce intentio legationis, vt cognoſcant à Ioanne, quiſnam eſſet; qua verò verborum forma id percontati ſunt ab eo? Eſt dubitatio. Nam Ianſenius, Toletus, Caietanus, Barradas, exiſtimant quòd quæſierunt ab eo? Eſſet Chriſtus, & ideo ipſe reſpondit, *Non ſum Chriſtus*; & ſenſus Euangeliſtæ eſt, vt interrogarent eum, *Quis es tu?* id eſt, quiſnam es? D. Chryſoſt. verò, Theophyl. D. Thom. quòd quæſierunt ab eo, Quis es? non diſertis, & apertis, 2.

Qua forma verborum interrogarunt? Ianſenius. Tolet. Caiet. Barradas. Chryſoſt. D. Thom. Theoph.

ſed

ſed compoſitis, & modeſtis verbis. Ioannes autem reſpondet ad eorum intentionem, *Non ſum Chriſtus*; non enim tantum attendenda ſunt verba quantum eorum ſenſus; ita citatus Chryſoſtomus *homil.*15.

QVÆSTIO I.

Quo motiuo hæc legatio miſſa fuerit ad Ioannem?

3. Chryſoſt. Theoph. Maldonat.

TRIPLEX hîc eſt ſententia. Prima eſt Chryſoſtomi *homil.*11.*in Matth.* Theophylacti, & eam valde probabilem iudicat Maldonatus, quòd hæc legatio deſtinata eſt ad Ioannem, odio ipſius Ioannis, vt ſi fortè poſſent illum capere in ſermone, ſciebant enim non eſſe Chriſtum, cùm ex tribu Leuitica haberet ortum, & ita volebant habere occaſionem ad eum reprehendendum, ac accuſandum. Theophylactus hîc, *Neque*, ait, *Ioannem pro Chriſto haberi Iudæi mihi velle videntur; ſed ex liuore, & inuidia interrogare eum: Tu quis es*, &c. volunt vt Ioannes de ſe ipſo det teſtimonium, pro certo ſtatuentes hoc in magnum dedecus eius cedere, & ideo cùm titulum Crucis legunt, dicunt Pilato, *Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum*, Ioan.19. num.21. hoc reputantes in magnam iniuriam, quòd ipſe de ſeipſo teſtimonium daret.

Theophyl. Ioann.19.

4. Chryſoſt. Haymon. Bonauent. Euthym. Hugo.

Secunda ſententia eſt etiam ipſius Chryſoſtomi *homil.*15.*in Ioannem*, Haymon. D. Bonauenturæ, Euthymij, Hugonis *hîc*. Qui omnes aſſerunt Legatos eſſe miſſos ex amore Ioannis, ac odio Chriſti, quia, vt ait Chryſoſtomus, Ioannem potius, quàm Chriſtum Iudæi volebant habere magiſtrum; nam Ioannes erat clarus genere, filius Sacerdotis, vitæ aſperitate, & rerum humanarum contemptu inſignis. Chriſtus verò fabri filius, ex ignobili patria Nazareth; & non zona pellicea, nec nimia aſperitate cingebatur. Vnde concludit Chryſoſtomus, *Mittunt ad eum legationem, vt per adulationem ipſum alliciant, ad confitendum ſe eſſe Chriſtum.*

5. Origen. Cyrill. Auguſt. Gregor. D.Thom. Alb. Magn. Ianſen. Beaulxam. Luc.3.

Tertia ſententia, hanc nuntiationem eſſe legatam ad Ioannem animo cognoſcendæ veritatis, an re vera ipſe eſſet Meſſias? Ita Origenes *tom.*7.*in Ioan.* D.Cyrillus *lib.*1.*in Ioan.cap.*7. D.Auguſtinus *tractat.*4.*in Ioan.* D.Gregorius *homil.*7.*in Euangeliſt.* S. Thomas, Albertus Magnus, Ianſenius, Beaulxames. Tanta erat authoritas Ioannis, vt arbitrarentur Iudæi ipſum eſſe Meſſiam: ita ait D.Lucas cap.3.num.15. *Eximante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus.* Ideo capita reipublicæ, vt bono communi conſulerent, hac inquiſitione decreuerunt veritatem indagare ad populi ſeditiones vitandas, ac tumultus compeſcendos.

6. *Tertia ſententia eligitur.*

Ex his omnibus opinionibus, hæc tertia mihi videtur ſimpliciter vera, propter teſtimonium Diui Lucæ, ac authoritatem Patrum; & ſecunda mihi non placet, quia quando hæc interrogatio facta eſt, adhuc Chriſti Domini fama non claruerat; & ita Ioannes ait infrà. *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.* Et hoc patet ex ſerie, ac obſeruatione rerum, nec valet id, quod dicit Euthymius, quòd Pontifices audierant admiranda circa partum Virginis ſanctiſſimæ à paſtoribus, ac Magis; viderant pueri ſapientiam in templo; & ideo his ſtimulabantur in odium Chriſti. Hæc tamen ſunt valde friuola, nam hæc iam per multos annos erant tranſacta, & perſona Chriſti ignorabatur; quomodo ergo poterant moueri odio in eum?

Euthymius.

7. Prima etiam opinio non placet, nam cùm Ioannes eſſet tantæ authoritatis, vt dixi *cap.*1. non poterant Iudæi ſibi perſuadere ipſum leuiter dignitatem Meſſiæ eſſe vſurpaturum, ac proinde non liuore, & inuidia, ſed eius ſanctitate moti hæc dicebant; niſi moraliter velis dicere, quòd cùm eſſet manifeſtum, Ioannem non eſſe Meſſiam, vt ex omnibus ſignis clarè fit, de quo quæſtione ſequenti, & infrà, hanc dignitatem ei deferre, quæ eius captum tranſcendebat; odium ludibrium, & ſpurcitia erat in eum; tantum enim deridetur dignus, dum ei debitus honor denegatur, quantum indignus, dum ei confertur. Chriſtum Dominum *ſpreuit Herodes, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum*, Luc.23. n.11. ſeu, vt eſt in Græco, *veſte ſplendida*, veſtis enim illa alba erat valde honorifica, vnde & Romani dicebantur candidati. Sed dum Chriſtus contemnitur, nobilium amictu induitur, nefarius ille Herodes videbat Saluatorem manibus ligatis, collo fune aſtricto, & tamquam vaniloquum deſpiciebat, & quem indignum iudicabat, honoris amictu circundare ludibrium ei videbatur. Titus Boſtrenſis, *Eum*, ait, *quem de multis accuſauerunt, candida veſte ornatum ab Herodis tribunali diſcedere conſpicantur; quod Herodes hîc fecit, irriſionis tantùm cauſa fecerat.*

Dignitas ſine meritis ludibrium. Luc.23. Boſtrenſis.

QVÆSTIO II.

Quo fundamento Ioannes potuerit exiſtimari Meſſias à Iudæis?

8. MITTITVR hæc legatio, vt Pontifices cognoſcant, an Ioannes ſit Chriſtus; nam, vt clarè patet ex text. Luc.3.n.15. hæc ſententia maximè vagabatur in omnium ore. *Exiſtimante populo, & cogitantibus omnibus in corde ſuo de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus.* Quomodo populus potuit deuenire in hanc cogitationem, eſt valde difficile. Omnibus enim erat notum Meſſiam oriturum eſſe ex tribu Iuda, de Bethleem exiturum, & multa miracula operaturum; Ioannem verò omnes ſciebant ex tribu Leuitica ac patre Sacerdote eſſe genitum; in montanis Iudææ natum, & nulla eius miracula intuebantur.

Luc.3. *Difficultas.*

9. Reſpondet primò Salmeron *tom.*4.*p.*1.*tract.*15. quòd cùm Ioannes à pueritia in deſertum receſſiſſet, & vt nouus homo veniret, talique horrido habitu triginta cùm eſſet annorum, erat prorſus omnibus de facie ignotus, & ideo dubitant de eo, an eſſet Chriſtus, vel Elias, quia eius perſonam ignorabant, hæc opinio repugnat communi ſanctorum Patrum, ac Doctorum ſententiæ, qui aſſerunt Ioannem à populo eſſe agnitum filium Zachariæ. Chryſoſt. *hom.*15.*in Ioan.* D.Thomas, Beda, Bonauent. Hugo, Abulenſis *in c.*3.*Matth.q.*32. Et ideo quando Euangeliſta eius prædicationem ſcribit, eius patrem nominat. *Factum eſt verbũ Domini ſuper Ioannẽ filiũ Zachariæ in deſerto*, Luc.3. n.3. quia eius perſona communiter nota erat.

Salmeron. *Ioãnes agnoſcebatur à populo.* Chryſoſt. D.Thom. Beda Bonauent. Abulenſ. Luc.3.

10. Abulenſ. Toletus. Barradas.

Multa fuerunt, quæ populum in hanc falſam exiſtimationem deduxerunt, vt explicant Abulenſis *cit.quæſt.*32. Toletus *in c.*1. *Ioannis à n.*57. Barradas *hîc*. Primò rationes dubitandi aliqualiter poterant euadi, quòd Ioannes ita erat ex tribu Leuitica, vt etiam aliqua ex parte eſſet ex tribu Iuda, quia hæ duæ tribus valde miſcebantur; & Elizabeth erat de tribu Aaron, & cognata Beatiſſimæ Virginis, quæ orta fuit de tribu Iuda, & familia Dauid. Ortum verò in Bethleem interpretari poterat in finibus Bethleem; quantum verò ad miracula, poterant ſperare Ioannem illa operaturum.

11. *Quæ inducebant populum.*

Deinde multa alia erant, quæ eorum animos in hoc dubio agitabant; ſciebant enim ex Scriptura, illud eſſe tempus aduentus Meſſiæ, viderant natiuitatem multis miraculis illuſtrem, vitam ipſius admirabilem, nouum ritum baptizandi numquam antea viſum in orbe; eius modum viuendi ſeparatum ab omni hominum commercio; vnde ait Haymon. *Putabant eum eſſe Chriſtum, quia videbant eum frequentias hominum fugere, & ſolitudinem petere.* Multum enim conducit ad authoritatem ab aliorum conuerſatione eſſe ſeparatum, ſemper enim quæ à nobis deiuncta ſunt, maiora videntur. Cùm enim Chriſtus Dominus eſſet inter homines, eis contemptibilis videbatur; cùm autem Ioannes eſſet in deſerto, magna æſtimatione habebatur. De cœleſti manna ait Salomon Sap.16.n.20. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtiſti illis, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* At filij Iſraël, *Numer.*11. *num.*5. dicebant. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cœpe, & allia.* Sed quomodo eadem eſca cum omni ſapore, ac ſuauitate appretiatur à Salomone, à filiis verò Iſraël ita paruipenditur, vt potiùs pepones, porros, & allia appetant; cœleſtis ille panis filiis Iſraël in præſentia, ac manibus erat, & ideo iniucundus, ac moleſtus videbatur; at Salomoni, vt moraliter dicam, cùm ille cibus tunc non exiſteret, erat ei inde aliqualiter valde deſideratus, ac maximè gratus. Saluianus lib.1. de Prouident. *Quotidiano*, inquit, *cæli miniſterio cùm paſcerentur, antiquam ventris ingluuiem bonis præſentibus præferebant: turpiſſima, ſcilicet, ciborum carnalium recordatione mœſti, & fœtidiſſimo ceparum, atque alliorum amore ægreſcentes: non quòd potiora eſſent, quibus antea vſi fuerant; ſed quæ non erant deſiderabant. Nos magis laudamus illa, quæ tunc fuerunt, quàm iſta, quæ nunc ſunt.*

Haymon. *Vita ſeparata diuina.* Sapient.16. Num.11. *Abſentia magna, præſentia parua videntur.* Saluianus.

12. Moraliter etiam hîc demus aliud motiuum. Ioannes reputatur Chriſtus, & Meſſias, quia tantæ audaciæ, ac fortitudinis erat, vt principibus, ac magnatibus ſua peccata exprobraret, & in eo inconcuſſus animus appareret ad impudicum Regem in eius præſentia reprehendendum, ac ad eius iniqua facta obiurganda, quod indicium eſt potius diuinæ potentiæ, quàm humanæ fragilitatis. Cùm ad preces Saul Pythoniſſa ſuſcitaret animam Samuelis, ait, *Deos vidi aſcendentes de terra, vir ſenex aſcendit*, 1.Reg.28.n.13. iterum hic locus ſuprà datus veniat in examen, ſi homo ex puluere exurgebat, quomodo Deos apparere aſſeuerat? Hic erat Samuel, qui nefario Regi vera dicere non formidauit, ac eius iniquos auſus increpare nunquam dubitauit, & vir tantæ, ac talis magnitudinis, non inter homines, ſed diuos numeratur: de his loquitur Diuus Chryſoſtomus *homil.*4. de verbis Iſaiæ. *Vide*, ait, *linguam cælos attingentem, vide hominis corpus, & Angeli mentem, vide humi ingredientem, & in cælo verſantem.* Cùm Moyſes eſſet conſtitutus à Deo, vt iniquis Pharaonis machinationibus obſiſteret, ac eius obdurationem increparet, ei dicitur, *Conſtituo te Deum Pharaonis*, Exodi cap.7. num.1. ſi diuina poteſtate non emineret, eius animus deficeret.

Reges reprehendere diuinitatis index. 1.Reg.28. Chryſoſt. Exod.7.

13. Cùm Rex Balthaſſar opulento conuiuio eſſet valde temulentus, ait textus Daniel.5. num.5. *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ.* Ecce apparent manus, & digiti. Sed cuiuſnam hominis erat illa manus? nullius alius, niſi Chriſti Ieſu filij hominis, cuius digitus eſt Spiritus ſanctus. *Dexteræ Dei tu digitus.* Gloſſa moralis in citato Danielis loco. *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis. Hîc fertur diuina ſententia contra peccatores, vt firmius oſtendatur, in qua conſcriptione ſcribens eſt Deus Pater, manus filius, nam per filium omnia operatur, omnia per ipſum facta ſunt. Digiti Spiritus ſanctus; vnde dicitur*, Exod.8. *digitus Dei eſt hîc.* Ad declarandam, ac intimandam veritatem, ac durum verbum Regi, ipſe Propheta, tamquam homo, non ſufficit, ſed totæ tres diuinæ perſonæ conueniunt, Pater ſcribens, Filius manum apponens, Spiritus ſanctus digitos gubernans.

Daniel.5. Gloſſa. *Dei eſt dicere verum Regi.*

QVÆSTIO III.

Quomodo Iudæi volebant Ioannem virum ſanctiſſimum ſibi eſſe Regem?

14. VALDE mirum eſt, quòd Pontifices dediti omni vitio, & abominationi, optent ſibi conſtituere in Regem, Meſſiam, & caput, Ioannem, in quo omnis puritas, & ſanctitas vitæ cum maximo rigore eminebant. Reſpondeo primò. Quia Ioannes eorum conſanguineus, ideo illum ambire talem dignitatem affectant. Secundò. In Ioanne optima Præſulis indoles elucebat, nam quamuis ſibi eſſet valde aſper in cibo, potu, ac veſtitu, aliis verò erat valde ſuauis, & lenis, vt rigorem pœnitentiæ ſalutifero baptiſmatis balneo leniret, ac mitigaret, vt dixi hoc *lib. c.*1.*q.*6.

Ioannes ſibi aſper, aliis ſuauis.

15. Tertiò. Hæc fuit eorum mens, dum hanc dignitatem offerunt; voluerunt ſibi Ioannem deuincere, exiſtimantes, quòd ipſe, tamquam aſtrictus, ac obligatus, eorum turpibus factis non obſiſteret, nec verbis eorum iniquitates redargueret, beneficio ita conſtringitur os, vt ad loquendum non valeat aperiri. Cùm Dauid fugeret à facie Abſalon, obuiam ei venit Siba accuſans dominum ſuum Miphiboſeth, cui ait Dauid, *Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth*, 2.Reg.16. n.4. in quo iuxta communiorem ſententiã deliquit, nam contra inauditam partem diiudicauit; ita vt dicant Hebræi quòd propter hoc peccatum diuiſum eſt regnum à domo Dauidis, vt refert Caietanus. Poſt partam verò victoriam, occurrit Regi Miphiboſeth, & manifeſtis rationibus conuincit

Beneficium obturat os. 2.Reg.16. Caietan.

à ſeruo ſuo fuiſſe contemptum, & omnia eſſe falſa, quæ contra ſe detulerat, & quantum ad bonorum diuiſiones, ait. *Fac quod tibi eſt placitum: Tu autem poſuiſti me ſeruum tuum inter conuiuas menſæ tuæ: quid ergo habeo iuſtæ querelæ? Aut quid poſſum vltrà vociferari ad Regem?* 2.Reg.16.n.28. Contra iniuſtam ſententiam, ac falſam accuſationem apertus erat aditus ad querimonias, ad multa contra Regem dicenda, quomodo in his omnibus interclusum ſe fatetur? Vide quid dicit Miphiboſeth. *Tu Rex poſuiſti me ſeruum tuum inter conuiuas menſæ tuæ; quid ergo poſſum vociferari?* Expende illam conſequentiam, *quid ergo*; ac ſi diceret: Tu Rex magnum in me contuliſti beneficium, ac eximio honore ſublimaſti, inde mihi obturatum eſt os, & lingua, vt nihil contra te valeam mutire. Abulenſis quæſt.28. *Cùm tot bona mihi feceris, etiamſi abſtuleris poſſeſſionem, quam dediſti, non habeo iuſtam querelam contra te.* Similiter Carthuſianus. *Tanta beneficia mihi exhibuiſti ex vna parte, quod conqueri non poſſum, etiamſi auferas ex alia parte data.*

2.Reg.16. Abulenſis. Carthuſ.

QVÆSTIO IV.

Quomodo determinent Sacerdotes credere dictis Ioannis, cùm hoc teſtimonio Chriſti negent?

16. MITTITVR hæc legatio, vt Ioannis aſſertioni omnes aſſentiant; cùm tamen apertis Chriſti Domini verbis, ac præclaro eius teſtimonio omnes aduerſentur, imò Chriſtum Dominum accuſabant, quòd de ſe ipſo teſtificaretur. Reſpondet primò D. Thomas hîc. *Ex hoc quod miſerunt, vt Ioannes de ſe teſtimonium perhiberet, quaſi tantam fidem habentes dictis eius, vt crederent Ioanni de ſe ipſo etiam teſtimonium perhibenti; quod Chriſto non faciebant, imò dicebant ei* Ioannis 8. *Tu teſtimonium perhibes de te ipſo?* Vir magnæ opinionis, quamuis parua proferat, magna reputantur; è contra verò contemptibilis homo, eſto mirabilia dicat, infatuata iudicantur. cùm Ioannes magnam ſibi reconciliaret authoritatem in populo, omnes eius verbis acquieſcebant; cùm verò Chriſtus ſperneretur, eius ſalutifera verba pro nihilo habebantur.

S.Thom. Ioan 8. *Si acquiſiſti authoritatē, tuum nihil, magnum eſt.*

17. Secundò. Vt notant D. Chryſoſtom. *homil.15. in Ioan.* Hugo, Ioannes habebatur valde clarus genere, erat enim filius principis Sacerdotis. Chriſtus verò exiſtimabatur filius fabri, ex paupere parentela, de vili regione, ſcilicet Galilæa, & de viliſſimo caſtello Nazareth; ex his ergo non mirum, quòd dictis Ioannis, & non Chriſti conſentiant; nam principum, ac nobilium mendacia omnes tamquam veriſſima applaudunt, & eius vocem ad cælum extollunt; pauperum verò veriſſima pronuntiata omnes comprimunt, ac vilipendunt.

Chryſoſt. Hugo. *Mendacium nobilium veneratur, pauperum veritas contemnitur.*

18. Tertiò. Idem Chryſoſt. citat. hom.15. *Multa,* ait, *Ioannis generoſitatem oſtendebant. Siquidem veſte, menſa, domo, & ipſo victu contempto, eremum ab ineunte ætate incoluit; contrà Chriſti cōuerſatio omnibus communis; & veſtimenta nihil à vulgo differentia; & cum omnibus eandem habebat conſuetudinem. Infamium hominum conuiuijs aderat, vt eos ad meliorem frugem alliceret, quod Iudæi exprobrabant.* Cùm Ioannes eſſet remotus à ciuitatibus in eremo, multum de eius ſanctitate, ac doctrina concipiebatur; cùm autem Chriſtus inter hominum frequentiam viueret, parum eius diuiniſſima verba, ac facta æſtimabantur; quæ enim ſunt ſeparata, ſemper maiora videntur.

Chryſoſt. *Qui in ſolitudine viuūt maximè æſtimantur.*

19. Tertiò conſidera. Deprauati intellectus iudicium, ac iniquæ voluntatis affectus id, quod in amico approbat, reprobat in inimico, id quod in vno iudicat ſanctum, nefarium arbitratur in alio. Populus beneuolentiâ valde propenſus in Ioannem: in Chriſtum verò magno odio ferebatur; & ideo dictis Ioannis omnes conſentiunt, Chriſti verò verbis non ſolùm contradicunt, imò eis magnum videbatur crimen, quòd ipſe de ſe teſtimonium perhiberet. Duo ſummi Sacerdotes obtinuerunt regimen reipublicæ, Heli, & Samuel æquales dignitate, & poteſtate, impares verò meritis. Heli homo vecors, parum curans de bono communi, & ita eius tempore multa infortunia contigerunt, populus victus, & cæſus eſt, arca Dei capta, 1.*Reg*.3. filij eius valde iniqui retrahentes homines à ſacrificio Dei, & tamen quandiu ipſe vixit, numquam optarunt Iſraëlitæ ſibi Regem, nec de eius filiis querimonias excitarunt, quamuis aliàs Deus conqueſtus fuerit. Succeſſit Samuel, cuius adminiſtratio maximè floruit ſanctitate, rectitudine, & feliciſſimis triumphis; & tamen populus clamat, & ait, *Filij tui non ambulant in vijs tuis, conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes,* 1.Reg.8.n.5. Valde mirum, quòd calamitoſo, ac infauſto Heli regimine eſſent contenti, & auſpicatiſſimum Samuelis tempus ita eis diſpliceret. Heli erat valde ſtupidus, & de bonis moribus populi parum curabat; è contra verò Samuel ob ſuam eximiam ſanctitatem contemnebatur, & erat omnibus odibilis, vt docent D. Cyprianus *Epiſtol.*38. *ad Regatum Epiſcopum*, D.Chryſoſt. *homil.*1. *de latrone*, D.Gregorius *citato loco Reg.* ideò cum Heli clauum regni teneret, cuncti acquieſcebant, & ſe diſpares à cæteris nationibus non iudicabant; cùm verò in illius faſtigio Samuel emineret, omnes tumultuabant, filiorum crimina apparebant, & quòd Regem non haberent, vt cæteræ nationes, valde moleſtum erat,

Id quod amor approbat, odium reprobat. 1.Reg.8. Cyprian. Chryſoſt. Gregor.

20. Magnam gratiam inuenit Aman coram Aſſuero, & factus eſt ei intimus à ſecretis, impetrauit à Rege impium decretum de nece Iudæorum, & tunc ait Imperator *in Epiſtola ſua*, de ipſo loquens, *quem patris loco colimus*, Eſther.13.num.6. Poſtea verò detecta eius malitia, ita Regis in conclaui vidit eum lachrymis profuſis procumbentem ſuper Reginæ ſtratum, & ait. *Etiam Reginam vult opprimere, me præſente*, Eſther.7. num.7. Quo pacto quando Aman omni impietate & tyrannide deſæuiebat, à Rege tamquam pater venerabatur; cùm verò lachrymis, ac dolore compungitur, homicida reputatur; hos enim effectus parit amor, & odium, quando gratus impietates, obſequia reputantur; quando inuiſus dolores, & contritiones nimiæ licentiæ, ac inſolentiæ videntur. Hugo in his intelligit damnatorum deprecationes. *Deprecatio Aman oppreſſio eorum, quando in die iudicij iniquorum oratio irritatio eſt.* Oratio diſplicuit vt potiùs fuerit excitatio odij, quàm reconciliatio amoris.

Eſther 13. Eſther 7. Hugo.

QVÆSTIO V.

Quare potius hanc legationem mittant Iudæi, quàm Pilatus & Herodes?

21. REIPVBLICÆ adminiſtrationem tenebant Pilatus, & Herodes, vt patet ex *Luc.*3.*n.*1. & tamen hi non conueniunt ad hanc interrogationem faciendam Ioanni, ſed tantùm Legatos deſtinant Iudæi, ſeu principes Synagogæ. Reſpondeo primò, quòd Pilatus, & Herodes tantum abeſt, vt aduentum Meſſiæ optarent, quòd potiùs illi maximè aduerſabantur, & ideo dixerunt Pilato, Ioan.19.n.12. *Omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari,* E contra verò Iudæi magno deſiderio flagrabant erga aduentum Meſſiæ, & aliunde videbant illud eſſe tempus deſtinatum in Scriptura, nam ſceptrum ad alienigenas erat tranſlatum, & Danielis Hebdomadæ adimpletæ, & ideo Iudæi hanc legationem mittunt, omnes enim ad id, quòd optant, maximè ſoliciti ſunt, ad id verò, quod ſuo affectui repugnat, valde deſides.

Ioan.19. *Quilibet ad optata valde celer.*

22. Secundò. Hi Iudæi, vt vult Baronius, erant ex magno Concilio Sanedrin, vbi negotia religionis tractabantur; cùm autem aduentus Meſſiæ maximè ad fidem, ac religionem ſpectaret, ideo Pontifices, ac ſenes ex magno Concilio decernunt, vt hæc interrogatio fiat ad Ioannem. Pilatus, & Herodes præfecti Romanorum tantùm ſecularibus rebus intenti; magnum hinc documentum, vt vnuſquiſque ſtet in ſuo ordine, Eccleſiaſtici de diuinis rebus ſint ſoliciti, ac in his negotiis principes ſeculares non ſe intromittant, ſed ſuæ reipublicæ negotiis intendant; ſic enim dixit Azarias Sacerdos Regi Oziæ volenti ſacrificare. *Non eſt tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium,* 2. Paralip. 26. num. 27. vbi ait Theodoret. *Definita ſunt à Deo, quæ Regibus conueniunt, quæ Sacerdotibus congruunt, ſingulare munus habent Sacerdotes.*

Baron. *Rex non ſe intromittat in negotijs Eccleſiaſticis.* 2.Paral.26. Theod.

23. In teſtamento duodecim Patriarchar. *Bibliotehc.tom.*1. Iudas ait filiis ſuis. *Filij, diligite Leui, accurrentes tenete vnuſquiſque ſecundùm virtutem ſuam, poteſt enim comprehendi Sol, & Luna, & omnes ſimul accurrebamus, & Leui tenuit ſolem, & Iudas accingens tenuit lunam.* In leui ſacerdotalis dignitas, in Iuda regia maieſtas; & tamen illa prima dicitur Sol, hæc Luna, nam prima multo præſtantior eſt: in rem noſtram, cur huiuſmodi planetis ſignificantur ac comparantur? Hæc enim duo luminaria habent diſtinctos curſus, diſtinctaque tempora ſuæ præfecturæ, vnum enim præeſt diei, alterum nocti, & ſi ſe interponere intendunt, magna fit in natura perturbatio, & ſtatim contingit eclipſis, ita enim Sacerdos, & Rex circumſcriptas vendicant metas, extra quas, ſi vagari intendant, magna inde confuſio occaſionatur. Antequam Samuel vngeret in Regem Saulem, benignè eum conuiuio excipit. *Leuauit que cocus armum, & poſuit ante Saul.* 1. Reg.9. n.24. quæ pars, vt dixit Propheta, de induſtria ſeruata eſt tibi, in cuius rei cauſa maximè deſudant interpretes; ea mihi nunc eſt, quia victimæ pectuſculum ad Sacerdotem ſpectabat *Leuitic.*7. *n.* 31. & 32. ideo Spiritus ſanctus explicat quòd in vnctione Saul armus ei datus ſit, diſtincta eſt enim pars Sacerdotis, & Regis, ne inter ſe permiſceatur. D. Chryſoſt. hom.4. de verbis Iſaiæ. *Alij, ait, ſunt termini Regis, alij termini Sacerdotis: ille quidem ea, quæ in terris ſunt, ſortitus eſt adminiſtranda, cæterùm Sacerdotis ius è ſupernis deſcendit.*

Teſtamētum Patriarcharum. 1.Reg.9. Chryſoſt.

QVÆSTIO VI.

Quare in hac miſſione Sacerdotes, & Leuitæ deſtinentur Legati?

24. SACERDOTES, & Leuitæ, viri Eccleſiaſtici; quod inter eos ſit diſcrimen, valde notum. Sacerdotes tantùm erant ex familia Aaron; Leuitæ verò ex aliis familiis. Sacerdotes ſacrificia, ac principaliora negotia peragebant; Leuitæ verò inferioribus miniſteriis deſtinabantur, *Exod.*28. & 29. & in hac miſſione ſimul eunt Sacerdotes, & Leuitæ, quia ſemper inferiores ſequuntur, ac concomitantur principaliores. Quæſtio præſens eſt, cur in hac legatione huiuſmodi Eccleſiaſtici deſtinantur?

Diſcrimen inter Sacerdotes, & Leuitas.

25. Primò, & germanè reſpondent D. Chryſoſt. *homil.*15. Apollinarius *in Catena Græca*, Ammonius, Albertus Magnus, D. Thomas, Carthuſianus, de re principaliſſima religionis tractabatur, nempe de Meſſia, & ideo proportionati miniſtri eliguntur, Sacerdotes, & Leuitæ; quia diuina, & quæ religionis ſunt, ad Eccleſiaſticos pertinent. Secundò. Euthymius. *Mittuntur hi, vtpote præſtantiores, ac aſtutiores cunctis.* Res magni ponderis viro literato, ac prudenti committenda eſt, & cùm Sacerdotes, & Leuitæ multum ſtudium haberent ſacræ Scripturæ, ac literarum, hac de cauſa præ cæteris eliguntur. Tertiò Theophylactus. Iudæi ad Ioannem miſerant præſtantiores, quos habebant, Sacerdotes. *Vtpote ſapientiores perſuaderent Ioanni per adulationem, vt confitereeur ſe eſſe Chriſtum.* Si quis Eccleſiaſticus, & quanto magis ſapiens, ſi non probus, ad multa maiora mala aptus, & ſæpe ad grauiſſima peccata occaſiones miniſtrat.

Chryſoſt. Apollinar. Ammon. Alb. Magn. D.Thom. Euthymius. *Res graues viro literato committēda.* Theoph.

26. Quartò. D. Chryſoſt. citata hom.15. *Mittunt, ait, ad ipſum Ioannem, vt ipſum alliciant ad confitendum ſe eſſe Chriſtum. Quamobrem non abiectos, & infimæ ſortis homines mittunt, quemadmodum ad Chriſtum, cùm vellent eum capere in ſermone? Tunc enim ſeruos, & iterum Herodianos deſtinauerunt.* Matth.22.n.15. *Nunc autem Sacerdotes, & Leuitas, non quoſlibet Sacerdotes, ſed ab Hieroſolymis, hoc eſt, maioris authoritatis, & nominis.* Quando Phariſæi procurant Chriſtum capere in verbis ad eum accuſandum, ac arguendum, miniſtros viles, & abiectos, vt Herodianos, eligunt; cùm verò Ioannem optant in Regem, & in caput, præclariſſimos nuntios mittunt; nam ſicut ad vilipendium, ac vituperationem alicuius apti ſunt homines infimæ notæ; ita ad exaltationem, ac ſplendorem alicuius principes, & nobiles valde proportionati.

Chryſoſt. Matth 27. *Ignobiles apti ad vilipendium alicuius.*

27. Quintò. Origenes in homil. ad hunc locum. *Vt cognati exiſtentes de ſtirpe ſacerdotali, Sacerdotes, & Leuitas deſtinant ſciſcitaturos, quis eſſet Ioānes?* Interrogatio hæc, vt fiat à Ioanne, committitur filiis Leui, vtpote ex eadem tribu cum

Origenes.

Amor conſanguineorũ ſolicitus, vt ſui promoueantur ad honores. Hieron.

Ioanne progenitis, nam cùm exiſterent eius conſanguinei, eſſent in hac re optimi negotiatores; amor enim propinquorum valde ſolicitus, vt ſui ad honores, ac dignitates promoueantur. Quod maximè deplorat D. Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum. *Interdum Pontificum vitio accidit, qui non meliores, ſed argutiores in clericum eligunt: vel affinibus, & cognatis quaſi terrenæ militiæ officia largiuntur.*

28\. Origenes. *Affectus conſanguineus multum præpotens.*

Sextò. Ex eadem ſententia Origenis aliam rationem colligo. Sacerdotes, & Leuitæ ſunt legàti in hoc negotio, vt cùm ſint ex eadem familia cum Ioanne, ac ei maximè ſanguine coniuncti, facilè in hanc ſententiam impellerent Baptiſtam, vt fateretur de ſe, ſe eſſe Chriſtum, nam affectus conſanguineus valde præpotens, & in multa detrudit homines. Cùm orta eſſet grauis contentio inter domum Dauid, & Saul, & Ioab triumphans grauiſſimam ſtragem perpetraretur in aduerſarios, Abner ex alto cacumine montis clamauit, & ait, *Num vſque adinternecionem tuus mucro deſæuiet? Vſque quò non dicis populo, vt omittat perſequi fratres ſuos? Et ait Ioab: Viuit Dominus, ſi locutus fuiſſes manè, receſſiſſet populus perſequens fratrem ſuum. Inſonuit ergo Ioab buccina, & ſtetit omnis exercitus,* 2. Reg. 2. n. 26. nulla enim flamma adeò vorax, quàm furor bellicus, quomodo ad vnius vocem tota ſanguinea ita potuit compeſci, & reprimi; dixit enim Abner. *Vſquequo non dices populo, vt omittat perſequi fratres ſuos?* Vbi enim conſanguinitatis memoria interuenit, ſtatim omnes affectus quantumuis rapidiſſimi, ac obcæcati, conſtringuntur, ac ligantur, vt nihil amplius valeant edere. Procopius relatus in Gloſſa, *Cognationem reuocans in memoriam ei perſuaſit, quod voluit.*

2\. Reg. 2.

Procop.

QVÆSTIO VII.

Quare Legati non exquirant à Ioanne an ſit Chriſtus? Sed tantùm, Tu quis es?

29\. HÆc eſt miſſionis intentio, & legationis ſumma, *Tu quis es?* Et difficultas eſt; quare non expreſsè inquirunt à Ioanne an ſit Chriſtus? Nam ipſe Baptiſta in carcere detentus mittens ſuos diſcipulos ad Saluatorem, diſertis verbis hoc percontatus eſt ab eo. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matth. 11. num 3. Et manifeſta ſtat ſolutio in ſententia eorum, quos retuli in expoſitione *num.* 2. Legatos hac verbòrum forma interrogaſſe: Tu es Chriſtus; ſed quia contrarium probabilius iudicauimus; ideo alia ſolutio eſt inueſtiganda.

Matt 11.

30\. Theophyl.

Theophylactus exiſtimat, Legatos aſtutiâ quadam ſe ſe paulatim inſinuaſſe generalibus quibuſdam interrogationibus, quaſi ad diuerſa ſpectantibus, ne hac intentione veniſſe viderentur, vt cognoſcerent an ipſe eſſet Chriſtus. Secundò. Quia, vt dixi *quæſt.* 1. *num.* 5. ex multorum Patrum ſententia, Legati in hac interrogatione habuerunt animum cognoſcendi veritatem, ideo ne dignitate obiecta Ioannis animum allicere, ac perturbare viderentur, ideo ſimpliciter inquirunt ab eo, *Tu quis es?* vt ipſe de ſe reddat teſtimonium. hanc ſententiam præclarè explicat inſignis Oleaſter *in cap.* 12. *Geneſ.* ad illa verba. Laudauerunt eam apud Pharaonem, ait ipſe. *Cùm ſemel Legati Iudæorum ad Ioannem miſſi interrogarent eum, Tu quis es? Mirabar, cur non peterent, an ipſe eſſet Meſſias? Deprehendi eos hoc ideo feciſſe, ne Ioanni præberent occaſionem ambiendi nomen, ac munus Meſſiæ, ſi ipſe non eſſet, quo facto nos docent, non proponere proximis, quæ ipſi ambire, ac malè poſſint deſiderare.* Dignitatem ſupprimunt, ne illius dulcedine irritetur Ioannis animus. Tertiò. Nato præcurſore, mutuò inter ſe quærunt homines, *Quis puer iſte erit?* Luc. 1. num. 66. modò etiam eandem interrogationis formam proſequuntur, valde tenax propoſiti eſt homo, & quod ſemel concipit, ſemper in eo perſiſtit, & numquam ab illo deſiſtit.

Oleaſt.

Dulcedine dignitatis irritatur animus. Luc. 1.

Quartò. Dicam in ſententia illa aſſerente, quòd hæc interrogatio ſiniſtra mente fuerit facta. Non inquirunt à Ioanne expreſsè, an ſit Chriſtus, ſed, *Tu quis es?* Sciebant iſti optimè Baptiſtam minimè eſſe Meſſiam, quod erat euidens; ortus enim erat ex tribu Leui, ac in montanis Iudææ; & tamen petunt ab eo, vt de ſe proferat teſtimonium, ac dicat, quiſnam ſit, vt turpe facinus, quo affectabant Chriſtum verum Regem illa dignitate expoliare, non ipſis, ſed Baptiſtæ, adſcriberetur; ſiquidem omni tempore ſibi apertum aditum relinquebant, vt dicerent ſe à Ioanne, quid ſanctum, & iuſtum exquiſiſſe; quiſnam eſſet? Ille autem de ſe ipſo auſus eſt aſſerere ſe Meſſiam, & Regem promiſſum exiſtere, ac proinde pro qualibet occaſione totam malitiam in Ioannem volebant referre, quod ſæpe ſæpiùs contingit in hominibus, vt non recuſent illa crimina perpetrare, quorum ſe reos eſſe maximè pudet, ita vt tota culpa alios illaqueare intendat. 31.

Reus alium criminis obnoxium facit.

Cùm populus iter faceret per deſertum, per preces ſolicitauit Aaronem, vt illis conſtitueret Deum, inquiunt, *Fac nobis Deos, qui nos præcedant,* Exod. 32. num. 1. Fabricauit illis Aaron vitulum; in cuius vltionem viginti tria millia hominum occiſa ſunt; & tamen Pontifex, qui idolum conflauit, viuus euaſit; cùm tamen, iuxta optimam rationis diſpoſitionem, ille videbatur primus ſupplicio obnoxius, nam cùm eſſet caput, tanto facinori debebat obſiſtere, & tamen alij puniuntur, & ipſe immunis ſupereſt. *Dixerunt enim: Fac nobis Deos*, Hebraiſmus eſt, ponitur ſæpe plurale pro ſingulari, vt, *In principio creauit Deus*, Gen. 1. in radice Hebraica habetur, *creauit Dij*; meritò ergo ſupplicio afficiuntur. Optimè ait Nemeſius Epiſcopus Emiſſenus lib. de natura hominis. *Idolum affectant, Deum petunt, vt in nullo malitia innoteſcat.* Iſraëlitæ idolum optabant, & tamen non petunt hoc, vel illud, v. gr. Baalim, vel Aſtaroth, ſed tantùm Deum nominant, vt totum crimen in Aaronem coniiciant, & ſemper audenter valeant dicere ſe Deum poſtulaſſe; culpa verò Aaronis vitulus fabricatus eſt, diuina iuſtitia exigente, ipſi ſolummodo mulctantur, qui cùm tantum crimen velint perpetrare, alterum illi obnoxium volebant facere. Poſtquam Iudas commiſit ſuum grauiſſimum ſcelus, *Retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum; at illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris,* Matth 27. num. 4. Sed quo pacto pronuntiant, Quid ad nos? ac ſi dicant, hoc ad nos non pertinet, & tamen æquale eſt ſacrilegiú, ac ſimonia in vendente, ac emente; & æquale facinus

32\. Exod. 32. Geneſ. 1. Nemeſius. Matth. 27.

facinus perpetrauit Iudas, dum Saluatorem vendidit, ac Iudæi dum emerunt ad crucifigendum? S. Hilarius can. *Emiſſè ſe ſanguinem iuſti audiunt, & extra iudicij reatum futuros ſe eſſe credunt, cùm dicendo, Tu videris, facinus ſuum in vendente conſtituatur.* Cùm audiunt ſe ſanguinem iuſti pretio comparaſſe, & par eſſe ſuum crimen cum proditore; tamen dicunt, *Quid ad nos? Tu videris.* Vt quamuis eiuſdem criminis eſſent participes, tamen veluti innocentes volunt ſe oſtentare, & totam culpam in proditorem transfundere.

Hilar.

Ioan. 1. n. 20. Et confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.

VERSIONES.

Syriacus. Et confeſſus eſt. Non ſum ego Meſchich.

D. Proſper. de prædicationibus p. 3. promiſſ. 1. Et non negauit, dicens: Non ſum

EXPOSITIO.

33\. Rupert.

IOANNES tamquam Chriſti confeſſor, vt ait hîc Rupertus, ſpreto dignitatis Meſſiæ culmine, coram tot, ac tantis teſtibus, confeſſus eſt ſe non eſſe Chriſtum, id eſt, Meſſiam, & non negauit hanc ſententiam, ſed in ea aſſeueranter, ac conſtanter perſeuerauit affirmando ſe non eſſe Chriſtum, & ad eorum mentem reſpondit, vt iam notaui in ſuperiore expoſitione cum Alberto Magno, S. Thoma, & aliis, latiùs de his quæſt. ſequenti.

Alb. Magn. D. Thom.

QVÆSTIO VIII.

Quare Ioannes triplici verbo aſſeruit ſe non eſſe Chriſtum?

34\. TRIPLICI verbo Ioannes teſtatur ſe non eſſe Chriſtum. Primò, confeſſus eſt. Secundò, non negauit. Tertiò, confeſſus eſt. Quæ verba hîc ſunt explicanda, & examinanda. Reſpondent primò Recentiores, Toletus, Maldonatus, & alij, quòd ſit Hebræa phraſis. Quod enim dicitur per affirmationem, repetitur iterum per negationem, vt dixi lib. 1. cap. 1. verſ. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et 1. Ioan. cap. 1. num. 5. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Iob. 15. num. 18. *Sapientes confitentur, & non abſcondunt patres ſuos.* Ac proinde, vt ait Rupertus, Ioannes confeſſus eſt Chriſtum. *Et non negauit Chriſtum.* Secundò D. Gregorius hom. 7. in Euangelia. *Confeſſus eſt non eſſe Chriſtum; & non negauit ſe vocem eſſe clamantis.* Similiter Haymon. *Confeſſus eſt non eſſe Chriſtum, & non negauit ſe eſſe ſeruum Chriſti.*

Tolet. Maldon. Ioan. 1. 1. Ioan. 1. Iob 15. Gregor. Haymon.

35\. Tertiò. Ter in eodem ſenſu idem repetit, vt vehementi quadam aſſeueratione, & deſiderio perſuadendi dixiſſe videatur; vt dixi in expoſitione, ac proinde Ioannes non eſt contentus ſemel negare ſe eſſe Chriſtum, ſed idem aliis, atque aliis verbis dixit, vt omnem ſuſpicionem remoueret ſe eſſe Chriſtum, quæ repetitio fit ſæpe in Scriptura ad magnam declarationem alicuius rei. Pſalm. 88. num. 31. *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum,* &c. Vbi pœnæ, ac caſtigationes, quæ paucis verbis exprimi poterant, multis, & iteratis, vt vehementior eſſet ſignificatio, declarantur; idem habetur *Leuit. 26. num. 3. Deuter. 28. à num. 1.*

Repetuntur verba ad maiorem expreſſionem. Pſalm. 88.

Quartò. Ingeminat verba Ioannes, *Confeſſus eſt, & non negauit*; & quamuis vnum verbum ſufficeret, tamen dum hoc eſſet in laudem, ac exaltationem Dei, multiplicat voces, varios dicendi modos quærit, ſemel per affirmationem, & iterum per negationem, in glorificando Deo nullus habendus eſt modus, nec terminus. Tres pueri in Babylonica fornace. *Quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum,* Daniel. 3. n. 51. & iterum. *Benedictus es Domine Deus, & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus,* n. 52. per tot repetitiones Dei laudes intonant. Theodoretus ibi. *Amoris ardentiſſimi hæc verba ſunt, quo vulnerati nomina quærunt, quibus poſſint, quum celebrant, declarare dignitatem Dei.* 36.

Ad Dei laudem varia verba applicanda. Daniel. 3. Theod.

Quintò. Alicui valde nouus videbitur loquendi modus. *Confeſſus eſt, & non negauit*; ad quid tot iterata verba in eundem ſenſum? Non ſat erat ſemel dicere, *confeſſus eſt*; ad quid additur, *& non negauit?* Multi extant, qui id, quod ore proferunt, corde contradicunt: at Baptiſta talis, & tantus erat, vt quod lingua pronuntiabat, mente etiam annueret. Ait Dominus diſcipulis ſuis, *Sit ſermo veſter eſt, eſt; non, non,* Matth. 5. num. 37. Valde angit interpretes, ad quid Dominus ita voces ingeminat; bis enim ponitur affirmatio, & bis negatio. Vt bonus magiſter ſuos doceret, vt mens verbis adæquaretur, & quod ore ſonabat, ſiue affirmatio, ſiue negatio, mente retineretur. D. Paſchaſ. lib. 3. in Matt. *Verum, ait, quòd omnis ſermo fidelis, rectè pro iureiurando accipitur, & ideo in illo ſemper eſſe debet in affirmando, eſt, eſt: in negando, non, non; ſufficit enim dicere ore, eſt illud, quod in corde eſt; non eſt autem in ore illud, quod in corde non eſt. Quidquid verò extra hanc regulam ſecus eſt, certè ex mendacio eſt. Quapropter quod eſt in corde, ſit & in ore; quod verò non eſt in corde, nequaquam ſit, quia non debet eſſe in ore.* 37.

Matth. 5. *Verbum quod eſt in ore, ſit in corde.* Paſchaſ.

QVÆSTIO IX.

Quare Ioannes hos Legatos non reprehendat, ſicut alibi fecit?

CVM omnis Hieroſolyma exiret ad Ioannem; Phariſæos, ac turbas, qui ad illum veniebant confitentes peccata ſua, vt baptizarentur ab eo, grauiter reprehendit, *progenies viperarum*, appellauit Matth. 3. *num.* 7. Luc. 3. *num.* 7. de quo diſſerui hoc lib. *cap.* 1. *quæſt.* 30. & tamen hos Legatos, quæ eſt tota difficultas, benignè excipit, & nullum durum verbum in eos dicit; cùm tamen recta rationis diſcretio aliud videbatur exigere, nam illi veniebant confitentes, hi 38.

 ſimulatè,

Alb. Magn.

ſimulatè, vt tentarent? Reſpondet primò Albertus Magnus, iuxta id, quod dixi *quæſt.*1. non arguuntur hîc Sacerdotes, & Leuitæ, quia animo inquirendæ veritatis veniebant; è contra verò Phariſæi ad Baptiſma ſe conferebant, non animo ſincero, ſed ficto, & ſimulato, vt ex Imperfecto dixi hoc lib. *cap.* 1. *quæſt.* 30. ac proinde acriter Ioannes in eos inuehitur.

39. Chryſoſt.

Secundò. D. Chryſoſt. hom. 15. *Qui ex ciuitatibus ad Ioannem confluxerant, qui propria damnarant peccata, qui baptizati erant, poſt Baptiſma mittunt, qui Ioannem interrogent, Tu quis es? Certè genimina viperarum, & ſerpentes, vel ſi quid his grauius generatio mala, & adultera, & peruerſa, poſt Baptiſma Baptiſtam interrogas, & percontaris? Quid hac ſtultitia ſtultius? Quomodo eum conueniſtis? Quomodo peccata veſtra confeſſi eſtis? Hæc omnia à vobis temerè, & ſine ratione facta; cùm neque principium, neque fundamentum intelligatis. Verùm nihil horum protulit, neque obiecit Ioannes, neque quicquam exprobrauit, ſed omni cum manſuetudine reſpondit.* Vipera, vt dixi citato loco, ſine rationis libra, ſed temeritas, ac appetitus impulſu operatur. Cùm ergo Iudæi confitentes peccata ad Baptiſmum tendunt nulla conſideratione, nullo examine. *Hæc omnia à vobis temere, & ſine vlla conſideratione facta ſunt.* Tunc duriſſimè eos percutit, ac vehementibus verbis inſequitur. At verò cùm in hac legatione accederent, vt rem prudenter, ac attentè examinent, veritatem à primis fundamentis rimentur, & cuncta diſcutiant, tunc omni vrbanitate, ac benignitate eos excipit.

Non temere, ſed cum ratione operandum.

40. Bonauent.

Tertiò. D. Bonauentura, Sacerdotes, & Leuitas, *non increpat*, ait, *Ioannes, ſed manſuetè reſpondit.* Turbas quando ad Baptiſma concurrebant, Præcurſor progenies, ac genimina viperarum appellat; cùm autem Legati hi exiſterent ex eccleſiaſtico ordine Sacerdotes, eos reuerenter alloquitur, ac ad eos cum magna modeſtia fatur, illorum præclaram dignitatem venerans. De quo vide *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 136. & *c.* 5. *num.* 85. & *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 32.

Sacerdotes etiam improbi venerandi.

41.

Quartò. Cùm huiuſmodi Legati eſſent miſſi à Iudæis, non eos percutit, nec pungit Ioannes aculeo ſuorum verborum, ſed cum humanitate ad ſe recipit; ſpeciem obedientiæ in eis agnouit, quæ etiam in deprauatis hominibus digna veneratione viſa fuit. *Ego*, ait Dominus, *mandaui ſanctificatis meis*, Iſai. 13. num. 3. Interlinealis habet, *Perſis, & Medis obedientibus mihi.* Deus, cuius eſt ſumma veritas, ac ſapientia in dicendo, deprauatos idololatras ſanctificatos dicit, huic veluti difficultati accurrens Dominus, non ſolùm ait Perſas, & Medos, ſed addidit; *Obedientibus mihi*, & vbi obedientia interuenit, qua Deo paruerunt, conueniens fuit, vt reuerenter, ac præclaro titulo nominarentur.

Obedientia etiam in impijs veneranda.

Iſai. 13.
Interlin.

42.

Quintò. Reprehenſio adhibenda eſt, vbi prodeſſe, ac fructificare valeat. Cùm turbæ ad Ioannis Baptiſma confluant confitentes peccata ſua, ac à ſuis nequitiis compunctæ, duris verbis eas Ioannes contundit, vt ad meliora reducat; at verò cùm in his Legatis malitia eſſet conſummata, & radicata, nullo oris malleo molleſcenda; eos prætermittit Ioannes. *Ecce ego*, ait Dominus, *Mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos*, Hierem. 8. num. 17. In venturis Chaldæis magnum ſupplicium comminatur Dominus populo, de quibus ait, *Non eſt incantatio*, quia nulla admonitione incantari, ac flecti poterunt. Theodoretus, *Serpentes mortiferos vocat ipſos hoſtes, qui incantari nequeunt; quia noſtris adhortationibus non obtemperant.* Et nota quòd dicit, *quibus non eſt incantatio*, quia quando admonitio non prodeſt, idem valet, ac ſi non eſſet. *Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam, & filium eius*, Geneſ. 21. num. 9. Valde mirum eſt, quòd ita Sara ſolicitet cor Abrahami ad filium expellendum, ob ludum, vel ſpeciem laſciuiæ, quam in Iſmaële agnouit, nonne priùs aliqua admonitio paterna erat adhibenda? Ita enim poſtulat ius naturæ; & ideo hoc valde moleſtum fuit Abrahamo. Abulenſis ibi. *Durum erat Abrahamo, vt totaliter puerum, qui filius ſuus eſt, expelleret contra pietatem paternam, quæ filios delinquentes non deſerit totaliter, ſed corripit.* Et tamen conſilium Saræ approbatur à diuino numine. *Non tibi videatur aſperum ſuper puerum, omnia quæ tibi dixerit Sara, audi vocem eius*, ibi num. 12. Iſmaëlis malitia obſtinata erat in malo, vt ait Rupertus, quam bene nouerat Sara ab incunabulis, & ideo paterna exhortatio minimè profutura, ac proinde ſuperflua erat.

Reprehenſio danda vbi proſit.

Hierem. 8.
Theod.
Geneſ. 21.
Abulenſ.
Rupertus.

QVÆSTIO X.

Quare Ioannes à ſe reijcit totaliter Meſſiæ dignitatem?

PRæclaram Meſſiæ dignitatem, conſtanter, ac aſſeueranter à ſe reiicit Ioannes, & ait, *Non ſum ego Chriſtus*, qui ſubſtantialiter eſt vnctus oleo deitatis. Quod eius eximiæ gratiæ, humilitati, ac fortitudini adſcribunt ſancti Patres, ex quo maximè extollit Ioannis meritum. D. Auguſtinus tract. 4. in Ioann. *Patres mei*, ait, *nullum tantum meritum Ioannes habuit, quam de iſta ipſa humilitate, quòd cùm poſſet fallere homines, & putari Chriſtus, & haberi pro Chriſto (tanta enim gratia tantaq; excellentia fuit) confeſſus eſt tam apertè, & dixit: Non ſum ego Chriſtus.* Alias rationes morales huius rei adducamus. 43.

Auguſt.

Quantum meritū Ioannis.

44. Ex quadruplici capite oblatum honorem Ioannes recuſat. Primò, ob Chriſtum Dominum. Secundò, ob ipſam Ioannis perſonam. Tertiò, ob ipſam Meſſiæ dignitatem. Quartò, ob Legatos deferentes, quæ omnia breuiter videamus.

45. Primò. Ob Chriſtum renuntiat Ioannes dignitatem; numquam vir illuſtris, ac magnanimus acquieuit, vt aſſumeretur in medium, ac inſtrumentum ad vituperationem, ac defraudationem viri digniſſimi, ac benemeriti; cùm autem Ioannes agnoſceret, quòd Iudæi ei deferebant Meſſiæ honorem in odium Chriſti, vt eum illi denegarent, cui erat debitus, ideo non admiſit, ſed conſtanter reiicit. Cùm prophetarent in caſtris Eldad, & Medad, nuntiauit hoc Ioſue Moyſi, & ait, *Domine mi, prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me?* Num. 11. num. 29. Cur reprehenditur Ioſue, cùm potiùs ob zelum ſui magiſtri maximè eſſet laudandus; ægrè tulit Moyſes, quod alicui veniret in mentem, quòd dona Spiritus ſancti ſenioribus communicata ob eorum merita, ipſe eſſet prohibiturus, ne alij elucerent. Cùm Sara exploratam haberet ſuam ſterilitatem,

Iuſtus non patitur vt ſui intuitu alius priuetur honore.

Num. 11.

tulit *Agar Ægyptiam ancillam ſuam, & dedit eam viro ſuo vxorem*, Geneſ. 16. num. 3. Quid agis Sara? Nonnè vides viro tuo Abrahæ promiſſum eſſe filium, in quo omnes gentes ſunt benedicendæ, ſi ancillam tuam viro tradis, ex illa ſuſcipiet tantum, & talem filium, ac proinde multo præclarior erit ancilla, quàm Domina ſua. Noluit Sara, vt ob infœcunditatem ſuam Abrahæ merita à tanto præmio defraudarentur, & ideo ne eſſet impedimentum, ancillam tradit. Firmius hom. 19. in Geneſ. *Ait Sara: Vir meus iam ſenio confectus ſuſcepit diuinam promiſſionem, quam non credo perituram; ſcio igitur quid faciam; habeo ancillam, cui non inuideo, proprio vtero excipiat eum, cui mundi benedictio promiſſa eſt.*

Geneſ. 16.
Firmius.

46.

Secundò. Non conſentit Ioannes Legatorum oblationi ob ſuam perſonam, ac ſuum proprium commodum ac honorem, ne ſuſtineret murmurationes, quòd acceptauerit dignitatem ſibi non competentem. Deinde agnoſcebat bene diuinus Præcurſor omnes gratias, ac excellentias, quæ in eo radiabant, ob quas à Iudæis eligebatur in Meſſiam, à Chriſto Domino ei eſſe communicatas, & datas, & valde indignum iudicauit, vt beneficia ex liberali Chriſti manu accepta, in iniuriam, ac ſcandalum ipſius Saluatoris verterentur; nihil enim magis durum, quàm vt ea quæ benefactori noſtro nos maximè aſtringunt, ingratitudinis occaſioni, ac materiæ inſeruiant. Cùm ille magnificus Rex lautum conuiuium ſuis inuitatis præparaſſet, per ſeruos iuſſit eos vocari. *Dicite inuitatis, ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt; illi autem neglexerunt. Rex autē cùm audiſſet, iratus eſt valde: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit*, Matth. 22. n. 7. Quomodo clementiſſimus Rex tantam iram concepit, & tota poteſtate neci, gladio, ac igni eos inuitatos tradit. Bonus paterfamilias vineam ſuam locauit agricolis, qui noluerunt ei dare fructus in tempore ſuo, imò ſeruos, & filium hæredem occiderunt: pro tot criminibus, qua pœna multantur? prædixit eis, *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti*, Matth. 21. num. 43. At his inuitatis multo maiora mala comminatur, vt patet; ſed quare? Magnificum conuiuium gratis oblatum neglexerunt. Et nullum maius iræ excitamentum, quàm quod munificentiæ largitas, ſit iniuriæ, ac contemptus anſa. D. Irenæus lib. 4. cap. 70. *Gratuitò quidem donat, in quos oportet; ſecundùm autem meritum digniſſimè diſtribuit aduerſus ingratos, & non ſentientes benignitatem eius iuſtiſſimus diſtributor. Et propterea ait, mittens exercitus ſuos perdidit interfectores illos, & ciuitatem illorum incendit.*

Valde durum vt beneficium ſit occaſio ingratitudinis.

Matth. 22.
Matth. 21.
Irenæus.

47.

Tertiò. Renuit Ioannes regale, ac diuinum ſceptrum Meſſiæ, cui ſatisfactio de rigore iuſtitiæ exoluenda erat annexa; cùm autem hanc præſtare Ioannes eſſet incapax, non acquieuit honori exhibito, nam obire munus, cuius penſiones non vales implere, idem eſt, ac nihil habere. Portentoſum animal videt Ioannes, cuius ſignificationem ei explicans Angelus ait, *Decem cornua quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt*, Apocal. 17. num. 12. Ruperti eſt ſententia *lib.* 10. per illa cornua exprimi omnes Reges, ac Imperatores, ſiue Perſas, ſiue Aſſyrios, ſiue Græcos, ſiue Romanos, qui vſque ad Ioannis tempora floruerunt; ſed quomodo de eis, qui dominati ſunt in vniuerſum orbem, dicitur, *Regnum nondum acceperunt?* Omnes illi multis vitiis, ac turpibus voluptatibus regalem purpuram fœdarunt; bene ergo Reges non cenſentur, qui regalem honeſtatem exuerunt, ac ſuauitatem morum non habuerunt. Rupert. citat. *Regnari quidem viſi ſunt, & regnum fauſtumque nomen ſibi vſurparunt, ſed veraciter nũquam regnauerunt; nam verè Reges huiuſmodi non ſunt mirandi, ſed miſeri ſunt iudicandi, qui vt regnarent, tot homicidia fecerunt.*

Non obtinet dignitatem qui eius obligationibus nō ſatisfacit.

Apocal. 17.
Rupertus.
Idem.

Quartò. Ob ipſos electores, Meſſiæ electio ad Deum expectabat, & tamen Phariſæi eum intentant deſignare; meritò ergo Baptiſta reſpuit dignitatem. Valde deuiat à prudentia officium, ac præbendam impetrare è manu illius, qui ad eam promouere non valet; ex corona diſcipulorum ad obtinendum locum Iudæ, duos ſeligunt Apoſtoli. *Statuerunt duos; & orantes dixerunt: Tu Domine oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus*, Actor. 1. n. 24. Sed ſicut ex tam præclaris viris duo communi conſenſu ſeparantur, cur etiam ex illis duobus, Apoſtoli vnum non eligunt? Ipſi meliores deſignant, at vnum, inter Apoſtolos ſcribere non audent, agnoſcebant Dei eſſe proprium Apoſtolos creare, ac proinde, vt eligendi authoritati conſulerent totum hoc negotium remittunt Deo. Nam nominare Apoſtolos, ait Hugo, *Non hominum erat, ſed Dei, nemo debet ſibi aſſumere honorem, ſed vocari à Deo, tamquam Aaron.* 48.

Dignitas non eſt acceptanda niſi è manu illius, qui poteſt dare.

Actor. 1.
Hugo.

Ioan. 1. *n.* 21. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, non.

VERSIONES.

Euthymius, Theophyl. Ille Propheta es tu?

Syriacus. Es tu Propheta? Et ait, minimè.

EXPOSITIO.

VAlde minutim omnia narrat Euangeliſta ad Ioannis virtutes declarandas. Nam, vt ait D. Bonauentura hîc. *Tria, quæ homines ambiunt, contempſit B. Ioannes, & abdicauit à ſe, ſcilicet ſublimitatem excellentiæ, quando negauit ſe eſſe Chriſtum: æſtimationem ſanctimoniæ, quando negauit ſe eſſe Eliam: opinionem incognitæ ſcientiæ, quando negauit ſe eſſe Prophetam.* Nihil enim magis ſolicitat humanum cor, quàm maieſtas dignitatis, & opinio ſanctitatis, ſcientia, ac ſapientia, quæ omnia contemnit Ioann. Interrogauerunt eum, quid ergo? Per modum cuiuſdam admirationis eſt interrogatio, tamquam ſi dicerent, ſuppoſito quòd dicis te non eſſe Chriſtum, nihil aliud potes eſſe, niſi magnus Elias, nam, vt notat D. Thomas, Iudæi deprauato errore duos Chriſti aduentus confundebant; & agnoſcebant illud eſſe tempus deſignatum aduentus Meſſiæ, ideo quærunt, ſi non es Chriſtus, ſaltem illius es præceſſor Elias; & reſpondet Ioannes, *non ſum.* Nota, quòd Iudæi, viuente Elia, eum magno odio proſequebantur, nunc quærunt, an ſit 49.

Bonauent.

Maximè prouocat animū opinio ſanctitatis, ac ſciētia.

D. Thom.

Viros à quibus contemnitur, honoratur.

ſit Elias, vt eum maximo honore recipiant. Hæc eſt enim virtutis efficacia, vt ab illis, à quibus eſt contempta, ab ipſiſmet honoretur, ac veneretur.

50\. Maldon. Barradas. Matth 16. Chryſoſt. Cyrill. Euthym. Theophyl. Bonauent. Albert. Deuter. 18.

Propheta es tu? communiter recentiores, vt Maldonatus, Barradas exiſtimant, Legatos Ioannem interrogaſſe, an eſſet aliquis Propheta ex antiquis, vt de Chriſto Domino dicebant: *Eliam, Hieremiam, aut vnum ex Prophetis*, Matth. 16. num. 4. Tamen communiter Patres, D. Chryſoſtomus *homil.* 15. D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, Bonauentura, Albertus, & alij, tenent, quæſiuiſſe à Ioanne, an eſſet ille Propheta promiſſus Deuteron. 18. num. 15. *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis*, &c. Et ideo in text. Græco eſt articulus, *Tu es ille Propheta*, ſcilicet promiſſus; nec enim Iudæi ignorabant Ioannem eſſe Prophetam, ſed affectabant ſcire, an eſſet ille expectatus, & maximè in hoc errabant, vt obſeruant Chryſoſtomus, & Cyrillus, quòd illum Prophetam promiſſum à Chriſto diſtinguebant; cùm non alius niſi ipſemet Chriſtus, ibi polliceretur, vt explicauit D. Petr. *Actor. 3. num.* 22.

QVÆSTIO XI.

Quomodo Iudæi exiſtimarint Ioannem eſſe Eliam.

51\. IVDÆI duos Chriſti aduentus euidenter expreſſos in Scriptura in vnum tantùm peruerſo errore confundebant, ac permiſcebant, & ex hac ſua falſitate vnum tantùm præcurſorem credebant; & hunc exiſtimabant eſſe Eliam; & ideo interrogant à Ioanne, an ſit ipſe Elias? Difficultas eſt, quomodo potuerunt in hanc cogitationem venire; nam Ioannes natus erat ex Zacharia, in montanis Iudææ, triginta annos ætatis adimplens? Elias verò ante multos annos raptus, Theſbis natus, quomodo vnus potuit alter æſtimari?

52\. Ianſen. Marc 6. Matth. 16. *Reijcitur ſententia de transmigratione animarum.* Clem Rom. Epiphan. Hieron. Ioſeph.

Reſpondet primò Ianſenius, Iudæos fuiſſe in errore Pythagorico, credentes tranſmigrationem animarum; & ideo de Chriſto dicebat Herodes; *Quem ego decollaui Ioannem, hic ſurrexit à mortuis*, Marc. 6. n. 16. Et homines etiam, *Alij Eliam, alij Hieremiam; aut vnum ex Prophetis*, Matth. 16. num. 14. Hæc ſententia non placet. Primò, quia Authores antiqui referentes falſas opiniones Iudæorum, de hac animarum tranſmigratione non faciunt mentionem. S. Clemens Roman. *lib. 6. conſtit. cap. 6. Epiphan. hæreſi* 16. Secundò. Chryſtus Dominus, cùm ſæpe argueret Phariſæos, ac Sadducæos de ſuis erroribus, numquam hunc illis obiicit. Tertia. D. Hieronymus explicans locum Matth. 16. *Alij Eliam, alij Hieremiam*; ait erraſſe Iudæos, ſicut errauit Herodes exiſtimans Ioannem à mortuis ſurrexiſſe. Vbi S. Pater loquitur de reſurrectione, & non tranſmigratione. Et ita intelligendus eſt Ioſephus, vt ipſe ſe explicat *lib. 18. antiquit. cap. 2.* & quidquid ſit de hac opinione, in præſenti interrogatione non poteſt habere locum, quia Iudæi credebant Eliam eſſe viuum, ac proinde eius anima non poterat alterum corpus informare.

53\. Caiet.

Secundò, Reſpondet Caietanus. *Crediderim ego iſtos ſcientes ſcriptum eſſe* Malach. vlt. *de aduentu Eliæ ante Meſſiam, dubitaſſe de modo, quo implenda eſſet illa promiſſio.* Innuit enim quòd eorum mens anceps erat, an ipſemet Elias eſſet venturus, vel aliquis homo moribus, & vita ei ſimilis, cùm autē Ioannes eſſet valde ſimillimus Eliæ, vt expendunt Carthuſianus, Rupertus, Haymon, Hugo, & alij, veſtitu, zona pellicea, tenuiſſimo victu, vterque in deſerto incola Carmeli, ideo dubitarunt, an ipſe eſſet promiſſus Elias. Hæc ſententia habet difficultatem, quia Iudæi credebant, ad hoc Eliam tranſlatum: vt ipſemet veniret ante Chriſtum.

Carthuſ. Rupert. Haymon. Hugo.

54\. *Vera ſententia.*

Tertiò, quæ mihi eſt germana reſolutio, Iudæos dubitaſſe, an ille homo, qui æſtimabatur Ioannes, ac filius Zachariæ, eſſet Elias, qui in illius forma ac habitu appareret: nam vterque inter ſe magnam ſimilitudinem referebat, vt proximè dixi: & ita de Chriſto, quando dicebant eſſe Eliam, & Hieremiam, aut vnum ex Prophetis, ſibi perſuadebant, aliquem ex antiquis ſurrexiſſe, & in forma Chriſti prodire in orbe.

55\. *Volunt principes ſuos amicos aliter apparere, ac ſunt.* Daniel. 2. Theod.

Quartò, moraliter dicam. Sacerdotes & Leuitæ erant principes, ac poteſtates in republica Iudaica, amici, ac conſanguinei Baptiſtæ. Et maieſtates, ac dominatores, quando volunt aliquem exaltare, nihil magis intendunt, quàm quòd ille nobis videatur alius, ac eſt; quia adoleſcens, ac heri natus, ſenex multorum annorum æſtimetur; qui inter nos creatus, ac educatus, homo de cælo delapſus videatur. Poſt deuaſtatam Hieroſolymam multos captiuos ſecum adduxit Nabuchodonoſor in Babyloniam, inter quos extitit Daniel, qui cum aliis in palatio de menſa Regis enutriebatur; tamen ob explicatum ſomnium tantam gratiam coram Rege inuenit; vt dicat text. Daniel. 2. num. 46. *Tunc Rex cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit, & hoſtias, & incenſum præcepit, vt ſacrificarent ei.* Bene agnouerat Rex fragilem naturam ſui captiui, & quot miſeriis eſſet expoſita; & tamen tamquam diuinum numen populo eum præcepit adorare. Theodoret. *Conſiderandum*, ait, *quòd ille qui omnes homines in ditionem ſuam redegerat, eò deductum eſſe, vt captiuum adoraret.* Nabuchodonoſor amore, ac beneuolētia conclutinatus erat Danieli, ideo in ea fuit mente vt alius reputaretur, ac erat; & qui homo exiſtebat: tamquam Deus, ac res ſupernaturalis coleretur, ac veneraretur.

56\. Iudith 2. *Principum res aliæ apparent ac ſūt.*

Hæc eſt principum mens, vt ſuæ res aliam habeant apparentiam, ac in ſe ſunt. *Factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſoris Regis, vt defenderet ſe. Vocauitque omnes maiores natu: & habuit cum eis myſterium conſilij ſui, dixitque cogitationē ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio*, Iudith 2. à n. 1. Iam pulſat difficultas, quomodo Regis conſilium dicatur myſterium; Nam quamuis idem ſit, ac arcanum; tamen allegoricè exponamus locum. Myſterium rem diuinam innuit, quæ cùm vna ſit in ſe; alia tamen videtur. v. gr. Chriſtus Dominus ineffabile myſterium eſt, qui cùm habitu inuentus eſſet vt homo, tamen in ſe verè, & realiter Deus, & homo eſt. Quomodo ergo Nabuchodonoſoris conſilium dicitur myſterium, ſunt enim principum res, quæ aliter ſe exhibent omnium oculis, ac ſunt in ſe. Expende. *Factum eſt verbum, vt defenderet ſe*; ecce quod dictum eſt in vulgus; defenſio enim ex recta ratione, ac naturæ iure procedit. Et quod actum eſt in Concilio. *Vt omem*

terram

terram ſuo ſubiugaret imperio, quod erat quædam tyrannis, rapina, ac inuaſio, aduerſante naturæ dictamine ad aliena regna nullum habebat ius Nabuchodonoſnr. *Ecce myſterium, quod factum eſt in domo Regis*, ac principum, quia multoties aliena bona ſubripiunt, & auferunt, & tamen volunt omnibus habere perſuaſum, eſſe ius & defenſionem naturalem. Salian. tom. 4. anno mundi 3346. *Dicitur in vulgus velle Regem defendere ſe: & in ſecreto conſilij dicit, ſe velle totum orbem ſubijcere ſuo imperio.* Aliena bona ſubripienda erant contra omne ius, & tamen ex Regis decreto, hoc dicebatur ius & defenſio. D. Zeno ſerm. de iuſtitia, *Appetitio rei alienæ ſub prætextu propriæ defenſionis callidiſſimis argumentis vrgetur.*

Salian.

QVÆSTIO XII.

Quare Ioannes non inſtruat iſtos Legatos quòd Elias non erat venturus in hoc primo Chriſti aduentu?

57\. Ioan. 1. Chryſolog. Malach 4.

VENIT diuinus Baptiſta, vt vniuerſalis Eccleſiæ magiſter, *Vt omnes crederent per illum.* Vt ait Euangeliſta cap. 1. *Vniuerſam catechizat Eccleſiam*, vt ait Chryſologus ſæpe datus; & tamen Iudæi quærunt ab eo: an ſit Elias, ducti quodam errore, vt vnum tantùm Chriſti aduentum crederent, ante quem intelligebant Eliam venturum. Cur tantus magiſter eos in veritate non inſtruit, ac docet, duplices eſſe Chriſti aduentus, & ante primum non requiritur Eliæ præſentia; ſed hoc ad ſecundum reſeruatur, vt clariſſimè loquitur Scriptura. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, Malach. 4. n. 5.

58\. *In manifeſtis non immorādum.* *Dubia quæ ex odio pullulant, ratione non diluuntur.*

Reſpondeo primò, quòd diuinus Magiſter non eos monet de hac veritate Catholica, quia res erat manifeſta in Scriptura, ita vt nullus eſſet ambigendi locus, quòd duplex erat Chriſti aduentus, & Elias ad ſecundum ſpectabat. Secundò. Ioannes cùm iuridicè interrogaretur, voluit reſpondere ad interrogata, *Quis es*, Elias es tu, Propheta es tu? & tandem de ſe requiſitus, Ego vox clamantis. Tertiò, & moraliter Iudæi duplicem Chriſti aduentum in vnum confundebant, ac perſonam Eliæ requirebant, non ratione ducti, quia Scriptura manifeſta eſt, ſed commoti odio, quo ferebantur in Chriſtum, de quo *quæſt.* 1. Et dubia, ac controuerſiæ, quæ ex ratione naſcuntur, ratione dilui, ac diſſolui poſſunt; quæ verò ex odio pullulant, nullo efficaci argumento eradicari valent. & quia diuinus Magiſter agnouit huiuſmodi dubium non ratione, ſed ex odio prouenire, ideo de illo nec verbum habuit,

59\. Geneſ. 41. *Odium ſuffocat rationem.* Abulenſis. Daniel. 6.

Cùm Ioſeph à fratribus ſuis venundaretur in Ægyptum, nihil locutum eſſe ad eos, abſente Ruben, legimus *cap.* 37. vbi hæc hiſtoria narratur. Poſtea verò in Ægypto ex falſo crimine ſuccedentibus rebus deiectus eſt in carcerem; vbi ſomnium Præpoſito pincernarum explicauit, & ait ei: *Memento mei vt ſuggeras Pharaoni, vt deducas me de iſto carcere, quia furto ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hîc innocens in lacum miſſus ſum*, Geneſ. 41. n. 14. Cur coram fratribus obmuteſcit, & tamen cauſam ſuam ventilari, ac agi coram Pharaone deſiderat? Fratres habebant eum exoſum, *Oderant eum nimis.* At verò in Ægypto detinebatur in vinculis ex impulſu rationis ob falſum crimen impoſitum. Tacet ergo, vbi odium totum peragebat, ſemper enim præualet, & omnem rationis vim ſuffocat. At verò vbi ratio regnabat, & culpa fictitia ab impudica muliere obiiciebatur, pro cauſa ſua ſtare vult, & totum crimen iuris pondere infringere ſatagit. Abulenſis, *Perſuadebat vt ita Pharaoni referret, & negotium hoc diligenter tractaret.* Accuſatur Daniel ob violatum Regis decretum, & à Sapientibus Babyloniæ mittitur in lacum leonum, & tunc pro ſe, nec verbum profert. Altera verò die inuenitur illæſus, & tunc pro ſua innocentia multa cœpit oſtentare. *Coram Deo*, ait, *iuſtitia inuenta eſt in me, ſed coram te Rex, delictum non feci*, Daniel. 6. num. 22. Qui ante crudele ſupplicium ita obmutuit, vt pro ſe nullum verbum haberet, cur modò ita loquitur? Ante iuſſionem in lacum cauſa deferenda erat ad Satrapas, ac Sapientes valde Danieli infeſtos; poſtea verò ad Regem deuoluebatur, in quo ratio, & iuſtitia præualebat; ſciebat enim ſanctus Dei Propheta, quòd odium nullo argumentorum iaculo vincendum erat; è contra verò ratio facilè his acquieſcere poterat; ideo tunc pro ſua magna innocentia loquitur, & proclamat.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo interrogent à Ioanne an ſit Propheta?

DE ſenſu huius interrogationis egi in expoſitione. Nam poſtquam Legati ab Ioanne agnouerunt, quòd non erat Chriſtus, nec Elias; quærunt an ſit ille Propheta promiſſus in Deut. vt ibi dixi ex mente ſanctorum Patrum. Tamen multi ſunt Recentiores, qui tenent Iudæos exiſtimaſſe Ioannem eſſe aliquem Prophetam ex vulgaribus, ac antiquis illius populi. Quæ ſententia hîc moraliter eſt expendenda, vt magna ignorantia horum Legatorum in hac interrogatione innoteſcat. Luce meridiana clarius erat, Ioannem de ſe negaturum eſſe aliquem communem Prophetam; nam vir tam magnus, ac excellens, qui maiora à ſe reiecit, & noluit Chriſtus, vel Elias reputari; quis poterat dubitare, quod etiam ipſe minus reſpuet, ſcilicet inter communes Prophetas numerari. 60.

Qui magna reijcit, minora etiam contemnit.

Magnus ille athleta Iob omni miſeria circundatus, *Sedebat in ſterquilinio*, Iob 2. n. 8. Legunt Septuaginta, *Et ipſe ſedebat in ſterquilinio extra ciuitatem*; ſed cur non in vrbe, non in hominum frequentia? ibi melius à circunſtantibus ſuæ neceſſitati poterat ſubueniri: ibi melius in compunctionem ſpiritus exurgeret, dum propriis oculis videbat loca, in quibus ipſe dominauerat; Iob in pugna, ac luctamine cum diabolo amiſit totum dominium ciuitatis; nam ipſe Rex erat, renuit etiam paruum locum in illa? nam vir tam magnus, ac nobilis, qui totam vrbem perdidit, illius angulum contemnit; ac paruipendit. Origen. *lib. 2. in Iob*, ait: *Sedebat extra ciuitatem, ille qui ante paululū ciuitatum, ac manſionum fuerat Dominus, & rector, atque gubernator; ſedebat ergo extra ciuitatem. Certū eſt quòd plurima apud ſemet-* 61.

Iob 2. Septuag. Origenes.

ipſum

ipſum tractans,& dicens: Cur in ciuitate maneam? Cur in domibus ſedeam? Cùm re, ac filijs, & ciuitate, & domibus carui. Nunc verò cum regno relinquam etiam ciuitatem. Cùm Sennacherib victus fugeret à Iudæa, in vindictam Tobiam iuſſit occidi, Tob.1. *& tulit omnem ſubſtantiam eius*, Tob.1.n.22. quod cùm agnouiſſet Tobias, *nudus latuit.* Maximè hoc videbatur repugnare ſenis grauiſſimi modeſtiæ, cur non ſe indutum abſcondit? Tamquam virum præſtantiſſimum, ac magni animi ſe exhibuit, cùm enim omnia bona ſua renunciaſſet, etiam paruam tunicam, ac pallium dimiſit.

QVÆSTIO XIV.

Quomodo Ioannes de ſe teſtetur, quòd non ſit Elias, nec Propheta?

62. IN præſenti duplex eſt difficultas, vtraque ſatis trita, & communis. Prima, quomodo Ioannes dicat de ſe non eſſe Eliam, cùm Chriſtus eum Eliam appellet. *Matth.*11. *num.*14. de Ioanne, ait. *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias*, & cap.17. num.12. (Matth.11. & 7.) Communis eſt ſolutio S. Auguſtini hîc *tractat.*4. S.Gregorij *homil.*7. *in Euang.* Bedæ, Alberti Magni, S.Thomæ, D.Bonauenturæ, Ruperti, (Auguſt. Gregor. Beda. Albertus. S.Thom. Rupert. Luc.1.) quòd Chriſtus aſſeruerit Ioannem eſſe Eliam ſpiritu, virtute, ac officio, & ſic loquitur Angelus Luc.1. num.17. *Præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Ioannes verò de ſe negat eſſe Eliam, quia perſona talis non erat; ſi verò iterum quæras cur Ioannes de ſe non fatetur eſſe Eliam ſpiritu, & virtute, vt Chriſtus de eo loquebatur? Hoc rectè ſingulari Baptiſtæ modeſtiæ adſcribit Origenes. (Origenes.) Valde enim glorioſum, ac honorificum erat, quòd quamuis Elias non eſſet in perſona, tamen quòd illius officium gereret, ac eius virtutibus condecorarettur. (*Elias valde magnus ſanctitate.*) Ac proinde Chriſtus ratione beneuolentiæ, ac charitatis, affirmat Ioannem eſſe Eliam, ad eum extollendum, & nobilitandum, Ioannes verò ob humilitatem, tantam perſonam de ſe negat.

63. Secunda difficultas, quomodo Ioannes tam aſſeueranter de ſe dicat non eſſe Prophetam; cùm Chriſtus eum Prophetam appellet, *Luc.*7. *n.*28. & eius pater Spiritu ſancto repletus intonet. (Luc.1.) *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis*, Luc.1.n.76. Reſpondent primò D.Auguſtin. & Gregor. *citati*, (Auguſt. Gregor.) Ioannem de ſe negaſſe Prophetam eſſe, quia pluſquam Propheta erat, vt de illo dixit Chriſtus Dominus *Matth.*11. *num.*9. Sed hoc non multum cohæret cum modeſtia Ioannis, qua ſe ſemper extenuabat, ac de ſe humilia prædicabat. Secundò. D. Thomas (D.Thom.) tres ſolutiones dat huic quæſtioni, quòd in veteri Teſtamento tribus competebat baptizare Chriſto, vt habetur *Ezech.*36. Eliæ 4.*Reg.*2. diuiſit aquas Iordanis. Eliſæo, qui Naaman fecit ſepties lauari in Iordane, 4.*Reg.*4. & ita Iudæi cùm audierint quòd Ioannes non erat Chriſtus, nec Elias, quærunt Propheta es tu, ſcilicet, Eliſæus, vt etiam explicant D. Bonauent. & Rupert. (Bonauent. Rupert. *Eliſæus in magna æſtimatione.*) & ita quando reſpondet: Non ſum; ſcilicet Eliſæus. Hæc ſententia non habet fundamentum multum efficax, ob quod Eliæ, & Eliſæo competebat baptizare.

64. Tertiò. Bene reſpondet Rupertus *hîc*, (Idem.) Ioannem gratia, & virtute eſſe Prophetam, non tamen officio. Nam, ait ipſe, *Officium Prophetarum erat, Verbum Domini, antequam caro fieret, carnem aſſumpturum eſſe verbis præſignare.* At Ioannes hominem factum digito oſtendit. (*Verior ſolutio.*) Quartò. Multo germanior ſolutio mihi videtur Origenis & D.Thomæ, (Origenes. S.Thom.) quòd Iudæi tres perſonas excellentes expectabant, Chriſtum, Eliam, & quemdam Prophetam maximum, de quo eſt ſermo *Deut.*18. *num.*15. Qui Propheta, maximus licèt, ſecundùm veritatem, non ſit alius, quàm Chriſtus: tamen Iudæi alium diſtinctum credebant, & ideo quærunt à Ioanne, an ſit Chriſtus, an Elias, an ille Propheta, vt eſt in Græco cum articulo? Et ita ait de ſe: Non ſum, ſcilicet, ille Propheta promiſſus in Deuter.

*Ioann.*1.*n.*22. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos? Quid dicis de te ipſo?

VERSIO.

Arias. Vt reſponſum demus mittentibus nos.

EXPOSITIO.

65. IN tanta æſtimatione erat Ioannes, vt nihil aliud opinaretur, niſi quòd eſſet Chriſtus, Elias, vel magnus ille Propheta; cùm verò ille ad hæc omnia reſpondiſſet negando, inſtant vt ipſe de ſe proferat teſtimonium, in quo declarant ſuum deprauatum animum; volunt ſcire, non vt, veritate comperta, adiuuentur, ſed vt reſponſum dent mittentibus illos, vnde ſe totos conuerſos ad forum externum indicant.

QVÆSTIO XV.

Quare Legati non plura quærant à Ioanne, an ſcilicet eſſet Angelus, vel vox in deſerto?

66. GRAVE dubium mihi hîc occurrit, cur huiuſmodi Legati non plures interrogationes adhibent? Iudæi duos confundebant Chriſti aduentus in vnum. Cur ergo ſolùm pro ſignis ſecundi aduentus interrogant, an eſſet Elias, vel Propheta, quæ ad indicia vltimi diei Iudicij ſpectant; & non perſcrutantur, an Ioannes eſſet aliquis Angelus in vita, ac moribus; vel aliqua vox in deſerto clamans? Nam ſicut Malachias loquens de die vltionis ait 4. num.5. (Malach.4.) *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Ita idemmet Malachias loquens de viſitatione, qua Chriſtus oriens nos lætificauit; ait c.3. n.1. (Malach.3.) *Ecce ego mitto vobis Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Sicut ergo propter Malachiam quærunt an ſit Elias, cur etiam propter eundem Malachiam, non interrogant, an ſit aliquis Angelus? & ſicut Scriptura docet, quòd ante diem iudicij, Propheta exter in orbe, ita etiam ante primum

deſcenſum filij Dei ait, (Pſalm.40.) *Vox clamantis in deſerto.* Quare ergo huiuſmodi Legati pro indiciis tantùm ſecundi aduentus rogant, & de primo nihil quærunt? (*Peccatores ſolum habent oculos ad ruinam, & non ad remediũ.*) Sunt homines adeò miſeri, & obcæcati, vt ſolùm ante oculos habeant id, in quo labi, ac præcipitari in mille errores poſſint: vbi verò directio ſalutis, ac opportunum remedium adeſt, hoc penitus ignorant, & eis in mentem non venit; nefariis Iudæis tantùm verſabatur in ore, an eſſet Elias? An adueniret Elias? In quo turpiſſimè hallucinabantur, ac errabant; hoc enim ſpectat ad ſecundum Chriſti aduentum; an verò Ioannes eſſet vox in deſerto, quod erat ſignum primi aduentus, qua voce eorum aures, ac oculi aperiri poterat ad ſalutem inſpiciendam, hoc eis totaliter effugit, ac à mente cadit.

67. Oſtendit Deus Ezechieli magna peccata, ac ſacrilegia domus Iſraël. Quomodo eius ſenes adorabant idolum zeli, *Ezech.* 8.*num.* 3. & dixit (Ezech.8.) illi Angelus, *Adhuc conuerſus videbis abominationes maiores*, & ei manifeſtauit, quomodo Sacerdotes offerebant thus depictis reptilibus; ibi *n.*11. & ait Angelus, *adhuc conuerſus videbis abominationes maiores*; & vidit Propheta ſenes plangentes Adonidem, ibi *num.*14. & dixit Angelus, adhuc conuerſus videbis abominationes maiores. *Et ecce in oſtio templi Domini quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis*, ibi *n.*16. Cur hæc dicitur extrema abominatio; nam in illis etiam ſenes, ac Sacerdotes idola adorabant, & thuribulus venerabantur, quod eſt ſupremum ſcelus, vnde hîc tanta malitia? Lyran. (Lyran.) *Ex eo*, ait, *hæc idololatria dicebatur maior, quia in contemptum templi Dei conſecrati videbatur fieri eo, quòd idololatrantes habebant dorſa ad templũ.* Difformitas in ritu, ac diſpoſitione corporis ſtabat, nam ſenes ante faciem habebant ortum Solis ad ei cultum præſtandum, poſt tergum verò templum Domini. Ecce extrema ruina, dum lapſus, ac præcipitium habetur ante oculos; ſalus verò, & vita poſt dorſum. Quod maximè lamẽtabatur Hierem.23.n.33. (Hierem. 32.) *Et verterunt ad me terga, & non facies, cùm docerẽ eos diluculo, & erudirẽ, & nollent audire, vt acciperent diſciplinam.* Et iterũ idem Propheta c. 2.n. 13. (Hierem.2.) *Duo mala facit populus meus, me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.*

Ioannis 1. *n.*23. Ait: Ego vox clamantis in deſerto; dirigite viam Domini; ſicut dicit Iſaias Propheta.

VERSIONES.

Clem. Alex. in exhor ad Gent. Ego vox clamans.

Syriacus. Complanate viã Domini.

EXPOSITIO.

68. DE expoſitione præſentis textus tractaui hoc lib.*c.*1. *num.*60. vide *ibi*, & ait Ioannes, *Ego*, ſcilicet ſum, *vox clamantis*, hoc eſt, Verbi Incarnati, vt explicat Interlineal. (Interlin.) *In deſerto*, de quo multa citato *cap.*1. *q.*22. Theophylactus (Theoph.) in cap.1. Marci. *Locum, inquit, deſertum, Iudaicum populum dicit: quia ob incredulitatem ſuam deſertus eſt ab Spiritu ſancto. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, Matth.23.n.38. (Matth.23.) Et dicebat Ioannes, *Dirigite viam Domini.* Integrum teſtimonium Iſaiæ referebat Præcurſor, vt patet ex *Luc.*3.*n.*5. licèt integrum hîc non ponat Euangeliſta, nec enim ſacri Scriptores omnia commemorant; & ait, *Dirigite viam Domini*, ad hoc enim, vt notant D. Thomas, (D.Thom. Luc.1.) miſſus fuit, *Præibis ante faciem eius parare vias eius*, Lucæ 1. Implet ergo Ioannes ſuum munus, dum cor hominum diſponit ad Chriſtum recipiendum. Et vtitur metaphorica locutione à purgatione viarum, tamquam ſi diceret; amouete omnia peccata, quæ ſunt impedimenta, vt Chriſtum agnoſcatis, ac recipiatis. Et dicitur Ioannes vox *clamantis*, non dicentis, vt ſtatim notabo ex Diuo Pachaſio, (Paſchaſ. Theoph.) ad quod rectè reſpondet Theophylactus *hîc. Ego vox clamantis, hoc eſt, ego ſum vox Chriſti, omnes enim, qui in lege erant, humiliter, & ſubmiſsè ſonabant, & hæc erat ſanè ruditas vocis in Moyſe, quia lex obſcura erat, & non manifeſta: Chriſtus autem cùm ſit veritas, ipſe clamans eſt, ideo Ioannes dicit, Ego ſum vox Verbi clamantis*, Multi locuti ſunt in lege veteri, (*Comparatione Chriſti nullus loquitur.*) imò potiùs clamarunt; clamauit Moyſes ad Dominum *Exodi cap.*14.*n.*15. Dauid Pſalm.118. num. 145. (Pſalm.118.) *Clamaui in toto corde meo.* Et tamen Ioannes particulariter dicitur vox clamantis, ſcilicèt Chriſti, qui in ipſo loquebatur, cuius comparatione omnes in lege veteri ſubmiſſa, ac tenui voce dixerunt, imò potiùs tamquam infantes balbutientes.

QVÆSTIO XVI.

Quare Ioannes dicatur VOX?

69. SÆPE in Scriptura nomina abſtracta pro concretis ſolent poni, ad maiorem expreſſionem, ac vehementionem ſignificatiorem declarandam, ſic vt Propheta manifeſtaret, quàm citiſſimè Chriſtus Dominus opus noſtræ redemptionis abſoluerit, ac inimicum ſpoliauerit, ait cap. 8. num.3. (Iſai.4.) *Voca nomen eius, Acclera, ſpolia, detrahe.* Sic etiam Deus dicitur amor, ſpes, timor noſter, id eſt, à nobis ſummè amandus, ſperandus, timendus. Ita etiam Ioannes non dicitur vocans, vel prædicans, ſed vox in abſtracto (*Ioannes diligentiſſimè adimpleuit ſuum munus.*) ad exprimendum magnum ſonitum, clamorem, ac loquelam, quam edidit in toto orbe; & ideo Ioannes, vt rectè explicat D. Paſchaſius *lib.* 3.*in Matth.* Non dicitur *vox* loquentis, ſed *clamantis. Quia in eo Dei ſapientia clamare intelligitur, vt vbique audiatur, & nullus inſipientium de ignorantia excuſetur.* (Paſchaſ.) Et in hoc ſenſu ad explicandam hanc magnam vocem Ioannis D. Auguſt.*tract.*4. *in Ioan.Baptiſt.* (Auguſt.) appellat prophetiam: quare ergo dicitur *vox*, eſt inquirendum.

70. Primò, D.Auguſt.*ſermon.*20.*de Sanctis*, ſic ait, (Idem.) Ioannes dicitur *vox* ſimilitudine quadam: nam *vox* eſt, per quam verbum, quod in mente noſtra abſcondebatur, manifeſtamus; ſic Ioannes *vox* extitit, per quem Æternus Pater Verbum ſuum occultatum in carne patefecit mundo, per quem omnibus loquebatur, vt explicat D. Paſchaſius *lib.*3.*in Matth.* (Paſchaſ. Boſtrenſ. Gregor. Euthym.) Secundò Titus Boſtrenſ.*in* 3.*Luc.* D.Gregor.*hom.*20. Euthym. *in* 3.*Matt.* ita dicunt, quod vox loquentis anteuertit verbũ, quod concipitur in mẽte audiẽtis, ſic Ioannes prædicatione

Ambroſ.

ſua præceſſit Chriſti notitiam in mentibus Iudæorum. Tertiò. D. Ambroſ. *Luc.3. verſ.4.* ita ait, Vox antecedit verbum, & conceptum audientis, ſequitur tamen verbum, quod præexiſtit in mente loquentis, per vocem enim ſuum verbum loquens manifeſtat audienti; ita Ioannes præceſſit verbum, & notitiam Dei in mentibus auditorum; tamen ipſum Dei verbum, cùm ſit ab æterno, præceſſit Ioannem.

71. Epiphan.

Quartò. D.Epiphanius *hæreſi 59.* notat per vocem hoc loco imperfectam, & inarticulatam accipi, qualem præcones in multa turba edere ſolent, cùm ſilentium indicunt, quia Rex locuturus eſt; ſic Ioannes præco fuit, attentionem populo indicens, vt Chriſti doctrinam exciperet, cuius collatione prædicatio Ioannis imperfecta, & velut inarticulata extitit. Quintò. Beda, Ioannes *vox* dicitur, quia per eius miniſterium Patris verbum ab omnibus auditur. Sextò. Albertus Magnus ait, vox deficit, & verbum auditum perficit; Ioan.3.num.30. *Me oportet minui: illum autem creſcere*; ceſſauit Ioannes, & Verbum incarnatum admirabili doctrina auditum præſtitit in toto Orbe. Septimò. Idem Albertus, Vox, inquit, eſt inutilis abſque Verbo; ſic & fuit inutilis prædicatio Ioannis ſine Chriſto. Octauò D. Bonauentura, *Vox*, eſt ſignum ducens in alterum, & quia Ioannes prædicabat, & ducebat in cogitationem Verbi incarnati, ideo dicitur *vox*. Nonò. Hugo ſicut vox excitat auditum, vt verbum recipiatur, ita Ioannes excitauit Iudæos, vt Chriſtum reciperent. Decimò. Caietanus *hîc, & in 3. Luc.* Ioannis officium appellatur *vox*; quia non Scripturæ prophetiam ſuam commendabat, ſicut alij Prophetæ, ſed miſſus erat, vt viua tantùm voce prædicaret.

Beda. Alb. Magn. Ioan.3. Albert. Bonauent. Hugo. Caietanus.

72. Tolet.

Vndecimò. Toletus *in cap.3. Luc. annotat.16.* Ioannes, ait, extitit vox tripliciter, ſcilicet primò Chriſtum venturum prænuntians. Secundò, Chriſtum præſentem demonſtrans. Tertiò ad pœnitentiam excitans, atque ad Chriſtum præparans. Hinc Ioannes in Scriptura tria habet cognomina, ſcilicet, vox, Angelus, lucerna; ſiue dicitur prædicans, Propheta, pluſquam Propheta; Ioannes vox extitit prædicans pœnitentiam; fuit Angelus, & Propheta annuntians inſtantem Chriſti maieſtatem; fuit lucerna, & pluſquam Propheta præſentem Chriſtum digito demonſtrans.

73. *Ioannes totus vox.*

Duodecimò. Ioannes appellatur vox, quia ex ſe nihil dicebat; ſed tantùm quæ audierat à Deo. Decimotertiò. Ioannes vox erat, quia totum, quod in eo apparebat, vox erat; oculi, manus, veſtis, cibus, modus viuendi, & quidquid in eo erat, totum pœnitentiam clamabat; & vſque modò clamat. D. Ambroſius ſerm.9. *Etiam hodie*, ait, *clamat Ioannes exemplo, & verbo, & vocis ſuæ tonitruo deſerta noſtrorum concutit peccatorum.* Decimoquartò. Ioannes dicitur *vox*, meo iudicio, quia impoſuit ſilentium Prophetis, & nouo locutionis genere cœpit fidem Chriſti intonare, ac prædicare in orbe, ac tamquam præco iudicis clamare. Elegantiſſimè Chryſol. ſerm.127. *Ioannes*, inquit, *virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, norma iuſtitiæ, virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei diſciplina, Ioannes maior homine, par Angelis, legis ſumma, Euangely ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, lucerna mundi, præco iudicis, præcurſor Chriſti, mediator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis.* Alias rationes vide quæſtione ſequenti.

Ambroſ. Chryſol. *Ioannis laudes.*

QVÆSTIO XVII.

Quare Ioannes de ſe non ait, quòd ſit filius Zachariæ, ſed quòd ſit vox?

74. *Humilitas Ioannis.*

POTERAT Ioannes ſe multis titulis nominare, quòd eſſet filius Zachariæ, Doctor, præco, ac præcurſor Chriſti; his tamen omiſſis, de ſe tantùm ait quòd ſit *vox*. Primò, *vox* eſt quaſi quidam ſonus ac veluti quidam aër, res tenuiſſima, & hoc de ſe humilis ſpiritus Ioannis teſtatur. Et ideo non hîc pro ſe allegat locum Malachiæ 3. num.1. *Ecce ego mitto Angelum meum*, quem pro ipſo citauit Chriſtus Dominus, *Matth. 11. num.10.* Vera magnitudo ab aliis prædicatur, de ſe verò humilia ſapit. Secundò. Omnibus ſpecioſis titulis prætermiſſis, Ioannes tantùm de ſe ait, *ego vox*, ita vt neque ſacerdotalis dignitas, neque prophetalis authoritas, neque Angelica ſanctitas in eo attendenda eſſet, ſed hoc vnum, quòd eſſet Dei vox, ſeu quòd Dei voce loqueretur: exiſtimans eam tantùm rationem abundantiſſimam eſſe, vt eius dictis, ac verbis crederetur; nec enim in Doctore, prædicatore, ac prælato, conſideranda eſt perſona, ſed quòd Dei vices gerat.

In prælato conſiderandũ quod Dei ſit vox.

75. S.Thom. *Attendẽdum eſt ad Chriſtum, vt ſequamur.*

Tertiò. D. Thomas hîc. *Non reſpondet*, ait, *Ioannes, Ego ſum filius Zachariæ, vel talis, & talis, ſed ſolùm illud, in quo Chriſtum ſequebatur.* Ex Verbo mente concepto reſultat vox, quo informatur; non commemorat Ioannes nobilitatem à parente, ac maioribus acceptam, ſed tantùm de ſe ait, eſſe vocem Chriſti clamantis, quia tantùm ei in mente fixum erat id, quod à Saluatore acceperat, & id in quo ipſe eſt imitandus ac ſequendus, cogitatio enim noſtra non ſit ad terrenam originem, quæ citò euaneſcit, ſed vt Chriſto conformemur, ac vt per eius veſtigia gradiamur.

76. Apocal.7.

Cùm magnam multitudinem beatorum ſuis ſtolis albis vidiſſet Ioannes, *Dixit ei vnus de ſenioribus, qui ſunt, & vnde venerunt. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni*, Apoc.7.n.14. Sanctus ſenex excitans Ioannem ad ſciſcitandum, ait, *qui ſunt, & vnde venerunt*; quo quærit, nempe qualitatem perſonæ, generis ſplendorem, *qui ſunt*. Tandem de meritis, ac factis interrogat, *& vnde venerunt*; & tamen bonus magiſter ad primum nil reſpondet, ſed tantùm ad ſecundum. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna*; cur de generis ſplendore nulla fit mentio? ad hoc in domo Dei non attenditur, ſed tantùm ad id, quòd dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, dum Chriſti veſtigia ſunt ſequuti, ac imitati. Aretas Cæſaræ Epiſcopus. *Martyres Chriſti dicit*, ait, *qui crucem baiulauerunt, eiuſque mortem imitati ſunt. Iſtud enim eſt lauaſſe ſtolas ſuas, nec alibi quàm in ſanguine agni.* Solùm ſancti Martyres clamant lauiſſe ſtolas ſuas in ſanguine agni, quia de hoc tantùm gloriantur, & non de eo, quod à maioribus acceperunt. Petrus in ſua *prima Canonica 2. num.5.* ita ſuos exhortans, ait, *Ad quem ſcilicet, Chriſtum accedentes, lapidem viuum, &c. Ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini.*

Non generis nobilitas, ſed merita attendenda. Aretas. 1.Petr.2.

ædificamini. Tamquam ſi dicat Apoſtolus, quòd hoc vnum tantùm nobis proponamus, vt quòd ſicut Chriſtus eſt lapis viuus, ita etiam nos viuidos lapides ad omnem tribulationem perferendam exhibeamus; & hæc tantùm ſit cogitatio noſtra. D.Hieronymus cap.9. Zachariæ. *Ipſi feſtinent imponi ſuper fundamentum Chriſti, & contineri angulari lapide.*

Hieron.

QVÆSTIO XVIII.

Quare Ioannes neget de ſe eſſe Prophetam, & fateatur eſſe vocem, quod eſt quid illuſtrius?

77. Rupert.

TAM præclara eſt dignitas, vt Ioannes dicatur *vox*, vt notat Rupert. quòd quando Iudæi interrogauerunt eum, an eſſet Chriſtus, Elias, Propheta, non quærunt an ſit *vox*, tranſcendebat enim eorum captum. Multi enim fuerunt Apoſtoli, multi Prophetæ, multi Euangeliſtæ. *Vox* tamen vnus Ioannes eſt dictus; quomodo ergo humilitas Ioannis tantam dignitatem de ſe hîc publicat, ac diuulgat, cùm negauerit ſe eſſe Prophetam, quod erat quid multo inferius, & ita de Ioanne ait Saluator, quòd ſit pluſquam Propheta, erat enim *vox*, quæ maior erat excellentia, quàm Propheta?

Quòd Ioannes dicatur vox magna dignitas.

78.

Ioannes negat de ſe, quòd ſit Propheta, ille ſcilicet promiſſus in Deuteron. vt ſæpe dixi: nam ille Propheta erat Chriſtus Dominus, vt explicat D.Petrus *Actor.3.num.22.* quamquam Iudæi aliter intelligerent locum, vt dictum eſt. Secundò. Ioannes quamuis totus eſſet humilis, vt ait Chryſologus, tamen tantam dignitatem de ſe diuulgat quòd ſit vox clamantis: bene nouerat diuinus Baptiſta, quòd inter manifeſta ſigna, ac indicia aduentus Meſſiæ, vnum erat, quòd illum præcederet vox clamantis in deſerto, vt prophetarum erat ab Iſaia; vt ergo Iudæos doceret illud eſſe aſſignatum tempus Scripturæ, ac eos inſtrueret ad Chriſtum recipiendum, tantum honorem de ſe declarat, ac propalatur, erat Ioannes à Deo conſtitutus vniuerſalis magiſter, & charitatis cuſpide vulneratus; & ideo potius decreuit communi bono conſulere, dum homines in re tanti ponderis informat; quàm ingenitæ humilitati, ac proprio affectui ſe ſe accommodare, ac proportionare.

Chryſolog. *Potius communi bono quàm propria voluntati conſulendum.*

79. Cantic.8.

Inquit Sponſa, *Vinea mea coram me eſt*, Cant.8. num.12. Quamuis enim ſponſa ſæpe eſſet in domo clauſa, in foro, plateis, tamen ob iucunditatem, ac delectationem, in qua vinea ſua erat ei, dicitur quòd ſemper eſſet coram ea; & tamen cùm aliquando vinearum ſuorum fratrum præfecturam accepiſſet, ait de ſe. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui*, Cant.1. num.5. Si propria vinea ita ei erat grata, vt numquam è mente excideret, quomodo illius modò oblita eſt? Non quærebat ſponſa, quòd ſibi erat iucundum, ac vtile, ſed quod aliorum commodis proficiebat, & ideo quamuis illius vinea eſſet ei valde grata; tamen eius obliuiſcitur, vt maiori promptitudine aliorum bonis intenderet. D.Bernardus ſerm.3. in Cantic. *Idoneus planè*, ait, *& dignus qui ponatur cuſtos in vineis, quē propria cura vineæ à commiſſarum diligentia, & ſolicitudine non impedit, aut retardat, dum non quærit quæ ſua ſunt, neque quod ſibi vtile eſt, ſed quod multis.* Poſtquam Daniel Nabuchodonoſori ſomnium ſuum explicauit, ait text. *Tunc Rex Danielem in ſublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & conſtituit eum principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum magiſtratuum ſuper cunctos ſapientes*, Daniel.2. n.48. Multis facit quæſtionem quomodo tantus vir, ac Propheta, & ita humilis quòd contempſerit regales cibos, ſine vlla cunctatione, ac reluctatione honorem oblatum acceperit? Nonne à dignitate regia fugiebat Saul. 1. *Reg.10. n.22.* & tamen hanc non recuſat Daniel? Lyranus ad cap.2. Daniel. *Arguit*, ait, *Porphyrius, quòd ſanctus Daniel non accepiſſet talem honorem à Rege infideli, conſiderandum autem quòd talem honorem accepit Daniel à Regibus infidelibus, non ex ambitione honoris, ſed ad conſolationem populi ſui, & ad honorem Dei.* Quamuis Propheta eſſet valde humilis, dignitati contra proprium affectum acquieſcit ob gloriam Dei, leuamen ſuæ gentis, ac ad iniuſtitias reprimendas.

Cantic.1. Bernard. Daniel.2. Lyranus.

QVÆSTIO XIX.

Quomodo Ioannes dicat eſſe vocem clamantis, cùm tamen fateatur non eſſe dignum, ſoluere corrigiam calceamenti Chriſti?

80. *In dignitate adſit cognitio propriæ vilitatis.*

MAGNA contradictio videtur in his dictis, quòd Ioannes de ſe dicat eſſe vocem clamantis, ſcilicet Chriſti, vt dixi, & quòd non ſit dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius; nam *vox* eſt in ore loquentis; *calceamenta* in pedibus inſunt, ſi Ioannes de ſe cognoſcit tam altum & ſublimem locum, quomodo ſe indignum reputat, vt calceamenta attingat? Diuinus Baptiſta, quamuis ad tantum apicem dignitatis eſſet euectus, & in tam ſublimi loco conſtitutus, tamen propriæ humilitatis agnitionem non perdidit; & ita fatetur id, ad quod diuina gratia eum extulit, nempe vt eſſet vox Dei clamantis, ac etiam illud quod exiſtimabat ex propriis meritis ſibi condignum, vt ſcilicet non eſſet ſufficiens ad ſoluendam corrigiam calceamentorum Chriſti; in nullo enim faſtigio dignitatis cognitio propriæ vtilitatis perdenda eſt.

81. Matth.25.

Cùm Chriſtus Dominus in ſede ſuæ maieſtatis aduenerit ad iudicandum, ſuis electis dicet: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me*, &c. Matth.25. numero 35. Valde mirum quòd Dominus in gloria tantæ maieſtatis ſedens ſuper nubes, de paupertate, ac antiqua mendicatione ita recordetur; cur in medium non adducuntur alia iuſtorum opera, eorum fides in Deum, fortitudo in laboribus, abſtinentia in rigoroſa pœnitentia? Sed tantùm nuditas, ſitis, & fames, quid hæc habeant cum gloria regnantis? valde multum. Vt Dominus ſuos informaret, quod in nullo faſtigio honoris antiqua nuditas, ac miſeria è memoria excidat; ſed ſemper teneatur, ac ante oculos obuerſetur. D. Paſchaſius lib.11. in Matth. *Miro igitur modo*, ait, *forma regnantis*

Paſchaſius.

introducitur, vt nemo diſcipulorum de ignominia crucis erubeſcat; & vocat eos benedictos benedictione, qua condonatur eis immenſa gloria. Optimam regnandi formam ſuis diſcipulis Dominus inculcat, vt in ipſa gloria non erubeſcant, ſed potiùs glorientur de antiqua ignominia.

82. Nil enim magis ruinæ occaſionem præbet, quàm in honore, ac proſperitate de antiqua nuditate memoriam denudare. Ait Deus Ezechieli 4. Ezech. 4. num. 1. *Et tu, fili hominis, ſume tibi laterem, & deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalem. Et ordinabis aduersùs eam obſidionem, & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro.* Vt delinietur captiuitas populi Iſraëlitici, deſolatio ciuitatis Hieruſalem, & tota gens deuaſtata, in latere exaratur. Si propter ſupplicij breuitatem, ac remiſſionem condonandam meliùs erat in puluere; ſi propter illius diuturnitatem accommodatiùs in ferro, & ære: cur in latere? Hieron. D. Hieronymus. *Poſſumus,* ait, *laterem, & inſuggillationem Iſraëlis accipere, quod in luto, & latere ſeruierit Pharaoni.* Lineamenta miſerrimæ deuaſtationis in terra excocta, ac durata depinguntur, vt inde innueretur, quòd laterum obliuio, quibus in Ægypto Pharaoni ſeruierant, tantæ deuaſtationi occaſionem miniſtrauit, nam ſi ab illis mentem non auerterent, nunquam propriis oculis tantum excidium inſpectarent.

Obliuio antiqua miſeria ruinam parat.

QVÆSTIO XX.

An Ioannes rectè ſatisfecerit intentioni, ac obiectioni Iudæorum, dum fatetur de ſe quòd ſit vox?

83. IVDÆI, vt ſuprà dixi ex ſanctis Patribus, moti ſunt vt quærerent à Ioanne, an eſſet Chriſtus, Elias, vel Propheta, quia nouum ritum ac nouam cæremoniam baptizando introduxit in orbem, & ideo ipſi poſtea dixerunt, *Si non es Chriſtus, neque Elias, quare baptizas?* Quomodo ergo his occurrit Ioannes, dum ſe fatetur vocem? ſi quærerent ab eo, quare prædicabat, congruere videbatur reſponſio: *Ego vox clamantis.* At dum mouentur ad interrogationem, ob Baptiſmum quem conferebat, quo pacto dicit de ſe quòd ſit vox? nihil aptius ad rem præſentem dici poterat: vera vox non ſolùm ore tonat, ſed etiam opera concomitatur. Ioannes, vt ait D. Chryſologus ſerm. 167. Chryſol. *Doctor dicto, & facto verus magiſter.* Et ideo ad eum non ſolùm ſpectabat prædicare, ac ad pœnitentiam exhortari, ſed etiam opportuna remedia opere exhibere; vt erat Baptiſmus in remiſſionem peccatorum.

Verba ſint cõiuncta cum operibus.

84. Pſalm. 149. Ait Regius Vates, Pſalm. 149. n. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Vbi ſermo eſt de ſanctis Magiſtris, & Prædicatoribus, ſed quomodo cum ſuauitate cantus adiungitur militaris ſtrepitus, gladius ex vtraque parte acutus in manibus? tunc enim vox Concionatoris cedit in laudem Dei, quando in manibus adſunt opera, ac media opportuna ad amputanda vitia, & peccata eradicanda. Huc tendit D. Baſil. D. Baſilius, *Bellum,* ait, *hîc cum tripudio ſuperandum eſſe oſtendit; exultationes enim hîc hymnodias, & Pſalmodiam dicit.* In ipſa voce Prædicatoris indicit bellum, quod cum manibus ſuperandum eſt, *Iſai. 52. n. 7.* Dum Euangelicum Prædicatorem laudauit *cap. 52. num. 7.* ait. *Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem.* Iſai. 52. Ea membra laudantur, quæ minus idonea, ac proportionata ad prædicandi munus videntur, potius laudandum videtur os, lingua, vox, quàm pedes: laudes Prædicatoris non tantum creſcunt, ex verbis, quantum ex operibus. Vide hoc *lib. cap. 1. num. 75.*

In Prædicatore vox cum opere.

Si autem verba, & conclamationes fiant, & opera non correſpondeant, nihil omnino ſunt, ſed quædam mendacia reputantur; ait Iob cap. 6. n. 25. amicis ſuis, *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis*, de mendacio eos arguit Sanctus Patriarcha, & cur in amicos Reges, & potentes ita inuehitur, cùm potius maximè gratulabundum ſe deberet oſtendere, cùm in eius miſeria, & infelicitate non ſint obliti, ſed potiùs ad eum inuiſendum acceſſerint? erant enim iſti amici valde locupletes, & omnibus abundabant, & cùm poſſent donis, ac muneribus miſeriam, ac paupertatem Iob delinire, ſolùm verbis ſubleuabant, meritò eos de mendacio increpat, cùm verba tantummodo darent operibus denudata. Benè ait S. Vigilius Epiſcopus diſput. de Chriſto, *Non eſt amor, nec beneuolentia vbi ſermone, & non opere, ſubuenitur.* 85. Iob 6. Vigil.

Verba ſine opere mendacia.

QVÆSTIO XXI.

Quare Ioannes in hac interrogatione, & non in alijs, adhibeat teſtimonium Iſaiæ?

QVÆRITVR à Ioanne, an ſit Chriſtus? An ſit Elias? An ſit Propheta? His omnibus vno ſuo verbo negatiuè reſpondet: Non ſum; cùm verò hîc de ſe teſtificatur quòd ſit *vox*, ſtatim ſuum dictum teſtimonio Iſaiæ corroborat; *Sicut dicit Iſaias Propheta.* Reſpondet primò Albertus Magnus. *Ecce,* ait, *confirmatio reſponſionis, ne pateretur calumniam ab inſidiatoribus. Et vt etiam ſcirent cuius officium aſſumeret.* Suam aſſertionem confirmat Ioannes teſtimonio Iſaiæ, ad Iudæorum falſam accuſationem fugiendam, & vt ſcirent quale eſſet ſuum munus, nempe hominum animos præparare ad Chriſtum recipiendum. Secundò. Vt doceret quòd iam appropinquabat tempus aduentus Chriſti, cùm vox prædicta in Propheta præcederet. 86. Alb. Magn.

Tertiò. Vt Iudæi crederent Ioanni, quòd non eſſet Chriſtus, neque Elias, neque Propheta, abundans fuit vnum eius verbum, *non ſum.* At vt fidem darent, quòd erat *vox*, quæ eſt quidam ſonus, & veluti quidam aër, alterius teſtimonium exigitur. Ita enim ſe res habet, quòd, vt homines ſibi perſuadeant, quòd nulla dignitas in te eminet, quodlibet verbum ſufficit; at vt concipiant, quòd aliqualis honoris radius in te eluceat, ac ſcintillet, multum per omnem modum requiritur, Prophetarum diuina authoritas exigitur. 87.

Vt tuus honor videatur multum exigitur.

Satis latè Propheta Iſaias ſuo *c. 53.* cõmemorat Chriſti paſſionem. *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectũ, & nouiſſimum virorum, virum dolorem, & ſcientem infirmitatem; vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & nos putauimus eum quaſi leproſum.* 88. Iſai 53.

Et

Et multa alia proſequitur ſanctus Propheta. At dum idem Propheta de magnifico Chriſti triumpho agit, de eius imperio glorioſè dilatato ſuper cælum, & terram, ait cap. 8. num. 2. Iſai. 8. *Adhibuit mihi teſtes fideles Vriam ſacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & acceſſi ad Prophetiſſam.* Tanta authoritas erat in diuino Vate, dum Chriſti paſſionem, ac eius gloriam prædicabat, cur ad primum tantùm adeſt dictum Prophetæ; ad ſecundum verò vocantur teſtes ſine exceptione, ad maiorem euidentiam rei teſtificatæ, vt inquiunt Lyranus, & Hugo? Lyran. Hugo. Vnius Iſaiæ verbum valebat inducere populum, vt Chriſtum Dominum nouiſſimum virorum crederet; at vt gloria, & honore ſublimatum exiſtimaret, fideliſſimi teſtes videbantur exigi. Cyrillus. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Iſai. cap. 8. *Hîc notandum,* ait, *quòd Vriam, & Zachariam teſtes adhiberi iuſſerit, vt citò diripiat ſpolia. Adappoſuit etiam; adeſt enim. Atteſtatur enim lex, & porrò ſanctorum Prophetarum prædictio: Chriſtum natum Satanam ſpoliaſſe, & vaſa eius diripuiſſe*, vbi de gloria Chriſti eſt ſermo, teſtes adducuntur in medium.

Ioan. 1. n. 14. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.

VERSIO.

Syriacus. Illi autem qui miſſi fuerant.

EXPOSITIO.

89. REM nouam, & à ſuperioribus ſeparatam ſignificat Euangeliſta. Quia interrogatio, quæ ſequitur, *Quare baptizas?* non fuit iniuncta Legatis, ſed tantùm, vt ſcirent à Ioanne, Quis eſſet? Et hanc interrogationem ponunt Phariſæi calumniâ, & inuidia permoti, quamuis in apparentia religionis zelo, ne quid contra legis obſeruationem interponeretur; & huiuſmodi Legati, quamuis Sacerdotes, & Leuitæ erant ex ſecta Phariſæorum, quæ legis zelum præ ſe ferebat.

QVÆSTIO XXII.

Quare Phariſæi opponant Ioanni ſubſequens dubium?

90. INTERROGATIONEM ſubſequutam, *Quare ergo baptizas?* interpoſuerunt Phariſæi, & cur hi, & non alij homines? eſt præſens quæſtio. Origen. Origen. ad illa verba, *Hoc eſt teſtimonium Ioannis.* Reſpondet primò. Duas fuiſſe legationes miſſas à Iudæis, vnam per Sacerdotes, & Leuitas; *Tu quis es?* alteram per Phariſæos, *Quare baptizas?* quia exiſtimabant, ad nullum pertinere baptizare, niſi ad Chriſtum, & Eliam, vel Prophetam. Auguſt. S. Thom. Hæc ſententia D. Auguſtino, S. Thomæ, ac multis aliis, & mihi non placet; vna enim tantùm fuit legatio, & ipſi Legati, quamuis Sacerdotes, & Leuitæ, erant ex ſecta Phariſæorum, & hoc clarè ſignificat Euangeliſta. *Miſerunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem,* &c. Et poſtea hîc ait; *& qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis*, quod clariùs habet Syriacus per articulum, *Illi autem miſſi.*

Legatio tantùm vna.

Secundò. D. Chryſoſtomus *homil. 15.* Theophylactus, inquiunt, Legatos miſſos fuiſſe ad Ioannem, vt cognoſcerent ab eo, qua authoritate baptizabat, & quia Phariſæi homines aſtuti erant, non continuò eum ſciſcitantur de poteſtate baptizandi, & ita primò quærunt ab eo, an eſſet Chriſtus, Elias, & Propheta, vt ſplendore dignitatis alliceretur ad aliquid ſupra ſe fatendum, vt inde poſſent accuſare; & quia Ioannes omnibus negatiuè reſpondet, ideo inſtant, ſi non es Chriſtus, *Quare baptizas?* Vt ita poſſent eum capere in ſermone, & Ioannes concluſus de ſe diceret eſſe Chriſtum. Hæc ſententia mihi non placet, vt patet ex his, quæ dixi *quæſt. 1.* 91. Chryſoſt. Theoph.

Tertiò. Origenes, D. Cyrillus, Beda, inquiunt quòd Phariſæi moti inuidia authoritate propria hanc interpoſuerint interrogationem, quòd Ioannes tantam gloriam, ac honorem baptizandi haberet, maximè dolebant; huius inuidiæ aliud motiuum adducit Haymon. *Phariſæi Doctores legis inuidebant Ioanni, quia videbant ſe à populo derelinqui, & prædicationem B. Ioannis ſequi.* Aliter hanc inuidiam explicat Albertus Magnus. *Dicuntur nuncij ex Phariſæis eſſe præcipuè. Iſti enim inuidiæ zelo ſtimulati ſunt ſemper ad omne illud quod non per eos incepit.* Semper expungit animos, dum alios rei honorificæ authores videmus, & quia ritus baptizandi inceperat in Ioanne, vt dixi *cap. 1.* ideo de hoc maximè dolebant Phariſæi. 92. Origenes. Cyrill. Beda. Haymon. Alb. Magn.

Si populus alium ſequitur, dolet ambitioſus.

Quartò. Ammonius *in Catena Græca* aſſeuerat Phariſæos fuiſſe enutritos traditione quadam, quòd baptizare tantùm ſpectabat ad Chriſtum, & Prophetas; ideo dixiſſe Euangeliſtam eos fuiſſe ex Phariſæis, vt rationem tacitè innueret, ob quam quæſtionem de Baptiſmo interpoſuerint. Quintò D. Thomas, *Fecerunt,* ait, *hanc interrogationem, quia erant ex Phariſæis, quibus eorum religio auſum præbebat.* Multi enim ex eo quòd ſint religioſi, ac Eccleſiaſtici, audaciam ſumunt ad multa perpetranda, ac dicenda. Sextò. Euthymius hoc Phariſæorum curioſitati adſcribit, & ideo moti ſunt ad ſubtilem hanc quæſtionem de Baptiſmo obiiciendam; multoties enim nimia curioſitas homines ad errores, ac ſuperflua impellit. Septimò. Ea mihi ſententia placet, quam in expoſitione ſecutus ſum, quòd huiuſmodi Legati hi dicuntur Phariſæi, dum ex proprio ingenio, ducti inuidia, ambitione, legis zelum ſimulantes, ne quid contra religionis obſeruationem fieret, quærunt à Ioanne, quare baptizat? 93. Ammon. Euthym.

Vera ratio.

Octauò, & moraliter Legati iſti erant Sacerdotes, Leuitæ, & Phariſæi. At cùm iniunctum ſibi munus exequuntur, & quærunt à Ioanne, *Quis es?* Sacerdotali dignitate inſigniti nominantur, qua nihil ſanctius erat. At cùm legationem, & commiſſionem ſibi datam excedunt, & veluti culpam obiiciendo dicunt Baptiſtæ. *Quare baptizas?* Ex Phariſæorum claſſe, quæ erat gens hypocrita, peſſimis moribus imbuta, dicuntur, nam dum homo iuſſionem ſibi datam adimplet, opus ſanctum, & iuſtum perficit; cùm verò tranſgreditur, & ad alia ſe extendit, malitiam obfuſcari zeli, odij & ambitionis ſtatim prætendit. 94.

Homo non excedat ſuum munus.

Poſtquam Dauid vngitur in Regem, dicitur 1. Reg. 16. n. 13. *Directus eſt ſpiritus Domini à die* 95. 1. Reg. 16.

illa

illa in Dauid,& deinceps ; ſpiritus autem Domini receſſit à Saul,& exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino. Seu, vt legit Rupertus lib.1. de proceſſ. Spiritus ſancti c.11. *Et receſſit Spiritus Domini à Saul, & ferebatur ad Dauid.* Sed cur Spiritus S. dona ita deſerunt Regem Saul, & replent Dauidem? Saul contra commiſſum ſibi munus,ac extra ſuum ordinem intentauit per ſe ipſum Deo ſacrificare 1.*Reg.*13.*n.*9.ac pepercit Amalech,1.*Reg.*14.*n.*9. At Dauid ſemper diuino inſeruiebat impulſui, & inter proprias metas ſe continebat;& ideo hic repletur ſpiritu Domini,ille verò poſſidetur à dæmone. Valde enim ſanctum eſt, vnumquemque in ſuo gradu ſtare, & inter propriam ſphæram verſari; maximè verò diabolicum extra proprios terminos euagari. Caietanus, *Interdum*,ait, *donum diuini impulſus appellatur ſpiritus Iehouah, proſperos habens ſucceſſus in Dauide à die illa. Similiter diuini impulſus donum internum ſcribitur receſſiſſe à Saule. Subtraxit ſiquidem Deus huiuſmodi gratuitum donum, Saule reddente ſe indignum illo, ob ſuperbiam, & inobedientiam.*

Rupert. Caietan.

Ioannis 1.*n.*25. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?

VERSIO.

Vatablus. Si tu non es Chriſtus ille, neque Elias, neque Propheta ille.

EXPOSITIO.

96. Caiet. NOTAT Caietanus, quòd Euangeliſta ita poſuit. *Interrogauerunt eum, & dixerunt, vt intelligamus, quòd non ex commiſſione mittentium, ſed ex proprio ſenſu ſubiunctam interrogationem fecerunt; commiſſum enim erat eis,vt interrogarent,Tu quis es? Et non arguerent de Baptiſmo.* Et in ſuis dictis proponunt Iuæi quandam illationem, ſi non es vnus ex illis tribus, quibus ipſi credebant conuenire officium baptizandi; cur ergo baptizas? De quo *quæſt. ſequenti.*

QVÆSTIO XXIII.

Quare Iudæi arguant Ioannem de officio baptizandi?

97. VERA, & literalis ratio huius quæſtionis hæc eſt: Baptiſmus cæremonia erat non contenta in lege veteri,ſed erat nouus ritus nunquam antea viſus in orbe, vt latè dixi hoc lib. *cap.*1. Iudæi tamen cognoſcebant ex Scripturis tempore Meſſiæ futurum eſſe Baptiſmum, vt docet D. Auguſtinus *lib.*5.*contra Donatiſtas cap.*9. Ezech.36.n.25. *Effundam ſuper vos aquam mundam,& mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris,* Zach.13.n.1. *Erit fons patens domui Dauid, & inhabitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruæ.* Iudæi verò, cùm non perfectè intelligerent Scripturas, hæſitabant, an ipſe Baptiſmus eſſet miniſtrandus ab ipſo Chriſto, vel ab Elia, vel ab alio Propheta,de quo eſt ſermo *in Deuteron.* vt ſæpe dixi, quem exiſtimabant cum Chriſto venturum. Cùm ergo Ioannes de ſe fatetur, quòd nec erat Chriſtus, nec Elias, nec ille Propheta, & aliunde conferret Baptiſmum, ideo interrogant ab eo,cur baptizat. Ad alias rationes, & veluti morales deueniamus.

Auguſt. Ezech.39. Zach.13.

98. Chryſoſt. Secundò. D.Chryſoſtomus homil.15. in Ioan. *Nam cùm adulationibus*, ait,*eum allicere non poſſent, calumniâ ſe eum coarcturum arbitrati ſunt, quod non eſſet,ſe eſſe confiteretur.* Similiter Theophylactus. *Poſtquam per adulationem non potuerunt eum ad ſuas partes trahere,atrocibus,& minacibus verbis terrent, vt diceret, quod volebant, & confiteretur ſe eſſe Chriſtum.* Cùm blanditioſis verbis non potuerint Ioannem adducere, vt dicat ſe eſſe Chriſtum, per ſiniſtram, ac malam vexationem,hoc intendunt,ſæpe ſæpiùs enim contigit,vt illud quod amore vanæ gloriæ,ac appetitu popularis auræ non fit, timoris affectu perpetretur; & ita ait Euthymius in præſenti. *Cùm Iudæi perficere non potuiſſent, quod intentabant, accuſatione nituntur Ioannem attrahere, vt vel timore cogeretur dicere quod non erat.*

Theoph. *Ob timorem multa fiunt.* Euthym.

99. Cyrillus. Tertiò.D.Cyrillus lib.2.in Ioan.c.25.*Ex inſita eis arrogantia, quamuis audierint Phariſæi, Ego vox clamantis in deſerto; parum attendentes, & Baptiſtæ dignitatem negligentes,apertè increpant, dicentes: Quid ergo baptizas? conſueuerant enim ſemper ex proteruitate Phariſæi præſentes nimium contemnere, & venturum ſimulato afficere honore.* Bene agnouerant Legati ex Scriptura, quòd magna erat dignitas Ioannis, dum de ſe ait, *Ego vox clamantis in deſerto,parate viam Domini.* Manifeſtabatur enim ſe eſſe Chriſti præcurſorem,& non dignitate inferiorem Eliæ, vel alteri Prophetæ, quem Iudæi expectabant; & tamen Ioannem ſpernunt, & vilipendunt, eſt enim iniquorum conſuetudo, vt ſemper præſentia, quamuis magna, paruipendant, & futura maiora ſibi promittant.

Homines præſentia cõtemnunt, ſperantes maiora.

100. Cyrillus. Quartò.Idem D.Cyrillus citato loco.*Phariſæi, vt ipſi magni apud Iudæos eſſent, & diuitias ſibi ingentes accumulent, neminem præter ſe honorari patiebantur.* Bene agnouerant Phariſæi Ioannem habere poteſtatem baptizandi,ex eo quòd dixerat de ſe, *Ego vox clamantis in deſerto*;& tamen eum increpant; duriſſimum erat his Legatis, quòd Ioannes illud Baptiſma celebraret, multum honoris apud omnes ei reconciliabat, & maximè iniqui dolent dum opus honoris alium perficere vident, cùm multum ſibi honoris acquirat, quod illi ſibi tantum affectant.

Iniqui dolent de honorifico opere alterius.

101. D.Thom. Quintò.D.Thomas,*Notandum eſt*,ait,*quod non quærunt,vt ſciant, ſed vt impediant;quia enim videbant multitudinem populi ad Ioannem concurrere,propter nouum ritum baptizandi, & extraneum à ritu Phariſæorum, & legis, inuidebant Ioanni,& conabantur pro poſſe impedire Baptiſmum eius.* Hoc quantoties fit vt multi quærant,non ſincero animo, vt veritatem addiſcant, ſed vt obſtacula ponant,ac vt alij à bonitate retardentur.

Interrogant multi non vt ſciant,ſed vt impediant.

102. Caiet. Sextò. Caietanus. *Cerne arrogantiam*, ait, *arguunt Ioannem inferẽdo quòd non debet baptizare, ex quo non eſt Chriſtus, neque Elias, neque Propheta.Tantum propria tribuunt ſcientiæ, & authoritati,vt decernant non licere baptizare,niſi alicui iſtorum*

iſtorum trium. Sunt homines adeò de ſua ſcientia præſumentes, vt nihil aliud eſſe exiſtiment, niſi illud,quod ipſi conſequuntur,vnde Phariſæi cùm illis tribus conuenire baptizare autumarent, nullum alium hoc lauacrum miniſtrare poſſe certa concluſione apud eos erat reſolutum.

Quod tu non intelligis, non dari exiſtimas.

103. Septimò. Arguunt Ioannem, quia exiſtimabant mittere falcem in ſegetem alienam; nam illis tantùm tribus credebant conuenire baptizare. Deinde arguebant, quia nouum ritum baptizandi introducebat ſine vtilitate, & ideo his obiectionibus, tamquam grauiſſimis occurrit Ioannes,& ait: *Ego baptizo in aqua, ipſe baptizat in Spiritu ſancto*, Ioan.1. num.33. Et ideo alius eſt meus Baptiſmus, alius Chriſti Baptiſmus. Et quamuis Ioannis lauacrum non eſſet in remiſſionem peccatorum, erat tamen ad præparandas vias Domini, ac proinde in præparatione ad ipſam peccatorum condonationem,vt dixi *cap.*1. *quæſt.*16.

Alienũ officium non eſt vſurpãdum.

104. Octauò. Cùm veniunt ad Ioannem, cùm magna veneratione accedunt, & quærunt ab eo, Quis es? Cùm verò agnoſcunt, quòd non ſit Chriſtus, neque Elias, neque Propheta,à quibus ipſi multum ſibi promittebant,ſtatim in eum inſurgunt, ac eum increpant: Cur baptizas? Res valde frequens, vt eos tantùm in honore habeamus, à quibus aliquid affectamus. Cùm Rex Balac ſe videret concluſum ab Iſraëliticis, miſit ad vocandum Balaam ſeniores nobiliſſimos,ac principes cum magno comitatu, vt malediceret Iſraël, *Num.*22. Et Rex venerationis cauſa ei occurrit in itinere ad eum honorandum. Cùm autem Balaam non poſſet maledicere populum, ſed potiùs ex Dei iuſſione benediceret, ait text. *Tandem ſurrexit Balaam,& reuerſus eſt in locũ ſuum,* Num.24.n.25. Sed quomodo Propheta qui apud omnes erat in magna veneratione, qui tantis aſſociatus venerat, ſolus, vt iuxta probabiliorem ſententiam notat Abulenſis *quæſt.*16. imò graues Recentiores ex radice Hebraica colligunt, *Reuerſus eſt in locum ſuum ſine donis*; quando Balaam venerat, multum negotium habebat Rex cum eo; nam illius maledictione ſe populum deuaſtaturum promittebat; cùm verò hæc ſpes fruſtraret eum, ceſſauit etiam honor, ac veneratio; nam hæc non illi,ſed expectationi, quam omnes in eum habebant,deferebatur.

Solum honoramus eos à quibus aliquid ſperamus. Num.24. Abulenſ.

105. Ambroſ. Quærit D. Ambroſius *lib.de benedictionib.c.*1. cur Deus ordinauerit quòd parentum benedictio tam vtilis,ac proficua eſſet filiis? Reſpondet ſanctus Pater: *Primum omnium diſcimus, quantam parentibus reuerentiam deferre debeamus, cùm legimus,quoniam qui benedicebatur à patre,benedictus erat; & qui maledicebatur, maledictus erat; ideo hanc parentibus gratiam donauit Deus vt filiorum pietas prouocetur.Prærogatiua igitur parentum,diſciplina eſt filiorum. Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem; & ſi pauper eſt,& non habet diuitiarum copias,quas relinquvt filijs, habet tamen vltima hæreditatis benedictionem,quas ſanctificationis opes ſucceſſoribus largiatur.* Sed vt filius patrem omni veneratione, ac cultu proſequeretur, nónne ſufficientiſſimè ad hoc impellebat ius naturæ? Ad quid vltra exigitur benedictio; quamuis filius rigoroſiſſima obligetione aſtrictus ſit ſuis parentibus, tamen niſi aliqua dependentia, ac profectus,& ſpes interueniret,nullus amor,nulláque reuerentia futura erat.

*Ioan.*1.*n.*26. Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.

VERSIONES.

*Syriacus, & D.Ambroſ. in Pſal.*47. Ego baptizo in aqua, ſed inter vos ſtat.

ALTER TEXTVS.

Vatablus. In medio veſtrûm ſtat.

*Matt.*5.*n.*11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam.

EXPOSITIO.

DIVINVS Ioannes multis hîc adimplet præceptoris munus; nam quamuis iniuria, ac calumnia,impetitus fuerit à Phariſæis, tamen hîc non iraſcitur, ſed hinc ſumit occaſionem, vt eos magis doceat, ac apertiùs de Chriſto perhibeat teſtimonium; nam hactenus tacitè, & ſubobſcurè de Chriſto fuerat locutus; & quamuis Ioannes eſſet quæſitus qua authoritate baptizaret,ad hoc non reſpondet,ſed ſimpliciter de ſuo Baptimo ait: *Ego baptizo vos in aqua,* & totus ad Chriſtum conuertitur. vt officium ſuum expleret; venerat enim Ioannes, non vt de ſe ageret, ſed vt de Chriſto Domino daret teſtimonium,vel dic quòd dum Ioannes ait de ſe, *Ego vox clamantis*, tacitè dat rationem, ob quam baptizabat,vt ſuprà dixi,& ait: *Ego baptizo in aqua,* differentiam ſui Baptiſmi à Chriſti Baptiſmo ponit; tamquam ſi diceret,meus Baptiſmus in aqua ſola eſt ad pœnitentiam, ac præparationem: Chriſti autem Baptiſmus in Spiritu ſancto ad ſanctificationem; vt ipſe infrà dixit *Ioan.*1.*n.*33. & quamuis Ioannes hîc coram Legatis hoc diſcrimen inter hæc duo Baptiſmata non aſſignauerit, tamen tacitè innuit,dum totus ad Chriſti excellentias ſe conuerterit. 106.

Ioannes ſui oblitus de ſuo munere agit.

107. Cyprian. Hieron. Ambroſ. Gregor. Anaſtaſ. *Medius veſtrûm*, Syriacus habet, *ſtat*, ſicut & legunt D. Cyprianus *lib.*2.*contra Iud.cap.*9. Hieronymus *cap.*14.*Ezech.*D.Ambroſius *in Pſal.*47. D. Gregorius *homil.*7. Anaſtaſius Synaita *lib.*8.*in Hexaëmer.* Et facit hunc ſenſum, ipſe Chriſtus Dominus inter vos eſt, vobiſcum conuerſatur; quia verò noſtra Vulgata habet, *ſtetit*, videtur quòd Ioannes ſuam locutionem referat ad id tempus,quando Chriſtus Dominus cum aliis venit ad Baptiſmum Ioannis, ac cum aliis ipſum prædicantem audiebat,& ait,*ſtetit*, quia Chriſtus Dominus numquam cecidit, ſed omnes ab eo ſunt erecti. *Quem vos neſcitis.* In hoc tacitè eos reprehendit, quòd tantam ſalutem non videant; cùm enim eſſent carnales,erant inepti ad tantam lucem intuendam.

*Ioan.*1.*n.*27. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt,qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.

VERSIONES.

Syriac. D. Ambroſ. lib.8. de fide, c.5.	Qui poſt me venit.
Aliqui ex Græco apud Tolet. ann. 49.	Qui ante me genitus.
Euthymius, Theophyl.	Qui ante me fuit.
D. Paulin. Epiſtol. 2. ad Seuerum.	Qui ante me erat.
Vatablus.	Ipſe eſt ille, qui poſt me venit, qui extitit ante me.
Multi ex Græco cum D. Cypr. lib. 1. contra Iud. cap. 12.	Cuius ego non ſum idoneus, ſeu ſufficiens.
Syriacus.	Soluere corrigias calceamenti

ALTER TEXTVS.

Matt. 3. n. 12.	Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare.
Marc. 1. n. 7.	Venit fortior me poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius.
Lucæ 3. n. 16.	Veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.

EXPOSITIO.

108. QVAMQVAM aliqui codices habeant, *qui poſt me venit*, ratione natiuitatis, quia Chriſtus ſex menſibus poſt Baptiſtam ortus eſt in mundo; tamen de futuro legendum eſt cum noſtra Vulgata, *poſt me venturus eſt*, & ita legunt D. Cyrillus *hîc*, D. Chryſoſtomus, D. Auguſtinus, D. Gregorius, & quamuis iam conuerſaretur in mundo cum hominibus, tamen de eo ita loquitur hîc Baptiſta, *poſt me venturus eſt*; ſcilicèt ad ſe manifeſtandum, ac ad prædicandum & baptizandum, vt explicant D. Chryſoſt. S. Thomas, Caietanus, & alij. *Qui ante me factus eſt.* Aliqui ex Græco legunt, *ante me genitus*, vtrũque enim ſignificat verbum Græcum, & reddit hunc ſenſum, qui poſt me ſe manifeſtabit in mundo, ante me genitus eſt ab æterno. huius expoſitionis meminit D. Chryſoſtomus *homil. 12. in Ioan.* & alij habent, *ante me fuit, erat, extitit* in mundo per diuinitatem; tamen ſimpliciter legendum, *ante me factus*, vt tenet noſtra Vulgata, & legunt omnes ferè Patres Græci, & Latini; & Ioannes hîc non loquitur, ratione diuinitatis, quia vt ſic Verbum non dicitur factum, vt conſtat ex Symbolo Athanaſij, ſed explicandus eſt locus cum D. Cyrillo, D. Chryſoſt. D. Auguſtin. Theophylacto, Alberto Magno, S. Thoma, Caietano. Chriſtus dicitur factus hîc ante Ioannem, non ratione temporis, ſed ratione dignitatis, ac gloriæ, Chriſtus in ordine gratiæ eſt prior omnibus, ipſe enim, vt princeps, ac caput, eſt cauſa finalis, & exemplaris omnium electorum, vt docent omnes Theologi cum D. Thom. *3. p. q. 24. art. 3.* & corroboratur hæc expoſitio; Ioannes hîc agebat de Chriſti Domini maieſtate, qua eum antecellebat, & ideo ſubdit:

Cyrill. Chryſoſt. Auguſt. Gregor. Chryſoſt. D. Thom. Caietanus. Cyrill. Chryſoſt. Auguſt. D. Thom.

Cuius non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti; hoc eſt, inter omnes ſeruos, & famulos, non ſum ſufficiens, ac idoneus ad præſtandum illi minimum obſequium; & ſoluere corrigiam, hoc eſt, calceos detrahere, quod minimum eſt ſeruorum. 109.

QVÆSTIO XXIV.

Soluuntur duæ quæſtiunculæ.

QVÆSTIVNCVLA prima de concordia Euangeliſtarum inter ſe; nam omnes quatuor hæc verba referunt, at aliquali diuerſitate; nam Ioannes calceamentum ponit in ſingulari, alij tres in plurali, *calceamenta*. Matthæus inquit, *calceamenta portare*; & Marcus *procumbens*. In hac re explicanda multus eſt Abulenſ. *cap. 3. Matth, quæſt. 67.* Dupliciter reſpondet D. Auguſt. *lib. 2. de conſenſu Euang. cap. 12. & 1.* Quia Ioannes hæc verba non ſemel dixit, ſed multoties ea populo repetiuit, & prædicauit; vnde non ſemper eiſdem verbis formalibu vſus eſt, ſed aliquantulum immutatis. Confirmatur; nam hiſtoria, quam hîc narrat Ioannes Euangeliſta, non eſt eadem cum illa, quam alij tres narrant; & ideo hæc ſolutio mihi videtur aptiſſima. Secundò reſpondet idem Auguſt. quòd eſto Ioannes ſemel hæc verba dixerit, tamen nulla eſt diuerſitas, quia ſacri Scriptores tantùm attendunt ad ſenſum, & non ad verba; & in illis verbis omnibus declaratur excellentia Domini, & humilitas Ioannis. 110. *Concordia Euangeliſtarum.* Abulenſ. Auguſt.

Quæſtiuncula ſecunda. Vtrùm Chriſtus Dominus calceis vſus eſſet? Negat Carthuſianus *in cap. 3. Matth.* Abulenſ. *in cap. 3. Matth. quæſt. 36.* Affirmatiua ſententia mihi eſt vera, quam tradunt D. Auguſt. *ſerm. 42. de Sanctis.* D. Chryſoſt. *homil. 66. ad pop. Antioch.* D. Thom. *hîc*, ſequuntur communiter Recentiores, Tolet. *in cap. 1. Ioan. annot. 65.* Barradas *tom. 2. lib. 1. cap. 6.* Probatur primò ex hoc loco, dicit enim Ioannes ſe non eſſe dignum portare Chriſti calceamenta, ſoluere eius calceamenta; ergo ſi Chriſtus nudis pedibus incedebat, aſſerendum eſt Ioannem fuiſſe deceptum, quod nullo modo eſt dicendum; & aliàs eius teſtimonium de Chriſto minueretur in authoritate, poterat enim dici, quomodo das teſtimonium de illo, quem non agnoſcis, an ſit calceatus, vel non? Secundò. Chriſtus in veſtitu, & cibo communem modum viuendi hominum ſecutus eſt; ergo etiam vt non incederet pedibus diſcalceatis. Tertiò. Apoſtoli calceis vtebantur, vt patet ex Marc. 6. num. 9. *calceatos ſandalijs*; & ita dixit Angelus Petro Actor. 12. num. 8. *calcea te caligas tuas.* Ergo Chriſtus habuit calceamenta; nam 111. *Vtrum Chriſtus vteretur calceis?* Carthuſ. Abulenſ. Auguſt. Chryſoſt. D. Thom. Tolet. Barradas. Marc. 6. Act. 12.

diſcipuli

diſcipuli in omnibus magiſtrum imitabantur. Quartò. Huius rei quandam rationem moralem aſſignat D. Gaudentius tract. 5. in Exod. *Chriſtus nõ propter ſe calceatus eſt, ſed propter nos, quoniam terra ſuſtinere non poterat maieſtatis eius nuda veſtigia.* Neceſſe fuit vt pedes Domini haberent tegumenta; nam aliàs terra fugeret, ne à denudatis plantis Domini tangeretur, natus meus Ieſus non ponitur in extrema paupertate nudus in præſepio, ſed pannis inuolutus. D. Leo. *Cingitur faſcijs, vt reclinetur in præſepio, adoretur à paſtoribus.* Nam ſi eſſet nudus, non auderet terra fulcimentum, ac ſuſtentaculum dare, ſed omnino fugeret, ac declinaret, ne tantam maieſtatem attingeret.

Gaudent. *Terra nõ audet tangere pedes Chriſti.* Leo.

QVÆSTIO XXV.

Quomodo de ſe ait Ioannes, quòd non ſit dignus ſoluere corrigiam calceamenti Chriſti Domini?

112. IOANNES hæc dixit ſua admiranda humilitate, ac charitate in Deum, qua ſe ſemper deprimebat, & Chriſtum exaltabat; de germano ſenſu huius ſententiæ eſt quæſtio. Et prima interpretatio eſt eorum, qui totum hoc referunt ad Incarnationem. D. Gregor. Nazianz. *orat. in ſancta lumina*, per *calceamenta* humanitatis aſſumptionem, per *corrigiam* alia myſteria ipſius Incarnationis intelligit, vt dicat Ioannes ſe eſſe indignum ad Chriſti myſteria, ac ineffabilia opera explicanda. Aliter hoc explicant D. Ambroſius *lib. de inſtitut. Virg. cap. 14.* D. Gregor. *homil. 7. in Euang.* Beda, D. Bonauent. Per *calceamentum* interpretantur humanam naturam aſſumptam, iuxta Pſal. 59. num. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Per corrigiam verò intelligunt vnionem, & eſt ſenſus; non ſum dignus Incarnationis eius myſterium explanare, dicitur Apocal. 5. num. 5. *Nemo inuentus eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius*, niſi ſolus agnus.

Nazianz. Ambroſ. Gregor. Beda. Bonauent. Pſalm. 59. Apoc. 5.

113. Secundò. Clemens Alexandr. *lib. 5. ſtromat.* Chriſtus Dominus, ait, erat abſconditus in Prophetis, ac figuris, vt pes in calceamento abſconditur, *ſoluere corrigiam* eſt ipſum propalare, ac manifeſtare; ait ergo Ioannes ſe eſſe indignum tantam Chriſti maieſtatem publicare, ac demonſtrare. Tertiò. Beda aliter hoc explicat. Per *calceamentum* prædicationem Euangelicam accipit, qua calceati fuerunt pedes Apoſtoli. Ad Epheſ. 6. num. 15. *Calceati pedes in præparationem Euangelij*; ait ergo Ioannes, ſe non eſſe idoneum ad portandam Chriſti prædicationem per Orbem.

Clem. Alex. Beda. Epheſ. 6.

114. Quartò. D. Ambroſ. *lib. 3. de fide, cap. 5.* D. Gregorius *cit.* D. Bonauentura & alij. Quando lis erat ſuper accipienda vxore alicuius conſanguinei demortui, qui cedebat, ſoluebat calceamentum ſuum, & dabat accipienti vxorem, *Ruth 4. num. 7.* Cùm autem eſſet controuerſia in populo, quis eſſet Meſſias, & ſponſus Eccleſiæ, an Chriſtus, vel Ioannes; diuinus Baptiſta ait: Non ſum dignus portare, & ſoluere eius calceamenta, quia non ſum idoneus, & ſufficiens, vt Chriſti Eccleſiam habeam mihi in ſponſam; Ioannes enim non erat ſponſus, ſed amicus ſponſi, *Ioan. 3. n. 29.*

Ambroſ. Gregor. Bonauent.

115. Quintò. Et mihi germana intelligentia eſt, quam appoſui in expoſitione, quæ eſt interpretatio D. Chryſoſtomi *homil. 11. in Matth.* Alberti Magni, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, & aliorum, vt dicat Ioannes ſe eſſe indignum, vt Chriſto humillimum, ac minimum obſequium ſeruorum præſtet, quod eſt calceos detrahere. Aliter etiam D. Cyrillus hanc ſententiam Ioannis explicat, vt ipſe dicat de ſe, eſſe indignum, vt inter Chriſti ſeruos computetur.

Chryſoſt. Alb. Magn. S. Thom. Bonauent.

116. Sextò. Hanc eximiam Ioannis humilitatem aliter explicat Rupert. *in cap. 3. Matth.* Nam per *calceamenta* interpretatur Apoſtolos; & ita expendit Pſalm. 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id eſt, meos Apoſtolos ad gentes mittam; ait Ioannes: Non ſum dignus portare, vel ſoluere eius calceamenta, quia non ſe reputabat idoneum, vt dignitatem Apoſtolicam haberet, ac vt inter Apoſtolos ſcriberetur, ait cit. Rupertus: *Ioannes ita iudicando, ita non quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum erant, conſiderando: & ſuperiores ſibi futuros Apoſtolos arbitrando regulam cuſtodiebat ſanctæ, & veræ humilitatis, ſemetipſum deprimens, tamquam minor eſſet omnibus illis. Sed numquid ita iudicabat Dominus iudicij? Nequaquam, ſed, Amen dico vobis, ait, inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Quanto ſe Ioannes omnibus inferiorem reputauit, tauto magis eum extollit diuina maieſtas, & tantam magnitudinem ei donauit, vt eſſet magnus coram Domino, *Luc. 1. n. 15.* & vt ait Chryſoſt. hom. 38. ad pop. *Manum, quam calceamentorum dixit indignam, hanc ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit, quando ad Baptiſmum Ioannis verticem inclinauit.* Et tanta fortitudine armauit, vt non eſſet arundo agitata, ſed ita Prædicatorem ſuum effecit, vt factum eſſet verbum Domini ſuper illum, & ad hoc venit vt omnes crederenr per illum, *Ioan. 1.*

Rupert. Pſalm. 107. *Quanto quis humiliatur, tanto extollitur.* Chryſoſt.

117. *Verbum Domini quod factum eſt ad Sophoniam filium Chuſi, filij Godoliæ, filij Amaziæ, filij Ezechiæ*, Sophon. 1. n. 1. Sed cur in Propheta ita deſcribitur genus per ſuos proauos, & per hos tantùm? Rem myſticè explicat ibi eleganter D. Hieron. *Iſte ergo Propheta*, ait, *qui erat in ſpecula, & in ſublimibus conſtitutus, & nouerat myſteria Domini, filius erat Chuſi (qui interpretatur humilitas, vel Æthiops meus;) habebat quoque auum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini, & proauum Amaziam, qui & ipſe vertitur in ſermonem Domini, & atauum Ezechiam, qui ſonat fortitudinem Domini. De fortitudine itaque Domini, natus eſt ſermo Domini, & de ſermone Domini, nata eſt magnitudo Domini, & de magnitudine Domini nata eſt humilitas, vt cùm perueniret aliquis ad perfectũ, dicat, Non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Quia Propheta ita ſe demiſerit, vt ſe filium humilitatis diceret, ita eum Deus ſublimauit, vt pro progenitoribus, ac maioribus habuerit magnitudinem, fortitudinem, ac verbum Domini. Abrahamo *apparuit Dominus ſedenti in conualli*, Geneſ. cap. 18. num. 1. Ad quid exprimitur locus, in quo Patriarcha ſtabat, quid refert quòd eſſet mons, planicies, vel vallis; magnum myſterium hîc latet, conuallis locus depreſſus eſt, vt quia Propheta ita erat humilis, & ſolùm in infimo loco ſe poſſe commorari ſibi perſuaderet; ideo diuina præſentia, ac colloquio fruitur, inter diuinas perſonas continuatur, & tamquam ſocius cum eis deambulat. Gloſſa moralis: *Per hoc, ait, deſignatur, quòd reuelationes diuinæ fiunt illis, qui ſunt in humilitatis conualle.*

Humilis ſublimatur. Sophon. 1. Hieron. Geneſ. 18. Gloſſa.

Ioan. 1.

Ioan. 1. *n.* 28. Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

VERSIONES.

Chryſoſt.hom. 16. *Vatabl.* Hæc in Bethabara facta.

Syriacus. Vbi baptizabat Iouchanon.

EXPOSITIO.

118. Iam ſolemne, & inſigne fuit hoc teſtimonium, vt denotet Euangeliſta locum in quo factum ſit, *In Bethania*, ita habet noſtra Vulgata, & multa antiqua exemplaria, vt teſtantur Origenes *tom.*2.*in Ioan.*& D.Epiphanius *hæreſi* 51. D. verò Chryſoſt.*citat.* Euthym. & Origen.*proximè allegatus*, & fauet D.Hieron. de locis Hebraicis; *Bethabara*,ait,*trans Iordanem eſt,vbi Ioannes baptizabat*. Tamen hoc teſtimonium dedit in Bethania,vt habet noſtra correcta, & legunt exemplaria antiqua, à quibus non eſt recedendum. Et ideo duæ fuerunt Bethaniæ; vna Lazari prope Hieruſalem, & citra Iordanem; altera verò diſtans ab vrbe regali & trans Iordanem; & dicebatur Bethania & Bethabara, & inde diuerſitas lectionum orta eſt.

Vulgata. Origenes. Epiph. Chryſoſt. Euthym. Hieron.

QVÆSTIO XXVI.

Quare Ioannes in Bethania baptizet,& det Chriſti teſtimonium?

119. De hac quæſtione multa dixi *hoc lib.c.*1. *q.*18.Teſtificatur Ioannes de Chriſto in hoc loco, ac in eo baptizat. Chryſoſt. *homil.*16.Vt ſit euidens,quòd non in angulo,non in occulto, factum eſt iſtud, ſed in manifeſto,& coram multis, qui confluebant ad Ioannem de omni hominum genere. Secundò. Albert.Magn. *Bethania*, ait, domus obedientiæ interpretatur, quæ, quoniam reſpicit omne præceptum, neceſſaria eſt baptizatis,& his,qui in militia Chriſtiana ſcribuntur; quia ipſa eſt perfecta iuſtitia,ſicut Chriſtus veniens ab Baptiſmum dixit: *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam.*Tertiò.Hic locus dicebatur *Bethabara*, ſignificat *domum tranſitus*; per illum locum tranſierunt filij Iſraël Iordanem, vt dixi *cit.loco*; vel dicebatur *Bethania*, hoc eſt, *domus nauis*; hîc Ioannes baptizabat,prædicabat, Chriſtum teſtificabatur; quia per Baptiſmum, ac Chriſti fidem, & cognitionem, fit tranſitus, ac nauigatur ad cæleſtem Hieruſalem, ac patriam noſtram beatam.

Chryſoſt.

Alb.Magn.

Baptiſmus traducit nos ad Paradiſum.

120. Cùm parens Elias igneo curru transferendus eſſet in cælum cum ſuo ſocio Eliſæo venit ad Iordanem. *Tulitque Elias pallium ſuum,& inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem,& tranſierunt ambo per ſiccum: cúmque pergerent,& ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cælum*,4.Reg.2.n.11.Valde mirum eſt, quòd tantus parens ſubleuetur in cælum, dum per medium aquarum Iordanis iter facit, cur non potiùs ante,vel poſt tranſitum? Cur non potiùs ex cellula ſua: ſed in ipſo tranſitu,ac ex medio aquarum eleuatur.Magnum myſterium latet. In aquis Iordanis Chriſti Baptiſmus præfigurabatur;inde ergo aſſumitur Elias in cælum,vt pateſiat, quòd ex nullo alio melius ſit aſcenſio,ac tranſitus in paradiſum, quàm à baptiſmalibus aquis. N.D.Cyrill.Hieroſol.*Catech.*3.ait: *Principium mundi aqua,principium Euangelij Iordanes, liberatio Iſraëlis à Pharaone per mare facta eſt. Vbicumque fœdus aliquod inter Deum, & homines,ibi & aqua. Poſt diluuium fœdus percuſſum eſt cum Noë,& fœdus cum Iſrael in monte Sina: verùm hæc non ſine aqua, & lana rubea, & hyſſopo. Elias aſſumptus eſt,ſed non ſine aqua, priùs enim tranſiuit Iordanem,deinde in cælum raptus eſt.*

4.Reg 2.

Cyrill.

121. De illa ſumma amœnitate paradiſi ait textus: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita*,Geneſ.cap.2.n.10. Sed Deus,qui omnia magnâ ſapientia creauit, cur ita diſpoſuit,vt è Paradiſo tanta aquarum copia egrederetur? In illis Paradiſi aquis ſalutiferum Baptiſmum adumbrari, concors eſt ſacrorum Interpretum ſententia. Et ſicut per fluenta aquarum facilè ad earum originem,ac alueum itur;ita voluit Deus ſignificare, quòd per ipſum Baptiſma ad cæleſtem Paradiſum acceditur. Rabbanus: *Quia verò*,ait,*per aquas regeneratrices regreſſus nobis ad cæleſtia patet, congruit ſatis diſpenſationi diuinæ pietatis, vt ipſum elementum, per quod ad ſupernam patriam reducimur, nobis ſit cum Paradiſo,in quo poſitus eſt homo primus, commune: & ſicut gratia nos recreat inuiſibiliter, & regni cæleſtis ingreſſum præparat; ita etiam inuiſibiliter ad noſtrum Orbem de Padiſo per terræ venas, ipſa, per quam nos recreat, vnda proſiliat.*

Geneſ.2.

Rabban.

CAP. V.

Secundum Ioannis teſtimonium: Ecce Agnus Dei.

Ioan. 1. *n.* 28. Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

VERSIONES.

Syriacus. Poſtero autem die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus ille Dei.

Vatablus. Poſtero autem die videt Ioannes.

Albert.Magn. ex Græco. Ecce pius ille Dei.

*D.Cyprian.lib. contra Iud. c.*15. *Chryſoſt.hom.*16. Qui tollit peccata mundi.

Multi

Multi ex Græco. Ecce candidus, ſeu purus ille Dei, qui portat peccata mundi.

Alij ex Græco. Tollens peccata.

EXPOSITIO.

1. Noſter D. Cyrillus lib. 2. in Ioan.cap.1. *Breui admodum*, inquit, *tempore Propheta ſimul, & Apoſtolus Baptiſta declaratur. Quem venturum prædixerat, hunc iam monſtrat præſentem.* Ioannes *Propheta*, quia venturum prædixerat Dominum: *Apoſtolus*, quia præſentem prædicabat, ac demonſtrabat; & ideo à Domino pluſquam Propheta dicitur, vt notat citatus Cyrillus. Et maximè in Ioanne reſplendet conſtantiæ donum, vt expendit D.Thomas *hîc*. Per vniuerſos dies benedicebat Dominum, ac in ſuo Præcurſoris munere Chriſtum digito demonſtrando proficiebat. *Altera die*. D.Chryſoſtomus *citat.homil.*16. Euthymius ita interpretantur, quòd poſtquam Dominus reuerſus eſt à deſerto, ſequenti die, hoc Ioannes protulerit teſtimonium; ſupponit noſtra ſublimis Aquila hiſtoriam de tentationibus ſcriptam ab aliis Euangeliſtis. Sed ſine dubio multo congruentiùs ad mentem, ac ordinem textus dicendum eſt, quòd poſtquam Dominus regreſſus eſt à deſerto, diuinus Baptiſta coram Legatis Iudæorum ipſum teſtificatus fuerit, ac proinde, ſeu,vt eſt in Græco, *poſtero*,ſeu *ſequenti die*, poſt prædictum teſtimonium,quod Euangeliſta immediatè antea narrat, *vidit Ioannes*; ſeu in præſenti, vt alij legunt, *videt Ieſum venientem ad ſe*, ad hoc vt Ioannes de ipſo perhiberet teſtimonium: & ſtatim eum agnouit, tam ex greſſu corporis, quàm ex diuina reuelatione interiùs illuminante. Et ait: *Ecce*; particularem perſonam deſignans; nam, vt ait Beda: *Quando dicitur: Ecce; quodammodo ille, qui oſtenditur, digito demonſtratur.* Et meritò digitus Ioannis obtinet hanc dignitatem, vt Chriſtum demonſtret, qui propter Chriſtum ad corrigiam calceamentorum ſe ſe ſubmittebat, *Ioan.*1. *num.* 27. D. Cyrillus citatus, ait; *quòd vox*, Ecce, *indicat ipſum, quem multi frequenter quæſierunt.*

Cyrill.

Ioannes Propheta. Ioannes Apoſtolus.

D.Thom.

Chryſoſt. Euthym.

Beda.

Cyrill.

2. *Agnus Dei.* Chriſtum ſic appellat Præcurſor ob ſuam manſuetudinem, innocentiam, ac candorem; & quia tamquam verus agnus, qui præfigurabatur in Paſchali agno, mundum à peccato liberaturus erat. Seu, vt alij ex Græco legunt, *portat peccata mundi*, iuxta illud Iſaiæ cap. 54. num.4. *Dolores noſtros ipſe portabit.* Et non ait Præcurſor, qui tollet,de futuro, ſed de præſenti, *qui tollit*; vt notat D. Chryſoſtomus citatus: *Vt quotidie ea tollere intelligatur, vnum namque pro peccatis noſtris obtulit ſacrificium (ſcilicet cruentum in cruce;) ſed per illud ſemper nos purgat.* Similiter Theophylactus, *Peccata mundi*; non huius,aut illius hominis, non huius, aut illius nationis,ſed mundi. Ad vniuerſum mundum redimendum deſcendit.

Iſai.54.

Chryſoſt.

Theoph.

* * *

QVÆSTIO I.

Quare Chriſtus venit ad Ioannem?

3. Valde frequenter Chriſtus Dominus venit ad Ioannem. In vtero, *Luc.*1.*num.*41. In Baptiſmo, *Matt.*3.*num.*13. hîc & iterum, *Ioan.*1. *num.*35. Commorari, ac conuerſari cum Baptiſta Chriſti delitiæ erant. Secundò reſpondeo. Aderat iam tempus,vt Chriſtus ſua prædicatione ſe mundo manifeſtaret, & ideo teſtimonio Ioannis voluit digito indicari, vt de eo magna opinio conciperetur in populo,ad hoc enim multum conducebat Ioannis teſtificatio, vt dixi *hoc lib. cap.*1. *q.*13. Tertiò. Albertus Magnus, *Ecce viſa Domini humilitas, quoniam ipſe maior exiſtens venit ad minorem. Et hæc eſt ſimul amoris,ac humilitatis.* Ioan.14.num.13. *Ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus.* Non dedignatur Dominus quærere ſeruum: vt ſuum eximium amorem erga eum oſtenderet,ideo ad illum venit.

Teſtimonium Ioannis magnæ authoritatis.

Alb. Magn.

Ioan.14.

4. Quartò.Theophylact. *Sæpe Dominus venit ad Præcurſorem,quare? Ne putent quidem,quòd quaſi peccatis obnoxius æqualiter cum alijs baptizatus ſit, idcirco iterum venit dans Ioanni occaſionem corrigendi hanc opinionem,ideo Baptiſta dicit: Ecce agnus Dei.* Similiter D.Chryſoſtomus, Euthymius *hîc*. Ne aliquis ex Baptiſmo Chriſtum crederet peccatorem, ideo ad Ioannem venit,vt ſub figura agni eius puritas, ac innocentia demonſtretur; nam qui tollit peccata aliorum,innocens eſt à peccatis,vt rectè probat Theophylact.maximè enim vnuſquiſque ſuæ famæ,ac opinioni debet conſulere, ne aliquid ſiniſtrum de ea concipiatur. Miſit Dominus Moyſi, vt liberationem ab ipſo faciendam populo nuntiaret.Et ait Moyſes ad eum, *Ecce ego vadam ad filios Iſrael,& dicam eis, Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos: ſi dixerint mihi, Quod eſt nomen eius? Quid dicam eis?* Exod.3.num.13.Valde mirum,quòd hîc Moyſes tam diligenter nomen Dei ſciſcitetur. Nónne vt Legatus à populo crederetur, ſufficiebat, quòd tanta poteſtas ad tot mirabilia perpetranda ei eſſet data à Deo? Imò facilè erat credere, quòd Deus, qui ſic eum nuntium deſtinabat, feliciſſimo exitu rem perficeret; tamen quo vocetur nomine, inquirit, ne ſuæ famæ detraheretur, & tamquam impoſtor crederetur,quod illius legatione fungebatur,cuius nomē omnino ignorabat.Philo lib.1.de vita Moyſis, *Non ignarus*,ait, *tribules ſuos, cæteróſque omnes haudquaquam his dictis credituros,quod nomen eius,qui miſit me,nec dicere potero,nónne impoſtor videbor?* Ne ergo de eo aliquid mali ſuſpicetur, vt inde fama Moyſis maculetur,ideo nomen Dei diſcere ſatagit.

Theoph.

Chryſoſt. Euthymius.

Fama conſulendum.

Exod.3.

Philo.

QVÆSTIO II.

Quare Chriſtus Dominus dicatur Agnus?

5. Ioannes, vt ait S.Macar.ſenior homil.28. *Complementum omnium Prophetarū,omnes quidem vaticinati ſunt de Domino procul oſtendētes,ille verò demonſtrabat eum ante oculos, Ecce Agnus Dei.* Quæ verba inter cætera Euangelica, tamquam

Macar.

Ioannes Prophetarū complementum.

Rupert.

tamquam pretioſiſſima gemma maximè fulgent, vt ait Rupertus lib.1.in Ioan. *Prioribus verbis*,inquit,*quaſi gemmam pretioſam ſuperaddidit Baptiſta, Ecce agnus Dei:cunctis namque ſuperior ſermo eius,quaſi aureum ſubſellium rutilat in Euãgelica Chriſti quadriga:hoc verò dictum tamquam pretioſiſſimus lapis augmentum decoris accedit.* Primus omnium Præcurſor in lege gratiæ Chriſtum Dominum agnum appellat, & inter omnes Euangeliſtas Ioannes Apoſtolus frequenter hoc nomine vtitur, ac eo maximè delectatur, *Apcal.5.6.8.12.13.& 6.1.16.& 7.9.10.14 17.& 12.11.& 13.8.& 14.1.10. & 19.7.9.& 21.14.23.27. & 22.1.3.14.* Nam cùm Ioannes Apoſtolus fuerit diſcipulus Præcurſoris,vt teſtantur D.Chryſoſtomus,Theophylact.D.Epiphan.*hæreſi* 51.à ſuo magiſtro tantum nomen didicit. Peculiariter deueniamus ad quæſtionem:Cur Chriſtus dicitur Agnus?

Euangeliſta edoctus in multis à Baptiſta. Chryſoſt. Theophyl. Epiphan.

6\. Cyrillus. Theoph. Elias Cret. Chryſoſt.

Reſpondent primò D. Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, Elias Cretenſis *in comm. orat.* 4. *de Theologia*, D.Chryſoſtomus *homil.*10. qui ait. *Agnum appellat Ioannes Chriſtum, vt Iſaiæ Prophetiam in memoriam reducat:Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*,Iſai.53.num.7.Et ſic Ioannes in ſuis teſtimoniis ex omni prophetia adimpleta oſtendit, Chriſtum eſſe verum Meſſiam. Secundò D. Chryſologus. *ſermon.* 164. Dicitur Chriſtus agnus propter admirabilem manſuetudinem, quia omnia tormenta, ac opprobria ſuſtinuit, vt patet ex citato loco Iſaiæ; & Hieremiæ 11.num.19. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.*Ipſa manſuetudine Dominus traxit ad ſe omnia,Pſalm.44.num.5.*Intende proſperè,procede, & regna propter manſuetudinem.*Vide infrà *q.*3. Tertiò. D. Auguſt. *tract.*4.*in Ioann.*Saluator agnus appellatur,vt eius ſimplicitas,ac innocentia demonſtretur, qua agnum referebat,1. Petri 1 n.19. *Redempti eſtis pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti,& incontaminati*,&c.Quartò Clemens Alezandrin.*lib.*11. *Pædagog. cap.*5. ait: *Quoniam Scriptura pueros, & infantes agnos vocat: Deum, qui eſt Verbum, qui propter nos homo factus eſt,qui nobis in omnibus aſſimulari volebat,vocauit Agnum Dei,Filium Dei,* Quia in Scriptura *pueri* aliquando vocantur agni, vt Chriſtus nobis in omnibus ſimilis appareret, ideo Agnus dicitur.

Chryſol. Hierem.11. Pſalm.44. Auguſt. 1.Petr.1. Clem.Alex.

Chriſtus nobis ſimilis per omnia.

7\. Cyrill. Ambroſ. Zeno.

Quintò.D.Cyrillus *citatus*,D. Ambróſius *lib. de Diuinitate Filij Dei cap.*6. D. Zeno *ſermon.*1. *de Exodo* docent, quòd Chriſtus dicitur *Agnus*, quia ad immolandum in reconciliationem generis humani venerat; & ideo in huius rei typum præcepit Deus, vt ad ipſum placandum, quotidie agnus immolaretur, vnus manè, & alter reſpere, Exod. 29. num. 38. & Num. 28. num.13.*Offeretis agniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum, vnum offeretis manè,& alterum ad veſperam.* In quo maximè notandum eſt, quòd quamuis in lege veteri multa fierent ſacrificia ex animantibus terreſtribus, & volatilibus, tamen iuge ſacrificium manè, & veſpere fiebat ex ſolis agnis, quia in ipſis expreſſiùs Chriſti Domini ſacrificium præfigurabatur, tam quod cruentè in ara crucis eſt peractum,quàm quod incruentè in ſacramento altaris quotidie offertur. Et præceptum erat in lege agniculos per ſingulus dies immolari, quia vmbra Chriſti Domini proteguntur omnes, & quia ſemper Chriſtum debemus intueri ad contemplandum, ac ad imitandum ipſum ore, & corde. Et ita explicat D. Gregorius Magnus rationem, ob quam in Ægypto ſanguis agni poſitus eſt, nõ ſuper vnum poſtem tantùm, ſed ſuper vtrumque.Ita ait homil.22.in Euangeliſt. *Sanguis Agni ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis,ſed etiam ore cordis hauritur;nam qui ſic Redemptoris ſui ſanguinem accipit, vt imitari paſſionem illius nedum velit, in vno tantùm poſte ſanguinem ponit. Quid verò eſt illum ponere in ſuperliminaribus domorum? Mens noſtra domus eſt,cuius domus ſuperliminare eſt ipſa intentio,quæ præeminet actioni; qui igitur intentionem cogitationis ſuæ ad imitationem dominicæ paſſionis dirigit, in ſuperliminari domus Agni ſanguinem ponit.* Sextò. Rupertus, D. Bonauentura, Gloſſa ait. *Tria miniſtrat agnus poſſidentibus ſe, lac in documentum ſimplicis doctrinæ, quo paruuli nutriuntur;lanam, ideſt, incrementa virtutum; eſum carnis ſuæ.*Agnus lac dicit in matre,Chriſtus Dominus autem Agnus, qui lac doctrinæ in potum paruulis nondum ad cibum ſolidum perfectis miniſtrat. 1. Corinh. 3. *Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedit.*Agnus aſportat vtilitatem, qui lanam ſuam per conuerſationis exercitium dat in veſtimentum virtutum, quibus anima maximè exornatur, & carnem in cibum nutrimenti ſpiritualis. Et ita ait D. Hieronymus in cap. 53. Iſai. num. 7. *Hic agnus eſt*, inquit, *in cuius typum immolatur agnus, cuius cruor linitus in poſtibus exterminatorem fugabat Ægypti: qui non ſolùm ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit, vt algentes infidelitate ſua veſte calefaceret, & audiremus Apoſtolum nobis loquentem: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*,ad Galat.3.

Chriſtus imitādus eſt ore, & corde. Greg.Magn. Exod.12. Rupertus. Bonauent. Gloſſa. 1.Cor.3. *Chriſtus nos docet, induit & cibat.* Hieron.

8\. Alb.Magn. *Chriſtus exaudit vocem matris ſuæ.*

Septimò. Albertus Magnus. Agnus *latinè dictus eſt ab agnoſcendo,qui vocem matris in toto grege balantis agnoſcit, & agnoſcitur ab illa.* Agnus enim vocem matris maximè recognoſcit, vt eam ſequatur, & ad illam accedat. Chriſtus Dominus dicitur Agnus, quia vocem ſanctiſſimæ matris ſuæ exaudit, vt ad eius preces inclinetur. *Sexaginta ſunt Reginæ,& octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea,perfecta mea*,Cantic.6.num.7.Deipara Virgo à ſponſo maximè laudatur. Sed valde mirum eſt, quòd ita extollatur: cur non iiſdem encomiis, quibus ipſa ſuum dilectum affecerat, quod eſſet candida, rubicunda, electa ex millibus, caput eius aurum optimum, *Cantic.* 5. *num.* 10. Pſellius apud Theodoretum, & Rupertus Abbas inquiunt, quòd Virgo dicitur columba ob ſuam puritatem, ac ſimplicitatem: deinde columbæ vox, cùm ſit gemitus, inter omnes aues maximè dignoſcitur, & peculiarem habet vim ad trahendum, ac vocandum ad ſe conparem ſuum, vt teſtantur Ericus, & Aymon *ſerm. de purificatione.* Sic Mariæ oratio, ac deprecatio inter omnes beatas animas maximè agnoſcitur, ac eximia eius efficacia præpotens eſt ad ſuum ſponſum, ac filium inclinandum, ad miſericordiámque flectendum; quanta enim ſit potentia Virginis ad impetrandum à filio ſuo, explicat D. Bonauentura, dum expendit ſalutationem Angelicam, *Dominus tecum*, Luc.1.num.28. ait ſanctus Doctor in ſpeculo Virginis cap.8. *Quia Dominus potentiſſimus tecum eſt,ideo & tu es potentiſſima ſecum; potentiſſima es per ipſum, potentiſſima es apud ipſum, ita vt verè dicere poſſis illud* Eccleſiaſt.24.*In Hieruſalem poteſtas mea.*

Cant.8. Pſellius. Rupert. Ericus. Aymon. Bonauent. Luc.1. Eccleſ.24.

QVÆSTIO III.

Quare Ioannes Chriſtum Dominum non appellet Deum, vel Regem, ſed tantùm Agnum?

9\. MVLTÒ illuſtrius videbatur teſtimonium, ſi Ioannes Chriſtum oſtendens, diſertis verbis diceret: Ecce filius Dei, Ecce Rex regum, Dominus dominantium:tamen,his omiſſis, tantùm ait, *Ecce Agnus Dei.* Reſpondeo primò, quòd dum Agnum Dei nominat, Deum eſſe profitetur, vt dicam *quæſt.*5. Secundò. Ioannes, vt vniuerſalis, ac optimus magiſter, ſenſim, ac per omnem circunſtantiã, & prophetiam teſtificatur, Chriſtum Dominum, verum eſſe Meſſiam; nam ſuperiùs eius eximiam, ac ſupremam dignitatem patefecit, dum ſe indignum aſſeruit ad hoc, vt ſoluat eius corrigiam calceamentorum, *Ioann.*1. *num.*26. Et infrà, eum eſſe filium Dei apertis vocibus teſtatur n 34. *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Hîc verò cùm Agnum dicit, propter vaticinia Iſaiæ, ac Hieremiæ,vt retuli *quæſt.*2. Tertiò. Ioannes Chriſtum Meſſiam eſſe teſtificatur, non tantum ab inſita maieſtate, quantum ab operibus exhibitis;nam ſi Dem, vel Regem nominaſſet, quanta, & qualis eſſet eius dignitas, propalabat; at dum ait: *Ecce Agnus Dei,qui tollit peccatum mundi*; eum Agnũ dicit,qui pro ſalute,ac redemptione totius mundi immolandus erat.Et valde rara, ac ſupereminens eſt excellentia, quæ non à maieſtate,ſed ab operibus procedit.Vide *lib.1.c.2.n.24.& 25.*

Vera maieſtas ab operibus.

10\. Auguſt.

Quartò. D. Auguſtinus tract.7. in Ioan. *Venit Agnus*,ait; *qualis Agnus eſt? Quem lupi timent. Qualis Agnus eſt? Qui leonem occiſus occidit.*Homines Chriſtum expectabant victorem, Ioannes Agnum dicit,quia nos liberauit, ac redemit,non pompa,ac poteſtate, ſed manſuetudine ſua,atque morte Agni occiſi, qui balatu, ac voce ſua Dæmones fugauit,ac homines attraxit. Huius rei teſtis ſit ipſe Ioannes; nam dum de Chriſto ait, quòd ante illum eſſet factus, quòd ipſe non erat dignus eius corrigiam calceamentorum ſoluere, quòd in Spiritu ſancto baptizaret, quòd eſſet filius Dei; quæ omnia conſtant ex *cap.*1. *Ioan. à num.*27.nihil diuinus Præcurſor proficit, nullum adducit ad Chriſtum (quantum legimus ex diuinis literis:) at vbi reſpiciens Ieſum ambulantem dicit:Ecce Agnus Dei; *& audierunt eum duo diſcipuli loquentem,& ſecuti ſunt Ieſum*,Ioan.1.n.37. Vbi manſuetudo, ac lenitas cæleſtis Agni innotuit,ſtatim homines inclinantur ad Chriſtum, ac ipſum ſequuntur, vt in Apoſtolico ordine fiãt firmiſſima fundamenta. Chryſoſt. hom.17. *intuere hoc etiam loco*,inquit,*quòd neque cùm dixit: Qui poſt me venturus eſt,ante me factus eſt,neque cùm: Non ſum dignus ſoluere eius corrigiam calceamenti; quemquam lucratus eſt. Verùm cùm de Chriſti generatione verba habere, & in humiliorem ſermonem deſcendere cœpit,tunc ſecuti ſunt diſcipuli.Vnde animaduertendum eſt, quòd non tam multi ad Chriſtum ſectandum adducuntur, quando magni aliquid,& altum de Deo dicitur,ſicut cùm ad humiliora,& auditorum ſalutem accommodatiora deſcenditur.* Plus alliciuntur animi benignitate, ac manſuetudine, quàm potentia, ac maieſtate. Et ita cùm Iſaias Chriſtum Dominum ſub ſpecie Agni introducit,vt explicat D.Hieronymus, ſtatim eum dominatorem vniuerſæ terræ appellat: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*, Iſai. 16.num.1.

Ioan.1. Chryſoſt. *Plus trahitur manſuetudine, quàm potentia.* Iſai.16.

QVÆSTIO IV.

Quare Chriſtus Dominus dicatur à Ioanne Agnus, cùm ab Iſaia vocetur Paſtor?

ELEGANTER D. Chryſoſt. *homil. de turture*, introducit Eccleſiam ſedulè ſuum ſponſum Chriſtum quærentem, & accedit ad Iſaiam qui eum deſignans paſtorem vocat, 40.num.11. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos.* Pergit ſponſa in deſertum ad Ioannem,& inquirit ab eo, an ſit Chriſtus? Qui cùm dicat:Non ſum,ipſum oſtendit, dicens: *Ecce Agnus Dei,qui tollit peccata mundi*; ſubdit modò citatus Chryſoſt. *Cùm audiſſet* (ſcilicet Eccleſia) *Agnum à Ioanne & paſtorem ab Iſaia, hæſitat: & putat,dicens ad ſemetipſam;cui credam? Putas huic, aut Iſaiæ? Videt Dominus quoniam dubitat,clamat, & dicit: Ego ſum paſtor bonus. Et vno ſermone ſoluit omnem hæſitationem eius.* Ad quæſtionem reſpondeo. 11.

Iſai.40. Chryſoſt.

Primò, quòd Chriſtus Dominus, cùm ſit bonus paſtor,eſt verus ductor, princeps, & Agnus; nam vt paſtor regit, ac paſcit oues; vt verus Agnus paſchalis figuratus in lege, eos alimento ſuæ carnis nutrit, ac proprio ſanguine ab omni peccato,ac malo liberat. Secundò. Chriſtus Dominus ita eſt dux, ac princeps noſter, vt ipſa ſuprema dignitate non extollatur; ſed ita ſe gerit vt Agnus,ac vt quilibet ex minimis ſubditis ſuis; quod maximè optabat S.Ænodius *lib.de regimine* In Præſule Eccleſiaſtico, vt ipſa dignitate ſuſcepta, ſubditi formam,conditionem, ac humilitatem non exueret. Tertiò Elias Creten. *in* 1.*orat. D.Gregorij Nazian.*ita ait *Agnus autem,& paſtor Dominus dicitur:illud nempe,vt pro nobis oblatus; hoc autem,vt qui ſe ipſum obtulerit: nam ipſe propriè,& ſacrificium,& ſacrificus eſt. Paſtorem quidem ſe ipſe in Euangelij nominat: Ego ſum paſtor bonus*, Ioann.10. *Agnus autem à Baptiſta nuncupatus eſt: Ecce Agnus Dei.*Ipſe enim eſt hoſtia,& Sacerdos. 12.

Prælatus in dignitate, vt ſubditus ſe gerat. Ænod. Elias Cret.

Quartò. Paſtor,& Agnus pro diuerſitate temporis,& circunſtantiarum: Paſtor,vt virga,& baculo errantes ac rebelles,contumaceſque reducat: Agnus, vt lenitate, ac manſuetudine debiles, & miſeros trahat.Et ita dicebat Paulus 1.Corinth.4. n.21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate,& ſpiritu manſuetudinis?* Quod expendens D.Hieron.ibi.*Benignus magiſter*,ait,*diſcipulorum correctionem in eorum poteſtate dimittit; vt ſi pœnitere vellent, clementiſſimus conſolator adeſſet: ſi autem nollent, durus vltor aſſiſteret peccatorum. Quali virga venit Petrus ad Ananiam, & Sapphiram, & ipſe Paulus ad Magum.* Similiter D.Gregor. lib.1.Regiſtri epiſt.34. *Neceſſe eſt*,ait, *vt Prælatus & bene agentibus ſit per humilitatem ſocius;* 13.

Prælatus bonis ſit mitis, rigidus verò malis. 1.Cor.4. Hieron. Gregor.

ſocius; & contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus.

QVÆSTIO V.

Quare Chriſtus in Apocalypſi dicatur Agnus tantùm, à Baptiſta verò, Agnus Dei?

14. Alb. Magn. CHRISTVS Dominus dicitur Agnus Dei primò, vt ait Albertus Magnus, quia eſt filius Dei naturalis; & vt eius diuinitatem Baptiſta indicaret, ideo dicit Agnum Dei. Secundò. Quia à Deo miſſus eſt, & nobis datus. Tertiò. D. Thom. Agnus Dei, ſcilicet Patris, *quia ipſe prouidit homini oblationem ad offerendum pro peccatis ſufficientem, quam homo per ſe habere non poterat.* Quartò. Idem S. Doctor, & Theophylact. Agnus Dei vocatur, quia à Deo oblatus eſt pro noſtra ſalute, ſicut dicitur oblatio hominis, quam homo offert. *(D.Thom. — Theoph.)*

15. *Quæſtio.* Tamen in quæſtionem voco: Quare diuinus Baptiſta *hic*, & iterum *num.* 35. Chriſtum appellat non ſolùm Agnum, ſed & *Agnum Dei*; cùm tamen Euangeliſta in ſuo Apocalypſi *Agnum* tantùm dicat. *In medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum occiſum habentem cornua ſeptem*, 5.n.6. *Et vidi, quòd aperuiſſet Agnus de ſeptem ſigillis*, 6.n.1. *Ecce Agnus ſtabat ſuper montem Sion*, 14.n.1. & ſæpe. *(Apocal. 5.6. & 14.)* *Reſponſ.* Ad quæſtionem reſpondeo primò, quòd Euangeliſta loquebatur de Agno in cæleſti curia, in throno, & ſede maieſtatis, ac proinde ex ipſo modo, & ſitu, diuinitas eius publicabatur; at Baptiſta eum oſtendebat hominibus, qui, vt eum, tamquam Deum, agnoſcerent, neceſſe fuit, hoc diſtinctè publicare. Secundò. Præcurſor indicare intendebat, quòd ille Agnus pro omnium peccatis in holocauſtum eſſet offerendus, ideo conueniens fuit, vt eum Dei Agnum manifeſtaret, non enim quæ hominis, ſed quæ Dei ſunt, pro aliorum ſalute in paſſionem, ac mortem dantur.

16. *Diuinitas potius manifeſtatur, dum miſeretur, quàm dum regnat.* Tertiò. In Apocalypſi apparebat Agnus in monte Sion, in throno, ac eminentiſſima ſede, in medio ſeniorum; à Baptiſta verò digito oſtendebatur, tollens peccata mundi, ideo hîc Agnus Dei appellatur, multò enim magis patefit, ac manifeſtatur Diuinitas, dum hominum peccata abluit, ac abſtergit, quàm dum in throno, ac ſede maieſtatis dominatur, ac regnat. Cùm Nabuchodonoſor accederet ad fornacem ignis, videns tres pueros illæſos, ait, *Ecce video quatuor viros ſolutos, ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, Daniel 3.n.92. *(Daniel. 3.)* Poſtea verò idem Propheta loquēs de vltimo aduentu diei Iudicij, in quo Chriſtus Dominus cum poteſtate magna veniet, ait: *(Daniel. 7.)* *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt; & aſpiciebam in viſione noctis, & ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat*, c.7.n.13. Sed quomodo in cælo, in ſede dominationis, dicitur *filius hominis*, in fornace verò *filius Dei*? D. Hieron. *(Hieron.)* *Cæterùm in typo præfigurat iſte Angelus, ſiue filius Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ad fornacem deſcendit Inferni, vt eos, qui tenebantur incluſi, mortis vinculis liberaret.* Diuina natura multò magis oſtenditur, ac propalatur, dum miſeris ſubuenit, quàm dum in ſede maieſtatis triumphat, & regnat, & ideo in nubibus filius hominis; cùm verò ad fornacem deſcendit, filius Dei. Ioannes Chriſtum Dominum non publicauit agnum, ac Flium Dei quando in Iordane cæleſti gloria circundatum vidit: *Cæli aperti ſunt, vox Patris intonuit, Hic eſt filius meus, ac Spiritus deſcendit ſuper eum*, Matth. 3. num. 16. *(Matth. 3.)* Sed quando eum vidit hic venientem ad ſe, vt iam homines attraheret, & Andream, alioſque ad ſe adduceret; tanquam ſi magis irradiaret, ac fulgeret Diuina natura, dum hominibus benefacit, ad eorumque deſcendit ſalutem, quam dum omni cæleſti gloria eminet. Huc tendit Rupertus lib.2. in Ioan. *(Rupert.)* *Qui hominibus*, inquit, *non antea cognitus ex eo cognoſci, ac diligi cupit, ex quo ambulare cæpit de cælo veniens in vterum Virginis, de vtero in præſepe, de præſepi in Crucem.* Filius Dei in poſſeſſione ſuæ æternæ beatitudinis ſemper extitit, & tunc cæpit diuulgari, quando ad noſtram redemptionem volauit.

QVÆSTIO VI.

Quare Ioannes de Chriſto ait: Qui tollit peccatum, *& non* peccata?

CVM Baptiſta Chriſtum Dominum dixiſſet Agnum, ob rationes ſuperiùs datas, de ipſo ait: *Qui tollit peccatum mundi*; oſtendens eſſe Agnum illum præfiguratum in lege, qui pro reconciliatione immolabatur. Et ita ait S. Zeno Veronen. ſerm. 1. de Exodo. *(Zeno.)* *Hic, inquam, Agnus perfectus, quia in ipſo magnus ille Sacerdos pro myſterio ſua victima incluſus, hodie Deum reddidit hominem, quem litauit.* Et dum Ioannes ait: *Qui tollit peccatum mundi*; per excellentiam tacitè denotat inefficaciam ſacrificiorum legis veteris, quæ à peccatis purgare non valebant. Et dum ait: *Qui tollit peccatum.* Quodnam peccatum inſinuet Baptiſta, valde dubium; Gloſſa Ordinaria de originali interpretatur, ad quod principaliter tollendum Chriſtus venit, Diuus Thomas, Theophylactus, inobedientiam primi parentis intelligunt. *(Gloſſa. D.Thom. Theoph.)* Sed ſimpliciter dicendum eſt, quòd poſuit peccatum in genere pro vniuerſis peccatis, vt ſi dicamus: Piſcis extractus ab aqua moritur, hoc eſt, omnis piſcis. 17.

Sed quare non dixit, peccata mundi; ſed *peccatum* in ſingulari? Prima ſolutio, & vera patet ex proximè dictis; poſuit genus pro vniuerſis indiuiduis, & ſpeciebus. Secundò, & moraliter. Ea eſt conditio ſummæ benignitatis, ac amoris Dei, quòd dum multa concedit, & donat, non exaggerat, ſed potiùs minuit, ac tamquam pauciora diuulgat. *(Deus ſua beneficia non exaggerat, ſed minuit.)* Et hac de cauſa etſi millia millium peccatorum generis humani remittat, ac condonet, tamen vnum ſolum peccatum tollere dicit. Tertiò, vt ait D. Cyprian. lib. de duplici martyr. *(Cyprian.)* *Plus eſt tollere peccatum, quàm peccata: & peccatum non huius, aut illius, ſed mundi. Peccatum* dicit, vt difficultatē in eo eradicando inſinuet, nihil enim firmius conſiſtit, quàm vbi vnitas intercedit; & ita erant omnium hominum peccata inter ſe coadunata, ac ſi vnum tantùm eſſet. Moriturus S. Iacob ait Gen. 49.n.5. *(Geneſ. 49.)* *Simon, & Leui fratres; vaſa iniquitatis bellantia dicit.* Sed ſcitu valde dignum eſt, 18.

cur, Sanctus Patriarcha hos duos inter omnes filios tantùm vocat fratres? *(Iniquitas peccatores vnit.)* Hi duo armata manu ciuitatem Sichem in ore gladij percuſſerunt, & arctius vnitatis vinculum in eis peperit iniquitas ad malum, quàm germana carnis, & ſanguinis cognatio Caietanus ibi. *(Caiet.)* *Simul iſtorum duorum cauſa agitur propter eorum vnitatem ad malū, propter quod & appellantur fratres, non tā carne, quàm conſilio, & animo.* Et ideo S. ſenex eorum firmitatem deſtruendo, tamquam quid mirabile adiecit, *Diuidam eos in Iacob, diſpergam eos in Iſraël.*

QVÆSTIO VIII.

Quare Ioannes dixerit de cæleſti Agno, quòd peccata tollat?

19. HOc dixit Præcurſor, vt Chriſti infinitam, ac diuinam declaret virtutem; nullus enim peccata abſtergere, ab illiſque mundare poterat, niſi ſolus Deus. Secundò. D. Chryſolog. *ſerm.* 45. *in Pſal.* 6. ſic fatur: *(Chryſol.)* *Beatus Ioannes*, ait, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: ſuſcepit peccatū, vt peccatum tolleret.* Deus cuius potentiæ omnia ſubiacent, vt crimina noſtra deleret, carnem noſtram peccatricem ſibi adiunxit, vt ex ſimilitudine peccati, peccatum damnaret. *(Qui eſt in miſeria, miſeris miſeretur.)* Facile quilibet miſeriæ forma circundatus miſeris ſubuenit. Tertiò, D. Leo Epiſtol. decretali 97. cap. 2. *(Leo.)* *Sine veritate carnis non proteſtaretur Ioannes: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ſine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum.* Vt genus humanum viuificaret, Dei filius potentiam ſuam ad noſtræ naturæ debilitatem adiunxit; optimè enim viuificantur omnia, cùm ſumma potentia condeſcendit ad miſeros, vt eos adiuuet atque ſubleuet.

20. Bernard. Quartò. D. Bernard. *ſerm. 6. de triplici aduentu, & carnis reſurrectione*, ait. *Præco Ioannes Baptiſta clamat: Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: non dicit morbos corporis, non moleſtias carnis, ſed peccatum, quod eſt morbus animæ, & corruptio mentis.* *(Peccatum ſolum malum, & comparatione illius aliud nullum.)* Quamuis Chriſtus Dominus ad omne malum, omneque noxium ablegandum veniret, Ioannes tamen de peccato tantùm mentionem facit, illud enim ſolùm verè eſt malum, & comparatione illius aliud nullum. Ait Deus Zachar. 1. n. 15. *(Zachar. 1.)* *Ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum; ipſi vero adiuuerunt in malum.* Seu, vt clariùs legunt Septuag. *(Septuag.)* vltima verba, *Ego iratus ſum modicum, ipſi verò ſuperpoſiti ſunt in malum.* Sed valde inquirendum eſt, quando extitit parua hæc Dei ira, cùm mundū diluuio, Sodomam incendio, Ægyptum plagis conſumpta eſſe videantur? *(Rupert.)* Ruperti eſt ſententia, quòd hæc parua ira referatur ad Machabæorum tempus, quando Antiochi ira crudeliſſima cæde in homines Iſraëliticos, mira tyrannide in eorum populos ac deuaſtatione in ſuas deſæuierat, ac deferbuerat ciuitates. Sed hæc dicuntur parua ira? Quandone fuit magna? Ipſemet Deus explicat. *Ipſi verò adiuuerunt in malum.* Quando ſcilicet ſunt in peccata prolapſi; hæc enim eſt ſolùm ira magna, calamitas maxima, licèt namque alia multa adduxerit damna in vita, corpore, aliiſque temporalibus rebus, ira parua erat. Et ita ait Lyranus. *(Lyran.)* *Dicitur ira parua, quia Iudæi puniti ſunt tantùm pœna temporali.* Sed audiamus Rupert. lib. 9. de victoria Verbi c. 23. *(Rupert.)* *Cuncta ſecundùm*, ait, *hoc genus malorum; direptio theſaurorum, & cædes hominum, planctus magnus in Iſraël, & in omni loco eorum gemitus principum, & ſeniorum, infirmatio iuuenū, & virginum, lamentum maritorum, & luctus matronarum, plaga magna ciuitatis, & perditio populi multi (nam & ciuitatem ſuccendit Antiochus igni, domos quoque & muros in circuitu deſtruxit.) Hæc, inquam, omnia pertinent ad iram paruam, iuxta quod ait ipſe: Ego iratus ſum parum. Parua namque hæc fuerunt, quia circa corpus omnia verſata ſunt; bona temporalia, bona caduca.*

Ioannis 1.*n.* 30. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.

VERSIONES.

Syriacus, Hic eſt, de quo dicebam: Poſt me venit vir, & fuit ante me, quoniam prior me eſt.

Ex Græco legitur. Ante me conſtitutus, quia prior.

Vatablus Venit vir, qui ante me extitit.

EXPOSITIO.

21. QVæ Ioannes de Chriſto ipſo abſente Phariſæis antea dixerat, ea hîc coram turbis de ipſo præſente repetit. Et de explicatione præſentis textus vide cap. ſuperiori *n.* 108. vbi ſatis rem explanaui, quare Chriſtus dicitur factus ante Ioannem; dignitate, ac honore ipſum præcedit, & ita bene deducitur ex verbo Græco, γέγονεν *conſtitutus*, quod quandam dicit præeminentiam. Vt conſtituit Iacob Ephraim ante Manaſſem *Geneſ.* 48.*n.* 20. Et ita ex hoc loco nullum habent argumentum Arriani, vt dicant, Chriſtum, ſecundùm Diuinitatem, eſſe creaturam, hoc enim falſiſſimum eſt; nam illud *ante factus*, non dicit tempus, ſed honorem, & dignitatem, vt explicant D. Chryſoſt. D. Cyrillus allegati *citato n.* 108. *(Chryſoſt. Cyrillus. D.Thom.)* Et hæc eſt vera intelligentia. Aliter rem enucleat D. Thom. quòd quāuis Chriſtus cōceptus fuerit poſt Ioannem ſex menſibus, tamen ante ipſum dicitur factus vir, quia prior Ioanne habuit integrum, & abſolutum viri vſum rationis. In Chriſto enim à primo inſtanti ſuæ conceptionis extiterunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.

QVÆSTIO VIII.

Quare Ioannes Chriſtum hîc appellet virum, cùm antea Agnum dixiſſet?

22. Ambroſ. MVLTVS eſt D. Ambroſ. *lib.* 3. *cap.* 5. in explicando, cur Chriſtus hîc à Ioanne vocetur vir; cùm ſuperiùs *hoc cap.* 1. *n.* 15. in ſimilibus verbis nomen viri ſubticuerit. Reſpondet S. Pater, quòd immediatè præceſſerat celebre illud di-

ctum:

ctum: *Verbum caro factum eſt*; ac proinde manifeſtum erat, quòd de Verbo Incarnato loquebatur. Tamen, vt bene obſeruat Tolet. *annot.* 63. illa verba, *Verbum caro*, &c. dicta ſunt ab Euangeliſta, & non à Baptiſta. Verumtamen ſine dubio in priori teſtimonio: *Hic erat, quem dixi: Qui poſt me venturus eſt*, &c. Illa particula *Hic*, ſupponit aliud ſignum dictum à Ioanne, ſiue nomen viri, ſiue agni, per quod perſona Chriſti demonſtrabatur; quod tamen in priori loco ſuppreſſit Euangeliſta

Tolet.

23\. Inquirimus autem: Cur Ioannes eum hîc appellat virum, cùm antè agnum dixerit? Reſpondeo primò. Vt oſtendat prophetias omnes in Chriſto eſſe adimpletas, quæ modò eum Agnum vocant; vt patet ex locis citatis *quæſt.* 2. Deinde etiam virum eſſe, teſtantur. Hierem. 31. num. 22. *Fœmina circundabit virum.* Zach. 6. n. 12. *Ecce vir oriens nomen eius.* Iſai. 53. *Vidimus eum virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Ioannes ergo per varias circunſtantias diſcurrit, & ex omnibus oſtẽdit, Chriſtum verum eſſe Meſſiam. Secundò. Rupertus lib. 2. in Ioan. *Agnus*, ait, *maſculus eſt hic homo, nulla mollitie reſolutus, ſed omni virtute conſtans, ſolidus, atque perfectus: virum ergo dicens, veram cum integritate virtutis expreſſit naturam hominis.* Agnum, & virum nominat, vt per agnum eius puritatem, ac virtutem omni ex parte abſolutam oſtendat; per virum verò eius integram naturam ſignificet. Ammonius *in Catena Græca*, apud Corderium. *Chriſtus Dominus*, ait, *vniuerſæ naturæ rationalis, ideſt, Eccleſiæ, ſponſus eſt; Eccleſia nimirum mulieris perſonam referente, cuius ipſe Chriſtus vir appellatur, vt qui fidelium animas ſibi deſponſatas habeat.*

Hierem. 31. Zachar. 6. Iſai. 53. Rupert. Ammon.

24\. Dum de Chriſto ait Ioannes, *Qui tollit peccata mundi*; agnum, & virum vocat; per agnum indicat eius humilitatem, ac manſuetudinem; per virum, eius ſapientiam, ac prudentiam: modeſtiæ ac prudentia omnia mala eradicantur, ac peccata exulantur, & virtutum germina plantantur. Ait Regius Vates Pſalm. 17. num. 36. *Et diſciplina tua correxit me in finem.* Seu, vt legit ex Hebræo Pagnin. *Manſuetudo tua multiplicabit me.* Ipſa Dei benignitas adiuncta Dei ſapientia eum à multis emendauit, & virtutes in eo multiplicauit, & ideo ipſe ſubdit, *Diſciplina tua ipſa me docebit.*

Sapientia, & modeſtia omnia mala eradicantur. Pſalm. 17. Pagnin.

Ioan. 1. *n.* 31. Et ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans.

VERSIONES.

Syriacus. Et ego non noueram eum, ſed vt innoteſcat Iſraëli, propterea veni aquâ baptizatum.

Vatablus. Sed vt manifeſtus fieret Iſraëli.

EXPOSITIO.

25\. NE quis obiiceret Ioanni, quomodo cùm à pueritia in deſerto eſſet educatus, Chriſtum agnouerat, hæc præoccupans Ioannes ait: *Ego neſciebam eum*; ſed Dei virtute, & cæleſtibus indiciis mihi manifeſtatus eſt. Et ait, *Neſciebam eum*; ſcilicet à facie, à vultu; quamuis enim ſciret, Chriſtum eſſe inter homines, ignorabat tamen quiſnam eſſet determinatè; & vt notat Chryſoſtomus, *Non inquit, neſcio, ſed neſciebam, vt hoc modo ſibi maximè crederetur; quo enim pacto tantum ignoto tribueret?* Nam quamuis aliàs eum ignoraret, tamen iam ſibi erat notus, vt poſtea explicat. Sed *vt manifeſtetur in Iſraël.* Non ait, vt ego manifeſtarem, quia non ſolùm à Ioanne, ſed etiam à Patre, & Spiritu ſancto declaratus in Iordane. Et nota, quòd ignorantiam, ac inſcientiam Ioannes ſibi diſertè attribuit, *ego neſciebam eum*; at Chriſtum propalare, quod valde glorioſum, & honorificum erat, non ſibi diſertè attribuit, ſed per tertiam loquitur perſonam. *Vt manifeſtetur*, & ait, *in Iſraël*, quia Ioannes, non Gentibus, ſed Iudæis tantùm prædicauit, *Veni in aqua baptizatus*; ſeu, vt habet Syriacus, *Veni baptizatum*, in ſupino, ſicut dicimus, *veni viſum.* Vt illuſtriſſimum eſſet teſtimonium Ioannis de Chriſto, propterea venit ipſe baptizans, quia dum omnes ad Baptiſmum, tamquam rem nouam, concurrebant, ibi Ioannes de Chriſto teſtimonium perhibuit, ibi Pater de nube lucida cæleſti voce de filio teſtificatus eſt.

Chryſoſt. *Ioannes ſibi non honorem, ſed ignorantiam attribuit.* Syriacus.

QVÆSTIO IX.

Quomodo Ioannes dicat, ſe Chriſtum neſciſſe?

26\. MAGNA in hoc loco exoritur difficultas: nam Ioannes de ſe fatetur Chriſtum ignoraſſe, & ideo ad eum agnoſcendum ſignum columbæ datum fuiſſe, vt patet ex verſu ſequenti. Cùm tamen ipſe *Matth.* 3. *num.* 14. ante Baptiſmum, ac deſcenſum columbæ Chriſtum agnouerit, ac dixerit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* vt dixi *hoc lib. cap.* 2. *quæſt.* 5.

27\. Primò. Reſpondent D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 15. *& tract.* 5. *in Ioan. & lib.* 5. *contra Donaſtitas cap.* 13. Origenes, Theophylact. *hîc*, Ioannem, antequam Chriſtum baptizaret, optimè agnouiſſe, ipſum eſſe verum Deum, & Meſſiam, & ideo dixiſſe, *Ego à te debeo baptizari*; poſtquam verò Chriſtum abluit, aliud agnouiſſe ex ſigno columbæ, vt verbis Auguſtini vtar: *Quòd ipſe, ſcilicet baptizaret in Spiritu ſancto, propria quadam, & diuina poteſtate, vt nullus homo, qui accepiſſet à Deo Baptiſmum, etiamſi aliquem baptizaret, poſſet dicere ſuum eſſe, quod traderet, vel à ſe dari Spiritum ſanctum.* Ac proinde docet S. Pater, quòd Ioannes ante Baptiſmum cognouerit Chriſtum; poſtea verò cognouiſſe vim, & efficaciã ipſius Baptiſmatis. Sed hæc ſolutio non euacuat difficultatem, quia Ioannes dixit, ſignum columbæ datum eſſe, non ad vim Baptiſmatis Chriſti, ſed ad eius perſonam agnoſcendam. Deinde, quia antequam Saluator veniret ad lauacrum Ioannis, iam ei perſpecta erat ipſius Baptiſmatis efficacia; & ita dixit: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto*, Matth. 3. n. 11. Luc. 3. n. 16.

Auguſt. Origenes. Theoph. Matth. 3.

28\. Secundò. D. Cyrill. li. 2. in c. 2. *Quum, ait, igitur, neſciuiſſe Dominum, dicat ſecundum humani generis, & creaturæ menſurã, veriſſimè dicit.* Et vlteriùs ipſe S. Pater ſe explicat, quòd ex viribus naturæ

Cyrill.

neſciebat Dominum, tamen ex diuina reuelatione, ipſum optimè agnoſcebat. Sed hæc ſolutio adhuc difficultatem non ſoluit; quia ſi loquebatur de ignorantia ex viribus naturæ, dicere poterat, non ſolùm de præterito, *neſciebam*, ſed etiam de præſenti, *neſcio*; quia nullus eſt, qui Deum iuſtificatorem, ac remuneratorem ſupernaturalem ex naturæ viribus agnoſcat, ſed tantùm ex diuina gratia. Deinde Ioannes loquitur de ſigno ſibi dato infrà n. 33. *Ego neſciebam eum, & ille dixit mihi: Super quem videris Spiritum*, &c. Ergo ſi ipſe antea ex vultu agnoſcebat eum per diuinam reuelationem, ad quid neceſſarium fuit ſignum? Adhuc eſt explicandum.

29\. Tertiò. Caietanus, in ea eſt ſententia, vt aſſeueret, quòd columba bis apparuerit ſuper caput Chriſti, ſemel ante Baptiſmum Chriſti, & iterum poſt Baptiſmum, quando Pater teſtificatus eſt de cælo, *Hic eſt filius meus.* Et ita ait Ioannes, *Ego neſciebam eum*; tamen ipſum cognouit per ſignum columbæ, & ita dixit de Chriſto: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Sed hæc ſententia in nullo firmo nititur fundamento, niſi in eo, quod fingit. Deinde, quia non videtur credibile, quòd ſecundam apparitionem in ſpecie columbæ tres Euangeliſtæ narrauerint, vt patet ex *cap.* 2. huius libri, tamquam rem admirabilem, & quòd de primo columbæ deſcenſu nulla apud eos ſit mentio,

Caietanus.

30\. Quartò. Beda hîc tenet, quòd licèt Baptiſta antea cognouiſſet Chriſtum, tamen quando vidit Spiritum deſcendentem ſuper eum, tam alta, & abſcondita myſteria ei fuere reuelata, vt omnis notitia antea habita reſpectu illius eſſet veluti quædam inſcientia. Sed hæc ſententia non cohæret cum proprietate verborum, qua loquitur Ioannes: *Neſciebam eum.* Altera ſententia eſt Abulenſis, quam iam impugnaui *c.* 2. *huius lib. q.* 5.

Beda.

31\. Vera ſententia in hac materia eſt quòd cùm Chriſtus infans fugeret in Ægyptum, & Ioannes puerulus in deſertum; & quamuis ipſe bene ſciret, quòd Chriſtus adeſſet in mundo, quem ex vtero adorauit, tamen neſciebat eum ex vultu, ac facie, quis eſſet; quando autem Chriſtus acceſſit ad Baptiſmum ex diuina reuelatione interna, ipſum cognouit, & ideo recuſans dixit: *Ego à te debeo baptizari.* Poſtea verò in confirmationem huius rei datum eſt ſignum externum per aduolatum columbæ: & hoc tantùm commemorat Ioannes, quia à circunſtantibus hominibus viſum eſt. Et ita tacitè innuit rationem, ob quam Chriſtum cognoſcat, ac tantùm de eo proferat teſtimonium. In hac ſententia eſt D Chryſoſt. hom. 16. in Ioan. *Ipſe*, ait S. Pater, *ante deſcenſum Spiritum ipſum Ioanni reuelauit: idcirco & antequã veniſſet, dixit: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt; neſciebat igitur, antequam Chriſtus ad Ioannem veniret, ſed cùm baptizandus eſſet, tunc eum cognouit, & maximè cùm Pater eum Prophetæ reuelaſſet.* In eadem ſententia eſt Toletus *annot.* 72. Barradas, & alij.

Vera reſolutio. Chryſoſt. Tolet. Barradas.

QVÆSTIO X.

Quare Ioannes de ſe dixerit: Ego neſciebam eum?

32\. BENE poterat Ioannes hoc de ſe tacere, tamen diuini Spiritus afflatu planè profitetur ſemel, & iterum infrà. Reſpondet Chryſoſtom. hom. 16. *Aufert omnem teſtimonij ſuſpicionem, cùm non humanæ familiaritatis gratia, ſed diuina reuelatione id perhibere oſtendat.* Ioannes, etſi eum ex vterò optimè agnoſceret, tamen publicè, & altà voce manifeſtat neſcire, vt inſuſpecta etiam inimicis eſſet laudatio, vtpote illius, quem non nouerat ex facie, ſed ex diuina reuelatione, vt patet. Præcepit Deus Samueli, quòd tenderet in Bethleẽ, vt vngeret vnum ex filiis Iſai in Regem; & ait Dominus, *Vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendã tibi quid facias, & vnges quemcumque monſtrauero tibi*, 1. Reg. 16. n. 3. Valde mirum eſt, quod Deus non declarauerit Prophetæ nomen illius, qui in Regem erat vngendus; ſed tantùm ait: *Vnge, quem monſtrauero tibi.* Et vt hoc eſſet manifeſtum, & euidens, vt expendit Abulenſis *ibi quæſt.* 5 quando adducti ſunt filij Iſai coram Samuele, videns primogenitum corpore excellentem, putauit, quòd eum eligeret Dominus, & dixit: *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* Similiter autem de ſecundo, tertio, quarto, & vſque ad finem omnium fecit; vt ita omnibus liqueſceret, quòd deſignabatur in Regem à Propheta non ob aliquam affectionem, cùm eligeret ignotum, ſed ob diuinam reuelationem, ac inſpirationem, vt ita electio, ac teſtimonium omni ſuſpicione careret. Theodoret. q. 37. *Quam ob cauſam electum neſciebat Propheta? Quoniam non erat Deus, ſed homo. Ignorantia autem diuinam reuelauit ſententiam; ſi enim ad Dauidem rectè eſſet profeſſus, veniſſet in ſuſpicionem, quòd hoc feciſſet ex aliqua ſubordinatione.*

Chryſoſt. *Teſtimonium non ſit ſuſpectum.* 1. Reg. 16. Abulenſ. Theod.

Ioannis 1. *n.* 32. Et teſtimonium perhibuit Ioãnes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem, quaſi columbam, de cęlo, & manſit ſuper eum.

VERSIONES.

Syriacus, Et teſtatus eſt Iouehanon, dixitque: Conſpicatus ſum Spiritum deſcendentem de cælis

Vatablus Et teſtificatus eſt Ioannes.

Theophylact. Vidi Spiritum deſcendentem ſpecie columbæ.

EXPOSITIO.

33\. IOANNES ſuprà dixerat, quòd Chriſtum à facie non agnoſcebat, & ne aliquali leuitati, ac inconſtantiæ tribueretur, quòd tantum de eo proferat teſtimonium, ideo hîc apponit rationem, vnde eum agnouerit; *Quia vidi Spiritum deſcendentem ſuper eum*, in Baptiſmate in ſpecie columbæ, de quo multa dixi *hoc lib. c.* 2. *à q.* 20. Et ait: *Vidi Spiritum*; Spiritus enim non poteſt videri corporalibus oculis. Albertus Magnus explicat de duplici viſione, Vidi cordis oculis Spiritum, corporalibus verò deſcendentem in ſpecie columbæ. Si velis, moraliter in laudem Ioannis dic, quòd ipſe gratiâ Angelus, & Spiritus erat, ideoque per eleuationem à Deo potuit ſupra naturam Spiritum intueri, quod intellige de intellectualibus oculis.

Alb. Magn. *Ioannes gratia ſpiritus.*

Qværtio XI.

Quare Ioannes teſtimonium hîc adducat de Chriſto Domino ex deſcenſu columbæ, non verò ex voce Patris?

34. IN Chriſti Domini Baptiſmo multa eius Diuinitatem teſtificata ſunt, & inter cætera duo præcipuè; ſpiritus in ſpecie columbæ deſcendens, & manens ſuper Chriſtum, & vox Patris clamantis, *Hic eſt filius meus dilectus*? Ioannes, vt ſuum de Chriſto corroboraret teſtimonium, primum publicauit, ſecundum omnino ſuppreſſit. Nec ſufficienter ſoluitur quæſtio, ſi dicatur quòd vox illa in Baptiſmo non eſt à circunſtantibus audita, ſed ſolùm à Chriſto, & Ioanne; contrarium enim explicaui cum communi ſanctorum Patrum ſententia *hoc lib.2.q.23. quæſtiunc.3.*

35. Reſpondeo primò, quòd Ioannes repletus Spiritu ſancto ab vtero matris ſuæ *Luc.1.num.15.* hîc teſtimonium de ipſo ſpiritu ſuper Chriſtum veniente perhibet, vt ita verificaretur id, quod de Chriſto ſuprà dixerat *Matth.3.num.11. Luc.3. num.16.* quòd ipſe baptizaret in Spiritu ſancto; ac proinde ad hanc in Chriſto efficaciam, virtutemque prædicandam, aduentum Spiritus pro ſigno in eo commemorat.

36. Secundò. Ioannes loquebatur cum Iudæis valde incredulis, & obſtinatis; columba ſuper caput Chriſti viſibiliter deſcendit, ibique per aliquod tempus perdurauit, ita vt à multis videretur; vox verò illa Patris fuit breui tranſiens; atque ob circunſtantium malitiam diuerſimodè intelligi poterat, ſicut & Iudæi fecerunt *Ioan.12. n.28.* quando audierunt vocem de cælo. *Clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo, quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum.* Ideo Ioannes ad verificandam de Chriſto notitiam, non Patris vocem ad auditum pertinentem, ſed Spiritum in ſpecie columbæ ad viſum ſpectantem proponit, vt tanti efficacia ſigni circunſtantium conuinceretur malitia. Euangeliſtæ mandatur, in hac forma ſeptem Aſiæ Eccleſiis Epiſtolas mittere. Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe. *Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua,* Apoc.2.n.1. Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribæ. *Hæc dicit primus, & nouiſſimus,* ibid.n.8. Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe, *Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos, tanquam flammam ignis,* ibid. n.18. Angelo Eccleſiæ Sardis ſcribe. *Hæc dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas,* c.3.n.1. Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe. *Hæc dicit, qui habet clauem Dauid,* ibid.num.7. At verò Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe. *Hæc dicit, qui habet rompheam ex vtraque parte acutam,* Apocal.2. n.12. Valde curioſè inquires, cur in Authore Epiſtolarum ad alias Eccleſias tot, & tam varia memorantur, at verò cùm ad Eccleſiam Pergami peruenitur, gladius anceps, ac limatus aſſignatur? Ciuitas hæc erat infidelis, nam, vt dicitur in textu n.15. *Ita habes tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Erant enim hæretici negantes nuptias: meritò ergo in aliis Eccleſiis recenſentur oculi, manus, pedes, zona, clauis ſtellæ; at verò cùm ad hæreticorum cætum deuenitur, ſtatim gladius adducitur ex vtraque parte acutus, hoc eſt teſtimonium ſacræ Scripturæ viuum, & efficax, vt nulla cauillatione declinari poſſit, atque retundi. D. Ambroſ. citato loco Apoc. *Videtur ergo mihi,* ait, *per rompheam diuinam Scripturam debere intelligi; quæ propter reſecanda vitia acuta eſſe dicitur, & propter duo teſtamenta vtraque parte acuta demonſtratur.* Et clariùs Andreas Cæſareæ Epiſcopus ait. *Idololatriæ dedita erat ciuitas, ad quam Euangeliſta hæc ſcribit. Porrò autem per gladium ancipitem Euangelij doctrinam inſinuat.* Cùm ad infideles eſſet ſermo, non quilibet, ſed ex omni parte acutus eligitur gladius.

Ioan.12.

Ad hæreticos, & obſtinatos teſtimonium efficax.

Apocal.2.

Apocal.3.

Apocal.2.

Ambroſ.

Andreas.

Ioan.1.n.33. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.

VERSIO.

Syriacus. Et ego non noueram eum, ſed qui miſit me vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat: Super quem viſurus es deſcendẽtem Spiritum, & commorantem ſuper eum, hic baptizat in Spiritu ſanctitatis.

Theophylact. Et ego neſciueram eum: & ille dixit mihi: Super quem videris Spiritum deſcendere, & manere.

EXPOSITIO.

TACITE occurrit Ioannes obiectioni, quæ aduerſùs eum moueri poterat. Si enim ipſe dixerat, quòd neſciebat eum: vnde illum agnouit? Ideo ait. *Ille,* ſcilicet Deus, *qui miſit me baptizare,* à nullo enim alio ad tantum myſterium deſtinari poterat. Ille mihi dixit: *Super quem videris,* &c. Et per hoc totam ſuam de Chriſto agnitionem diuina reuelatione eniti manifeſtat, vt inde non humanæ, ſed Dei voluntati videatur obſequus, ac obediens, vt notat Albert. Magnus. De hac viſione Spiritus ſancti ſuper Chriſtum egit Baptiſta ſuperiori verſu. Maximè aduertendum eſt, quòd Ioannes priùs tractat de viſione Spiritus, & poſtea hoc præſenti textu de promiſſione talis viſionis. *Ille dixit mihi, ſuper quem videris;* quia diuina promiſſio ita habet infallibilem cum executione connexionem, vt ipſa exhibitio operis, noſtro dicendi modo videatur promiſſionem antecedere. Et ait: *Qui miſit me baptizare.* Tamquam ſi diceret: meo Baptiſmo datis fidem, & eum tamquam à Deo inſtitutum recepiſtis: ſi ergo creditis mihi baptizanti, credite & mihi de Chriſto teſtificanti: quod tamen Iudæi noluerunt; hæc eſt enim miſera hominum conditio, vt in his tantùm fidem adhibeant, quæ ſunt iuxta ſuum beneplacitum; non verò in illis, quæ ſuæ voluntati repugnant. Et ait, *baptizare in aqua;* hoc frequenter de ſuo Baptiſmo teſtatur Baptiſta *Ioann.1.num.26. Matth.3. num.11. Marc.1.num.8. Luc.3.num.16.* Hoc autem ideo facit, ne homines in Baptiſmo, quem ipſe dabat, confiderent, ſed totam in Chriſti lauacro ſpem reponerent. *Et manentem;* ſuper Prophetas factus eſt Spiritus Domini; at verò ſolùm ſuper Chriſtum manſit tota plenitudo diuinitatis. *Hic eſt, qui baptizat;* vt virtutem Chriſti Baptiſmatis declaret. 37.

Alb. Magn.

Promiſſio diuina valde connexa eſt exhibitioni rei.

Qværtio XII.

Quare Ioannes hîc repetat verbum, quod ſuprà dixerat.

8. IOANNES de ſe ſuprà aſſeuerat, *Ego neſciebam eum;* nunc paucis interiectis, idem verbum repetit: huius rei inquirimus rationem, talis enim iterata locutio hîc videtur ſuperflua. Reſpondeo factum eſſe multis de cauſis. Et primò. Vt inſcientiam, ac ignorantiam, quam de ſuo habebat, indicaret, & magnam reuelationem, quam ex Dei gratia eſt aſſecutus, publicam redderet: Sancti enim humilitates ſuas fateri non erubeſcunt, vt inde ſe diuinæ bonitati magis adſtrictos agnoſcant. Secundò. Geminat ſententiam, vt ſui erga Dei gratiam animi affectum magis exprimeret, ex qua gratia donum tantum obtinuit. Ita Regius Vates Pſalm. 113. num.1. *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Sancti humilitates ſuas manifeſtant.

Pſalm.113.

39. Tertiò. Baptiſta Prædicatorum princeps eadem duplicat, ne exemplo ſuo eadem ſæpiùs dicere Concionatores vereantur; & inde maximè arguantur, qui hæc in cæleſti præcone carpunt; optimus enim medicus eadem remedia ægris ſæpiùs adhibet. Et ita dicebat Paul. ad Philip.3.n.1. *Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* Quæ verba D. Cyrilli Alexandr. *lib.4. in Ioann.c.11.* optimè expendit, & ſimul reddit rationem, quare Dominus ſæpe ſe panem vitæ appellauerit. Ita ait S. Doctor. *Eadem vobis dicere, Paulus ait, ab ipſis, vt puto, Chriſti verbis ita perdoctus. Nam quemadmodum cruditati vulnerum, non vnum, ſed varia viciſſim remedia conferuntur, neque ſemel, ſed frequenter appoſitis remedijs molliuntur, ſic duro animo varia quædam, & frequens accommodanda doctrina eſt, vt ſi prima parum profecerit, ſecunda ſaltem, aut tertia, vel eiſdem verbis allata permulcere, atque attrahere poſſit. Quapropter Saluator varia oratione, modò ænigmaticè, atque obſcurè, modo dilucidè, atque apertè eandem rem Iudæis propoſuit.* Feruentem Petri charitatem Dominus maximè agnoſcebat, ter tamen quæſiuit, *Simon Ioannis, amas me?* Ioan. 21.n.17. Ad quid ita verbum iteratur, cùm ſemel dicere, ſat eſſet? Vt vobis maximè inculcaret, iterũ, atque iterum repetenda eſſe, quæ noſtri muneris ſunt. D. Ambroſ. *in Epiſt.2. ad Corinth.c.9.* ſtatim *in principio,* ſic ait: *Quæ trina repetitio quaſi ſuperflua videtur, ſed prodeſt ad perfectiorem monitionis, vt ſciat magna cum diligentia debere curare, quod frequenter mandatur.* Vide *hoc lib. c.1.n.59.*

Eadem ſæpe ſunt repetenda.

Ad Phil.3.

Cyrill. Alex.

Ioan.21.

Ambroſ.

Ioan.1.n.34 Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

VERSIONES.

Syriacus. Et ego vidi, & teſtor, hunc eſſe filium Dei.

Arias Et teſtatus ſum.

Vatablus. Et teſtificatus ſum.

EXPOSITIO.

HIc Euangeliſta Baptiſtæ teſtimonium refert, quo teſtificabatur, Chriſtum eſſe filium Dei, non adoptiuum, ſed naturalem, vt eum omnibus Prophetis, ac ſe ipſo ſuperiorem eſſe oſtenderet. Et ait: *Ego vidi,* ſignum datum; & non inquit, & cognoui; ſed *teſtimoniũ perhibui;* quia illud ſignum in ſpecie columbæ datum eſt, non vt Ioannes Chriſtum agnoſceret, ſed vt eum populo oſtenderet. Noſtra vulgata habet, *teſtimonium perhibui;* Syriacus, *teſtor.* Ioannes ſæpe dixit hæc, ideoque vtroque modo. Niſi moraliter dicas, quòd cùm Ioannes eſſet vox, adeò viuus erat eius ſermo, vt quæ de præterito dixerat, ita animabus hominum iuhærerent, ac ſi de præſenti proferret. 49.

Ioanni vox valde penetrans.

Qværtio XIII.

Quare Ioannes hîc tria de Chriſto teſtetur?

TRIA de Chriſto Domino teſtificatus eſt Ioannes. Primum, *Ecce Agnus Dei.* Secundum, *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Tertium nunc addit: *Hic eſt filius Dei.* In quibus obiter nota ordinem, quem in his tribus deſcribendis retinuit: nam priùs memorauit quæ noſtrã iuſtificationem innuebant; quòd tolleret peccata mundi, & quòd baptizaret in Spiritu ſancto, quàm quòd eſſet filius Dei; illa enim, cùm ad noſtram pertineant ſalutem pro peculiari honore, ac ſtemmate Chriſtus habet. 41.

In his ergo tribus totus depingitur Saluator noſter. Quia Agnus eſt Deo oblatus, ideo peccata abſtulit, ac mundare nos valet; quia autem ipſe eſt, qui in Spiritu ſancto baptizat, ideo infundere gratiam poteſt; quia autem filius Dei eſt, poteſt nobis regnum cælorum dare. Qui ergo peccatorum remiſſionem, gratiam, & beatitudinem deſiderat, ad Chriſtum accedat, omnium bonorum ſtatim particeps erit, ac ex veteris hominis vetuſtate renouabitur in nouitatem Chriſti. Cùm Dominus in Cruce penderet, animamque efflaret: *Accepto corpore Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento nouo, quod exciderat in petra,* Matth.27.n.59. Verum fatear, linteamentum illud mundum erat, ſepulchrum etiam nouum; ſed vbi vtrumque in ſe corpus recepit Ieſu, quadam puritate, ac nouitate reformatum apparuit, vt peculiariter dicatur nouum. Origenes tract.25. in Matth. *Puto autem,* ait, *magis munditiam ſindon illa habebat, ex quo inuolutum* 42.

Ex Chriſto omnis puritas, & ſanctitas participatur.

Matth.27.

Origenes.

inuolutum eſt corpus Chriſti , quàm priùs : corpus enim Ieſu, etiam in morte conſtitutum , mundabat omnia quæcumque tangebat ; & magis innouabat monumentum illud nouum, quod fuerat exciſum in petra. Ne exiſtimes, quia fortuitò ſcriptum eſt, quoniam inuoluit corpus in ſindone munda , & in monumento poſuit nouo , & quia monumentum illud erat exciſum in petra, monumentum mundum, quod à corpore Ieſu mundius erat factum , quàm fuerat prius, quam poneretur Ieſu corpus in eo.

43. Matth. 22.

Bonus ille Rex, cùm in nuptiis filij ſui vocaret inuitatos dicebat: *Altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias* , Matth. cap. 22. num. 4. Cur dapes non deſcribit , gallinas , capones , perdices , &c. vt facile hominum appetitum inescare poſſet , ſed tantùm ait. *Altilia mea ?* D. Hilarius can. 22. *Altitia verò ſunt homines ſpirituales, tamquam cæleſti pane ad euolandum aues paratæ , & cæteros accepti cibi vbertate expleturæ.* Homines ad illud accedebant conuiuium , in quo Chriſtus parabatur, vt cum illo incorporarentur: bene ergo nil aliud, niſi altilia dicuntur, cùm omni ſublimitate cæleſtium bonorum donarentur.

Hilar. — *In Chriſto omnia bona.*

CAP. VI.

Tertium Ioannis teſtimonium cum diſcipulorum fructu.

Ioan. 1. n. 33. Altera die iterum ſtabat Ioannes , & ex diſcipulis eius duo.

Ibid. num. 36. Et reſpiciens Ieſum ambulantem dixit: Ecce Agnus Dei.

VERSIONES.

Syriacus n. 35 Cæterùm alio die.

Vatabl. Arias. Poſtero die iterum ſtabat.

Theophyl. Euthym. n. 36. Et intuitùs Ieſum ambulantem dicit: Ecce Agnus ille Dei.

D. Chryſ. homil. 17. in Ioan. D. Cyrillus lib. 2. cap. 5. Ecce Agnus Dei , qui tollit peccata mundi.

EXPOSITIO.

1. *Triplex Ioãnis teſtimonium.*

PLANE patet ex hoc *cap. 1. Ioann.* Baptiſtam tribus continuis diebus ter teſtimonium perhibuiſſe Ieſu, quòd ipſe eſſet Chriſtus , ac verus Meſſias in lege promiſſus , vt ita ex conſtantia , ac perſeuerantia in ſua doctrina hanc veritatem in hominum mentibus magis firmiter inſinuaret. Primum teſtimonium , & iuridicum coram legatis Iudæorum , dedit Baptiſta; de quo *num. 19. & cap. 4.* manet explanatum. Hoc factum eſt die prima Martij : nam , vt ait D. Epi-

Epiphan.

phanius *hereſi 51.* Chriſtus baptizatus eſt die ſexta Ianuarij ; deinde à Baptiſmo quinquageſimaquinta die hoc teſtimonium prolatum eſt. Secundum teſtimonium , de quo *verſu 29.* & ſuperiori cap. eſt explicatum , dedit Ioannes ſequenti die, nempe die ſecunda Martij. Tertium teſtimonium , de quo agimus in præſenti, cum diſcipulorum fructu, perhibuit die tertia Martij.

2. *Ioannes ſtat in perfectionis culmine.* Interlin. Beda. Alcuinus. D. Thom.

Altera die, ſcilicet poſtridie, *iterum ſtabat Ioãnes.* Valde diuerſimodè exponitur illud verbum, *ſtabat.* nam Gloſſa Interlinealis : *Stabat Ioannes immobilis in culmine perfectionis.* Similiter Beda, Alcuinus *in Catena D. Thomæ* notat, quòd Ioannes ſtat , Chriſtus deambulat ; quia *venienti Chriſto ceſſura ſtetit lex.* D. Thomas verò in ſuo commentario ponderat , quòd Ioannes ſtabat in vno loco; Chriſtus verò , & eius diſcipuli diſcurrebant docendo per varia loca; quia, ait Angelicus Doctor, prædicatio Chriſti facta eſt credibilis per miracula ; & ideo Dominus, ac diſcipuli diſcurrebant per varia loca , vt Chriſti virtutes innoteſcerent: prædicatio verò Ioannis non eſt confirmata miraculis, *Ioann. 10. num. 41.* Sed auſteritate, ac probitate vitæ ; & ideo conueniebat , vt eſſet in vno loco , ne diſcurrendo ad pronuntiandum Chriſtum , eius teſtimonium redderetur incredibilius, cùm videretur quaſi importunè in gerendo ſe hoc facere. Ita D. Thomas , Lyranus aliter explicat. Dicitur *ſtabat*, ideſt, paratus erat ad exercendum ſuum officium præcurſoris. Meliùs ergo dicendum cum D. Chryſoſtomo , Euthymio , Hugone , quòd Ioannes ſtabat loco ſuo conſueto in Bethania baptizando, & docendo populum dans operam. *Et ex diſcipulis eius duo.* Multi exibant ad Ioannem audiendum ; & qui præ cæteris illi adhærebant , ſe ei tradentes , vt ab ipſo doctrina, ac vitæ exemplo informarentur , diſcipuli dicebantur. Et cùm multi adeſſent , duo ſignanter hîc ponuntur. De quo quæſt. ſequenti.

Ioan. 10. — Lyran. — Chryſoſt. Euthym. Hugo.

3. Bonauentr. *Magna Ioannis ad Chriſtum affectio.*

Et reſpiciens Ieſum. Stat Ioannes , & id, quod videt , quod defixis oculis percipit , Ieſus eſt. D. Bonauentura, *Notatur Ioannis ad Chriſtum intenta affectuoſitas ; illud enim reſpicit homo , ad quod afficitur.* Et Ioannem in ipſis oculis corporalibus, quibus Chriſtum videbat, gaudium , ac lætitiam præſe tuliſſe, ac indicaſſe, docent D. Chryſoſtom. *citata homil. 17.* & Theophylactus, *Ambulantem*; quò versùs Chriſtus ambulauerit , incertum. Chryſoſtomus, Theophylactus , Euthymius , Albertus , S. Thomas , Hugo videntur docere , ad Ioannem veniſſe , vt in alio ſuperiori teſtimonio Euangeliſta dixit ſuprà *num. 29.* Franciſcus Lucas exiſtimat , quòd Dominus ambulauerit versùs ſuum hoſpitium. Probabilius videtur dicendum cum Maldonato , quòd Dominus tamquam tendens in aliquem locum , vel quaſi animi cauſa obambulans , ſe dedit ad Ioannis conſpectum, vt iterum Ioannes de illo teſtimonium perhiberet.

Chryſoſt. Theoph. Euthymius. Alb. Magn. D. Thom. Hugo. — Franc. Lucas. — Maldonat.

4. Ammonius. Chryſoſt. Euthym. Alb. Magn. S. Thom. Cyrill. Ad Philip 3. *Prædicator auditoribus aliquando doctrinam repetat.*

Ecce Agnus Dei. Repetit Ioannes iterum ſuum teſtimonium ob tarditatem auditorum, vt notant Ammonius, Chryſoſtomus, Euthymius, Albertus Magnus, S. Thomas ; & alij. Vnde ait D. Cyrillus lib. 2. in Ioan, c. 5. *Optimi doctoris officio fungitur, opus enim certè docentis eſt , quòd adhuc non rectè intellexerunt auditores , diligenter repetere.* Ideo ſcribit beatus Paulus ad Phil. 3. n. 1. *Eadem vobis ſcribere mihi quidẽ non pigrum, vobis autẽ neceſſarium.* Probi etiam doctores affirmant, quòd Ioannes

nes inter ſuos auditores viderit nouos aſſiſtentes , iam maturos , vt ad Chriſtum venirent ; & hac de cauſa iterum profert ſuum teſtimonium. Et Ioannes, vt notat Chryſoſtomus, *Non eſt longiori vſus oratione, quoniam vnum tantùm curabat, vt Chriſto omnium animos coniungeret*; vt ita meliùs, & aptiùs ab eo inſtruerentur. Et ita ait Ioan. *Ecce Agnus Dei, Ecce* , demonſtratiuum eſt, vnde notat Chryſoſtomus , Albertus Magnus , D. Bonauentura , Hugo, quòd tria ſunt genera prædicantium. Quidam prædicauerunt Chriſtum futurum, vt fuerunt Prophetæ ; quidam præteritum , vt Apoſtoli , & ſequaces eorum. Ioannes autem fuit in medio , & prædicauit Dominum præſentem. In omni enim dono ſuam ſingularem habet Ioannes excellentiam.

Chryſoſt. — Idem. Alb. Magn. Bonauent. Hugo. — *Ioannes in ſuis excellentiis ſingularis.*

QVÆSTIO I.

Quinam fuerint iſti duo diſcipuli, & quare vnius nomen non exprimatur?

5. Alcuinus.

VNVS ex his duobus diſcipulis erat Andreas, vt patet infrà *verſu 40.* Quiſnam alter fuerit , eſt tota dubitatio. Alcuinus *in Catena D. Thomæ* , exiſtimat , fuiſſe Philippum. Sed hoc meritò communiter reiicitur. Quia Philippus vocatus fuit à Chriſto in Galilæa. D. Epiphanius *hæreſi 51.* putat alterum horum duorum diſcipulorum fuiſſe vnum ex filiis Zebedæi, ſcilicet Ioannem Euangeliſtam , vel fatrem eius Iacobum, ſiquidem hi duo filij Zebedæi fuerunt ſocij Andreæ in piſcatione.

Epiph.

6. Euthym. Chryſoſt. *Quare nomen alterius non ſcribitur.* Idem. Bonauent. Hugo. Caietan. *Commendãtur Andreæ priuilegia.* D. Thom.

Euthymius ex D. Chryſoſtomo tenet, quòd ille alius diſcipulus non nominatur , vel quia erat ipſe Ioannes , qui hæc ſcribebat ; vel quia aliquis erat non inſignis , nec notus. Et ideo Andreas notatur , quia , vt docent idem Chriſoſtomus, D. Bonauentura , Hugo, Caietanus, fuit Apoſtolus, & per ipſum vocatus eſt Petrus , de cuius vocatione dicturus erat ſtatim Euangeliſta. Et ideo è contra alterius nomen non expreſſit , quia neceſſe non erat, cùm nihil de eo poſtea fuiſſet agédum. In cuius rei confirmationem ait D. Thomas , quòd ſcribitur hîc Andreas , ad oſtendendum eius priuilegium : tum quia primus conuerſus eſt ad fidem Chriſti perfectè; tum etiam, quia Chriſtum prædicauit. Vnde ſicut Stephanus fuit primus Martyr poſt Chriſtum ; ita & Andreas fuit primus Chriſtianus: & ideo ad commendandum laudes Andreæ, eius nomen exprimitur ; alter fortaſſe non ſcribitur, quia inſignis non erat. Theod. Mopſueſteni *in Catena Græca* , aliam aſſignat cauſam , cur apponatur Andreæ nomen. Vt cùm audierimus , ipſi , & Simoni Chriſtum dicẽtem: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum* ; intelligamus, ipſum de tam admirabili promiſſione nequaquam dubitaſſe , cùm iam antea frater tantæ fidei poſuerit fundamenta.

Theod. Mopſueſteni.

7. Epiph. Chryſoſt. Cyrillus. Euthymius. Theoph. D. Thom. Bonauent. Hugo.

Quòd autem ille alter diſcipulus Baptiſtæ fuerit Ioannes Euangeliſta , probabile exiſtimat D. Epiphanius *citatus.* D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus *in Catena Græca.* Euthymius , Theophylactus, D. Thomas, D. Bonauentura, Hugo, & alij. Et ad hoc aſſerendum , ſolùm datur probabilis coniectura. Quia Ioannes ſolet in ſuo Euangelio , dum de ſe ipſo agit , modeſtiæ , ac humilitatis cauſa nomen ſuum ſupprimere. Secundò. Quia Ioannes Euangeliſta in ſuo Apocalypſi frequenter Chriſtum vocat *Agnum* , quaſi qui hoc nomen audierit , & ebiberit à magiſtro ſuo Ioanne Baptiſta. Tertiò, ait Cornelius à Lapide. Tanta puritas , virginitas , & ſanctitas ſancti Ioannis Euangeliſtæ videtur manaſſe à puritate , & ſanctitate Ioannis Baptiſtæ. Sic ait Imperfectus homil. 9. *Bonus diſcipulus imitator eſſe debet ſui magiſtri.*

Cornelius à Lapide. *Bonus diſcipulus ſuum imitatur magiſtrum.* Imperfect.

8. Luc. 22.

Loquens Dominus Petro in Cænaculo ait: *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum ; ego autem rogaui pro te , vt non deficiat fides tua* , Luc. 22. n. 31. Magnas machinationes diabolus contra ſacros Apoſtolos tendebat , vt fidem abnegarent. Et tamen Dominus hoc loco non pro omnibus , ſed ſpecialiter pro Petro ſuas preces applicare teſtatur ? Si inimicus inſurgebat contra omnes , cur Dominus non pro omnibus hîc ſe rogare dicit , vt alibi fecit , ſed pro Petro particulariter facit mentionem? Erat ille poſitus, vt caput , ac vt fundamentum , & tamquam doctor , vt alios confirmaret , ac inſtrueret in fide; ideo particulariter Dominus pro eo rogat ; quia ex eius conſtantia , ac perſiſtentia alij erant corroborandi , ac inſtruendi ; ab eo enim tamquam à capite, quid acturi erant, ebiberent. Caiet. *Non dicit, rogaui pro vobis (quum tamen pro eis rogauerit, dicendo: Pater ſancte, ſerua eos à malo) ſed pro te ratione officij , quoniam rogaſſe pro te redundat in rogaſſe pro fratribus, quos confirmaturus es.*

Diſcipulus ſui magiſtri mores ebibit. — Caiet.

Ioann. 1. n. 37. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.

Ibid. num. 38. Conuerſus autem Ieſus , & videns eos ſequentes ſe, dicit eis : Quid quæritis? Qui dixerunt ei : Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) vbi habitas?

VERSIONES.

Syriac. n. 37. Audieruntque duo eius diſcipuli , dum diceret , & abierunt poſt Ieſchua.

Syriac. n. 38. Et conuerſus Ieſchua reſpexit eos venientes poſt ſe, dixitque eis : Quid quæritis ? dicunt ei : Magiſter noſter vbi degis?

Vatablus, Pagninus. Vbi manes?

EXPOSITIO.

9. Chryſoſt. *Qui exequitur præcepta, hic verè audit.* Euthym.

EX multis auditoribus , qui aderant ad Ioannis concionem , vt vult D. Chryſoſtomus , de quo *quæſt. ſequenti* , hi duo dicuntur , ſuum magiſtrum audiuiſſe , quia , vt ait Euthym. *Hi ſoli duo audiſſe dicuntur, auribus videlicet animæ , cùm alij vtique audiſſent auribus corporis.* Dicitur in textu: *Duo diſcipuli*; clariùs exprimit

Syriacus. Beda. Cyrill.

primit Syriacus addendo, *eius*, ſcilicet Ioannis. Et audierunt ſuum Magiſtrum *loquentem*. Ecce Agnus Dei: nam, vt ait Beda, *Teſtimonium Ioannis fides eſt diſcipulorum*. Sequitur textus: *Secuti ſunt Ieſum*. Optimè ait D. Cyrillus in præſenti: *Vides, quàm citò à doctrina Baptiſtæ fructus ſecutus eſt? Vides, quàm magnum auditoribus emolumentum iteratio ſermonis attulit?* Hi autem duo ſecuti ſunt Dominum, non tamen vt inde ei perpetuò, ac inſeparabiliter adhærerent, vt notant Euthymius, Albertus Magnus, & Hugo; ſed vt aliquam cognitionem de eo haberent: nam poſtea iterum Andreas vocatus eſt.

Euthym. Alb. Magn. Hugo.

10. *Incipientes fouendi.* Alb. Magn.

Conuerſus autem Ieſus. Ex ſua benignitate conuerſus eſt Dominus, vt eos miſericorditer intueretur, vt ita pio, & clementi affectu ſequentes ſe maximè foueret, adiuuaret, ac ad ſe alliceret. Incipientes enim maximo fauore ſunt adiuuandi. *Videns eos ſequentes*. Albertus Magnus. Vidit eos ſequentes oculo benignitatis. Et ait: *Quid quæritis?* Omnium agnitor, non quaſi ignoret, interrogat, ſed vt ita eorum animos adiuuet, fiduciam præſtet, eorúmque ſubleuet verecundiam. Sic ait Chryſoſt. in præſenti. *Qui humanorum cordium ſcrutator eſt, is interrogat, non vt ſciat (ſcit enim) ſed vt rogando eos ſibi conciliet, vt familiares reddat, atq; audentiores, ſeque ſuo eos dignari colloquio oſtendat. Credibile enim erat, eos ſubuereri, & formidare, cùm ſe rudes intelligerent, & tantum de illo magiſtri accepiſſent teſtimonium.* Circa hanc Chriſti interrogationem aliquid dicam etiam *quæſt*. 3.

Chryſoſt. *Princeps loquatur benignè, vt ſuis fiduciam præſtet.*

11. Syrus.

Qui dicunt ei, Rabbi, ideſt, Magiſter, ſeu, vt habet Syrus, *Rabban*; ideſt, Magiſter noſter. Et Euangeliſta, cùm Græcè ſcriberet, poſuit vocem Hebraicam *Rabbi*, quæ Magiſtrum cum quadam excellentia ſignificat. Et ideo etiam interpres in noſtra Vulgata, ipſum nomen appoſuit, & explicat, *quod dicitur interpretatum Magiſter*. Dominum, à quo adhuc nihil audierant, Magiſtrum appellant; nam ex teſtimonio Ioannis, *Ecce Agnus Dei*; intellexerunt, ipſum eſſe Meſſiam, ac proinde omnium communem doctorem. Deinde, vt hoc nomine ſuum amorem, ac deſiderium erga Chriſtum declararent, cuius iam diſcipulos fieri volebant. Nam, vt ait D. Cyrillus, *Magiſtrum appellarunt, à quo diſcere cupiebant*. Et Beda: *Ipſa interrogatio indicium eſt fidei; quando enim dicunt, Rabbi, quod intelligitur Magiſter, & ſequuntur eum, vtique Magiſtrum ſequuntur*. Et dicunt hi duo diſcipuli: *Vbi habitas?* ſeu Græcè, *Vbi manes?* Habitatio reſpicit propriam domum; manſio verò etiam hoſpitium, in quod peregrini diuertimur: & idem ſignificat hoc loco *habitatio*, quia Chriſtus Dominus propriam domum, & habitationem in terris non habuit. Matth. 8. n. 20. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.*

Cyrill. Beda. Græcus. Matth 8.

QVÆSTIO II.

Quare ex omnibus diſcipulis Ioannis hi duo, quòd audierint, dicantur?

12. MAGISTRVM ſuum audiunt diſcipuli Ioannis, dicentem: *Ecce Agnus Dei*; & ſtatim Dominum ſequuntur. In hoc maximè prudentia Ioannis notanda eſt, quia diſcipulos ſuos non cogit præcepto, non impellit precibus, ſed tantùm Chriſtum demonſtrando ipſum laudat. Ad quod rectè reſpondet Chryſoſtomus, Albertus Magnus, S. Thomas, Hugo. *Ioannis intentio non fuit ſolùm, vt ſui diſcipuli ſequerentur Ieſum, ſed vt perſeuerarent cum eo. Si autem rogaſſet eos, citiùs retroceſſiſſent, tãquam obſequentes alterius voluntati; nunc autem quoniam ſponte, & propria voluntate, ac nullis precibus moti ſequuntur, non ita de facili retrocedunt.* Non rogationibus inſtat Ioannes, vt ita illi ſponte Dominum ſequantur, & firmiter ei adhæreant: quæ enim ex propria voluntate facit homo, in iis maximè perſeuerat. Deinde, vt ait D. Chryſoſtomus hom. 17. *Hortatu ſuſpicioſum fuiſſet*; nã veritas nòn exhortationes requirit, ſed ſui manifeſtationem; & ideo non inſtat precibus Ioannes, ſed ſolùm veritatem oſtendit.

Chryſoſt. Alb. Magn. S. Thom. Hugo. *Non quæ precibus, ſed quæ voluntate ſunt diu durant.* Chryſoſt.

13. Bonauent. Chryſoſt. *Sequuntur diſcipuli non ex leuitate.* Idem.

Nec dicat quis, quòd iſti duo diſcipuli ex leuitate tam citò deſerunt ſuum Nagiſtrum. Ad hoc enim etiam rectè reſpondet D. Bonauentura, ex Chryſoſtomo. Non ex leuitate ſecuti ſunt Ieſum, nec ex contemptu Magiſtri, ſed vt perſuaſi ab eo, & vt audientes teſtimonium Magiſtri, & inſpirati à filio Dei. In hoc etiam oſtenderunt, quantam fidem deferrent teſtimonio Ioannis, vt ait Chryſoſtomus. *Sequuntur, quòd certam fidem Ioannis adhiberent teſtimonio; norant enim, præceptoris verba, non modeſtiæ fuiſſe, ſed veritatis.*

14. Chryſoſt. Bonauent. Chryſoſt.

Quærimus tamen in præſenti: Quare, cùm multi diſcipuli Ioannis adeſſent, vt vult D. Chryſoſtomus, de his ſolùm duobus dicatur, quòd audierint? Ad quod reſpondet primò Euthymius, vt iam dixi in expoſitione; quia hi duo non ſolùm audierunt auribus corporis, ſed etiam animæ, & cordis, ita vt ſuum cor apponerent, vt oſtenſam à ſuo Magiſtro ſequerentur veritatem. Secundò, ait D. Bonauentura. Hi duo erant magis diſpoſiti, ac magis dociles. Nam, vt ait D. Chryſoſtom. *alij erant diſcipuli Ioannis, ſed illi, non modò non ſecuti ſunt, ſed æmulabantur*, honorem ſcilicet ſui Magiſtri Ioannis, eumque præferebant Chriſto, vt patet ex *cap*. 3. *num*. 26. Qui autem mouetur inuidia, veritatem minimè percipit.

15. *Ille verè audit, qui audita opere implet.* Pſalm. 49. Auguſt. Remig. Brunon. Chryſoſt.

Rectè ergo ex omnibus hi duo dicuntur audiſſe, quia ille verè audit qui dicta ſui Magiſtri adimplet; & quod ipſe præcipit, exequitur. Ad plebem Iſraëliticam loquens Dominus ait: *Audi populus meus, & loquar; Iſraël, & teſtificabo tibi: Deus, Deus tuus ego ſum*, Pſalm. 49. num. 7. Non poſtulat Dominus, vt populus obediat ſuis mandatis, ac in lege eius deambulet; ſed vt audiat. D. Auguſtinus, S. Remigius, Brunon. *Audi, ideſt, deuota mente ſuſcipe, vt obſerues mandata mea.* Ille enim ſolùm verè audit, qui dicta adimplet. Et bis dicitur: *Deus, Deus tuus ego ſum*; quia, vt notat ibi D. Chryſoſtomus, *Surdi, & nullo ſenſu præditi erant*. Et ideo ſemel, & iterum eis fidei obiectum proponitur, vt maximè excitentur, ac moueantur.

16. Pſalm. 118. Ambroſ. Idem.

In rem noſtram. Magno myſterio titulus Hebraicus *Samech* appoſitus eſt in octonario decimoquinto *Pſalm*. 118. Nam, vt interpretatur D. Ambroſius, idem valet illud verbum Hebraicum, *ac auditum, & firmamentum*. Ille enim verè audit, qui greſſus ſuos firmat in mandatis auditis. D. Ambroſius, *Niſi enim vnuſquiſque audierit, quod ſequi debeat, nemo firmatur. In officio igitur audiendi, omnium firmamentum eſt.*

QVÆS

QVÆSTIO III.

Quare Dominus conuerſus ad hos diſcipulos, eos interrogat: Quid quæritis?

17. D. Thom. Idem. *Deus maximè requirit debitam intentionem.*

CONVERSVS Dominus vidit duos diſcipulos ſequentes, & ait eis: *Quid quæritis?* Et hoc dicit, vt notat D. Thomas, & iam dixi *in expoſitione*, vt rectam intentionem aperientes magis familiares faciat, & oſtendat eos auditione dignos. Et rectè aduertit D. Thomas, *quòd hoc eſt primum verbum, quod Chriſtus in iſto Euangelio loquitur, & congruè*, ait, *quia primum, quod quærit Deus ab homine, eſt recta intentio*. Eſt tam benignus, & propenſus in eos, qui ipſum ſequuntur, quod primum ipſius verbum ad eos eſt, *Quid quæritis*; vt noſtra deſideria adimpleat, ac poſtulata concedat.

18. Alb. Magn. Bonauent. Hugo. *Fugiat homo ſe laudandi occaſiones.*

Et notandum etiam ex Alberto Magno, quia non dixit Dominus, quem quæritis, quia de perſona iam illuminati erant à Ioanne; ſed, *quid quæritis*, hoc eſt, de ſalute, ac doctrina, de qua diſcere cupiebant. Deinde, vt etiam notant D. Bonauentura, Hugo. Non dixit, quem quæritis, ſed quid quæritis, *ne ſe laudare, vel quæri viderentur*. Ne ſe ergo oſtentandi occaſiones captare videretur, ideo ſua perſona prætermiſſa, de doctrina, quæ ad eorum ſalutem ſpectabat, facit interrogationem.

19. Chryſoſt. Theoph. Beda. Euthymius. D. Thom. Bonauent.

Quæſtionem ergo excitamus: Quare Dominus conuerſus, ſeu reſpiciens retrò, ad ipſos diſcipulos cum eis loquitur? Huius rei rationem germanam iam dedi in expoſitione. Nam, docent D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda, Euthymius, D. Thomas, S. Bonauentura, ea de cauſa Chriſtum ſe ad ſequentes diſcipulos Ioannis conuertiſſe faciem ſuam, priorémque, quid quærerent, interrogaſſe, vt erubeſcentes, ac timentes animaret, eiſque fiduciam daret, ſicque eos magis alliceret ad colloquium, ac doctrinam cæleſtem.

20. Beda. *Maieſtas inclinet ſe, vt videatur.* Exod. 33.

Secundò Beda. *Diſcipuli Ioannis*, ait, *quominus & coram, & anteceſſu Ieſum videre non poterant, ſed tergum illius ſequebantur, vt viderent. Ergo illi diſcipuli faciem Domini videre non poterant. Conuertit ſe, & quodammodo de ſua maieſtate deſcendit, vt poſſent diſcipuli contemplari faciem illius.* Dominus antea erat in ſublimitate ſuæ maieſtatis, qua conſtituerat legem, vt Moyſi poſtulanti: *Oſtende mihi gloriam tuam*, Exod. 33. n. 13. Reſpõdit ipſe Dominus: *Non poteris videre faciem meã, non enim videbit me homo, & viuet. Videbis poſteriora mea.* Antea facies Domini à nemine fuerat viſa, ſed omnibus abſcondita, & occultata ob ipſius maieſtatem. At vbi primum Dominus factus homo ad nos venit, *conuertit ſe, & quodammodo de ſua maieſtate deſcendit, vt poſſent diſcipuli contemplari faciem illius*. Ipſe ſe inclinat, ipſe à ſua maieſtate deſcendit, vt poſſint diſcipuli vultum eius intueri; hoc enim priuilegium debebatur legi gratiæ; & niſi maieſtas ſe inclinet, numquam inferiores ad illam accedere audent.

21. Rupert. Iſai. 64. Pſalm 84. *Deus auerſus à nobis propter peccata, ob ſuam miſericordiam conuertitur.*

Tertiò Rupertus. *Bene Ieſus*, ait, *conuerſus eſſe, dicitur. Quia videlicet antequam ſupradicto modo ambularet à ſummo cælo egreſſus, totus erat auerſus, ideſt, propter peccatum hominis vniuerſo generi humano iratus. Vnde clamat ingemiſcens* Propheta Iſai. 64. à n. 5. Peccauimus, & abſcondiſti faciem tuam. *Conuertitur autem, dum ſingulos in fide eum quærentium reſpicere dignatur. De qua eius conuerſione dicitur*, Pſalm. 84. num. 7. *Deus, tu conuerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.* Deus ipſe, qui propter peccata noſtra auerſus eſt ab homine, ipſe, dum ob ſuam pietatem miſeretur, tunc ad nos conuertit faciem ſuam, vt ſua gratia adiuuet, ac ad omne bonum producat.

22. Ammonius. *Omne bonum noſtrũ à Deo prouenit.* Ad Philip. 1. Arauzic. Trident. Auguſt. Fulgent. Iſidorus. Gregor. Anſelm.

Quartò Ammonius. Ipſe Dominus ſe conuertit ad diſcipulos, ipſe primò eos interrogat, vt hoc facto manifeſtetur, quòd homo non poteſt cum fructu ſequi Deum, niſi ipſe prior ſe conuertat ad nos, ac loquatur, nos adiuuando, ac nobis auxiliando, cùm omne bonum ab ipſo incipiat, ac per ipſum perficiatur, vt docet D. Paulus ad Philipp. 1. & 2. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiat.* Et definitum eſt in Concil. Arauſicano *cap*. 5. Trident. *ſeſſ*. 6. *cap*. 5. *& 6*. & tradunt Patres, D. Auguſt. *de prædeſtinat. Sanctor. cap*. 4. *& 5*. D. Fulgentius *lib*. 1. *ad Noni*. & expreſſiùs *lib. de Incarnat. & gratia cap*. 8. D. Iſidorus *lib. de ſummo bono cap*. 3. D. Gregorius *lib*. 33. *moral. cap*. 20. *aliàs* 25. D. Anſelmus *lib. de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis.*

23. Geneſ. 9. *Omne bonum noſtrũ à Deo eſt, eique tribuendum.* Oleaſt.

Poſtquam Noë euigilauit à ſomno, cùm cognouiſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait ei: *Maledictus Chanaan*, Geneſ. 9. n. 25. Et remunerans reuerentiam Sem erga ipſum, ait: *Benedictus Dominus Deus Sem*, ibidem num. 26. Sed valde mirum, quòd maledictionem in filium ſuum inflixit, dicens: *Maledictus Chanaam*; cur etiam pari modo Noë benedictionem non profert in filium ſuum: benedictus Sem; ſed totam laudis rationem in Deum conuertit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Sem?* Agnouerat Sanctus ſenex, Deum eſſe auctorem, & principium totius boni operis Sem, & ideo omnem laudis, ac gratificationis rationem in ipſum, tamquam in ducem, & fontem refert. Ipſe enim direxit, & rexit mentem Sem in illud bonum, ſanctumque opus. Oleaſt. *Non benedicit filium, ſed filij Deum, vt diſcamus, bona opera noſtra potiùs Dei eſſe, qui ad ea facienda animum, & vires dedit, proindeque meritò prior in laudibus proponitur Deus, qui primus, & præcipuus in noſtris operibus operator eſt, & ſine quo nihil operari poſſumus.*

QVÆSTIO IV.

Quare iſti duo diſcipuli voluerint ſcire Domini habitaculum?

24. Hugo.

BENE notat Cardinalis Hugo, quòd iſti duo diſcipuli Ioannis non reſpondent ad Domini interrogata; nam Chriſtus Dominus ab eis interrogauit, quid quærerent; ipſi autem non reſponderunt, hoc, vel illud quærimus; ſed iterum interrogant, *Vbi habitas*. Et quomodo hoc cohæreat cum illo ex Euangelio, *filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet*, iam explicaui in expoſitione. Ad quæſtionem ergo.

25. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Beda. Alb. Magn. D. Thom.

Reſpondetur primò cum D. Chryſoſtomo, Euthymio, Theophylacto, Beda, Alberto Magno, S. Thoma, & aliis. Quia iſti, non in tranſcurſu, nec in via, nec in publico volebant diſcere, ſed in

in ſecreto, & magna deliberatione deſiderabant inſtrui de rebus diuinis, ac via cæleſti. Secundò. D.Cyrillus *lib.2.in Ioann.c.8.* ſic ait: *Vbi habitet, rogant; quaſi opportunius domi reliqua dicturi. Non enim vbique res grandes oportere dicere arbitrabantur: quòd factum ſuum quaſi perutili nobis in exemplo ſemper propoſitum ſit.* Rem magni momenti ſcire cupientes, locum quietum, & tempus commodum quærebant; non enim res grandes vbique dicendas arbitrabantur.

Cyrill.

Res grandes tractandæ, nō vbique, ſed in quieto, & ſecreto loco.

26\. Tertiò D.Gregor.*in cap.9. primi Reg.* aduertit, quòd hi duo diſcipuli nolebant breuem tantùm in via cum Domino ſocietatem copulare, ſed diuturnam eius familiaritatem tamquam domeſtici maximè concupiebant. Et ita volebant ſcire domum, vt illam frequentarent, & ita ſæpe Domini verba audirent, ac facta eius imitarentur. Et ita Saul, dum ſolicitus eſt de aſinis perditis, non quæſiuit, vbi erat Propheta, *ſed vbi eſt*, ait, *domus Videntis*, 1.Reg.9.n.23. Quia non intendebat, in publico, ac in via cum Propheta habere colloquium; ſed volebat ſcire domum, vt diutiùs perciperet eius verba, ac contemplaretur eius vitæ probitatem. Ita ait *citat.* D.Greg. *Quando igitur ab eis conuerſationis ſecreta ad imitandum requirimus, eos quaſi de propria domo interrogamus. Domus namque eorum conuerſatio eſt.* Quærunt ergo diſcipuli domum Chriſti, vt cum ipſo habeant frequentem conuerſationem: & quia ex conuerſatione reſultat in moribus aſſimilatio, ideo domum interrogant, vt ex diuturna conuerſatione Dominum valeant imitari, in magniſque eius informari præceptis. Et in hac conſideratione eſt etiam D.Auguſt.*tract.7.in Ioan.* vbi ſic ait: *Videre voluerunt, vbi habitaret, & facere, quod ſcriptū eſt: Si videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Eccleſ.6.n.36. *Surge ad illud venire aſſiduè, & erudire præceptis eius.*

Gregor. *Res magnæ diutius tractandæ.* 1.Reg 9. Gregor. Auguſt.

27\. Quartò. T.Thomas allegoricè. In cælis eſt habitaculum Dei, iuxta illud Pſalm.22. num.1. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Quærunt ergo, vbi Chriſtus habitet, quia ad hoc debemus Chriſtum ſequi, vt per eum ducamur ad cælos, ac ad cæleſtem gloriam. Quintò idem D. Thomas moraliter. Interrogant, vbi habitas, quaſi vellent ſcire, quales debeant eſſe homines, qui digni ſint, quòd Chriſtus habitet in eis, de quo habitaculo dicitur Cantic.1. num.6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubet in meridie.* Et ad Epheſ.2. *Ædificamini in habitaculum Dei.*

D.Thom. Pſalm.22. S.Thom. Cantic.1. Epheſ 2.

28\. Sextò. Nolunt iſti duo diſcipuli ſuum negotium exponere in via, ſed in Chriſti habitaculum ſe recipere, ibique ſuam mentem aperire, ac ſuas petitiones effundere optant; ſciebant enim, nullibi aptius poſſe ſua deſiderata obtinere, ſuas obſecrationes impetrare, quàm ſi in domo Dei, ac eius habitaculo ſe reciperent, ſuaſque ibi funderent preces. Ait Regius Vates: *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*, Pſalm.83. Sed cur tanto deſiderio tenebatur domus Dei, niſi quia ibi agnoſcebat, quòd omnia cæleſtia bona fluebant, ac facilè petita obtinebantur, & ideo non alibi volebat immorari, niſi in atriis domus Domini. D.Baſilius *in cap.1. Iſaiæ*, ſic ait: *Planè enim nouit is, non poſſe ſe in flores erumpere, ac ne vllum quidem germen primigenium excipere ad præferendos fructus, niſi verſetur in atrijs Domini.*

In domo Dei ſimus, vt ditemur bonis cæleſtibus. Pſalm 83. Baſil.

Ioan.1.n.39. Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt, vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo; hora autem erat quaſi decima.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit eis: Venite, & videbitis. Illi autem venerunt, & viderunt, vbi degeret, & apud eum fuerunt die illo.

Chryſoſt.hom 17.in Ioan. Hora enim erat quaſi decima.

Vatabl. Theophylactus. Hora autem erat ferme decima.

EXPOSITIO.

29\. DOMINVS magna benignitate videns eos diſpoſitos, ac ſuæ ſalutis ſitibundos, ad hoſpitium, ac ſuum domeſticum colloquium inuitat, dicent illis: *Venite, & videte.* Non dat, nec oſtendit ſigna domus, ſed bonam occaſionem nactus diffundendi ſuam cæleſtem doctrinam, vt notat Theophylactus, eos ad ſe attrahit, vt inſtruat in via ſalutis. Et ait: *Venite* per bonam actionem vetera relinquentes, & per noua gradientes; *& videte*, intellectu credendo, ac per contemplationem fidei; & tunc manebitis apud Deum per affectum charitatis. *Et apud eum manſerunt die illo*, ac nocte vſque ad lucem craſtinam, vt interpretantur graues Patres, & Doctores, vt dicam quæſt.6. *Hora autem erat decima*, hoc eſt, ab ortu Solis; & quarta poſt meridiem, & ſecunda ante Solis occaſum, vt citata *quæſt.6.* explicabo iuxta computationem dierum, ac noctium, quam Iudæi faciebant. Chryſoſtomus *hîc* ponit quandam clauſulam. *Hora enim erat.* Denotatur ibi cauſa, cur cum eo manſerint die illo noctem includendo: quia dies iam adveſperaſcebat. Et vt inſtruerentur in magnis myſteriis, manſerunt cum illo ea nocte, quia Dominus omnia diſponit valde ſuauiter.

Oblata occaſio non omittenda. Theophyl. Chryſoſt.

30\. Quanta verò, & quàm mirabilia à Chriſto audierint, quos charitatis affectus deguſtauerint, Euangeliſta non explicat. Sicut etiam de Magis Chriſtum in præſepio adorantibus notaui. Illi tamen, qui experti ſunt, optimè hoc norunt. Vnde exclamat D. Auguſtinus tract. 7. in Ioann. *Quis eſt, qui nobis dicat, quæ audierum illi à Domino.* Et Euthymius. *Tamquam manifeſtum Euangeliſta reliquit intelligendum. Tantum enim vna nocte profecerunt, vt ad aliorum venationem ſequenti die procederent.* Rectè D. Chryſoſt. *homil. 17. in Ioann.* hoc ex effectu penſandum eſſe docet. Nam D. Andreas ita amore Chriſti eſt inflammatus, vt ſtatim fratrem ſuum Chriſto lucrauerit, eumque ad Dominum adduxerit. Sed ſi tanta fuerunt ſuauitate repleti, quomodo tam breuiter apud Dominum manſerunt? Rectè reſpondet D. Bonauentura. Ideo tam breuiter manſerunt ob feſtinationem ad annuntiandum aliis arcana, quæ audierant, & ob aliorum conuerſionem, vt patet ex ſequentibus. Nam indilatè Andreas adduxit fratrem

Affectus charitatis ſolùm, qui experiuntur, agnoſcunt. Auguſt. Euthym. Chryſoſt. Bonauent. *Chriſti diſcipulus bonum communicatum, non ſibi retinet, ſed alijs communicat.*

trem ſuum ad Ieſum, ac proindè bonum, quod ipſi aſſecuti ſunt, ſine mora voluerunt aliis communicare.

QVÆSTIO V.

Si diſcipuli de domo interrogant, cur eos Dominus voce non docet, vel dat ſigna, ſed eos ſecum in illam adduxit?

31\. QVÆSIERANT diſcipuli à Domino: *Vbi habitas?* Ad cuius interrogationem ſufficiens erat reſponſio, ſi Dominus eos moneret, quòd in tali, vel tali loco habitabat, vel ſi aliquod eis deſignatum ſui hoſpitij ſignum oſtenderet, vt notant D.Chryſoſtomus, Euthymius, & alij. At neutrum Dominus præſtitit, ſed quid altius, & excellentius, ſecum eos in domum ſuam adducens.

Ratio difficultatis. Chryſoſt. Euthymius.

32\. Reſpondet primò D.Cyrillus lib.2.in Ioan.c.9. *Non docuit*, ait, *vbi habitaret Dominus, quamuis hoc ipſum ab eo peteretur, ſed illico illò ire ipſos hortatur. Primum vt doceret, nullam eſſe in quærendis bonis moram laudandam, cùm vtilitatis retardatio detrimentum afferat ſemper.* Non oſtendit eis Dominus diuerſorium, nec docet eos locum, in quo manebat, ſed ſine vlla mora eos ſecum in domum introducit, docens in rebus magni ponderis, ac noſtræ ſalutis non eſſe cunctationes interponendas, ſed oblata occaſione negotium indilatè peragendum, nā ſæpè dilationes multa bona è manib. eripiunt. *Quum vtilitatis retardatio detrimentum afferat ſemper.* Vide ſuprà *lib.1.c.10.n.44.*

Cyrillus. *Oblata occaſio ſalutis aliorum non omittenda, ſed arripienda.*

33\. Secundò iterum expendo illa verba: *Non docuit, vbi habitaret, quamuis hoc ipſum ab eo peteretur, ſed illicò ire ipſos hortatur.* Magna Dei benignitas, miraque eius beneficentia, qua plus largitur, quàm ab eo poſtulatur: Diſcipuli tàntùm petunt ſcire locum, in quo hoſpitabatur: *Vbi habitas?* Ad Dominus multò ampliora concedit, vt non ſolùm locum oſtendat, ſed etiam eos ſecum in illum ducat, ac ibi cum eis commoretur per ſublimia, & alta colloquia, ac inſtructionem rerum ſupernaturalium, quam eis communicare dignatus eſt. Vide *lib.1.cap.4.n.41.*

Cyrill. *Deus plus concedit, quā ab eo poſtulatur.*

34\. Tertiò idem D. Cyrillus citato loco. *Vt oſtenderet*, ait, *non ſufficere; ſi quis, vbi Chriſti domus, id eſt, Eccleſia, fundata ſit, didicerit: ſed ſi per fidem in eam venerit, & quæ myſticè in ea peraguntur, feruenti animo viderit.* Dominus non ſolùm eos docuit loquendo, ſed etiam agendo; non ſolùm eos inſtruit verbis, ſed etiam ſuis greſſibus eos in domum ſuam introducens, vt ponderat Alcuinus *in Catena D.Thomæ.* Per hoc etiam factum omnibus declarans, quòd non ſufficit ad ſalutem, ſi quis agnoſcat, ſi quis ſciat Chriſti Eccleſiam, ſed neceſſe eſt, vt per fidem in eam ingrediatur, ac myſteria, quæ ibi peraguntur, feruenti, ac prompto, & obedienti animo amplectatur.

Cyrill. *Prius docendum exemplo, quàm verbis.* Alcuinus. *Ad ſalutem neceſſe eſt ingredi in Eccleſiam.*

35\. Quartò. Beda. *Si* (loquens in perſona Chriſti) *vultis videre habitaculum meum? Sermone explicari non poteſt, opere demonſtratur.* Idem habet Alcuinus *citat.* Facile poterat Dominus eis ſuum habitaculum deſignare; tamen noluit: ſignificabatur enim ibi feliciſſimum illud æternæ beatitudinis habitaculum, cuius eſt tam ampla magnitudo, cuius delitiæ tanta ſuauitate plenæ, vt gaudia, proſperitates, ac felices beatorum ſpirituum honores, & coronæ, non ſermone explicari, ſed viſu capi valeant. Et ideo Chriſtus Dominus, cùm ſit ipſamet infinita ſapientia, verbum, ac loquela Patris, omnia vno nutu comprehendēs; tamen ob noſtrā eruditionem, non vult verbis ſuum habitaculum deſignare, vt nobis ſit manifeſtum, quòd illa cæleſtis celſitudo nō verbis exæquatur, cùm facillimè omnem humanam eloquentiam ſuperet; ſed tantùm oculorum experientia agnoſcitur, & tenetur. *Sermone explicari non poteſt, opere demonſtratur.*

Beda. Alcuinus. *Amplitudo cæleſtis beatitudinis nullo ſermone poteſt explicari.*

36\. Ait Iob.37.n.20. *Quis narrabit ei, quæ loquor? Etiamſi locutus fuerit homo, deuorabitur.* Maximè expendendum eſt illud, *deuorabitur.* Ea enim deuorantur, quæ abſconduntur, diſparent, ac conſumuntur. Sed quæ ſunt hæc, quæ ſi locutus fuerit homo, ab his abſconditur, & conſumitur? Sermo eſt ibi de Deo, ac eius beatitudine, vt placet D. Gregorio, & aliis Patribus. Tanta eſt enim celſitudo diuinæ beatitudinis, vt ſi homo ſua eloquentia eam voluerit explanare, tota eius ſapientia cū omnibus ſuis ſermonibus compoſitis deuoretur, abſcondatur, atque diſpareat, cùm nihil valeat dicere comparatione illius magnitudinis, cùm omne humanum eloquium illi ſit impar. Et ita non illius feliciſſimi ſtatus amplitudinem homo declarat, ſed potiùs ſuam ignorantiam manifeſtat. S.Odon. Abbas Cluniac. lib.27. moral. ad finem, *Si quis*, ait, *aliquid de Deo loqui cœperit, illico, quàm nihil ſit, oſtenditur, quia magnitudinis illius immēſitate deuoratur, & quaſi in profundum raptus abſconditur, quia fari ineffabilem cupiens ipſa ſuæ ignorantiæ anguſtia deglutitur.* Pondera vltima verba in rem noſtram. Vide *lib.1.c.7.n.31.*

Iob.37. Gregor. Odon.

QVÆSTIO VI.

Quare ab Euangeliſta notetur, quòd erat hora decima?

37\. ADVERTIT Euangeliſta, tempus, quo hæc agebantur, eſſe horam decimam, nempe ab ortu Solis; ac proinde erat quarta poſt meridiem, & ſecunda ante Solis occaſum. Nam Iudæi ab ortu ad occaſum Solis numerabant diem, & duodecim horis, totidemque noctem diuidebant. Decima ergo hora ab ortu, iam propè ad occaſum eſt Solis. Et clariùs hoc patet, ſi recolas, quæ ſuperiùs dixi, quòd hæc cōtigerint die tertia Martij, vt dixi *n.1.* ac proinde cùm iā in proximo eſſet æquinoctium, quo dies, & noctes ſunt æquales, hora decima valde propinqua erat occaſui Solis; eo maximè, quia adhuc hyemale tempus vigebat.

Quomodo Iudæi ſuos numerabāt dies?

38\. Et notandum eſt, quòd iſti duo diſcipuli manſerint apud Dominum, non tantùm duabus illis diei horis, quæ ſupererant, vt aliqui exiſtimarunt: ſed per integrum diem naturalē, qui noctem etiā includit; ideoque per totam noctem, ſaltem vſque ad lucem matutinam. Quod ex eo deducitur manifeſtum, quia duabus tantùm horis, nec ſatis cum Chriſto ſua tractare, nec Chriſtum pernoſſe, nec ad Ioannem ante noctem redire potuiſſent. Hanc ſententiā expreſsè docent D.Aug. *tract.7.in Ioan.* ſic dicens: *Quàm beatum diē, quàm beatam noctem duxerunt.* D.Chryſoſt.hom.17. in Ioan. *Chriſtus*, inquit, *allexit hos diſcipulos, vt erudiret. Quod tam largiter, & promptè vna nocte acceperunt, vt mox* alios

Diſcipuli fuerunt cum Domino per totā noctem. Auguſt. Chryſoſt.

S f

Cyrillus. Euthymius. Theoph. Alb. Magn. D.Thom. Bonauent. Hugo. Caiet. Cyrill.

alios allicerent. In eadem ſententia ſunt D.Cyrill. *lib.2.in Ioan.cap.*10. Euthymius, Theophylaſtus, Albertus Magnus, S.Thomas, D. Bonauentura, Hugo, Caietanus, & alij multi communiter. Nam, ait D.Cyrillus citatus. *Non conuenit, vt cito ſatiati à diuina doctrina recedamus.*

29. Euthym.

In noſtra ergo quæſtione quærimus: Quare Euangeliſta aduertit, quòd erat hora decima? Rectè reſpondet Euthym. *Horam ſignificat Euangeliſta*, ait, *& in his inuenies diſcipulatus deſideriũ, & in illo humanitatem, quod neque propter tẽpus auerſi ſunt, cùm iã ſol ad occaſũ declinaret.* Et poſt pauca ſubdit: *Oportet igitur & nos ob nullum tergiuerſari tẽpus ab audiẽdis his, quæ diuina ſunt, ſed omnia his poſteriora ducere.* Ex hoc apertè manifeſtatur quãta in ChriſtoDomino ad docendũ charitas, quantuſque in illis bonis diſcipulis ad diſcẽdum ardor, ac deſiderium effulſerit, quando ſcillcet eo tẽpore, quod cœnæ deſtinatum erat, & ille docere voluerit, & illi doceri. Exemplum, & à Chriſto Prædicatoribus, & à diſcipulis auditoribus relictũ eſt, vt nullũ, nec ad docendum, nec ad diſcendum, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, tempus, aut ſerum, aut importunum habeatur; ſed omni commoditate poſtpoſita, tam de noſtra, quàm de aliorum ſalute agamus. Et ita Chriſtus pernoctat, eos docendo; & ipſi etiam maluerunt apud Dominum audiendo pernoctare, quàm domi in lecto decumbere.

Magna Chriſti charitas in docendo, & multus diſcipulorum in diſcendo ardor.

40. Cyrillus.

Secundò. D.Cyr.li.2.in Ioan.ait: *Horã autẽ dicit quaſi decimã fuiſſe, vt nos moneret, non incipientib. ſæculis, ſed poſt magnũ iã eorũ progreſſum Saluatoris noſtri myſteriũ factum fuiſſe.* Non initio ſæculorũ Chriſti myſterium factum, ſed poſt eorũ magnum progreſſum: tanta enim temporum diſpoſitio requirebatur, vt Chriſti myſterium perageretur.

Chriſtus in temporum progreſſione.

41. Rupert.

Tertiò Rup.lib.2.in Ioan. *In omnibus*, ait, *omnino ætas non diſcernit, nec præiudicat. Congrua ſignificatione dictum eſt, hora quaſi decima. Ipſe eſt enim Paterfamilias, qui exijt primo manè cõducere operarios in vineã ſuã, & circa tertiã, ſextã, & nonã, ac decimã horã fecit ſimiliter. Hora decima propè eſt iã veſpera, quæ humanæ vitæ occaſũ ſignificat.* Hora decima, quę iâ propè eſt vltima diei, veniunt diſcipuli, & recipiũtur à Chriſto in ſuo habitaculo, quia in quacũque hora peccator ſe conuertat, benignè ad miſericordiã à Domino ſuſcipitur. Quartò idẽ Rupert. *Vltima diei parte, ideſt, hora decima, vocare cœpit, decima quoque plaga attrita fuerat Ægyptus.* Denarius numerus inſeruierat ad magnis vexationibus, ac calamitatibus verberandum Ægyptum: vult etiam Deus, vt decima hora aptetur ad cœleſti gratia recreãdos diſcipulos, vt ille numerus, qui inſeruierat ad pœnam, inſeruiret etiam ad gratiã. Vide *lib.*1.*c.*2.*n.*47.*&* 48.*& lib.*2.*c.*4.*n.*49.

Qui veniunt ad Chriſtum, etiam in vltima hora, ab eo recipiũtur.

Rupert.

Nobilitatur, quod erat indecorum.

42. Auguſt.

Quintò. D.Aug. tract.7. in Ioan. *Numerus iſte denarius*, ait, *legẽ ſignificat, quia decẽ pręceptis data eſt lex. Meritò ergo decima hora eũ ſecuti ſunt ad teſtimoniũ amici ſponſi duo iſti: & decima hora audiuit, Rabbi, quod interpretatur Magiſter Denarius* denotat legem in decem præceptis contentã, quia dum ipſa retinetur, ac obſeruatur, ad Chriſtum datur acceſſus, per illius obſeruationem graditur homo ad Deum: *legem pone mihi Domine in via tua* Pſal.26.n.1. Simanch ponit: *Oſtende mihi Domine viam tuam.* Lex enim, ac eius obſeruatio via eſt, quæ ad Deum ducit. S.Marc.Erem. *Altus, & ſublimis eſt Dominus, legis præcepta pro gradibus poſuit, vt ad eum appropinquemus.* In hac conſideratione ait Iob.39.n.27. *Nunquid ad præceptum tuũ eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?* Sed quænam eſt iſta aquila, quæ ita eleuatur? Concors Patrum eſt ſententia, quòd Iuſtus ibi ſignificatur, qui dum præceptis Dei obedit, eleuatur ſupra ſe, vt in altiſſimis, nempe iuxta thronum Dei, ponat ſpem ſuam ad fruendum eius cæleſti beatitudine. D.Greg. Magn.lib.21. moral.c.34. *Ad præceptum Dei eleuatur aquila, dum iuſſionibus diuinis obtẽperans in ſupernis ſuſpenditur fidelium vita Quæ & in arduis nidum ponere dicitur: quia deſideria terrena deſpiciens, ipſe iam de cœleſtibus nutritur.*

Obſeruatione legis ad Chriſtum acceditur.

Pſalm.26. Simanchus.

S Marcus. Eremit.

Iob.39.

Obſeruatione legis Dei eleuatur homo.

Greg. Magn.

Ioannis 1.*n.*40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum.

*Ibid.num.*41. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus)

VERSIONES.

Theophylactus, Reperit hic prior fratrem.
*Vatabl.n.*41.

Arias. Inuenit hic primus fratrem proprium Simonem.

Syriacus in ſua radice habet. Vidit hic primum.

EXPOSITIO.

43.

TALENTVM, quod Andreas acceperat, non abſcondit, ſed in publicum profert, & ad lucrandũ exponit, vt notãt D.Chryſoſt. D.Cyrillus, Beda, Theophyl. Euthym. Albert.Magnus, & alij. Vnde bene ait D.Bonauentura, quòd ex hoc patet Andreæ ad doctrinam diuinam communicandam fidelitas, ad Deum honorandum affectuoſitas, & ad fratrem conuertendum charitas, & ad laborandum in docendo ſedula ſtudioſitas. *Erat autem Andreas.* Incipit Euangeliſta narrare, qualiter adductus eſt ad Chriſtum Petrus, qui fuit caput, & princeps Apoſtolorum. Vnde conuerſio Petri magna laus, & gloria eſt D.Andreæ, qui magno gaudio, zelo, ac charitate repletus fratrẽ ſuũ ad Chriſtum adduxit. Ita ait D.Chryſoſt.hom.18. *Hoc fraternæ bonæ volũtatis eſt, hoc cognati amoris, hoc ſinceræ affectionis, in ſpiritualibus ſtudere manũ porrigere ſibi inuicem.* Debent enim homines, ac fratres ſibimetipſis mutuò adiuuare. *Frater Simonis Petri.* Simon nomen à parentibus, vt notat Gloſſa, & idẽ valet, ac obediens. *Petri* hîc dicitur per anticipationẽ, vt notant communiter Expoſitores cum Alberto Magno, D.Bonauent.& aliis, & idem valet, ac petra, ſola enim vera obedientia conſurgit in petrã, ac ſolidum fundamentũ Eccleſiæ. *Vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne*, dicẽte de Ieſu: Ecce Agnus Dei, erat enim Andreas diſcipulus Ioannis; ſic etiã videtur, quòd Petrus eiuſdẽ Baptiſtę fuerit diſcipulus, vel ſaltem ſtudioſus auditor, vt tradunt Maldon. Cornel.à Lapide. Erant enim chariſſimi fratres, & ſemper eandẽ doctrinã eundemque præceptorem ſecutos fuiſſe, aſſerunt, ſicut eundem, poſtquam cognouerunt, Chriſtum

Chryſoſt. Cyrill. Beda. Theoph. Euthym. Alb. Magn. Bonauent.

Conuerſio Petri, magna laus Andreæ.

Chryſoſt.

Obedientia conſurgit in petram.

Alb. Magn. Bonauent.

Maldonat. Franciſcus. Lucas.

Magna laus Baptiſtæ, quòd tales habuerit diſcipulos.

ſecuti ſunt. Magna laus Baptiſtæ, quòd Petrum, Adream, & Ioannem Euangeliſtam habuerit in diſcipulos. *Et ſecuti fuerant eum*; tamquam bonus auditor, qui auſcultata opere adimpleuit.

44. Chryſoſt. Theoph. Vatabl.

Inuenit hic primum. Chryſoſt. Theophyl. Vatablus legunt, *Inuenit hic prior.* Quaſi velit ſignificare Euãgeliſta, quòd Andreas prior inuenit Petrum, quàm ille alius diſcipulus, qui fuerat ſocius Andreæ, vt ita agnoſcatur, quòd non per alium Petrus adductus eſt ad Chriſtum, niſi per Andreã, Noſtra verò Vulgata habet: *Inuenit hic primum*, & facit hunc ſenſum, quòd poſtridie, ſcilicet illius diei, quo cum Chriſto manſerat, & pernoctauerat, ante alios ſuos amicos, & notos inuenit Petrum fratrem ſuum. Inuenimus Meſſiam, ſcilicet, Ego cum condiſcipulo meo inuenimus Meſſiam, quem nos diu deſiderauimus, ac ſtudioſè, & ſedulè quæſiuimus. Et magna energia hoc verbũ *Inuenimus*, hîc poſitum eſt, videtur enim ſignificare, Petrum, ac Andream vehementiſſimo Chriſti deſiderio antea flagraſſe, ac exarſiſſe; nam, vt ait hîc Beda; *Nemo enim inuenit, niſi qui quęrit: iſte qui inueniſſe ſe dicit, oſtendit, quia diu quæſierit.* Et D Chryſoſt. hom.18. *Hoc Verbum*, ait inuenimus, *animæ eſt maximè eius præſentiã deſiderantis, & cælitus aduentũ expectantis: cuius aduentu exultans alios Euangelij geſtat fieri participes.* Idem aduertunt Euthymius, Albertus Magnus, S.Bonauentura, Hugo & alij. Andreas maximè exultans de theſauro inuento ob ſuam eximiam charitatem tantũ gaudium cohibere nõ poteſt; ſed ſtatim alios facit participes, & fratri ſuo tantum bonum annuntiat. Charitas à ſe, ac à ſuis incipit. Preme illud verbum, *Inuenimus*, quia tantum bonum, non ſibi ſoli retinere volebat, ſed omnibus communicare.

Vulgata.

Beda.

Chryſoſt.

Euthym. Alb. Magn. Bonauent. Hugo.

Res magni gaudij publicantur.

45. Gaudent.

Meſſiam. D.Gaudentius *ſerm.*17. qui eſt de Baſilica Martyrum, notat, quòd D.Andreas primus poſt Baptiſtam prædicat Chriſtum. *Meſſias* Hebraicum nomen eſt, & Græcè ſignificat Chriſtum, Latinè autem vnctum. Euangeliſta nomen Hebraicum retinuit, tam ob venerationem ipſius nominis, quàm ob reuerentiam ſacræ Scripturæ primigeniæ. Hoc nomine denotabant Iudæi Sanctum, ac electum Dei, Saluatorem promiſſum in lege, nempe Ieſum Chriſtum ſalutem noſtram. *Qui interpretatur Chriſtus.* Euangeliſta ſcribebat Græcè, & ideo retinens nomen Hebraicum Meſſiam Græcè explicat, id eſt, Chriſtum, quod Latinè dicitur vnctum.

QVÆSTIO VII.

Quanta excellentia nomen Meſſiæ competat Ieſu Saluatori noſtro?

46. *Tria genera perſonarum, quæ vngebantur.*

PRO exacta explicatione huius nominis *Meſſiæ*, quod Hebraicum eſt, Græcè ſignificat Chriſtum, Latinè vnctũ, aduertendũ eſt, apud Hebræos tria genera perſonarum fuiſſe, quæ ſacra Vnctione vngebantur. Sũmi Sacerdotes *Exod.*29. *n.*7. Reges 1.*Reg.*11.*n.*1.*&* 16.*n.*13. Et Prophetæ etiam aliquot inſignes. Eliſæus enim vnctus eſt, 3.*Reg.*19.*n.*16. Et omnes iſti Chriſti nomine dicebantur in Pſalm.104.n.15. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Hoc tamen nomen Meſſiæ, ſeu Chriſti per quandam antonomaſiam accõmodatum eſt Chriſto Ieſu Redemptori noſtro promiſſo in lege. Et meritò hoc factum eſt: nam ipſe cõplectitur omnes vnctiones, quod nullus alius habet. Nam in populo Hebræo quidam fuerunt ſimul Reges & Prophetæ; quidam Sacerdotes, & Prophetæ. At nullus, vt bene notat Toletus *annot.* 75. extitit ſimul Sacerdos, Rex, & Propheta, præter Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.

Pſalm.104.

Tolet.

47.

Nam primò. Noſter Redemptor ſummus Sacerdos ſecundùm ordinẽ Melchiſedech. *Pſal.*109. *n.*4. Secundò conſtitutus eſt Rex *Pſal.*2.*n.*6. Fuit etiam Propheta *Deut.*18.*n.*15. Quartò & alio excellentiori modo, aliqui in veteri Teſtamento, de quibus modò dictum eſt, vngebantur exteriùs vnguento materiali, interiùs gratia finita, & infuſa, quæ eſt quoddam accidens, qualis datur in puris hominibus. At noſter Saluator multo ſublimiori modo vnctus eſt; nam illius humanitas vncta eſt ipſamet diuinitate; nam illi ſubſtancialiter hypoſtaticè eſt vnita Et quantũ diuinitas ſuperat creaturam, tantum ſuperat vnctio Chriſti cæteras vnctiones. Et de hac vnctione dicitur Act.10.n.38. *Quomodo eũ vnxit Dominus Spiritu ſancto.* Iſai.61. n.1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit me Dominus.* Pſal.44.n.8. *Vnxit te Dominus præ participibus ſuis.* Hanc vnctionem rectè explicant Origen. *lib.*2. *de princip.c.*6. D.Dionyſius Alexandr. *Epiſt.contra Paulum Samoſaten.in princip.* D.Nazianz. *orat.*36.*&* 42. D.Cyrill. *lib.*4.*in Ioan.c.*29. D.Damaſcen. *orat.*1. *de Imaginib. & lib.*3.*de fide cap.*3.*&* 4. Nicetas *lib.*3. *Theſaur c.*3. Et hac ipſa vnione Chriſtus Dominus conſtitutus eſt verus, & proprius filius Dei naturalis, Doctor, Magiſter, ac legiſlator, & Redemptor totius orbis. Ita vt non ſit aliud nomen datum hominibus, in quo nos oporteat ſaluos fieri, niſi in nomine Ieſu.

Ieſus omni vnctione excellentiſſimè vnctus.

Actor.10. Iſai.16. Pſalm.44.

Origenes. Dion Alex. Nazianz. Cyrill. Damaſcen. Nicetas.

QVÆSTIO VIII.

Quiſnam eſſet Andreas? Et quare fratri ſuo non annuntiet, quæ à Chriſto audierat?

48. D Thom. *Quis ſenior, Petrus, an Andreas.* Chryſoſt. Beda. D.Thom.

ANDREAS, vt explicat D.Thomas, idem eſt ac virilis. An verò Andreas fuerit ætate maior Petro, dubium eſt. Petrum ætate maiorẽ fuiſſe, putant D.Chryſoſt. *apud Metaphraſtem in laudatione D. Andreæ.* Beda, D.Thomas, & alij hoc loco. Vnde ait Beda, *Non dedignatur maior minorem ſequi quia non erat ordo ætatis, vbi erat meritũ fidei.* Vbi res diſpenſatur iuxta fidei merita, ac diſpoſitiones diuinæ gratiæ, non æſtimantur iura ætatis, ac naturæ. Sic Dauid, quamuis eſſet paruulus inter fratres, eligitur in Regem, 1.*Reg.*16.*n.*13. Tamen Andream eſſe ætate ſeniorem Petro, exiſtimat D. Epiphanius *hæreſi* 51. Et hanc ſententiam ſequitur Eccleſia in feſto S. Andreæ in lectionibus. *Andreas*, ait, *frater Petri natu maior.*

Epiph. Eccleſia.

49. Chryſoſt.

Quærimus tamen in præſenti, cur Andreas nõ dixit, annũciauit fratri ſuo ea, quæ audiuit à Chriſto Domino? Reſpondet D. Chryſoſt.homil.18. *Credibile eſt, Andreã plura perſuaſioni maximè accõmodata narraſſe: verùm Euangeliſtæ nonnunquã multa breuitatis gratia prætermittunt. Præterea nõ dicit, ei ſtatim perſuaſiſſe, ſed tantùm adduxiſſe ad Ieſum, vt inde totũ diſceret: nã ſi Ioannes Baptiſta, cùm inquit: Ecce Agnus Dei; & qui in ſpiritu baptizat, certiorẽ doctrinã magiſtro edocendã relinquit, & inde haurire hortatus eſt: longè magis Andreas, cùm ſuum non eſſet officium, neque ad tanti luminis narrationẽ ſufficeret, ad ipſum fontem fratrẽ adducere*

cere oportuit. Verba Chryſoſtomi poſui, in quibus ipſe quatuor rationes propoſitæ quæſtionis nobis dat.

50. *Bonus diſcipulus imitator magiſtri.*

Primò, quòd D. Andreas fratri ſuo Petro multa valde proportionata perſuaſioni dixit: tamen Euangeliſta breuitatis cauſa omittit. Secundò. Quòd D. Andreas, tamquam bonus diſcipulus ſecutus eſt veſtigia ſui Magiſtri Ioannis Baptiſtæ: nam ille ſolum Chriſtum demonſtrauit, dicens: Ecce Agnus Dei. *At certiorem doctrinam Magiſtro edocendam reliquit, & inde hauriri hortatus eſt.* Ita Andreas Petro oſtendit Chriſtum: *Inuenimus Meſſiam.* At celſiorẽ doctrinam edocere ſanctiſſimo Magiſtro committit. Tertiò. *Cùm ſuum officium non eſſet.* Andreas nondum conſtitutus erat Apoſtolus, & Prædicator; ideoque abſtinuit, ne ſe intromitteret in officium, quod ad ſe non ſpectabat. Quartò, *Neque ad tati luminis narrationẽ ſufficeret.* D. Andreas ob ſuam modeſtiam ſuæ imbecillitatis cõſcius, ſe æſtimauit omnino inſufficientẽ, vt tã alta, & ſublimia myſteria enarraret. Vnde totum negotium ad ipſum claritatis fontem remittit.

Quilibet ſtet in ſuo officio. Diſcipulus ne affectet magna explanare, ſed ſuo magiſtro committat.

51. Matth. 22.

Mandat Dominus ſuis miniſtris, vt cunctos ad ſuum conuiuium inuitent, & vocent. Et ait: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meũ paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata,* Matth. 22. n. 4. ſed cur non iubet Dominus cibos, carnes, ac altilia per manus miniſtrorum deferri, ac diſtribui, ſicut etiam mandauit panes in conuiuio quinque millia hominum per ſuos miniſtros expendi, *Ioan. 6. n. 12.* Eſcæ in prandio apponendæ, erant altilia, per quæ ſublimia, & alta myſteria intelliguntur: at illi panes erant hordeacei, ac infimæ conditionis, & licèt miniſtri, qui nondum vltimò expoliti, ac inſtructi erant, ad parua, & minima apponenda ſufficerent; tamen ad alta, & excelſa enarranda incapaces reperiebantur; & ideo tantùm eis datur, vt ad prandium inuitent, & vocent; illos tamen ſupremos cibos ad deguſtandum exponere, ac ad ruminandum præbere, hoc reſeruatum manet ſupremo Regi, ac diuino Magiſtro. Galfridus *in Tilmani Catena,* ſic ait: *Et in carne quidem taurorum cibus fortior, altilium eſus delectabilior eſt: vtraque ergo ſuis videtur Dominus nuptijs parata ſuis enumerare conuiuis, vtique eius manibus apponenda.*

Magiſter ſibi reſeruet magna ad explicandum.

Galfrid.

Ioannis 1. n. 42. Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

VERSIO.

Syriacus. Tu es Sehemoum filius Iauna, (columbæ) tu vocaberis Kipho, Petra.

EXPOSITIO.

52. Seleucus.

ADDVXIT, *eum ad Ieſum.* At D. Baſilius Seleucus orat 25. *Dicit Andreas Petro: Inuenimus Meſſiam: & ad vocem Petrus auribus ligabatur;* vox Chriſtum ſonans valde efficax ad omnes humanas voluntates trahendas. Et ideo cùm Petrus audit iam verum Meſſiam, id eſt, Chriſtum Dominum adeſſe, illius deſiderio, ac amore inflammatus, facillimè à fratre ſuo ad illum adducitur, vt ab ipſo Saluatore inſtruatur, ac doceatur. D. Chryſoſt. hom. 18. *Conſidera,* inquit, *à principio obedientem, & beneuolum Petri animum: cucurrit è veſtigio, nil moratus. Adducit,* inquit, *eum ad Ieſum. Sed nemo eius damnet nimiã in credendo facilitatẽ: non enim dicit, ſtatim perſuaſiſſe, ſed tantùm adduxiſſe ad Ieſum, vt inde totum diſceret.* Proſequitur textus. *Intuitus autem eum Ieſus,* non ſolùm exteriori oculo, ſed etiam, vt ait Beda, interiori, nempe ſuæ gratiæ, ac diuinitatis. Et Dominus non ſolùm intuitus eſt eum ſecundùm faciem, ſed etiam penetrando eius ſincerum animum, ac cor, præuidendo quanta opera ab ipſo erant facienda. D. Cyrillus, *Reſpicit, vt Deum decet, qui corda, & renes ſcrutatur, videtque, qui nihil ignorat, ad quantam fidem, & virtutem diſcipulus peruenturus ſit.* Non negationes Petri, ſed eius magnam fidem, ac merita videt Dominus, vt ipſum iam incipiat honorare, ac condecorare. Et dum dicitur quòd Dominus intuitus eſt eum, in hoc, vt ait Rupertus, magnum præſignatur gaudium Petro, cùm Dominus eum intueatur, cum eoque loquatur. In quo, vt notat Hugo, ei datur ſecuritas, ac fiducia accedendi ad Dominum.

Vox ſonans Chriſtum valde efficax.

Chryſoſt.

Beda.

Cyrill.

Dominus reſpicit merita vt honoret.

Rupert.

Hugo.

53. *Tu es Simon. Simon* nomen propriũ, ac à parentibus impoſitũ. *Filius Iona* patris nomẽ, & cognominis loco ponitur. Et ſic dicitur tamquam contractum ex nomine Ioannis. Et hæc dicit Dominus, vt ad ſe alliciat Simonem; quem enim antea neque viderat corporalibus oculis, neque nouerat, vocat eum tamen nomine proprio, & ex ſuo genere, vt ita agnoſcat ſuam virtutem, ac ad maiora myſteria credenda excitetur, vt notarunt D. Auguſtinus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, Beda, & ex præſentiũ agnitione credat, quæ ei de futuro promittuntur, vt ait Chryſoſt. homil. 18. *Ex præſenti enim futurũ credibile reddit.* Cur autem, quando de Pontificatu fit mentio, nomen patris ei in memoriam adducitur? Commodiùs dicam *ad cap. Matth. 16.*

Auguſt. Cyrillus. Euthymius. Theophyl. Beda. Chryſoſt.

54. *Tu vocaberis Cephas.* Vox eſt Syriaca, id eſt, Petrus, ſeu Petra. Et non ſignificat vox Syriaca qualemcumque petram, ſed magnam & fortem. Per hæc Dominus denotat Petro, quòd ipſum faciet firmiſſimum fundamentum Eccleſiæ ſuæ, quam ſupra illum ædificabit. Hoc promiſſum adimpletum eſt *Matth. 16. n. 16.* dicente Domino: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã.* Et Ioan. 21. n. 15. *Paſce oues meas.* Et Dominus non dixit Petro, vt notat Theoph. *Ego te vocabo Petrũ, ſed vocaberis: nolebat enim ab initio auctoritatem ſuam indicare, eo quòd nondum firmam in illum fidem haberent.* Magnum documentum noſtrum, noſtra enim magnalia non ſunt aperienda ei, qui de noſtra virtute, nec fidem, nec agnitionẽ habet. Et ponderandum cum D. Chryſoſtomo *hom. 18.* quòd Petrus ad Chriſti verba, dum ei tam magna promittuntur, nihil reſpondit. Eximio iam amoris pondere ferebatur in Chriſtum, quòd potius operibus, quàm verbis teſtificari volebat.

Ioan. 21. Theoph.

Tua magnalia ei tantùm dicas qui de te magnam opinionem habet.

Chryſoſt.

QVÆSTIO IX.

Quare Dominus magnum Petri nomen Simoni imponat?

55. CONTROVERTITVR à multis hoc loco: An Dominus hîc impoſuerit Simoni nomen

men Petri? Tantum nomen ei in præſenti impoſitum fuiſſe, docent D. Auguſtinus *de conſenſu Euang. lib. 2. cap. 17. & lib. 4. cap. 3.* Abulenſis *Matth. 16. quæſt. 66.* Beda *Marci 3.* Ianſenius, Toletus *annotat. 76.* Tamen Gloſſa Interlinealis, D. Cyrillus *lib. 2. cap. 12.* D. Chryſoſtomus *homil. 18.* D. Hilarius *Matth. 19.* denotare videntur, tunc impoſitum fuiſſe nomen, quando ei dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram.* Vltimò tandem Euthymius *Marci 3.* D. Bonauentura, Caietanus, Hugo *hoc loco*; nomen Petri inditum Simoni, quando Dominus Apoſtolos elegit. Nam ait Marcus 3. n. 16. *Et fecit, vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & impoſuit Simoni nomen Petrus.* Valde apertè loquitur Euangeliſta. Et ideo quamuis ſententia Auguſtini ſit probabilis, hæc vltima videtur probabilior. Niſi dicas, quòd bis hoc nomen eſt impoſitum Simoni. Cur autem tantùm Petri nomen ei datum ſit; inquirimus. Et quare ei in Natiuitate non ſit datum, iam dixi *lib. 1. c. 4. quæſt. 18.*

Auguſt. Abulenſ. Beda. Ianſen. Toletus. Interlin. Cyrillus. Chryſoſt. Hilar. Euthym. Bonauent. Caietanus. Hugo.

Marc. 3.

56 Prima, & communis omnium Patrum ſolutio, D. Cyrilli, D. Auguſtini, D. Chryſoſtomi, Euthymij, Theophylacti, Bedæ, voluit Dominus indicare Petro ſupremam dignitatem, ad quam euehendus erat, vt eſſet petra, & fundamentum totius Eccleſiæ. Et tanta præſignatione nominis iam Dominus voluit honorare acceſſum Petri ad ſe. Secundò Origenes in Ioan. 5. *Potuit Simon,* ait, *eo quòd in eum intuitus eſt, eo vſque ſtabiliri, vt ab opere ſtabili, firmoque cognomen traheret, & Petrus vocaretur.* Simon homo fragilis, & debilis, tamen vbi primùm Dominus eum reſpicit, ac in eum coniicit oculos, iam lapidea ſtabilitate corroboratur, ac in ſolidam firmitatem tranſit.

Cyrill. Auguſt. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Beda.

Origenes.

Chriſtus intuitus valde efficax.

57. Tertiò Rupertus lib. 2. in Ioan. *Claret,* ait, quia Chriſtus ſuper ſe ipſum (videlicet firmam petram) ſuam ædificaturus Eccleſiam, vbi vidit, imò intuitus eſt, vt ait Euangeliſta, ideſt, diligenter reſpexit illum, quem primum poſt ſe volebat eiuſdem eſſe fundamentum Eccleſiæ. Hac de cauſa Petrum à ſe ipſo petra prima denominauit, vtpote in quo poſt ſe ipſum tota conſtituta erat fabrica ſpiritualis ædificij. Chriſtus D. lapis, ac fundamentum: *Lapidem, quem reprobauerunt ædeficantes, hic factus eſt in caput anguli,* Pſal. 117. n. 22. *Petra autem erat Chriſtus,* 1. Corinth. 10. n. 4. Cùm autem Dominus præuideret, quòd Petrus poſt ſe futurus eſſet Eccleſiæ fundamentum, ac lapis, ipſo etiam ſuo eum nomine voluit condecorare, ac extollere, vt Petra diceretur.

Rupert.

Pſalm. 117.

1. Cor. 10.

Chriſtus ſuo Petrum nomine condecorat,

58. Rectè ait D. Ambroſ. ſer. 47. *Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur. Sic ait Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus; rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur, & operis.* Petra proprium Chriſti nomen, & illud etiã concedit Dominus Petro, nã ipſe poſt Dominũ futurus erat petra, & fundamẽtũ Eccleſiæ; & qui cõſors eſt operis, ac laboris, debet & particeps eſſe nominis, honori, & gloriæ.

Ambroſ.

Laboris conſors debet, & particeps eſſe honoris.

59. Quintò. D. Auguſt. tract. 7. in Ioan. *Non magnũ,* ait, *quia Dominus dixit, cuius filius eſſet iſte. Quid magnum Domino? Omnia nomina Sanctorũ ſciebat, quos ante mundi conſtitutionem prædeſtinabat; & miraris, quia dixit vni homini, Tu es filius illius, tu vocaberis illud? Magnum, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petra; petra verò Eccleſia; ergo in Petri nomine figuratur Eccleſia.* Expende illa verba: *Magnum, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum.* In duobus maximè hîc enituit diuina virtus. Primò, quia hominẽ quem Chriſtus corporalibus oculis nunquam viderat, eum vocat ex proprio nomine ſuo, ac ex nomine Patris. Secundò, quia prædicit ei magnã dignitatem futuram. Illud tamen magnum diuinitatis argumentum, quòd Dominus Simonem hominem plebeium, ac humilẽ ita ſublimauerit, vt ad ſummum apicẽ Eccleſiaſticæ dignitatis euexerit.

Auguſt.

Diuinitatis argumentum, abiectos extollere, ac nobilitare.

Dauid ob iuramentum initum cum Ionatha, magna ſedulitate indagabat aliquem è familia Saul, & ita dicebat: *Putaſne eſt aliquis, qui manſerit de domo Saul, vt faciam cũ eo miſericordiã propter Ionatham?* 2. Reg. 9. n. 1. Tacent omnes, & nullus eſt, qui annuntiet, aliquem remanſiſſe. Dauid tandem cum Siba loquens ait: *Numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciã cum eo miſericordiam Dei,* n. 3. ſtatim, ac immediatè Siba Regi reſpõdit, *Supereſt filius Ionathæ debilis pedibus.* Valde notandum ſanè quòd dum Dauid quærit aliquem ex ſtirpe Saul, vt cum eo faciat miſericordiam, nullus reuelatur, nemo eſt, qui dicat, adhuc aliquem ſupereſſe; at cùm adiunxit: *Vt faciam miſericordiã Dei cum eo*; ſtatim ſine vlla mora ei declaratur, Miphiboſeth Ionathæ filium reperiri. Et cur non antea? Erat ille *debilis pedibus.* ac proinde debilis, & abiectus. Et ideo dum primò miſericordia hominis ſonabat, nullus eſt, qui annuntiet; ſed dum miſericordia Dei auditur, cuius proprium eſt, abiectos, & deſpectos non derelinquere, ſed eos fouere, ac magnis donis recreare. 60.

2 Cor 9.

Dei, & non hominis miſericordia eſt abiectos fouere.

Ioan. 1. n. 43. In craſtinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei Ieſus: Sequere me.

Ibid. num. 44 Erat autem Philippus à Bethſaida ciuitate Andreæ, & Petri.

VERSIONES.

Syriacus n. 43. Porrò die altero voluit Ieſchua exire in Galilæam, & inuenit Philippum Dixitque ei: Poſt me venito.

Vatabl. Theoph. Poſtero die voluit Ieſus.

Syrus. Poſtero die decreuit.

Syriacus n. 44 Ipſe verò Philippus erat ex Bethſaido (domo piſcationis.)

EXPOSITIO.

QVAMVIS hæc hiſtoria de vocatione Philippi, & Nathanaëlis non pertineat ad hoc Baptiſtæ teſtimonium, tamen continuando ipſum primum Ioannis caput, eam hîc explicamus. *In craſtinum,* ſeu, vt clariùs habet Syriacus, *Altero die,* poſtquam Andreas fratrem ſuum Simonem Petrum ad Ieſum adduxit, ac proinde die quinta Martij, iuxta computationem factam ſuprà n. 1. *Voluit Ieſus,* ſeu, vt habet Syrus, *Decreuit.* Per quod denotatur, vt aduertit Rupertus, quòd Dominus, non caſu, ſed magno, & alto conſilio tendit in Galilæam, bene conſcius fu- 61.

Syriacus.

Syrus. Rupert.

curi euentus,vt inueniret Philippum, & ad ſe alliceret. *Exire i Galilæam.* *Exire* ſcilicet ex Iudæa. vt notat Beda, in qua geſta ſunt, quæ hactenus manent enarrata. *In Galilæam*, ex qua venerat antea circiter menſes duos. *Inuenit Philippum*, non caſu, ſed vt quæſitum magna ſua ſapientia, vt obſeruant Theophylactus, Rupertus, Albertus Magnus, D. Thomas. Semper Dei gratia prior nos quærit, vt in ſalutem ducat.

Theoph. Rupert. Alb. Magn. D.Thom.

21. *Dicit eis Ieſus, ſequere me.* Quamquam illi duo diſcipuli, qui ad vocem Ioannis, *Ecce Agnus Dei*, ſecuti ſint Dominum, & etiam Petrus; hique omnes interiùs per Dei gratiam, ac internam inſpirationem priùs fuerint vocati: tamen externa Domini voce Philippus vocatus eſt primus. Vnde hæc ei debetur magna laus, quòd ipſe primus Domini voce externa, *ſequere me*, ſit vocatus, & diuina gratia operante huic vocationi conſenſerit, Chriſtum ſecutus, & magnum legis doctorem Nathanaelem ad Dominum adduxerit. Et notandum eſt, Euangeliſtam non explicare, Philippum voci Domini obtemperaſſe; ex conſequentibus tamen facilè deprehendi, quòd diuina gratia attractus Dominum fuerit ſecutus. Et hîc non ita ſunt vocati diſcipuli, vt perpetuò Domino adhærerent; nam poſtea Petrus, & Andreas ad officia piſcationis redierunt; ſed vt explorarent, & agnoſcerent Domini doctrinam, nam ad perpetuam ſequelam poſtea attracti ſunt *Matth. 4. num. 19.*

Philippus primus, qui vocatur externa voce.

63. *Erat autem Philippus.* Ad magnum ornamentum hiſtoriæ, aduertit Euangeliſta patriam Philippi. Et notat Euangeliſta, eſſe etiam patriam Petri, & Andreæ. In quo vult Theophylactus ſignificari feruidam charitatem Petri, & Andreæ, qui inuenientes Philippum conciuem ſuum, ei denuntiauerunt theſaurum à ſe inuentum, ſcilicet Ieſum Chriſtum verum Meſſiam. Et ob hanc cauſam tam facillimè Philippus ſecutus fuerit Dominum. Semper Dominus omnia diſponit modo valde ſuaui. Et ideo hæc interpretatio eſt probabilis. *A Bethſaida ciuitate.* Hoc oppidum erat adiacens mari Galilææ, iuxta Corozaim, & Capharnaum; & ſignificat domum venationis, & piſcationis; & erat vna ex ciuitatibus, quarum nequitiam exprobrauit Dominus, *Matth. 11. num. 21.*

Theoph.

Vbi ſita Bethſaida.

QVÆSTIO X.

Quare Ieſus voluerit exire in Galilæam? Et cur ex ea primos eligat diſcipulos?

64. DECREVIT Dominus, iterum redire in Galilæam, ex qua venerat ante menſes circiter duos. Nam, vt ait D. Matth. 3. n. 13. *Venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Ipſe autem baptizatus eſt die ſexta Ianuarij, vt dixi ſuprà *cap. 2. num. 38.* Quare ergo tam citò tendit in Galilæam, inquirimus?

Matth. 3.

65. Reſpondent primò Chryſoſtomus, Euthymius, Beda, Hugo, & alij. Tendit in Galilæam, quia ex ea voluit ſibi eligere primos Apoſtolos, & diſcipulos, quia inter cæteras terras Iudæ gens Galilææ erat maximè barbara, ruſtica, rudis, & ignobilis. Et ex ipſa non primos eligit, ſed humiliores, ac viliores, ſcilicet piſcatores, vt dicit Chryſoſtomus. *Vt non crederetur ſermo eius eſſe in ſapientia mundi, ſed in doctrina Spiritus ſancti.* Vnde ait Paulus 1. Corinth. 1. n. 16. *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes.*

Chryſoſt. Euthym. Beda. Hugo. *Deus infirma eligit, vt confundat fortia.*

Chryſoſt. 1. Cor. 1.

66. Secundò idem Chryſoſtomus, ac Rupertus. Bethſaida erat vna ex illis ciuitatibus, quæ maximè incredulæ, ac peccatrices erant. Vnde ait Chriſtus: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, Matth. 11. n. 21. Tendit ergo Dominus in Galilæam, & ex ea eligit primos Apoſtolos, vt maximè reſplendeſceret Dei gratia, & ſuorum fides. Dei gratia enituit, dum ex medio tantæ prauitatis, ac incredulitatis tres Apoſtolos præclariſſimos eduxit. Vbi enim abundauit nequitia, ibi ſuperabundauit & gratia. Petri etiam, Andreæ, ac Philippi fides radiauit; quia cùm eſſent ex illa ciuitate, vbi incredulitas maximè regnabat, omnium primi Dominum fuere ſecuti.

Chryſoſt. Rupert. Matth. 11.

Vbi abundat malitia, ſuperabundat gratia Dei.

67. Tertiò. D. Thomas tres huius rei rationes aſſignat. Quia poſtquam Dominus baptizatus fuerat à Ioanne, volens honorem deferre Baptiſtæ, exiuit in Galilæam, à Iudæa recedens, ne ſua præſentia obfuſcaret, & minueret Ioannis magiſterium, dum adhuc ſtatum haberet; docens nos honore inuicem præuenire, vt dicitur *Rom. 12. n. 10.* Ac proinde, cùm Chriſtus Dominus tanto teſtimonio Baptiſtæ, *Ecce Agnus Dei*, eſſet honoratus, etiam ipſum voluit honorare. Quartò, idem D. Thomas. Quia in Galilæa non erant inſignes perſonæ. Ioan. 7. num. 52. *A Galilæa Propheta non ſurgit.* Ac proinde locum humilem, & abiectum electione illuſtrium virorum voluit condecorare, quos conſtituit principes orbis terrarum, qui ſunt prophetis maiores, vt per hoc ſuam virtutem, ac potentiam oſtenderet. Pſalm. 106. n. 35. *Poſuit deſertum in ſtagna aquarum.* Quintò idem Angelicus Doctor myſticè ſic ait: Quia Galilæa interpretatur tranſmigratio; voluit ergo exire à Iudæa in Galilæam, vt inſinuet, quòd in craſtinum, id eſt, in die gratiæ, ſcilicet Euangelij exiret à Iudæa in Galilæam, id eſt, ad ſaluandas gentes. Ioan. 7. num. 35. *Nunquid in diſperſionem gentium iturus es?*

D.Thom. *Chriſtus maximè affectabat honorare Baptiſtam.*

Ioan. 7. *Deus abiecta honorat.*

Pſalm. 106. *Chriſtus è Iudæa exiuit ad gentes.*

Ioan. 7.

68. Sextò. Duos diſcipulos Galilæos, ſcilicet Petrum, & Andream, iam Dominus ad ſe aſciuerat: cum eis ergo tendit in Galilæam, vbi graſſabantur peccata; nam illius ciuitatis habitatores ſuorum conciuium exemplo, ac doctrina facile mouerentur, vt vitia, ac iniquitates ſuas deponerent, & veritatem, ac iuſtitam amplecterentur. Vt de Philippo docet Theophylactus, quòd nempe Petri, ac Andreæ documentis diſpoſitus eſt, vt vocantem Dominum promptiſſimè ſequeretur.

Exemplum ſuorum maximè mouet

Theoph.

69. Septimò. Galilæa Regio erat, tamquam Domini patria, in qua ipſe nutritus fuerat: voluit ergo eam maximè cohoneſtare ſuæ ſacratiſſimæ diſpenſationis primordiis, miraculis, ac doctrina; & ex ea primos, ac illuſtres diſcipulos colligere. Profecta Agar à domo Abrahami cum filio ſuo Iſmaële, *Accepit illi mater ſua vxorem de terra Ægypti*, Geneſ. 21. num. 21. Sed cur mater, non ex alia propinquiori, ac viciniori terra eligit vxorem filij ſui? Terra Chanaam diſtabat ab Ægypto, cur in partes tam diſtantes tendit ad quærendam vxorem ſuæ ſoboli? Agnouerat mulier præſtantiam, & excellentiam generis Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, cuius nomen illuſtriſſimum, ac præclariſſimum erat inter totius orbis nationes. Ergo cùm Agar eſſet Ægyptia, ſuæ patriæ nobilitatis ſolicita, decorem, ac honorem ex Abrahami ſtirpe prouenientem noluit alteri proferre, niſi ſuæ patriæ, & genti, vt à quibus ipſa acceperat vitam retribueret & honorem. Patrocinatur Caietanus, *Naturali amore*, ait, *vnuſquiſque afficitur nationi ſuæ; & propterea Agar Ægyptia mulierem Ægyptiam in nurum aſciuit.*

Patria honoranda.

Geneſ. 21.

Quilibet magno conatu honorem patriæ affectet.

Caietanus.

70. Scribens Samuel librum primum Regum ſtatim in prima fronte, ac in exordio ait: *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, & nomen eius Elcana*, 1. Reg. 1. n. 1. Sed quomodo Samuel enarraturus ſua magnalia, ſe nempe eſſe electum à Deo in Prophetam, Sacerdotem, ac ad vngendos Reges deſtinatum, quomodo pro patria ſua ſtatim in limine affixit Ramathaim, anguſtum, & vile oppidum? Bonus conciuis non dedignatur de ſuo loco, ſed ſcripturus ſuas laudes, primò, & ante omnia patriam commemorat, vt cunctis patefaciat, nihil magis ſibi in mente eſſe repoſitum, quàm ipſam tantis laudibus extollere, & nobilitare, ac ſuper omnes alias terras ſublimare: nam ſi regalis ciuitas procreabat Reges, Ramathaim verò Reges vngentem, ac eligentem. Fauet D. Gregorius Nazianzenus orat. 25. *Ramathaim*, ait, *parua, magni illius viri patria, quæ Prophetæ dedecori minimè fuit, nec à ſe ipſa potius, quàm ab eo honorem conſecuta eſt.* Nota vltima verba. Et vt terra illa tantum aſſequeretur honorem, ideo tam ſolicitè Samuel eam nominat.

1. Reg. 1.

Maximè patriæ honorem procreare debemus.

Nazianz.

QVÆSTIO XI.

Quare Philippus ſit primus vocatus à Domino externa voce? Et quomodo tam facilè ei obediuerit?

71. POSTQVAM Andreas cum ſuo condiſcipulo ſecutus eſt Chriſtum Dominum, & etiam ad ipſum adduxit Petrum, vt iam vidimus hoc capite; exiens Dominus in Galilæam, nunc primò ſua externa voce vocat ad ſe Philippum: *Sequere me.* Rectè obſeruauit D. Chryſoſtomus *homil. 19.* Chriſtum Dominum nullum diſcipulum ad ſe vocare voluiſſe, antequam aliqui, & non exteriùs vocati, ipſum ſua ſponte ſequerentur, ne ſi ipſe primos vocaſſet, minus eſſent firmi, & res tota ſuſpecta videretur; at dum primi non erant vocati, maximè alij confirmabantur, vt Domino adhærerent.

Chryſoſt. *Quæ ſponte fiunt, diu perſeuerant.*

72. Quærimus ergo primò in præſenti, cur Philippus primus inter omnes eſt vocatus à Domino externa voce? Ratio à priori, diuina gratia, quæ ita ipſum præuenit, & elegit, vt ipſe eſſet primus vocatus exteriùs, quod eſt magna laus, & gloria Philippi. Moraliter verò hanc rationem inculcat Euſebius Gallicanus homil. in vigilia S. Andreæ *Primus*, ait, *omnium Apoſtolorum Philippus videtur eſſe vocatus. Et meritò quidem primus vocatur ille, qui os lampadis interpretatur: tale namque os tunc omnes receperunt, quando in linguis igneis Spiritus ſanctus ſuper eos deſcendit.* Philippus interpretatur os lampadis. Optima ergo ratione diuina ſapientiâ diſpoſitum eſt, vt ille externa voce eſſet primus vocatus, qui habebat os procliue, ac propenſum, non ad alios obfuſcandos, & obtenebrandos; ſed ad illuſtrandos, ac illuminandos. Et tale os diuinus Spiritus ſuis alumnis infudit, ac largitus eſt, quando ſua gratia eos inflammauit in die Pentecoſtes.

Euſebius.

Qui alios non obſcurat, ſed illuſtrat, valde dignus, vt honoretur.

73. Quærimus ſecundò: Quomodo Philippus tam promptè voci Domini obediuerit, vt abſque vlla cunctatione ſtatim ipſum ſequeretur? Chryſoſtomus *citata homil. 19.* exiſtimat, quòd Philippus cum Petro audierit Ioannis teſtimonium de Chriſto: *Ecce Agnus Dei*; quod teſtimonium maximè in illis eſt operatum. Vnde diſcipuli Baptiſtæ, iuxta varias ſententias, quas retuli in hoc capite, extiterunt Petrus, Andreas, Ioannes Euangeliſta, ac Philippus. Theophylactus exiſtimat, quòd Philippus à Petro, & Andrea conciuibus ſuis de Chriſto multa didicerat, vnde maximè præparatus eſt, vt Dominum ſequeretur, cùm eius conciues iam eſſent illius diſcipuli, à quibus tot, ac tanta percipiebat. Ac proinde bona illorum ſocietas, ac amicitia multum profuit Philippo.

Chryſoſt. *Baptiſta illuſtres dedit diſcipulos.*

Theoph.

74. Tandem ipſe Theophyl. ſic ait: *Videtur enim primùm vox Domini animum illius ſtimulo quodam charitatis tetigiſſe. Non enim ſimpliciter Saluatoris vox dicebatur, ſed dignos ſtatim flagrare faciebat intrinſecus ad amãdum ipſum, ſicut & Cleophas dixit: Nónne cor noſtrum ardens erat, cùm loqueretur nobis in via.* Non mirum, quòd Philippus ſine vlla mora ſequatur, nam vox Chriſti valde efficax erat, & vehementi charitate attrahebat, ac inclinabat humanam voluntatem ad ſui imperium.

Idem.

Dei vox maximos excitat amoris aculeos.

75. Omnes tamen fatentur rationem primariam, & intrinſecam huius rei eſſe diuinam gratiam; quæ ita præparauit, ac mouit cor Philippi, vt ſine vlla mora vocem Domini ſequeretur: tum vt ita maximè appareret efficacia gratiæ Dei; tum, cùm Philippus eſſet primus vocatus externa voce, vt cunctis eſſet in exemplum ad hoc, vt omnes ſine vlla mora prompti ſimus ad obediendum Dei voci, dicentes cum Regio Vate Pſalm. 83. num. 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*, vt ait D. Auguſtinus. *Quaſi obturans aurem contra tumultuantem vitæ huius inquietudinem.* Auſcultat Domini iuſſionem, vt mandata exequatur. Vnde ipſemet Regius Propheta *Pſalm. 17.* ait: *In auditu auris obediuit mihi*; hoc eſt, ad primam vocem; ad primam auditionem mouetur, ne ſecundæ vocis deſideretur auditus. D. Bernardus ſermone de virtute obedientiæ. *Vno, eodemque momento*, ait, *procedit & imperantis imperium, & obſequium obſequentis.*

Promptè, & expeditè Dei voci obediendum.

Pſalm. 81. Auguſt.

Pſalm. 17.

Bernard.

Ioan. 1. n. 45. Inuenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth.

Ibid. num. 46. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

VERSIONES.

Euthymius, *Theophyl.* Reperit Philippus Nathanaël.

Syriac.n.45. Dixit ei: Illum, de quo ſcripſit Mouſche in lege, & in Prophetis, inuenimus, qui eſt Ieſchua ille filius Iauſeph ex Nozrath.

Ibid. n.46. Dixit ei Nathanaël: A Noztath poteſt quicquam boni eſſe? Dixit ei Philippus: Veni, & videbis.

Arias A Nazareth poteſt aliquod bonum eſſe?

EXPOSITIO.

76. AGNOSCE fructuoſos Chriſti diſcipulos, & quàm vberes fructus producunt, & quomodo theſaurum inuentum ſibi ſolis non retinent, ſed aliis communicant: *Inuenit Philippus Nathanaël.* Inuenit, vt ait D. Auguſtinus *tract.*7. poſtquam Chriſtum ſecutus fuerat. Inuenit, non caſu, vt ait D. Cyrillus, ſed multo ſtudio conquiſitum. Et quæſiuit Nathanaëlem, tamquam amicum ſuum: bona amicitia proficua, & vtilis eſt, ac ad Chriſtum tendit, & ordinatur: & quia ſciebat etiam Nathanaëlem incredibili Meſſiæ deſiderio teneri.

August. Cyrill. *Bona amicitia ad Chriſtum tendit.*

77. *Quem ſcripſit Moyſes in lege.* Vt Philippus ad ſe valeat inclinare ſuum amicum, proponit inuentum Meſſiam promiſſum in lege, & Prophetis. Vnde ait Chryſoſtomus: *Vide viri diligentiam, vt Scripturæ meminerit, per Moyſem, & Prophetas dignum fide ſermonem ſuum facere, & auditori perſuadere adnititur, vtpote qui eſſet in perſcrutanda veritate diligentiſſimus.* Deinde Nathanaël, qui interpretatur *donum Dei*, vt tradunt D. Auguſtinus, D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, S. Thomas, D. Bonauentura, erat vir doctiſſimus in lege, ac Scriptura; ac proinde ipſamet Scriptura propoſita, ac veluti ſua inclinatione eum voluit Philippus ineſcare, ac ad ſe allicere. Et quamquam dicat Caietanus, quòd Philippus erat vir eruditus; tamen contraria ſententia eſt verior, vt docent D. Chryſoſtomus, Albertus Magnus, D. Bonauentura, Toletus, & alij. Vnde quamuis eſſet indoctus, bene potuit commemorare teſtimonia Scripturæ; quia nullus Iudæorum, quantumuis indoctus, ignorabat, Scripturam prædixiſſe Meſſiam venturum. Et ait: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ*; more Iudæorum, qui Moyſem à cæteris Prophetis diſtinguebant, & tamquam aliorum Prophetarum maximum ſeparatim nominabant. Per Moyſem legem, ſeu Pentateuchum intelligit: per Prophetas verò cæteros libros. Syriacus pro *Prophetæ* poſuit *Prophetis*, neſcio, quo ſenſu; niſi fortè ſit aliquis error, vt aduertit Franciſcus Lucas. *Filium Ioſeph*, ſcilicet putatiuum, *à Nazareth*, quia Dominus educatus, ac nutritus fuerat Nazareth, vnde Nazareus dicebatur.

Chryſoſt. *Quilibet ſuo ingenio, ac propenſione facilè trahitur.* Auguſt. Cyrill. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. S. Thom. Alb. Magn. Bonauent. *Nathanaël in lege doctiſſimus.* Caietan. Chryſoſt. Alb. Magn. Bonauent. Tolet. Syriacus. Franciſcus Lucas.

78. *Dixit ei Nathanaël: A Nazareth poteſt eſſe aliquid boni?* Nathanaël tamquam vir doctus admiratur de his, quæ audierat, nempe Meſſiam veniſſe, & eſſe à Nazareth; quia Nazareth erat oppidum vile, & obſcurum. Et communis opinio Iudæorum tenebat: *A Galilæa Propheta non ſurgit*, Ioann. 7. num. 52. Deinde, quia apertum, ac manifeſtum erat in Scriptura, Meſſiam, non in Nazareth, ſed in Bethleem naſciturum. Michææ 5. num. 2. *Et tu Bethleem terra Iuda*, &c. Chryſoſtomus maximè laudat prudentiam, ac manſuetudinem Nathanaëlis. *Intuere*, ait, *hominis prudentiam, intuere hominis manſuetudinem: non dixit ſe deceptum, neque falſa ſibi narrari, neque quòd à Propheta, non ex Nazareth, ſed ex Bethlehem Chriſtum venturum didicerit: ſed contra quàm Philippus dixerit perſuaſus obuiam tamen venit; Philippi verba non contempſit. Norat enim, Philippum in patria commemoranda falli potuiſſe.* Vnde maximè arguendi ſunt, qui aliorum dicta, vt falſa ſtatim reiiciunt, ac refellunt. Hæc autem verba: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*; dicta eſſe per modum affirmantis, vult Auguſtinus *tract.*7. *in Ioann.* Tamen prolata fuiſſe per modum interrogantis, ac dubitantis, docent D. Cyrillus *lib.*2. *cap.* 15. D. Chryſoſtomus *homil.* 19. D. Bonauentura. Viro verſatiſſimo in Scriptura difficultatem faciebat ſermo propheticus, quòd ſcilicet Meſſias de Bethlehem eſſet exiturus.

Ioan 7. Michææ 5. Chryſoſt. *Aliorum dicta, non citò ſunt, vt falſa, reiicienda.* Auguſt. Cyrillus. Chryſoſt. Bonauent.

79. *Dicit ei Philippus: Veni, & vide*; ſeu, vt habet Syriacus, *Videbis.* Notanda eſt magna humilitas, ac prudentia Philippi: ſuam ignorantiam, ſeque parum eſſe verſatum in Scriptura, agnoſcebat: vnde non vult, ſe intromittere in his, quæ ignorat, & diſputare cum magno legis Doctore. Sed ait: *Veni, & vide*; & experieris, quòd ego expertus ſum, & eius amore flagrabis, ac ipſum eſſe Meſſiam credes. Vnde ait Chryſoſtomus homil. 19. *Quomodo hic ſit Chriſtus, & quomodo Prophetæ eum prædixerint, non dicit Philippus; ſed ducit ad Ieſum, ſciens ipſum non abſceſſurum, ſi illius verba, & doctrinam guſtaret. Si videris ſolummodo, dicit, ſi ſermonem cum eo conferas, facillimè mihi aſſenties. Credere autem nos oportet.* Nam, vt ait D. Cyrillus lib. 2. cap. 15. *Ineffabilem quandam gratiam in ſermone, ac verbis eius fuiſſe, quibus auditorum animi magna iucunditate allicerentur.*

Syriacus. *Homo ſe non intromittat in his, quæ ignorat.* Chryſoſt. Cyrillus. *In verbis Chriſti magna gratia.*

Ioannis 1. *n.* 47. Vidit Ieſus Nathanaël venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.

VERSIO.

Syriacus, Vidit ipſum Nathanaël venientem ad ſe, & ait de eo: Ecce verè filius Iſraël.

EXPOSITIO.

80. MAXIME apparet candor, ac ſimplicitas animi Nathanaëlis; nam cùm ipſe eſſet vir eruditiſſimus, non contemnit ea, quæ audierat à Philippo, aliàs indocto, de inuento à ſe Meſſia; ſed potiùs cum ipſo Philippo ad Chriſtum venit. Aliorum placita non ſunt ſpernenda, ſed potiùs ſcrutanda. Et ideo Nathanaël

Nullius dictum contemnendum.

promeruit, ſalutem inuenire. *Vidit Ieſus*, non ſolùm corporali oculo, vt ait Albertus Magnus, ſed intuitu ſuæ dilectionis, ac miſericordiæ; quos intuetur, miſeretur. *Reſpice in me, & miſere mei*, Pſalm. 24. n. 16. *Nathanaël venientem ad ſe*, vnà ſcilicet cum Philippo. Et ſi homo ſe diſponit, vt veniat ad Chriſtum, ſtatim ſine vlla mora ipſe eum intuetur ſua benignitate, ac miſericordia, vt eum ad ſe recipiat. *Et dicit de eo*, ſcilicet circunſtantibus, verbi gratia, Andreæ, & fortaſſe Petro; antequam Philippus, & Nathanaël proximiùs accederent, prope iam erant, nam Nathanaël verba Chriſti audiuit. Quod ideo factum eſt à Domino, vt ait Caietanus, vt ſe agnitorem ſimplicitatis cordis manifeſtaret; ac proinde ſe verum Deum, ac Meſſiam eſſe apertè declararet. Et ita anticipatè interrogationibus Nathanaëlis circa aduentum Meſſiæ voluit ſatisfacere, non puris verbis, ſed mirabilibus operibus, ac agnitionibus corda penetrantibus. Et non dixit Dominus: Non ſum de Nazareth; vt aſſeruit Philippus, quia, vt ait Hugo, *noluit ſermonem altercabilem ponere inter fratres*, nam maximè huiuſmodi controuerſiæ euitandæ ſunt.

Alb. Magn. Pſalm. 24. *Vbi homo ſe diſponit, ſua Deus ad eum gratiâ venit.* Caiet. *Altercationes inter fratres fugiendæ.* Hugo.

81. *Ecce verè Iſraëlita*, ſeu, vt habet Syriacus, *Ecce verè filius Iſraël.* Iſraël dictus eſt Iacob. Euthymius, Hugo opinantur, Nathanaëlem dici verum Iſraëlitam, quia ea, quæ in Scriptura reperiebantur de Meſſia, bene intelligebat. At ſcribæ, & Phariſæi, tamquam falſi Iſraëlitæ odio excæcati perperam interpretabantur. Cum communi tamen ſententia D. Chryſoſtomi, Alberti Magni, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Maldonati tenendum eſt, dici verum Iſraëlitam, non à doctrina, ſed à probitate morum, quia virtutem, ac animi ſimplicitatem Iacob, à quo progenitus erat, imitabatur, & parentem ſuum, non ſolùm genere, ſed etiam moribus referebat. Qui autem erant duplici animo, ac diſſimiles moribus Iacob, verè Iſraëlitæ non erant. *Non enim omnes, qui ex Iſraël, ij ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen Abrahæ, omnes filij*, Rom. 9. n. 6. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, Ioann. 8. num. 39. *In quo dolus non eſt.* Dolus tunc datur, vt notat Albertus Magnus ex D. Auguſtino, quando quis aliud ſimulat, & aliud agit. Dicitur ergo de Nathanaële: *In quo dolus non eſt.* In eo non eſt fraus, hypocriſis, ac ſimulatio, nec duplex cor; ſed ſimplex, ſincerus, ac integer affectus, *vt*, ait Chryſoſtomus homil. 19. *nec ad gratiam, nec ad odium quidquam loquatur.*

Euthym. Hugo. Chryſoſt. Alb. Magn. D. Thom. Bonauent. Maldon. Rom. 9. Ioan. 8. Auguſt. Chryſoſt.

QVÆSTIO XII.

Quare Dominus tantis laudibus Nathanaëlem potius, quàm alios diſcipulos commendet?

82. AVDITO Ioannis teſtimonio Dominum ſecuti ſunt Andreas cum ſuo ſocio, & etiam Philippus: & tamen de nullo iſtorum Dominus protulit tantam commendationem, vt hîc de Nathanaële legimus. Reſpondent primò D. Chryſoſtomus, Caietanus, & alij, vt iam dixi in expoſitione, quòd ideo Dominus hanc Nathanaëlis commendationem præſtitit, vt oſtenderet virtutem ſuam, qua, vt Deus hominis cor penetrabat, & ita ſe verum eſſe Meſſiam manifeſtaret, volenſque ita Nathanaëlis deſiderio, ac interrogationibus reſpondere.

Idem. Caietanus.

83. Secundò D. Thomas. *Dixit Dominus de Nathanaële*, ait, *In quo dolus non eſt: ne credatur, quod malitioſè dixerit: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Ne quis cogitaret, quòd Nathanaël cum aliqua malitia contemptibiliter locutus fuiſſet de Nazareth; ideo Dominus maximè eius animi candorem commendat. Nam, vbi bonum nomen poteſt periclitari, ibi magis animi puritas eſt explicanda. Vide *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 71. 77. *&* 78. *& cap.* 4. *num.* 13.

D. Thom. *Vbi aliqua eſſe poteſt mali præſumptio, ibi maximè explicanda veritas.*

84. Tertiò reſpondet Hugo. *Dominus propter duo laudauit potius Nathanael, quàm alios. Primò propter ardens deſiderium videndi ipſum Ieſum, quod habuit Nathanaël, quod cõmune fuit ſibi cum alijs: ſed fortè ardentius fuit in eo, quia per Scripturas nouerat tempus aduentus Chriſti veniſſe: vnde leui perſuaſione Philippi iuit videre ipſum.* Bonum ergo illud deſiderium, quod habuit Nathanaël, videndi Chriſtum, voluit Dominus recompenſare, dum magnis laudibus ipſum extollit. Quartò idem Hugo, & eſt ſecunda eius ratio. *Aliud fuit*, ait, *quia præ alijs habuit iugem meditationem legis, quia ſciuit, Chriſtum non naſci in Nazareth: nec tamen de ſua ſcientia ſuperbit; nec Philippo falſum aſſerenti ſuperbè reſpondit.* Laudat Dominus ſuauitatem, ac ſimplicitatem animi Nathanaëlis, ſiquidẽ nil ſuperbè reſpondit Philippo, ſed modeſtè cum ipſo ad Chriſtum videndum venit. Tantam ergo ſuauitatem morum, tantamque animi ſimplicitatem, ac deſiderium videndi Chriſtum hauſerat Nathanaël perenni, ac frequenti lectione ſacræ Scripturæ, quæ valde proficua, ac vtilis homini eſt. De ea ait D. Chryſoſtomus hom. 29. in Geneſ. *Nulla eſt humana natura, vel corporis, vel animæ paſſio, quæ medicinam hinc*, ſcilicet ex ſacra Scriptura, *accipere nequeat.*

Hugo. *Deus bonum deſideriũ pro magno merito reputat.* Idem. *Lectio ſacræ Scripturæ valde vtilis.* Chryſoſt.

85. Quintò. Ne quis cogitaret, quòd Dominus offenſus erat dicto Nathanaëlis: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Ideo Chriſtus ſimplicitatem laudat, quòd eius ſermone, contra ſe, ac ſuam patriam non eſt offenſus; agnoſcebat enim, in eo nullum eſſe dolum, eaque dixiſſe non malitioſè, ſed puro, & candido animo, ac ſtudio inquirendæ veritatis: & quæ ſine vllo malitiæ veneno ſunt dicta, quamuis aliàs pungant, & grauia videantur, non debemus durè accipere. Sextò. Candor animi Nathanaëlis maximè apparet: quia, cùm ipſe vir eruditiſſimus, non eſt vſus argutiis argumentorum contra Philippum; ſed admiratus de his, quæ audiebat, & Philippus aſſerebat, quamuis repugnare ſacræ Scripturæ viderentur; tamen eius dictis, *Veni, & vide*; benignè acquieſcit, & cum ipſo ad Dominum venit. In quo maximè eius puritas animi laudanda, quòd declinauit contentiones, ac altercationes cum fratre, & ad Dominum videndum venit, cuius præſentia ſibi remedium inuenire poterat.

Ne offendatur homo, ijs quæ bona intentione dicuntur. *Ab argutijs argumentorũ fugiendum.*

86. Stans Eſther maximè ſolicita pro ſui populi ſalute, vt eum ab iniqua occiſione liberaret, peracto conuiuio ſic Regem Aſſuerum deprecatur: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro: traditi enim ſumus, ego, & populus meus, vt conteramur*, Eſther. 7. num. 3. Cur ergo prudens mulier non poſtulat à Rege, vt diſcutiatur crudele factum, vt examinetur cauſa,

Eſther 7.

ſa, ac innocentia populi, & quòd nulla iniquitas ſit in eo, nullum crimen commiſſum ad duram mortis ſententiam ſubeundam; ſed his omiſſis ipſa tota ad Regis benignitatem confugit, vt notat Carthuſianus, ſic in Reginæ perſona loquens cum Aſſuero: *Ad inſtantiam meam præſerua à mortis periculo, iam propinquo, niſi ſubuenias, populum, de quo natus ſum.* Sapiens Regina pro ſuo populo rogat, vt de illius ſalute ſolicita: examina tamen, ex quibus diſputationes, ac altercationes cum Rege, & Aman, ac aliis prouenire poterant, omnino fugit, & declinat. Et quamuis innocentia populi eſſet clara, & aperta, vt lux meridiana; tamen argutiis diſputationum ventilari, ac agitari non vult.

Carthuſ.

Argumentorum altercationes fugiendæ.

QVÆSTIO XIII.

Quare Nathanaël, cui Dominus perhibuit tantum teſtimonium, in Apoſtolis non numeretur?

87. NATHANAEL fuiſſe Bartholomæum Apoſtolum, probabilius reputant Rupertus, Ianſenius *hoc loco.* Abulenſis *in cap.* 10. *Matth.* ad illa verba: *Philippus, & Bartholomæus.* Tamen oppoſitam ſententiam tenent D. Auguſtinus *hîc tract.*7. Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura. Hugo, & alij. Et Lucius Dexter in Chronico ad annum Chriſti 101. *num.*5. eum, non inter Apoſtolos, ſed inter diſcipulos commemorat. Sic enim ait de eo: *Nathanaël vnus de ſeptuaginta Domini diſcipulis requieſcit in vrbe* (Hiſpaniæ) *Treuga*, prope Legionem, vulgo, *Leon.*

Rupert. Ianſen. Abulenſ.

Nathanaël an idem, ac Bartholomæus.

Auguſt. Alb Magn. D. Thom. Bonauent. Hugo. Luc. Dexter.

88. Fundantur auctores huius ſecundæ ſententiæ cum D. Auguſtino, qui ait citato loco: *Intelligere debemus, ipſum Nathanaëlem eruditum, & peritum legis fuiſſe: propterea noluit illum Dominus inter diſcipulos ponere: quia idiotas elegit, vnde confunderet mundum*, 1. Corinth. 1. n. 26. Elegit idiotas vt ita confunderet humanam ſapientiam, ac eloquentiam. D. Gregorius *lib.*33. *moral. c.*15. ſic fatur. Quòd Dominum Nathanaëlem laudat, non tamen Apoſtolorum fecit, quia ad prædicandum tales elegit, qui de laude propria nihil haberent, vt tanto ſolius virtutis diuinæ cognoſceretur eſſe, quod agerent, quanto & apertè cerneretur, quia ad hoc agendum per ſe idonei non fuiſſent: vt ita gentium conuerſio ad fidem, non adſcriberetur humanæ ſapientiæ, ſed virtuti, ac potentiæ diuinæ.

Auguſt.

1. Cor. 1.

Deus infirma elegit, vt confundat humanam ſapientiam.

Gregor.

89. Obiicies. Paulus in lege erat peritus; & tamen electus fuit in Apoſtolum. Reſpondet primò Cornelius à Lapide *hoc loco, verſu* 45. Saulus, ſiue Paulus erat legis ſtudioſus, at non legis peritus, ac doctor. Aliter reſpondet D. Bonauentura *hîc*, quòd Paulus non fuit electus inter primos Apoſtolos vocatos, ſed poſt Aſcenſionem Domini: quia tunc ex omni ordine ad ſe vocauit, & traxit, non ſolùm plebeios, ſed etiam nobiles, principes, ac Reges, doctos, & indoctos, vt ita maximè innoteſceret efficacia diuinæ gratiæ; & ne Chriſtiana celſitudo à maleuolo, ac detractore ſuperbo contemneretur. *Surrexerunt quidam de Synagoga diſputantes cum Stephano*, Actor. n. 10. Cur diſputant cum Stephano, & non cum Apoſtolis? Lorinus *ibi* Apoſtolos forſitan noluerunt aggredi diſputando, quos exiſtimabant conditione idiotas, rudeſque ſcientia, ſed cum Stephano diſputant, qui erat eruditus Gamalielis auditor.

Cornelius à Lapide. Bonauent.

Actor. 6.

Lorinus.

90. Obiicies ſecundò. Deus præcepit eligere ſapientes ad officia prælationis, iuxta illud: *Prouide viros ſapientes*, Exod. 18. num. 21. Et ſic videtur, feciſſe contra id, quod ipſe præcepit. Deinde ex hoc videtur ſequi, quòd in electionibus debemus eligere ſimplices Deum imitantes. Reſpondetur, quòd Deus elegit ſimplices ad dignitatem Apoſtolicam propter rationes datas ex D. Auguſtino, ac Gregorio, qui potuit, ac fecit eos ſapientes omni doctrina. Cùm autem in humana poteſtate non ſit facere de ſimplicibus ſapientes; ideo homines debent eligere ſapientes ad prælationum dignitates.

Exod 18.

Deus ſufficientiam dat, dum ad dignitatem elegit.

91. Dicam tamen. Ratio, ob quam Nathanaël ad Apoſtolatum vocatus non fuerit, Dei iudicio relinquenda, qui iuxta altitudinem ſuæ ſapientiæ cuncta diſponit. Satis magnum beneficium accepit Nathanaël, quòd Chriſtum Dominum, diuina gratia afflante, cognouerit, eumque confeſſus fuerit, ac æternum meruit ſuæ confeſſionis accipere præmium, & in Eccleſia glorioſum, ac celebre nomen habere.

Reſolutio totius difficultatis.

Ioan. 1. *n.* 48 Dicit ei Nathanaël: Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit ei Nathanaël: Vnde me cognoſcis?

Arias. Antequam te Philippus vocaret, exiſtentem ſub ficu vidi te.

Euthymius, Theophyl. Videbam te.

EXPOSITIO.

92. CONSIDERABAT Nathanaël, ſe antea à Chriſto numquam viſum, aut cognitum fuiſſe: inde interrogat, vnde ipſum agnoſcat, vt de illo tam præclarum proferat teſtimonium: *Ecce verè Iſraëlita*; ſiquidem omnis teſtificatio cognitionem rei ſupponit. Vnde ait Chryſoſtomus homil. 19. *Animaduerte hominis conſtantiam, non intumuit laudibus, neque his obuiam factus eſt, ſed de eo perſcrutari pergit, vt de eo certi aliquid intelligat.* Nam capitur laude ſibi à Ieſu tributa, nec viciſſim in laudem Ieſu ſibi incogniti erumpit, ſed inſtat inquirendo: *Vnde me noſti?*

Chryſoſt.

Vir prudens non ſtatim capitur laude.

93. *Reſpondit Ieſus & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret.* Antequam Philippus de me tibi aliquid annuntiaret. Per quæ remouet Dominus omnem ſuſpicionem, quòd ea, quæ de Nathanaële dicebat, non à Philippo, nec ab aliquo accepiſſet, ſed ex ſe ipſo omnia cognoſceret, cùm ſit verus Deus. *Vidi te ſub ficu*; hoc eſt, vidi exiſtentem ad literam ſub arbore fici. Chryſoſtomus, Theophylactus hoc ita interpretantur quaſi quòd Philippus Nathanaëlem ſub ficu inueniſſet; & ibi cum eo de Chriſto loqueretur. Tamen meliùs dicendum eſt cum D. Cyrillo, D. Auguſtino *ſermon.*4. *de verbis Domini.* Euthymio, quòd Philippus non agnouerit, eum fuiſſe ſub ficu. Verba enim Chriſti maximè ſignificant, ac denotant, quòd Philippus Nathanaëlem inuenerit, ac vocauerit poſtquam à ficu diſceſſit, ac ad alium locum tendebat. Locus ille ſub arbore fuerat maximè ſecretus, & pro certo habebat Nathanaël, quòd à nemine fuiſſet viſus. Et bene notat Caietanus, quòd ille locus tanto interuallo ſegregatus erat à loco, in quo erat Ieſus, vt non potuerit corporeis oculis videre à Ieſu. Ac proinde optimè hoc miraculo manifeſtat Dominus ſuam virtutem, ac potentiam intuendi abſcondita. Et dum dicit, quòd eum vidit ſub ficu, etiam denotat, quòd viderit ea quæ ibi operabatur. Quid autem Nathanaël ſub arbore egerit, certò ignoramus. Præſumitur, quòd fuerit orans cum magno deſiderio aduentus Meſſiæ; vel in lectione ſacræ Scripturæ altè fuerit meditatus.

Idem. Theoph.

Cyrill. Auguſt. Euthym.

Caietan.

Locus ſub ficu erat valde diſtans, & abſconditus.

QVÆSTIO XIV.

Quid denotet ficus, ſub qua videtur Nathanaël?

94. FICVS, vt ait D. Iſidorus *lib.*17. *origin. c.*7. dicitur à fœcunditate. Sub hac arbore dicitur Nathanaël viſus à Chriſto. quod ad litteram materialem arborem ſignificat, vt iam dixi. Rationem myſticam inquirimus. Et ſuppono, vt valde notum, quòd magnarum rerum euentus ſub arboribus frequenter contigere, Sub quercu Abraham excepit Angelos *Geneſ.*18. *n.*8. Debora ſub palma iudicat *Iudic.* 4. *num.* 5. Sub quercu Angelus prædicit Gedeoni futuram iudicis dignitatem, *Iudic.*6. *num.*11. Dum Saul eſt ſub malogranato, magnam populi ſalutem operatur Ionathas 1. *Reg.*14. *num.*2. Dum filij Iſraël fruebantur pace, ac quiete, ſub ficu, & vite dicuntur habitare 3. *Reg.* 4. *num.* 25. Sub iunipero parens magnus Elias angelico colloquio recreatur, ac myſterioſo conuiuio paſcitur 3. *Reg.*19. *num.*5. Sub hædera requieſcit Ionas 4. *num.*6. Et cæleſtis ſponſa ſub arbore malo ad meliorem vitam reſuſcitatur, *Cantic.* 8. *num.* 5. Sic etiam Nathanaël ſub arbore ficu reſidet, magna felicitate donatur, à Domino viſus, vt ad ſalutem, ac ad agnitionem veritatis deueniat.

Iſidor.

Sub arboribus valde magna contigerunt.

95. Sed cur hæc arbor potius erat ficus, quàm alia, eſt inueſtigandum. Primò Eucherius *lib. formularum ſpiritualium*, ſic explicat: *Cùm eſſes ſub ficu, id eſt, ſub peccato originali, vidi te redempturus.* Ex illa priſtinæ arboris vmbra in qua originale adumbrabatur peccatum, cognouit Dominus Nathnnaëlem, non vt puniret, ſed vt redimeret. Hæc eſt cæleſtis Patris infinita bonitas, quòd viſa ſumma miſeria peccati miſeretur; & inde ſumit occaſionem ad paranda remedia ad ſalutem, aque vitam aſſequendam.

Eucherius.

Deus ex ſumma miſeria occaſionẽ arripit ad miſerendum.

96. Secundò. D. Auguſt. tract.7. in Ioann. *Fratres mei*, ait, *inuenimus arborem fici maledictam, quia ſola folia habuit, & fructum non habuit. In origine humani generis Adam, & Eua, cùm peccaſſent, de folijs ficulneis ſuccinctoria ſibi fecerunt: folia ergo intelliguntur peccata. Erat autem Nathanaël ſub arbore fici, tamquam ſub vmbra mortis. Vidit eum Dominus, de quo dictum eſt: Qui ſedebant in vmbra mortis, lux orta eſt eis.* Ficus Adami peccatum denotat: ergo inter caliginoſas vmbras peccati, inter maledictiones ex ipſo prouenientes, inter ſterilitatem animi, quam generat, vidit Deus hominem, videt Creator creaturam, vt lucem ſuæ miſericordiæ eis præbeat, ac communicet. Semper acutiſſimus Dei viſus in noſtrum bonum, ac remedium.

Auguſt.

Acutiſſimus Dei viſus in bonum noſtrum.

97. Tertiò. D. Gregorius *lib.*18. *moral. cap.*20. Cùm eſſes ſub ficu, id eſt, ſub vmbra legis, poſitum vidi te, vt te transferrem ad vitem mei Euangelij. Quartò Albertus Magnus, Hugo, *Ficus* ſignificat dulcedinem peccati, Hierem. 24. num, 3. *Ficus, ficus malas, malas valde.* Habacuc 3. n. 13. *Ficus enim non efflorebit.* Et hominem detentum ipſa peccati dulcedine Deus videt, vt per ſuam gratiam à tanta turpidine liberet. Quintò D. Bonauentura vult, quòd ficus ſignificet Scripturam ſacram: *Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius*, Prouerb. 27. num. 18. Et quia in lectione ſacræ Scripturæ erat Nathanaël, inde Deus miſertus eum videt.

Gregor.

Alb Magn. Hugo. Hierem. 42. Habac. 3.

Bonauent.

Prouerb. 27.

98. Sextò. Sub arbore ficus vidit ſeductor primos Parentes, & in peccatum detrudit. Sub vmbra ficus videt Deus Nathanaëlem, & ad gratiam vocat, vt arbor illa, quæ ſeductione primi parentis fuerat fœdata, fieret nobilitata hominis vocatione ad vitam, ne arboris vmbra minus ad vitam, quàm inſeruiret ad mortem. Septimò. Adamus abſcondit ſe in medio ligni Paradiſi *Geneſ.* 3. *num.* 3. inter ficulneas ipſius Paradiſi. Nathanaël tamquam Adami filius ſub vmbra ficus ſe abſcondit. Et inde tamen viſus eſt à Domino: *Cùm eſſes ſub ficu, vidi te.* Per quod fit manifeſtum, quòd quamuis homo ſe maxime abſcondat, ac ad ſecretum locum ſe recipiat, & in intimo ſui cordis quidquid velit, & cogitet; tamen omnia Deus introſpicit: omnia enim ſunt nuda, & aperta oculis eius.

Abiectum, & fœdatũ ſubleuandum.

Dei viſui manifeſta sũt omnia.

99. Prodigus accepta ſua hæreditate profectus in regionem longinquam, eam diſſipauit viuendo luxurioſè, *Luc.*15. *num.*15. Sed cùm eſſet in loco tam diſtanti, & ſeparatus à Patre, fugit oculos eius? minimè; ſed ibi eum videbat, vt miſericorditer reuocaret. D. Chryſologus ſer. 2. *Peregrè profectus eſt iſte*, ait, *& in regionem longinquam fugit, ſed accuſatores ſuos, ſed teſtes ſuos diuini Patris oculos non refugit. Hoc dauid clariùs aperit, dicendo* Pſalm. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo? Et quo à facie tua fugiam? Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me. Videt iſte per totum mundum nuda Dei oculis delicta conſiſtere: non cælum, non terram, non maria, non abyſſum, non ipſam noctem Deo velare poſſe peccata.*

Chryſol.

Nullus locus quantumuis diſtans, fugit à Dei conſpectu.

100. Ad citata verba Pſalm. 138. ſubdit Regius Vates num. 12. *Tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur; ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius*; ideſt, peccata abſcondita, & in ſecretis, ac tenebris perpetrata, tibi non abſconduntur; æqualiter tibi patent, quæ nocturno tempore, ac quæ meridiana luce committuntur; & ideo comparatione ad tuam infinitam ſcientiam, in nihilo tenebræ à luce diſcriminantur. Diuus proſper Aquitan. *Tenebræ,*

Pſalm. 138.

Conſpectui Dei nox ita clara, ac dies.

Proſper.

bræ,quæ à ſemetipſis obſcurantur , à te lumen accipiunt.

Ioann. 1.*n.*49. Reſpondit ei Nathanaël,& ait: Rabbi , tu es filius Dei,tu es Rex Iſraël.

*Ibid.num.*50. Reſpondit Ieſus , & dixit: Quia dixi tibi : Vidi te ſub ficu ; credis : maius his videbis.

VERSIONES.

*Syriac. n.*49. Dixit ei : Magiſter mi , tu es ille filius Dei , tu es ille Rex Iſraël.

*Vatabl.n.*50. Quia dixi tibi : Videbam te ſub ficu.

EXPOSITIO.

101. Chryſoſt. RECTE Chryſoſtomus ait: *Verè Chriſtum cognouit Nathanaël , à prophetia ſcilicet,& præuidentia,& à certiſſima ipſius mentis perſcrutatione : demonſtrat enim, animi eius cogitationes ſe planè intellexiſſe.* Dum Chriſtus Dominus aperit Nathanaëli ſimplicitatem , ac candorem ſui cordis, quòd erat verè Iſraëlita ; & etiam ea , quæ fuerant valde diſtantiſſimè abſcondita ; cognouit Nathanaël , Chriſtum eſſe verum Deum , Meſſiam , & Propheram ,qui abſcondita , & occulta reuelabat. Et notandum eſt cum eodem Chryſoſtomo *homil.* 18. ex D. Bonauentura , quòd Dominus vocauit ad ſe Petrum, reuelando abſcondita , & prædicendo futura , vt vidimus ſuprà *num.* 42. in expoſitione. Et tunc etiam trahit Nathanaëlem manifeſtando occulta. At verò Andream , & Philippum non ſic ad ſe vocauit prædicendo ſecreta. Ad hoc reſpondent citati Patres , quòd iſti duo Apoſtoli audierant teſtimonium Ioannis : *Ecce Agnus Dei.* Tanta erat Ioannis auctoritas , & tam efficax eius ſermo. At germana ratio in hac re eſt diuina gratia , quæ miros effectus miro , & diuerſo modo operatur.

Idem. Bonauent.

Valde efficax Ioannis teſtimonium , & mirabilis eius auctoritas.

102. *Tria fatetur de Chriſto Domino.* Ait Nathanaël:*Rabbi,tu es filius Dei,tu es Rex Iſraël.* Tria de Chriſto Domino fatetur. Primò, quòd eſſet doctor , & magiſter. Secundò filius Dei. Tertiò Rex Iſraël. Hæc omnia prædixit Dauid de Chriſto Domino Pſalm.2. num.6. & 9. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius , prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me , Filius meus es tu.* Ipſum autem fatetur filiumDei quodam eminentiſſimo, & ſupernaturali modo , vt dicam *quæſtione ſequenti.*

Pſalm.2.

103. *Verus ſenſus.* Ait Ieſus : *Quia dixi tibi : Vidi te ſub ficu;credis : maius his videbis.* Ac ſi dicat : Me Regem Iſraël,ac Meſſiam credis , quia tibi reuelaui quædam occulta : maiora tamen oracula , miracula, ac multa maiora myſteria vitæ , paſſionis , reſurrectionis, ac aſcenſionis meæ videbis : ex quibus non tantùm Regem Iſraëlis , ſed etiam Dominum cœlorum , ac Angelorum agnoſces. D. Cyrillus verò aliter explicat. Exiſtimat , his verbis laudari Nathanaëlem , qui tam promptè vno verbo Domini credidit ; tamquam ſi ei promittat, quòd multo maiores progreſſus faciet , cùm maiora miracula perpetrari viderit. Vnde ſimul laudat , & exhortatur Nathanaëlem , vt ait Rupertus , data ſpe maioris fidei:frequenter enim in ſchola diligentes pueros ſimul laudamus, & hortamur. Prima tamen expoſitio mihi videtur veriſimilior.

Cyrillus. Rupert.

QVÆSTIO XV.

Quomodo Nathanaël fateatur Chriſtum filium Dei? Et vnde tantam cognitionem habuerit?

QVO ſenſu Nathanaël Chriſtum dixerit filium Dei , maximè dubitatur. Non filium naturalem, ſed adoptiuum per gratiam confeſſum fuiſſe , docent D. Chryſoſtomus, Euthymius , Theophylactus , Albertus Magnus, S.Thomas , D. Bonauentura , Caietanus , Toletus , Barradas , Franciſcus Lucas. Eo nixi fundamento , quia nondum myſterium Trinitatis erat publicatum ; & ideo eum appellauit Regem Iſraëlis , & non totius mundi. Nec obſtat , quòd Chriſtus reuelauerit ſecreta cordium. Quia prophetæ ex Dei inſtinctu hoc poſſunt aſſequi , vt ſuprà dixi de Ioanne Baptiſta *lib.*1. *cap.*8.*num.*15. Alij , vt Ammonius , D.Cyrillus , D.Auguſtinus, Dionyſius, Gloſſa,Maldonatus, Cornelius à Lapide , & etiam probabile iudicat Hugo , docent, Nathanaëlem filium Dei naturalem , ac ſubſtantialem dixiſſe.hoc enim nudè verba ſonant. 104.

Chryſoſt. Euthym. Theoph. Alb. Magn. S.Thom. Bonauent. Caietanus. Tolet. Barradas. Franciſc. Lucas. Ammon. Cyrillus. Auguſt. Dionyſ. Gloſſa. Maldon. Cornelius à Lapide. Hugo.

Mea ſententia eſt , Nathanaëlem confeſſum fuiſſe , Chriſtum verum filium Dei naturalem. Ita auctores ſecundæ ſententiæ. Hoc placitum colligo ex reſponſione Chriſti : *Quia tibi dixi: Vidi te ſub ficu;credis.* Illud autem verbum *credis*, ex ore Chriſti prolatum , veram fidem denotat. Vera fides Chriſtum profitetur filium , non adoptiuum, ſed naturalem Dei. Vnde autem Nathanaël potuerit hanc notitiam habere , explicandum eſt , vt quæſtioni , ac obiectioni aduerſariorum reſpondeamus. 105. *Reſolutio quæſtionis.*

Reſpondeo primò , quòd Nathanaël potuit hanc notitiam accipere à Philippo. Et Philippus illam habere à Ioanne Baptiſta , qui optimè , ac diſtinctè agnoſcebat myſterium Trinitatis , & Chriſtum eſſe filium naturalem , ac ſubſtantialem Dei. Et ratione huius cognitionis Baptiſta multa de Chriſto dicebat:*Ante me venit vir , qui ante me factus eſt, qui prior me erat* , Ioan.1.n.30. Et iterum:*Ego vidi,& teſtimonium perhibui,quia hic eſt filius Dei* , ibidem num.34. Quibus apertè denotabat , Chriſtum eſſe Deum , & filium Dei naturalem. Diſcipuli tamen eius hanc doctrinam valde obſcurè , & confusè percipiebant , non intelligentes altitudinem myſterij. Cùm autem Philippus eſſet Ioannis diſcipulus , & frequens eius auditor , hoc accepit etiam à ſuo magiſtro. & in hanc ſuam doctrinam valde indiſtinctè perſuaſit Nathanaëlem , (vt notat Cornelius à Lapide) qui modò confitetur Chriſtum filium Dei naturalem ; valde tamen indiſtinctè, confusè , ac obſcurè.Donec pleniùs, Dei gratia afflante , Philippus , Nathanaël , ac alij fuerunt de hac re edocti,ac illuminati. Petrus autem clarè, & diſtinctè 106. *Vnde Nathanaël habuit tantam cognitionem.*

Ioan.1. Cornelius à Lapide.

confeſſus eſt, Chriſtum filium Dei naturalem,vt aduertit *hîc* Hugo, & latiùs ſuo loco dicam. Nec eſt mirum,vt notat Ammonius,quòd Nathanaël Chriſtum appellet Regem Iſraël , & non totius mundi ; erat enim ſpecialiter promiſſus Iſraëli : *Populus eius , & funiculus hæreditatis eius*, Deuter.32.num.9.

Hugo. Ammon. Deut.32.

107. Chryſoſt. Moraliter optimè reſpondet Chryſoſt. homil. 19.*Ex quo*,ait, *arboris nomen,tempúſque expoſuit, certiſſimè eſſe Prophetam agnouit : neque hoc tantùm;ſed etiam,quæ inuicem locuti eſſent,agnouiſſe, in memoriam reducit,præſertim illud: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe ? Ex quo eum maximè ſibi conciliauit, cùm ex eo non reprehendit ,ſed laudibus proſecutus eſt.* Optima ratione coniecturali Nathanaël cognouit Chriſtum eſſe Regem,ac filium Dei.Inſpexerat Chriſtum,ſecreta,& occulta ſcire,ac penetrare ; & ideo quod bene ſciebat ea, quæ ipſe dixerat contra illum , ac ſuam patriam: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Et tamen his exprobraſſe dictis minimè ſe Dominus oſtendit iratus, vel offenſus;ſed hominem benignè,ac humaniter excipit ; & pro his,quæ videri poterant iniuriosè dicta laudem homini rependit : *Ecce verè Iſraëlita,in quo dolus non eſt.* Et hominem,in quo Nathanaël tantam animoſitatem, ac mirabilem in ſupportandis iniuriis patientiam agnouit; non plebeium,ſed Regem;non purum hominem, ſed Deum,ac filium Dei credit , & fatetur. Et ita poſt pauca ſubdit idem Chryſoſt.*Tunc verò Chriſtum eſſe cognouit,præſertim cùm,quæ ægrè ferenda videbantur,ea non reprehendit,ſed laudat.*

Iniurias remittere , ac parcere , regium, & diuinum. Chryſoſt.

108. Tertull. *Patientia proprietas diuinitatis.* Iniurias remittere, opprobria diſſimulare,tam nobile,& magnum,vt dixerit Tertullianus lib.de Patientia:*Patientiam Dei eſſe naturam affectam, & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis.* Dei natura patientia eſt,& ipſa patientia eſt quædam excellentia,& præſtantia cuiuſdam proprietatis ingenitæ in ipſa natura ob ſuam infinitam bonitatem.Vnde qui in hoc ſtudio patientiæ verſantur , in tantam celſitudinem euehuntur, vt in hoc appareant filij cæleſtis Parentis , qui eſt in cælo,*Matth.*5.*num.*45.

109. Geneſ.32. Pergens Iacob in Meſopotamiam,quadam nocte traductis omnibus,quæ ad ſe pertinebant,*remanſit ſolus ; & ecce vir luctabatur cum eo vſque manè*,Geneſ.32.num.24.Hîc autem vir,qui luctabatur , iuxta Patres Græcos Chryſoſtomum , & alios,erat ipſemet Deus.Sed quomodo homo audet manum conſerere cum Deo ? Quomodo tantum luctatorem quaſi ſibi parem inuenit Iacob ? Erat ipſe totus intentus , quomodo infenſum, ac aduerſantem fratrem reconciliaret ; tam enim longé erat,vt machinationes , ac iniurioſa verba Eſau contra eum prolata vlciſceretur , vt nihil aliud cogitaret , niſi quomodo eum muneribus placaret , ac ad ſe alliceret. Et qui ita iniurias remittebat , ac pacis ſtudioſus erat, in lucta nullum alium veluti ſui parem inuenit,niſi ipſum Deum, huic enim maximè aſſimilatur iniuriarum condonator. D. Ambroſius *lib.*2.*de Iacob. cap.*7. ſic ait , *Itaque Iacob , qui cor ſuum ab omni ſimultate mundauerat , vt pacificum affectum gereret, poſtquam præcedunt omnia ſua,ſolus manſit, luctatúrque cum Deo. Qui enim ſæcularia negligit , ad imaginem, ſimilitudinémque Dei propius accedit.* Expende illa verba , *Pacificum affectum gereret, luctatúrque cum Deo.*

Chryſoſt. *Dum homo remittit iniurias , Deo valde aſſimilatur.* Ambroſ.

*Ioan.*1.*n.*51. Et dicit ei : Amen , amen dico vobis , videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes , & deſcendentes ſupra filium hominis.

VERSIONES.

Syriacus. Deinceps videbitis cælos apertos, & Angelos Dei, dum aſcendent , & deſcendent ad filium hominis.

Euthymius. Poſthac videbitis.

Arabicus. Aſcendere , & deſcendere ſupra filium hominis.

Vatablus in ſcholijs. Aſcendentes , & deſcendentes ſub filio hominis.

Radix Hebr. Propter filium hominis.

EXPOSITIO.

PERGIT Dominus cum Nathanaële loquens,& ait : *Amen, amen dico vobis.* Repetitio illius dictionis ad maiorem confirmationem ponitur , & certè loco ſuperlatiui, quo carent Hebræi. *Dico vobis.* Loquebatur Dominus cum Nathanaële, & iam vertit ſermonem ad omnes , ſumpta occaſione ex confeſſione Nathanaëlis , omnibus ſuis diſcipulis promittit Chriſtus magnum bonum , ac illuſtrem ſuorum myſteriorum cognitionem. Hic eſt enim Deus, cuius beneficia non ſtagnantur in vno ſolo,ſed ex vnius merito ad multis benefaciendum arripit motiuum. *Videbitis cælum apertum.* Non quòd cælum verè ſit ſcindendum , ac aperiendum , ſed quòd exeuntibus , & intrantibus Angelis dabit cælum aditum , tamquam ſi in eo eſſet oſtium apertum , vt ſuprà explicaui de Chriſti Baptiſmo *cap.*2. 110.

Deus ex vnius merito aſſumit motiuum ad benefaciendum multis.

Et Angelos Dei,id eſt , Dei miniſtros. *Aſcendentes,& deſcendentes* , ſcilicet ex apertis cælis. Et dicuntur aſcendere , & deſcendere , tamquam ſeduli,& frequentes in Dei obſequium, vt explicat Hugo. Et priùs dicuntur aſcendere,& poſtea deſcendere : quia ſancti Angeli priùs mente aſcendunt ad Dei thronum , vt audiant ſibi iuſſa; & inde poſtea deſcendunt ad exequendum ſibi imperata. *Supra filium hominis.* Illa particula *ſupra* ex radice Hebraica,vt notat Franciſcus Lucas, idem ſonat , ac *propter* ; vnde habet Syriacus, *Ad filium hominis.* Et facit hunc ſenſum : Aſcendunt , & deſcendunt Angeli propter obſequium, ſeu ad obſequium filij hominis. Vatablus verò *in ſcholijs* legit : *ſub filio hominis*,hoc eſt,ſub iuſſione,nutu,& poteſtate mea imperante. Et per hæc ſe Dominus declarat, non ſolùm Regem Iſraëlis, & hominum;ſed etiam cælorum, ac Angelorum; cuius imperio Angeli , vtpote eius miniſtri , parent,& obediunt,vt notarunt D. Cyrill.Euthym. Theophyl.Beda,Rupert.& alij. 111.

Hugo. *Radix Hebraica.* Franc.Luc. Syriacus. Vatablus. Cyrill. Euthym. Theophyl. Beda. Rupert.

Supra filium hominis. Et per hæc ſe ipſum intelligit. Et non dixit , ſupra me , ſed *ſupra filium hominis* , modeſtiæ cauſa,ne videretur ſubitò ela- 112.

Alb.Magn. Chriſtus ſui magnalia abſcondit, humilia dicit.

tus confeſſione Nathanaëlis. Et notandum eſt ex Alberto Magno, quòd Nathanaël Chriſtum vocauit filium Dei, ipſe autem ſe filium hominis dicit. Vt, ait ipſe Albertus, det exempla humilia de ſe ſentiendi, & non alta ſapiendi: non enim profert altam Patris cognationem, ſicut etiam & multi ignobiles faciunt, altiores ſui generis parentes iactantes; ſed humilem ſui generis parentem matrem, dicens: *ſupra filium hominis*. Hæc Magnus Albertus. Chriſtus ob ſuam eximiam humilitatem ſui magnalia abſcondit, & minora publicat, & manifeſtat.

Chryſoſt.

Secundò notandum eſt ex D.Chryſoſtomo homil.20. *Quid igitur*, ait, *Nathanaël nil reſpondit. Chriſtus autem hactenus locutus, ſecum ea verba reputaturam dimiſit: noluit enim omnia ſimul, ſed iacto in terram fertilem ſemine, ſinit, vt germinet.*

Paulatim proficiendum.

Nathanaël, Deo ſic diſponente, nil reſpondit; nec omnia verba Chriſti ſimul vult capere, & intelligere; ſed ea, tamquam ſemen iactum in bonam terram, uat, & retinet in corde ſuo, vt paulatim proficiat, ac germinet in vberes, ac ſalutiferos fructus.

QVÆSTIO XVI.

Quando Angeli viſi fuerint aſcendentes, & deſcendentes ad Chriſtum.

113. Cyrillus.

VARIÆ ſunt in hac re Interpretum ſententiæ. Primò D. Cyrillus videtur ad Baptiſmum, & tentationem hoc referre. Nam in Baptiſmo cælum apertum eſt, & columba miniſterio Angelorum efformata. Et poſt tentationem Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. At huiuſmodi Chriſti colloquium cum Nathanaële habitum eſt poſt Baptiſmum, & tentationes deſerti: Dominus autem hîc promittit aliquid de futuro: *Videbitis*.

Chryſoſt. Theoph. Rupert.

Secundò D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Rupertus de Paſſione, ac Reſurrectione Chriſti hoc interpretantur. Nam Chriſto agoniam patienti apparuit Angelus confortans eum, *Luc.* 22. *num.* 24. Et in Reſurrectione duo Angeli in ſepulchro viſi ſunt, qui de eius Reſurrectione dabant teſtimonium, *Matth.* 28. At Apoſtoli nec viderunt illum Angelum in Paſſione, nec etiam illos duos in Reſurrectione, mulieribus enim apparuerunt.

114. Chryſoſt. Euthym.

Tertiò idem Chryſoſtomus, Euthymius id factum opinantur in Chriſti aſcenſione: nam tunc Angelis in veſtibus albis apparuerunt, *Actor*, 1. *num.*10. Sed contra hanc ſententiam, quæ eſt valde probabilis, poterit aliquis inſtare, quòd licèt Apoſtoli viderint Angelos, non tamen eos viderunt in ſpecie Angelorum, ſed virorum; & quòd eos non viderunt aſcendentes, & deſcendentes.

Maldon.

Quartò Maldonatus hoc complendum fore exiſtimat in die iudicij: tunc enim Angeli tamquam famuli aſſiſtent Chriſto Domino, boni aſcendentes, vt electos ducant in cæleſtem patriam; mali, vt damnatos in Tartara deducant. Tamen hæc Chriſti promiſſio non videtur reſpicere diem iudicij: nam facta eſt ad augendam, & corroborandam fidem Nathanaëlis, ac Philippi, & ita ad præſentem ſtatum huius vitæ referenda eſt.

Quintò Ianſenius, Caietanus, & alij exiſtimant, quòd hæc Angelorum viſio, de qua hîc eſt ſermo, contigerit in hac vita; quando tamen contigerit, ſacri Euangeliſtæ, vti & alia multa Chriſti acta, non narrant. Tamen ſi rectè expendantur verba præſentis textus, bene deprehenditur, quando Angeli aſcendentes, & deſcendentes fuerint viſi. 115. Ianſen. Caiet.

Dicendum, vt iam dixi in expoſitione, quòd in his verbis, dum dicitur: *Videbitis Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis*; nihil aliud promittitur, niſi quòd ipſi videbunt Angelos, tamquam famulos Chriſti, mandata exequi, & eius iuſſa tamquam Domini ſui indilatè adimplere. *Aſcendere*, & *deſcendere* ſignificat frequens miniſterium, vt dixi ex Cardinali Hugone, hoc eſt, vltrò, citróque concurrendo, & in quamcumque partem mittantur, eundo. Et hoc modo viſi ſunt Angeli, dum adhuc Chriſtus Dominus eſſet in hac vita mortali, & poſt eius aſcenſionem, ac modò in Eccleſia. In Chriſti vita, ſtatim in eius natiuitate *Luc.*2.*num.*11. In deſerto poſt ieiunium *Matth.*4.*num.*12. Prope Paſſionem vox venit de cælo, *Ioan.*12. quæ miniſterio Angelorum facta eſt, vt eſt valde probabile. Angeli etiam apparuerunt in Reſurrectione, Aſcenſione. Et poſt ipſam paſſim ad Chriſti nutum videntur Angeli in Apocalypſi; & in Actis Apoſtolorum Angelus apparet Philippo, *Actorum* 8.*num.*26. & Petro 12.*num.*7. Et frequenter videmus hoc hodie adimpleri in Eccleſia, dum Angeli ex Chriſti imperio deſcendunt de cælo, & magna dona hominibus deferunt, ac eorum orationes in cælum aſportant. Hanc ſententiam expreſsè docet D.Thomas *hîc*, dicens: *Angeli autem aſcendunt, & deſcendunt, in quantum ei adſunt obſequendo, & miniſtrando.* Eam priùs docuit D.Chryſoſtomus *homil.*20. eam tenet Toletus *annot.*87. 116. *Reſolutio quæſtionis.* Hugo. S.Thom. Chryſoſt. Tolet.

Hanc etiam interpretationem ſatis latè confirmat D. Auguſtinus *lib.* 12. *contra Fauſtum, cap.*26.*& lib.*16. *de ciuit. cap.*38. prout latè contendit, hîc alludi ad celebrem hiſtoriam Iacob, *Geneſ.* 28. quando in ſomniis vidit ſcalam, quæ tangebat cælos, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Quod breuiter ſic explico ex mente Auguſtini. Iſraël ex eo, quòd viderit in loco illo ad nutum Domini Angelos aſcendere, & deſcendere, euigilans è ſomno erexit lapidem in titulum; & confeſſus eſt: verè Dominus eſt in loco iſto. Ita etiam tu, ô Nathanaël, quem ego verum Iſraëlitam, ſeu verum filium Iſraëlis, iuxta Syriacum, appello, ex eo qnòd videbis Angelos aſcendentes, & deſcendentes ad mei imperium, meam ſupremam diuinitatem, ac poteſtatem agnoſces. 117. Auguſt. Syriacus.

D.Thomas. Angeli dicuntur aſcendere, & deſcendere. *Aſcendere*, prout ſecundùm carnem ipſe minoratus eſt paulo minus ab Angelis, *Pſal.* 8.*num.*6. Et *deſcendere*, prout ipſe eſt filius Dei, & Angelis imperat, ac dominatur. Vnde D.Bernardus *ſerm.*48. *in Cantica*, explicant, Angelos aſcendere, & deſcendere ſuper filium hominis, ſic ait: *Quòd in vno, eodémque homine Chriſto Ieſu, & infirmitatem foueant, & ſtupeant maieſtatem.* 118. D.Thom. Bernard.

Moraliter verò hoc multipliciter explicatur. Primò P. Franciſcus de Mendoça *in lib.*1. *Regum cap.*6. *verſ.*14.*in expoſit. num.*20. quòd Chriſtus 119.

Dominus

Mira humilitas Chriſti Domini.

Dominus ob ſuam humilitatem quodammodo creaturæ ſe ſubiecit; iuxta illud: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*; & etiam quando Angelis imperat, dicitur: *Videbitis Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis.* Etiam cùm ad humilia miniſteria deſcendebant Angeli, ſupra filium hominis manebant, quia quantacumque eſſet eorum humilitas, profundior erat humilitas Chriſti Domini. Illis etiam ſubiectis Chriſtus Dominus humilior ſubiacebat.

Chryſoſt. Theoph.

Secundò. In ſententia Chryſoſtomi, Theophylacti, qui hoc referunt ad Angelum, qui apparuit in Paſſione, dicuntur *Angeli aſcendere, & deſcendere ſuper filium hominis. Deſcendere*, veniunt enim ad imperium ſupremi Regis Chriſti è Cælo. *Aſcendere* ſuper filium hominis, prout ſecundùm carnem minoratus eſt.

Valde excelſum, dare leuamen laboranti.

Ille Angelus apparebat confortans eum, & humanitati agoniam patienti ferre leuamen, & eam confortare, valde magnum, & ſublime; vt tunc quodammodo (in ſenſu morali loquor) videatur Angelus aſcendere.

120. Auguſt. Beda. Rupert. Alb Magn. S.Thom.

Tertiò D.Auguſtinus, Beda, Rupertus, Albertus Magnus, S. Thomas allegoricè per Angelos Prædicatores intelligunt, qui aſcendunt, cùm altiora myſteria; deſcendunt verò, cùm res intellectu faciles populo proponunt.

Prædicatores ante prædicationem aſcendant mente.

Et nota, quòd priùs dicuntur aſcendere, & poſtea deſcendere, quia, vt ait Diuus Thomas, Prædicatores priùs debent aſcendere per contemplationem, ſicut Paulus aſcenderat vſque ad tertium cælum; & deſcendunt per proximorum eruditionem ſuper filium hominis, id eſt, ad honorem, & gloriam filij hominis. *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum*, 2.Corinth.4. 2.Cor.4.

121. Bernard.

In confirmationem huius rei D. Bernardus *ſermone* 10. *in Pſalm.* Qui habitat, explicans aſcenſionem, & deſcenſionem Angelorum, ſic ait: *Aſcenſio propter ſe; deſcenſio, vel potiùs condeſcenſio propter nos. Aſcendunt per contemplationem Dei, deſcendunt per compaſſionem tui, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis? Aſcendunt ad vultum eius; deſcendunt ad nutum eius. Quoniam Angelis ſuis mandauit de te.*

Aſcendant mente, & deſcendant compaſſione.

Sic etiam Prædicatores, qui Angelis comparantur, priùs debent aſcendere ad Deum per contemplationem, meditantes diuina myſteria; & poſtea deſcendere per compaſſionem, vt alios doceant, inſtruant, nutriant, & cuſtodiant in omni ſalutari via.

122. Cantic 2.

Dormitante dilecta anima, omnibus imponit ſilentium ſponſus, & ait: *Ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam*, Cantic.2. num.7. Et tamen paucis interiectis ipſemet ſponſus ſuam dilectam celerata voce euocat, dicens: *Iam hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit: ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni*, ibidem num.12. & 13. Si modò eam dormitare volebat, quomodo tam celeriter eam à ſomno excitat? In dormitatione alta rerum contemplatio denotatur, vt eſt frequens Scripturæ phraſis: at in voce turturis tempus prædicationis, ac eructandi diuinum verbum ſignificatur, vt docent D. Ambroſius *ſermone* 6. *in Pſalm.*118. *lib. de Iſaac cap.*4. D. Hieronymus *lib.*1.*contra Iouinian.* D.Auguſtinus *lib. homiliar. homil.*33. *tom.*10. Aponius, Rupertus, & alij.

Ambroſ. Hieron. Auguſt. Aponius. Rupert.

Cæleſtis ſponſus diuino conſilio non priùs vult dilectam animam ad prædicationem vocari, niſi poſtquam dormierit in contemplatione, ac fruitione rerum cæleſtium, qua percepta, ſtatim eam ad munus eructandi verbum ad ſe aduocat, & trahit. D. Bernardus ſermone 58. in Cantica. *Putamuſne leuitate vſum ſponſum, & aliquid voluiſſe priùs, quod mox noluerit? minimè. Sed agnoſcite viciſſitudines ſanctæ quietis, ac neceſſariæ actionis; & quia non ſit in hac vita copia contemplationis, nec diuturnitas otij, vbi officij, & operis cogentior vrget, inſtantiorque vtilitas. More igitur ſuo ſponſus, vbi dilectam paululum in ſinu proprio quieuiſſe perſenſit, ad ea denuo, quæ vtiliora viſa ſunt, trahere non cunctatur.* Bernard.

QVÆSTIO XVII.

Quomodo Angeli aſcendant, & deſcendant ad filium hominis.

PROSEQVIMVR materiam ſuperioris quæſtionis, & inquirimus: Quomodo Angeli aſcendant, & deſcendant ad filium hominis? Perbellè D.Auguſtinus *ſermon.*41. *de verbis Domini*, ait: *Non diceret aſcendentes ad filium hominis, niſi ſurſum eſſet: non diceret deſcendentes, niſi deorſum eſſet: Ieſus ſurſum, ipſe deorſum; ſurſum in ſe, deorſum in ſuis.* Nec ad punctum temporis poſſunt à Chriſto Angeli ſeparari: imò omnes ſuos aſcenſus, & deſcenſus ad Ieſum ordinant, vt ei ſemper ſint adhærentes. Cùm ergo Ieſus vbique ſuæ diuinæ virtutis effectus operetur, Angeli aſcendunt, & deſcendunt. Aſcendunt, prout ipſe ſurſum regnat in cælo, & deſcendunt, prout ipſe deorſum eſt in ſuis membris. 123. Auguſt. *Angeli ſemper Chriſto adhærere volunt.*

Secundò idem D. Auguſtinus lib.12. contra Fauſtum cap.26. *Aſcenditur, & deſcenditur ſuper filium hominis: filius enim hominis ſurſum in capite noſtro, quod eſt ipſe Saluator, & filius hominis deorſum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia. Ad ipſum ergo aſcenditur, vt in excelſis intelligitur; & ad ipſum deſcenditur, vt in manibus ſuis paruuli nutriuntur.* Idem docet *in Pſalm.*44. ad illa verba: *Propterea vnxit te Deus.* Siue Angeli aſcendant, ſiue deſcendant, ſemper ad Chriſtum feruntur: cùm aſcendunt; ad Chriſtum tendunt, cùm ipſe regnet in cælo. At, cùm deſcendunt ad terram, in qua ſolùm homines videntur, quomodo tangunt Chriſtum? Eadem eſt capitis, ac membrorum conditio. Ergo, cùm membra Chriſti, nempe eius fideles ſint in terris, dum Angeli ad ipſos cuſtodiendos, & nutriendos veniunt, ad Chriſtum tendunt. Quod confirmat idem Auguſtinus loco proximè citato in Pſalm.44. *Vnde vox illa, Saule, Saule, quid me perſequeris? Quis enim illi in cælo moleſtus fuit? nemo; nec Iudæi, nec Saulus, nec diabolus tentator? nemo ibi moleſtus illi, ſed ſicut in compage corporis humani pede calcato lingua clamat.* 124. Auguſt. *Obſequia, quæ hominibus Angeli deferunt, Chriſto deferunt.* Auguſt.

Aſcendunt, & deſcendunt, vt Chriſtum quærant, eique aſſiſtant, neque ab illo diſcedant. Vbi Chriſtus, illuc Angeli volant. Magna Angelorum multitudo obuiam ſe dedit Iacob proficiſcenti in Meſopotamiam, ita vt ille diceret: *Caſtra Dei ſunt hæc*, Geneſ.32.num.2. Cur Iacob tot exercitus Angelorum apparent, cùm ad Agar 125. Geneſ.32.

vnus tantùm Angelus veniſſet, *Geneſ.* 16.*num*.7. Et ad Loth duo Angeli venerint, *Geneſ*.19.*num*.1. Et Sanſonis mater vnum tantùm Angelum prænuntium futuri partus habuerit, *Iudic*.13. *num*.3. Quare ergo Iacob non vnus, nec duo Angeli, ſed multæ cœleſtium militum acies ſe exhibent? Erat Chriſtus in lumbis Iacob: erat Chriſtus regnaturus in domo Iacob. Non ergo mirum, quòd vbi Chriſtus aderat, ibi eius ſedes iam apparebat, quòd illuc omnes Angeli conuolarent, & deſcenderent. Ionas Aurelian. lib. 2. de cultu imaginum. *Electus erat Iacob futurus Chriſti pater; pro eo pugnaturi lætantes aſſiſtunt Angeli.*

Aurelianus.

126. Hoc ingenium biberat Petrus, qui magno impetu ad Chriſtum ferebatur, vt ei adhæreret, ne ab illo vnquam recederet. Ambulantem Ieſum ſuper mare Petrus agnoſcens ſuper tumentes fluctus ſtatim è nauicula proſilit: *Deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquas, vt veniret ad Ieſum*, Matth.14.num.29. Valde mirum, quòd videns homo elatos, ac ſpumantes marinos vortices non expauescat: ſed celeriter, & promptè aquarum fluxibilitati, ac mobilitati ſe credat, atque committat? Habebat ille ante oculos Ieſum, & tanto ad ipſum rapiebatur conatu amoris, vt nihil aliud, niſi Ieſum ſolum attenderet, nihilque aliud conſideraret, niſi quomodo ad eum accederet, eique appropinquaret. Diuus Maximus homil.10. de Paſſione. *Ambulauit*, inquit, *in mare Petrus, magis dilectione, quàm pedibus: non enim videbat, vbi pedum veſtigium poneret; videbat autem, vbi figeret veſtigium charitatis. In naui enim poſitus conſiderat Dominum, & amore eius ductus deſcendit in mare. Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum.* Perpende vltima verba, quæ nos ſemper teneamus in mente: vt in Chriſtum tendat omnis noſtra cogitatio, & ibi in eo ſiſtat. Hæc omnia tam hîc, quàm alibi à me dicta vſque ad iota, & apicem libentiſſimè ſubiicio correctioni, ac emendationi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Matth. 14.

Vt venian ad Ieſum, riculum o ne contemnendum.

Maxim.

INDEX

INDEX
Rerum memorabilium, quæ in hoc primo Tomo continentur.

Prior numerus paginam notat, poſterior eſt marginalis.

A

Abiectus.

ABIECTVS honorandus. pag.51.num.47
Valde magnum in gloria de abiectis agere. 226.98
Nobilitatur id, quod erat abiectum. 242.49.& 482.41.& ſeq.
In hominem abiectum omnes inſurgunt. 413.40
Dum Dominus ſe humiliat, tentatur. 418.60
Diuinitatis argumentum, abiectos extollere. 485.59
Dei, & non hominis miſericordia eſt, abiectos fouere. ibid.60
Deus abiecta honorat. 486.67
Abiectum & fœdatum ſubleuandum. 491.98

Abſentia.

Abſentia maximè veneramur. 373.66
Abſentia magna, prçſentia parua videntur 447.11

Abſtinentia.

Abſtinentia antecedit exultationem, & lætitiam. 146.38
Vide *Ieiunium.*

Accedere.

Chriſtus deſiderat, vt homines ad eum accedant. 212.44
Anima, quæ ad Deum accedit, magis præparatur. 276.14
Vt homo accedat ad Deum, requiritur vt Deus quærat ipſum. 388.12
Vide *Affectus.*

Accommodare.

Accommodandum imbecillitati aliorum. 29.79
Vtendum verbo accommodato ad rem. 33.29
Communi opinioni accommodandum. 52.48
Accommodandum eſt tempori. 142.18
Accommodandum vniuſcuiuſque viribus. 220.78
Accommodandum ſtatui. 230.7.& 285.59
Accommodandum non potentiæ, ſed tempori. 253.52.& 59.
Accommodandum occaſioni. 282.45
Ætati accommodandum. 310.15

Admonere.

Contemnere admonitionem valde damnabile. 205.12
Vide *Reprehendere.*

Adorare.

Prudentes Chriſtum adorant. 106.16
Adoratio opere demonſtratur. 229.4
Qui Deum occultum adorauit, eius viſione clara fruitur. 410.18
Locus, in quo Deus adeſt, adorandus. 216.59
Vide *Religio.*

Aduentus.

Primus alicuius aduentus honorandus. 280.36
Aduentus Chriſti, vide *Incarnatio.*

Aduerſitas.

Vide *Afflictus, Calamitas, Labor, Miſeria.*

Adulator.

Adulatores minima regum tamquam magna decantant. 42.5
Adulatores omnia reuoluũt, vt annuntient. 309.13

Affectus.

In principe nullus particularis affectus. 36.39
Vbi terreni deſunt affectus, ibi adeſt diuina veritas. 41.163
In Rege nullus conſanguinitatis affectus. 46.19
Prælatus ita ab affectu alienus, ac ſi eſſet peregrinus. 56.64
Vt ad Deum accedas, omnis carnalis affectus deponendus. 210.37
Affectus carnalis ab Eccleſiaſticis amputandus. 353.75
Affectus conſanguineorum multũ potens. 450.28
Affectus charitatis ſolùm qui experiuntur, agnoſcunt. 480.30

Afflictus, Afflictio.

Affligendum cum afflictis. 89.35
Occaſio moleſtiæ non eſt dãda afflicto. 145.32
Poſt afflictiones gaudium magnum. 152.60
Vide *Abiectum, Labor.*

Altercatio.

Altercationes inter fratres fugiendæ 489. init.

Ambitio, Ambitioſus.

Ingenita eſt hominibus ambitio dominandi. 15.43.

Ambitioſi ſua cupiditate detinentur, & illa maximè mouentur. 256.66
Ambitio cæcat hominem. 157.73
Ambitio audet ſtare contra Deum. 262 94
Ambitioſus falſa vera iudicat. 318.2
Ambitioſus flagitium nullum reſpuit. 320.12
Ambitioſus pluris æſtimat pecuniam, quàm honorem. 323.26
in Ambitioſo, cum poteſtate, deficit vita. 331.14
Ambitioſus adhuc poſt mortem timet. ibid.16
in Ambitioſo maximè efficax timor amittendæ dignitatis, 324.35
Alienum à bonitate Dei omnia ſibi velle. 438.62
Hamus ambitionis vehementiſſimus. 439.64.
Præ ambitione facilè decipitur homo, quòd ſit adorandus. 440.176
Ambitioſus ſe ſubmittit ad multa, 441.178
Magna pœna ambitioſo aliis dari, quod ipſe deſiderat. 443.189
Ambitioſus maximè dolet, ſi populus alium ſequitur. 461.92

Amicus, Amicitia.

Amicus pro amici honore ſtat. 8.7
ad Amicos ſufficit veritas, ad amicos authoritas requiritur. 42.3
Amici benignitate trahendi, amici potentia. 15.45
Amicitiæ ſigno non eſt decipiendum. 119.84
Soli amici te audiunt. 145.33
Amicus ne velit, vt amicus propter eum aliquid de ſua authoritate deperdat. 218.69
Soli amici tuas laudes agnoſcunt. 304. 60. & 408.6
Graue amico, dum de amore ſuo dubitare videt. 344.32
Bona amicitia ad Chriſtum ducit. 488.76

Amittere.

Amiſſa recuperata delectant. 263.102

Amor Dei, ſeu Chriſti.

Eximius Dei mor, quòd cum haberet filium, nos adoptauit in filios. 29.112
Eximius Chriſti amor. 208.23
Voluit Chriſtus, vt potiùs de potentia, quàm de eius amore dubitaretur. 309.12
Vide *Chriſtus*.

Amor, Amans

Id, quod amor approbat, odium reprobat. 448.19
Amor maieſtatem neſcit. 350.61
Verus amor abſentiâ non minuitur, ſed augetur. ibid.63
Vrbanitas aliis dat primum locum, non verò amor. 351.67
Odium non videt dignitates, quas amor recognoſcit. 408.6
Ad operandum non ſufficit potentia, ſed requiritur amor. 27.99
Amor non debet diuidi. 32.124
Amans exiſtimat nihil dare, ſed accipere. 35.138
Quod non facit amor, facit timor. 62.89
Res amoris dormire non permittit. 105.20
Solus amor dat gratis. 131.144
Diuerſorum vnio fit amore. ibid.
Amor neſcit ſedere, & quieſere. 140.9
Spiritualis, & naturalis amor maximè conectuntur. ibid.11
Qui te amat, te audit. 145.33
Amor interior in opere manifeſtatur. 146.37
Verus amor operibus comprobatur. 202.2
Amantis diſſimulatio, vt id, quod fit ex amore, neceſſitati tribuatur. 214.54
Amans totum tribuit amanti. 236.18
Amans putat omnes de ſuo dilecto tractare. 248.26
Amor quæ gratis operatur, præcepto tribuit. 276.15
Non timore, ſed amore ſeruiendum. 281.41
Amor, dum patitur dilectus, conſolari nequit. 344.34
Graue amanti, dum de amore ſuo videt dubitari. ibid.32
Dei vox amoris aculeos excitat. 488.76

Andreas.

Andreas primus Chriſtianus, ac primus prædicator. 477.6
Conuerſio Petri magna laus Andreæ. 482.43

Angelus.

Angeli ſuperiores illuminant inferiores. 103.13
Angeli pro nobis decertant. 224.87
Per altiſſimos Angeli intelliguntur in Scriptura. 225.89
Angeli Dei attributa laudant. 226.96
Vbi Chriſtus, ibi omnes Angeli. 398.61
Angeli volant ad ſalutem noſtram. ibid.
Angelorum auxilium nobis vtile. 445.199
Angeli ſemper Chriſto adherere volunt. 495.123

Anima, Animus.

Chriſtus noſtrum potiùs vult animum, quàm munera. 254.57
Anima noſtra paſcitur Chriſto. 424.93

Antiquitas, Antiqui.

Antiqua maximè venerantur. 8.7
Antiqui magiſtri venerandi. 14.38
Antiqua conſuetudo obſeruanda. 42.6
Per noua obliuiſcuntur antiqua. 51.45.& 61.89
Antiqua obliuiſcuntur. ibid.
Vnuſquiſque repetit antiqua gentis ſuæ. 225.94
Chriſto nato abierunt antiqua. 253.59

Appetitus.

Magna virtus proprium vincere appetitum. 48.3
Vide *Affectus*.

Arbor.

Sub arboribus valde magna contigerunt. 491.94

Argumenta.

Argumenta inter fratres vitanda. 477.8
Argumentum argutiæ fugiendæ. 489.85
Fugiendæ altercationes. 490.init.

Arrogantia.

Arrogantiæ nota fugienda. 9.8
Vide *Iactantia*, *Superbus*.

Auarus, Auaritia.

Magna connexio inter auaritiam, & inanem gloriam. 227.105
Auaritia omne facinus aggreditur. 262.94

Auctor.

Ex eodem loquendi modo idem colligitur auctor. 42.6.& 101.5

Auctoritas.

Ad inimicos requiritur auctoritas. 42.3
Ex probitate auctoritas. 85.13

Index Rerum.

Teſtimonium magnæ auctoritatis ex nobilibus. 84.9
Auctoritas dicentis multum mouet ad credendum. 90.39
Si habes auctoritatem, tuum nihil multum eſt. 449.16

Audio.

Audit te, qui diligit te. 145.33
Auditus gradus ad fidem. 229.2
Verè audit qui exequitur præcepta. 477.9
Ille verè audit, qui audita opere implet. 478.11

Aulicus.

Aulici ſolùm de bono regis recordantur. 52.49
Aulici à rege nolunt ſeparari. 270.132
Pluris æſtimatur regis amicus, quàm rex. 365.30
Aulici intendunt claudere aliis omnem aditum ad principem. ibid.
Mirum, quo aulici ad pœnitentiam currant. 377.87
Volunt aulici, vt ſuæ res, amicique ſui aliter appareant, ac ſunt in ſe. 454.53
Aulicus contentus ſit quòd regem amicum habeat. 52.51
Aulici morem gerunt regi. 265.105

Auxilium.

Quando humana deſunt auxilia, diuina ſuccurrunt. 192.37 & 444.4
Diuinum amittit, qui in humano confidit auxilio. 263.100
Inimicus deiungit ab his, à quibus auxiliari poſſumus. 430.119

B

Baptiſmus.

per BAptiſmum glorificatur Chriſtus. 19.62
Magna Baptiſmi vis. 43.7
Puritas à Baptiſmo prouenit. 34.57
Qui baptizatur, ab antiqua vita transſmutari debet. 286.1
Baptiſmus præſtantiſſimum Chriſti opus. 387.6
Qualis ſit Baptiſmus. ibid.9
Sacramentum Baptiſmi in Chriſti Baptiſmo inſtitutum. 391.26
Qui baptizatur intelligit cæleſtia myſteria. 397.54
Baptiſmus ducit nos ad paradiſum. 466.119
Per Baptiſmum apperitur regnum cælorum. 498.58
Aquæ baptiſmales extinguunt flammam perhibentem paradiſum. ibid.

Beatitudo.

Cæleſtis beatitudinis amplitudo nullo ſermone explicari poteſt. 481.35
Vide *Bona cæleſtia*, *Cælum*, *Felicitas*.

Bellum.

Bona temporalia pariunt bellum. 152.59
Rex milites, quos munerat, deſtinet ad bellum. 410.15
Glorioſior pugna, quàm victoria. 445.199

Beneuolentia.

Vide *Amor*, *Benignitas*.

Beneficus, & Benefaciens.

Benefactor dicitur, non per id, quod in ſe habet, ſed per id, quod communicat. 19.60
Solus Deus quibuſdam benefacit, quin aliis ſubtrahat. 28.106
Verus rex quod à ſuis accipit, duplicatè reddit. 30.113
Vnum beneficium ſit certum alio. ibid. 114
Quæ facilè, & abundanter dantur, noua beneficia videntur. 31.118
Beneficus, quæ donat, tacet; quæ accipit, memorat. 38.150. & 45.16. & ſeq.
Deus ex vno beneficio pigneratur ad aliud. ibid.17.& 18.& 371.57.
Idem eſt, quod Deus incipiat benefacere, ac quod perficiat. 45.16
Beneficia quò magis particularia, eò magis æſtimantur. 50 39.& ſeqq.& 51.42
Magnitudo diuini beneficij. 32.122
Benefaciens non repetat verbis beneficium. 34.130.& ſeqq.
Vbi maius beneficium, ibi maior obligatio, 97.63
Iuſtus beneficiis humiliatur. 100.76
Dei beneficia præſentia ſunt, hominis verò in ſpe. 104.14
Beneficium à ſuis inchoandum. 108.30.& 112.50
Benefacere maieſtatem Dei maximè oſtendit. 124.104.
Dei beneficia ad omnes ſe extendunt. 125.106
Beneficia examinanda antequam admittantur. 129.133
Beneficia in venerantes. 159.21
Simplicitas dignior ad beneficia. 216.61
Beneficentia ſignum regis Chriſti. 223.86
Magnus ſua beneficia tacet. 236.17
Rex potius à beneficentia, quam à maieſtate cognoſcitur. 249.33
Qui inchoauit beneficium, perficiat. 252.48
Ex maiori beneficio maior obligatio. 166.113
Caput ſtet pro beneficiis populi. 281.40
Vnum diuinum beneficium recempenſat omnia. 311.25
Ante petitionem dare magnum beneficium. 386.3
Beneficia ſi conſiderentur non ex iure debita, maxime proficiunt. 400.66
Beneficium obturat os, & loqui non ſinit contra benefactorem. 447.15
Valde durum quod beneficium occaſio ſit ingratitudinis.
Deus ſua beneficia non exaggerat, ſed minuit. 470.18
Vide *Liberalis*, *Conſeruare*.
Beneficia perpetua, vide *Perpetuum*.

Benignitas.

Vbi quid paternum, ibi benignitas. 40.158
Plus acquiritur benignitate, quàm potentiâ. 155.5
Rex à benignitate maxime cognoſcitur. 249.33
Plus valet benignitas, quam rigor. 311.28
Rigor ad fugam, ad vnitatem benignitas prouocat. 371.57
Seueritas deiungit, benignitas vnit. 395.41
Benignitate vincuntur omnia. 402.77
Benignitate plus trahitur, quàm potentia. 469.10
Benignitas quædam diuinitatis notio. 152.58

Bethſaida.

Vbi ſita. 486.63

Bona diuina, ſeu cæleſtia.

Sola diuina bona non minuuntur. 41.162

Dei dona ſunt perpetua. 37.148
Bona Dei ad omnes. 121.93
Iuſtorum bona communia. 134.163
Dei dona irreuocabilia. 145.33
Bona cæleſtia communicantur ſe præparanti. 152.58
Tanta eſt cæleſtis beatitudo vt verbis non valeat explicari. 481.35
Bona cæleſtia pacem,temporalia bellum gignunt. 152.53
Bona cæleſtia inexplicabilia. 161.31
Tunc animus diuina percipit, quando mundo clauditur. 193.38

Bona temporalia.

Omnia bona temporalia in laboribus terminantur. 62.89
Ad præſentiam æterni regni temporalia deficiunt. 83.5
Bona temporalia pariunt bellum,cæleſtia pacem. 216.59
Qui nemini eſt iniurioſus, omnes de eius bono gaudent. 164.5
Prius quæ ſunt Dei,quàm temporalia,quærenda. 166.11
Vt fruamur Deo,à terrenis ſeparãdum. 220.77
Homo mouetur magis temporalibus, quàm cæleſtibus bonis. 250.34
Cùm oculi clauduntur bonis mundi, tunc Deus videtur. 252.48
Homo magni æſtimat bona tẽporalia. 255.62
Bona temporalia ob Chriſtum dimittenda. 167.116
In temporalibus ſperandum non eſt. 425.95
Bona temporalia ſunt in faſtidium. 436.152
Temporalium bonorum breuitas magna eſt. ibid.
Si mens auertitur à Deo ad temporalia,ſtatim labitur. 437.157
Amor, ſeu affectus ad temporalia, vide *Affectus.*

Bonum

Summum bonum ſui diffuſiuum. 32.124
Bonum viſum maximè mouet. 35.135
Bonum præſens maximè delectat. 219.73
Bonum perpetuum delectat. ibid.74
Chriſtus bonum noſtrum maximè affectat. 228.107
Aduerſarius in inimico ſuo bonum præſens numquam exiſtimat. 256.67
Ad præſentiam boni alterius maior infelicitas noſtra. 426.42
Bonum amiſſum quærendum. 352.71
Omne noſtrum bonum Deo tribuendum. 479.22
Iuſtus de bono communi gaudet. 354.80
Magna pœna,bona propria ad inimicum tranſlata. 361.11
Bonum commune,vide *Commune.*

C

Calamitas.

poſt Calamitatem felicitas iucundior. 219.75
Poſt calamitatem gaudium. 152.60
Vide *Labor, Aduerſitas.*

Captiuitas.

Captiuitas populi Iſraël triplex. 62.90

Caſtitas.

Caſtitas cum ſimplicitate placet Deo. 281.43
Solus caſtus Deum agnoſcit. 304.61
Vide *Virginitas, Puritas.*

Caſtigare.

Non eſt accipiendum obſequium ab eo, qui puniendus eſt. 260.88
Vide *Supplicium, Pœna.*

Cauſa.

Prudentiæ eſt cauſas non definire, nec determinare. 190.23

Cautela.

Humana cautela eſt adhibenda. 314.43

Celeritas.

Quæ ad charitatem, ac obſequium Dei ſpectant,promptè,ac celeriter agenda. 142.22
Iuſtus ad charitatis opera valde celeriter ſe habet. 143.23
Rex ad labores velox. ibid.
Quilibet ad optata valde celer. 449.21

Cælum, ſeu Cæleſtia.

Qui contemplatur cæleſtia in terrenis non immoratur. 16.50
Quando oculus mundo clauditur, tunc homo cæleſtia percipit. 193.38
Abominanti peccata apparent cæleſtia. 194.41
Ad cæleſtia percipienda opportuna occaſio. 195.44
Via arcta itur ad cælum. 272.142
Cæleſtia quo magis contemplantur, eo maiorem admirationem cauſant. 296.24

Charus, Charitas.

Chari Deo maximè qui de aliorum ſalute, opere ac doctrina agunt. 403.82
Charitas incipit à ſuis. 57.70.& 408.30
Charitatis officium per nos miniſtretur. 145.15
Quilibet ſuos inſtruat in via virtutis. 147.39
Vbi charitas magna, ibi ſufficit inſinuatio leuis. 194.43
Oblatio ex fide,& charitate Deo placet. 281.43
Charitas intendit,vt omnes fruantur bono. 279.29
Quæ pro ſuorum ſalute dantur,cum vſura recipiuntur. 400.73
Vide *Amor.*
Velocitas in opere charitatis,vide *Celeritas.*
Lætitia de aliorum bonis,vide *Iuſtus.*

Chriſtus Dominus.

Chriſtus lux totius Scripturæ,& ſcientiæ. 9.8
Chriſtum omnes venerantur. 12.24
Chriſtus magna facilitate inuenitur. 13.31
Chriſtus in ſe aſſumpſit peccata noſtra. 20.65
Chriſtus parenti ſuo in ſummo eſt amore. 33.129
Chriſtus de natura aſſumpta gloriatur maximè. ibid.
Chriſti humilitas ad deteriora ſe demittit. 34.134
Humilitas exaltatur in Chriſto. 35.137
Chriſtus ſuos cuſtodit,& tuetur. 38.151
Chriſtus liber omnium virtutum. 42.4
Chriſtus ſibi retinuit paſſionem,nobis verò communicat excellentiam. 40.21
Chriſtus verus homo. 34.134
Chriſtus ſemper in conſummata perfectione. 65.102
Chriſtus dum dicitur filius Virginis, ſingulari ſanctitate exprimitur. 78.29
Chriſtus in terris elegit humilia. 106.24
Vbi Chriſtus,ibi puritas. ibid.25

Chriſtus ſpes noſtra certa. 26
Proprium eſt Filij Dei,ſuos ſaluare. 122.96
in Chriſto omne magnum,& mirabile. 123.98
Solus Chriſtus magnus, & comparatione illius nullus eſt magnus. ibid.
Chriſtus regnat in ſuis fidelibus. 125.106
Dona Chriſti ad omnes ſe extendunt. ibid.
Regnum Chriſti in laboribus. ibid.107
Ibi regnat Chriſtus, vbi ipſe ſolus quæritur. ibid.
Chriſtus Dominus, iure hæreditario, Rex Iſraël. 126.114
Chriſtus nobis familiaris. 127.124
Chriſtus regnum ſuum in paupertate fundauit. ibid.125
Chriſtus Dominus ſanctitas ipſa. 133.151
Chriſtus ad noſtram ſalutem currebat,à dignitatibus fugiebat. 143.23
Chriſtus ſuperat omnes. 149.47
Chriſtus benedictiones ſuas communicat nobis. ibid.50
Chriſtus in noſtram vtilitatem volat. ibid.51
Chriſtus per vtilitatem, quam communicat, cognoſci vult. 151.56
In partu Virginis cumulus mirabilium Dei. 159 23
Chriſtus ad noſtram ſalutem velocius volat, quam ad requiem ſuam. 163.38
Chriſti regnum æternum. 76.8
Chriſti regnum, non vi,ſed prudentia gubernatur. 177.9
Chriſti regnum ab omni affectu alienum. ibid.
Chriſtus ſuum reputat,per quod nos liberat. 178.13
Chriſtus paulatim ſe manifeſtauit. 182.29
Chriſtus maxime propenſus ad miſerendum. 182 29
Chriſtus inter viſcera ſua nos recipit, vt tueatur. ibid.30
Ex Chriſti præſentia remittuntur iniuriæ. 189.21
Chriſti generatio inſtantanea. 198.59
Chriſtus adeſt ſuis tormenta ſuſtinẽtibus. 313.39
Magna Chriſti charitas in docendo,& multus diſcipulorum in diſcendo ardor. 482.39
Chriſtus in temporum progreſſione. 40
Qui veniunt ad Chriſtum, etiam in vltima hora,ab eo recipiuntur. 41
Obſeruatione legis ad Chriſtum acceditur. 42
Chriſtus è Iudæa exiuitad gentes. 486.67
Magna Chriſti charitas in docendo. 488.78
Chriſtus ſua magnalia abſcondit, humilia dicit. 493.112
Chriſti mira humilitas. 484.118
Chriſtus in omnium ſalutem natus. 198.61
Chriſtus dum noſtram videt miſeriam, ſubleuat. 199.63
In natiuitate Chriſto, vt regi,ſoluebatur tributum. 204.8
Chriſtus ciuis Romanus. ibid.9
Chriſtus ſe nobis communicat. ibid.
Chriſtus gloriam abſcondit, opprobria manifeſtat. ibid.16
Vbi confeſſio cum Euchariſtia,ibi ſalus. 207.17
Chriſti aduentu natura eleuatur humana. 206.15
Chriſti excellentiſſimè dicitur filius Virginis. 208.22
Chriſtus errores depellit. ibid.23
Chriſti amor vehemens. ibid.
Qualiter Chriſtus natus ſit. 206.16 & ſeqq.
Chriſti paupertas. 209.32
Chriſtus adeſt ſuis tormenta ſuſtinentibus. 313.30
Chriſtus ſuperior omni gloria mundi. 337.42
Chriſtus ad humilitatem euolat. ibid.43
Chriſtus in noſtrum remedium velociſſimus. 341.18
Chriſtus in quibus erat ſubditus parentibus ſuis. 342.22
Chriſtus noſtras voluit infirmitates ſuſcipere. 345.38
Chriſtus omnes dolores pati decreuit. ibid.39
Chriſtus ſibi onus, dat gloriam aliis. 347.51
Chriſtus inuenitur ſecundum id, quod à nobis quæritur, 348.54
Chriſtus dum nos reprehendit,exaltat. 353.74
Chriſtus inter opera carnis non inuenitur. ibid.75
Synagoga de Chriſto miratur. ibid.
Ibi adeſt Chriſtus,vbi afflicti. ibid.77
Chriſtus,dum docet,filius Dei declaratur. 354.79
Chriſtus augmentum noſtrum reputat ſuum. 357.93
in Chriſto omnis diuinitatis plenitudo, & inopia nulla. 396.48
Chriſtus in dolore ſolus,in gloria aſſociatus. ibid.50
Chriſtus noſtra ſua quodammodo reputat. 398.58
in Chriſto omne bonum. 400.69
Chriſtus in humilitate, & ſapientia filius ſui Patris declaratur. 404.89
in Chriſti verbis multa gratia. 488.79
Omne periculum contemnendum vt ad Chriſtum veniamus. 496.126
Chriſtus ſuo nos excitat exemplo. 414.36
Chriſtus noſtram ſitit ſalutem. 416.52
Comparatione Chriſti nullus loquitur. 457.68
Chriſtus inter omnes maximè exaudit vocem,ac preces ſuæ matris. 468 8
Chriſtus aliis pretioſa, ſibi humilia retinuit. 209.32
Chriſtus in ſe prætulit pœnam, vt nos eximeret ab illa. 210.33
Chriſtus abſcondendus in anima. ibid.34
Chriſtus ſuſcepit infirmitates noſtras, vt nos liberaret. 211.40
Chriſtus in præſepio veluti martyr. 212.43
Chriſti amor in præſepio. 213.47
Chriſtus naſcitur omnibus. ibid.49
Chriſtus ſibi miſeriam, nobis opes reſeruauit. 214.53
Chriſtus ſolùm in fideli requieſcit. ibid.
Chriſtus prius facere voluit,quàm docere. ibid.55
Chriſti natiuitas maxime veneranda. 218.68
Quanta ſit natiuitatis feſtiuitas. 219.72
Fructus natiuitatis Chriſti vigilantibus. 220.37
Chriſtus de humilitate gloriatur. 223.85
Chriſtus nos illuminat. ibid.86
In natiuitate Chriſti diuinitas. 225.93
Chriſtus gloriam patris ſui maximè æſtimabat. ibid.94
Laudatur Dei bonitas in Chriſti natiuitate. 226.97
Chriſtus dicitur pax. 227.102

Chriſtus maximè affectat bonum noſtrum. 228.107
Chriſtus pro nobis omnia fecit. 234.6
Chriſtus ſibi dura, aliis dulcia donat. ibid.8
Chriſtus ſibi ſpinas, nobis dat flores. 336.41
Humilitas Chriſto ingenita. 236,18
Chriſtus ad donandum valde propenſus. ibid.
Chriſtus non aufert, ſed dat regna. 244.5
Chriſtum annuntiare, peculiare regibus. 246.17
Chriſtus liberalior nobis, quàm ſibi, 253.52
Chriſtus cor noſtrum potiùs, quàm munera vult. 254.57
Chriſtus paratus in omnium ſalutem. 258.76
Chriſti aduentus tempus notiſſimum erat. 259.83
Chriſtus ob Herodem contemnitur. 261.88
in Chriſto damna omnia reſtaurantur. 268.123
Solus Chriſtus eſt à nobis aſpiciendus. 271.137
Plus inuenitur in Chriſto, quàm cogitat mens 288.72
in Chriſto omnia bona. ibid.73
Chriſtus in natiuitate laudatur, in morte blaſphematur. 291.86
Chriſto apparente, nullum futurum in mundo præſumebatur. 298.32
Chriſti magnalia dici non poſſunt. 305.66
Chriſtus ſuorum labores experiri vult. 312.19
Vbi Chriſtus, nulla alia neceſſaria cuſtodia. 313.36
in Chriſto ſemper noua videnda ſunt. 330.10
ex Chriſto omnis puritas, & ſanctitas participatur. 476.43
in Chriſto omnia bona. ibid.
Chriſtus deſiderat vt homines ad ipſum accedant. 212.44
Chriſtus intuitus valde efficax. 485.56
Chriſtus ſuo Petrum condecorat nomine. ibid.57
Chriſtus regnat in fidelibus. 125.106
Præſentia Chriſti, vide *Præſentia.*
Chriſti Paſſio, vide *Paſſio Chriſti.*
Chriſti amor, vide *Amor Dei.*
Chriſti miſericordia, vide *Miſericordia.*

Chriſtianus.

Chriſtiana dignitas ex fide, & operatione. 48.31
Chriſtianus ad labores. 408.5
Vide *Fides.*

Cibus.

Idem cibus quotidianus valde moleſtus. 376.83
Qualiſnam eſſet cibus Ioannis. ibid.

Clientes.

Vide *Aulici.*

Cognitio.

Cognitio Dei in hac vita impefecta. 9.12
Diuina myſteria ratione naturali non cognoſcuntur. 14.39
Cognitio Dei, notitia ſalutatis. 294.15
Quæ aliorum ſunt agnoſcimus, noſtra ignoramus. 433.142
Inimicus, quæ deprimunt, cognoſcit; quæ exaltant, ignorat. 434.144
In dignitate ſit propriæ vtilitatis cognitio. 459.80
Vide *Myſterium, Dignitas.*

Commodum.

Commodi ſui ratione homines mouentur. 17.52
Deus non ad obſequium ſuum, ſed ad commodum noſtrum reſpicit. 28.107
Commodum noſtrum, non aliorum moleſtiâ ſit procurandum. 140.12

Communicare.

Rex ſua ſibi non retineat, ſed ſuis communicet. 31.118
Ad omnes ſe communicat diuina bonitas. 37.148
Dona nobis communicat Chriſtus, ſibi paſſionem retinuit. 46.21
Bona ſua communicare vult Iuſtus. 288.72
Dum communicatur omnibus, gloria amplior. 398.62
Præclarum ingenium nolle eſſe ſolum in dignitate. 404.91
Omnia dona non danda vni, ſed multis communicanda. 440.172
Diuina bonitas ad omnes ſe communicat. 38.148
Communicata iuſtorum bona, vide *Iuſtus beneficium.*

Commune.

de Communi bono recordantur iuſti. 52.49
Communia bona ad particulares non ſunt coarctanda. 213.49
Communis via ſequenda. 249.33
Quod homo de communi bono agat, miraculum magnum. 287.68
Qui de bono communi agit, reſponſione dignus. 289.79
Communi bono potius conſulendum, quàm propriæ vtilitati. 459.78

Conceptus.

in Conceptu ſuo delectatur homo 11.19

Concordia.

Concordia cum propinquis. 58.77
Vide *Pax, Vnio.*

Confeſſio.

Confeſſione qui erat peccator, fit gratiæ filius. 384.116

Coniux.

Coniuges æquales. 84.9
Coniugum vnitas. 85.14
Vide *Mulier,*

Conſanguinei.

Conſanguinitatis affectus in Prælato nullus. 45.19
Conſanguinei primò fauendi. 57.70
Conſanguineorum infirmitatibus condolendum. ibid.
Quando inter conſanguineos eſt regimen, Reſpublica ruit. 361.12
Conſanguineus amor præpotens valde, vt ſui ad honores promoueantur, 449.27
Conſanguineorum affectus multùm potens. ibid. 450.28

Conſecratus.

Conſecratus Deo nil temporale meditatur. 303.57
Vide *Religioſus.*

Conſeruatio.

Conſeruare debet beneficia, qui confert. 17.51 & 235.12
Rex ſuos beneficiis conſeruet. ibid.
Quilibet conſeruare tenetur ea, quæ creat, ac facit. 26.98
Dare, & conſeruare, ad idem pertinent. 239.35

Conſilium.

Index Rerum.

Conſiliarius, Conſilium.

Conſiliarius ſolùm ad interrogata reſpondeat. 259.82
Conſilium requirendum non eſt ad Dei obſequium. 342.24
Conſilio proprio non eſt immobiliter inhærendum. 356.90

Conſideratio.

Rex conſiderat quæ ad ſe pertinent. 249.30

Conſuetudo.

Conſuetudo antiqua obſeruanda, vide *Antiquitas.*
Conſuetudo communis retinenda. 340.16

Contemno, Contemptus.

Cum contemptibili non eſt diſceptandum. 441.180
Qui magna reiicit, etiam minora contemnit. 455.60
Vide *Diuitiæ, Mundus.*

Contemplatio.

Contemplare in Chriſti paſſione, vide *Paſſio Chriſti.*
Qui Chriſtum contemplatur, mortem non timet. 249.29
Contemplatiua vita Deo placet. 282.44
Cæleſtia quo magis contemplantur, magis admirationem cauſant. 296.24

Conuerſatio.

Conuerſatur tecum æquale in natura. 37.148
Conuerſatione humana delectatur Deus. 401.75
In hominum frequentia frequens tentatio. 412.28

Conuerſio.

Deus gloriatur inter conuerſos peccatores. 19,62
Qui ad Deum conuertuntur, etiam in vltima hora ab eo recipiuntur. 482.41
Conuerſio Petri, magna laus Andreæ. ibid.43

Creator.

Idem creator, & reſtaurator. 131.145

Credere.

Credit facilè quilibet genti ſuæ. 247.22
Credit impius, quæ in ſuum ſunt commodum. 257.73
Credendum non eſt memoriæ. 258.77
Credendum citò non eſt ſpiritui omni. 260.86
Creditur difficiliter quod contra proprium eſt appetitum. 412.25
Credendum non eſt deprauato. 428.111
Vide *Fides.*

Crimen, Criminoſus.

de Criminoſo ſemper malum ſuſpicatur. 190.25
Vide *Culpa, Pœna.*

Crudelitas.

Crudelitas non inuenit Chriſtum. 260.87
Crudelitas magna etiam mortuos tangit. 325.30

Crux.

Crux Chriſti gloriam eius ſuper cæteros oſtendit. 41.162

Cultus.

Vide *Religio, Adoratio.*

Culpa.

Culpa multo grauior, quàm pœna. 36.143
Culpæ pœna æqualis. 61.88
Quæ ex culpa, tantum habent nomen pœnæ. 62.89
Culpa in viro probo reuelanda. 397.56
Homines volunt eſſe in culpa ſocij, in pœna minimè. 234.9
Culpa vbi magna, ibi & pœnitentia magna. 166 112
Culpam ſuam Reus in alium referre vult. 450.31
Vide *Pœna.*

Cupiditas.

Vide *Affectus.*

Curioſus.

Vide *Doctor, Sapiens.*

Cuſtodia.

Deus homo factus ſuos cuſtodit, ac tuetur. 38.151
Cuſtodia nulla alia neceſſaria, vbi Chriſtus. 313.36

D

Damnum.

Damnum alterius euitare valde magnum. 153.63
Damna omnia reſtaurantur in Chriſto. 268.123

Dare.

Dare nemo poteſt id, quod non habet. 19.58
Quæ dantur faciliter, & abundanter, noua beneficia videntur. 31.118
Dare, proprium eſt Dei. 124.101
Danda Deo perfecta. 234.4
Quæ dat magnus, tacet. 236.17
Ad dandum Chriſtus valde propenſus. ibid.19
Ad dandum homo valde difficilis. ibid.20
Dare, & conuerſare ad idem pertinet. 239,35
Dare ante petitionem beneficium magnum. 386.3
Magnus non confecit catalogum de his quæ dat, ſed de illis, quæ recipit. 44.14
Vide *Liberalis.*

Decipere.

Decipiendum non eſt beneuolentiæ ſigno. 119.84

Defectus.

Defectus aliorum occultandi. 21.67 & 190.22
de Defectibus aliorum iuſti minora dicunt. 27.102
Defectus aliorum verbis occultant Iuſti. 62.90
Proximorum defectus non ſunt aperiendi. 194.40
Defectus aliqualis in viro probo diſſimulandus. 197.56
Iuſti manifeſtant, boni defectus occultant. 30.115 & 121.92

Deliciæ.

Deliciæ in prædicatore vitandæ. 375.77

Dependentia.

Dum dependet iniquus humiliatur. 260.84

Deſertum.

in Deſerto reſplendet omnis virtus. 368.44
in Deſerto viuentes venerantur maximè. 448.18
Vide *Abſentia.*

Deſiderium.

Deſiderium excæcat mentem. 261.93
Ad deſiderata quilibet valde celer. 449.21
Deſiderium bonum Deus pro magno merito reputat. 489.84

Deus.

Deus cum ſit conditor, ei competebat eſſe redemptorem. 17.51

Deus

Deus eſt lux omnium hominum. 19.61
Deus plus gloriatur inter peccatores conuerſos, quam inter iuſtos. 19.62
Deus, vt homines credant, multa media parat. 23.82
Deus quemlibet trahit inclinatione ſua. ibid.
Deus per beneficia innoteſcit. ibid.84
Deus ita dolet de vnius peccato, ac ſi omnes peccaſſent. 27.101
Deus ſolus quibuſdam tribuit non ſubtrahendo aliis, 28.106
Deus vult obſequia noſtra libera. ibid. 107
Deus nullum deſpicit, magnos & paruos amplectitur. 144.30
Inde Deus ſumit occaſionem miſerendi vnde malum oritur. 205.12
Deus valde ſedulus in noſtram ſalutem. 23.4
Deus explorat ſuorum voluntates vt petita concedat. 479.17
Deus ob peccata noſtra auerſus à nobis ob ſuam miſericordiam conuertitur. ibid.21
Deo omne bonum tribuendum. ibid.22
Deus plus concedit, quàm ab eo petitur. 481.33
Qui ad Deum veniunt, etiam in vltima hora recipiuntur. 482.41
Obſeruatione legis acceditur ad Deum. ibid. 42
Deus oculos coniicit non in defectus, ſed in merita, vt honoret. 484.52
Deus infirma elegit ad confundenda fortia. 486. 65
Acutiſſimus Dei viſus in noſtrum bonum. 491.97
Deo omnia ſunt manifeſta. ibid.99.& ſeqq.
Deus ad nos veniens pro nobis pugnat. 38.51
Diuinitas manifeſtatur non in rigore, ſed in benignitate, ac miſericordia. 40.58
Deus, non ad obſequium ſuum, ſed ad vtilitatem noſtram reſpicit. 28.107
Deum non recipere, & in eum non credere, ſupplicium magnum. 28.108
Diuina bonitas ad omnes ſe communicat. 37. 148
Deus factus homo cum hominibus conuerſatur. ibid.
Deus factus homo ſuos tuetur, ac cuſtodit. 39. 155
Deus omnes honorat. 48.31 & 308.5
Deus quamuis vni promittat, omnibus largitur. 49.34
Deus iiſdem remunerat, quibus famulamur. 55.62
Deus dat vltra petita. 91.41
Deus ſolus realiter dat, homines vero in ſpe. 104. 14
Deus deſiderio carnem ſumendi maxime flagrabat. 115.68
Deus maieſtatem ſuam oſtendit, dum benefacit. 124.104
Deus de ſanctitate maxime gloriatur. 131.143
Deus ſuauis mitibus, aſperis rigidus. 132.149, 150
Deo tam facile eſt facere, quàm homini dicere. 135.160
Deus plus dat, quàm promittit. 145.33
Deus ex vnius lapſu medicamen præparat aliis. 195.44
Deus mira nos aſtutia ſaluat. 211.41
Deus gloriatur, quòd ſuo corpore nos ſuſtentet. ibid.
Deus factus homo maximè vult videri, ac de natura aſſumpta gloriatur. 213.50
Deus olim incarnationem maximè deſiderabat. ibid.
Deus, & peccator ſimul eſſe non poſſunt. 214.54
Deo maximè placet quemlibet ſibi datum ordinem cuſtodire. 215.58
Locus, in quo Deus adeſt, venerandus. ibid.59.
Dei eſt, aliis vitam dare, ſibi mortem eligere. 222.82
Deus à potente vult dona. 247.19
Deus conſulit ſuorum honori. ibid.20
Qualis homo Deo, talis Deus homini. 271 138
Deus illudit regum potentiam. 278.24
Deus velociter exaudit iuſtum. 289.78
Deus honorantes ſe honorat. 191.87
Res ſub manu Dei, ac ſub manu hominis maximè diſtant. 311.26
Deus abiectum honorat. ibid.27
Deus inter iuſtos manifeſtatur. 312.32
vt Deo placeas, aſſimilare illi. 404.88
Deus ad falſitatem non concurrit. 420.73
Deus non ſuum, ſed ſuorum commodum quærit. ibid.75
A bonitate Dei alienum omnia ſibi procurare 438.162
Dei diuinitas magis cognoſcitur, dum redimit, quam dum miſeretur. 470.16
Deus beneficia ſua non exaggerat, ſed tamquam pauca diuulgat. ibid.18
Dei proprium eſt dare. 125.68
Deus per vilia confundit fortia. 215.58.
Dei Miſericordia, vide *Miſericordia.*
Deus illuminans, vide *Illuminare.*
Dei præſentia, vide *Præſentia.*
Vide *Chriſtus.*

Diabolus.

Diabolus principiis virtutum intentat obſiſtere. 322.25
Plus ſtudent homines iniqui ad perdendum, quàm diaboli. 178.12
Diabolus per id, per quod vicerat, vincitur. 411.22
Diaboli audaciam fregit Chriſtus Dominus. 412. 25
Diabolus, in quo vincitur, ſe ſperat victoré. 416.54
Diabolus in paruis tentationes tendit Religioſis. 522.82
Diabolus ita tentat, vt labor ſit tuus. ibid.84
Diabolus quemquam trahit inclinatione ſua. ibid.
Diabolus, per id, quo fallit, fallitur. 425.97
In nullo Diabolo credendum. 426.99
Diabolus contemnendus. ibid.
Diabolus in eo loco ponit, in quo homo conſiſtere non valet. 429.115
Diabolus ab Eccleſia ſegregat. 430.119
Qui Diabolo obedit, cadit. 431.127
Diabolus quemlibet tentat inclinatione ſua. ibid. 130
Diabolus remedium noſtrum in damnum vertere tendit. 433.135
Diabolus nomen Dei pronuntiare non audet. ibid.140
Diabolus adducit textum, quo conuincitur. ibid.
Diabolus Chriſti victorias ore proferre non poterat. ibid.
Diabolus ſibi contrarius. 437.158
Diabolus ambitione omnia audet. 439.166

Diabolus dat vni, dum ab aliis aufert. ibid. 170
Diabolus perſiſtit in intento. 440.175
Diabolus dat ſine ordine. ibid.
Diabolus nos per homines grauiſſimè impugnat. 442.187

Dicentes, & dictum.

Dicentes omnia reuoluunt, vt annuntient. 309.13
à Dicentibus nil effugit. 329.4
Dicta aliorum non citò vt falſa reiicienda. 488.78
Nullius dictum contemnendum. 488.80

Difficilia.

in Difficili, non verò in facili, magna potentia apparet. 435.148

Diginitas.

Dignitate ſublimatus dolet, quòd inferior ſibi præponatur. 319.5
Dignitas ſarcina, & onus. 387.4
Dignitas ad magna allicit hominem. 419.72
Conſanguinei valde ſoliciti, vt ſui ad dignitates promoueantur. 449.27
Diginitatis dulcedine maximè mouetur animus. 450.30
Dignitatem non obtinet, qui obligationibus eius non ſatisfacit. 453.47
Dignitas à manu illius, qui eam dare non poteſt, accipienda non eſt. ibid.48
Ante dignitatem ſufficientia ad illam. 276.76
Dignitas operibus potius, quam titulis manifeſtatur. 47.25
De meritis potius, quam de dignitate gloriandum. ibid.26
Ibi dignitas, vbi merita, ibid.27
Obligatio magis, quam dignitas menti affixa. ibid.24
Dignitas Chriſtiana ex fide, & operatione. 48.31
à Dignitate, vt à proditore traditur homo. 53.54
Dignitas vera cum perpetuitate. 59.79
Dignitas nulla ſine macula. 60.85
Dignitas mundi tranſit, iuſtitia perſeuerat. 83.4
Dignitates habeant vices. 87.24
Dignitas plena timore. 115 67
in Dignitatibus, non honores, ſed onera ſunt quærenda. 137.167
in Dignitate vrbanitas non eſt omittenda. 140. 12
ad Dignitates iuſtus tardus, ad opera charitatis velox. 143.23
Dignitates in aliis vident iuſti, in ſe humilitates. 151.55
in Dignitatem, à qua cecidiſti, inimicum eligi valde durum. 361.11
Dignitates non ſunt pretio comparandæ. 214.54
in Dignitate timor. 255.72
Ad mundi dignitates ſequitur mors. 269.125
Dignitates concomitantur labores. 310.19
Qui primo fouent ad promotionem noſtram venerandi. 336.41
in Dignitate ſit cogitatio propriæ vilitatis. 459.80
Dignitas iuſte poſſeſſa honorat, ſecus dedecorat. 364.25
Dum impius regnat, gloria eſt ſceptrum non tenere. 367.40
ex Dignitate memoria perpetuatur. 381.68
Dignitas ſine meritis humilitas. 393.35
Valde difficile homini, dum ex dignitate deſcendit. ibid.
Dignitatem, & maieſtatem opera indicant. 394. 38
in Dignitate ſolum eſſe nolle præclarum ingenium. 404.91
Dignitas abſcondita pro nulla reputatur. ibid.94
Quanto quis extollitur, tanto magis imperitur. 408.4
Maximè dolent propinqui, quod vnus alteri præferatur. 255.65
In ea dignitate, ac loco ſit homo, in quo Deus eum conſtituit. 429.114
Vide *Officium, Honor, Meritum.*

Dilectus.

Dilecti Dei laboribus vexantur. 408.4

Diſcipulus.

Bonus diſcipulus ſuum imitatur magiſtrum. 477.7
Diſcipalus ſui magiſtri mores ebibit. ibid.8
Sequuntur diſcipuli non ex lenitate. 478.13
Chriſti diſcipulus bonum communicatum, non ſibi retinet, ſed aliis communicat. 480. 30
Diſcipuli fuerunt cum Domino per totam noctem. 481.38
Bonus diſcipulus imitator magiſtri. 484.50
Diſcipulus ne affectet magna explanare, ſed ſuo magiſtro committat. ibid.

Diſponere.

Diſponenda ſunt omnia mature, ac prudenter. 99.74
Vide *Ordo.*

Diuinitas.

Diuinitas quamuis occultata, ſemper cognoſcitur. 132.146

Diuiſio.

Vbi diuiſio, ibi infirmitas. 361.10
Quod eſt in diuiſione non perſeuerat. 59.81
Diuiſione Reſpublica perit. 363.22

Diuitiæ.

Diuites præbeant eleemoſynam. 267.117
Diuitiarum contemptus nos extollit. 271.136
Diuitum faſtus vitandus. 284.56
Diuitias ambitioſus plus æſtimat, quam honorem. 323.26

Docere.

Quilibet ſuos inſtruat in via virtutis. 147.39
Cum docet Chriſtus, Dei filius declaratur. 354. 79
Prius docendum exéplo, quàm verbis. 481.34

Doctrina, Doctor.

in Doctrina tempori accommodandum. 65.105
Contra nouam doctrinã contrarietates. 224.87
Doctor reſpondeat in opere. 237.28
Doctrinam ſuorum maiorum quilibet facilè ſequitur. 252.47
Doctrina ita dicenda eſt, vt ab Auditore intelligatur. 258.79
Doctrina Chriſti publicum quærit. 294.13
Docere magna laus. 366.33
Aliorum dicta repetere ne vereamur. 371.59
Doctrinâ ſacra viuit homo. 424.92
Sine doctrina non eſt vita. ibid.
Res graues viro docto committendæ. 449.25
Vide *Magiſter.*

Dolor.

Dolores, ſi ex vna patre deſunt, ex altera veniunt. 301.48
Dolendum in morte iuſtorum, quia à nobis ſeparantur. 325.39

Dolendum in morte boni miniſtri. ibid.
Dolor non pati pro Chriſto. ibid.42
Dolendum maximè de cauſa mortis. 327.50
Dolor de bono amiſſo permittendus. 352.72
De bono amiſſe non ſolum dolendum, ſed etiam ipſum eſt inquirendum. ibid.51
Qui dolet Chriſti mortem aptus ad vitam 383.115

Dolus.

Doloſus ſimulate agit. 259.83
Dolus alienus à Rege. ibid.
Decipitur iniquus in quo decipere vult. ibid.84
Doli pereunt ad Chriſti præſentiam. 421.80

Dominus.

Quidquid domini eſt, recreat; quidquid ſerui offendit. 40.159
Homines dure ferunt quod inferiores ſibi æquentur. 102.7

Donum.

Dona Deus à potente vult. 247.19
Dona noſtra Deus ita vult, vt nobis neceſſaria relinquat. ibid.
Dona Deus ſibi non omnia vult. 438.162
Dona non ſunt vni danda, ſed multis communicanda. 440.172

Dubium.

Dubium omne excludendum. 88.29
Dubia ex odio naſcuntur, non ſoluuntur ratione. 455.57

Durandi verb.

Non quæ precibus, ſed quæ voluntate fiunt, diu durant. 478.12

Dux.

Dum vnus incipit, multi ſequuntur. 305.64

E

Eccleſia, Eccleſiaſticus.

de Eccleſia Chriſtus prouidẽtiã habet. 69.124
Eccleſia Ioanni maximè adſtricta. 168.20
Eccleſia non aduerſatur principibus. 204.8
Eccleſia Romana vna. ibid.
Omnis Eccleſiæ fructus ab Euchariſtia. 207.18
Ibi Eccleſiæ requies, vbi Euchariſtia. ibid.17
Aduentum in Eccleſiam impedire grande nefas. 278 24
in Eccleſia faſtus diuitum vitandus. 284.56
in Eccleſiam cum puritate ingrediendum. 304.62
in Eccleſia Deus inuenitur. 312.32
Eccleſia in humilitate fundata. 321.19
ab Eccleſiaſticis amputandus carnis affectus. 353.75
Aſſiſtentia in templo ſupra naturam extollit. 353.78
ab Eccleſia diabolus ſegregat. 430.119
Eccleſiæ ſubiiciendum. ibid.
Res Eccleſiæ non ſunt ſubſidium regibus ad bellum. ibid.
Aliquando maior lapſus in dignitate Eccleſiaſtica, quam in ſæculari. 436..156
Rex in negotiis Eccleſiaſticis ſe non intromittat. 449.22
in Eccleſia noſtræ petitiones facilimè audiuntur. 480.28
Ad ſalutem conſequendam neceſſe eſt ingredi in Eccleſiam. 481.34

Elias.

Elias & Eliſæus vota religionis emiſerunt. 335.36
Elias, ac Eliſæus, & filij prophetarum cum caſtitate viuebant. ibid, 37
Elias ſanctitate valde magnus. 446.62

Eleemoſyna.

Eleemoſyna à pœna nos liberat. 97.63
Eleemoſynam diuites dent. 167.117
Eleemoſyna dat felicem mortẽ, ac exitum. 292.5
Quæ Deo damus melius retinemus. 328.54

Eloquentia.

Eloquentia attrahit animos. 13, 34

Error.

Erroris inſtrumentum fugiendum. 248.27
Erroris occaſio excæcat. 251.44
Error ex pietate venia dignus. 333.26

Euangelium.

Euangelium quid ſit. 1.1
Euangelium qualiter definiatur. ibid.
Euangelium in ſe vnum. 2.3
Euangeliſtæ quatuor tantum. ibid.4
Euangeliſta quare ſint quatuor. 2.6
Euangelij prædicatio in omnes gentes. 203.3
Euangelium remedium contra omnes tentationes. 425.98

Euchariſtia.

Euchariſtia protegit ab omni malo. 97.63
Qui accedit ad Euchariſtiam timeat. 117.76
ad Euchariſtiam cum magna reuerentia eſt accedendum. 160.27
Vbi cõfeſſio cum Euchariſtia, ibi ſalus. 207.17
Vbi Euchariſtia, ibi Eccleſiæ requies. ibid.
ab Euchariſtia omnis Eccleſiæ fructus. ibid.18
Deus gloriatur, quod nos ſuo corpore ſuſtentet. 211.41
Vbi homo ad Euchariſtiam accedit, fit Angelus. ibid.
Qui ad Euchariſtiam cum peccato accedit, ſimilis eſt Herodi. 260.84
ad Euchariſtiam magna puritas requiritur. 288.75
ad Euchariſtiam magna præparatio. 291.86
Qui ad Euchariſtiam accedit, cogitet de morte. 293.7
Vbi Euchariſtia veneratur, adeſt Deus. 312.30
Virgo ad Euchariſtiam peculiaritatè affecta. 338.4
Euchariſtia dat fortitudinem, & excutit timorem. 339.10
Deus in Euchariſtia beneficia confert. 340.12
Euchariſtiæ præſentia ab omni malo reddimur ſecuri. 382.111
in Euchariſtia Chriſtus reuerentiã exhalat. 421.80
Maxima puritas ad Corpus Chriſti tangendum. 464.111

Examinare.

Examinandum antequam aliquid facias. 129.135

Excellentior.

Vide *Magnum.*

Excuſatio.

Excuſationem in peccatis ſuis quærit impius. 321.15

Exemplum.

Exemplum efficax. 102.8
Exemplo mouetur ſanctitas. 139.4
Exemplum aliorum mouet. 225.92
Exemplum Regis efficax. 261.90
Exemplum mouet multum. 310.22. & 411.23
Exemplum principum ſequitur mundus. 319.10
Exemplo doceat Prælatus. 393.32

Exenplum efficax etiam Deum allicit. 400.71
Exerplo ſuo Chriſtus nos excitat. 414.36
Exerplo legiſlator præcedat. ibid.38
Exenplum ſuorum maximè mouet. 486.68

Exercitium.

Exercitium neceſſarium. 407.3

Experientia.

Qu experientiam habet, loqui poteſt. 59.80
Experus miniſter quærendus. 104.17
Exper[illegible]ntia neceſſaria. 408.3.
Illud aptum inſtrumentum, de cuius ſubiectione habetur experientia. 400.70

Explicatio.

Expliatio ſit naturæ rei accommodata. 13.30
In r[illegible] explicata non eſt immorandum. ibid. 32

Exterius.

Exterbra interiori correſpondeant. 283.49
Hono interiùs, & exterius ſit idem. 286.63
Exterius interiori conformetur. 289.77 & 356.88
Vnuſquiſque talem ſe exhibeat in exteriori, qualis eſt. 347.51
in Exteiori proprium munus repræſentandum. 375.76
Non exteriora, ſed interiora conſideranda ſunt. 423.89
Extern[illegible] forma ad venerationem multum valet. ibid.90

Extraordinaria.

Quiad extraordinaria diuertit, periclitatur. 412.83

Æternitas.

Æternitas omnia tempora claudit. 10.14

F

Facilis, Facilia.

non in Facili, ſed in difficili apparet magna potentia. 435.148

Fama.

Vbi fama periclitatur, ibi res explicanda maximè. 57.71 & 58.77 & 85.13 & 419.83
Non tam propriæ famæ, quàm Dei honori conſulendum. 273.144
Propriæ famæ conſulendum. 467.4
Vide *Honor.*

Fames.

ob Famem vitandam non ſunt turpia facienda. 416.53

Familia.

Quæ ad familias ſpectant per virum diſponenda. 308.3

Fauor.

Fauores vni ſuſpecti. 89.35
in Fauoribus periclitatur homo. 97.63
Fauore trahendi contumaces. 253.53
Fauores per merita. 288.74
Vbi fauor, ibi tempeſtas. 299.39

Felix.

Felicitas poſt calamitatem iucundior. 219.75
in Felicitate, valde glorioſum de aliorum miſeria agere. 226.98
Felicitas glorioſior quando in conſpectu omnium apparet. 397.58
Viam ſibi felicem cognitam ſequitur Prudens. 421.78

Feſtum.

in Feſtiuo die nullum triſtitiæ ſignum. 133.151

Fictio.

Fictio maximè timenda. 117.75
Animus fictus ferri non poteſt. 380.99

Ficus.

Locus ſub ficu valde diſtans, & abſconditus. 391.init.

Fides.

in Fidei negotiis Deus non deeſt. 8.3
Fidei negotiis citiſſimè occurrendum. ibid.6
Non credere in Deum ſupplicium magnum. 28.108
ex Fide, & operatione dignitas Chriſtiana. 48.31
Qui in cauſa eſt vt homo in Chriſti fide naſcatur, magis dignus efficitur. 56.65
in Fide nulla falſitas, ſed ſumma veritas. 176.4
Simplices apti ad credendum. 215.56
Auditus gradus ad fidem. 229.2
Fides firma non requirit miracula. 237.26
Fides non eſt curioſa, nec ambigua. 313.39
Cum fide augmentum. 238.32
Fides certior viſione oculorum. 260.83
Fides opere manifeſtanda. 167.115 & 118
Vbi fides firma, non requiruntur adminicula, maximè vero vbi infirma. 272.139
Fides non curioſè diſcutit. 273.145
& Fide, & charitate Deo placet oblatio. 281.43
Vbi magna fides, ibi contemptus mortis. 292.5
Credere, dum alij contradicunt, magna laus. 298.33
Fides in Gentibus durabilis. 383.114
Vide *Credere.*

Fidelis.

de Fideli duce lætandum. 264.104

Filius.

Quilibet filius ſuorum operum. 44.14
Filij ſancti ex caſta coniũctione naſcuntur. 58.75
Filius imitator virtutum patris. 23.7. & 228.105
Filius oſtenditur, non nomine, ſed virtute ſui patris. 234.10
Filij parentum malitiam ebibunt. 334.29
Filij ſuis obediant parentibus. 356.88
Filius bonus paternis virtutibus correſpondeat. 391.25
Tunc homo cognoſcitur filius ſui patris, quando eum imitatur. 420.74
Filium (Dei) nemo nouit, niſi Pater. 405.95
Vide *Pater, Conſanguineus.*

Finis.

ad Finem tendentes honorandi. 280.34

Forma.

Forma externa ad venerationem multum valet. 423.90

Fortitudo, Fortis.

Fortia Deus confundit per vilia. 215.58
Fortibus munera dantur. 167.117

Frater.

Vide *Conſanguineus.*

Fuga.

Fugere à periculo prudentis eſt. 409.10

Furor.

Furor excæcat mentem. 261.93

G

Gabriel

Gabriel cuiuſnã ordinis Angelici ſit. 104.15
Gabriel ſæpe apparet Ioſeph. 307.1

Gaudium.
Gaudium magnum res inopinata affert. 86.18
Gaudium verum non eſt,niſi vbi Deus. 115.66
Gaudio diſponitur animus ad Deum ſuſcipiendum. 135.157
Ante gaudium abſtinentia. 146.38
Gaudium in ſolo Deo. 152.58
Gaudium iuxta gratiæ menſuram. ibid.60
Gaudium magnum poſt tẽpeſtatem. ibid.219.75
De bono illius, qui nemini eſt iniurioſus,omnes gaudent. 164.5
Gaudium ex vultu deprehenditur. 257.72
Amiſſa recuperata delectant. 263.102
Gaudium in Deo,triſtitia in mundo, 264.104
Gaudium magnum in Deo ibid.

Generatio.
Generatio Chriſti, tàm diuina, quàm humana, inexplicabilis. 44.11
Generationem legalem Ioſeph deſcribit Lucas. 69.123

Gentiles.
Gentibus datus honor à quo Iudæi excluſi. 364.22

Gloria, Beatitudo.
Gloria felicior quando in conſpectu omnium 398.58
Gloria meritò nouo iure adquiritur. ibid.
Gloria amplior, dum omnibus communicatur. ibid 61
Gloria cauſat timorem. 406.98
Vide *Felix, Bona diuina.*

Gloria inanis.
Vana gloria furatur virtutes. 411.19
Vana gloria multum furatur. 422,85
Inter inanem gloriam, & auaritiam connexio magna. 427.105
Ad inanem gratiam conducunt literarij honores. 429.116

Gratia.
Gratia plus poteſt,quàm natura. 55.63
Iuxta gratiæ menſuram gaudium. 152.60
Gratia nobis data,non fit fruſtranea. 409.11

Gratus, Gratitudo.
Gratus recordatur his, quæ accipit, non vero de his, quæ donat. 137.169
Gratitudo oſtendenda. 149.47
ad Gratificandum nunquam deeſt modus. 214.53
in Gratiis reddendis multus ſit homo. 154.1
in Gratificatione ſit maior,qui & in obligatione. ibid.4
Gratus animus ſtat pro communibus beneficiis. 155.6 & 158.16
Gratus animus beneficia communia reputat particularia. ibid.
Gratitudo ingenita homini iuſto. 171.35
Gratus animus beneficia agnoſcit, ignorat obſequium. 226.99
Gratificationes aliorum non ſunt tacendæ. 236.17
in Gratificatione ſit primus ille, qui eſt in beneſio accipiendo. 242.57
Gratus animus velox. 246.init.
Gratus quod liberè facit, neceſſitati attribuit. 276.14
Gratus beneficia ante oculos ſemper habet. 389.13
Gratus recordatur de his, quæ accipit, non verò exhibet. 391.23

H

Herodes.
HErodes tres. 32.1

Hæreditas.
Non ex hæreditate,ſed ex meritis honor. 9.80

Hæreticus.
Cum Hæreticis cautè loquendũ. 9.13 & 11.23
Hæritici potentiâ trahendi. 15.45
Contra Hæreticos,& obſtinatos teſtimonium efficax. 44.36

Hypocrica.
Vide *Fictio.*

Homo.
Homo qualis à ſe, & qualis à Deo. 25.95 & 379.95
Homo videns ſe ad imaginem Dei factum nagni ſe facit. 40.158
Homo,qualis ſit, oſtendit ex ſitu,& locc. 89.31
Homines dure ferunt quod inferiores ſibi æquentur. 102.7
Homo ad ſalutem hominis difficilis. 103.9
Homines iniqui ad perdendum plus ſtudent, quam dæmones. 178.12
Quod homo cuſtodiat ordinem ſibi datum, Deo maximè piacet. 215.58
vt Homo Deo fruatur,à terrenis ſeparãdus. 220.77
Homo multum æſtimat temporalia. 255.62
Homo facilè trahitur ſuo ingenio, ac inclinatione. 488.77
Homo ſe non intromitat in his quæ ignotat. ibid.79
Homo vbi ſe diſponit, ſuâ Deus ad eum gratiâ venit. 489.init.
Qualis homo Deo,talis Deus homini. 271.138
Sub manu hominis, ac ſub manu Dei res maximè diſtant. 311.26
Homo maximi æſtimat id,quod plurimum ſtetit. 326.44
Niſi Deus hominem quærat, ipſe non ſe mouebit ad illum. 388.12
Homo in peccatum facilè labi poteſt. 418.64
Homo,non vt Deus, agere debet. 426.101
Homo in nullo ſtatu ſecurus. 427.104
Homo multa facit, quæ facere refugit diabolus. 432.133
Homo aliquando ſuis meritis corruit. 439.165
Hominis pretium multum eſt. ibid.171
Homo facilè decipitur quod ſit adorandus. 440.176
Per homines diabolus grauiſſimè nos impugnat. 242.187
Homo dum dependet humiliatur, vide *Humilitas.*

Honor.
Honorat Deus abiectum. 311.27 & 482.41 & ſeqq.& 485.59
Honores,vt honorent,nos quærant. 388.11
Honor ad magna allicit hominem. 619.72
Quod honore priuetur alius intuitu ſui non patitur iuſtus. 452.45
Qui honorem habet, in quolibet loco eſt ſui ſecurus. 51.46
Vbi honor periclitatur,ibi res maximè explicanda. 75.71 & 58.77 & 78.& 489.83
Honores mundani ſuperbiam, diuini humilitatem pariunt. 140.7.8
Homo plus æſtimandus, quam vita. 195.46

Ante honores moleſtiæ. 235.13
Honori ſuorum conſulit Deus. 247.20
Honoretur ſingulariter qui ſingulariter ſeruit. 251.44
Honor demonſtratur reuerentia, & munere. 167.115
Honori Dei potius conſulendum, quam propriæ famæ. 273.144
Per id honoramur, per quod Deo obſequia damus. 279.33
Honorandum, quod Deo eſt conſecratum. 280.37
Qui eſt particeps laboris ſit & honoris. 485.58
Qui alios non obſcurat, ſed illuminat, valde dignus vt honoretur. 487.72
Honorat ſubditum princeps, dum per ſe caſtigat. 280 38
Honorat Deus honorantes ſe. 291.87 & 305.63
Honor nullus maior, quam pro Chriſto pati. 327.52
Honores literarij ad inanem gloriam conducunt. 419.116
Honor,vt tuus credatur,multũ exigitur. 460.87
Honoramus eos ſolos, à quibus aliquid ſperaramus. 463.104
Vbi paſſio, ibi honor 35.136

Humilitas,Humilis.
Qui propter Deum ſe humiliat ſublimatur. 30.113
Humilitate ſua Deus nos ſubleuat. ibid.114
Humilitas Domini ad deteriora ſe deiicit. 34.134
ex Humilitate non deperditur nobilitas. 39.157
in Humilitate Diuinitas fulget. ibid.
Humilitas exaltatur,altitudo deprimitur. 53.52
Humilitas exaltatur. 59.79 & 465.117
in Humilitate ſalus cuſtoditur. 106.23
Humilitas in honore rara virtus. 137.170
Humilitas totum Deo tribuit. ibid.
Humilitates in ſe vident Iuſti. 152.55
Humilitas vera oſtenditur opere 156.12
Humilitas bonis replentur. 161.30
Humilitate deuincitur ſuperbia. 203.5
Humilitas Chriſti maxima pro nobis. 212.46
de Humilitate Chriſtus gloriatur. 223.85
in Humilitate potentia,& fortitudo maximè apparet. 224.87
Humiliatur iniquus, dum dependet. 260.84
Humilitate fallit hoſtis ibid.
Humilitatem profundam ſolus Dei ſpiritu docet. 166.111
Humilitas magna velle inter humiles reputari. 275.10
Humilitas Chriſti Diuinitatẽ oſtendebat. 290.84
Vbi maior humilitas,ibi maior exaltatio. 292.1
Humilitas plus exaltat,quàm ſuperbia. 311.28
Humilitas Chriſti plus attraxit,quam mundi ſuperbia. 319.6
ad Humilitatem Chriſtus euolat. 337.43
ex Humilitate cognoſcitur ſublimitas. 356.89
Dum humiliamur,Chriſtus nos extollit. 286.2
Humilis defectus conſiderat, dignitates ignorat. 391.24
Humilitas ipſum etiam Deum exaltat. 402.79
Humilitate demonſtratur Dei filius. 405.92
Dum ſe humiliat Dominus,tentatur. 418.60
Humilitas naturæ conſideranda, non altitudo. 426.102
Quanto quis humiliatur, tanto magis extollitur. 465.116

Hypocriſis.
Hypochriſis fugienda. 414.init.

I

Iactantia.
IActantia fugienda. 630.412
Vide *Inanis gloria.*

Ieiunium.
Ieiunium ad orationem diſponit. 304.59
ad Ieiunium gulæ irritamenta fugienda. 411.init.
Ieiunauit Chriſtus ſæpe. 414.35
Ieiunio muniendus eſt homo ad tentationes. 415 41
Ieiunium aperit cælum. ibid.49
Diabolus ieiunium timet. 421.77
Ieiunium Diuinitatis index. ibid.
Vide *Abſtinentia.*

Ieſus.
Nomen Ieſu manu, & ore ſolùm puro, profertur. 169.27
Ieſu nomen miſericordiam ſolicitat. 239.41
Ieſu nomen miſericordiam præoccupat. ibid.42
Ieſu nomen Deus ſolus comprehendit. 240.46
Vbi Ieſus,ibi cælum. 262.95
Ieſu nomen Angeli ſoli interpretati valent. 240.46
Ieſu nomine magnitudinem Deus ſolus cognoſcit. ibid.48
in Ieſu nomine omnia bona continentur. 241.49
Ieſu nomen admirabile. ibid.50
Ieſu nomen conſiliarium. ibid.51
Ieſus dat fortitudinem. ibid.52
Ieſu nomen Omnipotentiæ. ibid.
Ieſu nomen dat vitam. ibid.53
Ieſus dat pacem. ibid.54
in Ieſu nomine magnalia omnia. 242.58
Ieſu nomen ab Angelo ſolum pronuntiari poteſt. ibid.59
Ieſu nomen ab ore ſolum magno dici valet. ibid.
ad Ieſu nominis præſentiam nullum aliud apparet. 243.60
Ieſu nominis honor omnibus. ibid.61
in Ieſu nomine ſanctitas omnis. ibid.62
Ieſu nomen meritorum. ibid.63
Ieſu nomen illuminat mentem. ibid.64
ad Ieſum vt veniamus.omne periculum contemnendum. 496.126

Ignobilis.
Ignobilia qualibet re diffidit. 37.144
Ignobilis aptus ad vilipendium cuiuſlibet. 450.20

ignominia.
Quod ignominia erat affectum, nobilitatur. 35.135
Vide *Iniuria, Opprobrium.*

Ignorantia.
Cum ignotante eſſe grauis pœna prudenti. 212.43
Ignorantia quotuplex ſit. 346.40
Ignorantia euentus rei torquet. 352.70
Ignoramus noſtra, quæ aliorum ſunt cognoſcimus. 433.142
Ignorat inimicus quæ exaltant, cognoſcit quæ deprimunt. ibid.144
Homo non ſe intromittat in his, quæ ignorat. 488.79

Illudere.

Sæpe illudi nolit,qui alios illudit. 319.6
Illuditur, qui illudit. ibid.7

Illuminare.

Illuminat Deus omnem hominem. 25.92
Illuminatur,qui laborat. ibid.94
Illuminatur à Deo, qui ſic viuit, ac ſi eſſet extra mundum. ibid.

Imago.

Vbi ad imaginem Dei homo ſe factum agnoſcit,magni ſe æſtimet. 40.58

Imitari.

Imitandus Chriſtus à nobis. 571.137.& 275.11
Imitandus, & ſequendus eſt Chriſtus. 458.75. & 467.5
Vide *Sequi.*

Imperium.

Valde durum, vt vni obediant omnes. 203.6
Vide *Rex.*

Impius.

Impij fauore trahendi. 254.58
Qui impiè agit,timet. ibid.61
Impiis fauet populus. 255 66
Impij à iuſtitia fugiunt. ibid.
Impij à peccatis deſiſtere nolunt. ibid.
Impius credit his,quæ ſunt in commodum ſuum. 257.73
Impius,dum dependet, humiliatur. 260.84
Impiis occaſio amputanda. 329.5
Impius,ac peruerſus ſibi contrarius. 419.66
Impius ex vna licentia tendit ad aliam. 426.103
Impio non eſt credendum. 428.111
Impius culpam ſuam in alium retorquere vult. 450.31
Vide *Homo, peccator.*

Incarnatio.

Incarnatio omnium bonorum cauſa. 33.126
Incarnatio ſummum Dei opus. 106.22
Deus ſumendi carnem deſiderio maximè flagrabat. 115.68
Incarnatio opus ſecundùm potentiam abſolutam. 116.70
ob Incarnationem Spiritus ſanctus maximè venerandus. 131.142
Incarnatio opus amoris Dei. ibid.144
in Incarnatione nuptiæ cum Virgine celebratæ fuere. 130.139
Myſterium Incarnationis ineffabile. 140.7
Incarnationis myſteriũ gratificat Ioannes.150.53
Incarnatio opus Omnipotentiæ. 160.26
Incarnatio filij Dei opus ex ſumma miſericordia. 183.31
Incarnatione Chriſti eleuatur natura humana. 206.13
Deus Incarnationem olim maximè deſiderabat, ac natura aſſumpta gloriabatur.214 53
Poſt Incarnationem Deus videri vult. 236.22

Incipere.

Qui ab incepto deſtitit, ad magna non eſt aptus. 56.68
In incepto perſiſtendum. 129.134. & 163.102
Quæ incipiuntur,finienda. 265.61
Dum vnus incipit,multi ſequuntur. 305.64
Incipientes fouendi. 478.10

Inclinatio.

Inclinatione ſua quemlibet trahit magiſter bonus. 48.29.& 488.77
Vide *Natura.*

Inferior.

Quod inferiores æquentur ſibi durè ferunt homines. 102.7
Quod inferiori ſuperior ſubiiciatur valde durum. 255.63

Infelix.

Infelicitas noſtra maior ad præſentiam boni alterius.

Infidelis, Infidelitas.

Infidelis viſione indignus. 193.18
Infidelirate extincta,Chriſtus redit. 329.3

Infirmitas, Infirmus.

Infirmitas proxima ſaluti. 51.43.& 65.103
Infirmitatibus fratrum condolendum. 57.70
Infirmis rebus operatur Deus magna. 253.56
Deus infirma elegit, vt confundat ſapientiam humanam. 490.88
Vide *Remedium, Salus.*

Ingenium.

Ingenio ſuo quilibet facilè trahitur. 488.77

Ingratitudo, Ingratus.

ad Ingratitudinis præſentiam exhibita beneficia in mortem veniunt. 27.99
Homo maximè ingratus. 384.117
Quod beneficium ſit occaſio ingratitudinis valde durum. 453.46

Inimicus.

Inimicus in ſuo contrario bonum præſens nunquam exiſtimat. 256.67
Inimicus humilitate fallit. 260.84
Inimicus coram Deo nullus timetur. 308.7
Ad inimicum bona propria tranſlata magna pœna. 361.11 & 161.39
Inimicorum manus timenda. 412.29
Quæ ab inimico ſuſpecta. 422.82
Inimico non ſunt aperienda magnalia omnia. 424.91
Inimicorum ira demulcenda. 425.96
Inimicus aduerſarij gloriam non videt. 427.103
Inimicus deiungit ab his, à quibus auxiliari poſſumus. 430.119
Inimicus,ſi perſpicax,dignum veneratur.432.132
Inimicus ignorat quæ exaltant. 434.144
Inimici dona fugienda. 439.170
Vide *Odium.*

Iniquitas.

Qui iniquitati non reſiſtunt puniuntur.330.13
Vide *Malum, Peccatum.*

Iniuria.

Vbi iniuria,ibi gloria. 35.136
Iniuria affectus nobilitandus. 102.6 & 407.29
Qui iniuriam nemini facit, omnes de bono eius gaudent. 164.5
Iniuriæ remittuntur ex Chriſti præſentia.189.21
Iniuria grauis eſt ab his,quibus beneficia dediſti. 297.26
Iniurias remittere, ac parcere, regium, & diuinum. 493.107
Dum homo remittit iniurias, Deo valde aſſimilatur. 493.109

Innocens, Innocentia.

Innocentia Deo placet. 321.19
Innocentes Martyrium reddit. 322.21
Innocentium lachrymæ ad Deũ aſcẽdunt. 324.36

Inſipiens.

Inſipiens repetit relicta. 425.108

Inſtrumentum.

Inſtrumentum illud aptum,de cuius ſubiectione habetur experientia. 400.70

Intelligere

Quod non intelligit homo,exiſtimat impoſſibile. 462.102
Multo plura ſunt in Chriſto, quàm quæ mens intelligit. 288.72

Intentio.

Intentio variat opus. 44.13 & 128.131
Deus maximè requirit debitam intentionem 479.17
Ea quæ pungunt,ſi bona intentione dicantur, illis non offenditur homo. 489.83

Interrogare.

Interrogare eſt prudentis. 129.134
Interrogandum non eſt de re euidenti. 192.33
Interrogare ſcire magna prudentia. 347.51
Interrogant multi, non vt ſciant, ſed vt impediant. 462.101

Inuidia. Inuidus.

Inuidia maxima eſt in propinquos. 255.65
Inuidia contra præclaros virtutibus. 299.39
Ab inuidia maior virtus impetitur. 350.65
Inuidus plus dolet de alterius bono, quàm de morte ſua. 351.66
Inuidia conſumit hominem. 379.95
Inuidia nullis ſignis frangitur. 426.101

Ioannes Baptiſta.

Ioannis locus honoratur. 388.10
Ioannes quanta cognouerit in Baptiſmo. 389.16
Ioannes cæleſtia myſteria maximè cognouit. 390.19
Ioannes Apoſtolus. 22.73
Ioannes peculiari modo à Deo dicitur miſſus. ibid.
Ioanni aliqualiter communicantur quæ propria Chriſti. 23.80
Ioannes naturæ terminos tranſcendit. ibid.
Ioannis excellentiæ negationibus explicantur. 24.88
Ioannis ſanctificatio in vtero probatur. 94.init.
Ioannes alios antecellit. 83.7
in Ioannis conceptione, non natura, ſed gratia operatur. 86.18
Baptiſta ſingularis. ibid.19
in Baptiſta gaudium magnum. 83.31
Baptiſtam venerantur Angeli. ibid.32
Ioannes commune bonum. 91.41
Ioannes, & Chriſtus pro ſingulari dono dati. ibid.42
Ioannes ita in ſanctitate in infantia, ſicut alij in ſenectute. ibid.43
Ioannis virtutes Deus ſolus comprehendit.93.49
in Ioanne ea eſt puritas, quam Deus in ſacerdote exoptabat. ibid.50
Ioannis ſanctificatio antecellit aliorum. ibid.51
Ioannes Apoſtolos antecellit. ibid.52
in Ioannem nil ſæculare intrare potuit. 92.47
Ioannes Baptiſta ſibi non honorem, ſed ignorantiam tribuit. 472.25
Ioannes ante natiuitatem, & poſt mortem, Deo obſequium præſtitit. 95.55
Ioannes mediator erga Chriſtum. ibid.56
de Baptiſtæ laudibus dubitatio punitur. 97.64
in Ioannis nomine magnalia omnia. 98.68
Ioannes ad Chriſti præſentiam manifeſtatur.100 77
Ioannes magnum Dei opus. 101.4
Inter Ioannem,& Chriſtum vnio magna.ibid.
in Ioanne totum, quod apparet, gratia eſt. 121. 92
Ioannes valde mirabiliter ſanctificatur. 141.14
Ioannem Virgo docuit. 146.34
Ioannes Angelos in ſcientia ſuperat. ibid.
Quæ Ioanni dantur magnam remunerationem habent. 147.40
Ioannes gratificat Incarnationis myſterium. 150. 53
Ioannes edoctus eſt à B.Virgine. 162.37
in Ioanne miracula maxima. 163.2
Ioannis mirabilia aliqualiter, ad inſtar Chriſti, explicantur. ibid.
Ioannes filius gratiæ. 164.3
Ioannes prima vox in cælo. ibid.4
Ioannes, vt gratiæ maioratus, habuit actiones. ibid.
Ioannis magnalia audiri, non videri poſſunt. 165.6
Ortus Ioannis ſub nullo merito. ibid.8
Per Ioannem Incarnationis myſterium facilitatur. ibid.
in Ioanne gratia apparet. ibid.11
Ioannes Chriſti aliqualem ſimilitudinem vendicat. 166.13 & 172.36
Ioannes dicitur iuſtitia. ibid.
Ioannes primus prædicat regnum cælorum.166. 14
Ioannes Chriſti coadiutor in ſacramentis inſtituendis. ibid.
Ioannes cogitationes cordium cognouit. ibid.
Ioannis nomen Virgo prophetizauit. 167.17
in Ioannis rebus non naturaliter loquendum. ibid.
Ioannes inſtar milia millium Angelorum. 168. 19
Ioanni maximè adſtricta Eccleſia. ibid.20
Ob Baptiſtam Euangeliſta dictus Ioannes. ibid.21
ad Ioannis præſentiam obliuiſcuntur omnia.ibid. 22
in Ioanne gratia ſtabilis. 169.16
Ioannis nomen ſolum puro profertur ore,& manu. ibid.27
Ioannes multipliciter gratia. 170.28
Ioannes gratiâ Angelus. 171.32
Cum Ioanne reformantur omnia. ibid.34
Cum Ioanne Deus laudatur. 172.36
Ioannis magnalia ſolum excelſa ſapiunt. ibid.39
Ioannis magnalia ſolum Dei Omnipotentia explicari poſſunt. 173.42
Ioannis opinio magna fuit in populo. 174.43
Ioannis virtutes explicare videtur eſſe quid maius,quam peccatores reducere. ibid.44
Omnis de Ioanne notitia in hac vita obſcura eſt. ibid.47
Ioannes vox. 174.1
Ioannis magnalia publicanda. 180.22
in Ioanne viſcera Miſericordiæ Dei maximè patent. 181.26
Ioannis virtus ab ipſo ſolum explicari poteſt. 183.34
Ioannes quo anno tendit in deſertum. 184.35
Ioannes in deſerto religioſam vitam ducit. ibid. 34
Ioannis puritas ſæculum fugit. 368.44
Excellentia Ioannis minuitur, ne plus creda-

tur, quam eſt. 24.89
Ioanni Euangelium commendatur. 369.46
Ioannis teſtimonium efficacius miraculis,& aliorum teſtimoniis. ibid.47
Ioannes ſi abeſt, quodammodo loco illius æternus Parens dat teſtimonium. 405.93
Circunſpecte agitur, vt Ioannes homo credatur. 167.15
Ioannes valde ſublimis in ſuo munere. 168.20
Magno deſiderio tenebantur omnes videndi Ioannem. 277.87
Triplex Ioannis teſtimonium. 476.1
Ioannes ſtat in perfectionis culmine. 2
Magna Ioannis ad Chriſtum,affectio. 3
Ioannis teſtimonium valde efficax. 478.10
Ioannes in culmine perfectionis. 476.2
Ioannes in omni dono ſuo ſingularem habet excellentiam. ibid.14
Ioannes Euengeliſta à Ioanne Baptiſta didicit tantam puritatem, ac virginitatem. 477.7
Baptiſta illuſtres, & magnos dedit diſcipulos. 482.43.& 73
Ioannem honorare maximè intendebat Chriſtus. 486.67
Ioannes omnium prior baptizat. 369.48
Ioannes ſemper in gratia perſeuerauit. 375.78
Ioannes imitator Eliæ. ibid.80
Ioannes admirabilis in veſtitu. ibid.79
Ioannis comparatione nullus videbatur iuſtus. 377.87
Qui Ioannis non erat deuotus,male opinabatur. 380.99
Ioannis ſanctitas magna. 387.7
Ioannes videtur Virginem aliqualiter adumbrare. 407.100
de Ioanne excellentiæ ſolum dicuntur, & non quæ maculam denotare poſſunt. 390.21
Ioannis ſanctitatem excedere,& non imitari velle;vitium. 392.29
Ioannes meritis ſuperior Angelis. ibid.
Magna Ioannis excellentia. ibid.30
ad Ioannem aduentus Chriſti ſunt valde celebres. 396.49
Ioannis dignitas omnibus manifeſta. 397,56
Per Ioannem aperitur cælum. ibid.57
Ioannes Dei ſpiritus diſcipulus. 399.67
Ioannes ſimilis Chriſto. 402.81
Ioannem à Chriſto diſtinguere ſolus valet diuinus intellectus. ibid.
Ioannes omnibus maior. ibid.
Ioannis deuoti maximè munerantur. 404.90
Ioannis opinio magna erat. 405.94
Ioannes Dei amore firmus vtrobique. 407.100
Ioannes munus ſuum diligentiſſimè adimpleuit. 456.69
Ioannis laudes à D.Chryſologo celebratæ. 458.73
Ioannis dignitas magna, cùm dicitur vox. ibid.76
Ioannes Baptiſta in multis docuit Euangeliſtam Ioannem. 467.5
Ioannes Prophetarum complementum. ibid.
Ioannes per gratiam veluti ſpiritus. 473.32
Maximè tenebantur omnes deſiderio videndi Ioannem. 377.87
Ioannes teſtificando ſupplet vicem Patris. 405.9
Ioannes in ſuis excellentiis ſingularis. 477.init.
Ioannis teſtimonium valde efficax, & mirabilis eius auctoritas. 492.101
Tria fatetur de Chriſto Domino. ibid.102

Ioannes Euangeliſta.

Ioannes quo motiuo Euangelium ſcripſerit. 6.20
Locum, in quo Ioannes ſcripſit, elementa venerantur. ibid.
Ioannes quo ſermone compoſuerit. ibid.21
Quo tempore. ibid.22
Ioannes Euangelium in magna veneratione.ibid.24
Ioannes ſolus Chriſtum appellat Verbum. 12.25
Ioannis magna authoritas. 14.39
Euangeliſta ob Baptiſtam dictus Ioannes. 168.22

Ioſeph ſponſus Virginis.

Ioſeph,veluti vita, à Chriſto dilectus. 352.74
Ioſeph honorat Deus. 356.91
Ioſeph comes itineris in viſitatione ad Elizabeth. 143.24
de Ioſeph nil ſiniſtrum ſuſpicari poteſt. 144.25
Ioſeph æterni Patris figuram gerebat. 189.7
Ioſeph conuenientiſſimus ſponſus Virginis. ibid.8
in Ioſeph extinctus fomes peccati. ibid.
Inter Ioſeph, & Virginem ſimilitudo magna. ibid.
Ioſeph aliqualem cum Chriſto habebat ſimilitudinem. 186.9
Inter Ioſeph, & Virginem matrimonium verum. 185.5
Ioſeph colloquiis delectabantur maximè Angeli. 186.10
Ioſephum illi ſoli figurare poterant, qui Chriſti, & Virginis figuram gerebant. 187.11
Ioſeph puritas magna. ibid.12
Ioſeph nominis interpretatio. 186.10
in Ioſeph virtutes omnes. 187.14
Ioſeph prudentia magna. 188.15
Sapientiæ Ioſeph plus creditur, quam aliorum. ibid.
Ioſeph fides. ibid.16
Ioſeph dici poteſt fidei pater. ibid.
Ioſeph humilitas. ibid.17
Ioſeph Chriſtum charitas, atque amor. ibid.
Ioſeph virtus ante Deum maximè reſplendet. 189.18
Ioſeph inter Sanctos in virtute magna eſt. ibid.20
Quanta eſſet opinio Ioſeph apud Virginem iuxta aliquos Doctores. 351.67
Virgo maximè dilexit Ioſeph habere in ſponſum. 185.8
Intima coniunctio inter Ieſum,Mariam,ac Ioſeph. ibid.9
Ioſeph virtus perfectionem fidei videtur æmulari. 189.10
Ioſeph nullam de Virgine habuit ſuſpicionem malam. 191.28
Ioſeph ſilentij amantiſſimus. 192.34
Ioſeph fideliſſimus, ac valde eruditus. 193.39
Ioſeph virtus Angelis, & hominibus manifeſtatur. 195.45
Ioſeph martyr præſtantiſſimus. ibid.46
Inter Ioſeph, & Chriſtum magna ſimilitudo. 196.49
Ioſeph valde proximus Chriſto. ibid.
Ioſeph omnes paſſiones habebat deuictas. ibid.
Magna Ioſeph prudentia. ibid.52
Ioſeph prudentiæ creditur multum. ibid.
Ioſeph vnus pro Angelis multis. 197.54

Ioſeph

Ioſeph virginitatis lilium. ibid.55
Ioſeph præmium magnum. ibid.
Ioſeph dicitur pater Chriſti cum excellentia magna. 198.58
Ioſeph Virginis defenſor. ibid.
Magnus Virginis decor quod Ioſeph ſpenſa ſit. ibid.
Ioſeph reuelantur myſteria. ibid.
Ioſeph charitas. 199.63
Ioſeph magna obedientia. 200 67
Ioſeph reputatur idem cum B.Virgine. 166.10
Deus parentis ritulo honorauit Ioſeph. 295.20
Ioſeph laudes explicari non poſſunt. 196.25
Ioſeph ſenſus in Chriſtum & Virginem intenti omnes. 308.8
Vbi Ioſeph,ibi Ieſus,& Maria. 316.51

Ira.

Iræ dandus eſt locus. 190.22 & 261.90
Iræ occaſiones fugiendæ. 192.33
Ira excæcat mentem. 261.93
Dandus eſt locus iræ. 310.16
Iram contra principes conceptam in paruulos vertunt magnates. 322.24
Ira inimicorum demulcenda. 425.96

Iudex.

Iudex rectus nullum carnalem habeat affectum. 86.21 & 131.145
Iudex, vt timeatur, in magna reuerentia habendus. 222.83
Iudex,vt rectus, ſit independens. ibid.84
Iudex videat cuncta. 312.30
Iudex aliquando accipit munera,non in publico, ſed in occulto. 439.168
Iudex non capiatur muneribus. 442.184

Iudæi.

Iudæorum iactantia refutatur. 311.119
Iudaicus populus à foris ſtat. 98.70
Iudaicus populus in fide ſemper extitit valde debilis. 162.33
Iudæi quomodo dies ſuos numerabant. 481.37

Iudicare.

Quilibet ex ſe iudicat de aliis. 430.123
Vide *Præſumere.*

Iudicium.

Iudicij diuini ſeueritas. 300.42

Iuramentum.

Iuramenti ſui recordetur homo. 82.3

Iuſtitia.

Cum iuſtitia, ac ſanctitate valet multum potentia. 158.18
Iuſtitiæ eſt aliquid de rigore legis remittere. 190.23
Iuſtitia,& pietas ſimul eſſe debent. 187.14
Iuſtitia cum pietate in prælato. 287.70
Iuſtitia clamat, ac voces dat. 372.62

Iuſtus.

Iuſtus non patitur, quod, ſui intuitu, alius honore priuetur. 452.45
Iuſti prout occultant aliorum defectus,vide *Defectus.*
Iuſtus non cogitat malum. 99.73
Iuſtus beneficiis humiliatur. 100.65
Iuſti bonum manifeſtant,malum occultant. 121.92
Iuſtorum bona communicata. 134.153 & 135.157
Iuſti aliorum bonis delectantur. ibid.158
Iuſtus ad dignitates tardus, ad charitatem velox. 151.55
Iuſtus bona ſua communicat. 175.2
Iuſti in conſpectu Domini,peccatores retro. 181.23
Iuſto,ſi humana deſunt, diuina ſuccurrunt. 193.37
Iuſtus princeps,peccator bellua. 212.42
Iuſtus in aliis,non in ſe,merita videt. 227.101
Iuſtorum honori conſulit.Deus. 247.20
Iuſtus de nullo ſuſpicatur malum. 248.28
Iuſtus de bonis ſuis omnibus communicari intendit. 287.71
Iuſtum Deus velociter exaudit. 289.78
Iuſtus timet gratiam perdere. 293.11
Iuſtus aliena bona pro propriis habet. 298.34
Iuſtus proficit ſemper. 303.54
Inter Iuſtos Deus manifeſtatur. 312.32
Iuſtus Dei obſequium proprio commodo præfert. 332.22
Iuſtus conqueritur, dum Deum quæſitum non inuenit. 349.59
Iuſtus ſibi dolores,aliis gratias tribuit. 351.69
Iuſtus de bono communi gaudet. 354.80
Iuſtus non regrediatur ad ſæculum. 373.66
Iuſtus iuſtitiâ,imperfectus pœna coërcetur. 392.28
Iuſtus ſibi non honorem, ſed ignorantiam tribuit. 472.25

L

Labor.

LAborantem Deus illuminat. 25.94
Labor prior,quàm requies. 51.42
in Laboribus terminatur omnis gloria mundi. 61.89
Per labores ingreditur ad vitam. 68.116
in Laboribus regnum Chriſti. 125.107
Labores ante honores. 235.13
ad Labores animamdum. 296.25
Deus ſuis dilectis pro ingenii beneficio dat labores. 300.46
Labores dignitates concomitantur. 310.19
Laboris conſors, honoris patriceps eſſe debet. 485.58
Valde excelſum leuamen dare laboranti. 495.119
Vide *Calamitas, Aduerſitas.*

Lachrymæ.

Lachrymæ ad comparandum Deum vim magnam habent.
Lachrymæ innocentium ad Deum aſcendunt. 324.36

Lapſus.

Labitur citò qui aſcendit. 431.130
Qui incipit cadere non ſiſtit. ibid.
Lapſus aliquando in dignitate Eccleſiaſtica maior,quam in ſæculari. 436.156
Labitur mens, dum ad terrena conuertitur. 437.157
Cadere eſt ſeruire diabolo. 440.177

Laus.

Ad Dei laudem varia verba. 451.36
Laus vnius ſine vituperatione alterius. 83.5
Laus non à proprio ore. 101.5
Laudes ſuas prudens dum audit, timet. 118.78

in

in Laudem Dei qui vniuntur, mirabiliter operantur. 147.39
Laudabile valde inter magnos eſſe magnum. 149.47
Laudans Deum lingua humana eſſe deſinit. 171.35
Laudandus rex ex iuſta cauſa. 205.12
Contra nouas laudes contrarietates exoriuntur. 224.87
Laudatur in natiuitate Chriſtus, in morte blaſphematur. 291.86
Laudes tuas amici ſolùm agnoſcunt. 304.60 & 408.6
Laudes proprias conſtanti animo audire magna virtus. 338.5
Omnis noſtra laus Deo referenda. 154.1
Sua laude non ſtatim capitur prudens. 490.93
Fugiat homo ſe laudandi occaſiones. 479.18

Lex.

Lex triplex extitit. 68.118
De legis rigore remittendum aliquid. 190.23
Lex violanda non eſt ob conſanguinitatis ius. 275.12
Legis obſeruatione ad Chriſtum acceditur. 482.24
Obſeruatione legis eleuatur homo. ibid.
Lex obſeruatur ex timore potentiæ. 278.25
In legis obſeruatione ſtat vita noſtra. 424.93

Lex gratiæ.

in Lege gratiæ omnia ſunt noua, & reformata. 175.4
Legis gratiæ excellentia. 180.20
Lex gratiæ filiorum, lex vetus ſeruitutis. 405.93

Lex vetus.

Legis veteris omnia in Chriſti præſentia contemptibilia. 84.10
Lex vetus finita. 89.32
Lex vetus ſeruitutis, lex gratiæ filiorum. 405.93

Liber.

Qui libros componit præcedit alios. 51.44
Virgo Maria liber omnium virtutum. 42.4
Chriſtus in cruce liber extenſus. ibid.

Liberalitas.

Liberalis, quod accipit, non quod dat, recordatur. 12.25
Liberalis quæ recipit memorat, quæ donat tacet. 38.150 & 45.16 & 137.169
Liberalior nobis, quàm ſibi Chriſtus. 253.52
Liberalior Deus in præmiando, quàm nos in merendo. 354.81
Largitur Deus multa ob paruum obſequium. 387.5

Lingua, Loqui.

Loquendum cautè cum inimicis. 9.13 & 11.23
Locutio ſit ornata, & elegans. 13.34
In ſermone varietas. 24.88
Verbo accommodato vtendum. 33.129
Loquendum non eſt cum eo, qui notam peccati habet. 144.30
Dum loquitur os clauſum, diuina ſonat. 171.35
Lingua Deum laudans humana eſſe deſinit. ibid.
Quod dicis faciendum tibi eſt. 282.46
Loquendum iuxta communem opinionem. 290.81
Loquitur quilibet iuxta ingenium ſuum. 431.129
Locutio mala gratiam perdit. 111.45

Locus.

à Loco obſequij Deus quodammodo obligatur. 88.30
Locus, in quo Deus adeſt, venerandus. 216.59
à Loco, in quo Deus hominem conſtituit, ipſe ne diſcedat ab eo. 429.114

Lucas Euangeliſta.

Lucas quo motiuo ſuum ſcripſit Euangelium. 5.16
Quo idiomate. ibid.
Quo anno ſcripſit Lucas. ibid.17
Lucas legalem Ioſeph generationem deſcribit. 69.123

Luxuria.

ex Luxuria filis iniqui prodeunt. 58.75
Luxuria indigna regni. 60.84
Non ſolum luxuria, ſed etiam eius nomine coinquinatur. 184.2
Vide *Peccatum.*

M

Magiſter.

MAgiſter accommodato vtatur nomine. 11.20
Magiſtri antiqui venerandi. 14.38
Magiſter bonus quemlibet trahat inclinatione ſua. 48.29
Magiſter à facilioribus incipiat, & ingenio cuiuſlibet ſe accommodet. 54.56
Magiſter quæ docet, in ſe adimpleat. 366.33
Magiſter vitioſus fugiendus. 444.196
Honores magiſterij inflant. 429.116
A bono Magiſtro haurit diſcipulus bonos mores. 477.7
Magiſter ſibi reſeruet magna ad explicandum. 484.51
Vide *Docere.*

Magnus, Magna, Magnitudo.

Magnæ res ſolum Deum habent authorem. 36.142
Magna intentare laus. 56.68
ad Magna non eſt aptus, qui ab incepto deſiſtit. ibid.
Magnus ille, qui Dei gloriam quærit. 92.48
Magna, non ſubitò, ſed paulatim proponenda. 140.16 & 184.2 & 329.7
Magnitudo communis ab omnibus acclamanda. 124.103
Magna fiunt melius ab obligato, quam à fideli miniſtro. 141.16
Inter magnos magnum eſſe valde mirabile. 149.47
Dum ad magna res ſublimatur, cadit. 234.6
Magnus tacet, quæ donat. 236.17
Quod magnus humilibus famuletur ex Deo venit. 251.45
Magna Deus paruis rebus operatur. 253.56
Magna non ſubito aggredienda. 370.52
In excellentiores bellum. 418.63
Magnalia omnia non ſunt inimico aperienda. 424.91
Magnalia tua ei tantum dicenda, qui de te magnam opinionem habet. 484.54
Magna qui reiicit, minora contemnit. 455.60
Nullus Magnus niſi ſit Sanctus. 122.96
Quod magnus & nobilis viſitet infimos valde mirabile. 484.53
Res

Res Magnæ ſeriò, & non vbique tractandæ. 480.15.26
Tua magnalia non dicas niſi ei, qui de te habet magnam opinionem.
Vide *Nobilitas.*

Magus.

de Magorum muneribus quid factum ſit. 284.58
Magi quales, & quot. 245.6
Magorum ſcientia qualis. ibid.
Magi an reges fuerint? ibid.8
Magi quomodo itinerauerint. ibid.12
Magi quare ab Euangeliſta reges non appellantur. 246.14
Magos quomodo ad Chriſtum duxerit ſtella. 245.11
Quare ex gentibus Deus reges adducit. 246.16
Magis in ducatu ſe accommodauit ſtella. 262.95
Magorum fides magna. 264.103
in Magorum adoratione quanto gaudio Virgo ſit affecta. 269.130
Magos Virgo docuit. ibid.

Maieſtas.

Maieſtas inclinet ſe vt videatur. 479.20

Malitia.

Malitia plus poteſt, quam natura. 20.66
Malitia contemnit omnia. 261.93
Malitia pro labore. 417.96
Malitia vbi abundat, Dei ſuperabundat gratia. 486.66

Malum.

Malum alterius euitare valde magnum. 153.63
ex Malis bona educit ſapientia Dei. 321.17
Vbi mali ſuſpicio, ibi timor. 406.99
Mali vbi aliqua præſumptio, ibi explicanda veritas. 489.83

Manſuetudo.

Manſuetudine vincuntur omnia. 401.77
Manſuetudine plus attrahitur, quàm potentia. 469.10
Vide *Benignitas.*

Marcus Euangeliſta.

Marcus quo motiuo ſcripſit. 4.12
Quo anno. ibid.
Qua lingua. ibid.14
Quo ſenſu dicatur ab Auguſtino breuiator Matthæi. ibid.15

Maria Virgo.

De eo, quod à matre habet Deus maximè gloriatur. 35.136 & 42.5 & 44.14 & 67.112 & 106.24 & 22.95 & 123.99 & 127.126 & 151.56
B. Virgo Maria liber omnium virtutum. 42.4
in Maria ſunt omnia magna. 54.56
Maria computatur idem cum Ioſeph. 64.97
Maria libera à parentum peccatis. ibid.98
Maria omnia peccata fugat. ibid.99
Maria peccatorum auxiliatrix. ibid.100
Nullus homo, qui Mariam non adoret. ibid.101
Maria ſola Deum gignere potuit. 65.105
Virginis caro, Chriſti caro. 72.3 & 66.107
Quanta ſit dignitas matris Dei. ibid.
Omnis Virginis gloria à maternitate. 114.62
Matris dignitas quandam dicit infinitatem. 66.109
Quanta ſit Virginis gratia. ibid.
Per Mariam ad Chriſtum acceditur. 68.116
Virgo concepta ſine originali peccato. 72.1.2
Virgo à gratia producta. ibid.3
B. Virgo lux. 76.20
In Virgine oſtenditur potentia gratiæ. 77.22
Virgo ſimilis filio. ibid.24
De Virgine dicuntur in abſtracto perfectiones, v. gr. Charitas. 78.27
Dum Virginis filius dicitur Chriſtus, qui eſt ipſa ſanctitas, ſingulari ſanctitate exprimitur.
Virgo theſaurus ſanctitatis.
Virgo debitum peccati in propria perſona non habuit. ibid. & 155.6
Virgo peculiariter redempta. ibid.
Virginis amore Deus carnem ſumpſit. 79.31
Virginis natiuitas mirabilis, & valde feſtiua. ibid.32 & ſeqq.
Propter Virginem eſt mundus creatus. 81.40
Coram B. Virgine ſolus ſine peccato apparere poterat. 102.8
Virgo in Incarnatione vidit eſſentiam Angeli. 105.10
Ob Virginis ſocietatem, ac domum relinquenda omnia. bid.21
Maria ipſa virtus. 107.27
Mariæ puritas in magno conceptu etiam apud Dæmones. 208.34
de Mariæ nomine multa. ibid.
Mariæ lac excludit amaritudinem. 109.38
Maria ſocia Angelorum. 112.50
in Maria ſola plus virtutis, quam in Sanctis omnibus. ibid.51 & 113.55
B. Virgo ita pura in terris, vt Beatus in cælo. ibid.53
Per Virginem ad omnes diffunditur gratia. ibid.56
Virgo extraordinario modo laudanda. 114.61
Virginis virtutes explicari non poſſũt. ibid.62
In Virgine eſt maximè Deus. 115.65
In Virgine Deus ſpecialiter ſuper omnes puras creaturas. ibid.
Mariæ nomen excludit timorem. 119.84 & 308.8
Mariæ nomen illuminat intellectum. 120.86
in Maria omnis gratia, vt diſtribuatur. ibid.89
Virgo Deo valde propinqua. ibid.
In Virgine debuit fieri incarnatio, ſuppoſito Incarnationis decreto. ibid.90
Virginis puritas magna. 122.96
Virgo Chriſtum ſemper ſequebatur. 309.10
Vbi Virgo, ibi miſericordia omnis. 313.38
Virginis præſentia libidinem extinguit. 315.47
Mariæ præſentia puritatem exhalat. ibid.48
Virginis præſentia dat arma, expellit timorem. ibid.49
Maria quanto corpore in itinere ad Ægyptum. 316.50
Virgo peculiaritate ad Euchariſtiam affecta. 338.4
Virginem, veluti vitam, diligebat Chriſtus. 353.74
Matris ſuæ vocem ac preces citiſſime inter omnes exaudit Chriſtus. 468.8
Virgini in hæreditatis ſuæ pignus datus eſt Spiritus ſanctus. 130.39
Virgo Maria pro ſuis deuotis pugnat. ibid.40
Virginis gratias, & excellentias ſolus Dei Spiritus dicere poteſt. 131.141
Virgo ſola ex creaturis intelligit Incarnationem. 132.147
Virgo

Virgo quædam diuinitatis pictura. ibid.
Virgo à conſiliis filij ſui. 134.153
Sine Virgine nihil fit ſalutis. 136.163
Virgnis meritum ſuper omnes ſanctos. ibid.
Virginis magna fides. 137.166
Virgo redemptionem noſtram procurat. ibid. 67
Virginis magnanimitas. 138.172
Virgo communicat bona ſua. 139.3
Virgo, vt ſubueniret, ingenium filij hauſit. ibid.& 142.19
Virginis excellentia hominibus, & Angelis nota. 139.5
Virgo multas filij conditiones participauit. 141.19
Ad Virginem laudandam neceſſaria multa. 145.33
Ex Virgine omne bonum. 146.35
Virgo feſtiuè celebranda. ibid.
Virgo mater omnium credentium. 149.48
Virgo maximè veneranda. ibid.49
Virgini, ac Chriſto famulari, idem eſt. 150.53
Virginis laudes in maternitate recapitulantur. 153.65
Virgo Deum magnum declarat. 154.2
Virgo Dei laudibus ſemper intenta. ibid.3
Virgo delectabatur in eo, quod eſſet Deo dedicata. ibid.4
Virgo ab omni peccato immunis. 155.6
Virginis magnalia inexplicabilia. 157.15
Virginis, dum intercedit, potentia magna. ibid.
Virginis partus Dei mirabilium cumulus. 159.23
Maria ſemper mater. 184.2
Virgo perpetuæ caſtitatis votum habuit. 185.4
De Virgine malum nullum ſuſpicari poterat. 190.24
Virgini facies an reſplenduerit. 201.68
Virginis excellentiam declarat ſoli Dei maternitas. ibid.69
Virginis filius excellentiſſimè Chriſtus. 208.21
Virgo orando concepit, orãdo peperit. ibid.24
Virgo concurſum actiuum in partu habuit. ibid.
Mariæ Virginitas aucta eſt in partu. ibid.
Virgo omnium mater. ibid.21
Virgo iram diuinam reprimit. 210.35
Virgo quid ſupra excellens oſtendebat. 264.5
Per Virginis manus Deo ſunt oblata dona noſtra. 269.128
Virgo fidei doctrix. ibid.131
Virgo in cælo pro nobis loquitur. 270.130
Mariæ puritas in purificatione. 277.19
Virginis gratitudo erga Patrem. 280.34
Virgo dupliciter dat nobis Chriſtum. ibid.
Virgo, & Chriſtus ob mutuum amorem in templo. ibid.
Maria in puritate filio ſuo ſimilis valde. 283.52
Virginis humilitas explicari non poteſt. 284.57
Maria adiuuat ad Deum videndum. 293.5
Virgo prudentiſſimè tacet. 365.68
Circunſpecte Euangeliſta de Maria agit, vt creatura credatur. 109.35
Vox Mariæ efficax ad communicandam ſalutem. 146.36
Maximè æſtimauit Deus habitare in vtero Mariæ. 213.46
Maria adhæret Chriſto. 302.50
Maria non poteſt diuelli à Chriſto. 484.51

Martyr.

Martyres fiunt agni immaculati coram Domino. 316.43

Martyrium.

Martyrium pro magno beneficio. 321.20
Martyrium reddit innocentes 322.21
Pro filiorum martyrio gaudendum. 328.init.

Mater.

Maternus affectus erga filium eximius. 182.29
Vide *Parens*.

Matrimonium.

in Matrimonio caſta coniunctio ſanctos filios generat. 58.75
in Matrimonio caput mulieris vir. 107.27
Mulieres obediant viris ſuis. ibid.
Matrimonium verum inter Virginem, & Ioſeph. 185.4

Matthæus Euangeliſta.

Matthæus quo anno ſcripſit. 3.7
Quo motiuo. ibid.
Quo idiomate. ibid.8

Mendacium.

Mendacium nobilium veritas reputatur. 448.17
Mendacium non timet qui verecundiam depoſuit. 439.169
Mendax ſtatim reiiciendus. 412.184

Mediocritas.

Mediocritas in operationibus tenenda. 211.38

Meritum.

Quæ per meritum obtinentur, nobilitant. 31.117 & 193.64
Vbi meritum, ibi dignitas. 47.27
Benemeritus ſui eſt maximè ſecurus. 51.46
Merita apud Deum, non dignitas, valent. 51.51
ex Meritis, non ex hæreditate honor. 69.80
Qui merita habet ſolùm dicitur habere dignitatem. 67.111
Vbi merita, ibi corona. 116.72
Quod per merita glorioſius. 127.126
in Merito prior, prior ſit in præmio. 147.39
Meritum ante dignitatem. 220.76
Meritum præcipua nobilitas. 224.88
Merita, non in ſe, ſed in aliis, videt ſublime ingenium. 217.101
Meritum pluris æſtimatur, quam dignitas. 239.40
ad Meritum noſtrum dat Deus occaſiones. 330.9
Sine meritis corona inuenuſta. 440.174
Merita attendenda, non generis nobilitas. 458.76
Deus ex vnius merito aſſumit motiuum ad benefaciendum multis. 493.10
Dominus reſpicit merita, vt honoret. 484.52
Vide *Dignitas, Fauores, Præmium*.

Militia.

Cur Angeli in natiuitate Chriſti ſub forma militiæ apparent. 284.87

Minima.

Minima Principum, vt maxima decantãtur. 42.5

Miniſter.

Miniſter bonus nihil de ſuo ponit. 96.90
Miniſter bonus eſt, qui non ſubſtitutus, ſed ex officio proprio. 103.12
Miniſter bonus ſibi aſpera, aliis ſuauia vult; malus è contra. 363.19
Amicus regis plus æſtimatur, quam rex. 365.30

Index Rerum.

Miniſter bonus officio ſe non ingerit. 306.32
Miniſter fidelis in ſuo munere impediendus non eſt. 104.16
Miniſter expertus quærendus. ibid.17
Miniſtro ſolo non commitenda magna. 115.67
Miniſtri ſæpe ſuperioribus humiles, inferioribus ſuperbi. 118.80
Miniſter, dum ſuæ legationis excedit fines, perit. 273.1 & 442.182
Miniſter electus in functionibus ſuis non eſt impediendus. 308.6
Miniſtri, ſi ſint Patricij, Reſpublica ruit. 362.13
Miniſtri ſuas etiam habeant vacationes. 410.16
Vide *Officium*, vbi multa.

Miraculum.

Miracula fides firma non requirit. 237.36
Miracula ſine neceſſitate vitanda. 419.71

Miſeria.

Miſerias ſuorum Rex videre non poteſt. 33.125
Qui miſeriam ſuſtinuit, facilè miſeretur. 204.10 & 210.35 & 310.17. & 412.24
de Miſeris in gloria agere maximè glorioſum. 226.98
Vbi miſeria maior, ibi applicandum remedium. 312.33
in Miſeria magna magnum remedium. 321.20
Qui in miſeria eſt, facilè miſeretur. 470.19
Miſeriæ antiquæ obliuio parat ruinam. 460.82

Miſericodia, Miſericors.

Miſerationes Dei in conſpectu eius, poſt tergum peccata noſtra. 21.69
Plus miſericordiâ, quàm potentia acquiritur. 155.5
Miſericordia non contemnentibus. 159.22
ad Miſericordiam Deus propenſus, difficilis ad ſupplicium. 160.28 & 18.29
Miſeretur facilè qui miſeriam ſuſtinuit. 204.10
Miſericordia præoccupat iuſtitiam. 239.42
Cùm humana deſunt, diuina ſucurrunt. 224.4
Miſericordię diuinæ confidentiâ peccandum non eſt. 433.136
Diuinitas potius manifeſtatur dum miſeretur, quàm dum regnat. 470.17
Ex quo oritur malum, inde Deus ſumit occaſionem miſerendi. 205.12
Vbi abundat malitia, ſuperabundat Dei miſericordia. 486.66
In die miſericordiæ non ſunt commiſcendæ pœnæ. 28.8

Myſterium.

Qui myſteria ratione quærit, tenebras inuenit. 14.39
de Myſteriis diuinis loquitur minus qui maiorem cognitionem habet. 16.50
Myſteria diuina infideli ſcandala videntur, fideli vero ſapientia Dei. 165.7

Mitis.

Mitibus ſuauis Deus, aſperis rigidus. 132.149
Mitis in rigidum, rigidus in mitem. 444.195

Mira.

Immorandum non eſt in exequendis rebus ponderis magni. 314.42

Mors, Mori.

Mors, & natiuitas hominis coniunguntur. 55.60
Mors ſequitur peccatum. 183.33
Mors ſequitur ad mundi dignitates. 269.125

Mortem iuſtus videt, 289.80
Mors nulla ad Chriſti præſentiam. 293.6
in Morte iuſtorum dolendum, quia à nobis ſeparantur. 325.39
in Morte boni miniſtri dolendum. ibid.
Non de morte, ſed potiùs de cauſa mortis dolendum. 327.50
Mors pro Chriſto triumphus. 328.53

Mulier.

Mulieris colloquium periculoſum, ac etiam recordatio eius. 103.10
Mulier diffamata omnes vult diffamari. 159.35
Mulier domo clauſa Deo placet. 111.45
Mulier loquatur pauca. 174.1
Mulier ne doceat. 305.65
Mulier ne egrediatur à domo. 338.2
Vbi mulier, ibi vincitur homo. 413.30

Multitudo.

Quod eſt in multitudine non perſeuerat. 59.81

Mundus.

Mundi dignitas, vide *Dignitas*.
Mundi bona, vide *Bona temporalia*.
vt Mundum vincas, vince naturam. 146.37
Mundo claudatur animus, vt diuina percipiat. 193.38
Cum clauduntur mundo oculi, tunc Deus videbitur. 252.48
ob Mundum contemnitur Chriſtus. 261.89

Munera.

Munere exhibito, verus manifeſtatur honor. 167.115
Chriſtus potius vult cor noſtrum, quam munera. 254.57
Munera fortibus dantur. 267.117
Muneribus non capitur vir magnanimus, ac iudex. 442.184

N

Nathanaël.

Nathanaël vir doctiſſimus in lege. 488.77
Nathanaël vir candidus. ibid.78
an Nathanaël fuerit Bertholomæus. 490.88 & ſeqq.
Vnde Nathanaël habuit tantam cognitionem. 492.106
Natale, vide *Præſumptio*.

Natura.

Naturam vince, vt vincas mundum. 146.37

Nazaræus.

Nazaræi votum caſtitatis habuerunt. 335.35
Quare Chriſtus dicitur Nazaræus. 336.4

Neceſſitas.

Neceſſaria ad aures Regis ſæpe non veniunt. 261.92
Iuxta neceſſitatem rei ſubueniendum. 285.62
Neceſſitas magna magnum requirit remedium. 370.55
Neceſſitas ipſa grauis tentatio. 420.26
Vide *Miſeria*.

Negotium.

Qui negotium tecum habet, humiliatur. 260.84
Negotia magna viro docto committenda. 449.25

Nobilis.

Nobilitandum quod iniuria eſt affectum. 35.55
Vere nobilis nulla abiectione diffidit. 36.143 & 276.16
Vere nobilis ſemper ſecurus, ignobilis ſtatim diffidit. 36.143
Nobilitas ex humilitate fulget. 39.157
Omnis nobilitatis faſtus abiiciendus. 64.97
in Nobilitate ſanctitas fulget. 84.8
Excellentior opere ſubmiſſior. 139 4
Meritum præcipua nobilitas. 224.88
Nobilitas per ſe virtus. 246.15
Nobilitatur id,quod erat abiectum. 252.49
Nobilis dolet,dum parui æſtimatur. 319.9
Nobilis id conſiderat,vnde magis obligatur.350.62
Nobilitas generis,vbi vitia adſunt,nihil prodeſt. 381.105
Nobilitas parentum non prodeſt, vbi eſt peccatum. ibid.
Non nobilitas,ſed naturæ vtilitas conſideranda. 426.102
Nobilitas conſiderata à peccato cohibet. 438.162
Non nobilitas generis,ſed merita attendenda. 458.76

Nomen.

Nomen res habet ab eo,quod præſtat. 23.83
Nomine ſuo magno volunt Reges occultare tyrannidem. 47.25
Nomen à Deo non eſt ſine effectu. 91.43
Nomen glorioſum manifeſtationem requirit. 124.100
Nomini reſpondeat operatio. 248.24

Noua.

Per noua obliuiſcuntur vetera. 51.45
Noua timenda ſunt. 117.77
Noua magis,quam antiqua mouent. 135.157
Nouitas lætitiam parit. 220.76
Noua res homines allicit. 370.51
Vide *Antiqua.*

O

Obedientia, Obediens.

ex OBedientia naſcuntur illuſtria. 58.74
Obedientia obedientiâ remuneratur. ibid.76
Obediens,vt obediat,facit imperata. 137.171
Obedientia vera aliorum ſequitur placitum. ibid.
Obedire Deo beatitudo. 153.63
Obediens omnia vineit. 169.26
Obedientia operatur miracula. 170.31
Obedientia vbi eſt magna, leuis inſinuatio ſufficit. 194.43
Obedientia etiam in impiis veneranda. 452.41
Quod vni obediant omnes,valde durum.203.6
Obedientia non eſt curioſa. 264.103
Obedienti Deo obediunt omnia. 167.116
Obedientia perfecta iuſſionem non expectat. 287.10
Obediens videt Deum. 290.8
Obedientia vera ad omnia præparata. 308.7
Obediens animo, & corde. 314.40
Intellectus noſter diuinæ ordinationi ſubmittendus. 354.83
Obedientiæ exemplum Chriſtus dedit nobis. 355.87
Obedientia perfecta, facto, non auditione declaratur. 367.38
Obedientia conſurgit in magnam petram.482.43
Promptè & expeditè obediendum eſt Dei voci. 487.75
Obedientia operans ſemper in bonum tendit. 355.87
Qui Deo obedit ſecurus, timet qui reſtitit. 395.41

Obligatio.

Obligatus ipſe ſe deobliget. 33.12.8 & 101.5
Obligatio menti magis affixa,quam dignitas. 47.24
Vbi obligatio maior, maior ibi & recordatio. 49.37 & 97.63
Obligatio vbi maior, ibi maius beneficium. ibid.
ab Obligato melius magna fiunt, quàm à miniſtro fideli. 141.16
Obligatur regalis animus,dum accipit. 246.16
Obligatio maior ex maiori beneficio. 166.113
ad Obligationem ſuam homo per ſe tendat. 277.21
Qui obligationibus dignitatis non ſatisfacit, eam non obtinet. 453.47
Obligatio muneris in mente ſit, non maieſtas. 11.21 & 139.5
Obligatio officij non omittenda. 144.30
Obligatio muneris perſonæ dignitati præferenda. 239.6

Obſequium.

Obſequium,quod Deo præſtamus,ab ipſo venit. 25.93
Obſequia noſtra Deus libera vult. 28.107
Non ad obſequium ſuum Deus,ſed ad noſtram reſpicit vtilitatem. ibid.
Obligatur Deus quodammodo à loco obſequij. 88.30
Quæ ſunt obſequij Dei,agenda ſunt celeriter. 142.22
Quibus obſequia damus, iiſdem Deus remunerat. 55.62
Obſequium non eſt ab eo accipiendum, qui puniendus. 260.88
Per quod obſequia Dei damus, per id honoramur. 279.33
Obſequium Dei proprio commodo præfert iuſtus. 332.22
Ad Dei obſequium non eſt requirendum conſilium. 342.24
Ob Dei obſequium relinquendi ſunt parentes. 343.27
In quo quis obſequitur,præmiatur. 282.109
Ob paruum obſequium Deus multa largitur. 387.5
Obſequia quæ hominibus Angeli deferunt, Chriſto deferunt. 495.124
Vide *Seruire.*

Occaſio.

Occaſioni accommodandum. 142.18
in Occaſione non eſt ſilendum. 148.45
Occaſio erroris excæcat. 251.44
Occaſioni, non potentiæ accommodandum.253.52 & 56
Occaſio impiis amputanda. 329.5
Ad cæleſtia percipienda opportuna óccaſio non omittenda. 195.44 & 481.32
Oblata occaſio non omittenda. 480.29
Vide *Accommodare.*

Oculus.

Cùm oculi clauduntur mundo, tunc Deus videbitur. 252.48

Odium.

Odium dignitates non videt, quas amor recognoſcit. 408.6
Odium reprobat,quod approbat amor. 448.19
Exordio pullulata dubia non ratione diluuntur. 455.58
Odium rationem ſuffocat. ibid.59

Officium.

Qui officium ambit indignus illius. 22.74
ad Officium prior ſufficientia, quàm collatio illius. ibid.76
Officium perſonaliter exercendum. 88.30
in Officio ſuo impediendus non eſt miniſter fidelis. 104.16
Officium potiùs, quàm dignitati correſpondendum. 139.5
Officio correſpondendum. 148.42
in Officio ſuo quilibet ſe exerceat. 198.61& 216 60
Quod quilibet in ſuo gradu, ſuóque ordine ſe cuſtodiat,Deo maximè placet. 215.58
in Officio ſuo occupatus proficit multum.229.2
in Officio adminiſtrando nullus carnis affectus appareat. 342.26
Officium ſuum excedat nullus. 442.182 & 461.94
Officium alienum vſurpandum non eſt. 463.103
Vt in officio valeas perdurare, ipſum aſportes ſuper humeros, & non ſub pedibus. 127.126
Qui ſuo muneri incumbunt maximè remunerantur. 216.62
de Officio ſuo agit Ioannes,oblitus ſui. 463.106

Opinio.

Opinioni communi accommodandum. 52.48 & 290.81
Opiniones vitandæ. 206.16
Opinione ſua quis facilè trahitur. 252.49
Opinioni propriæ in rebus arduis non fidendum. 333.25
Opinione pigneratus homo aggreditur multa. 429.113
Opinio ſanctitatis, ac ſcientiæ animum maximè prouocat. 453.49
ab Opinione prima,primóque conceptu ſuo difficiliter homo poteſt diuelli. 190.14
Contra opinionem propriam homo difficiliter acquieſcit. 237.25
Ab omni opinione mala operatio eſt eximenda. 249.32
Opinioni propriæ non eſt immobiliter inhærendum. 356.90
Opinio prima de re concepta quantùm valeat. 406.95

Opprobrium

Opprobria Chriſtus manifeſtat,gloriam abſcondit. 206.16

Opus, Operari.

ad Opus illud aptum inſtrumentum, de cuius ſubiectione habetur experientia. 400.70
in Opere ſancto nullus timet. 406.98
Operatur homo, itaut intelligit. 12.29
ad Operandum potentia non ſufficit, ſed amor requiritur. 27.99
Operandum ſecundùm prudentiam, non ſecundùm affectum. 17.53 & 425.96 & 452.39
Sine opere verba mendacia. 460.84
Operatio tua requiritur,vt Filius Dei fias. 31.117
Operum ſuorum quilibet filius. 44.14
Operibus potius, quàm titulis oſtendenda maieſtas. 47.25
Operibus manifeſtatur rex verus. 65.104
Opus ob auctorem multoties æſtimatur. 90.39
Opera,& verba ſimul. 144.30 & 282.46
Vbi opera loquuntur,non ſunt neceſſaria verba. 148.43
Operari benè à Deo venit. 179.17
Operibus comprobatur verus amor, & ſeruitus. 203.317
ex Opere, & facto Dei filius commendatur. 229.2
in Opere doctor reſpondeat. 237.27
Operatio ab omni mala opinione eximenda. 249.32
Opera maieſtatem, ac dignitatem indicant. 394.38 & 469.9

Oratio.

Oratio cum opere. 87.25
Oratio impetrat magna. 216.61
ad Orandum ſolitudo conducit. 410.15
Deus velociter exaudit iuſtum clamantem. 289.18
Oratio in Eccleſia facilimè exauditur. 480.28
Aliorum oratione valde magna dantur.295.29
Deus explorat ſuorum petitiones, ac orationes. 479.17
Deus plus concedit quàm ab eo exoramus. 480.33

Ordo.

Cum ordine omnia fiant. 87.24
Homo ſit in eo ordine,in quo Deus eum conſtituit. 429.114
Vide *Diſponere.*

Oſtium.

Oſtium prælati ſit patens. 144.29

Otium.

Non in otio, ſed in pugna milites Chriſti. 407.12

P

Paſſio Chriſti.

PAſſio Chriſti gloriam eius ſuper cætera oſtendit. 41.162
In Cruce Chriſtus liber extenſus. 42.4
Paſſio Chriſti magno iuſtos afficit dolore.292.5
Qui dolet Chriſti mortem aptus ad vitam. 383.115
in Paſſione Chriſti conſiderandum. 400.72
Ob Chriſtum paſſum labores amplectimur. 301.49

Paſſio, Pati.

Dolor non pati pro Chriſto, 326.42
Nullus maior honor, quàm pati pro Chriſto. 325.52
Vox patientis iniurias maximè clamat. 324.36

Pater, Parens.

Vbi quid paternum, ibi benignitas. 40.158.
Pater ſibi, & filiis acquirat. 48.31
Parentes etiamſi viles, & peccatores, honorandi. 57.70

Parentum peccata filiis minimè nocent. 57.71 & 64.98
de Parentibus non gloriandum. 57.72
Virtus parentis filiis prodeſt. 61.87
Parentum ſuorum virtutes quis facilè ſequitur. 140.136 & 150.54
Parentes ob Dei obſequium ſunt relinquendi. 342.25
Qui ob Deum parentes relinquunt, regnum Dei inueniunt. 347.48
Parentes pro diuitiis congregandis ſæpe moriuntur. 379.95
Parentum nobilitas, vbi ſunt peccata, non prodeſt. 382.106
Qui parentem ſuum non imitatur, eius patrimonium non ſentiet. ibid.
Pater non cenſetur qui filio non ſubuenit. 423.86

Patientia.

Patientia proprietas diuinitatis. 493.107

Patria.

Patria honoranda. 486.69
Quilibet magno conatu honorem patriæ affecter. 487.init.
Patriæ honorem maximè debemus procurare. 70

Paulatim.

Paulatim diſponenda magna. 23.79 & 231.10
Paulatim eſt eundum. 44.16 & 152.51
Paulatim aſſuefiat intellectus ad magna. 134.154
Non ſtatim ad extrema euolandum. 211.38
Paulatim eſt eundum ad magna. 304.62

Pauper, Paupertas.

Pauperes à Deo æſtimantur. 52.51
in Paupertate regnum ſuum Chriſtus fundauit. 127.125
Pauperes à Deo eliguntur. 215.58
Pauperes eligere diuinitatis eſt. ibid.
Paupertas valde glorioſa. 221.81

Pax.

Pace plus, quàm bello acquiritur. 203.4
Pax dicitur Chriſtus. 227.102
in Pace gubernatio laus Regis. ibid.103
Si das pacem, & poteſtatem habes, magna laus. ibid.
Pax iuncta Deo. ibid.
Pax omne ſignificat bonum. 228.106
à Pace prouenit omne bonum. ibid.
Pax vera extra hunc mundum. 293.9
Chriſtus pax noſtra. ibid.

Peccator.

Peccatores de aliorum malo gaudent. 135.158
Peccatores poſt tergum, iuſti in conſpectu Dei. 181.23
Peccator bellua, iuſtus princeps. 212.42
Peccator, & Deus ſimul eſſe non poſſunt. 214.54
Peccatores à peccatis ſuis deſiſtere nolunt. 255.66
Peccatores oculos ſolùm dirigunt, vbi labi poſſunt, non vbi remedium eſt. 456.66
Peccatores ob iniquitatem maximè vniti. 470.18
Vide *Impius*.

Peccatum.

Peccata noſtra poſt tergum Dei. 21.68
Vbi peccatum, ibi compunctio, vt reſurgas. 24.85
Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. ibid.86
Vide *Pœna*.
Peccata parentum filiis non nocent. 57.71
Peccatum ſecretum diuulgatur. 60.85
Cum eo, qui peccati notam habet, loquendum non eſt. 144.30
Peccatum ſequitur mors. 183.33
Peccatum maius eſt in Deum, quam in hominem. 338.30
Peccati inſtrumentum fugiendum. 248.27
Peccatum eſt horribile adeò, vt cælum timeat illud. 307.3
in Peccatum homo facilè labi poteſt. 418.64
Ipſum peccatum graue illius ſupplicium. 28.8
Peccata multo difficilius cohibere, quàm impetum aquarum. 395.43
Non peccandum miſericordiæ diuinæ confidentia. 433.136
Peccatum ſolum malum, & illius comparatione temporale nullum videtur malum. 471.20

Perdere.

ad Perdendum plus ſtudent iniqui homines, quam Demones. 178.12
Perdere Deum maximè timendum. 332.23

Perfectio.

Perfecta danda Deo. 234.4
Perfectio quæ datur terrenis, non eſt deneganda cæleſtibus. 309.20

Periculum.

Qui conſtituit in periculo ab eo debet liberare. 193.36
Quando periculi occaſio, vigilia maior requiritur. 215.56
à Periculo fugere prudentis eſt. 409.10

Perpetuitas.

Perpetuitatem habent beneficia maxima. 51.45 & 219.74
Cum perpetuitate dignitas vera. 59.79
Vide *Perſeuerantia*.

Perſecutio.

Qui perſecutionem patitur nomine dignus. 60.83

Perſeuerantia.

Vide *Perpetuitas*.
Perſeuerantiam in dignitate dare beneficium nouum. 30.116
Perſeuerantia iu incepto, vide *Incipere*.

Petere.

Vltra petita dat Deus. 91.41
Ante petitionem dare, beneficium magnum. 386.3
In iuſta petitione valde dura repulſa. 345.39
A quolibet id petendum, quod ipſe agere poteſt. 259.80

Pœna.

Ibi pœna, vbi peccatum. 24.95
Pœna æqualis culpæ. 61.88
Pœnâ mulctatus à mundo contemnitur. 165.10
Non in pœna, ſed in culpa homines ſocij. 234.9
Per hæc punitur, per quæ quis peccat. 321.18 & 24.86
Pœna ſine cauſa ſubeunda non eſt. 329.5
Pœnâ imperfectus coërcetur, perfectus iuſtitiâ. 392.28
Vide *Culpa*, *Supplicium*.

Pœnitentia.

Pœnitentia in potente maximè decora. 60.85
Pœnitentia rigida paulatim introducenda. 97.65
Ibi pœnitentia magna, vbi & culpa magna. 166.112
ad Pœnitentiam homo ſe debet præparare. 276.14
Per pœnitentiam cælo appropinquamus. 368.45
ad Pœnitentiam accede, vt Dei iram fugias. 379.96
Pœnitentia proportionata culpæ. 380.103
Pœnitentia culpæ correſpondeat. 415.44
Pœnitentia eſt peccatorum diluuium. ibid.46

Philippus I.

Qui vocatur externa voce. 486.62

Pietas.

Pietas cum iuſtitia ſimul. 187.14

Potentia.

Potentia cum iuſtitia multum valet. 158.18
Non potentiæ, ſed tempori accommodandum. 253.52
Dolet potentia cùm ſe videt à iuniori te vinci. 319.6

Præceptum.

Præcipiendum, non poteſtate, ſed ratione. 313.39

Prædicator.

Prædicator à vitiis palatii alienus. 376.85
Prædicator Euangelicus ſibi durior, quàm aliis. 378.90
Prædicatorem impedire graue peccatum. 61.87
Prædicatoris eſt viam Dei oſtendere. 181.25
in Prædicatione vox cum opere. 460.83
Prædicatio Euangelica in omnes gentes diffuſa. 203.3
Prædicare Criſtum peculiare regibus. 246.17
Prædicator verus mortem non timet, 249.29
Prædicare magna laus. 306.36
in Prædicatore ſimplex veritas ſit. 215.58
in Prædicatore vitæ authoritas. 329.6
in Prædicatore memoria paſſionis. 367.39
Prædicatores à populo ſint ſeparati. 410.17
Prædicatores, dicta aliorum repetere, ne vereantur. 371.59 & 474.39
Prædicator prius quæ docet faciat. 375.75
in Prædicatore vitandæ deliciæ. ibid.77
Prædicator auditoribus aliquando doctrinam repetat. 476.4
Prædicatores ante prædicationem aſcendant mente. 495.120
Aſcendant mente, & deſcendant compaſſione. 121
Prius contemplandum, poſtea prædicandum. 122

Prælatus.

Prælatus pungit, & laudat, 378.89
Prælatus cum vſura recipit quæ dat pro ſuorum ſalute. 400.73
Prælatus bonus de alieno ſanguine non viuit. ibid.74
Prælatus bonus ſibi retinet dura, dat dulcia ſubditis.
in Prælato nulla ſit particularitatis nota. 22.75 & 36.139
Prælatus, non ſua ſed ſuorum augmentum quærat. 65.103
Prælatus optimus mitibus ſuauis, rigidus aſperis. 132.149 & 469.13
Prælati oſtium ſit patens. 144.29
Prælatus inferiori accommodetur. 212.45
Prælatus bonus prius de grege, quàm de ſe tractat. 215.56
Prælati boni honorantur à Chriſto. 218.67
Prælatus in dignitate, vt ſubditus ſe gerat. 469.12
Quod ſuperior inferiori ſubiiciatur valde durum. 255.63
Prælatus ſtet pro beneficiis ſubditorum. 281.41
Prælatus bonus ad ſui menſuram tractat de ſuis. 287.68
in Prælato iuſtitia cum pietate. 287.69
Prælatus ne imponat rigoroſum præceptum. 333.27
Prælatus ſubditorum commoditati condeſcendat. 370.55
Prælatus ſubditis proportionetur. ibid.56
Prælatus ſubditos dulciter reprehendat. 377.68
Prælatus pungat ſine ita, & odio. 401.init.
Prælatus ſubditorum vitia aliquando diſſimulet.
Prælatus exemplo doceat, 393.32
Prælatus ſit baiulus ſubditorum. 434.141
in Prælato nullus conſanguinitatis affectus, vide *Affectus*.
Vide *Princeps*, *Rex*, *Miniſter*.

Præmium

Præmium maximè mouet. 34.132
Præmia largitur Deus iiſdem, quibus famulatur. 55.62
in Primo primi ſint qui & in merito. 178.14
Præmia maiora, quàm merita. 254.52
Præmium ſperare poteſt ſolus benemeritus. 287.71
in Præmiando Deus liberalior, quàm nos in merendo. 354.81
Præmium dat vires ad bellum. 410.14
Præmium dat vires. 428.107
Vide *Meritum*.

Præparatio.

Præparatur animus ad percipienda diuina tunc, quando mundo clauditur. 193.38

Præſentia.

In Dei præſentia aſſiſtere excellentia magna. 29.110
Præſentem eſſe ſuis boni principis eſt. 46.22
In Dei præſentia timendum. 117.76
Præſentia mouent magis, quàm præterita. 135.156
Præſentia Chriſti à nomine impediri poteſt. 146.36
Præſentia maximè delectant. 219.73
Præſentiâ Chriſti à diabolo liberamur. 255.63
Ad Chriſti præſentiam nulla mors ſentitur. 293.6
Quod ſuam Deus præſentiam ſubtrahat, ſupplicium magnum.
Cum Dei præſentia omne bonum. 311.25
Præſentia efficaciùs mouent. 326.45
Præſentia contemnunt maiora ſperantes. 462.99
Præſentia parua videntur. 447.11

Præſumptio.

Præſumit quiſque tales alios qualis ipſe. 358.3 & 430.123
Præſumptio ex natalibus ſuperbiam generat. 382.107

Præſumit quilibet de aliis ex animo ſuo. 439.167
Vide *Suſpicio.*

Primus.

Primus in aliquo ordine maximè venerandus. 48.32

Princeps.

Quod princeps habeat, idem eſt, ac ſuis det. 38.149
Principis boni eſt adeſſe ſuis. 46.22
Principes ſacerdotum quinam in populo Iudaico dicerentur? 257.71
Principes ſequitur mundus. 319.10
Principes iram contra Magnates conceptam in paruulos vertunt 322.24
Princeps qualis, talis populus. 361.9
Principes volunt quod ſuæ res, amicique ſui appareant aliter, ac in ſe ſunt. 454.55
Princeps loquatur benignè, vt ſuis fiduciam præſtet. 478.10
Principes credunt his, quæ ſuo imperio aduerſantur. 255.62
Valde mirum quod principes viſitent infimos. 150.53
Vide *Prælatus, Rex, Miniſter.*

Proditor.

Proditoris crimen grauiſſimum. 60.83.

Proficere.

Paulatim proficiendum. 494.init

Promiſſio.

Promiſſum adimpleat qui promiſit, vt ſe deobliget. 33.128. & 104.16
Promittunt omnibus reges, principibus tantum dant. 49.36
Promiſſio Dei numquam deficit. 51.46
Promiſſionis diuinæ veritas adimpleta. 58.76
Promiſſionis recordetur homo. 82.3
Promiſſio Dei iuncta cum opere. 138.175
Plus quàm promittit Deo dat. 145.33
Priuſquam promittat quodammodo Deus adimplet opus. 162.33 & 474.37
in Promiſſionibus ſuis verax Deus. 184.3
Qui promittit omnia dare nihil intentat. 439.171

Prophetia.

Prophetiæ veritas. 121.92
Prophetæ ore vno de Chriſto ſunt locuti. 178.10
in Prophetis futurum ponitur pro præſenti. 199.63

Propinquitas.

Propinquitas iniquorum nocet. 61.86
Vide *Conſanguineus.*

Prouidentia.

Prouidentia principis ſuos ad eum ſequendum maximè obligat. 19.58
Prouidentiam habet Chriſtus de Eccleſia ſua. 127.124
Prouidentia eſt abundans cautela. 324.31

Prudens, Prudentia.

Secundum prudentiam, non ſecundum affectum, operandum. 17.53
Prudentia diſponenda ſunt omnia. 99.74
Prudentes Chriſtum adorant. 107.26
Prudens citò ne reſpondeat. 118.79
Prudens aliorum ruina fit cautus. ibid.80
Prudens ſecuritatem timet. 119.83
Prudentia, non vi, Chriſti regnum gubernatur. 177.9
Prudentiæ eſt cauſas non definire. 190.23
Quod prudens cum ignorante ſit pœna grauis. 212.43
Prudentia actiones dirigat. 269.124
Prudens ſequitur viam, quam ſibi felicem agnoſcit. 421.78
Vide *Ratio, Sapiens.*

Puer.

à Pueritia zelus circa Religionem. 340.14

Puritas.

Puritas veritatem corroborat. 108.31
Puritas ab aëre coinquinatur. 183.34
Puritas non ſolum luxuria, ſed etiam nomine offenditur. 307.3
Vide *Virginitas.*

Q

Quærere Deum.

vbi Quæritur Chriſtus, vbi regnat, ac inuenitur. 125.107
Quærenda prius quæ Dei, quam quæ mundi ſunt. 166.11
Quærens ficte Deum non inuenit. 260.87
Qui quærit Chriſtum, inuenit. 264.105
Secundum quod quæritur à nobis inuenitur Chriſtus. 483.54
Dum quærit Deum, & non inuenit, anima iuſti conqueritur. 349.59
Quærendum bonum amiſſum. 352.71
Niſi Deus hominem quærat, hic non ſe mouebit ad illum. 388.12

R

Ratio.

Ratione, non poteſtate præcipiendum. 313.39
Ratione operandum. 409.10 & 406.96 & 452.39
Vide *Prudens, Supplicium.*

Redemptor.

Redemptor, & Creator idem. Vide *Deus.*
Redemptoris officium redimere. 277.20

Religioſus.

Conſecratum Deo eſt honorandum. 280.37
Conſecratus Deo nil temporale meditatur. 303.57
Religioſus ſtatus Deo maximè charus. 335.35
Religioſus ad ſæculum ne regrediatur 373.66
Religioſis diabolus in paruis tentationes tendit. 421.82

Religio Chriſtiana.

Religio nobilitat. 56.66
Vide *Chriſtianus.*

Relinquo.

Relicta non repetenda. 415.45 & 427.108
Vide *Religioſus.*

Reliquia.

Propter reliquias Sanctorum bonum. 217.63

Remedium.

Iuxta remedium infirmitas. 36.140
Remedium ruinæ ne ſit occaſio. ibid. 141
de Remedio, non de vindicta cogitandum. 190.22
Ibi remedium, vbi morbus. 194.40
Remedium multis aliis Deus præparat ex lapſu vnius. 195.44

Ibi

Ibi remedium applicandum, vbi miſeria maior. 249.33
Remedium magnum in miſeria magna. 322.21
Remedium requirit magnum neceſſitas magna. 371.56

Repetitio.

Repetitio vitanda. 21.23
Repetit incipiens relicta. 427.108
Prudens non veretur aliorum dicta repetere. 371.59 & 415.39

Reprehendere.

Reprehendens vnde reprehendatur non habeat. 84.8
Reprehenſionem contemnere valde damnabile. 105.12
Reprehendat Prælatus dulciter ſuos. 376.85
Obſtinatus rigore emollitur. 380.100
Reprehendere reges diuinitatis eſt index. 447.12
Reprehenſio danda eſt vbi profit. 152.41
Res grandes tractandæ non vbique, ſed in quieto, & ſecreto loco. 480.init.
Res magnæ diutiùs tractandæ. ibid.26
Vide *Docere, Doctor.*

Reſpondere.

Ne citò reſpondeat prudens. 118.79
Antequam reſpondeas cogita. 128,127

Reſpublica.

Reſpublica ruit quando inter conſanguineos eſt regimen. 362.13
Reſpublica ruit, dum Patricij clauum Reſpublicæ tenent, ibid.

Reſurrectio.

Reſurrectionis figura maximè veneratur. 58.76

Reuerentia, Reſpectus.

Reuerentia in Deum. 137.168
Reuerentia, ac ſanctitate ſua cuſtoditur res. 144.25
Reuerentia verus honor demonſtratur. 167.116
Virtus non eſt inurbana. 144.29
Non plebeius, ſed nobilis excellit in reuerentia præſtanda. 227.103
Vide *Honor,* vbi multa.

Rex, Regnum.

in Rege nullus particularis affectus. 36.139
Rex verus ſuos beneficiis conſeruat. 17.51
Rex prouidentia, ac ſolicitudine ſuos obligat, vt ipſum ſequantur. 19.58
Rex verus quod à ſuis accipit duplicato reddit. 30.113
Rex ſibi ſua non retineat, ſed ſuis communicet. 31.118
Rex ſuorum miſerias videre non poteſt. 33.125
Rex eundem ſibi, & aliis modum proponat. 35.137
Regum minima, vt maxima decantantur. 42.5
Reges omnibus promittunt, dant principibus tantum. 49.36
Rex bonus, paſtor, & pater. ibid.37
Rex nullus iuxta Chriſtum. 52.51
Reges iuxta Chriſtum ſunt patres, longè verò ab eo crudeles domini. 53.52
Rex omnibus, non vni communicetur. 121.93
Rex, & ſacerdos ſint concordes. 133.152
Rex dignitatem fugiat, ad labores volet. 143.23
Rex verus ad ſuorum ſalutem velociùs volat, quam ad requiem ſuam. 163.38
Rex verus omnibus communis. 176.5
Regis erigitur poteſtas, dum ſubuenit ſuis. 176.7
Regnum Chriſti, non vi, ſed prudentia gubernatur. ibid.9
Regnum Chriſti ab omni affectu carnis alienum. ibid.
Rex ex iuſta cauſa laudandus. 205.12
Rex non degluberare, ſed tondere debet. 210.36
Rex bonus dat vitam pro ſuis. 221.82
Regna dat Chriſtus, non aufert. 244.5
Regalis animus, dum accipit, obligatur. 246.16
Rex, quæ ſui ſunt, cogitet. 249.30
Rex à beneficentia potius, quàm à maieſtate cognoſcitur. ibid.33
à Rege alienus dolus. 259.83
ad Regis aures neceſſaria ſæpe non veniunt. 261.92
Regum Deus potentiam illudit. 278.24
Regis dignitas veneranda. 280.38
Rex non ſingularis, ſed omnibus communis. 360.8
Regi eſt rubor, dum fit ſingularis. ibid.
Rex in negotiis Eccleſiaſticis ſe non intromittat. 449.22
Regnare quædam ſeruitus eſt. 443.191
Regnandi, ac dominandi ambitio hominibus ingenita. 15.43
Rex milites, quos munerat deſtinet ad bellum. 410.14
Vide *Prælatus, Princeps, Miniſter.*

Rigor.

Ibi rigor oſtendédus, vbi eſt aſperitas. 132.149
de Rigore legis remittendum aliquid. 190.22
Rigor ad fugam prouocat. 371.57
Rigore emollitur durus, & obſtinatus. 380.100
Rigor diiungit, benignitas vnit. 395.41
In rigidum mitis, rigidus in mitem. 444.196

Ruina.

Ruina aliorum prudens fit cautus. 118.80

S

Sacerdos.

Sacerdos à peccatis alienus. 54.56
Sacerdos Dei templum. 88.26
Sacerdotes venerandi. 89.32
Sacerdotum peccatum non diuulgandum. 99.72
Sacerdos, & rex ſint concordes. 133.152
Sacerdotum principes quinam in populo dicerentur. 257.71
Sacerdotes ſint in magna reuerentia. 271.136
Sacerdoti magna habenda reuerentia. 290.85
Sacerdotum peccata à Deo ſolo emendantur. 365.31
Inter Sacerdotes, & Leuitas diſcrimen. 449.24
Sacerdotes improbi venerandi. 452.40

Salus.

Salus venit via, qua morbus ingreditur. 34.134
Salus per eandem viam, per quam perditio. 102.6
Salus in humilitate cuſtoditur. 106.23
Salus noſtra non fit ſine nobis operantibus. 136.163 & 31.117
Saluat nos Deus aſtutia mira. 211.41
Salutem noſtram Chriſtus deſiderat. 212.44 & 228.107

Vt detur ſalus,ſuperior inferiori accommodetur. 212.45
Noſtra ſalus maximè æſtimatur à Chriſto.228.107
Salus contrariis recuperatur mediis. 414.37
Salutis aliorum ſublata occaſio non omittenda, ſed arripienda. 481.32
ad Salutem neceſſe eſt ingredi in Eccleſiam.ibid.34
Vide *Cæleſtia.*

Sanctificatio.

Noſtra ſanctificatio Deo in magno pretio. 370.51

Sanctitas, Sanctus.

Sanctitas in magna dignitate. 48.33
Sanctitas vbi maior,ibi dilectio maior. 50.41
Sanctitas in nobilitate fulget. 88.4
Sanctitas repente non appareat. 85.12
de Sanctitate Deus maximè gloriatur. 131.143 & 133.150 & 337.42
Sanctitas quid maximè excellens. 133.150
Sanctitas mouetur exemplo. 139.4
Sanctitate ſua cuſtoditur res. 144.25
Sancto in opere nullus timet. 406.98
Sanctitatis opinio animum maximè prouocat. 453.49

Sapiens, Sapientia.

Sine ſapientia operandum nihil. 17.51
in Sapientia profectus primus. 357.92
Sapientiâ omnia mala eradicantur. 471.24

Scandalum.

Scandalum aliorum vitandum. 275.11

Scientia

Scientia illa vera, quæ exterius apparet. 175.2
Scientia gratiſſimum Deo munus. 268.124
Scientiæ opinio animum maximè mouet. 453.49

Scribere.

Qui ſcribit libros præcedit alios. 15.44
Quod ſcribitur valde firmum. 169.26

Scriptura.

Scripturæ totius Chriſtus lux. 9.8
Scripturæ ſacræ ſcientia maximè æſtimanda. 342.24
Sacræ Scripturæ lectio valde vtilis. 489.84

Secretum.

Secretum non violandum. 275.12 & 350.62

Securitas.

Scuritatem prudens timet. 119.83
Securus eſt de regno qui Chriſtum habet. 292.4

Senex.

Senioribus, ſeu maioribus habenda reuerentia. 140.7

Sequi.

Sequenda communis via virtutum. 215.57
Qui ſequitur Deum,de victoria ſecurus. 209.22
Vide *Imitari.*

Seruire, Seruus.

Seruiendum amore,non timore 281.41
Quidquid ſerui offendit,quidquid domini recreat. 40.159
Seruire Deo perfectio magna. 95.54
Seruire Deo nobilitas magna 104.15
Seruitus vera operibus comprobatur. 202.2
Seruiens ſingulariter, ſingulariter honoretur. 251.45
Seruire Chriſto, dignitas nulla maior eſt. 264.104
Seruiendum Deo lege,non arbitrio noſtro. 281.39
Ex Deo venit, quod ſublimis ſeruiat humili. 251.45

Silentium.

Silendum non eſt in occaſione. 148.45

Simeon.

Simeon homo interius,& exterius. 286.64
Simeon Sacerdos erat. ibid.65
Simeon valde ſenex. ibid.
Simeon quomodo dicatur iuſtus, & timoratus. 287.68.69.& ſeqq.

Similis.

in Similibus factis exitus diſſimilis. 97.62
Aſſimiliare Deo,vt placeas illi. 404.87

Simplex, Simplicitas.

Simplices apti ad credendum. 215.56
Simplicitas ad beneficia dignior. 216.61
Simplex ſimplices exiſtimat omnes. 260.84
Simplicitas Deo placet. 281.43

Simulatio.

Simulatio ac hypocriſis fugienda. 414.init

Singularitas.

Singularitas timenda. 117.76
Singularitas vitanda. 167.12 & 339.8 & 415.44

Societas.

Socij in culpa homines,in pœna minimè. 234.10
Societas iniquorum damnum parit. 263.97 & 102
Sociis proportio, & accommodatio requiritur. 322.22
Dum impius regnat, gloria eſt ſceptrum non tenere. 367.40
ex Societate malorum labes. 387.4

Solitarius.

in Solitarium hominem quilibet audet. 412.21

Spes.

Spes noſtra Chriſtus. 107.26
Spem qui ponit in humano auxilio, diuinum amittit. 263.100
Sperare præmium ſolus poteſt benemeritus. 287.71
Poſt ſpem poſſeſſio ratio magna gaudendi. 292.2
à Spe ſua animus vacuus turbatur. 293.11
Sperandum non eſt in terrenis. 425.95
Qui nihil ſperat, nihil turpe fugit, & ſpes dat vires. 428.109
A quilibet ſperamus aliquid,eos ſolos honoramus. 463.103

Spiritus.

Spiritus ſanctus ob Incarnationem maximè venerandus. 131.142
Spiritus ſanctus magnam dat fœcunditatem.401.76

Spontè.

Spontè quæ fiunt,diu perſeuerant. 487.71

Status.

Statui accommodandum, vide *Accommodare.*

Sublimitas.

Sublimitas.

Quod ſublimis humilibus famuletur ex Deo venit. 251.45
Vide *Magna.*

Supplicium.

Supplicium magnum Deum non recipere, in eumque non credere. 28.108
Per ea quis torquetur,per quæ peccat. 24.86 & 321.18
Eadem res ſupplicium, & beneficium. 97.65
Supplicium dat intellectum. ibid.66
ad Supplicium Deus valde difficilis. 160.28
Dum princeps per ſe caſtigat,ſubditum honorat. 280.38
Vide *Pœna.*

Superbus.

Altitudo deprimitur,humilitas exaltatur. 53.52
Superbia Deo intendit reſiſtere. 160.26
Superbia humilitate deuincitur. 203.5
Superbia multum arrogans. 254.61
Superbi ad virtutem ſteriles, ac deſperati. 373.70
Superbus ſæpe ſæpius genere, & moribus humilis. ibid.
Superbia à Chriſti diſcipulis alienanda, 408.3
Superbia excæcat mentem. 419.68
Superbia creata ex ſe vult de Deo coniecturare. ibid.67

Supererogatio.

Opera ſupeterogationis gratiora. 276.13

Superflua.

Superflua vitanda. 419.70

Suſpicio.

Suſpicio omnis amouenda. 58.78
Ab omni ſuſpicione mala fugiendum. 190.22
Suſpicatur ſemper malum de criminoſo. ibid.26
Plus perſuadeant virtutes cognitæ, quam aliqua ſuſpicio mali. 169.24
Suſpicatur iuſtus de nemine malum. 248.28
Ab omni opinione mala eximenda operatio. 249.32
Vbi ſuſpicio mali, ibi timor.
Vide *Præſumptio.*

T

Tacere.

TAcendum de eo,quod videtur. 226.100
Vide *Loqui.*

Temporalia.

Vide *Bona Temporalia.*

Tempus.

Tempora in peius ruunt 361.10

Tentatio.

Tentatio inter homines frequens. 412.28
Tentatur Dominus,dum ſe humiliat. 418.60
Tentatio grauis ipſa neceſſitas. 420.76

Terrena.

Terrena deponenda vt percipiantur cæleſtia. 370.51

Teſtamentum.

Teſtamentum nouum, & vetus ſibi correſpondent. 8.5

Teſtimonium

Teſtimonium alienum in re propria valde vtile. 23.80
Teſtimonium magnæ authoritatis ex nobilibus. 849
Teſtimonium corroboratur ab authoritate teſtis. 183.33
Teſtimonium ex probitate teſtis corroboratur. 188.17
Teſtimonij grauitas ex multitudine teſtium.224.87
Teſtimonium ab inimico efficacius. 247.22
Teſtimonium non affinitatis gratia. 368.42
Teſtimonium ſit alienum ab omni ſuſpicione. 473.32
Contra Hæreticos,& obſtinatos teſtimonium efficax. 474.36

Teſtis.

Teſtis authoritas multum mouet. 90.39
Teſtium multitudo ad teſtimonium multum conducit. 224.87

Timor.

Timidus falſa vera iudicat 318.2
Qui ſine peccato eſt nil timet. 119.82 & 173.41
Timendum maximè perdere Deum. 332.23
Timidi, ac non reſiſtentes iniquitati, puniuntur. ibid.
ob Timorem multa fiunt. 462.98
Timor facit quod non facit amor. 62.89
Timet iuſtus cæleſtia dona. 89.35
Ibi timor,vbi mali præſumptio. 406.99
Timendum in Dei præſentia. 117.76
Timet multum, qui multum habet. 119.82 & 287.69
Timet prudens ſecuritatem. 119.83
Timor quotuplex ſit. 159.20
Timore ad bonum omne præparatur homo. 216.62
Timet qui iniquè agit. 254.61
Timor in dignitate. ibid.61
Timendum bellum. 155.65
Iuſtus timet gratiam perdere. 293.11
Coram Deo nullus timetur hoſtis. 208.7

Tyrannus.

Tyranidem nomine ſuo magno reges occultare volunt. 47.25

Titulus.

Non titulis,ſed operibus oſtendenda maieſtas. ibid.

Traditor.

Vide *Proditor.*

Tributum.

Tributum Chriſto,vt regi ſoluebatur. 203.5
Tributum ſit in omnes. 205.13
Rex non degluberare,ſed tondere Rempublicam debet. 210.36
ad Tributa imponenda reges valde propenſi, & hoc omni faciunt anno. 362.16

Trinitas.

Trinitatis cognitio in hac vita imperfecta. 9.12
Trinitas tunc maximè reſplendet, cùm omnibus manifeſtatur. 395.47

Triſtitia.

Triſtitiæ ſignum in die feſtiuo nullum. 133.151
Triſtitia in mundo,in Deo gaudium. 274.104
Triſtitiam Deus cum gaudio miſcet. 313.35

Varietas.

V

Varietas.

VArietas delectat. 223.85

Verbum Diuinum.

Verbum Diuinum in magna æſtimatione apud Patrem. 12.28

Verbum noſtrum, ſeu Sermo.

Quod verbis contradicimus, fatemur factis. 98.68
Verba,& opera ſimul. 144.30
Verba noua animum requirunt nouum. 175.2
Verba ad maiorem expreſſionem repetuntur. 451.36
Verba varia ad Dei laudem. ibid.
Verbum, quod eſt in ore,ſit in corde. ibid.37
Verba cum operibus ſint coniuncta. 460.83
Verba ſine opere mendacia. ibid.84
Vide *Conceptus*, *Locutio*.

Verecundia.

Verecundiam qui depoſuit, mendacium non timet. 439.169

Veritas.

Veritatem intellectus noſter maximè reſpuit. 23.79
Vbi veritas ſumma,ibi Diuinitas radiat. 41.162
Veritas Deum oſtendit. ibid.161
Veritas ibi adeſt,vbi terreni deſunt affectus. ibid.162
Veritatem corroborat puritas. 108.31
Vera alta voce dicenda. 148.46
Veritas ſine timore. 449.30
Veritas ſupprimitur ob gratiam regis. 259.81
Veritas clamat, ac dat voces. 372.62

Via.

in Via Dei ambulare perfectio magna. 95.54
Via virtutum communis ſequenda. 215.57.& 275.11.& 340.16 & 396.50
Via communis ſequenda. 249.33
Via rectâ itur ad cælum. 272.142 & 68.116
Prudens ſequitur viam, quam ſibi felicem agnoſcit. 420.74

Victoria, Vincere.

Victoria per debile inſtrumentum glorioſa. 107.26
Vincitur diabolus per id,per quod vincebat. ibid.146.37
Vince naturam,vt mundum vincas. ibid.
Victoria glorioſa inſtrumento vili. 203.5
Qui vult vincere fugiat occaſiones. 424.101
de Victoria ſecutus qui Deum ſequitur. 409.11

Vigilia, Vigilare.

Vigilare ſuos eſt boni principis. 46.23
Vigilia maior,cum eſt occaſio periculi. 215.56
Vigilandum exercitio virtutis. 411.21
Vigilantibus fructus natiuitatis Chriſti. 220.77

Vilia.

Per vilia, ac abiectiones vult iuſtus cognoſci. 151.56
Per vilia Deus confundit fortia. 215.58

Vindicta.

Non de vindicta,ſed de remedio cogitandum. 190.23

Vir.

Per virum diſponenda quæ ad familiam ſpectant. 308.5
Vir prudens non ſtatim laude capitur. 490.92

Vires.

Viribus cuiuſque accommodandum. ibid.80

Virginitas.

Virginitas perfecta interior,& exterior. 108.31
Virginitas corroborat veritatem. ibid.
ad Virginem Chriſtus nos excitat. ibid.32
Vbi virginitas,ibi omne bonum. ibid.
Virginitas attrahit Deum. 115.66 & 356.89
Virginitas in ſpiritu humanam loquelam timet. 117.77
Virginitatis votum habuit Maria Virgo. 185.4

Virtus.

Virtus amplectenda,vitia deſtruenda. 56.67
In via virtutis progrediatur homo, & non regrediatur ad relicta,ac ſæculum. 373.66
Iuſtitia perſeuerat,mundi dignitas tranſit. 83.4
Virtus nobilior quacumque dignitate. 129.134 & 351.66
Virtus non eſt inurbana. 144.29
Virtutum communis ſequenda via. 215.57 & 396.50
in Virtutem, quà profecit, propendet quilibet. 229.108
Virtus per ſe nobilitat. 246.15
Virtus noſtra ſoli Deo manifeſtanda. 167.114
Virtus omnibus communicata illuſtrior. 362.15
Virtus illuſtrior, dum in commune bonum potius, quàm in particulare fulget. ibid.17
ex Virtute animi interiori vera laus. 367.37
In via virtutis reiicitur leuis, & inconſtans. 385.122
In virtutis ex odio oppugnamenta. 308.5
Virtutes furatur vana gloria. ibid.411.19
Virtutis exercitio vigilandum. ibid.21
Vbi virtus maximè reſplendet, ibi oppugnamenta maiora. 413.32
à Virtute deficiens,duritiem inuenit. 422.81
Virtus,à quibus contemnitur, poſtea honoratur. 453.48
Virtus vera ſine ſimulatione. 85.15
Virtus vera querimonias non excitat. ibid.16
Virtutes ſuorum maiorum quiſque ſectatur. 147.39
Plus perſuadent virtutes cognitæ, quàm aliqua ſuſpicio mali. 169.24

Viſio.

Viſione magna eget res magna. 88.29
Vt Deus videatur, oculus mundo claudatur. 252.48
Viſione Dei clara fruitur qui Deum adorauit occultum. 410.18
Vt Deum videas,temporalia dimitte. 264.105

Viſitare.

Viſitet ſua dominus. 28.104
Viſitare ſuos eſt principis boni. 46.22
Quod magnus viſitet infimos valde mirabile. 205.12

Vita.

ad Vitam per labores ingreditur. 68.116
Vitæ huius tempus noſtrum ad pœnitentiam. 180.20
Vitam aliis dare, ſibi mortem eligere Dei eſt. 222.82
Vita hæc velut carcer. 293.5

Vitium.

Vitia deſtruenda, virtus amplectenda. 56.67
Vitia Parentum,vide *Parens*.

Vbi

Vbi vitia ſunt, generis nobilitas non prodeſt. 381.105

Vnctio.

Tria genera perſonarum quæ vngebantur. 483.46
Ieſus omni vnctione excellentiſſimè vnctus. 77

Vnitas.

Sine vnitate non eſt beatitudo. 15.43
Vnitas maxime nobilitat,ac extollit. 56.66
Qui vniuntur in laudem Dei,mirabiliter operantur. 147.39
Vnione augetur Reſpublica,diuiſione perit. 363.22
ad Vnitatem benignitas prouocat. 371.57
Vide *Pax*, *Concordia*.

Voluntas, Voluntarium.

Voluntas efficax omnia vincit. 169.25
Voluntas bona Deo obſequium magnum. 228.108
Voluntate,ac libertate factum opus fit illuſtrius. 237.26
Vbi voluntas propria,ibi periculum magnum. 421.77
Potius communi bono, quàm propriæ voluntati conſulendum. 459.78

Vox.

Vox ſonans Chriſtum valde afficax. 484.52
Vox Dei maximos excitat amoris aculeos. 487.74
Voci Dei promptè & expeditè obediendum. 75

Vrbanitas.

Vrbanitas in dignitate omittenda non eſt. 140.12
Inurbana non eſt virtus. 144.29
Quæ vrbanitatis ſunt, propter officium omittenda. 145.32
Vrbanitas aliis dat primum locum, non verò amor. 351.67
Vrbanitas inter iuſtos. 389.15
Vide *Reuerentia*, *Honor*.

Z

Zelus.

ZElus à pueritia circa religionem tenendus. 340.14
Zelatoris ficti forma decipit. 431.128

FINIS.